

[illegible] Illmo [illegible], el Sho Obarrio Nocedal
[illegible]yendo los Renombres y Blones que le da
[illegible]ute Organa, ad Vierte que la Iglesia debia
[illegible]te Oquiere decir Sangre Espiritual y Corpo
ral Porque nuestra Sagrada Escritura, dice
lee dijo Un poeta Latino estos Versos, Signi
Sonorari cupit ad que laudari simul ad di
cari, dicat adulari que tales sunt modo Dan
Amos, y el Prof. Amos en el cap. 5. Hablando con
5.

Ch. 21
2nd Ja
Vol 12

IN OMNES

DIVI PAVLI APOSTOLI EPISTOLAS COMMENTARIORVM

TOMVS PRIOR.

Authore D. GVILIELMO ESTIO S. Theologiæ Doct. & in Academia Duacena primario professore, eiusdem Vniuersitatis Cancellario.

CVM INDICE RERVM MEMO-rabilium locupletissimo.



BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

DVACI, [illegible]

Ex Officina Typographica BALTAZARIS BELLERI, Typographi iurati, sub Circino aureo, ANNO M. DC. XIV.

Cum gratia & priuilegio ad decennium.

de la Librería del Coll.º de la Comp.ª de Jhs de Soria

SERENISSIMO,

RELIGIOSISS. ATQVE CLEMENTISS.

ARCHIDVCI ALBERTO, BELGARVM PRINCIPI.



OMMENTARII, quos in omnes Apoſtoli Pauli ſacras epiſtolas, longa & magna cura, nec minore ſcientia, elaborauit piæ mem. GVILIELMVS ESTIVS, quare tuæ demum CELSITVDINI dicati, lucem aſpicere debeant, multæ ac magnę cauſæ ſunt, SERENISSIME ARCHIDVX: ſed illa inter primarias facilè prima, quòd nemini obſcurum ſit quàm ſingulari beneuolentia, quàm affectuoſa charitate viuentem complexa ſit tua Celſitudo, etſi in tanto illo faſtigio collocata. Fecit illa quidem quod ſe dignum erat: fecit tamẽ non indigno. Fuit enim is vir eiuſmodi, vt (Deo gratia) paribus viribus in eo certauerint Vera in Deũ pietas, vitæq; integritas ad exemplum vſque; Summa variarum, ſed ſacrarum imprimis, rerum ſcientia; Modeſtia & animi demiſſio, cum æquali virtutum cumulo rariſſima; denique incredibilis in egenos & afflictos beneficentia. Ita vt Celſitudini V. gratulandum meritò ſit quòd talem tantumque virum habuerit in ſua Duacenſi Vniuerſitate Theologiæ profeſſorem annos triginta vnum; ſui Seminarij Regij Præſidem eoſdem illos; Cancellarium Vniuerſitatis annos octodecim.

Neque verò prætermiſit optimus vir, quo minus viciſſim omni gratitudinis & obſeruantiæ genere, quoad eius fieri

poſſet, amori in ipſum veſtro, SERENISSIME PRINCEPS, ſedulò reſponderet. Cuius rei ſpecimen dedit ante annos vndecim: quum aliquot martyrum ſuæ gentis hiſtoriam, accuratè & piè conſcriptam, nomini V. inſcriptam euulgauit: maiora oblaturus poſtea; ſi paulò longiorem vitam Dei beneficio adeptus fuiſſet. Proximum iam videtur, vt de meipſo qui hæc ſcribo, rationem V. Celſitudini reddam, cur noſtrâ operâ fiat horum Commentariorum Tomi prioris, qui nunc prodit, iſta dedicatio.

Solebat vir modeſtiſſimus, poſtquam multorum precibus expugnatus hoc opus prælo ſubijcere decreuerat, nobis præbere perluſtrandum quicquid typographo erat miſſurus; & extremæ voluntatis ſuæ tabulis, vt in ea cura pergeremus donec perfecta foret impreſſio, enixè rogauit.

Quod tali viro, vetere amicitia & Louanij & Duaci nobis coniunctiſsimo, nefas erat futurum negare: atque hac ratione negotium dedicationis in noſtros humeros fuit deuolutum. Quam V. Celſitudini gratam atque acceptam fore, non vna de cauſa audemus confidere: ſiue ipſius operis gratiâ, longè eruditiſsimi; ſiue authoris ratione, viri inter tuos ſubditos præclari; ſiue quod V. Celſitudo à ſuo more non recedet, quo ſuorum obſeruantiam non Principali ſolùm, ſed & paterna quadam charitate ſolita eſt complecti. Eandem C. V. vnà cum Sereniſſ. Domina Principe Hiſpaniarum Infante, vt Deus Belgio veſtro, ipſíque adeò Eccleſiæ, quàm diutiſsimè conſeruet incolumes & florentes; votum eſt omnium noſtrum.

Ex Vniu. V. Duacenſi, die 25. Iulij, 1614.

V. C.

Humilis ſubditus & cliens,

BARTHOLOMÆVS PETRVS
S. Theol. Doctor, & in Vniu. V. Duacenſi Profeſſor.

B. P.

CANDIDO LECTORI.



VILIELMVS ESTIVS *laudatiſsimæ mem. quum eo morbo qui ipſi letalis fuit, detineretur, teſtamento ſuum in Epiſtolas B. Pauli commentarium (cuius impreſsio tunc perducta erat vſque ad prima capita poſterioris Corinthijs ſcriptæ) nobis commendauit, rogans vt reliqua illius perlegeremus, & iuxta annotationes ipſius marginales vel ſchedis interpoſitis comprehenſas, caſtigaremus atque recognoſceremus; quò imprimi deinde poſſent. Fecimus, & Deo vitam ac valetudinem neceſſariam dante, facturi ſumus, quod vir optimus doctiſsimuſq́, nobis amiciſsimus, cupiuit. Itaque poſt illius obitum ita progreſsi ſumus; Deo gratia, vt nunc in omnes Paulinas epiſtolas Commentariorum priorem Tomum tibi legẽdum demus: daturi alterum, quum primum licebit, idq́, citius fortaſsis opinione tua. Vale, defuncto piè precare, laboribus ac doctrina eius vtere, mores conſtanter imitare.*

PROTESTATIO AVTHORIS IN EIVS SCHEDIS REPERTA, ET IPSIVS verbis hîc poſita.

PROTESTATVR Author quod omnia velit eſſe ſubmiſſa iudicio Eccleſię catholicæ, & eius ſummo in terris Paſtori ac Iudici, Rom. Pontifici: velitq́; pro non dicto haberi, ſi quid male dictum. Quod nolit vlli perſonę aut familię detractum; cupiens Chriſtianam cum omnibus catholicis beneuolentiam, & quantum poſſibile eſt, amicitiam colere & conſeruare. Item declarat ſe vbique ſequutum ſenſum Eccleſię, quantùm eum percipere potuit ex collatione Scripturarum inter ſe, tum eiuſdem Apoſtoli tum aliorum ſcriptorum ſacrorum; item ex collatione cum fonte Græco & melioribus exemplaribus Latinis: Item ex traditione eccleſiæ, nota per Concilia, & doctrinam SS. Patrum veterum, ac præcipuorum, præſertim Auguſtini, qui Pauli fuit ſtudioſiſſimus, & eiuſdem gratię, quam Paulus in omnibus epiſtolis prædicat, Doctor eximius. Declarat præterea, ſeſe conatum eſſe verum ſenſum nudis & claris verbis explicare: nec Commentarium extendiſſe in exhortationes populares; verùm id reliquiſſe ijs qui ſcribunt homilias ad populum.

APPROBATIO.

COmmentarium hunc celeberrimi Theologi Domini GVILIELMI ESTII *piæ mem. in B. Pauli epistolam ad Rom. vtramque ad Corinthios, & eam quæ est ad Galatas, diligentissimè perlectum; tanquam qui summo labore, industria, ac doctrina collectus & concinnatus sit, eaq; ratione ad germanam apostoli intelligentiam plurimum lucis & subsidij allaturus, nihilq; habeat fidei catholicæ aut bonis moribus repugnans, sed tam his quàm illi permultum sit profuturus; dignum impressione censuimus, Duaci 3. Maij, 1614.*

BARTHOLOMÆVS PETRVS
S. Theol. Doctor, & in Vniuersitate Duacensi Professor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS ET ISABELLA CLARA EVGENIA, Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimi Belgarum Principes, Diplomate ſuo ſanxerũt; ne quis, *Cõmentaria in omnes D. Pauli epistolas, auctore* D. GVILIELMO ESTIO *S. Theologiæ Doctore, & Professore primario in Academia Duacena*, præter BALTAZARIS BELLERI voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecus faxit, confiscatione librorum, & alia graui pœna mulctabitur, vt latiùs patet in literis datis Bruxellæ, IX. Maij, M. DC. XIV.

Signat.

I. LE COMTE.

ELOGIVM
AMPLISSIMI VIRI
D. GVILIELMI
ESTII, HESSELII, GORCOMIENSIS,
S. THEOL. DOCTORIS,
ET APVD DVACENSES
PROFESSORIS PRIMARII,
AD S. PETRVM PRÆPOSITI,
ET VNIVERSITATIS CANCELLARII,
IN REGIO SEMINARIO PRÆSIDIS,
ÆVITERNÆ MEMORIÆ.



Equis vel in primore virtutum tuarum obtutu, defixus non hereat, GVILIELME ESTI! *ut eximie doctrinæ & virtutis mysta; ita Theologorum flos delibatissime. Quâ verborum dignitate cælestem & rarissimum hoc sæculo vitæ istum in te morumq; candorem, apud omneis passim genteis, contestetur! Quo denique elogio Doctrinam istam excellentem, pari cum modestiâ coniunctam; istos divini ingenij, indefessi studij, & accuratæ industriæ fœtus, clarissima scriptorum monimenta; uberrimas, inquam, in omni sacrarum litterarum genere, elucubrationes; ceu quædam, meræ pietatis, sanctimoniæ plus-quam humanæ, & tantum-non θεοπνεύστου eruditionis referta narthecia, celebret aut commendet?*

At enim. tam inusitatæ in omni præclarissimarum rerum genere ὑπεροχῆς *exspectationem, non vulgarem, iam-tum multorum in animis concitásse visus es, ut primùm & honestissimorum atque antiqua probitate spectatorum, è Gorcomio, non ignobili ditionis prius Arkelanæ, deinde Hollandiæ opido; & de vetustâ nobilium olim Arcis Estensis, haud procul Tilâ, in Batavis, Toparcharum stirpe (undè & cognomentum gentilitium, & insignia, in posteros, suo dominatu per vim fraudatos, permanárunt) patriciæ dignitatis parentum curâ; & magni illius, religiosissimi, & propè Divi dixerim, Nic. Pi-*

ci avunculi cohortatione; præter egregia domestica & quasi hereditariæ pietatis ac probitatis exempla, in omnem puerilium studiorum & linguarum reconditiorum, ad poëticum usque decus, elegantiam, Vltraiecti, sub Macropedio, felicissimè eruditus; generosum tàm exculti animi impetum, cùm ad pervestiganda Aristoteleæ philosophiæ scita; tum ad abstrusiorem divinarum litterarum, sive Theologiæ, intelligentiam, Lovanij, celeberrimo earumdem disciplinarum emporio, contulisti. & tantâ illic ingenij contentione enixus es, ut indè quidem, in frequenti eiusdem laureæ Candidatorum examine, primas, vel certè primis proximas, deferri tibi contigerit: Hîc verò, præ laudabili subactæ memoriæ solertiâ, & assidui in legendo audiendoq; laboris, quà publicè, quà privatim, sedulitate, tantos brevi feceris progressus; vt non modò æqualeis tuos multis parasangis antevertisse; sed non obscurè etiam clarissimorum eâ tempestate Theosophiæ Columinum & gravissimorum magistrorum luminibus, adolescens & discipulus, pænè obstruxisse iudicarere.

Testis, celebre apud eosdem Grudios, Falconis Gymnasium: vbi, decennio ampliùs, iuventuti philosophica, quæ puer ibidem hauseras, & adultior cum Theologica subtilitate coniunxeras, præcepta, ut laborioſissimè, ita utilissimè explicásti.

Testis, eâdem in Academiâ, & τὸ ἱερατικὸν Hadriani VI. popularis, & ab aviâ vsque paternâ cognatione tibi coniuncti, Φρουντσήλιον: & τὸ βασιλικὸν Philippi II. Φυλευτσήλιον. quorum in altero congestas ex continenti sacrarum litterarum contemplatione divitias, uberrimè, tribus, plus minus, annis, in denso Auditorio, profudisti.

Verumenimverò, angustis huius vel illius Collegij subsellijs, tàm excellens virtus, tàm admirabilis doctrina, tàm illustris vitæ morumq; sanctitas ità concludi non potuit, quin grato per viciniam longè lateq; odore se proderet; & à primarijs rerum Academicarum procuratoribus, qui ea maiori in posterum sibi suæq; Reipub. vsui esse posse, & luculentiore quidem theatro, prospiciebant, vltrò & certatim exambiretur. Iam tum novella apud Catuacos in Flandris Academia, caput extollere, iactis præclarè omnis generis disciplinarum, & peculiarium ijsdem diversoriorum, fundamentis, utcumq; caperat. Ipsa, inter cæteras, Theologia, præstantissima illa omnium & Ecclesiæ utilissima, maximeq; necessaria facultas, magni illius Francisci Richardoti, ceu solis cuiusdam, radijs illic, velut in primulas luminis auras, educta; & Smythæi, Galeni, Rubi, Stapletoni, Bossemij, aliorumq;, eidem succidaneorum, faculis confota, ceu statuminibus quibusdam fulcienda

erat,

erat, & ſublimè attollenda. quùm peropportunè accidit, ut hîc quoque, inexhauſtâ Catholici Regis (quem parentem & ſuî conditorem agnoſcere & perpetuùm colere hæc eadem debet Academia) liberalitate, & conſtanti amplificandæ Chriſtianorum religionis ſtudio, PLANTARIVM, (ex quo rediviva, non tàm Theologici ſtudij φιλητόων, quàm, qui vel primarius regij inſtituti ſcopus, proborum & idoneorum Belgicæ Eccleſiæ ποιμένων & Curionum ſuboles, uſque & uſque propagetur) ſatum iam eſſet, & certis quodam modo, quaſi ad quincuncem, honeſtæ diſciplinæ, ſanctarumq; legum regulis, digeri dirigiq; cæptum.

Fidus horum myſteriorum quæritur οἰκονόμος. qui recens Viridarium perpetuis honeſtæ diſciplinæ morum, doctrinæ, ſanctitatis, ſcatebris irriget; & à vitioſo ſæculi depravatiſsimi ſqualore atque ariditate defendat: qui ſurculos, & tenellos ſtolones confirmet: qui Iuventuti, ſuâpte ſponte lubricæ, veteris conſtantiæ ſanctimoniæq; exemplis præeat; qui facem, ad conſectandam Eccleſiaſtici rigoris & priſtinæ puritatis normam, præluceat.

Et hîc quiſpiam miretur, cur tu unus, qui Theologi Doctoris titulo recèns, & meritiſsimè quidem, Lovanij, auctus, non protritum ſolidioris doctrinæ ſpecimen, ex publico ibidem pulpito, edere iam cæpiſſes; magno acerrimi iudicij hominum, Regiæ ſcholæ & Plantarij curatorum, conſenſu, ad geminum & docendi & præſidendi munus, maximè idoneus repertus, & ſummâ cum exſpectatione Duacum ſis arceſſitus: hoc eſt, Lovanio, quaſi à matre ad filiam ritè & ſibi convenienter informandam, amandatus? Ubi te in ſublimiore auctoritatis gratiæq; gradu collocatum, non ſine maximo Adoleſcentum, vel ſacris addictorum, vel paſtorali inſtitutioni miniſterioq; devotorum, profectu, reconditas ex pectore iſto, tot iam annorum laboribus, vigiliiſq; ſubacto & recocto, divinæ ſapientiæ copias expromſiſſe; & quidquid in Theologiâ nequedum ſatis clarum aut firmum, mirandis celſiſsimi ingenij tui luminibus & viribus, inluſtraſſe, & corroboraſſe, non ſine ſtupore & adplauſu, æterno frequentis Auditorij teſtimonio, ſit comprobatum.

Hinc Controverſæ, hac ætate, novarum & exoticarum opinionum feraciſsima, Quæſtiones, præ cæteris, acutiſsimè explicatæ. Hinc Gnomologus ille, ſive, ut vulgò audit, Sententiarum Magiſter, ex vetuſtiſsimorum Patrum & Orthodoxorum ſcriptorum ſententiâ, ſemel iterumq; à capite ad calcem, enucleatus.

Hinc aureæ, & quibus, ſecundum Chriſti Servatoris oracula, nihil divinius, nihil ſublimius, nihil ad Chriſtiani populi inſtitutio-

nem

nem utilius, Apoſtolorum Pauli, Petri, Iacobi, Ioannis, Iudæ, Epiſtolæ, ſanæ ipſorum Hagiographorum, veteriſq; Eccleſiæ menti convenientiſsimè explanatæ. Hinc luculentæ Orationes, pro re natâ, publicis in conſeſsibus, placido & melleo iſto ore, graviſsimis de rebus, peroratæ. Hinc Aduerſaria, accuratiſsimis obſcuriorum, quæ toto diuinæ Scripturæ corpore paſsim occurrunt, locorum, interpretationibus, ſeruata librorum ſerie, tamquam emblematis quibuſdam, interpolata. Hinc communium in totâ Theiologiâ materiarum farrago, ordine quàm-concinniſsimo digeſta.

Nam quid nobilem illam Gorcomienſium, ijſq; adfinium, partim Paſtorum, partim Franciſcanorum ſodalium, Martyrij, hiſtoriam commemorem! quâ non ſolùm illuſtreis illas pientiſsimorum & fortiſsimorum pugilum, & Pici tui, inter cæteros, iſto in certamine Choragi, animas, immortalium ordinibus tranſcripſiſſe; ſed pari etiam vitæ pro Chriſto & ſincerâ eiuſdem religione generosè profundendæ cupiditate, cum cæteris fratribus, ſuccẽſus, animo, ſui etiamnum corporis vinculis circumſepto, eódem evectus eſſe, atque adeò evoláſſe, cenſeáris.

Hi, triginta, & eò amplius, annorum, ex tempore ſubſecivo, labores. Hæc rariſsima animi pietate, doctrinâ, modeſtiâ exculti ſsimi monimenta. quæ non ſine immortali nominis tui gloriâ, non ſine incredibili Eccleſiæ Catholicæ profectu, non ſine incomparabili ſacratioris ſtudij Candidatorum fructu, legentur à grata poſteritate, & æſtimabuntur.

Τῷ Θεῷ ἀειτμεγίτῳ δόξα.

ANDREAS HOIVS in Acad. Duac. regius Prof. Lat. Amico ſcripſit.



Quicumque effigiem GVLIELMI conſpicis ESTI,
ESTI; qui vna fuit gloria Theiologôn:
Relligio, Virtus, Doctrina, Modeſtia morum,
Heîc, vno obtutu, conſpicienda patent.

Mart. bas. f.

EPITAPHIVM
EIVSDEM
D. GVILIELMI
ESTII.

PAtria, Gorcomium eſt. qui me eduxere parentes,
Hic ſtirpe Eſtiades, Pikias illa fuit.
Sumere ab his licuit mihi vitæ exemplar honeſtæ;
Tota ſtetit priſcâ pro pietate domus.
Traiectum, antiquis Rheni contermina ripis,
Muſarum ingenuis artibus erudijt.
Lovanium in Sophiæ Stagiritidis ardua duxit,
Et titulo ornavit duplice Theiologum.
Ad Cathedram & Regimen, ſchola me Catuaca vocauit:
Æde Petri, geſſi munia Præpoſiti.
Ter-denis Spartam geminam, haud inglorius, annis
Doctor uti & Præſes Regius, excolui.
Doctrinæ, ingenijque mei monimenta relinquo:
Vnde mihi, invîta morte, perennet honos.

Idem And. Hoius canebat.

IN EPISTOLAM BEATI PAVLI APOSTOLI AD ROMANOS COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

DE Romanis, quorum nomen toto orbe notissimum ac celeberrimum est, vt ne moremur in non necessarijs, nihil hic aliud dicendum, quàm epistolam hãc, quæ ad Romanos inscribitur, non ad Romanum populum missam fuisse, sed ad omnes ac solos Christi fideles qui Romę erant, id est, ad Ecclesiã Christi in vrbe Romana cõstitutã. Sic enim habet epistola, *Omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis sanctis.* Erant autẽ ij partim gentiles, partim Iudæi eam vrbem per id tempus incolẽtes. Qui cùm ab apostolo Petro & alijs fratribus qui illuc ex Iudæâ aduenerant, edocti essent viam salutis in Christo; postea per quosdam Mosaicæ legis ęmulatores, professione quidem Christianos, sed à Christo qui finis erat legis, ipsâ legis æmulatione plurimùm aberrantes, turbati sunt; excitatâ nimirum odiosâ inter ipsos & graui quæstione de meritis & iustificatione. Pro cuius rei intellectu quidam hic annotant, in exordio nascentis ecclesię duo fuisse genera Iudaizantium: Alterum, eorum qui arbitrarentur Euangelij gratiam posteris Abrahæ ac populo Israëlitico peculiariter promissam, non esse propagandam ad gentes profanas, idolorum ac dęmonum cultui deditas, & à Dei testamentis, vt Paulus Ephes. 2. loquitur, extraneas. Huius generis fuisse dicunt illos qui cum Petro disceptabãt Act. 11. expostulantes quod homines gentiles feciſſet euangelij participes; quique pòst auditâ Petri satisfactione mirati dicebant: *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Alterum verò genus eorum qui non arcendas quidem gentes ab euangelio putarent, sed tamen astringi volebant obseruatione legis Mosaicæ: quod sine eâ iustificari & saluari quenquam posse negarent, vtcumque euangelium ac legem Christi recepisset. Quod genus erant qui fratres ex gentilitate conuersos docebant

Act. 15. *Nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non poteſtis ſaluari.* Et iterum: *Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſeruare legem Moyſi.* Item, qui Galatas in ſeruitutem Moſaicæ legis redigere volebant. Galat. 2. Verùm hæc diſtinctio Iudaizantium mihi parum ſolida videtur. Nam vt Iudæi parati ſemper erant gentiles ad communionem ſuæ religionis admittere tanquam proſelytos & aſſiticios: ita Chriſtiani Iudaizantes ab euangelij gratiâ ac ſpe ſalutis, neminem excludebant gentilem, modò circumciſum ac legalium Moſaicorum obſeruantem. Vnde & illi Petri reprehenſores dicebant: *Quare introiſti ad viros præputium habentes?* id eſt incircumciſos: non vtique reprehenſuri, ſi gentiles illi circumciſi fuiſſent. Quod verò dixiſſe cum admiratione leguntur: *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus*: ſic intelligе, gentibus in præputio manentibus. Hoc enim myſterium prius incognitum, ac ſibi valde paradoxum, Petro viſionem quæ ſibi fuerat cælitùs oſtenſa, narrante, iam didicerant. Igitur hac Iudaizantium diſtinctione prætermiſsâ: quando nec apparet omninò Iudæos qui Romæ erant, pertrahere voluiſſe gentiles qui in Chriſtum crediderant, ad Moſaicę legis obſeruationem (neque enim in hac epiſtola tale quid vſquam ſignificatur): illud potius dicẽdum, occaſionem huius ad Romanos epiſtolæ ſcribendæ natam fuiſſe ex contentione, quæ Romæ inter Iudæos & gentiles, vtroſque fideles, ſuborta fuerat, vt dicere ceperam, de meritis & iuſtificatione: dum ſcilicet vtrique ſuis meritis euangelij gratiam arrogarent. Etenim Iudæi (qui quidem erant, vt dixi, contentionis authores) iactabant ſe Dei populum eſſe quondam electum, Gentibus in idololatriâ derelictis: legem cum iudicijs & cærimonijs à Deo ſibi datam, non illis: Patriarchas ſuos ac prophetas Dei familiares, & horum oracula ſibi tradita: Denique Dei promiſſa & pacta ſecum inita, maximè de mittendo Meſſiâ ſaluatore, eodemq; ex ipſis naſcituro, qui iam miſſus ad ipſos, & ex ipſis natus eſſet. Quæ omnia tanquam præclara de illis etiam Paulus ipſe commemorat ſparſim in hac epiſtolâ, vt cap. 3. 9. 11. & 15. Propter quod dicit aliquoties: *Iudæo primùm & Græco.* videlicet Iudæorum præ gentilibus prærogatiuam indicans. Hæc autem omnia meritis ſuorum maiorum, cum quibus vnus eſſent populus, attribuebant Iudæi; ſua quoque merita velut ad cumulum addentes, quod à majoribus ſuis minimè degenerarent, vtpote retinendi cultus, ac legis obſeruandæ ſtudioſiſſimi; digni proinde quibus potius quàm alijs populis euangelij gratiam ac promiſſa Deus offerret: quemadmodum & iam obtuliſſet, Chriſto filio eius euangelium ſuum Iudæis, non gentibus annunciante. Gentiles contra, quos apoſtolus Grẹcos appellat, ſuam Græciam philoſophię parentem, ſapientiæ virtutumq; ſtudijs excultã ac nobilem prædicabant: ſpecialiter Romani multa à majoribus ſuis non ſolum fortiter, verumetiam temperanter & iuſtè facta, quibus imperium & gloriam immortalem ſuæ genti peperiſſent, commemorabant. Cæterum idololatriæ crimen ita reijciebant Gentiles, vt ignorantiæ deputandum diceret, nõ maliciæ. Nec tamen etiam inter ipſos defuiſſe qui vnum verum Deum, in-

uisibilem, æternum, omnipotentem ex opificio mundi cognouissent. Iudæis certè qui tot Dei beneficijs ingrati, toties in superstitionem falsorum Deorum relapsi fuissent, denique Messiam Dei filium promissum ac missum, malè acceptum turpissimâ morte condemnassent; multò sese digniores esse, quibus euangelij sui gratiam Deus exhiberet. Istiusmodi igitur altercatione inter fideles qui Romæ erant exortâ, & in dies gliscente; Paulus pro munere suo apostolico occurrendum ratus, hanc ad eos mittit epistolam; quâ primùm vtriusque partis fastum deprimit, ostendens omnes priusquam à Deo vocarentur ad fidem Christi, fuisse peccatis subditos, & à verâ iusticiâ alienos; ideoque nihil habere de quo vel alteri aduersus alteros sese venditent, vel vtrique gloriari coram Deo possint, tanquam de aliquo merito gratiæ & salutis oblatæ per Christum. Docet itaque gratuitum Dei donum esse iustificationem: hoc est, non per legem, aut ex vllo operum merito, dignitate, respectu, sed gratis per fidem in Christum propiciatorem, iustificari tam gentiles quàm Iudæos. Atque hic status est & principale argumentum epistolæ. Quod quidem B. Augustinus breuissimè perstrinxit in expositione quarundam propositionum huius epistolæ, quum dixit in eâ versari quæstionem operum legis & gratiæ. Ac rursum in epistola 105. ad Sixtum Romanum presbyterum, postea pontificem, ita scribens: *De gratiæ commendatione maximè ad Romanos apostolica epistola loquitur, vt inde se prædicatio eius velut à capite orbis toto orbe diffunderet: Ea est enim quâ iustificatur impius.* Eundem pluribus argumentum huius epistolæ explicantem consule, si placet, in huius epistolæ inchoatâ expositione, & lib. 1. ad Simplicianum quæstione secunda. Est autem hæc vera ac germana de iustificatione doctrina; non quæ opera nostra à negocio iustificationis simpliciter excludat, vt sectarij volunt (siquidem & ipsa fides opus quoddam nostrum est) sed quæ à iustificatione remoueat opera siue legis, siue naturæ, fidem præcedentia, & omnino ea quæ non sunt ex fide. Quam apostoli mentem esse ex ipsius epistolæ progressu planius euadet. Porro liquet ex dictis, in hac epistola propriè non versari quæstionem, quæ in epistolâ ad Galatas scriptâ, num ad salutem necessaria sit obseruatio legis cærimonialis datæ per Moysen, vt proinde gentiles si salui esse vellent eam suscipere debeant: sed de lege morali disputationem esse, quam Iudæi scriptam in tabulis acceperant, gentiles tantum animis impressam gerebant. Quærebatur enim, an ea lex siue scripta, siue insita iustificare posset hominem, vt eiusmodi iusticiâ præparatus, donorum ac promissorum quæ secum adfert euangelium, particeps fieret. Potissimùm tamen ad legem decalogi respicit apostolus, propter Iudæos, qui in illa fiduciam iusticiæ collocabant multò amplius quàm gentiles in lege naturæ, cuius se multifariè transgressores fuisse facile videbant. Cur autem eos qui circumcisionem ac cætera legis cærimonialis obseruarent, hic non increpet, sicut in epistola ad Galatas; ratio iam ante dicta est. Nam gentiles Romani

non erant hoc passi, quod Galatæ, vt in legem & circumcisionem à pseudoapostolis traducerentur: Iudæi verò qui magna pars erant eorum ad quos hæc epistola scribitur, ab auito more nondum abstrahendi erant (neque enim tempus aduenerat), tantum docendi (quod satis hac epistolâ agitur) ne ex lege quoquo modo iusticiam exspectarent. Alioqui, Paulum non docuisse discessionem à Moyse eorum qui per gentes erant Iudæorum, de quâ re postea Ierosolymis accusatus fuit Act. 21. vel inde constat, quia passim cum Iudæis Iudaicè viuebat. *Factus sum*, inquit, *Iudæis tanquam Iudæus: ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem.* 1. Cor. 9. Quocirca Iacobus apostolus de accusatoribus eius: *Et scient*, inquit ei, *quia quæ de te audierunt, falsa sunt.* Occupatur Paulus in argumento memorato ab initio epistolæ vsque ad finem capitis vndecimi. Postquam enim docuit omnes sub peccato esse, nec habere de quo glorientur: deinde post medium cap. 3. suam doctrinam de gratuitâ per fidem iustificatione, gentibus æquè & Iudæis oblatâ, exponit: eamq; quarto capite confirmat ab exemplo Abrahæ. Vt autem hoc Christi beneficium magis illustret, originem prodit peccati in humano genere, eiúsque tyrannidem describit, à quâ per Christi gratiam liberamur. Ista exsequitur cap. 5. 6. & 7. Hinc cap. 8. repetitâ magnitudine beneficij per Christum exhibiti, declarat ordinem, vim & efficaciam diuinæ prædestinationis. A quâ transitu facto ad Iudæorum reprobationem, mox de vtrâque in vniuersum disserit, & ita quidem, vt tam electionis quàm reprobationis causam in solam Dei referat voluntatem. Capite 10. rursus iusticiam quæ ex fide est, à Iudæis ignoratam, toto orbe prædicatam commendat. Denique vndecimo capite, quæ de populi Iudaici reprobatione dixerat, ita mitigat, vt doceat reliquias ex eo seruari: imò futurum aliquando, vt ipsa natio Christum recipiat, fide gentium prouocata. Sequitur deinde epistolæ pars ethica, quâ Romanos varijs ac necessarijs pro tempore præceptis ad vitam bene, Christianeq; ducendam informat. Reuocat imprimis à vicijs & corruptelis sæculi: tum ad charitatis officia mutuo præstanda, vt inter membra eiusdem corporis, hortatur. Inimicos quoque non modò non vlciscendos, sed etiam benefactis prosequendos esse. Principibus ac Magistratibus ex animo parendum. Omnibus reddenda debita. Infirmos in fide à firmioribus tolerandos ac fouendos, Christi Saluatoris exemplo. Hæc aguntur à cap. 12. vsq; ad cap. 15. vbi quædam subijcit de suo erga Romanos officio, spem faciens, quod ad eos sit venturus. Extremum caput varias continet salutationes. Est autem huic epistolæ peculiare, quod etsi plurimum vniuersos qui Romæ erant fideles alloquatur apostolus, interdum tamen propriè ad Iudæos, interdum ad gentiles conuertat sermonem. Ad Iudæos quidem cap. 2. ferè toto: item ca. 7. & 14. Ad gentiles ca. 11. ab eo loco: *Vobis enim dico gentibus.* Et ca. 15. vbi ait: *Audacius autem scripsi vobis*, &c. nam gentilibus specialiter id dici, sequentia manifestant. Nec solum ea res, verùmetiam multa alia sunt, quæ huic epistolæ intelligẽdę difficultatem adferant: adeò vt affirmet Hieron.

in octauâ ad Algasiam quæstione, omnem hãc ad Romanos epistolam nimijs obscuritatibus inuolutam esse. *Et si voluero*, inquit, *cuncta differere; nequaquam mihi vnus liber, sed multa & magna erunt scribenda volumina.* Quod vtique dictum ab eo præcipuè propter doctrinam iustificationis & annexorum, quæ majorem occupat epistolæ partem. Quæ causa magnum etiam Augustinum deterruit, ne ceptum opus expositionis huius epistolæ perficeret, vt ipse testatur lib. 1. retract. cap. 25. Quin & illud quod Petrus scribit 2. ep. 3. in Paulinis epistolis esse quædam intellectu difficilia; de hac ad Romanos epistolâ potissimum accipi debere, non abs re multi existimant. Verumtamen difficultatem hanc quantacumque ea sit, abundè compensat vtilitatis magnitudo. Quid enim vtilius homini in vitâ, quàm id discere, sine quo bene, beatèque & æternum viuere non possit? Quod ex professò traditur in hac epistolâ. Scripta est autem è Corintho, quemadmodum bene docent Origenes & alij. Nam vltimo cap. commendat Phœben ecclesiæ quæ in Cenchreis erat, ministram. Erant autem Cenchreæ portus Corinthi. Caium quoque qui Corinthi morabatur, hospitem suum vocat. Idipsum confirmat Græcorum hypographe epistolæ subiuncta. Sunt qui Athenis scriptam dicant, sed nihil adferunt probabile.

SVMMARIVM CAPITIS PRIMI.

PAVLVS *Deo gratias agit pro fide Romanorum: declarat suam promptitudinem euangelizandi omnibus, etiam Romanis. Ex fide euangelii iusticia. Arguitur ingratitudo sophorum gentilium, qui Deum ex creaturis cognitum non glorificauerint: ex quo in idololatriam, mox in ignominiosas libidines, denique in alia scelera prolapsi sint.*

CAPVT PRIMVM.

PAVLVS. Nomen suum epistolæ præfigit apostolus more illius sæculi, potissimùm Romano: tum vt additis epithetis, cuiusmodi sunt, seruus & apostolus Christi, conditionẽ suam atque officium statim in fronte epistolæ pretendat ijs ad quos scribit. Huncautem morem obseruat & in cæteris epistolis, exceptâ eâ quæ scripta est ad Hebræos. Quòd quare in eâ factum non sit, illic ratio vestigabitur. Cur Paulus dictus, qui prius Saulus vel Saul vocabatur, satis à nobis exposita ratio est in prolegomenis; ad quæ Lectorem remitto, ne hic eadem repetamus.

SERVVS IESV CHRISTI. *Iesus* (quod Hebraicè scribitur ישוע Iesuah) proprium nomen est illius hominis, qui ex Mariâ virgine natus idem est filius Dei. *Quod* nomen *vocatum est ab angelo priusquam in vtero conciperetur.* Luc. 2. dicente videlicet ad Ioseph virum Mariæ: *Vocabis nomen eius Iesum*: id est, Græcè, σωτῆρα; Latinè, *Saluatorem. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matth. 1. *Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Act. 4. Idem homo dignitatis nomine Christus vocatur. Nam qui Hebraicè משיח Mesiah cũ schin denso (propter quod à Ioanne cap. 1. & 4. Euangelij μεσσίας scribitur, sigma geminato) Græcè χριστὸς dicitur, aliàs ἠλειμμένος, vnctus Latinè. Quo nomine quùm alij multi tempore veteris legis honorati fuerint, vt reges, sacerdotes, prophetæ; quòd oleo materiali ad hæc officia soleant inungi: propriè tamen ac perpetuâ consuetudine scripturæ noui testamenti, Iesus Dominus significatur; ille nimirum homo, qui propter vnionem in se diuinæ naturæ cum humanâ, Spiritu-sancto vnctus est inuisibiliter, ita vt simul esset, ac præ omnibus alijs, & rex, & sacerdos, & propheta, doniscque gratuitis ad hæc officia pertinentibus, instructissimus. Vnde & in eo vocabulo solet intelligi hypostasis in quam duæ naturæ, diuina & humana, conueniunt. Illud obiter adijcio, Græcos hæc duo sacra nomina breuiatè scribere solere cum virgulâ superductâ, in hunc modum, Ιῆς, χρ̄ς. vel literis maiusculis ΙΗ̄Σ, ΧΡ̄Σ. atque idem postea seruatis Græcis characteribus fecisse Latinos. Hinc factum, vt in hodiernum vsque diem Latini literis reuera Græcis, quas imperiti Romanas putant, eadem nomina pingant hoc modo; IHS, XHS. *Cur Latini his characteribus nomen Saluatoris pingant.*

Quod moneo, non vt ſcriptura mutetur, ſed vt eius origo noſcatur. Porro ſeruum Ieſu Chriſti ſe vocat apoſtolus, vel generali ratione redemptionis noſtræ per Chriſtum, qui ob id in ſymbolo fidei & per omnem noui teſtamenti ſcripturam Dominus noſter vocatur: vel potius ratione ſpeciali propter miniſtetium verbi in quo ſeruiebat Chriſto Domino. Quam ſeruitutem ſignificat quum dicit de Timotheo, Philip. 2. *Sicut patri filius mecum ſeruiuit in euangelio*. Vnde & in eiuſdem epiſtolæ initio, Timotheum ſibi in hoc genere ſeruitutis adiungit: *Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti*. Huiuſmodi porro miniſterium maximè erat apoſtolatus, de quo ſequitur.

VOCATVS APOSTOLVS. id eſt, vocatione apoſtolus. Nam *vocatus* in Græco non participium, ſed nomen eſt, κλητὸς: ac ſi dicat vocatum aut vocaticium. Per hoc autem ſignificat ſe non vſurpaſſe ſibi munus aut nomen apoſtoli: ſed ad id vocatum fuiſſe à Chriſto, & quidem vocatione immediatâ: quemadmodũ & cęteri vocati erant, de quibus dicitur Mar. 3. *Vocauit ad ſe quos voluit ipſe*. De vocatione Pauli ad apoſtolatum, quando & quomodo contigerit, legenda eſt hiſtoria Act. 9. 11. & 13. & conſulendi commentarij ſuper eo quod ſcribit ipſe ad Galat. 1. ſe euangelium ſuum non ab homine accepiſſe, neque didiciſſe, *ſed per reuelationem Ieſu Chriſti*. *Apoſtolus*, ſi ſolum nominis etymon ſpectemus, legatum ſeu nuncium in genere ſignificat, id eſt, eum qui mittitur cum mandatis, vt accipitur Ioannis 13. *Neque apoſtolus maior eſt eo qui miſit illum*: Verum vſu ſcripturæ ſ. ſoli illi dicuntur apoſtoli, qui tanquam legati miſſi ſunt à Chriſto Domino ad prædicandum euangelium, acceptâ ab eo omni poteſtate, quæ ad fundandas & regendas eccleſias pertineret. Tales fuere duodecim illi, quos Dominus ex omnibus diſcipulis ſuis electos, apoſtolos nominauit Lucæ 6. Non autem illi ſiue ſeptuaginta ſecundùm Græcos codices, ſiue ſeptuaginta duo ſecundùm Latinos; tametſi ipſi etiam miſſi ad euangelium prędicandum Luc. 10. Talis item Matthias in locum Iudæ proditoris poſt Domini in cœlos aſſcenſionem ſubrogatus. Tales etiam Paulus & Barnabas diuinitùs ad opus apoſtolicum deſignati Act. 13. Quod nomen deinde ad paucos alios extenſum, vt ad Silam, Timotheum, Lucam, Marcum, Andronicum & Iuniam, qui partim in ſacris literis, partim in officijs diuinis apoſtolorum vocabulo honorantur: licet perfecta nominis apoſtolici ratio in eos haud omnino quadret. Etenim non omnes euangeliſtas, nec omnes paſtores & doctores eſſe apoſtolos, ſi propriè de apoſtolis loquendum ſit, præter id quod iam dixi de 70. diſcipulis, oſtendit etiam illud Epheſ. 4. *Et ipſe dedit quoſdam quidem apoſtolos, alios verò euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores*. Erant autem præterea qui dicebantur apoſtoli eccleſiarum, id eſt, legati ab eccleſijs miſſi, quorum mentio 2. Cor. 9. Quo ſenſu Epaphroditus Philippẽſium apoſtolus vocari videtur. Philipp. 2.

Qui prò-priè dicãtur apoſtoli.

SEGREGATVS IN EVANGELIVM DEI. Id eſt, peculiariter delectus ad prędicandum Dei euangelium. Delectus, inquam, à Spiritu-ſancto: qui reſponſum huiuſmodi dedit eccleſiæ Antiochenæ, Act. 13. *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſũpſi eos*. Verùm homines ſegregant in tempore, Deus autem ab æterno. Id quod Hieronymus ſignificãuit epiſtola 15. ad Marcellam, dicens Deum ante conſtitutionem mundi ſeparaſſe Paulum in euangelium filij ſui. Quò pertinet quod ſanctus Ambroſius non ſegregatum, ſed prædeſtinatum legit, citans hunc locum lib. de incarnationis Dom. ſacramento, cap. 6. *Euangelium* Græcis bonum lætumque nuncium ſignificat. Et vſurpatur interdùm etiam apud Latinos pro mercede quæ datur lætum adferenti nuncium. Quâ ſignificatione legitur etiam apud LXX. 2. Reg. 4. Dauide dicente de eo qui Saulis mortem ipſi nunciauerat: *Qui oportebat me dare euangeliũ*. Verum vſu Scripturæ euangelicæ & apoſtolicæ contrahitur ad ſignificandum lætiſſimum illud nuncium, & omni acceptione dignum, de redemptione & ſalute generis humani per Chriſtum: quo tamen ſimul comprehenditur annunciatio totius legis Chriſtianæ. Sic enim apoſtolis quando miſſi ſunt ad prædicandum euangelium omni creaturæ, dictum eſt à Domino Matth. vlt. *Docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis*. Accipitur & pro libro continente geſta Chriſti Saluatoris: quo modo quatuor eſſe dicuntur euangelia: ſed ea acceptio non eſt huius loci. Porro euãgelium Dei dicitur, tanquam mittentis. Sentit enim ſe miſſum à Deo apoſtolum cum euangelio, ſicut legatus à principe cum mandatis mitti dicitur. Intelligit autem Deum Patrem, vt probant ſequentia.

Significata vocis euangelium.

2. QVOD ANTE PROMISERAT PER PROPHETAS SVOS IN SCRIPTVRIS SANCTIS. Facit hoc ad euangelij commendationem & confirmationem, quòd iam olim à Deo per prophetas ab ipſo inſpiratos, quorum oracula literis cõſignata haberẽtur, promiſſum eſſet; ne videretur res noua & commenticia. Scripturæ ſanctę καὶ ἐξοχὴν dicuntur ſcripturæ diuinitùs inſpiratę, id eſt, verbum Dei ſcriptum, quo nihil ſanctius eſt. In his promiſit, quatenus in his ſcriptæ, &, vt dixi, conſignatæ ſunt eius promiſſiones.

DE FILIO SVO. Refertur hæc pars vel ad *euangelium Dei*. vt hac parte ſignificetur euãgelij materia, quod vult Caietanus: vel ad verbum *promiſerat*. Nam Chriſtum Dei filium à Patre fuiſſe promiſſum, vniuerſa noui teſtamenti ſcriptura loquitur.

3. QVI FACTVS EST EI EX SEMINE DAVID SECVNDVM CARNEM. *Factus* Valla potius vertendum putat, *genitus*. Idque ſecutus eſt Eraſmus. At minùs benè. Nam Græcè eſt

γενομένης, quod non significat genitum, sed factum: licet etiam genita comprehẽdat. Idem verbum Gal 4. *Factum ex muliere, factum sub lege.* Nec aliter eo loco Erasmus. Pronomen *ei* neque in Græco est, neque in Syriaco, sed neque in omnibus Latinis. Tertullianus quoque locum hunc allegans lib. aduersus Praxeam cap. 27. partem hanc non addit: vt nec Ambrosius loco ante citato. Ac sententiæ videtur etiam obstare. Vult enim apostolus eum qui ab æterno est filius Dei, in tempore factum esse ac genitum *secundum carnem*, id est, secundum humanam naturam, ex semine & posteritate Dauid. Hoc autem modo non est genitus patri Deo, sed matri homini: quia secundum naturam creatam non est filius Dei, sed filius hominis. Synecdochicè per carnem humana natura significata est: ideo fortasse quod non anima, sed sola caro sit ex traduce. Cæterum ex hoc loco benè docet Augustinus lib. 2. de consensu euangelistarum cap. 1. B. virginem Mariam ex stirpe Dauid genus duxisse, cum genealogia Christi quam Matthæus cõtexuit, tantum id de Iosepho directè probet. Quanquam sunt & alia loca satis multa quæ directè id probant de Christo; vt Luc. 1. angelo dicente, *Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris eius*, & vbicunque ei legimus acclamatum, etiam à pueris, *filio Dauid* Matth. 21. Erat enim res notoria, quam nec aduersarij eius in dubium reuocabant.

Hinc directè probatur B. Virg. ortã ex semine Dauid.

4. QVI PRÆDESTINATVS EST FILIVS DEI IN VIRTVTE SECVNDVM SPIRITVM SANCTIFICATIONIS EX RESVRRECTIONE MORTVORVM IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI. Redit ad exponendam diuinam Iesu Christi naturam. Quomodo Christus dicatur prædestinatus filius Dei, cùm fuerit Dei filius ab æterno, ad id autem quod ab æterno fuit, nulla sit prædestinatio, sed ad sola futura: disputãt Theologi in 3. senten. dist. 7. ac rectè docent Christum dici posse prædestinatum filiũ Dei, quatenus ab æterno decretum ac præordinatum est à Deo, vt in tempore hic homo qui est Christus, esset filius Dei. Quamuis enim propter vnitatem personæ contra Nestorium nobis certissimè tenendum sit, hũc hominem semper & ab æterno fuisse Dei filium; non tamen ab æterno verum fuit dicere, hic homo est filius Dei. Nam vnio Verbi cum carne facta est in tempore. Hoc igitur quod in tempore factum est, effectus fuit diuinæ prædestinationis, ideoque prædestinatum rectè dicitur. Et in hunc sensum plerique commentatores Latini interpretantur hęc Pauli verba: *Qui prædestinatus est filius Dei*. Nec diuersum est quod Thomas dicit, prædestinationem hic attribui personæ Christi prout subsistit in humanâ naturâ. *Vnde & apostolus*, inquit, *prius filium Dei incarnatum esse præmiserat, & postea ei prædestinationem attribuit, vt intelligatur prædestinatus esse, secundum quod factus est ex semine Dauid secundum carnem.* Hæc ille post longam disquisitionem sensus Paulini. In quam sententiam conueniunt & ea quæ de Christi prædestinatione, tanquam præclarissimo nostræ prædestinationis exemplari, differit Aug. lib. de prædest. sanctorum cap. 15. & tract. 104. super Ioannem. Quod verò nonnulli prædestinatum interpretantur prædemonstratum, id est præ omnibus alijs qui filij Dei dicuntur, declaratum filium Dei, quum ipse sit naturalis Dei filius, cæteri tantum per adoptionem: id quamuis coactũm mihi videatur, ad sensum tamen Græcorum appropinquat. Sciendum est enim Græcam vocem ὁρισθέντος, quæ legitur hoc loco, non significare prædestinatum, aut prædefinitum, sed simpliciter definitum, determinatum, decretum. Ruffinus Origenis interpres *destinatum* vertit: addens inter alia etiam hæc de suo: *Quamuis enim in Latinis exemplaribus (prædestinatus) soleat inueniri; tamen quod interpretationis veritas habet, (destinatus) scriptum est, non (prædestinatus).* Sic ille Tertullianus quoque definitum legit seu vertit loco superius citato. Sumitur autem interdum vox Græca pro eo quod est declaratum, seu confirmatum. Ita accepit hoc loco Syrus interpres, dum vertit agnitum. Eâdem significatione acceperunt Chrysostomus, & cæteri post eum Græci tractatores. Qui quidem verba apostoli ad hunc modum exponunt; Idem ille qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, quem proinde constat verum hominem fuisse; etiam declaratus est & certissimis argumentis comprobatus esse filius Dei. Ea argumenta sequuntur: Primùm. *In virtute*, id est, per potentiam miraculorum. Deinde, *Secundum spiritum sanctificationis*, siue, vt in Græco est ἁγιοσύνης sanctitatis, id est, per Spiritum sanctum, quem videlicet in se credentibus per euidentia signa multipliciter impertitus est: primùm apostolis in die Pentecostes, deinde & alijs fidelibus. Nam illud *secundum spiritum* interdum idẽ valere, quod, *per spiritum*, manifestum est ex 1. Cor. 12. vbi quod dixerat *per Spiritum*, ita repetit, *secũdum eundem Spiritum*. Tertiò, *Ex resurrectione mortuorum*, siue à mortuis. Nempe quia semetipsum sicut prædixerat, à morte ad vitam suscitauit. Hæc Græcorum expositio satis expedita & facilis est, & probè quadrat instituto Pauli. Deinde veram ac germanam esse id arguit, quod & alibi Paulus eadem hæc argumenta proferat, quibus declarata sit & confirmata fidei veritas, vt 1. Cor. 2. *Prædicatio mea apud vos in ostensione Spiritus & virtutis.* Gal. 3. *Qui tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis.* 1. Thess. 1. *Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute & in Spiritu sancto.* Heb. 2. *Quæ salus in nos confirmata est, contestante Deo signis & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus.* Item huius epistolæ cap. 15. *In virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti.* Resurrectionem verò Christi pro argumento veritatis euangelij ab eo traditi passim adferunt apostoli, nominatim Petrus Act. 2. omnium

Quo sensu Christus prædestinatus filius Dei.

Expositio Græcorũ potior.

nomine dicens: *Hunc Iesum resuscitauit Deus, cuius omnes nos testes sumus.* Quod verò quidam *ex resurrectione mortuorum* interpretãtur *à resurrectione*, id est, post resurrectionẽ Christi à morte, vt tempus significetur ex quo ceperit Christus declarari filius Dei; non probo: quod & peregrina expositio sit, & Græco textui minùs respondeat. Nam tempori significando, in scripturâ Græcâ noui testamẽti non solet seruire præpositio ἐξ quæ hoc loco habetur, sed ἀπὸ. Vide Matth. 9. 15. 17. 22. & Ioan. 19. in quibus locis Latinè *ex illâ horâ, ex illâ die.* Item Luc. 1. 5. 7. 12. & 2. Cor. 5. vbi Latinè *ex hoc, ex quo.* Porro Latinorum interpretatio præter eam difficultatem quã parit hic sermo, Christum prædestinatum esse filium Dei, (quod certè in scripturis alibi non legitur); etiam in explicanda syntaxi & sensu verborum sequẽtium: *In virtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum*; multum laborat: nec tamen lectoris animo satisfacit. Quocirca nec huc asscribendum putaui. petat qui volet ex aliorum commentarijs. Sed contra Græcorum expositionem vnus adfertur scrupulus. Aiunt enim Græcum verbum ὁρίζειν, etsi significet interdum ostendere seu declarare, nusquam tamen in sacris literis eâ significatione reperiri; sed semper accipi pro eo quod est finire seu definire, statuere seu constituere, vt Act. 2. *Hunc definito consilio & præscientiâ Dei traditum.* Et 10. *Qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Et 17. *Definiens statuta tempora.* Cui obiectioni breuiter responderi potest, nec quidem hoc loco eam vocem aliter accipi à Græcis; nisi quod definitionem referũt non ad rem, sed ad hominum notitiam; vt is qui factus est homo, dicatur definitus filius Dei per miracula, & cętera quę dicta sunt, quia definitè certoque cognitus, & vt ita dicam, certificatus. Hoc enim sensu Theodoritus hanc rem dilucidè & bene explicat. Neque verò alienum est à consuetudine scripturæ, vt aliquid factũ dicatur tũc quãdo innotuit. Sic enim etiã de filio Dei dicitur Heb. 1. *Tanto melior angelis effectus.* Deinde & regeritur obiectio. Nam nec vsquã in scripturis idem verbum ὁρίζειν significat prædestinare; nec verò interpres vsquam alibi sic vertit: sed vbicunque extra hunc locum, prædestinare, legimus, Græcè est προορίζειν. Denique non solum Origenes, siue in eius commentario vertendo Ruffinus, significatione distinguit hæc duo ὁρίζειν & προορίζειν: verum etiã S. Hieronymus horum discrimen tradit in commẽtario epistolæ ad Ephes. exponens illud cap. 1. *Qui prædestinauit nos in adoptionẽ filiorum.* Resurrectionem mortuorum interpretati sumus resurrectionẽ à mortuis, vel ex mortuis. Quæ phrasis Hebræa est in scripturis vsitatissima, vt à mortuis resurgere dicantur qui à morte redeunt ad vitam. Fateor sane resurrectionem mortuorum alibi nusquam inueniri positam pro resurrectione ex mortuis, sed semper accipi propriè pro resurrectione eorũ qui mortui erant. Vnde quidam resurrectionem mortuorum hic intelligunt Christi & aliorũ quos ille à morte suscitauit. Verum arbitror idcirco Paulum hoc loco dixisse *mortuorum*, & non *ex mortuis*, quum tamen non aliud dicere vellet, ne eiusdem præpositionis repetitione sermonem redderet inconcinnum, dicendo ἐξ ἀναστάσεως ἐκ νεκρῶν ex resurrectione ex mortuis: Erasmus obscuritatem ita conatus est tollere. *Ex eo quod resurrexit à mortuis.* Iam quod sequitur *Iesu Christi Domini nostri.* Plerique tam Græci quàm Latini nectũt cum eo quod proximè præcedit, atque hunc sensum faciunt; ex resurrectione Iesu Christi Domini nostri à mortuis: quomodo Petrus locutus est 1. ep. 1. *Per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.* Potest tamen per hyperbatõ (schema Paulo non infrequens) referri ad illud remotius, *de filio suo qui factus est ex semine Dauid, qui prædestinatus est filius Dei.* Nec enim obstat diuersus casus in nostrâ versione: Nam hæc omnia in Græco eiusdem casus sunt, genitiui; & Latinè per ablatiuum reddi poterant, hoc modo: *De filio suo facto ex semine Dauid, declarato filio Dei Iesu Christo Domino nostro.* Hæc constructio Syriacæ quoque versioni cõsentanea est. Eandem Valla, Stapulensis, Caietanus & plures alij probant; non abnuẽte Erasmo: vt quidem etiam mihi probabilis videtur. Iuxta quã, hic demum exprimit apostolus nomen proprium eius, de quo loqui ceperat, dicens, *de filio suo*, addito secundum morem suum nomine potestatis, quum ait, *Domino nostro*: de quo paulò post dicemus.

Occurritur obiectioni.

Cur scriptum sit, resurrectionem mortuorũ, non ex mortuis.

5. PER QVEM ACCEPIMVS GRATIAM ET APOSTOLATVM. Supra se dixit vocatum apostolum. Nunc authorem vocationis exprimit, dicẽs se apostolatum accepisse per Christum, id est, Christo vocante atque mandante. *Accepimus*, id est accepi. Sic autem loquitur vel modestiæ causa (nam species arrogantiæ est rem magnam sibi singulariter asscribere) vel quod decor sermonis id postulet. Particula *et* expositiuè sumitur, nam gratiam appellat ipsum apostolatum: sicut & Eph. 3. cùm ait: *Mihi omniũ sanctorũ minimo data est gratia hæc*, &c. Itaq; sensus est: A quo Iesu Christo collatũ mihi est gratuitũ hoc beneficiũ, quod est apostolatus, id est, munus ac dignitas apostolica. Neque enim apostolatus nomine nudã functionem apostolici muneris intelligere debemus, vt vult Erasmus; sed ipsam huiusmodi functionis exercendæ potestatem cum dignitate coniunctam; quomodo disertè apostolatum exponũt Origenes & Chrysostomus. Nam & episcopatus nomine in eo quod dicitur psal. 108. *Episcopatum eius accipiat alter*, constat tam ex Græco vocabulo quo vsi sunt interpretes 70. quàm ex Hebræo, potestatem seu præfecturam, quæ cum dignitate geritur, significari.

Quid per apostolatum hic Paulus intelligat.

AD OBEDIENDVM FIDEI IN OMNIBVS GENTIBVS. *Ad obediendum fidei*, Græcè; *ad obedientiam fidei.* Fidem metonymicè posuit pro doctrinâ fidei: quemadmodum & Lucas

Act. 6. dicens: *Multa turbà sacerdotum obediebat fidei.* Sensus: Vt gentes vbique recipiant euangelij doctrinam, credant euangelio. Hãc vocat obedientiam; quia quamuis fides sit in intellectu, tamen ad eam suscipiendam necessaria est obedientia, & humilis submissio voluntatis. Sic 2. Cor. 10. loquens de officijs apostolatus sui, dicit se in captiuitatẽ redigere *omnem intellectum in obsequium* (Græcè ὑπακοὴν, *obedientiam*) *Christi.* Potest illud *in omnibus gentibus* etiam non incommodè construi cũ apostolatu: quod fecit Syrus interpres. Nam apostolatum Paulus accepit non ad vnum aliquem populum, sed ad omnes gentes. Quanquam præpositio Græca ἐν priorem sensum magis optat.

PRO NOMINE EIVS. Hæc pars omninò referenda est ad apostolatum: vt sensus sit: Accepi legationem hanc obeundam nomine & vice Christi, cuius sum apostolus; secũdum illud 2. Cor. 6. *Pro Christo legatione fungimur.* Quo loco eadem est præpositio ὑπὲρ; nec aliter hic interpretanda, quod fecit Erasmus, dum vertit, *sub ipsius nomine.*

6 IN QVIBVS ESTIS ET VOS VOCATI IESV CHRISTI. id est, in quarum gentium numero etiam vos estis, vtpote iam vocati Iesu Christi, hoc est gratuita Dei vocatione facti fideles Iesu Christi. Nam & hoc loco, *vocati* nomen est, non participium. Intelligitur vocatio non externa & communis illa, quæ in multis frustratur, de quâ dicitur in euangelio Matth. 20. *Multi vocati:* sed quâ efficaciter homines vocantur ad fidem, sanctitatem, salutem: quæ est vocatio secundum propositum seu prædestinationem diuinam: quomodo vocem hanc & in parte sequente, & cap. 8. huius epistolæ, & passim alibi Paulus vsurpat.

7 OMNIBVS QVI SVNT ROMÆ. Potest etiam verti, *Omnibus qui estis Romæ*: quemadmodum vertit Erasmus non malè, quia præcessit: *in quibus estis & vos.*

DILECTIS DEI, VOCATIS SANCTIS. subaudi, scribit hanc epistolam. Nam sermo hucusque suspensus hic absoluitur. *Dilectis & vocatis* rursus in Græco nomina sunt, non participia. ἀγαπητοῖς, κλητοῖς. Sensus est: Amicis Dei, ac gratuitæ vocationis eius beneficio sanctis. Græca vox ἀγαπητὸς quam vim habeat, infra commodiùs explicabitur ad illud cap. 11. *Charissimi propter patres.* Id solum hic moneo, nostrum interpretem tribus modis eam vocem reddere Latinè, *dilectum, carissimum, dilectissimum*: ne quis in his distinguendis inaniter laboret. Sanctos autem, hoc est verâ præditos sanctitate vocat Romanos fideles, non quia omnes & singuli sancti erant: sed quod ecclesia Romana ad quam scribit, vt & alia quæcunque particularis ecclesia, sit sanctorum cœtus & congregatio. Nam sancti in vnaquâque ecclesiâ sunt præcipua eius membra. Propter quod non solum ecclesia vniuersalis, verum etiam quælibet particularis verè sancta dici potest. Quare non est necesse (quod quidam faciunt) sanctos hoc loco & alijs similibus, interpretari eos qui per baptismum semel sanctificati sunt, etiamsi ab illâ sanctitate iam exciderint: Hoc enim pacto, sancti dicerentur, vel Romani vel alij, etiamsi nullus inter eos verè sanctus, id est, iustus esset: imò sancta diceretur vniuersalis ecclesia, tametsi nullus in ea vera sanctitate & iustitia præditus esset. Quod est omninò absurdum.

Quo sensu sanctos dicat.

GRATIA VOBIS ET PAX. Post epigraphen solemni more exorditur epistolam à salutatione, quâ bene precatur ijs ad quos scribit. Est autem hæc apostolica per epistolas salutandi formula; quâ & Petrus in vtrâq; epistola, & Ioannes in secũda & Iudas vsi sunt. Verbum quod hic desideratur, suppleri potest ex iam dictis apostolorum Petri & Iudæ epistolis: Id autem est, *multiplicetur*, siue quod idem est, *adimpleatur.* Est enim idem in Græco vocabulum πληθυνθείη. Quod autem verbum addatur in secunda Ioannis, suo loco videndum. Legitur & apud Danielem ca. 6. in edicto Darij regis hæc salutatio: *Pax vobis multiplicetur.* Porrò dictiones hę, *gratia & pax*, peculiarem habent vsum in sacris literis. Et quamuis *gratia*, Græcè χάρις, nonnunquam sonet fauorem, vt Luc. 1. *Inuenisti gratiam apud Deum*: plerumque tamen significat gratuitum Dei beneficium conducens ad æternam hominis salutem, vt sunt fides, spes, charitas, remissio peccatorum, iustificatio, virtutes, atque earum augmenta, bonorum operum perseuerantia, & ipsa vita æterna; quæ omnia sunt dona à gratia prioris modi, id est, à fauore seu beneuolentia Dei profecta: atque eadem omnia rectè comprehenduntur nomine gratiæ noui testamenti. Pax, Hebræis interdum successum & prosperitatem significat, vt psalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Et Iere. 29. *Quærite pacem ciuitatis ad quam transmigrare vos feci, & orate pro eâ ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis.* Interdum simpliciter salutem, vt 2. Reg. 18. *Estne pax puero Absalom?* id est, estne saluus? Nam significatio successus & prosperitatis ibi locum non habet. Vtuntur autem Hebræi, cùm salutant quempiam; vt, pax tibi, siue pax tecum: Ita Dauid per nuncios ad Nabal 1. Reg. 25. *Sit fratribus meis & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus quæcunque habes, sit pax.* Pro quo Græci dicunt χαῖρε. Latini, aue, salue. Estque verisimile angelum Hebræa lingua salutantem beatam virginem Luc. 1. Et mulieres Matth. vlt. Hebraico more dixisse; Pax tecum; Pax vobiscum: vbi euangelista Græcè scripsit χαῖρε. χάιρετε. *Aue. Auete.* Sic enim & Christus suos discipulos salutasse legitur Luc. 24. & Ioan. 20. dicens, *Pax vobis*: adeoque præcepit vt ea salutandi forma vterentur. *Dicite*, inquit, *pax huic domui* Luc. 10. Verum quia Chri-

Gratia quid significet.

Pax plura significat.

stus

ſtus pacem ſuis optauit & dedit, non eam quæ in ſucceſſu rerum temporalium intelligitur, ſed quæ in bonis verè ſalutaribus conſiſtit (vnde & Ioan. 14. cùm dixiſſet: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*; adiecit: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*) idcirco conſentaneum eſt hanc apoſtolicam ſalutationem ſimiliter interpretari de pace quæ ſit hominibus in Deo, & cum Deo. Siue igitur pacis nomine ſalutem accipiamus, ſiue proſperum rerum ſucceſſum, ſiue (quomodo ſolet à noſtris definiri) quietam & ſecuram bonorum poſſeſſionem: ea bona ſunt hic intelligenda quæ ad vitam conducunt æternam, id eſt, ſpiritualia, quæ gratiæ nomine ſupra diximus comprehendi, non autem temporalia, niſi quatenus illuc etiam prouehant. Itaque pax intelligitur hominum in ijs bonis quæ per gratiam ſignificantur, &, vt ſemel dicam, in Deo ſolida & imperturbata quies atque tranquillitas. Quod ergo nonnulli pacem interpretantur hoc loco reconciliationem cum Deo, quâ fit vt qui per peccata prius erant inimici ac gehennæ obnoxij, remiſſione peccatorum acceptâ, animum gerant à perturbationibus ac terroribus quos mala conſcientia adferebat, liberum atque pacatum; de qua pace dicitur infra cap. 5. *Iuſtificati ex fide pacem habemus ad Deum*: ij non integrè, ſed ſolum ex parte vim huius vocis, vt à Chriſto & apoſtolis eius in ſalutationibus vſurpata eſt, expoſuerunt. Porrò multiplicatur ijs gratia & pax, quibus memorata gratiæ & pacis dona accumulantur & augentur in dies.

A DEO PATRE NOSTRO ET DOMINO IESV CHRISTO. Poteſt ex Græco textu, ſi nuda eius verba conſideremus, etiam ſic verti, *A Deo patre noſtro & Domini Ieſu Chriſti*. Sed multò melius ſe habet noſtra verſio, quæ & aliorum interpretum eſt; & omninò retinenda. Neque enim apoſtolus prius diceret Deum patrem noſtrum, & deinde patrem Ieſu Chriſti; ſed contra potius: quomodo ipſe Dominus apud Io. 20. *Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum*. Eſtque hæc apoſtolica ſalutandi formula, quam in omnibus eius epiſtolis, vna aut altera dempta, videre eſt; qua gratiam precatur ijs ad quos ſcribit, à Deo patre, & Chriſto Domino. *Patre noſtro*, id eſt, cuius nos filij ſumus per gratiam, à quo proinde gratiarum & pacis acceſſionem meritò vobis precor. Quod ſequitur *Et Domino Ieſu Chriſto*, quidam ſic exponunt: à Domino Ieſu Chriſto vt homine: quippe qui nobis illa bona per ſuam crucem promeruit. Senſus quidē veriſſimus: Sed ſciendum eſt ad meritum Chriſti ſignificandum Paulum, imò apoſtolos dicere ſolere, *In Chriſto*, vel *per Chriſtum*; vt in ea parte quæ hic proximè ſequitur. Itaque magis apparet hunc eſſe ſenſum: A Chriſto authore & largitore, æquè vt à Deo patre. Vnde Græci commentatores, & Cyrillus lib. 12. theſauri cap. 1. Ex his apoſtoli verbis oſtenduntur Chriſti diuinitatem & cum patre æqualitatem. Verùm obijcit Arianus: Si Chriſtus æqualiter eſſet Deus cum patre, non diſtingueret apoſtolus ſermonem ſuum, vt patrem quidem Deum vocaret, Chriſtum autem Dominum. Cui reſpondeo: Non magis eſſe conſequens ex apoſtolico ſermone, Chriſtum non eſſe Deum; quàm, patrem non eſſe Dominum. Sicut enim alterum de filio tacet, ita & alterum de patre. Quod ſi de patre tacetur alterum, ſine eius præiudicio; cur non & alterum de filio? Tantum reddenda ratio cur Domini vocabulum propriè Chriſto tribuat. Ea nimirum eſt, quia Chriſtus in aſſumpta carne precio ſui ſanguinis nos è ſeruitute diaboli redemit, ſibique vendicauit in populum peculiarem; cuius proinde ipſe quatenùs homo, Dominus pleno iure effectus ſit. Hinc paſſim in apoſtolicis literis honoris cauſa Dominus appellatur. Eſt igitur in verbis apoſtoli inſinuatio quædam vtriuſque naturę in Chriſto: Diuinæ quidem, cùm dicit, *à Chriſto*; ſicut dictum erat, *à Patre*: Humanæ autem, in vocabulo Domini, iuxta rationem aſſignatam. Vide quæ commentabimur ad illud Eph. 4. *Vnus Dominus, vnus Deus.*

Senſus ſententiæ.

Refellitur Arianorū obiectio.

8 PRIMVM QVIDEM GRATIAS AGO DEO MEO PER IESVM CHRISTVM PRO OMNIBVS VOBIS. Græcè, *ſuper* aut, *de omnibus vobis*, id eſt, ob beneficia vobis impenſa. Notandum in Paulo apoſtolo, quod in omnibus ferè ſuis epiſtolis ſalutationi ſtatim ſubiungit gratiarum actionem pro beneficijs à Deo collatis in eos ad quos ſcribit. Quod & Petrus facit in 1. epiſtolâ. Faciunt autem hoc, tum ad gratiam Dei in omnibus commendent, (nam gratiarum actio gratiæ confeſſio eſt & commendatio) tum quia grata recordatio bonorum acceptorum dignos efficit ad impetrandum ampliora. Illud *per Ieſum Chriſtum*, vel ad ipſam gratiarum actionem refertur, vel potius ad id quod in gratiarum actione continetur, id eſt, ad beneficia pro quibus gratias agit: quale eſt illud quod ſubiungit;

QVIA FIDES VESTRA ANNVNCIATVR IN VNIVERSO MVNDO. *Annunciatur*, id eſt diuulgatur. *In vniuerſo mundo*. hyperbole eſt, tam vulgo, quàm ſacræ Scripturæ frequentata. Nam ſenſus eſt: fama fidei veſtræ multum lateque per varias mundi partes diffunditur. Etenim Romani iam antè fidem Chriſti ſuſceperant, idque Petro apoſtolo prædicante: quemadmodum hoc loco teſtatur Chryſoſtomus. Cæterum non tam propter annunciationem fidei, quàm propter ipſam fidem annunciatam gratias Deo ſe agere ſignificat apoſtolus. Sic enim in alijs epiſtolis pro fide, charitate, bonis operibus & profectu pietatis eorum ad quos ſcribit, Deo gratias agit: tametſi ipſa quoque annunciatio & celebratio fidei, beneficium Dei erat gratiarum actione

Hyperbole.

dignum.

dignum. Itaque ſenſus eſt: Gratias ago Deo pro fide veſtrâ, quæ tanta eſt, vt fama eius vniuerſum mundum peruagetur. Hinc quoque diſce, fidem eſſe donum Dei per Chriſtum; quod etiam ex hoc loco docet Proſper cõtra coll. cap. 36. & li. 1. de voc. gent. cap. 23.

9. TESTIS ENIM MIHI EST DEVS. Græcè non *mihi*, ſed *meus*. Propter quod negat Caietanus Paulum hic iurare, eo quòd non inuocationem, ſed narrationem ſonet, Deus eſt teſtis meus. Sed melius S. Thomas, alijque Patres in commentarijs, & S. Aug. lib. 1. de ſerm. Domini in monte, inuocationem diuini teſtimonij, & proinde iuramentum hic agnoſcũt. Neque enim intereſt, ſiue dicatur meus, ſiue mihi Deus eſt teſtis, aut ſit teſtis: modo ſit voluntas adhibendi Deum teſtem. Eodem prorſus modo loquitur Paulus Philip. 1. Sed nec ibi quiſquam, ne Caietanus quidem, negat eum iuraſſe. Iurat ergo Paulus non temerè, nec ſine iuſtâ neceſſitate (quod ſolum iuramentum Chriſtus prohibet Matth. 5. De quo vide commentarium noſtrum Iacob. 5.): ſed quod ſciret, ad ſtabiliendam ſuæ prædicationi fidem & authoritatem plurimum referre, ſi Chriſtiani qui Romæ erant, quorum multi Iudæi, Paulo alioqui parum æqui, de ipſius piâ ſollicitudine quam erga eos gerebat, bene eſſent perſuaſi. Refertur enim hoc iuramentum ad illud ſequens, *Quòd ſine intermiſſione memoriam veſtri facio*, &c.

Iurat hoc loco apoſtolus.

CVI SERVIO IN SPIRITV MEO, IN EVANGELIO FILII EIVS. *Cui ſeruio*, ſcilicet cultu diuino, quem ſignificat Græca vox λατρεία in pleriſque ſcripturæ locis, & maximè in illo præcepto, *Soli Deo ſeruies*. Similiter loquitur Act. 27. *Aſtitit mihi angelus Dei, cui deſeruio.* Latinius diceretur, *quem colo*. *In ſpiritu meo*. id eſt, cultu interno & ſpirituali, qui conſiſtit in fide, ſpe & charitate; & non tantum cultu exteriori, vt faciunt carnales Iudæi. Vel ſic: *In ſpiritu meo*, id eſt, cum animi ſincerâ promptitudine & alacritate. *In euangelio filij eius*, ſubaudi, annunciando, prædicando, propagãdo. Vel ſenſus eſt: in negocio euangelij.

QVOD SINE INTERMISSIONE MEMORIAM VESTRI FACIO SEMPER IN ORATIONIBVS MEIS. *Sine intermiſſione*, ad memoriam faciendam; *ſemper*, ad orationes referendum; Sic enim etiam ad Tim. ſcribit 2. ep. 1. *Gratias ago Deo quod ſine intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus meis nocte ac die.* Non ſolum ergo ſignificat ſe quoties oraret, Romanorum apud Deum meminiſſe, eoſque Deo commendare, verum etiam, iuxta id quod alibi præcipit 1. Theſſ. 5. ſemper orare. Sunt autem eadem apoſtolo, *ſemper*, *ſine intermiſſione*, *nocte ac die*. Porro ſemper orat, iuxta Auguſtinum hæreſi 57. qui nullo die intermittit certa orandi tempora. Aut, ſecundum alios, qui frequenter & quaſi aſſiduè orat, ſiue is certa & conſtituta habeat orãdi tempora, ſiue non. Quæ expoſitio ſimplicior eſt & verior. Nam Chriſtus Luc. 18. dicens: *Oportet ſemper orare:* & Apoſtolus 1. Theſſ. 5. *Sine intermiſſione orate*; loquuntur ad omnes: nec tamen omnes tenentur ad certa orandi tempora. Eſt igitur hyperbole, quâ frequentia cum ſtudio ſignificatur: qualis Luc. 2. de Anna prophetiſſa; *quæ non diſcedebat de templo ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die.* & cap. 24. de Chriſti diſcipulis; *Et erant ſemper in templo, laudantes & benedicentes Deum.*

Quo ſenſu ſemper oret.

10 OBSECRANS SI QVOMODO TANDEM ALIQVANDO PROSPERVM ITER HABEAM IN VOLVNTATE DEI VENIENDI AD VOS. Hæc congeries aduerbiorum, *ſi quomodo*, *tandem*, *aliquando*, ſignificat ardens deſiderium ac votum Pauli ad conſequendum id quod ſcribit, hoc eſt, ad viſendum Romanos. *In voluntate Dei*, id eſt, per voluntatem Dei, Deo volente. Senſus: Obſecrans Deum inter alia, vt iuxta vehemens animi mei deſiderium ipſi placeat iter meum quamprimum ad vos dirigere & proſperare. Vnde ſequitur.

11 DESIDERO ENIM VIDERE VOS. id eſt, vobis adeſſe.

VT ALIQVID IMPERTIAR VOBIS GRATIÆ SPIRITVALIS. Græcè, *vt aliquod tradam donum vobis ſpirituale*. Eſt enim χάρισμα, quod de ijs donis accipi ſolet, quæ dantur ad aliorum vtilitatem; de quibus huius epiſtolæ cap. 12. & 1. Cor. 12. tametſi poteſt etiam ad alia extendi. Cauſa tanti mei deſiderij non alia eſt, inquit, quàm vt ſupra ea quæ iam accepiſtis, aliquid adhuc donorum ſeu gratiarum ſpiritualium vobis per meum miniſterium impertiar.

AD CONFIRMANDOS VOS. Græcè: *ad confirmari vos*. id eſt, quò fiat ſaltem vt confirmemini in donis acceptis.

12 ID EST, SIMVL CONSOLARI IN VOBIS PER EAM QVÆ INVICEM EST FIDEM VESTRAM ATQ; MEAM. Conſequenter vertendũ erat: *id eſt*, (Græcè *id autem eſt*) *ad ſimul conſolandum*; quia præceſſit, *ad confirmandos vos*: niſi (quod quibuſdam placet) hæc pars ad verbum *deſidero* referatur; deſidero videre vos, id eſt, ſimul conſolari in vobis. Verùm multo meliore ſenſu refertur ad proxima. Mitigat enim apoſtolus hac expoſitione, & quaſi corrigit quod de confirmandis Romanis dixerat; verbumque confirmandi, mutat in, conſolandi. Deinde ſic loquitur tanquam ipſe viciſſim à Romanis fructum aliquem accepturus ſit ſpiritualem. Quæ omnia faciunt ad beneuolentiam conciliandam. Senſus: Id volo, vt communem atque vnà vobiſcum conſolationem ſeu recreationem capiam ex mutuâ communicatione fidei veſtræ & meæ. Porro non eſt inepta expoſitio. Siquidem ipſa confirmatio fidei Romanorum futura erat Paulo, ſimul & illis, materia conſolationis & gaudij. Sunt qui verbum Græcum συμπαρακληθῆναι exponunt de mutua exhortatione. Nam & hanc ſignificat. Ita ſenſus erit; vt mutuâ fidei communicatione inuicem exhortemur. Quomodo dicit 1. Cor. 14. *Poteſtis omnes per ſingulos*

prophe-

prophetare, vt omnes discant & omnes exhortentur. Sensus non improbandus, quo declaratur insignis Pauli modestia: qui paratus sit etiam aliorum exhortationes audire, & ex ijs fructū sibi speret. Obiter admoneo nonnullam esse in Græco textu diuersitatem. Nam plerique codices sic habent: τῦτο δὲ ἐςὶ συμπαρακληθῆναι. Laurentius verò sic legit: τῦτο δε ἐῆς τὸ συμπαρακληθῆναι. iuxta quam posteriorem lectionem non poterit omninò pars ista ad verbum *desidero*, referri.

13 NOLO AVTEM VOS IGNORARE FRATRES, QVIA SÆPE PROPOSVI VENIRE AD VOS. *Quia* pro *quod*, Græcè ὅτι, ferè perpetuum nostro interpreti. Quod semel admonuisse sufficiat. Excusat apostolus cur desiderio nōdum satisfecerit, docens conatum sibi non defuisse, sed facultatem. Id enim est quod sequitur.

Nota quod sæpius ipsum venit.

(ET PROHIBITVS SVM VSQVE ADHVC) Parentheticè legendum est. *Et* copulatiua coniunctio ponitur pro aduersatiuâ, *sed* vel *etsi. Prohibitus*, id est, impeditus. De hoc impedimento, quale fuerit, habemus infra cap. 15. vbi commemorat apostolus se prædicando in alijs regionibus euangelio occupatum, eâque occupatione plurimùm impeditum fuisse, quo minus adhuc Romanos inuiseret.

VT ALIQVEM FRVCTVM HABEAM ET IN VOBIS, SICVT ET IN CÆTERIS GENTIBVS. Coniunctionem *et* priori loco malè quidam codices omittunt: Habetur enim in Græcis & Syris & Latinis castigatioribus: necnon in textu com. Amb. Referenda est hæc pars ad illud superius, *proposui venire ad vos*: Significat enim causam finalem desideratæ suæ profectionis ad illos, id est, fructum ex ijs colligendum euangelij prædicatione, sicut iam collegerat ex alijs gentibus. De quo fructu Dominus Ioan. 15. *Elegi vos*, inquit, *& posui vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat*. Hic ergo fructus est fides & salus populorum. Hunc fructum Paulus suum vocat, dicens: *vt aliquem fructum habeam*: quia licet totus esset Domini, suo tamen ministerio colligendum sperabat, ac Domini lucrum, suum reputabat.

14 GRÆCIS AC BARBARIS, SAPIENTIBVS ET INSIPIENTIBVS DEBITOR SVM. Potest sic verti: *Græcis æquè ac barbaris, sapientibus æquè & insipientibus debitor sum:* vel hoc modo: *Tam Græcis quàm barbaris, tam sapientibus quàm insipientibus*. Hæc dicit, ne fortè Romani cogitarent se neque barbaros esse, neque rudes & insipientes, qui Paulo doctore egerent. Græcorum nomine Romanos etiam, id est, Latinos, comprehendit. Nam cæteri omnes populi, propter incultiorem sermonem barbari à Græcis & Romanis vocabantur. Sapientes intelligit eos qui vulgò sapientes dicebantur, id est, læculari philosophiâ imbutos; insipientes vero qui eâ sapientiâ carebant. Aut generaliter sapientes, doctos; insipientes, indoctos. Quibus omnibus Paulus se profitetur debitorem ex iniuncto sibi munere apostolatus: debitorem, inquam, annunciandi & docendi euangelij. Hanc enim doctrinam nec Græci, nec philosophi perceperant.

Qui per Græcos, qui per barbaros hic intelligendi sint.

15 ITA (QVOD IN ME) PROMPTVM EST ET VOBIS QVI ROMÆ ESTIS EVANGELIZARE. Pro *ita*, multi codices habent *itaque*, & Græcè quidem est οὕτω, *sic, ita*, sed hoc loco vim habet illationis, & per *itaque* exponendum, vt sit sensus: Et ideo quantum in me est, modò cessent impedimenta, animi promptitudo mihi adest, id est, promptus & paratus sum etiam vobis Romanis coram euangelizare. *Promptum*, πρόθυμον, id est promptitudo, Græcismus est, vt & sequenti cap. χρηςὸν, id est, benignitas. Particula, *quod in me*, Græcè τὸ κατ' ἐμὲ, quâdam antithesi respondet ei quod supra dixit: *In voluntate Dei*, quasi dicat: Ego quidem vehementer volo; modò ea sit etiam Dei volūtas. *Euangelizare*, quod Græcè dicitur εὐαγγελίζειν & εὐαγγελίζεσθαι, idem est quod bonum ac lætum nuncium adferre. Quibus verbis Græcis, in hac quidem significatione primum vsi fuerunt LXX. interpretes, interdum generaliter, vt 2. Reg. 18. aliàs autem ac multò frequentiùs specialiter, ad significanda lætissima noui testamenti promissa, vt psal. 67. & 95. Isa. 40. 52. & 61. & Naum 1. Inde manauit horum verborum vsus ad apostolos, eiusdem noui testamenti promulgatores; in quorum scriptis passim occurrunt hac speciali significatione. Vnde & verbale euangelista. Notandum quoque verbum medium εὐαγγελίζεσθαι, non actiuè solum vsurpari, vt hic & aliàs sæpe, sed interdum etiam passiuè, vt Matth. 11. Luc. 7. Heb. 4.

16 NON ENIM ERVBESCO EVANGELIVM. Græca addunt *Christi*. Verùm Tertullianus eo non addito sic legit: *Non enim me pudet euangelij*. lib. 5. aduersus Marcionem cap. 13. Syrus quoque interpres non agnoscit, vt nec Latinorum commentarij. Euangelium vocat hoc loco Paulus vel euangelij prædicationem, vel ipsam rem prędicatam, vt Christum crucifixum, ac si diceret: Quamuis Christum esse crucifixum, & hoc ipsum palam prædicare pro euangelio, probrosa res & stulta videatur; non tamen illius me pudet. Ratio sequitur;

VIRTVS ENIM DEI EST IN SALVTEM OMNI CREDENTI. Hic iam aggreditur apostolus materiam huius epistolæ principalem, de quâ in argumento diximus; eamque totam hac ipsâ sententiâ breuissimè complexus est. Virtus, Græcè δύναμις, id est, potentia. Porro salus hominis secundum scripturam intelligitur non tantum in vitâ æternâ, quæ est consummata salus; sed etiam in eius iustificatione, quæ est salus inchoata, & habetur in hac vitâ. Quo sensu dicit ad Ephes. 2. *Gratiâ estis saluati per fidem*. Et ad Tit. 3. *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit*. Sic autem generaliter salutem accipi hoc loco, manifestum est ex ijs quę statim sequuntur. Syrus interpres salutem hic & alibi vitam exponit, sed æquè generali

Salus hic generaliter sumitur.

signifi-

significatione: quomodo sæpe apud Ioannem accipitur. Sensus verborum est: Euangelium, id est euangelica prædicatio seu doctrina per diuinam virtutem efficax est ad præstandam salutem, id est iusticiam & vitam æternam, cuilibet credenti: quia nimirum Deus euangelio velut instrumento vult vti ad saluandum homines quibus euangelium prædicatur. Placuit enim diuinæ sapientiæ, vt ait idem apostolus 1. Corint. 1. *Per stulticiam prædicationis saluos facere credentes.* Vnde & ibidem affirmat: *Verbum crucis iis qui salui fiunt, esse Dei virtutem.* Dicit autem, *omni credenti*, non quod omnis quomodocumque verè credens euangelio, salutem aut iusticiam consequatur, vt ex hoc loco & similibus malè colligunt hæretici: sed quia fides quâ creditur euangelio, medium est per quod Deus ordinauit homines iusticiam & salutem adipisci. Quam & certissimè consequentur, si faciant & persistant in eo quod fides monstrat faciendum. Alij credentem intelligunt corde perfecto, id est qui non solùm fidem adhibeat verbo prædicationis, sed præterea facere paratus sit ea quæ fides monstrat facienda: quod est obedienter credere. Quæ expositio consentanea est aliis scripturæ locis, tam apud hunc apostolum, quàm alibi; velut Ioan. 3. *Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et cap. 7. *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Iuxta hunc igitur intellectum absoluta sententia est, euangelium adferre salutem omni credenti: vt fides intelligatur non qualiscumque, sed formata bona & efficaci voluntate faciendi quod euangelium præscribit. De quâ re plenius infrà ad illud: *Iustus autem ex fide viuit.*

Nō fauet hic locus sectarijs.

IVDÆO PRIMVM ET GRÆCO. hoc est, Iudæo imprimis, deinde & Græco. Nam copula pro particula ordinis Hebræo more posita est. Græcum intelligit gentilem quemcumque, etiam barbarum. Non enim barbaro, vt paulo antè, sed Iudæo Græcus hic opponitur. Ratio tam generalis acceptionis est, quod lingua Græca per gentes maximè esset communis: adeò vt etiam apud barbaros eius vsus plurimùm inualuisset. Iudæorum verò nomine etiàm proselyti comprehenduntur. Dicit autem *primùm Iudæo*, vel quia priùs tempore annunciatum est euangelium Iudæis quàm gentibus, vt exponit Chrysostomus: vel, *primùm*, id est potissimùm, quia promissio salutis per Christum dandæ, non gentibus, sed Iudæis facta fuerat. Hunc sensum confirmant ea quæ passim de Iudæorum prærogatiuâ dicuntur in hac epistola, vt cap. 3. 9. 11. & 15.

17 IVSTICIA ENIM DEI IN EO REVELATVR EX FIDE IN FIDEM. Particulam *in eo* ad credentem refert Ambros. commentator. Verùm alij multo rectiùs ad euangelium. Probat enim Paulus euangelium esse Dei virtutem in salutem omni credenti, quia in eo, scilicet euangelio, reuelatur iusticia Dei ex fide. Dicit autem reuelatur ἀποκαλύπτεται, quia de mysterio loquitur ab humanis sensibus abscondito. Dei iusticiam veteres quidam interpretati sunt eam iusticiam quâ Deus ipse iustus est, & fidelis in promissis. Theodoritus iusticiam Christi hominis intellexit, quâ nobis redemptionem & salutem promeruit. Sunt & qui Christum ipsum Dei iusticiam interpretentur. Verùm si expendamus ea quæ sequuntur, & attendamus ad scopum apostolicæ doctrinæ, necnon ad similia loca scripturæ, præsertim apud hunc eundem apostolum; certò comperiemus, iusticiam Dei non eam intelligi quâ Deus aut Christus iustus est, nec Deum aut Christum ipsum: sed iusticiam quâ iustus est homo. Quæ quidem iusticia Dei vocatur duplici ratione: vel quod à Deo sit, vt iusticia Dei dicatur quâ deus hominē donat, induit & afficit, dū eū iustificat; Sic enim loquitur apostolus Philip. 3. *Et inueniar in illo non habēs meā iusticiā, quæ ex lege est: sed illā quæ ex fide est Christi quæ ex Deo est iusticia in fide.* Hāc rationē adferūt hoc loco Chrysost. Theophylact. aliíque Græci, necnon Aug. li. de spir. & lit. c. 9. & 11. Simili ratione dictū est psal. 3. *Domini salus*, id est ea quæ est à Domino. Item ps. 59. & 107. *salus hominis*, quę est ab homine: vt Hieronymus ex Hebræo interpretatur. Vel iusticia Dei dicitur, id est vera iusticia, quâ nimirum quis verè coram Deo iustus cōstituitur. Veram enim iusticiam qui habent, more scripturæ coram Deo vel ante Deum iusti dicūtur: vt Noe Genes. 7. Zacharias & Elizabeth Luc. 2. Rationē hanc confirmant etiam quę dicuntur infrà de iusticia & iustificatione coram Deo, vt cap. 2. *Non auditores legis iusti sunt apud Deum.* Et cap. 3. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Vbi & gloriam Dei vocat quæ coram Deo est, quēadmodum illic declarabitur. Vtraque ratio valde bona est: tametsi posteriori meo iudicio magis ab apostolo spectata. Sequitur vt exponamus illā partem, *ex fide in fidem.* Cuius obscuritas plurimas peperit interpretationes: maximè quod ea phrasis nusquam exstet alibi in tota scriptura sacra. Nam & illud dubitatur, cum quo coniungi & construi debeat hæc pars, vtrū cum verbo proximo *reuelatur*, vt multis visum est; an verò cum *iusticiā Dei*. Igitur multi sensum reddiderunt huiusmodi: Iusticiam Dei reuelari ex fide veteris testamēti in fidem noui, ex fide prophetarum in fidem apostolorum ex fide patrum in fidem filiorum. Tertullianus loco supracitato; *Ex fide legis in fidem euangelij.* Hæc enim omnia ferè idē volunt, nēpe, iusticiā Dei quam in veteri testamēto sub vmbris & figuris latētē tenuerunt antiqui patres, & prædicauerunt prophetæ; eādem nunc remotis figuris ac discussis vmbris reuelari nobis filiis per prędicationē apostolorum: ita vt quæ illi crediderunt ventura, nos iam credere debeamus exhibita. His expositionibus affine videri cuipiam posset quod Oecumenius ex Acacio deprompsit;

Quid hic significet iusticia Dei.

Variant hic interpretes.

Iudæo quidem ex fide legis in fidem quæ per Christum est: Græco autem ex fide naturali, in eandem Iesu Christi fidem. Verùm faceſſat hoc gloſſema cum authore ſuo Acacio homine Ariano. Nullam enim fidem præter eam quæ in Chriſto eſt, apoſtolicæ literę commendant. Sedulius ita exponit: *Ex fide Dei promittentis, in fidem hominis credentis.* Idem aliter: *Ex fide Iudæi, in fidē gentilis.* Et aliter: *Ex fide prædicantium, in fidem credentium.* Quorum primum accepit ex comment. Amb. Secundum ex comment. Pelagij; tertium ex Auguſtini libro de ſpiritu & litera cap. 11. Idem Auguſtinus lib. 2. quæſt. euang. cap. 39. reddit hunc ſenſum: *Ex fide verborum quibus nunc credimus quod nondum videmus, in fidem rerum quâ in æternum, quod nunc credimus, obtinebimus.* Sunt præterea qui ſic exponant; Ex fide præteritorum in fidem futurorum: quoniam videlicet non ſatis ſit credere Chriſtum pro nobis natum, paſſum, reſurrexiſſe, niſi credamus etiam nos in illo debere renaſci, & ei compati, & cum eo reſurgere. Rurſus alij ſic: *Ex fide in fidem*, id eſt ex fide cuiuſuis temporis atque ætatis. Putant enim ſimilem eſſe phraſim cum illa, *à generatione in generationem*, id eſt, per omnes generationes. Notandum autem expoſitiones iam datas ferè in eo conuenire, quod hanc partem *ex fide in fidem* referant ad verbum *reuelatur.* Atqui ad inſtitutum apoſtoli multo eſt accommodatius, vt referatur ad iuſticiam Dei. Hanc enim docet eſſe ex fide, idque per euangelium mundo annunciari. Tantum illud difficultatem habet, cur non contentus dixiſſe *ex fide*, addere voluerit *in fidem*, vel *ad fidem*. Vtrumlibet enim verti poteſt ex Græco. Nonnulli verò ſic ordinant & exponunt: Iuſticia Dei quæ eſt ex fide, per euangelium reuelatur in fidem, ſiue ad fidem, ſcilicet multorum, id eſt hoc fructu vt multi credant & iuſtificentur. Sed ea diuulſio mihi ſatis violenta videtur. Prorſus enim apparet hæc in ſyntaxi coniungenda eſſe: *ex fide in fidem*, ſicut omnes ferè coniungunt. Eſt autem probabilis ſenſus, quem adfert Ioannes Heſſelius ſcribens in 1. Pet. 1. vt iuſticia dicatur eſſe ex fide in fidem, videlicet Dei, id eſt ex fide quâ creditur Deus fidelis in promiſſis: de quâ fide dicitur infrà cap. 3. *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit?* Sic enim & Petrum dixiſſe, nos cuſtodiri per fidem in ſalutem, id eſt per eam fidem quâ ſalutem venturam credimus. Cui ſenſui non malè quadrat ſubiunctum ex propheta teſtimonium, quo dicitur iuſtus viuere ex fide, ſcilicet promiſſionum Dei. Nihilominus illa nobis admodū probatur interpretatio, quam ſuppeditant Theophylactus & Oecumenius, quamque Sasboldus, Pererius, Emanuel & alij libenter amplectuntur. Ea quidem huiuſmodi eſt: *Ex fide in fidem*, id eſt ex fide promouente ac ſubinde augeſcente: vt ſit Hebraiſmus, qualis in pſal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem*, id eſt ſubinde maiora capient ſuæ virtutis ſeu fortitudinis augmenta. Nam in Græco forma ſermonis planè eadem eſt, ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν, & ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Simile & illud pſal. 143. *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.* id eſt aliam poſt aliam fructuum ſpeciem copioſè ſubminiſtrantia. Hanc verò expoſitionem intentioni Paulinæ congruere, docet ac declarat ſubiuncta eius probatio ex propheta dicente: Iuſtum ex fide viuere: tanquam non ſatis ſit ad iuſticiam, ſemel credidiſſe, ſed oporteat iuſticiam adeptam ſemper ex fide nutriri. Itaque nobis videtur totius ſententiæ hunc quàm maximè probabilem ſenſum reddi poſſe. Vera iuſticia, qua quis coram Deo iuſtus eſt, in euangelio, id eſt per euangelij prædicationem, nunc paſſim omnibus reuelatur, & clarè annunciatur: ea inquam iuſticia, quæ non ex lege, vt Iudæi putant, neque ex viribus naturæ, vt Græci, ſed ex fide comparatur, & ex fide continuò nutriri, conſeruari, augeri & perfici debet. Hanc ſententiam ſic intellectam, optimè probat apoſtolus per id quod ſequitur;

Constructio probabilior.

Sensus maximè probabilis

SICVT SCRIPTVM EST, Apud prophetam Habacuc cap. 2.

IVSTVS AVTEM EX FIDE VIVIT. Rectiùs in futuro *viuet.* Sic enim multi ijdemque meliores habent codices, Græcis etiam & Syris aſtipulantibus. Nam & apud ipſum prophetam in Hebræo futuri temporis verbum habetur. Et LXX. quoque interpretes futurum reddiderunt. Eademque lectio eſt in Græco ad Gal. 3. & ad Heb. 10. quibus locis eadem ſcriptura citatur. Quamuis autem ea vera ſit lectio; non tamen ſenſus eſt, eum qui iuſtus eſt, poſtea victurum; vt iuſticia præcedat, vita ſequatur: quomodo comm. Amb. expoſuit, vitam intelligens futuri ſæculi. Nam alioqui & id quod apud prophetam proximè antecedit, *Qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo*, ſimiliter exponendum eſſet, vt quis priùs incredulus ſit, ac poſtea animam habeat non rectam. Quod & falſum eſſe conſtat, & alienum à mente prophetæ. Sed verbo futuri temporis vſus eſt, vel quia tanquam propheta de futuris loquebatur, ac ſi diceret: Futurum eſt vt iuſtus ex fide viuat, dum promiſſionem exſpectat: vel quia futurum tempus ſeruit continuationi ac perpetuitati ſignificandæ. Nam iuſtus ita viuit ex fide, vt ex ea viuere non deſinat, vti mox docebimus. Iam nec magni momenti eſt ea diuerſitas, quod cum Hebræa veritas habeat *in*, id eſt, *ex fide ſuâ*, & LXX. verterint, *ex fide meâ*: Paulus hoc loco & in epiſtola ad Galatas abſolutè dixerit, *ex fide.* Facilè enim pronomen *ſuâ* ſubauditur. Cur autem LXX. pro ſuâ, meam reddiderint, rationem apud Hieronymum require in commentario ſuper Habacuc: tametſi rectè dicitur *meâ*, id eſt Dei (Deus enim loquitur)

quia

quia fides eſt quâ Deo creditur, & quæ nemi ni niſi Dei munere contingit. Quanquan quod eodem loco poſt multa dicit Hieronymus, apoſtolum in hac ad Romanos epiſtola citaſſe teſtimonium prophetæ iuxta LXX. verſionem, eiuſque rei rationem reddere conatur, memoria lapſum arbitror vt in hac epiſtola ſcriptum putaret, quod legerat in epiſt. ad Hebræos. Nam in ea maximè ſolet apoſtolus citare veteris ſcripturæ teſtimonia ſecundum LXX; licet in Græcis hoc teſtimonium nũc non ita habeatur. Accedit autem quod in Latinis legitur: *Iuſtus autem meus ex fide viuit.* Sed ea res ſuo loco diſcutietur. Vt autem ad ſenſum prophetici teſtimonij veniamus; Caietanus quidem ita diſtinguit & exponit: Qui ex fide iuſtus eſt, is viuet vita ſalutis æternæ. Cuius diſtinctionis etiam Hieronymus meminit in commentario epiſtolæ ad Galatas. Verùm ea diſtinctio primũ quidem haud cõgruit ijs quę à prophera dicuntur, vt cuiuis legenti manifeſtum eſt: Deinde & à mẽte Pauli aliena eſt. Non enim hoc loco, vt nec aliis in quibus hoc teſtimonium citat, intendit duos introducere iuſtos, vnum qui ſit iuſtus ex fide, & proinde victurus; alterum qui non ex fide, ſed aliunde iuſtus ſit, ideoque non victurus. Sed ſimpliciter iuſtum nominat, docetq; vnde qui iuſtus eſt viuat, id eſt iuſticiæ vitam habeat, ſcilicet ex fide. Sic enim diſtinctè loquitur Gal. 2. *Quod autem nunc viuo in carne*, nempe vitam iuſticiæ, *in fide viuo filij Dei.* Eſtque ſimilis locutio, cùm dicimus aliquem ſpe viuere, ali, ſuſtentari. Tenenda igitur eſt diſtinctio, quam communiter omnes tradunt, ſententiam ita ordinantes: Iuſtus viuit ex fide. Senſus autem eſt huiuſmodi; Iuſtus inquantum iuſtus eſt, viuit ex fide: vt qui vitam iuſticię neque adipiſci potuerit niſi per fidem; neque retinere eam poſſit, & in eâ permanere; neque in ea creſcere & proficere, niſi per fidem. Ac breuiter; Tota vita iuſti quâ iuſtus eſt, ex fide eſt: quia tota eius iuſticia ab initio vſque ad finem ex fide eſt. Ex quo ſenſu liquet iuſticiam hic non eam ſolam intelligi, qua quis ex impio ſit iuſtus, quam nulla prorſus antecedunt bona merita, & quæ prima iuſticia vocatur: ſed eam præterea comprehendi, quâ quis in acceptâ iuſticiâ progreditur ac proficit, quam vocant ſecundam iuſticiam. Et certum eſt apoſtolum in hac ſua diſputatione, qua præcipuè de prima iuſticia agere videtur, etiam de ſecunda admiſcere ſermonem: velut cùm docet Abraham ex fide iuſtificatum eſſe, quia ſcriptum eſt: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſticiam.* Iam antè enim iuſtus erat: quemadmodum & Phinees, de quo dicitur pſal. 105. *Stetit Phinees & placauit; et reputatum eſt ei in iuſticiam.* Tale eſt & illud Mattathiæ 1. Mach. 2. loquentis de Abraham per iuſſionem immolandi filij tentato, quando procul dubio iuſtus erat: *Abraham*, inquit, *nonne in tentatione inuentus eſt fidelis, & reputatum eſt ei ad iuſticiam?* Quin ipſe apoſtolus Heb. 10. citans hanc prophetæ ſententiam, manifeſtè refert eam ad conſeruationem iuſticiæ. Sic & Petrus 1. ep. 1. dicit per fidem nos cuſtodiri, id eſt in acceptа iuſticia conſeruari, in ſalutem. Quæ cùm ita ſint, nihil eſt quod nos cogat teſtimonium prophetæ, mentemque Pauli reſtringere ad eum ſolum qui ex peccatore iuſtus futurus ſit, & cum quibuſdam hunc ſenſum reddere; Qui peccator eſt, & iuſtus eſſe deſiderat, vitam gratiæ per fidem accipiet. Satis enim iam liquet ex dictis, latiùs hanc patere ſententiam, ac neceſſariò debere extendi ad omnem hominem iuſtum, quantumcumque etiam in hac vita fuerit iuſtificatus. Quamdiu enim iuſtus per fidem ambulat, ex fide viuit. Et ſanè perabſurdum eſt ſentire quod peccator ex fide victurus ſit vt iuſtificetur: idem autem iuſtificatus, deinceps ex fide viuere deſinat. Porro quæ fides hic intelligatur, iam ſuperius ex parte diximus ad illud *omni credenti*. Plenius autem idipſum nunc explicantes dicimus, eam intelligi fidem qua creduntur *vera eſſe quæ diuinitus reuelata & promiſſa ſunt, atque illud imprimis, à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu*. His enim verbis fidem iuſtificantem exponit ſynodus Tridentina ſeſſ. 6. cap. 6. Sed quia ſecundam iuſtitiam diximus etiam hic comprehendi, addendum eſt: qua credimus etiam iuſtum à Deo iuſtificari progreſſu quodam & incremento iuſticiæ, per gratiam eius, &c. Notandum deinde, ſic apoſtolum de fide loqui in hac epiſtola, vt etiam ſpem atque fiduciam remiſſionis peccatorum ac iuſticiæ conſequendæ, cæterorumque bonorum quæ à Deo promiſſa ſunt, includat, etiam cum bona voluntate placendi Deo & implendi mandata eius. Expendãtur quæ de fide diſſerit infrà c. 3. & 4. ac rurſus cap. 9. 10. & 11. His enim locis nuſquam à fiducia & bona voluntate eam ſeiungit; tanquam hæc ſimul vno fidei nomine complectens. Quod quidem prophetæ locus hic citatus manifeſtè etiam docet, quemadmodum facilè patebit locum ipſum diligenter examinanti. Neque tamen negandum, quod ſectarij negant, aliàs ſæpe fidem pro ſimplici credulitate & perſuaſione quâ reuelatis à Deo myſteriis aſſentimur, accipi. Loca enim ſunt apertiſſima 1. Cor. 13. Iacob. 2. Ioan. 12. atque etiam Heb. 11. & alibi. Sicut ergo ex his locis conſtat eſſe aliquam fidem informem & mortuam; ita in illis commendatur nobis fides excitata & viua, vt quæ non tantùm cum ſpe & fiducia ſit coniuncta, verùm etiam bona voluntate formata, ſicut antè diximus. Ex hac igitur fide viuit iuſtus, quia quod iuſtus eſt ac iuſtè operatur, & in iuſticiâ proficit ac perſeuerat, habet ex hac fide tanquam initio, fundamento & radice, denique vt ex cauſa impetrante: quemadmodum id per ſingula

Quæ fides hic intelligatur.

Sẽſus apoſtoli, quo etiam ſecunda iuſticia cõprehenditur.

declarabitur infrà ad illud cap. 3. *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem*. Huius autem doctrinæ ratio potissimum referenda est ad consilium & voluntatem Dei, quâ sapientissimè sic ordinauit, vt nemo post lapsum peccati restitueretur in statum iustitiæ, nisi qui crederet in ipsum, & in Christum mediatorem ac redemptorem. Vult enim beneficium redemptionis & iustificationis agnosci per fidem, ipsâque fide apprehendi. In cuius rei typum olim vulnerati morsibus serpentũ, non sanabantur, nisi qui serpentem æneum quem Moyses erexerat pro signo, oculis aspexissent. Num. 21. Sic enim per Christum in cruce exaltatum nemini vitam ac salutem cõtingere, nisi qui credat in ipsum, id est, fidei oculis eum aspiciat, Christus ipse docet Io. 3. Porro si quæras, an Paulus adducat testimonium prophetæ in sensu literali, an mystico, an, vt quibusdam visum est, extensiuo: Primũ respondeo sententiam prophetæ generalem esse de fide promissorum Dei: quæ ita placet Deo, vt ad iusticiam homini reputetur. Vnde rectè specialiter applicatur sententia ad fidem salutis promissæ per Christum mediatorem. Verùm illud addo, prophetam procul dubio vaticinari de Messia venturo, quum dicit, *quia veniens veniet & non tardabit*: Item loqui de fide in Messiam promissum iustificante, quum dicit: *Iustus autem in fide suâ viuet*. An autem hic sensus prophetæ literalis sit, an verò superliteralis, id est mysticus, non adeò refert, dummodo fateamur à Spiritu-sancto, & quidem principaliter esse intentum.

18 REVELATVR ENIM IRA DEI DE CÆLO SVPER OMNEM IMPIETATEM ET INIVSTICIAM HOMINVM, EORVM QVI VERITATEM DEI IN INIVSTICIA DETINENT. Apostolus constituta generali propositione qua continetur argumentum totius epistolæ, nempe iusticiam ex fide quærendam esse, aliam nunc propositionẽ assumit, ex qua ad priorem illam confirmandam procedat. Ea huiusmodi est: Omnes homines esse impios, iniustos, peccatores & per hoc iræ Dei subiectos. Quod intellige, præueniendo fidem, de qua iam agitur. Hanc verò propositionem explicat partitione, qua eam rem docet primùm de gentibus, hoc capite: deinde de Iudæis, cap. 2. & 3. vbi demum ad principale redit institutum de iusticia petenda ex fide; atque id ex præmissis hoc ferè modo colligit: Si omnes tam qui legem bene viuendi à Deo acceperunt, vt Iudæi, quàm qui studio sapientiæ operam dederunt, vt Græci, peccato & iræ Dei sunt obnoxij, non ergo ex lege neque ex operibus exspectanda est iusticia, sed gratis habetur per fidẽ quæ est in Christo. Iam igitur ad explicationẽ verborũ apostoli veniamus. Reuelatur ira Dei per euangelij prædicationẽ, dum in eo annunciãtur hominibus pœnę quas Deus impijs & peccatoribus comminatur. Est enim ira Dei non tantũ in percutiẽdo, verum etiam in cõminando. *Nam qui iratscitur, interdum non percutit, sed tantummodo comminatur*, inquit Hieronymus in cõment. super Abacuc 3. hunc præsentem locum adducens. Quocirca Caiet. itã Dei exponit iusticiam Dei vindicatiuã, ad quam pertinent etiam cõminationes. Quamuis & ipsa vindicta secundum Aquinatẽ rectè intelligitur, non quidẽ præsens, sed impẽdens & parata. Illud *de cælo*, quanquam iungi possit cum verbo *reuelatur*, multo tamen rectiùs refertur ad illam partẽ, *ira Dei*, subaudito participio *ventura*: vt sit sensus: Per euangelium annunciari vindictã Dei cælitùs superuenturam & exercendam in impios Christo iudice, quando descendet *in flammâ ignis dantis vindictam*, vt dicitur 2. Thess. 1. Hinc etiam discere prædicatione euangelij non solùm contineri doctrinam gratiæ saluantis, sed etiam iusticiæ vindicantis: secùs quam noui quidam tradunt dogmatistæ. Impietas & iniusticia sic differre videntur, quòd impietatis nomine intelligatur quicquid committitur aduersus cultum ac religionem Dei; iniusticia verò cætera omnia peccata comprehendat: licet hæc duo ferè confundat apostolus in sequentibus huius epistolæ, vbi de peccatoris iustificatione disserit. Quicunq; enim coram Deo iustus non est, is apostolo iniustus & impius dicitur, id est peccator. Porro veritatem Dei in iniusticia detinent, qui veram quã de Deo assecuti sunt noticiam, per iniusticiã, id est prauitatem suæ voluntatis supprimũt, ac veluti captiuam intrà se tenent; dum vel non communicant eam alijs, vel non ostendunt per opera pietatis, sicut ille qui dicit Iaco. 2. *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*: sed magis ad cõditoris iniuriam diuinos honores creaturis tribuunt. Hæc de Græcorum philosophis dicit: quorum etsi quidã, vti mox dicetur, ad vnius Dei noticiam philosophando peruenerint, vt Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles & alij: quibus adde Hermetẽ Trismegistũ sacerdotẽ & philosophum Ægyptium, Senecã philosophũ & senatorem Romanũ Paulo σύγχρονον: nemo tamen omniũ Deum cognitum aut coluit vt debuit, aut colendũ prædicauit. Ex quibus Plato ne quidẽ euulgandam putauit eam quã perceperat vnius Dei noticiam: sed iis solis cõmunicabat, quibus vt amicis ac sapientioribus, animi sui sententiã auderet aperire: quẽadmodum ex ipsius scriptis ostẽdit Eusebius l. 11 præparationis euangelicæ ca. 9. Quo pertinent etiã hæc ipsius verba Platonis in Timæo: *Parentem & opificem vniuersorum neque inuenire facilè, neque inuentum in vulgus promulgare tutum est*. Igitur metu vulgi veritatem Dei apud se suosque paucos detinuit hic tantus philosophus. Quod autẽ hic apud Græcos, id apud Latinos Seneca. De cuius simulatione metu legum expressa, vide quæ ex ipsius scriptis adfert Augustinus lib. 6. de ciuit. Dei cap. 10. ita tandem de eo concludens: *Sed iste qui illustris populi Romani senator erat, colebat quod reprehendebat: agebat quod arguebat: quod culpabat adorabat*: idque *propter leges ciuium*,

Ira Dei quæ dicatur.

Veritatẽ Dei in iniusticia qui detineant.

moresq;

moreſq; hominum: videlicet *eo dānabilius, quod illa quæ mendaciter agebat, ſic ageret, vt eum populus veraciter agere exiſtimaret.* Hæc Auguſtinus. Qui & in lib. de vera rel. cap. 5. philoſophos in vniuerſum notat, quod eadem ſacra ſuſciperent cum populis, & de deorum natura ac ſummo bono diuerſas in ſcholis ſententias traderent. Quod ad textum attinet, vbi nos habemus *veritatem Dei*, in Græco quidem & Syriaco non additur *Dei*, nec in Græcorum commentarijs legitur: vt nec apud Tertullianum citantem hunc locū lib. 5. aduerſus Marc. Rectè tamē intelligitur. Nam de veritate quâ Deus agnoſcitur apoſtolum loqui palam eſt ex ſequentibus.

19 QVIA QVOD NOTVM EST DEI, MANIFESTVM EST IN ILLIS. Græcè: *quia notum Dei*, vel *eo quòd notum Dei*, &c. Quanquam *notum* Græcè γνωστὸν etiam verti poteſt *cognoſcibile*, vt ſenſus ſit: Propterea quod ea quæ de Deo naturali lumine intellectus ab homine cognoſci poſſunt, fuere *in illis*, id eſt, apud illos manifeſtè & euidenter cognita: cuiuſmodi ſunt Deū eſſe vnum, æternum, mundi principem & gubernatorem, actum purum, & ſimilia. Non defuerunt, inquit, inter illos qui hæc cognoſcerent, tametſi alij plus, alij minus. Quidam volunt *in* præpoſitionem redundare, ac ſi tantùm dixiſſet *manifeſtum eſt illis*, quemadmodum redundat apud Petrum 1. ep. 1. cùm dicit *hereditatem conſeruatam in vobis.* Quod quidē non improbabile eſt. Conuenit enim cum eo quod ſequitur: *Deus enim illis manifeſtauit.* Dicit autem *quod notum* ſeu *cognoſcibile eſt*, ad differentiā eorum quibus cognoſcendis non ſufficit naturale lumen humanę mentis; quale eſt myſterium Trinitatis: male his quæ per naturā de Deo cognoſci poſſunt, à Pelagio annumeratum. Sciendum tamen etiam ſic verti poſſe: *quia noticia Dei manifeſta eſt eis*, quomodo vertit Stapulēſis. vt cōcretum ſit poſitum pro abſtracto, veluti ſuprà *promptum*, id eſt, promptitudo. Iam ex eo quod dicit *manifeſtum eſt illis* vel *in illis*, rurſus colligi poteſt, vt bene colligit Caietanus, ea quæ philoſophi de Deo nouerunt, demonſtratione illis cognita fuiſſe. Nam quæ ſola fide cognoſcuntur, non euidentiam, ſed obſcuritatē habent. Ne tamen etiam illius naturalis boni principium in ſeipſo quis ſtatuat aut quærat; ita ſubiungit.

Manifeſtare & reuelare differunt.

Etiam naturalis quælibet cognitio Dei donū eſt.

DEVS ENIM ILLIS MANIFESTAVIT. Non dicit reuelauit, quaſi infuſo lumine fidei, ſed *manifeſtauit*, id eſt, manifeſtò & euidenter eos cognoſcere fecit, ſcilicet per lumē naturæ, vti iam dictū eſt, & verbis ſequentibus explicabitur. Simile eſt illud pſa. 93. *Qui docet hominem ſcientiam.* Neq; enim dubitandum quin omne bonum tam intellectus quā voluntatis, etiam quod ex ſolis naturæ viribus abſque ſpeciali auxilio Dei prouenit, authori Deo ſit tribuendum, & pro eo ſint agendæ Deo gratiæ. Siquidē & bona corporis, vt ſanitas, robur, pulchritudo, & cætera huiuſmodi in Deū authorem & largitorē cum gratiarum actione referenda ſunt. Quare non eſt neceſſe (quod quidam volunt) hic intelligi noticiā vires naturæ excedētem. Siquidem imperfecta Dei & proprietatū eius noticia, quā ex mundi contēplatione perceperunt homines magnis ingenijs præditi, rerumq; cognoſcēdarum ſtudioſi, ex eo quod in naturâ poſt corruptionē peccati manſit reliquum, haberi potuit. *Quoniā reuera* (ait Aug. li. de ſpiritu & lit. c. 12.) *ſicut magna ingenia quærere perſtiterunt, ſic inuenire potuerunt.* At nihilominus eadē iſta qualiſcūq; Dei noticia, Dei ipſius beneficio tota aſſcribēda fuit. Quod idē doctor in l. 2. de ciuit. Dei c. 7. teſtatur his verbis: *Et quidam eorum* (de philoſophis agit) *quædam magna, quantum diuinitùs adiuti ſunt, inuenerunt: quantum autem humanitus impediti ſunt errarunt.* Sed de ea re plura & ex profeſſo ad diſt. 3. lib. 1. ſententiarum P. Lombardi.

20 INVISIBILIA ENIM IPSIVS A CREATVRA MVNDI, PER EA QVÆ FACTA SVNT, INTELLECTA CONSPICIVNTVR. Malè quidā codices, *intellectu:* Nam Græcè eſt νοούμενα participium tēporis præſentis. Illud verò *à creatura mundi*, quidā vertendū putāt *à creatione mundi*, id eſt à mundo condito, à mundi initio. Nam Græca vox κτίσις ambigua eſt ad creaturā & creationem. Et Aug. lib. 8. de ciuit. Dei c. 9. & 11. legit *à conſtitutione mundi.* Sed ea verſio mihi non probatur: primùm, quia vocabulo κτίσεως ſcriptura vix vſquam vtitur pro creatione. Tantū eſt, qui à Laurentio profertur, locus Heb. 9. *Tabernaculum non manufactum*, id eſt, *non huius creationis.* Aliàs ſemper pro creaturâ, id eſt, rebus creatis ſumitur: vt hoc ipſo cap. *Seruierunt creaturæ potius quàm creatori.* Et c. 8. quinquies. Quum autem ſignificare vult mundi creationem, dicit καταβολὴν κόσμου, quod interpres ferè reddit *conſtitutionē mundi.* De quâ phraſi vide quę annotamus ad Eph. 1. Deinde quia verſioni illi ac ſenſui non quadrat verbū præſentis temporis, *conſpiciuntur.* Nam dicēdum erat: ab initio mundi conſpecta ſunt. Adde quod plenior eſt ſententia magiſq; ſeruiēs inſtituto Pauli, ſi creaturam, id eſt, res ipſas creatas intelligamus: vt ſenſus ſit; *Inuiſibilia Dei*, id eſt, attributa ſeu proprietates Dei quæ corporeis oculis aſſpici nequeūt, mente cōſpiciuntur ex vniuersâ hac creaturâ viſibili, quę mundus dicitur; dum intelliguntur ex ijs quæ facta ſunt (Græcè τοῖς ποιήμασι) id eſt, per opera ſenſibus noſtris expoſita, tāquā per ſuos effectus. Nam ex operis præſtātiâ cognoſcitur ars, ingenium & ſapiētia opificis. Hāc Dei cognoſcēdi rationem pulcrè nobis tradit ſcriptura pſ. 18. & Sap. 13. Quidam per inuiſibilia angelos acceperūt. Quam expoſitionem vt ab inſtituto Pauli alienam, meritò reijcit Theophylactus.

Ex contēplatione creaturarum Philoſophi deuenerunt in cognitionem attributorum diuinorum.

SEMPITERNA QVOQVE EIVS VIRTVS ET DIVINITAS. Græcè, *Sēpiternaq; eius virtus*, &c. Quod ita verti poteſt: *tam ſempiterna eius virtus quàm diuinitas.* Nam exegeticè pars hæc addita eſt: quâ nimirum exponit apoſtolus quæ dixerat inuiſibilia: quēadmodū & Græci interpretes intellexerunt. Tria verò ſpeciatim

recenſet: Sempiternitatem, virtutem ſeu potentiam, & diuinitatem. Nam cuius virtus ſempiterna eſt, ipſum quoque ſempiternum eſt. Sempiternitas autem propriè eſt accipienda, ſcilicet eius quod nec cepit vnquam, nec eſſe deſinet. Potentia quoque abſoluta & illimitata, quam omnipotentiam vocamus. Diuinitatẽ Theophylactus interpretatur maieſtatem. Videtur apoſtolus hoc vocabulo, ne longam texeret ſeriem idiomatum diuinorum, voluiſſe comprehendere cætera, quæ audito Dei nomine ſtatim in animum cadere ſolent, vt quod ſit ſumme bonus, iuſtus, ſapiens, omnium habens prouidentiam: item quod incorporeus & immaterialis & actus purus, ideoque ipſe immutabilis, omnia mouens, & omnia in omnibus operãs. Hæc enim aut omnia, aut pleraque, ſaltem imperfectè nota philoſophis fuêre. Et quidem de iuſticiâ Dei ab ijs cognitâ, habes in fine capitis, *Qui cùm iuſticiam Dei cognouiſſent*, &c. Notandum autem epitheton *ſempiterna*, per ſyllepſin poſſe etiam ad diuinitatem extendi: vt ſit veræ deitatis ſignificatio, quæ vtique vera non eſt, niſi ſit æterna. Quod proinde dictum videatur ad differentiam falſæ diuinitatis attributæ multitudini deorum gentilium, quorum omnium origines referuntur. *Patrum quiſpiam*, ait Theophylactus, *ſempiternam potentiam filium dixit, diuinitatem autem Spiritum ſanctum*. Quod non eſt recipiendum. Conſtat enim ex contemplatione creaturæ non poſſe perueniri in noticiam plurium perſonarum in Deo. Cæterum illud de philoſophis quæri poteſt, an cognouerint Deum eſſe mundi creatorem. Equidem puto non defuiſſe qui cognoſcerent. Pertinet enim hoc ad omnipotentiam Dei, quam hic vocat δύναμιν, virtutem. Nam & Iouis apud ethnicos poëtas epitheton erat, *omnipotens*. Deinde quia dixit, *à creatura mundi*, id eſt, ex rebus ab illo creatis, ex opificio mundi. Eſtque hæc Auguſtini ſententia in expoſitione propoſitionis tertiæ huius epiſtolæ: *Sapientes gentium inueniſſe creatorem*. Apertius autem id docet vetus author Aponius, dum lib. 4. commentariorum in canticum Salomonis exponens illud cap. 2. *Per capreas ceruoſq; camporum*. ita ſcribit: *Cerui videntur intelligi, qui in ipsâ philoſophiâ ſuæ velocitate doctrinæ, non multos, ſed vnum Deum inuiſibilem, immenſum, inæſtimabilem, omniumq; creatorem, totum vbique mundum implentem confeſſi ſunt*. Hæc ille. Quod & ratione probatur. Nam etſi ſcirent naturaliter ex nihilo nihil fieri poſſe: ſciebant tamen mundum non eſſe à ſeipſo, ideoque factum ab eo cuius tanta virtus eſſet, vt etiam ex nihilo faceret exſtare quæ vellet. Et huc certè plurimum acceſſit Ariſtoteles, quando cæli ac mundi totiuſque naturæ cauſam efficientem eſſe docuit mentẽ æternam, omnia mouentem ipſam immobilem, hoc eſt, Deum: vt lib. 1. Metaph. cap. 2. & lib. 12. cap. 7 Itemque lib. 2. phyſ. ca. 6. & lib. 8. cap. 2. Hæc verò efficiẽs cauſa non alia fingi poteſt, quam vel creans, vel continua creatione conſeruans, ita vt ipſius etiam materiæ cauſa ſit. Qui enim mundum, id eſt vniuerſum dicit, etiam materiam ipſam comprehendit.

Deum eſſe mundi creatorẽ, quibuſdã philoſophis cognitum.

ITA VT SINT INEXCVSABILES. *Ita*, in quibuſdam codicibus abeſt. Potuit autem hæc pars ex Græco ſic verti: *In hoc vt ſint inexcuſabiles:* ſed ſenſu conſecutiuo, quo ſignificetur cognitionem illam quam de Deo philoſophi acceperunt ex rebus creatis, reddere eos inexcuſabiles in iudicio Dei. Cuius ratio ſequitur.

21 QVIA CVM COGNOVISSENT DEVM. Græcè, διότι γνόντες τὸν θεὸν, *propterea quod cognitum Deum*, vel, *cùm cognouerint Deum*.

NON SICVT DEVM GLORIFICAVERVNT, AVT GRATIAS EGERVNT. Pro *gratias egerũt* Eraſmus vertere maluit, *grati fuerũt*. Sed Græcè eſt verbum εὐχαριστησαν, quod procul dubio ſignificat *gratias egerunt*. Quod & huic loco melius conuenit. Tale igitur eſt quod apoſtolus dicit: Sicut naturali rationis lumine peruenerunt in veram Dei noticiam; ita clarè dictat eadem ratio, Deum cognitum glorificandum eſſe, eiſque gratias agendas. Quocirca inexcuſabiles ſunt qui hæc non fecerint. Deum glorificare vt Deum, eſt Deum laudibus ſibi debitis, hoc eſt diuinis, celebrare. Eſt enim *gloria* (definiente Auguſtino q. 31. inter 83.) *frequens de aliquo fama cum laude*. Gratias agere Deo, eſt beneficia à Deo accepta per agnitionem & laudem in ipſum referre. Reſpicit autem apoſtolus præcipuè ad illud beneficium quod eſt Deum cognouiſſe: de quo iam dixerat, *Deus illis manifeſtauit*. Quãquam nihil vetat cum iſto cætera quoque cognita ab ipſis beneficia Dei comprehendere: quum non vnius tantum, ſed omnium fuerint ingrati. Quis enim philoſophorum qui Deum cognouerunt, cùm tam multa ſcripſerint quæ adhuc extãt, & alia plura, quorum inſcriptiones & argumenta prodita ſunt à Diogene Laertio: quis, inquã, eorum legitur ſcripſiſſe Deo laudes euchariſticas? Exſtãt quidẽ in laudes Deorum hymni poetarum ethnicorum, Homeri, Orphei, Pindari, Horatij, qui tamen & ipſi philoſophati feruntur. At in laudem veri Dei pſalmus aut hymnus aut quidquam tale à quoquã illorum compoſitum, nuſquam inuenitur. Sed quæret aliquis; an ſint excuſabiles qui Deum non cognoſcentes non eum glorificauerunt: quippe cùm glorificare non potuerint incognitum. Reſpondeo non eſſe prorſus excuſabiles. Nam cognoſcere eum potuerunt & debuerunt ex rebus creatis, vti præclarè docet author libri Sapientiæ cap. 13. Vnde & paſſim in pſalmis & alibi ſcriptura culpat eos tanquam impios, qui Deum non nouerunt. Et Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. c. 6. ita ad Deum loquitur: *Cælum & terra & omnia quæ in eis ſunt, vndique mihi dicunt vt te amem; nec ceſſant dicere omnibus, vt ſint inexcuſabiles*. Sic ille. Cæterum excuſabiles dici poſſunt aliqua ex parte, propter ignorantiam ſci-

Quid gloria.

Quæſtio.

Reſponſio.

licet,

licet, atque aliorum comparatione, quibus Dei noticia diuina manifestatione contigit. Qui proinde quo minùs cognitum colerent & glorificarent, nihil prætexere potuerunt impietati suæ & ingratitudini. Dices non potuisse eos gratias agere & glorificare sine speciali auxilio gratiæ Dei, vt nec super omnia diligere: atque illud auxilium non omnibus dari. Vnde & Augustinus loco memorato, cùm dixisset cælum & terram omnibus prædicare vt Deum ament, adjecit: *Altius autem tu misereberis cui misertus eris. Alioquin cælum & terra surdis loquuntur laudes tuas.* Respondeo, ad multa teneri homines, quæ non possunt sine speciali auxilio Dei; & talia sunt omnia opera pietatis. Nec verò consequens est, si id non potuerunt absque Dei auxilio, simpliciter non potuisse. Nam posse naturæ est, vt docet Augustinus lib. de gratiâ Christi: Gratia verò specialis auxilij non datur vt possimus, sed vt faciamus. Potest quidem etiam dici, philosophos potuisse per vires naturæ Deum cognitum, vt Deum, aliquatenùs laudare & glorificare, & gratias agere: non tamen ita vt oportuit, hoc est, non eo voluntatis affectu quo ad veram iusticiam appropinquarent. Quanquam nec omninò, ne steriliter quidem philosophos illos qui Deum cognouerunt, etiam glorificasse Deum, vsquam legitur, vt iam dixi.

Nota.

Vetus disceptatio, Vtrũ mẽtis sedes cor sit an cerebrum.

SED EVANVERVNT IN COGITATIONIBVS SVIS. *Cogitationibus*, id est, disquisitionibus, seu ratiocinationibus. Tale quid enim significat Græca vox διαλογισμὸς. Sensus est: Dum contenti suâ subtili inquisitione, & quam inquirendo ac ratiocinando consecuti erãt Dei cognitione, non tamen eum glorificauerunt nec gratias egerunt: vani facti sunt; quia finem illius cognitionis qui consistit in vero Dei cultu & pietate atque in verâ beatitudine, non sunt assecuti. Vanum enim & frustraneum illud dicitur quod finem suum non assequitur.

ET OBSCVRATVM EST INSIPIENS COR EORVM. *Obscuratum est*, Græcè ἐσκοτίσθη. *Obtenebratum est*. Sensus: Et mens eorum ex culpâ tantæ impietatis & ingratitudinis insipiẽs, stolida, & vt Græca vox ἀσύνετος sonat, expers intelligentię effecta, multis errorum tenebris inuoluta est. Cor in scripturis figuratè, sed vsitatissimè nunc intellectum, nunc voluntatem significat. Voluntatem, quoties cor rectum, prauum, molle, durum, mundum, immũdum, vocatur. Intellectum verò seu mentem, quoties docile, sapiens, intelligens, illuminatum, & contrà stultum, insipiens, obtenebratum, excœcatũ dicitur, vt hoc loco: quemadmodũ paulo post illis verbis, *in desideria cordis eorum*, & ca. seq. vbi legimus cor impœnitens, accipitur priori modo. Dico figuratè; siue ea metaphora sit rei corporeæ ad incorpoream & spiritualem, eo quod in mente sit principatus vitæ rationalis, sicut in corde vitæ animalis; Quo respexisse putant Sapientem, cum ait Prou. 4. *Omni custodia serua cor tuum, quia ab ipso vita procedit*: siue potius metonymia, iuxta eum modum quo continens ponitur pro contento, propterea quod sensus communis & vis imaginatiua, quæ rationali parti proximè subseruiunt, ipsum cor velut organum sibi vendicent, ideoque menti sedes in corde fuerit antiquitùs assignata. Quod quidem sentit Aristoteles, & variè probat compluribus locis, potissimum libro de sensu & sensili, & lib. 3. de partibus animalium cap. 4. refellẽs eos qui cerebro sensuum principatum deferunt, (quę ferè medicorum sentẽtia est) quod ille sensationi ineptum ostendit. Eiusdem opinionis Stoicos ad vnum fuisse tradit Plutarchus lib. 4. de placitis philosophorum ca. 4. Huic Aristotelis & Stoicorum sententiæ multum videntur fauere sacræ literæ, quæ cogitationes vbique cordi tribuunt, nusquam cerebro, nec omnino capiti: non aliâ quantùm apparet ratione, quàm quia in corde effinguntur, vt ait philosophus, rerum imagines. Scripturæ passim obuiæ sunt: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Ex abundantiâ cordis os loquitur. De corde exeunt cogitationes malæ.* Matth. 9. 12. 15. Item dicere in corde, pro cogitare, ps. 4. 10. 13. 34. 52. Quin & apud Latinos, eosque profanos authores cor pro animo sumitur, vt quum dicunt: Hæc res mihi cordi est. Vnde cordati, & (compositis nominibus) excordes, vecordes, socordes & concordes dicti sunt. Estque huius rei signum naturale, quod pœnitentes non caput, sed pectus tundimus, sub quo cor situm est; tanquam culpam à corde profectam agnoscentes. Confirmant hanc sententiam Christiani doctores: nominatim Hieronymus in comment. Matthæi, quum ad illa verba, *De corde exeunt cogitationes malæ*, sic infert: *Ergo animæ principale non secundum Platonem in cerebro, sed iuxta Christum in corde est.* Et ante eum Tertullianus tum lib. de resurrect. carnis cap. 15. vbi principale quod ἡγεμονικὸν appellant Græci, cordi consecrat; tum maximè lib. de anima cap. 15. quo loco recitatis facilè decem de hegemonico veterum philosophorum opinionibus, eam solam recipit, & scripturis diuinis consentaneam esse docet, quæ sedem illi in corde constituit. Quanquam alij hanc rem in dubio relinquere malunt, vt Lactantius li. de opificio Dei cap. 16. Theodoritus serm. 3. de prouidentiâ. Philo Iudæus lib. de sacrificijs Abel & Cain; & altero, de eò quod deterius potiori insidietur. Porro Gregorius Nyssenus etsi sermone 1. de resurrectione Christi cum ijs sentire videatur qui sedem mentis in corde ponunt; attamen lib. de creatione hominis cap. 12. nec cordi nec cerebro principale hominis assignandum putat, nec propriè cuiquam aliarum partium, sed æquè per omnes diffundi iuxta suum cuiusque temperamentum. Qui verò de philosophia scripsit (vt vel hinc intelligas à Nysseno diuersum esse) lib. 4. cap. 6. & 7. ex professo docet interiores vires

Cor in scripturis quid significet.

imaginatiuam, cogitatiuã & memoratiuam, quæ menti proximè ſubſeruiunt, in cerebro ſua ſenſoria ſingulas habere, totidem ventriculis, vt loquitur, inter ſe diſiuncta. Quin & Ambroſius lib. de Noe & arca cap. 7. mentem in capite locatam ſcribit ſecundum plurimorum ſententiam, & maximè Salomonis qui ait: *Oculi ſapientis in capite eius.* Eccleſiaſtæ 2. Quod & ſuis deinde verbis probabile facere conatur. Sanè hæc plurimorum etiam hodie ſententia eſt: exiſtimantium ſcripturam ſacram cordi cogitationes aſſcribere tantummodo propter analogiam vitæ ſpiritualis ad vitam animalem, cuius principium à corde eſt. Quam rationem ſuprà priori loco indicauimus. Hanc de corde problematicam diſputationem nolui intactam relinquere; quod ad intelligentiam tropi in ſcripturâ frequentiſſimi, momentum habere videretur.

22 DICENTES ENIM SE ESSE SAPIENTES STVLTI FACTI SVNT. Coniunctio *enim* non eſt in Græco, nec in omnibus codicibus Latinis: nec eam addit Auguſtinus, huius loci verba referens lib. de ſpiritu & lit. c. 12. Quidam ita vertunt: *Cum ſe putarent, cùm ſe crederẽt eſſe ſapientes.* At Græcè eſt φάσκοντες, id eſt, *dicentes*. vt noſter interpres vertit: idque rectius ſe habere etiam Geneuenſis catena teſtatur. tametſi φάσκειν non ſimpliciter eſt, dicere, ſed palàm & in vulgus dicere, ex quo fama oriatur. Hinc enim deducitur φήμη fama. Senſus igitur eſt: Cùm apud homines profiterentur ſe ſapientes, ac ſibi arrogarent magnam ſapientiam, videlicet ob rerum arcanarum & ſublimium cognitionem, à quâ dici ſolent homines ſapientes; *Stulti facti ſunt*, id eſt longiſſimè à verâ ſapientiâ quæ in verâ erga Deum pietate conſiſtit, aberrauerunt, ad extremam ſtultitiam & inſipientiam delapſi. Sunt qui in pronomine *ſe* emphaſim ſtatuant hoc ſenſu: *Dicentes ſe eſſe ſapientes*, id eſt, hoc ipſum quod ſapientes erant, ſibi tribuentes, non autem Deo acceptum referentes. Ita quidem etiam Auguſtinus loco iam citato, & alibi. Verùm ſciẽdum eſt pronomen ſe non exprimi in Græco: tametſi neceſſariò reddendum fuit ab interprete Latino. Non poteſt autem emphaſis intelligi in voce non expreſsâ. Quæret aliquis an illi verè fuerint ſapientes. Reſpondeo non fuiſſe, ſi ſapientem intelligas eum qui abſolutè talis dicitur: præſertim iuxta loquendi conſuetudinem ſcripturæ ſacræ tam veteris quàm noui teſtamenti: quæ paſſim ſapientem eum vocat, qui Deum nouit & timet, & mandata eius obſeruat. Hic enim cauſam altiſſimam quæ Deus eſt, ita contemplatur, vt iuxta regulas ab eo præſcriptas vitam & actiones ſuas inſtituat: Quod eſt verè & abſolutè ſapientem eſſe; quemadmodum bene docet S. Thomas 2.2 q. 45. Quo fit vt ſapientia vocetur ipſa pietas ſeu timor Domini, Iob 28. *Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia.* Vbi LXX, *Ecce pietas* θεοσέβεια, *eſt ſapientia*. Quocirca non ſolum σόφοι reuera non fuerunt illi ſapientiæ profeſſores, ſed nec φιλόσοφοι, quo velut modeſtiore vocabulo Pythagoras ſe ſuoſque diſcipulos primus appellari voluit. Ratio manifeſta eſt, quia veram ſapientiam non ſolum non habuerunt, ſed nec amarunt.

Philoſophi nõ abſolutè dicẽdi fuiſſe ſapientes.

23 ET MVTAVERVNT GLORIAM INCORRVPTIBILIS DEI IN SIMILITVDINEM IMAGINIS CORRVPTIBILIS HOMINIS ET VOLVCRVM ET QVADRVPEDVM ET SERPENTIVM. *Et* pro *etenim* Hebræo more. Declarat enim in quo ſtulti facti ſint, nempe in eo quod gloriam vni immortali & incommutabili Deo propriam tranſtulerunt primùm ad hominem mortalem, deinde ad beſtias, vt volucres, quadrupedes, ſerpentes, denique ad horum ſimulacra: tranſtulerunt inquam, honores vni Deo debitos, id eſt diuinos his omnibus attribuentes. *Serpentium* Græcè ἑρπετῶν, id eſt reptiliũ. Quo nomine etiam piſces comprehenduntur Gen. 1. Eſtque eadem ſignificatio vocis Syriacæ. Porro hæc quæ Paulus enumerat, & horum ſimulacra pro dijs habita fuiſſe, & cultu publico ac ſacrificijs venerata ab ethnicis; nec ſolum à vulgo, verùm etiam ab ijs qui inter illos ſapientiæ profeſſione eminebant; ex antiquitatis hiſtoria tam profana quàm ſacra & eccleſiaſtica, facilè eſt docere. Nec refert, ſi fortè quidam eorum non ex animo, ſed errori populari ſeſe accommodantes, cultum his rebus adhibuerint: vt qui philoſophando iam didiciſſent non eſſe Deum niſi vnum. Tanto quippe maioris ingratitudinis rei, quod eum quem ipſius beneficio cognouiſſent vnum verum Deum, ſuis priuarint honoribus, gloriam & cultum propriè ei debitum aliò tranſferentes. Quod vel ipſum Platonem non modò feciſſe, ſed & docuiſſe conſtat. Nam in libris de legibus & de republica, dijs, dæmonibuſque & heroibus ſacra & cærimonias fieri iubet. Cuius doctrinæ Platonicæ etiam Auguſtinus meminit lib. 8. de ciuit. Dei cap. 12. Quin & Socrates cùm in iudicio periclitaretur, gallum Æſculapio pro ſalute ſacrificari inſſit. Quod à multis traditum eſt: & à Chryſoſtomo refertur in huius loci commentario. Vide etiam quæ ſuprà verſu 18. de Seneca, & vniuersè de philoſophis ex Auguſtino annotauimus. Sed ad textum apoſtoli preſſius examinandum redeo. Quod ait, *Et mutauerunt gloriam Dei in ſimilitudinem imaginis*, &c. alluſio eſt ad verſum pſ. 105. *Et mutauerũt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli.* Cui ſimile illud Ierem. 2. *Populus meus mutauit gloriam ſuam in idolum.* Quibus quidem locis *gloriam ſuam*, intellige gloriam populi, id eſt Deum ipſum, idque iuxta fontem Hebraicum: cùm alioqui in pſalmo apud LXX. legatur, *Et mutauerunt gloriam eius*, ſcilicet Dei: quomodo & hic dicitur, *gloriam Dei*: vt dubium non ſit quin ad eum pſalmi verſiculum, vt eſt in Græco, Paulus reſpexerit. Sed hæc relatiui diuerſitas in Hebræo & Græco, ſummam rei non mutat. Alterum enim ex altero ſequitur. Nam Iſraelitæ hoc ipſo quo gloriam ſuam, id eſt Deum

Philoſophi Dei gloriã ad creaturas tranſtulerunt.

ſuum

ſuum pro idolo commutarunt;ipſius Dei gloriam ad idolum tranſtulerunt. Dicebatur autem Deus gloria & decus illius populi, quia populus per illum glorioſus erat ac celebris: eoque derelicto ſemper fuit expoſitus ignominiæ. Iam & illud, *in ſimilitudinem imaginis*, &c. nonnullam obſcuritatem habet,tum quia Græcè eſt *in ſimilitudine*,tum quòd non appareat quæ dicatur ſimilitudo imaginis, cùm ipſa imago ſit alterius ſimilitudo. Sed dicendum rectè & ad mentem apoſtoli interpretem vertiſſe *in ſimilitudinem* caſu accuſatiuo: vt in Græco ἐν pro εἰς poſitum ſit. Scribit enim apoſtolus quod in pſalmo legerat ἐν ὁμοιώματι *in ſimilitudine*,pro quo ex Hebræo vertunt, *in formam,exemplar,ſimilitudinem*. Quod ſi obſeruaſſet Eraſmus, non ad alienum ſenſum apoſtoli verba detorſiſſet, vertendo *per imaginem*,&c. Debuiſſet enim & inferiùs vbi planè ſimilis eſt ſermo, ſic vertere: *Qui commutarũt veritatem eius per mendacium*; quod vidit ſibi non eſſe faciendum. Porro *ſimilitudo imaginis*, Hebraiſmus eſt pro imagine ſimili ſeu repræſentante, vt ſenſus ſit; Sapientes illos gloriam veri Dei tranſtuliſſe in creaturas,non quomodocumque, ſed in ſimulacra creaturas repræſentantia,vt homines,volucres,&c. Non ſolùm enim has creaturas, verùm, quod abſurdius eſt,earum idola ſeu ſimulacra lignea & ſaxea pro dijs coluerunt. Hic locus & alij innumeri qui ſunt in ſcripturis vtriuſque teſtamenti,palàm redarguunt Io.Caluini & ſequacium eius calumniam;qui vt inuidiam faciant imaginibus Chriſti & ſanctorum,quas eccleſia catholica habet in veneratione, dicũt gentilibus nunquam in mentem veniſſe vt inanimata ſimulacra Deos putarent ac diuinis honoribus afficerent. Nam ſi ita eſt, quomodo Paulus affirmat eos commutaſſe gloriam Dei in icones ſiue imagines hominum,volucrum, quadrupedum, ſerpentium? Et quid volunt prophetæ, Dauid, Iſaias, Ieremias & alij qui dementiſſimam illam gentilium ſtulticiam, ſeu verius inſaniam, toties traducunt atque irrident? idque verbis adeo claris & apertis, vt nihil clarius aut apertius dici queat. Sit igitur hoc ſecundum ſcripturas indubitatum; gentiles à veri Dei noticiâ alienos, varijſque cupiditatibus immerſos, iuſto Dei iudicio fuiſſe permiſſos in eam mentis cæcitatem cadere,quâ non ſolùm homines,de quibus præclarè ſentiebant, aut cæleſtia corpora, ſolem, lunam, aſtra, denique & beſtias rationis expertes, verùm etiam ipſa horum omnium ſimulacra, manibus humanis fabre facta, pro dijs haberent & colerent. Quanquam hac in re non omnium gentilium idem aut æquè grauis error fuit. Erant enim qui plus aliquid ſaperent ſuprà vulgus hominum. Vnde & triplicem gentilium quæ dicebatur theologiam diſtinguunt orthodoxi ſcriptores: ciuilem, quæ per pontifices celebrabatur in templis; fabularem, quam poëtæ repræſentabant in theatris; & naturalem, quam philoſophi tradebant in ſcholis. Quæ gentilis theologiæ genera,poſt Auguſtinum paſſim de his agentem in libris de ciuit.Dei, doctè explicat Thomas in huius loci commentario ſub finem ſeptimę lectionis,& in 2. 2. q. 94. art. 1.

Probatur cõtra Catuinũ gentiles coluiſſe ipſamet idola.

24 PROPTER QVOD TRADIDIT ILLOS DEVS IN DESIDERIA CORDIS EORVM, IN IMMVNDICIAM. *In deſideria cordis eorum.* Græcè ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν, *In deſideriis* ſeu *cupiditatibus cordiũ eorum*. Quod Eraſmus vertit *per cupiditates cordium ſuorum*. Addit enim apoſtolus diuerſa præpoſitione & caſu εἰς ἀκαθαρσίαν *in* vel *ad immunditiam*. Sed quia præpoſitionibus ἐν,εἰς,ἐπὶ, non propriè ſemper vtitur, ſed earum ſignificationem aliquando confundit,vt alibi videbimus;hinc alij meo iudicio rectiùs,& ad apoſtoli ſenſum accommodatiùs ita vertunt: *Tradidit illos Deus cupiditatibus cordium ſuorum ad immunditiam*. Oſtendit autem in quæ & quam turpia peccata fuerint prolapſi merito ſuæ ingratitudinis & idololatriæ memorati ſapientes. Rectè verò ex hoc ſcripturæ loco,& ex alijs ſimilibus docet Auguſtinus, alijque poſt eum Theologi, quædam ſic eſſe peccata, vt ſint etiam pœnæ peccatorum. Auguſtini loca ſunt lib.5.contra Iulianum cap. 3. & lib. de natura & gratia ca. 22. & alibi. Sed cùm omnis pœna peccati ſit à Deo,atque hîc etiam expreſsè dicatur Deus quoſdam tradidiſſe *in deſideria cordis eorum in immundiciam*, & vt paulo pòſt ſequitur, *in poſſeſſiones ignominiæ*, & *in reprobum ſenſum*: quæſtio eſt cur ex hac doctrinâ non ſit conſequens Deum eſſe peccatorum & flagitiorum,cuiuſmodi hic referuntur,authorem. Quod ex his atque alijs ſcripturis ſtatuere conati ſunt veteres ac noui hæretici, non ſine grandi iniuriâ ac blaſphemiâ in Deum. Nam & apoſtolorum tempore fuiſſe qui ex Pauli ſcriptis malè intellectis hunc errorem hauſiſſent, apparet ex epiſtola beati Iacobi, in quâ c. 1. tam ſtudioſè fideles aduerſus eum errorem munit, admonens ne peccatorum tentationes & incitamenta Deo aſſcribant, ſed ſuæ potius concupiſcentiæ; in Deum autem non niſi quæ bona ſunt referant: alioqui grauiter erraturos. Igitur vt ad Paulum reuertar, reſpondeo præſentem locum nihil iſtis patrocinari. Nam tradere hominẽ in aliquod malũ culpæ vel pœnæ (quæ phraſis eſt in ſcriptura frequens)non aliud eſt quàm hominem eiuſmodi malo exponere,videlicet deſerẽdo, non protegendo, non eripiendo: vel etiam occaſiones & offendicula ponendo: denique quomodolibet permittendo ac permittere volendo, vt in eiuſmodi malum incidat: ſiue is qui ſic traditur, aliquo præcedente peccato id commeruerit,ſiue non. Nam Deus filiũ ſuum innocentiſſimum in mortem tradidit, nec omninò fieri poteſt vt quis alterum occidat, niſi Deus eum tradat in manus illius, teſte Auguſtino quæſt. 79. in Exod. Et quod attinet ad traditionem in peccata,Eccleſiaſticus,vtique iuſtus, Deum ſic orat cap. 23. *Ex-*

Ex hoc loco malè concludũt hæretici, Deum eſſe peccati authorem

tollentiam

tollentiam oculorum meorum ne dederis mihi. Et iterum: *Animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me*. Imò omnium iustorum quotidiana oratio est. *Ne nos inducas in tentationem*, Quod quid est aliud, quàm, ne tradas nos in tentationem? Quare & hoc loco non putamus in vocabulo *tradidit* includi respectum aliquem ad meritum peccati præcedentis. Hoc enim seorsim significatur causali dictione præposita, *ropter quod propterea*. Et infra illis verbis: *Sicut non probauerunt Deum habere in noticiâ.* Quanquam fatemur, vbi scriptura sic loquitur, plerumque sermonem esse de traditione quæ fit ob culpam præcedentem. Ita Stephanus Act. 7. de filijs Israël, qui vitulum sibi ad cultum erexerant: *Et tradidit eos*, inquit, *seruire militiæ cæli*. vt nimirum peccatum sequens esset pœna prioris. Quod ergo dicit apostolus, tale est: Deum peccatis illis philosophorum supradictis offensum ita eos auxilio suo destituisse, & cupiditatibus ipsorum permisisse, vt in immunditiæ peccata ac fœdas libidines, de quibus in consequentibus plura, proni ac præcipites irent. Sensum locutionis probat orthodoxorum patrum Chrysostomi & aliorum interpretatio, qui traditionem hãc, sicut & illam inductionem, passim exponunt per hæc verba, finere, permittere, deserere, auxilium gratiæ subtrahere vel non impartire: interdum addentes etiam positiuam aliquam actionem, non respiciẽtem peccatum, sed res secundùm se bonas, quarum Deus author est, quæ tamen hominibus ad mala propensis esse solent occasiones & iritamenta peccandi. Quod etsi non adderent; per se tamen satis intelligitur. Nobis enim in quibus assiduè caro concupiscit aduersus spiritum, peccatorum occasiones ac tentationes etiam externę, nusquam non sunt obuiæ; Mũdus enim laqueorum plenus est. Quanquam alijs plures, alijs pauciores obijciuntur occasiones, Deo vel propter hominum merita, vel alias ob causas in ipso absconditas, ita disponente. Cur autem ad hunc modum loquatur scriptura, vt Deum dicat vel tradere homines in peccata, vel inducere in tentationem; ea ratio est, quia qui subducit auxilium malo superando vel euadẽdo necessarium, aut id non præstat cùm possit, tradidisse videtur & induxisse in malum. Et ita loqui solent homines de hominibus, quibus in culpam imputatur si periclitantibus opem aut non ferant, aut subtrahant. At verò Deus sensu iam explicato tradens homines in peccata, atque in tentationem inducens, neque culpandus est, quia nihil cuiquam debet, neque peccatorum author dicendus, quia non ipsa peccata operatur, sed ea bona quibus in malum suum homines abutuntur. Operatur etiam actiones maliciæ substratas, vt Theologi loquũtur: sed & illæ bonæ sunt, & de ijs hic non est sermo. Dices: Author est Deus omnis pœnæ: Si ergo quædam peccata sunt etiam pœnæ peccatorum, consequens est vt etiam peccatorum author sit. Respondeo, quemadmodum id non sequitur ex eo quod omnis actionis author est Deus, licet quædam actiones peccata sint; ita nec sequitur ex eo quod author est omnis pœnæ, licet quædam pœnæ sint peccata. Nam sicut omnis actionis author est, vt actio quædam est, non vt peccati deformitatem habet: ita author est omnis pœnę, quatenus iustæ punitionis habet rationem, non quatenus etiam peccatum esse contingit. Atque id est quod docet Augustinus lib. de prædest. sanct. ca. 10. *Etsi sunt*, inquit, *quædam quæ ita peccata sunt, vt pœnæ etiam sint peccatorum, vnde dictũ est, Tradidit illos Deus*, &c. *non ibi peccatum Dei est, sed iudicium*. Hæc enim verba significant, id circo peccata quædam esse pœnas peccatorum, quia præter maliciam culpæ, quæ non est à Deo, inuenitur in illis bonum iustæ vindictæ, quod haud dubiè à Deo est. Quomodo autem inueniatur, explicat sanctus Thomas in commentario: Et in vniuersum hac de re disputant scholastici doctores in 2. sent. dist. 36. Iam ex his intelligi potest, quo sensu B. Augustinus contra Iulianum scribens loco citato, reprehendat hæc illius hæretici verba: *Cum desiderijs suis traditi dicuntur, relicti per diuinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi*. Non enim sentit aut dicit homines per diuinam potentiam in peccata compelli: sed eatenus verba Iuliani reprehendit, quod ille in Deo homines suis desiderijs tradente solam agnosceret patiẽtiam derelinquentis, non etiam potentiã operãtis; cũ apostolus huius epist. c. 9. simul vtrumque posuerit, dicens: *Si volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patiẽtia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem.* Potentiam verò vult agnosci in eo quòd circa peccatores operatur quædam siue prospera siue aduersa, siue qualiacumque, quibus vt occasionibus aut offendiculis eos grauiùs ac turpiùs impingere contingat: non in eo quòd in peccata propriè compellat. Hũc enim modum tradendi disertè excludit & damnat alibi, quum dicit Deum tradidisse peccatores suis desiderijs, non cogendo sed deserendo, vt serm. 9 de diuersis cap. 9. & lib. de natura & gratia cap. 23. necnon l. 1. contra 2. epist. Pelag. cap. 18. vbi Iuliani verbis quibus dixerat: *Nec ex Dei potentia vel in malum vel in bonum inuitum aliquem cogi: sed propria voluntate aut bonum facere aut malum*, hæc sua verba opponit: *Nec ex Dei potentia vel in malum vel in bonum inuitum aliquem cogi: sed Deo deserente pro meritis ire in malum, & Deo adiuuante sine meritis conuerti ad bonum.* Scripsit autem hęc Augustinus post illa quæ ex libro 5. contra eundem Iulianum scripto proferebantur: vt proinde mentem suam de eo quod priùs scripserat, in his posterioribus explicare voluisse existimandus sit.

Quo sensu Deus tradat homines in desiderta cordis eorum.

Soluitur obiectio.

Augustini locus explicatur.

VT CONTVMELIIS AFFICIANT CORPORA SVA IN SEMETIPSIS. Pro *contumelijs afficiant*, in Græco vnum verbum compositum

est

est ἀτιμάζεσθαι, quod alibi vertit interpres *inhonorare* vel *exhonorare*, id est ignominia seu turpitudine afficere. Quod sequitur, *in semetipsis*, additum videri potest ad significandum expressiùs, quod eam contumeliam ipsi sibimet inferant, & à semetipsis patiantur: cùm alioqui soleant alij alios afficere contumelijs, & ab aliis eas pati. Sic infrà: *Mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes.* Græcè ἐν ἑαυτοῖς. Aliis tamen placet ἐν ἑαυτοῖς positum pro ἐν ἀλλήλοις, id est *inter se mutuo*, scilicet eo modo quem mox ipse apostolus apertioribus verbis exponit. Atque ita vertit Erasmus. Nec aliud sibi vult versio quædam vetus, *inter semetipsos*, quæ legitur apud S. Ambrosium lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 7. Sed & com. Amb. etsi legat *in semetipsis*, exponit tamen de iis qui corpora sua dehonestant inuicem. Sanè constat eam acceptionem pronominis illius reciproci Paulo non esse inusitatam. Sic Eph. 4. & Col. 3. *donantes inuicem.* Græcè ἑαυτοῖς. Porrò quamuis secundùm apostolum 1. Cor. 6. *Omnis qui fornicatur in corpus suum peccat*, ipsumque dehonestat & contumelia afficit, nimirum ob fœditatem libidinis quâ illud commaculat; maximè tamen & singulari quodam modo id faciunt, qui naturalem Veneris vsum præpostera libidine peruertunt. Fuit autem hæc congruens pœna peccato, vt qui Deum gloriâ debitâ defraudassent, ipsi è diuerso turpissimam in seipsis & à seipsis ignominiam paterentur.

25 QVI COMMVTAVERVNT VERITATEM DEI IN MENDACIVM. *Dei* Græcè *eius*. Causam repetit cur sic derelicti & traditi fuerint à Deo. *In mendacium.* Græcè *in mendacio*, quod & in Latinis quibusdam codicibus legitur. Sed idem significatur. Ita superiùs *in similitudinem*, quod Græcè erat, *in similitudine*. Rectiùs igitur hoc loco vertit Erasmus. *Qui commutarunt veritatem eius mendacio.* Sensus enim est: Quia veritatem Dei, id est ea quæ de Deo cognouerant, vt æternitatem, omnipotētiam, ipsamque omnino diuinitatem, transtulerunt ad idola, colentes ea pro diis, & attribuentes quæ diuina sunt. Mendacij nomine idolum hic & aliàs sæpè in scripturis appellatur, ideo quia idolum nihil minus est quàm id quod dicitur, scilicet Deus. Etenim hac ratione *idolum nihil est* 1. Cor. 8.

Mēdacium id est idolum.

ET COLVERVNT ET SERVIERVNT CREATVRÆ POTIVS QVAM CREATORI. *Coluerunt* Græcè ἐσεβάσθησαν, id est religiosè venerati sunt. Significatur enim ea veneratio quæ haberi solet rebus majestate præcellentibus. *Et seruierunt* seruitute seu cultu diuino; Græcè, ἐλάτρευσαν. *Creaturæ potius quàm creatori*, Græcè, *creaturæ præter eum qui creauit*, id est *creaturæ relicto creatore*, quemadmodum citat hunc locum Cyprianus lib. 3. testimon. ad Quirinum cap. 10. siue, *præterito creatore*, quomodo citat Hilarius lib. 12. de Trinit. Non enim significatur comparatio, quasi coluerint vtrūque, magis autem creaturam, sed quòd creaturam coluerint, non creatorem. Quidam sic exponit: præter creatorem, id est contra creatoris mentem ac legem. Sed is mentem apostoli non assequitur.

QVI EST BENEDICTVS IN SÆCVLA. *Benedictus* εὐλογητὸς nomen est nō participium. Erasmus laudandum interpretatur. Vocabulum est scripturis sacris peculiare, ductum à verbo εὐλογεῖν, id est laudare cū gratiarum actione, atque, vt Tacitus loquitur, laudibus gratiisque venerari. Quod vno itidem verbo Latino Græcum exprimentes dicimus, benedicere: licet hac significatione priscis Romanis ignoto. Nam illis benedicere erat bene precari, vt videbimus infrà ad illud cap. 12. *Benedicite persequentibus vos.* Igitur sensus est: Qui tanquam Deus omnium rerum creator, & omnium nobis bonorum author, iure laudandus & prædicādus est per omnia sæcula, id est omni tempore. Nam sæculum, Græcè αἰών, significat longum tempus, quale est centum annorum. Et sæcula αἰῶνες plurali numero, vniuersum tempus atque ipsam æternitatem in scripturis significare solent, præsertim addito genitiuo *sæculorum*, qui in fine huius epistolæ, & alibi sæpe additur ad expressiorem æternitatis significationem.

AMEN. Vox est Hebræa, passim omnibus nota, & à Christo Domino frequentata: quam Paulus sexies posuit in hac epistola. Adhibetur autem ad confirmationem & approbationem eius quod dicitur: ac idem valet quod aduerbium *verè*, aut verbum *fiat*, *verum sit ac firmum.* Vtitur eo Christus in euangeliis (apud Ioannem semper geminato) tanquam aduerbio assueuerandi: idque initio sententiarum quas vult confirmare, dicendo: *Amen*, id est verè *dico vobis*. Et quidem hoc ei peculiare fuisse videtur. Nam alibi in scriptura vtriusq; testamenti vsurpatur pro clausula sermonis antecedentis, quâ cum optatione quod dictum est approbatur. Vnde est illud de non intelligente 1. Cor. 14. *Quomodo dicet Amen super tuam benedictionem?* Ita accipitur hoc loco. Nam sensus est: Vt verè laudandus est in omnem æternitatem; ita fiat, in æternum laudetur. Hanc eius vocis significationem reddiderunt LXX. interpr. Græco verbo γένοιτο, id est *fiat*. Quod geminatum legitur in fine psalmorum 40. 71. 88. & 105. Idipsum Aquila, Symmachus & Theodotio *fideliter*, siue *verè* interpretati sunt, teste Hieronymo in fine cōment. epistolæ ad Galatas. Interdum quoque epitheton est Christi filij Dei, vt Apoc. 3. *Hæc dicit Amen, testis fidelis & verus.* Græcè ὁ Ἀμήν, *ille Amen.* ac si dicat: Hæc dicit ipsa veritas.

Quid significet Amen.

26 PROPTEREA TRADIDIT ILLOS DEVS IN PASSIONES IGNOMINIÆ. Repetit & pluribus declarat in quæ dedecorosa flagitia prolapsi sint supradicti sapientes in punitionem peccati, quo seruierunt creaturæ potius quā creatori. *Passiones*, Græcè πάθη, quas alij *cupiditates*, alij *affectus* vertere maluerunt. Nam passiones hac quidem significatione Valla negat

probè

Bene vertit interpres passiones.

probè dici: Sed & Erasmus auersatur velut nouum & ficticium vocabulum. Atqui tempore B. Augustini non erat nouum. Vtitur enim ipse, authorem citans Apuleium, lib. 9. de ciu. Dei cap. 4. Atque eo libentiùs vtitur, quod & Græcam vocem, & rem ipsam magis exprimat: etsi non ignoraret quosdam, vt Ciceronem perturbationes, alios, vt Quintilianum affectus vocare ea quæ Græcis πάθη dicuntur. Vsurpat autem & Hieronymus non solùm passionis, sed & propassionis vocabula in comment. Matth. cap. 5 & 26. Nec enim inueniebat alia Latina aptiora, quibus Græca πάθος & προπάθειαν commutaret. Vnde est & illud eiusdem in diaconum: *Quid patitur mensarum & viduarum minister?* epistola 85 ad Euagrium. Sanè in hoc loco apostoli nihil significantius nomine passionis. Qui enim illa turpia agunt, adeò se totos illis dedunt atque immergunt, vt pati magis quàm agere videantur. Has autem vocat passiones ignominiæ, id est passiones ignominiosas ac pudendas. Hebræis enim familiare est substantiuum gignendi casu ponere loco epitheti.

NAM FOEMINÆ EORVM IMMVTAVERVNT NATVRALEM VSVM IN EVM VSVM QVI EST CONTRA NATVRAM. Græcè, *præter naturam.* Sed id tantundem valet, sicut & infrà cap. 16, *præter doctrinam quam didicistis,* id est contra eam doctrinam. De qua significatione Græcæ præpositionis παρά, pleniùs acturi sumus ad illud Gal. 1. *præterquam quod euangelizauimus vobis,* &, *præter id quod accepistis.* Naturalis vsus corporum de quo agit apostolus, est ea coniunctio ad quam natura inclinat, & ex qua nata est sequi generatio. Hæc autem non est nisi maris & fœminæ, eaque membris ad hoc à natura deputatis. Omnis igitur vsus illorum membrorum ad Venerem ab hoc diuersus, contra naturam est, non solùm quâ homines, sed etiam quâ animalia sumus. Quocirca genus hoc libidinis plusquam bestiale est. Quæres cur fœminei sexus hic meminerit, cùm de philosophis ageret? Idcirco, ni fallor, vt ostendat punitionem & exempla virorum redundasse etiam in fœminas. Id enim insinuat Græca lectio: *Nam & fœminæ eorum,* &c. quasi dicat, culpâ virorum etiam ad fœminas turpitudinē manasse: quod in Sappho poëtriâ notatur: tametsi mox redit ad viros.

27 SIMILITER AVTEM ET MASCVLI, RELICTO NATVRALI VSV FOEMINÆ. Græcè ὁμοίως τε, *similiterq;.* Interpres pro τε, legit δὲ. Sed ad sensum nihil pene facit ea varietas. Suntq; codices qui neutrum habeant.

EXARSERVNT IN DESIDERIIS SVIS IN INVICEM. Græcè non est, *in desideriis suis,* sed, ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν, *in appetentia sui ipsorum,* id est mutua, quod explicatur parte subiuncta *in inuicem,* siue alius in alium. Et amplius per id quod sequitur.

MASCVLI IN MASCVLOS TVRPITVDINEM OPERANTES. Græcè κατεργαζόμενοι, quod non simpliciter est, *operantes,* sed studiosè & impensè operantes, vt Græci interpretantur. Erasmus vertit, *fœditatem perpetrantes.* Porro videri cuipiam posset apostolum hac parte, *Similiter autem,* &c. non speciatim loqui de philosophis, sed in genere de sexu masculino, qui in illa cœca gentilitate erat hoc infandæ libidinis vicio vehementer corruptus. Putant etiam nonnulli Paulum hic & in versu præcedente respicere ad obscœnitatem sacrorum gentilium, velut Liberi patris & Cybeles, in quibus, vt referunt historici, turpia quædam & nefanda sub velamine mysteriorum agebantur. Verùm vt etiam hic locus de philosophis intelligatur, postulat series disputationis: nec ad diuersos referri permittit hoc quod deinceps sequitur de mercede reddita illis *qui non probauerunt Deum habere in noticiâ:* Nisi fortè quis indignum putet de philosophis, præsertim iis quorum sanctior erat professio, tam fœda suspicari. Sed non putabit, qui fidem habeat antiquis & fide dignis authoribus. Etenim Socratem illum inter philosophos laudatissimum, huius criminis, id est obscœni adolescentum amoris reum faciunt non solùm nostri, vt Tertullian⁹ in apologet. aduersus gentes cap. 46. & lib. de anima cap. 1. Gregorius quoque Nazianzenus oratione 1. aduersus Iulianum, & in carmine de virtute: verùm etiam Athenæus scriptor ethnicus lib. 13. dipnosophistarum: vt taceam Lucianum, qui Socratem hoc nomine sæpe insectatur: præcipuè & apertissimè in dialogo, cui titulus *Amores.* Et quidem Athenæus etiam Aristotelem atque Zenonem cum sua Stoicorum familia, turpitudinis huius insimulat. Nec Zenoni hac in re pepercit Diogenes Laërtius, ersi ipse quoque philosophus: imò nec Platoni, quamuis tam sublimiter erudito, vt diuinus agnominaretur: tametsi Platonem ipsi sui dialogi, vt ab eo conscripti sunt, satis suspectum faciunt. De quo præterea refert Theodoritus in libro de legibus, qui est de Græcanicarum affectionum curatione nonus, eum inter alia multa turpia & absurda quæ legibus statuit, etiam istam puerorum quam vocant ἐρωτικὴν, vsque adeò laudasse, vt huic amori præmium apud cælites promitteret. Atque hic scilicet ille diuinus est Plato; tot tantisque suorum encomiis celebratus. Addo quod de Lycurgo commemorat eodem libro Theodoritus: & quod de Solone Chrysostomus in commentario; nempe eos lata lege Venerem huiusmodi suis populis permisisse: nisi quod seruos ab hoc beneficio Solon excluso voluit. Qui duo quanquam non philosophi professione fuere, sed legislatores officio: leges tamen eorum philosophi laudauerunt: quorum itidem multos libros hocce morbo refertos inueniri, testatur idem Chrysostomus; Denique quos in vniuersum accusat hoc crimine Lucianus. Pudet hæc attingere: sed tamen necesse fuit propter aliquam huius loci, quem exponimus, illustrationem.

Hæc obscœnitas de philosophis etiā intelligenda.

ET MERCEDEM QVAM OPORTVIT ERRO-

RIS

RIS SVI IN SEMETIPSIS RECIPIENTES. Id eſt, retributionem errori & peccato ſuo condignam & congruentem velut quâdam talionis lege in ſuis ipſorum corporibus recipientes. Congruentiã huius pœnæ iam ſuperiùs explicauimus. Eã tamen paulò aliter explicat Chryſoſt. ſcribens in pſ. 124, *quia*, inquit, *ſicut cõmutauerunt verttatem Dei in mendaciũ, ita traditi ſunt vt naturalem vſum commutarent in eum qui eſt contra naturam.* Pro mercede, Græcè eſt dictio compoſita ἀντιμισθία, q.d. compenſationem, id eſt mercedem meritis reſpondẽtem. Hic ergo iam manifeſtiùs ſignificat apoſtolus huiuſmodi peccata fuiſſe præcedentium peccatorum pœnas. Dicit, *erroris ſui*, quia licèt Deum verè cognouiſſent, in eo tamen errabant grauiſſimè, quod honores diuinos putarent vel ſaltem per ſimulationem exhibendos eſſe creaturis & earum ſimulacris.

Quædam peccata pœna præcedẽtium peccatorũ

28 ET SICVT NON PROBAVERVNT DEVM HABERE IN NOTICIA, TRADIDIT ILLOS DEVS IN REPROBVM SENSVM. Græcè *in reprobã mẽtem*, quomodo citat Aug. li. de prædeſt. ſanct. c. 10 & alibi. Notanda antitheſis cũ alluſione vocũ inter *probauerunt* & *reprobũ*, quæ magis apparet in vocabulis Græcis ἐδοκίμασαν & ἀδόκιμον. Senſus: Et ſicut non probauerunt neque æſtimauerunt beneficiũ à Deo acceptũ, quod erat *Deũ habere in noticia*, id eſt Deum cognouiſſe: ſed magis illud ingratorũ hominũ more parui pẽdere viſi ſunt, quia cũ Deũ noſſent, nõ eũ vt dignus erat honorarunt: ita viciſſim in pœnam tãtæ ingratitudinis tradidit illos Deus in reprobã mẽtẽ, id eſt, permiſit eos ſibimetipſis: Quo factũ vt mentem induerint iudicij prorſus deprauati, quam proinde nemo probet, ſed omnes vt vilem & improbam conténant.

VT FACIANT EA QVÆ NON CONVENIVNT. Euentus ſignificatur, non cauſa finalis. Nã ſenſus eſt: ita vt faciant ea quæ facere nõ cõuenit, id eſt ea quæ maximè homines dedecẽt, vtpote res turpiſſimas. Figura eſt ſcripturis frequẽs, quâ minus dicitur, plus intelligitur: vt Nehem. 5. *Non eſt bonares quã facitis*, id eſt valde mala.

29 REPLETOS OMNI INIQVITATE. Ne putes vni vicio ignominioſę ac nefarię libidinis fuiſſe obnoxios; oſtẽdit apoſtolus in vniuerſũ eos moribus fuiſſe corruptiſſimis, idq; cõgerie viciorũ, quæ hic deinceps enumerat. In quibus ordinẽ quærere, quod quidã faciunt, arbitror eſſe ſuperuacaneũ. Pro *repletos*, verti etiã poteſt *repleti*, idq; fortaſſe rectiùs, vt bene monet Eraſmus. Referendũ enim potius ad verbũ *faciant*, quã ad *tradidit*. Nã priùs erat tradi, quàm his viciis repleri. Idẽ iudiciũ de cæteris accuſatiuis in hac viciorũ enumeratione ſequentibus, vt *plenos inuidiâ, contumelioſos, ſuperbos*, &c. Pro *iniquitate*, Græcè eſt ἀδικία iniuſticia. Hãc primo loco ponit vt vicium generale, iuſticiæ item generali oppoſitum: cuius deinde varias ſpecies ſubijcit. Quanquã nihil vetat iniuſticiã ſpeciali iuſticiæ oppoſitã intelligi, quâ trãquillitas reipublicę plurimũ lędi tur, & quę Græco nomine propriiſſimè ſignificatur. Dicit autem repletos omni iniuſticia, id eſt omni genere iniuſticiæ. Nam & ſpecialis iniuſticia per varias ſpecies diffunditur.

MALICIA. Id eſt nocẽdi ſtudio, quod diabolicũ eſt viciũ, Græcè πονηρία. Vnde diabolus per antonomaſiam *malus*, Græcè πονηρὸς, paſſim in ſcripturâ noui teſtamenti vocatur.

FORNICATIONE. Quo nomine comprehenditur omnis illicitus cõcubitus viri cũ fœmina. Notãdum hæc duo *malicia* & *fornicatione* in textu Græco & Syriaco legi ordine commutato. Sed id potuit accidiſſe ex ſimilitudine Græcarum vocum πορνεία, πονηρία.

AVARICIA. Græcè πλεονεξία. Quâ voce ſignificatur ſtudium plus quã ſibi competat habendi, vſurpandi, occupandi, quaſi dicas plurishabentiam: Nec id ſolũ in diuitiis, ſed etiã in honoribus, aliiſq; rebus. Nam & ad libidines transfertur interdum, vt Eph. 4. Quomodo etiam hoc loco accipi poteſt non ineptè.

NEQVICIA. Græca dictio κακία ferè idem ſignificat quod ea quam paulò ante maliciam vertit interpres. Aptè tamẽ diſtinguitur, quod πονηρία verſutiam, id eſt fallax nocendi ſtudium, κακία peruerſitatem animi propriè ſignificare videntur.

PLENOS INVIDIA, HOMICIDIO. Vt ſimilis ſoni ſunt voces in Græco φθόνε, φόνε, ita vicia cognata, quorum alterũ oritur ex altero: iuxta illud Sap. 2. *Inuidiâ diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Et 1. Ioannis 3. *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*: ſcilicet aut re aut voluntate. Quare & hic ſub homicidio voluntatem occidendi comprehende. Nam hi de quibus apoſtolus loquitur, vt inuidiâ pleni erant, ita voluntate erant homicidæ; cæterùm ab opere perpetrando legibus deterriti.

CONTENTIONE, DOLO. Hæc quoque vicia cum inuidia & homicidio generis ſunt eiuſdem. Contentio eſt cùm quis certat ſtudio vincendi, non amore veritatis. Dolus machinatio eſt ad fallendum.

MALIGNITATE, ſcilicet eâ quæ in moribus apparet. Id enim ſignificat vox Græca κακοηθεία, quam poſſis moroſitatem, ſeu morum aſperitatem ac difficultatem dicere.

30 SVSVRRONES, DETRACTORES. Significantur ij qui proximos occultè mordent, illi vt ſoluant amicitiam, iſti vt lacerent famam. Vicia linguæ plus ſatis nota, ac nimium frequentia.

DEO ODIBILES. Hanc partem gloſſa quædam annectit parti præcedenti, tanquam ſentiat apoſtolus detractores eſſe Deo odibiles. Sed melius ſeorſim legitur, vt cætera vicia hic enumerata. Græcè vna dictio eſt θεοστυγεῖς: quæ tam ſignificat eos quibus Deus exoſus eſt, quàm qui exoſi Deo. Prior ſignificatio magis quadrat huic loco. Referuntur enim vicia hominum, non Dei erga homines affectus. Vnde Cyprianus epiſt. 68 legit *abhorrẽtes Deo*, id eſt, quibus Deus eſt horrori, nimirum propter iuſticiam quâ vindicat in malos.

Itaq; parit hoc vicīū ſcelerata cōſcientia. Reddunt hunc ſenſum etiam Græcorū ſcholia. At Theophylactus vtrūq; ſensū nudè propoſuit.

CONTVMELIOSOS. Græcè ὑβριςὰς: quâ voce ferè ſignificatur contumelia facti, vt eſt hominum ferocium, qui alios per vim opprimunt. Cyprianus legit *iniurioſos*.

SVPERBOS. Non ſolū in eo ſuperbos quòd Deū cognitum non ſicut Deū glorificauerunt aut gratias egerūt, ſed ſe ſapiētes eſſe dixerunt; quod eorum peccatum ſuprà cōmemoratum fuit ab apoſtolo: verūetiam quod ſapiētiæ nomine ſeſe cæteris hominibus prę ferentes, eam animi ſuperbiā externo faſtu morū oſtēderēt: adeò vt de hoc vicio etiam apud vulgus malè audirent. Atq; iſtud hoc loco propriè ſignificatū videtur. Eodēq; pertinet quod ſequitur.

ELATOS. Græcè ἀλαζόνας, pro quo Cyprianus legit *iactātes ſui*. Latini vocāt glorioſos, qualis ille miles apud Terēt. *Elatos & ſuperbos* habes etiā 2 Tim. 3. poſitos in ſerie magnorū viciorū.

INVENTORES MALORVM. Id eſt, qui non cōtenti viciis, flagitiis, aliiſue exceſſibus, quos alij iam antè inuenerunt, etiam ipſi noua luxus ac libidinum genera modoſq; excogitant. Poteſt etiam intelligi de malis, id eſt nocumentis ac nocendi inſtrumentis quibus alij læduntur.

PARENTIBVS NON OBEDIENTES. Græcè ἀπειθεῖς, inobedientes, immorigeri, refractarij, qui monitis nolunt acquieſcere. Græca vox ſonat, ac ſi dicas impersuaſibiles, quâ paſſim in ſcriptura ſignificātur increduli. Sed hic propter adiunctū datiuū *parētibus* obediētiæ opponitur. Addidit hāc partē apoſtolus, quâ doceat illorū maliciā eo progreſſam, vt aduerſus ipsā naturā pugnarēt, non ſolū in turpitudine voluptatū, quod iam dictum eſt: verūetiam in detrectādo honore & obſequio parētibus debito. Sed & hoc vicium poſuit 2 Tim. 3 inter ea quibus tempora redduntur periculoſa.

31 INSIPIENTES. Vox Græca quā & antè habuimus, vbi nominauit *inſipiens cor eorū*, ſignificat intelligētia deſtitutos, id eſt nō recto rationis iudicio vtentes. In quod vicium ferè incidunt qui venerunt in conſuetudinem peccandi.

INCOMPOSITOS. Hoc eſt, inquit Theophylactus, in fœdere non permanētes, fœdifragos. Cōpoſitionem ergo eā intelligit quæ eſt in pactis & cōuentis. Atq; id ſecutus Eraſmus vertit *pactorū haudquaquam tenaces*: Sed quia mox ſequitur *abſque fœdere*, poſſunt hic accipi qui moribus ſunt inurbanis & incompoſitis, & ab humanitate alienis. Nam & illud vox Græca ſignificat. Eſtq; etiam hic in Græco obſeruāda grata vocum alluſio huius & præcedentis, ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους: qua nimirum innuere voluit viciorum affinitatem. Nam ſtulticia mentis ſtatim in mores redundat.

SINE AFFECTIONE, ABSQVE FOEDERE, SINE MISERICORDIA. In Græco ſunt ſingula nomina. ἀστόργους, ἀσπόνδους, ἀνελεήμονας, quorum duo priora coniunxit etiam 2 Tim. 3. Et quidem ἄστοργοι Græcis dicuntur, qui nullo tangūtur pietatis aut charitatis affectu, qualis etiam naturaliter eſſe ſolet inter parentes & liberos, atque alios ſanguine vel ſimili neceſſitudine conſtrictos. Ἄσπονδοι dicuntur qui fidem & fœdera nō ſeruāt. Quanquā etiā intelligi poſſunt implacabiles, qui ſemel offenſi recōciliationē non admittūt. Nā & hi Græca voce ſignificantur. Vtraque certè ſignificatio præſenti loco bene quadrat. Ἀνελεήμονες, id eſt *immiſericordes, immites*: qui non cōmouentur alienis miſeriis, ſiue vt eas benignè ſubleuent, ſiue ne eas iniuſtè vel crudeliter inferāt. Quidā ſuſpicantur apoſtolū hæc duo, *ſine affectione & ſine miſericordia* (quæ vicia ſunt admodum inter ſe cognata) huc aſſcripſiſſe propter Stoicos philoſophos qui ἀπάθειαν docuerūt, id eſt paſſionū ſiue affectionū vacuitatē: neſciētes virū bonū paſſionib⁹ vti debere vt ſtimulis ad opera virtutū. Quâ de re Aug. cōſule l. 14 de ciu. Dei c. 9.

32 QVI CVM IVSTICIAM DEI COGNOVISSENT, NON INTELLEXERVNT, QVONIAM QVI TALIA AGVNT DIGNI SVNT MORTE; ET NON SOLVM QVI EA FACIVNT, SED ETIAM QVI CONSENTIVNT FACIENTIBVS. Sic codices Romanę correctionis: tametſi pleriq; alij ſine cōiunctione legunt: *Digni ſunt morte, non ſolum qui ea faciunt, ſed etiā* &c. Cæterùm à Latinis tā Græca quā Syriaca non parum diſcrepāt. Sic enim habēt: *Qui cū iuſticiā Dei cognouiſſent, quia qui talia agunt digni ſunt morte, nō ſolū ea faciunt, ſed etiam conſentiunt facientibus.* *Græca & Syriaca lectio potior Latina.* *Iuſticiā* Græcè δικάιωμα *iuſtificationē*. Sed ſæpe pro iuſticia ponitur. In hūc autē modum Græcos omnes interpretes olim legiſſe, quamuis apud nonnullos textus irrepſerit vulgatæ verſionis Latinæ (quod dico potiſſimum propter Origenē) patet ex eorum commentariis. Oecumenius ita vtriuſq; meminit lectionis, vt eā quę Latinorū eſt codicū, ex profeſſo refellat. Caietan⁹ affirmat in Latinis literā eſſe corruptā. Sanè cōſtat etiā Latinos quoſdam olim legiſſe prorſus aut propemodū quomodo Græci. Nā Cyprianus loco ſuperiùs citato, iuxtā fidē multorum exēplarium mss. ſic verba apoſtoli recitat. *Qui cū iuſticiā Dei cognouiſſēt, non tantū faciūt mala, ſed & cōſentiūt eis qui hæc agūt*: ac deinde ſubiūgit: *quoniā qui talia, inquit, agunt digni ſunt morte.* Quæ lectio Græcis cōſonat, eo ſolum excepto quod ordinē ſentētiæ paulùm immutet, verba quædam è medio ſublata collocans in fine. Auguſtinus quoque in expoſitione quarundā propoſ. huius epiſt. iuxta codices antiquiores ita legit: *Non ſolū ea faciunt, ſed etiā conſentiunt facientibus.* Atq; eā lectionē ſubiūcta eius expoſitio cōfirmat. Itē Symmachus Papa locū hūc aduerſus Anaſtaſium imperatorem profert, vt doceat graui⁹ eſſe cōſentire quā facere. Quod ex hoc loco nequaquā habetur, niſi legamus vt Græci. Secundū hos igitur planus eſt ſenſus huiuſmodi: Qui philoſophi & ſapiētes cū prę ter alia quæ de Deo didicerunt, etiā iuſticiam Dei cognouiſſent, ſecundum quā digni ſunt morte qui talia, quæ iam cōmemorata, agunt; nō ſolum tamē ipſi ea faciunt, quod in multis ignorātiæ aut infirmitati poterat imputari; ve

rum

rũ etiam cõsentiunt aliis talia facientibus, id est ea in aliis suo cõsensu, adulatione & authoritate fouẽt. Hoc enim absq; dubio maioris erat maliciæ, quàm si ipsi solũ talia perpetrassent. Nam is qui facit, semel peccat: qui facientibus consentit, bis peccat, in se, & in alio, cuius peccatũ consentiendo, vel etiã fouendo facit suũ: eoq; magis si illũ auertere debebat à peccato. Quod sanè eorũ erat qui se sapiẽtes in populo profitebantur. Sensus Latinę lectionis est: philosophos etsi iusticiã Dei cognouissent, malicia tamen sua excœcatos non eã ante oculos habuisse, nec cõsiderasse, quod exigẽte Dei iusticia morte digni sunt qui talia faciũt: nec solũ qui talia faciũt, sed & qui cõsentiunt facientibus: etiãsi fortè per se ipsi quædam talia nec faciant, nec facere vellẽt. Notãdum autẽ lectionem Latinam à Græca nõ differre mutatione aliqua verborũ, sed tantum additione. Hæc enim amplius habet, *nõ intellexerũt*, & *qui* duobus locis, & in Romanis voculam *&*. Equidẽ addita putarim vel ab interprete, vel potius ab alio vel aliis postea; quòd alio qui sentẽtia videretur absurditatem cõtinere: cum vulgi iudicio grauiùs peccent qui faciunt, quàm qui cõsentiunt. Quam rationem lectionis à nonnullis etiam Græcis immutatæ, suis in scholiis adfert Oecumenius. Porro philosophos qui Deũ cognouerunt, etiã iusticiam Dei cognouisse, quâ scelera non dimittit impunita; liquet ex eorum scriptis, nominatim Platonis, qui in dialogo 9 & 12 de legibus, affirmat impios maxima suorum scelerum post mortem supplicia manere.

SVMMARIVM.

IVdæos ethnicorum reprehensores ostendit inexcusabiles, ac Dei iudicio reddentis vnicuique secundum opera condemnãdos, quod legem à Deo acceptam, in qua gloriabantur, non seruarent: cùm è diuerso gentiles non accepta lege, facerent tamen ea quæ legis sunt.

CAPVT SECVNDVM.

1 PROPTER QVOD INEXCVSABILIS ES, Ô HOMO, OMNIS QVI IVDICAS. Hactenus gentilium peccata & vicia detexit apostolus: Nunc quadã insinuatione ac tacito nomine trãsit ad reprehensionẽ Iudęorũ, qui gẽtiles tot viciis cõtaminatos despiciebãt vt immundos, ac Dei beneficiis iudicabant indignos. Idq; significatur statim initio capitis. Nã qui referũt hunc locũ ad principes & magistratus publica iudicia exercẽtes, (quæ Græcorum est expositio) nõ satis attendisse videntur ad scopũ apostoli. Vult enim ostẽdere omnes sub peccato esse. Quod cũ de gẽtilibus iã docuerit, nunc de Iudæis, qui se iudices gentiliũ faciebãt, idipsum prosequitur, vti sequẽtia declarabunt. Estq; hęc Aug. sententia l. de spir. & lit. c. 26. Et in expositione quarundã propositionũ huius epist. Ex quibus etiam liquet nõ de publicis iudiciis hic sermonem esse, sed de priuatis: deinde nec eos apostoli mẽtẽ assecutos, qui hæc verba cõnectunt cũ extremis cap. præcedentis, tanquã ad eosdẽ vtraq; pertinerent, quũ sint admodũ diuersi. Nã hic introducuntur qui illos dãnabant. Vbi & illud animaduerte; quomodo superiùs philosophos qui gentiliũ erant prȩcipui, inexcusabiles ostẽdit apostolus; ita nunc docere Iudæorũ præcipuos, id est legisperitos ac magistros, nihilo magis apud Deũ excusabiles inueniri. Cohæret autẽ istud initium cum superioribus hoc modo. Quãuis tot & tanta sint peccata gentilium, tu tamen etiã ô Iudæe, qui illos contemnere & tuo iudicio condemnare soles; inexcusabilis es, nec vllam prætexere potes peccatis tuis ignorantiam. Ratio sequitur.

IN QVO ENIM IVDICAS ALTERVM, TEIPSVM CONDEMNAS. *In quo* ἐν ᾧ, Græcismus est pro eo quod Latinè diceretur, hoc ipso quod.

EADEM ENIM AGIS QVÆ IVDICAS. Græci codices habẽt ὁ κρίνων *qui iudicas*, scilicet alios. Quæ lectio in nõnullis etiã Latinis reperitur. Annuit & Syriaca trãslatio. Sẽsus apostoli est: Nã eo ipso quò aliũ iudicas peccatorẽ & morte dignũ, cõsequẽter etiã te condẽnas: Eadem enim quæ iudicas in aliis, (siue, tu qui iudicas alios) ipse agis vel opere, vel volũtate saltẽ ac desiderio. Quod enim à quibusdã abstines, id facis timore pœnæ quã lex minatur, aut amore laudis humanæ, nõ autẽ amore iusticiæ. Liquet apostolo eadẽ esse iudicare & cõdẽnare, cũ alterum per alterum exponat: sicut & apud Lucã c. 6 dicente Domino: *Nolite iudicare*, &: *Nolite condẽnare*. Itaq; iudicium condẽnationis significatur, vt alibi sæpissimè in scripturis. Quanquã quod ait *condẽnas*, intelligi debet nõ verbo sed facto, &, vt dictũ est, ex consequẽti: quatenus eadem agis quæ iudicas. Eodẽ recidit Aquinatis expositio; *teipsum condẽnas*, id est condẽnabilẽ ostendis. Ex data iã explicatione perspicitur illud *propter quod* Græcè διὸ, id est *igitur, proinde*, significare quidem illationem quandã ex superioribus, sed ita, vt supplẽda sit probatio ex verbis subsequẽtibus: *in quo enim iudicas*, &c. Quæ res cõsiderata submouet obscuritatem, ob quam nonnulli laborãt in connectẽdo huius capituli initio cũ prȩcedẽtibus.

Iudæos arguit hoc capite, nõ publicos iudices.

2 SCIMVS ENIM QVONIAM IVDICIVM DEI EST SECVNDVM VERITATEM IN EOS QVI TALIA AGVNT. *Enim*, Grȩcè *autem*; quẽadmodum & legit Amb. comm. Sensus: Scimus nos Iudæi ex lege nobis à Deo tradita, certiùs quã gentiles qui legem non acceperunt, iudicium à Deo exercẽdum secundum veritatem, id est iustè & secundũ merita operũ, absq; respectu personarum, aduersus eos qui talia agunt, cuiusmodi suprà de gẽtilibus cõmemorata sunt.

3 EXISTIMAS AVTEM HOC, Ô HOMO, QVI IVDICAS EOS QVI TALIA AGVNT, ET FACIS EA; QVIA TV EFFVGIES IVDICIVM DEI: Ac si dicat: Vehementer falleris ô Iudæe, si existimes aut speres te euasurum iustum Dei aduersus te iudicium, qui alios peccantes tãquam aut doctor aut peritus legis iudicas, cũ ipse eadem facias. Imò sic iudicando grauius

tibi ipſi iudicium accerſis. Oſtendis enim te nõ ex ignorantia peccare, ſicut pleriq; gentiliũ, ſed ſcientẽ prudentẽq́ue præuaricari legẽ. Continet autẽ hæc pars cum ſuperiori ſyllogiſmum, argumẽto à minori ſubſtructũ, huiuſmodi: Iudicium Dei certiſſimè futurũ eſt aduerſus omnes qui talia faciũt. At tu talia facis, non quomodocumq;, ſed ſciens ea eſſe peccata; quippe qui etiã alios facientes iudicas: ergo tu nullo modo effugies Dei iudicium, ſed etiã grauiùs cæteris puniẽris. Subindicatur & hoc argumentum: Tu tibi vẽdicas iudiciũ in alios peccantes; iuſtum igitur eſt & te ſi peccaueris, à Deo iudicari; præſertim cùm tu falli poſſis, nec illud tui ſit officij, alios iudicare: Deus autem infallibilis & incorruptibilis ſit omnium iudex. Obiter nota, ſicut hic in Græco ſynonyma ſunt πρᾶσσειν καὶ ποιεῖν; ita & Latina, agere & facere.

4 AN DIVITIAS BONITATIS EIVS ET PATIENTIÆ ET LONGANIMITATIS CONTEMNIS? Pergit in obiurgando Iudæo, hinc allegãs Dei bonitatẽ quâ abutebatur; inde ſeueritatẽ proponens iudicij diuini, quod metuere debeat. In hac parte duplex Hebraiſmus eſt: alter in vocabulo *diuitias*, quo ſignificatur abundãtia & magnitudo: alter in phraſi qua dicit *diuitias bonitatis & patiẽtiæ & longanimitatis*, pro diuite ſiue abũdanti bonitate, patiẽtia & lõganimitate. Vox Græca χρηστότης, quã interpres bonitatẽ, & mox benignitatẽ vertit, Syrus dulcedinẽ vocat, propriè ſignificat ea virtutẽ, quâ quis vt definiunt philoſophi, libenter ac ſpõte aliorum vtilitatibus expoſitus eſt. Nam ab vtilitate nomen habet. Patiẽtia Dei in eo eſt quod malos tolerat, Græcè ἀνοχή; tametſi metaphoricè Deo tributa. Lõganimitas in eo quod pœnã in lõgum tẽpus differt. Addit enim aliquid ad patientiam. Hęc autem contẽnere videtur, qui iis ad ſpem impunitatis, & maioré peccandi licentiam abutitur. Itaq; ſenſus eſt: An ô Iudęe, ex magna & ſuperabundanti benignitate & lõganimi patientia Dei, ſecuritatẽ & impunitatem tibi promittẽs permanes in peccatis?

IGNORAS QVONIAM BENIGNITAS DEI AD POENITENTIAM TE ADDVCIT? *Ignoras*, Græcè ἀγνοῶν *ignorans*. Et ita vertiſſe noſtrum interpretem docent codices mss. probatiores, aſtipulante etiam Cypriano in libr. de patientia, & li. 3 teſtim. ad Quirin. c. 35. Deniq; & Amb. commentatore: Tametſi ea varietas nõ tam in ſenſu verborum eſt, quàm in pronunciatione. *Benignitas* Græcè τὸ χρηστὸν adiectiuum ſubſtãtiuatum, quam modò χρηστότητα dixit. Senſus huius partis eſt: Cum certè ignorare non debeas benignitatem Dei te ducere (ſic enim in Græco eſt) id eſt inuitare & prouocare ad pœnitentiam. Notandum benignitate, patientia & lõganimitate Dei vocari peccatores ad pœnitentiam, ſed cõmuni & generali vocationis modo, qui cõſiſtit tum in externis beneficiis, quæ plurima præſtita fuerãt populo Iudaico, vt hæc præcipua, lex, doctrina, prophetæ, Meſſias promiſſus atque exhibitus: tũ quantũ ad omnes, in obuia Dei cognitione ex creaturis, de qua c. præcedẽti: *Deus enim illis manifeſtauit*: deniq; in lege naturæ omniũ animis impreſſa. de qua poſt paululũ. Verũ toto hoc vocationis genere, niſi ſpecialis & efficax accedat vocatio, homines abutũtur, etiã ad magis peccandũ. Quare nihil hic locus adiuuat eos qui ſentiũt omnibus hominibus gratiã à Deo dari vel offerri ſufficientem. Quam opinionem (vt alia taceam) planè deſtruunt ea quæ Paulus in hac ipſa epiſtola diſputat de gratuita Dei electione.

5 SECVNDVM AVTEM DVRITIAM TVAM ET IMPOENITENS COR, THESAVRIZAS TIBI IRAM IN DIE IRÆ ET REVELATIONIS IVSTI IVDICII DEI. Quædã Græca particulã copulantẽ ſecundò repetunr: *in die iræ & reuelationis & iuſti iudicij Dei*. Quomodo Theophylactũ legiſſe cõſtat. Legit & Oecumenius: tametſi ſenſum reddit noſtrę lectioni cõſentaneum. Reuera namq; ſecundo loco redundat ea particula, ac ſenſui officit. *Theſaurizas*, Græcũ eſt θησαυρίζεις, id eſt colligis, accumulas inſtar theſauri. Ira more ſcripturę rurſus pro vindicta poſita eſt, ſicut cap. præcedenti. Ac meritò diẽ iudicij vocat diẽ iræ, quia tũc impiis nulla erit ſpes miſericordiæ, ſicut nunc eſt dum viuunt. Eundẽ vocat diẽ *reuelationis iuſti iudicij*, Græcè δικαιοκρισίας, id eſt diẽ quo palã exercebitur iuſtum in omnes iudicium: quando non ſolùm manifeſtabuntur omnibus omniũ merita bona & mala; verũetiam manifeſtè cõſtabit iuſtũ eſſe Dei iudiciũ in omnes. *In die*, id eſt in diẽ, quẽadmodum c. præced. *in ſimilitudine, in mendacio*. Sic Iacob. 5. *in die occiſionis*. Senſus huius partis: Tu verò pro duricia tua & corde impœnitẽte, id eſt per hoc quod Dei bonitate te inuitante non emolliris ad pœnitẽtiam, ſed magis obdureſcis in peccatis; accumulas tibi quendã pœnarũ theſaurũ apud iuſticiam Dei, in tempus illud terribilis ac manifeſti eius iudicij, quo theſaurus ille pœnarum vniuerſus ſuper te ſimul effundetur.

6 QVI REDDET VNICVIQVE SECVNDVM OPERA EIVS. Hoc enim eſt iuſtũ exercere iudiciũ. Quæres an redditurus ſit vnicuiq; ſecũdum omnia eius opera tã bona quã mala. Reſpondeo, ſecundum omnia bona, quæ non inueniẽtur mortificata: & ſecundũ omnia mala, quę nõ inueniẽtur remiſſa. Nã & illa mortificata & hæc remiſſa ſic habebũtur in illo iudicio, tanquã facta nunquã fuiſſent. Omnia quidẽ prorſus & bona & mala, quæcumque quis fecerit, in illo iudicio proferẽtur in lucẽ, & (vt humano more loquar) examini ſubijcientur: ſed omnes tã bonorũ caſſationes, quã malorũ remiſſiones ac ſolutiones antea factę, in rationes imputabũtur. Circa eandẽ hãc partem ab Hugone Victo. ſeptẽ mouentur quæſtiũculæ: quarũ explicationẽ qui volet ab ipſo repetat. *Dubitatio ſoluitur.*

7 IIS QVIDEM QVI SECVNDVM PATIENTIAM BONI OPERIS, GLORIAM ET HONOREM ET INCORRVPTIONEM QVÆRVNT, VITAM ÆTERNAM. Pro *quærunt* legendum arbitror

quærenti-

quærentibus. Sic enim habent omnes codices mss. quos habere aut videre contigit Franciſco Lucæ diligentiſſimo veræ lectionis in bibliis vulgatæ verſionis indagatori. Nec ſecùs legunt plerique omnes huius epiſtolæ Latini expoſitores, tam veteres quã recentiores, ſuffragante etiam textu cõmentatoris Amb. & Gregorio lib. 28. mor. c. 6. Deniq; lectionem hanc omninò poſtulat Græcus contextus: licet alioqui dictio Græca ζητοῦσι ambigua ſit ad verbum & participiũ. Nec obſtat relatiuum *qui*, quod in Græco non eſt, rectè tamen poſitum ab interprete noſtro. Nam ſubauditur verbum ſubſtantiuum: *ijs quidem qui ſunt ſecundum patientiam boni operis*, ſicut expreſſum habetur in altera parte ſententiæ: *qui ſunt ex contentione*. Hac igitur lectione conſtituta, duplex eſt iſtius partis expoſitio, prout illud *quærentibus* vel ad præcedentes accuſatiuos, vel ad ſequentes referri poteſt. Quæ amphibolia æquè eſt in Græco. Si cum præcedẽtibus conſtruatur, erit hic ſenſus: Iis qui in bona cõuerſatione perſeuerantes, nec eã propter vlla aduerſa deſerentes (hoc enim ſignificat *boni operis patientia*, Græcè ὑπομονὴ, vocabulum à ſuperiore diuerſum) gloriam & honorem apud Deum atque in Deo, & incorruptionẽ, id eſt immortalitatẽ quærũt, reddet Deus vitã æternam. Hunc ſenſum perhibẽt Origenes, Chryſoſt. & Theophylactus. At ſi cum ſequẽtibus, ſenſus eſt: Iis qui perſeuerant in benefactis, & ex iis quęrunt vitam æternam, reddet gloriam & honorem & incorruptionẽ, id eſt ipſam vitam ęternam. Sic ferè Latini tractatores exponunt, & cũ his Gregorius Romanus loco ſupra citato: ac præterea Græcus Oecumenius, qui annotat hoc loco hyperbatõ eſſe. Hæc expoſitio germanior nobis videtur. Conuenit enim cum eo quod paulo poſt dicitur: *Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum*. Notandum eſt in ſcripturis gloriam & honorem ſæpe coniungi. Quamuis enim differant quod gloria ſit frequens de aliquo fama cum laude; honor autem teſtimonium virtutis: in eo tamen conueniunt, quod virtutum opera conſequi ſoleant. Vnde meritò nominantur hæc duo, vbi de remuneratione virtutum ac bonorum operum agitur.

Duplex ſenſus duplici conſtructioni reſpondẽs.

8 IIS AVTEM QVI SVNT EX CONTENTIONE, ET QVI NON ACQVIESCVNT VERITATI, CREDVNT AVTEM INIQVITATI, IRA ET INDIGNATIO. Supple ex ſuperioribus, reddetur à Deo. Poterat in Latino retineri idem verbum: *qui non credunt veritati, credunt autem iniquitati*: vt ſeruaretur alluſio vocum quæ in Græco eſt, ἀπειθοῦσι, πειθομένοις. Eraſmus: *Qui veritati quidem non obtemperant, ſed obtemperant iniuſticiæ*. Porro ſenſus eſt: Ijs verò qui contentioſi ſunt, nec acquieſcunt veritati diuinæ, id eſt euangelio ſibi annunciato, ſiue credẽda ſpectes ſiue agẽda: ſed magis eligunt credere, id eſt acquieſcere & adhærere iniuſticiæ, & doctrinis quibus iniuſta & corrupta vita foueatur: ijs, inquam, retribuetur à iuſto iudice Deo *indignatio & ira* (hic enim eſt ordo in Græco, θυμὸς καὶ ὀργὴ) id eſt graue ſupplicium, quale ab animo irato exſpectari ſolet. Contentionẽ dicit eorũ qui ſenſa capitis ſui non ratione, ſed animi pertinacia defendunt. Quales vt plurimũ erãt Iudæi, quorum ingeniũ hac voce perſtringere videtur. Porrò totus hic locus apertiſſimè declarat id quod ab hæreticis negatur, Deũ bene operantibus redditurum vitam æternam, & quidem habito reſpectu ad opera, & iuxta conditionem operum. Id enim planè conuincit vocabulum reddendi ſeu retribuendi.

9 TRIBVLATIO ET ANGVSTIA IN OMNEM ANIMAM HOMINIS OPERANTIS MALVM. Hę voces *tribulatio & angustia* à quibuſdã adiungũtur parti præcedenti. Volũt enim congeriẽ eſſe quatuor vocũ penè idẽ ſignificãtium, quâ diuinam in impios vltionẽ Paulus exaggeret. At pleriq; nouum verſum hic faciunt; in quo ſit repetitio ſuperioris antitheſis ſub aliis verbis & ordine cõuerſo. Nã alioqui pars ſequẽs omninò ſuſpẽſa remaneret & imperfecta; niſi ſuppleas cũ Origene, id eſt, in omnẽ animam hominis, &c. Verũ ſi congeriẽ facere voluiſſet apoſtolus, addidiſſet coniunctiuã particulã, *& tribulatio*, &c. *In omnẽ animã hominis*. Hebraiſmus; Id eſt, in omnem hominem. Subauditur autem, ventura eſt, aut quid ſimile. Nec dixit; in omnẽ animam hominis iniuſti, ſed operantis malum: Et mox *omni operanti bonum*, non autem, omni bono ſiue iuſto: quia retributio ſiue in bonum ſiue in malum propriè reſpicit opera, tanquã merita quędã, non autem habitus, vt quibus propria ratio meriti nõ cõuenit.

IVDÆI PRIMVM ET GRÆCI, id eſt tam Iudæi quàm gentilis: primũ tamen ac præcipuè Iudæi, cùm propter inſignes illius populi prærogatiuas apud Deũ, tum quia priùs oblata ei fuit gratia euangelij: vt hoc pacto qui potior fuit in beneficiis, etiã principalior ſit in pœnis.

10 GLORIA AVTEM ET HONOR ET PAX OMNI OPERANTI BONVM. Gloriæ & honori pacem adiungit, vt ſignificet bene operãtibus futurã omnium bonorũ quietam, perpetuã, certam & ſecuram poſſeſſionẽ. Hanc partẽ Origenes de iis exponit ſiue Iudæis ſiue gentilibus, qui in Chriſtũ non crediderũt, opera tamen fecerunt iuſticiæ, miſericordiæ, tẽperantiæ, cæterarumque virtutum: quos dicit non quidem habituros vitam æternam, nec intraturos in regnum cœlorũ, eo quòd fidẽ non habuerint: accepturos tamen iuxta Pauli ſententiam, ex ſuis operibus in Dei iudicio gloriam & honorem & pacẽ. Sed hæc Origenis doctrina (quã tamen iudicio lectoris ſubmittit vel ipſe, vel eius interpres Ruffinus) cæteris eius erroribus annumeretur. Conſtat enim ſine fide Chriſti neminem poſſe bene viuere. Sed etſi in Chriſtum non credẽs aliqua faciat opera bona, nõ ea tamẽ eſſe eiuſmodi, quæ gloriam & honorem & pacem apud Deum iudicẽ mereantur.

Expoſitio Origenis erronea.

IVDÆO PRIMVM ET GRÆCO. Iſtud adijcit etiam hoc loco, vt gentem ſuam honoret, quam in priori parte videbatur depreſſiſſe.

11 NON ENIM EST ACCEPTIO PERSONARVM APVD DEVM. *Acceptio personarum*, Græcè προσωπολημψία. Laurentius & Erasmus personarum respectũ dicere malunt. Sic Matth. 22. *Non enim respicis personam hominum*. Sensus: Deus in iudicando non respicit cuiusquam personam, quod, exempli gratia, vel Iudæus sit, vel doctus, vel diues, vel potens, vel nobilis, sed tantum respicit ad merita causæ. Est enim personarum acceptio, quum in præmiis aut pœnis ex iusticia decernendis, vel omninò in iudiciis seu publicis seu priuatis, prætermissa ratione meritorum respicitur ad eas hominum qualitates, quæ nihil ad rem faciant de qua iudicandum sit. Neque enim locum habet acceptio personarum in iis quæ merè gratuita sunt, vt in eleemosynis: Vnde non est acceptor personarum Deus, quando ex vniuerso hominum genere alios eligit, alios reprobat; aliis dat gratiam, aliis non dat. Electio enim ad gratiam indebita est, vt & ipsa gratia. Notandum est autem hanc phrasim quâ quis dicitur acceptor personarum, (quæ quidem sacris literis peculiaris est) manasse ab Hebræis, quibus accipere vel sumere faciem, vel respicere in faciem hominis dicuntur, qui eum propter aliquam qualitatem, quam in illo conspiciunt aut nouerunt, vt propter potentiam, opulentiam, nobilitatem, consanguinitatem ita reuerentur aut amant, vt propterea ab eo quod verum, iustum, rectum est, iudicando deflectant. Hinc illa est ad iudices increpatio ps. 81: *Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?* Vnde & Phariſæi cum Herodianis Christo fallaciter assentantes dicebant: *Nec enim vides in faciem hominum. sed in veritate viam Dei doces*, Marci 12. Pro quo apud Matthæum noster vertit, respicere personam. Quò pertinet quod iusticia solet cœca pingi: quia nimirum facies hominum non aspicit. Quoniam autem vox Græca πρόσωπον, à quâ compositum προσωπολημψία personarum acceptio, significat & faciem & personam: inde factum vt interpretes Latini modò faciẽ, modò personam accipere, sint interpretati, cũ Hebraica dictio פָּנִים phanim propriè tantũ significet facies. Vnde & Syrus interpretatur acceptionem facierum, hic & Iacob. 2.

Quid sit personarũ acceptio: & vnde illa phrasis orta.

12 QVICVMQVE ENIM SINE LEGE PECCAVERVNT, SINE LEGE PERIBVNT. Græcè & Syrè cum adiecta copula *& peribunt*. quam & habent Latina quædam mss. pervetusta. Nec ociosa est copula. Nam quasi dicit: Qui ἀνόμως peccauerunt, ἀνόμως quoque peribunt.

ET QVICVMQVE IN LEGE PECCAVERVNT, PER LEGEM IVDICABVNTVR. *In lege*, id est sub lege, accepta lege. Legem intelligit non quamcumque, sed scriptam seu positiuam à Deo traditam. Alioqui sine lege peccare non contingit, cùm peccatum non sit aliud quàm legis alicuius transgressio. Quanquam & humana legislatio apud Græcos non admodum antiqua fuit. Quod inde colligitur, quia νόμος apud Homerum nusquam legitur. Verumtamen hic de lege diuina sermonem esse constat; vt sensus sit: Quicumque peccauerunt non accepta lege scripta à Deo, peribunt, non tamen condemnante eos lege scripta, quam non accepetunt, sed sola lege naturæ, contra quam peccauerunt. Qui verò lege à Deo sibi tradita contra eam peccauerunt, per eam ipsam legem condemnabuntur. Prius membrum competit in gentiles, posterius in Iudæos. Nec minus est iudicari quàm perire: quemadmodum sensisse videtur Hieronymus lib. 1. dialog. contra Pelag. cap. 9. negans eos perituros qui in lege peccauerunt, sed tantum iudicandos: nam iudicium interpretatur de pœna temporaria, perditionem de æterna: tametsi declarat se loqui de credentibus in Deum. Verùm hanc ipsius Hieronymi tacito nomine sententiam, velut à veritate alienam, & à mente Pauli dissentaneam bene corrigit Augustinus in explanatione ps. 118. concione 5. ac pleniùs huiusmodi commentarium redarguit lib. de fide & op. ca. 23. Nam iudicium constat intelligi in condemnationem & interitum. Ac potiùs significatur deterioris esse conditionis eos qui per legem iudicabũtur; quoniam, vt ait Aug. scientes peccauerunt: tantum abest vt profuturum sit eis, legem audiuisse.

13 NON ENIM AVDITORES LEGIS IVSTI SVNT APVD DEVM; SED FACTORES LEGIS IVSTIFICABVNTVR. *Sunt* non exprimitur in Græco: & suppleri potest *erunt*; vt respondeat alteri verbo, *iustificabuntur*. Pressiùs vrgere nũc incipit Iudæos qui legem acceperant & in ea gloriabantur, nec tamen eam obseruabant: sicque à iusticia remotos & peccato subiectos esse ostendit. Prior pars huius sententiæ manifestum habet sensum hunc: Qui legem acceperunt, eamque nouerunt ac diligenter audiunt, non eo ipso iusti sunt aut erunt *apud Deum*, id est, in iudicio Dei. Vel intellige cum exclusione, qui tantum sunt auditores. Nihil enim prodest audire legem, nisi facias. Nam audire hic non obedientiam significat, vt interdum alibi, sed audientiam solam. Posterior pars obscurior est & difficultatem habet, ob id maximè, quia Pauli doctrina est in hac epistola, speciatim cap. sequenti, ex operibus legis neminem iustificari. Igitur pro huius partis intelligentia, primùm illud præmoneo, factores legis intelligi, qui faciunt ea quæ lege præcipiuntur, siue legem acceperint siue non. Vult enim hoc commune esse etiam gentilibus, vt patebit ex versu sequenti. Deinde in hac parte repetendum ex priori membro, *apud Deum*. *Factores legis iustificabuntur apud Deum*. Non enim aliter constabit antithesis quam facit apostolus inter auditores legis & factores. Denique videndum quid sit, *iustificabuntur*. Nam iustificari, quemadmodum & iustificare, non vno modo accipitur in scripturis. Primò quidem ac proprijssimè iustificari dicitur, qui ex iniusto vel non iusto fit iustus:

Varia acceptiones verbi iustificare & iustificari.

iuſtus:& iuſtificare,qui ex non iuſto iuſtum facit. Ita accipitur in ſequentibus, cap.3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.* Et cap. 4. *Credenti in eum qui iuſtificat impium.* Item Gal. 3. *Ex fide iuſtificat gentes Deus.* & alibi. Hinc verbale iuſtificatio, id eſt motus ſeu tranſitus ab iniuſticia ad iuſticiam. Secundò iuſtificare eſt iuſticiã conſeruare,augere,perficere.Sic apud Iacob. cap. 2. *Ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum.* Et Apoc. vltimo dicitur: *Qui iuſtus eſt,iuſtificetur adhuc.* Atque hæc vocari ſolet iuſtificatio ſecunda. Vnde & bona opera iuſtificationes vocantur in ſcripturis, quod per ea ſoleat augeri & cõſeruari iuſticia; vt Dan. 9. *Neque enim in iuſtificationibus noſtris,*id eſt confiſi bonis noſtris operibus, *proſternimus preces noſtras ante faciem tuam.* Et Apoc.19.*Byſſinum iuſtificationes ſunt ſanctorum.* Quanquam & Dei præcepta, quorum obſeruatione iuſtificantur homines,etiam perſæpe iuſtificationes dicuntur, præſertim apud Dauidem in pſal.118. Sic & infrà hoc cap. *Si præputium iuſtificationes legis cuſtodiat.* Tertiò iuſtificare eſt iuſtum oſtendere, declarare, pronunciare,ſententiam pro aliquo dicere. Quæ quidem acceptio huius vocis in ſcripturis vſitatiſſima eſt, vt pſ. 81. *Humilem & pauperem iuſtificate.* Iſaiæ 5.*Iuſtificatis impium pro muneribus.* Matth. 12. *Ex verbis tuis iuſtificaberis.* Luc.16. *Vos eſtis qui iuſtificatis vos coram hominibus.* Eiuſdem generis eſt, quum ſignificat excuſare,defendere, vt Iob 9. *Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me.* Et Eccleſiaſtici 7. *Non te iuſtifices ante Deum.* Hinc iuſtificatio pro apologia, qua quis ſuæ cauſæ iuſticiam tuetur, vt Iob 27. *Iuſtificationem meam quam cepi tenere non deſeram.* Item iuſtum prædicare,facta alicuius vt bona & iuſta laudare. Pſal. 50. *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis.*Luc.7. *Et omnis populus audiens & publicani iuſtificauerunt Deum.* Et iterum: *Iuſtificata eſt ſapientia ab omnibus filijs ſuis.* quomodo magnificare Deum dicitur qui eum magnum prædicat. Vt igitur ad apoſtolum reuertar, eius verba quæ nunc tractamus,alij aliter exponunt, iuxta triplicem quam attuli ſignificationem vocis iuſtificari. Auguſtinus lib. de ſpiritu & lit. cap. 26 duobus modis interpretatur. Primùm, iuxta primam ſignificationem. *Factores legis iuſtificabuntur,* id eſt aliter non ſunt factores legis niſi iuſtificati fuerint, hoc eſt ex impiis iuſti facti. *Vt,* inquit, *non iuſtificatio factoribus accedat, ſed vt factores legis iuſtificatio præcedat.* Et adhibet ſimile: velut ſi dicamus, homines creabuntur, ſcilicet ipſa creatione futuri homines.Senſus iſte promptus quidem eſt ad conciliandum hunc Pauli locum cum ipſius doctrina, qua negat ex operibus legis quenquam iuſtificari: verùm nonnihil contortus eſt, deinde & alienus ab eo quod Paulus nunc agit. Vult enim oſtendere diſcrimen apud Deum,inter auditores legis & factores: quod illi non ſint iuſti, hi verò iuſtificentur. Id autem per hunc ſenſum non oſtenditur.

Quod ipſe Auguſtinus animaduertens ſubiungit aliam expoſitionem iuxta ſignificationem tertiam verbi *iuſtificari. Factores legis iuſtificabuntur,*id eſt,qui legem factis obſeruant, iuſti iudicabuntur, declarabuntur, habebuntur à Deo: vt iuſtificari apud Deum,idem reipſa ſit cum eo quod in priori membro, iuſtos eſſe apud Deum: ſicut & in præcedenti parte, *peribunt* & *iudicabuntur* re & effectu idem valent. Porro neotericis quibuſdam placet hoc loco ſecunda iuſtificandi ſignificatio. Dicunt enim apoſtolum hic loqui de iuſtificatione ſecunda,vt ſenſus ſit: *Factores legis iuſtificabuntur,* id eſt homines exercendo bona opera quæ lex præſcribit,accipient augmẽtum iuſticiæ, ſecundum id quod ſcriptum eſt: *Qui iuſtus eſt,iuſtificetur adhuc.* Itaq; Paulum non eſſe ſibi contrarium, quia cùm alibi negat ex operibus hominem iuſtificari,de prima loquitur iuſtificatione, quæ non ex operibus eſt,ſed opera ipſa præcedit. Hic ſenſus veram continet doctrinam de augmento iuſticiæ per bona opera. Sed tamen non conuenit huic loco. Neque enim ſatis reſpõdet priori membro. Deinde ſi illud vellet Paulus, dixiſſet quomodo Ioannes in Apocalypſi: *Iuſtificabuntur adhuc,* id eſt amplius. Nam iuſtificari per ſe non ſonat augmentum. Secundus igitur Auguſtini ſenſus omninò retinendus vt germanior; non modò, quia nititur vſitatiſſima phraſi ſcripturæ,de quâ iam diximus; verùm etiam quia antitheſis quam attẽdit apoſtolus,per hunc ſenſum optimè explicatur, ac ſi diceret: Non auditores legis, ſed factores apud Deum iuſti reputabuntur, hoc eſt vero iudicio iuſti ſunt; vtpote iuſticiam quæ lege præcipitur, opere exercentes. Sic enim ſcriptum eſt 1. Ioan. 3. *Qui facit iuſticiam iuſtus eſt.* Simile illud Saluatoris Luc. 11. *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud:* Nimirum ideo beati,quia iuſti. Porro ſenſum hunc etiam cæteri paſſim interpretes tam Græci quàm Latini tradunt & amplectuntur. Neque pugnat hic ſenſus vllo modo cum ea Pauli doctrina, qua remouet ab operibus iuſtificationem.Ea namque doctrina accipienda eſt de operibus non à fide profectis: quum iuſtificationis initium à fide ſit, vt ſuo loco pleniùs exponetur. Hic autem illi ſermo eſt de operibus verè bonis Deoque acceptis ad vitam æternam; vt ex ſuperioribus liquet. Huiuſmodi verò eſſe non poſſunt niſi ex fide emanarint. Nam & de hoc operum genere etiam agit Iacobus apoſtolus, quum docet ex operibus hominem iuſtificari, & non ex fide tantum. Sanè videri poteſt idcirco Paulum hic tam diligenter commendare voluiſſe bona opera, vt ad iuſticiam & vitam æternam conducibilia ac neceſſaria; quo lectorem prẽmuniret,ne ſequentem ipſius doctrinam,qua iuſtificationem tradit ex fide ſine operibus, malè intelligendo offendiculum pateretur, aut in errorem incurreret.Illud poſtremò notandum aduerſus ſectarios, Paulum hic ma-

Senſus verior.

nifestè agnoscere & commendare iusticiam operum, eamque veram; cùm dicit factores legis iustificari apud Deum. Quod enim apud Deum, id est Dei iudicio tale est, id verè tale esse nemo nisi impius dubitauerit. Ita Lucæ 1. *Erant iusti ambo ante Deum.* Certè Paulus alibi, quum significare vult rei de quâ loquitur veritatem & sinceritatem, dicere solet, *ante Deum, coram Deo*: vt 2. Cor. 2. Gal. 1. Col. 1. Quod si negent aliquos esse factores legis, coarguunt eos sequentia.

14 CVM ENIM GENTES QVÆ LEGEM NON HABENT, NATVRALITER EA QVÆ LEGIS SVNT FACIVNT. *Cùm faciunt*, malè Erasmus, *cùm fecerint*. Nam Græcè est ὅταν ποιῶσι subiunctiuus præsentis temporis. Itaque potiùs vertendum erat: *quum faciant*, vt quidam verterunt. Verùm rectius noster interpres *cùm faciunt*. Nam aduerbium ὅταν, *quando*, nunc indicatiuum, nunc subiunctiuum sibi adiũgit eodem sensu. *Naturaliter*, Græcè φύσει, *naturâ*: quomodo vertit Ephes. 2. *Eramus naturâ filij iræ*. *Quæ legem non habent*, non est determinatio restringens, sed declarans. Est enim gentium epitheton legem non habere, sicut Iudæorũ, habere legem. Ita 1. Cor. 9. Iudæos & gentiles suis epithetis designans, illos vocat, *qui sub lege*, hos, *qui sine lege*, Græcè ἀνόμους.

EIVSMODI LEGEM NON HABENTES, IPSI SIBI SVNT LEX. *Eiusmodi* non ad legẽ referendum, quod nonnulli faciunt, sed ad personas, scilicet gentiles. Græcè οὗτοι, *hi legem non habentes, sibiipsis sunt lex*. Porro huius loci tres feruntur expositiones, quarum vna erronea est, imò hæretica: reliquæ duæ sanum continent sensum. Pelagius in commentario, & apertius in epistola ad Demetriadem, cuius initium, *Si summo ingenio*: itemque Ioannes Cassianus in collatione de protectione Dei, censent apostoli Pauli in hoc loco doctrinã esse, quod ex gentilibus quidam sine fide & gratia Christi per solas naturæ vires fecerint ea quæ legis sunt, id est obseruauerint & impleuerint legem Dei. Et hos naturaliter iustos vocat Pelagius. Quæ doctrina damnata est in concilio Mileuit. can. 5. Fuitque hæc ipsa Pelagij hæresis, Dei præcepta sine eius gratia seruari posse; vt constat ex multis quę aduersus eam hæresim scripsit Augustinus: quam & disertè exprimit in libro de hæresibus. Alij nonnulli, inter quos Caietanus, exponunt quidem hũc locum de gentilibus à fide Christi alienis, non tamen omnia quæ legis sunt facientibus, sed aliqua: cuiusmodi sunt honorare parentes, inopi succurrere, reddere depositum, iustam ferre sententiam. Quæ expositio nihil habet sanæ doctrinæ contrarium. Nam infideles posse facere quædam opera moraliter bona, communis est & vera Theologorum sententia. Iuxta quam Hieronymus quoque intelligendus est, scribens in Ezech. 29. vbi locum hunc Pauli refert ad ethnicos infideles. Cæterum de huiusmodi gentilibus, deque operibus ex sola facultate naturæ profectis apostolum loqui, ex eo probant; quia dicit eas gentes naturaliter, id est (vt illi interpretantur) ex naturæ viribus ea quæ legis sunt facere. Sed hoc argumentum facilè euanescet audita veriore interpretatione. Est igitur tertius commentarius eorum qui de gentibus fide Christi mediatoris imbutis, & per eius gratiam ea quæ legis sunt facientibus, siue Christi præcesserint aduentum, siue secuti sint, apostolum exponunt; velut imprimis Augustinus lib. de spir. & lit. cap. 26. & aliquot sequentibus. lib. 1 contra Iulianum cap. 3. & lib. 4. cap. 3. & alibi. Item Prosper contra Cassianum cap. 22. Fulgentius de gratia Christi cap. 25. & 26. Et ante hos omnes comment. Ambro. Denique Latini posteriores, Hugo, Lombardus, Heruæus, Aquinas, Carthusianus, alijque complures. Et vt ad Græcos transeam, primùm Origenes de iisdem sensisse videtur. Dicit enim legem scriptam in eorum cordibus spiritu Dei viui, respiciens nimirum ad locum 2. Cor. 3. qui ad fideles certissimè pertinet. Chrysostomus quoque & eum secutus Theophylactus pro exemplis huc adferunt eos gentiles, qui Deo per fidem placuerunt: vt Melchisedec, Iob, Niniuitas, Cornelium. Satis idipsum indicat etiam Oecumenius, quum illud exponens quod præcessit: *pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco*, dicit Græcum ibi intelligi verum Dei cultorem ac fidelem. Hunc autem commentarium valdè probabilem ac penè certum faciunt: primùm scopus apostoli, cui propositum erat ostendere sine fide Christi omnes esse sub peccato, tam gentiles quàm Iudæos: quod & superiori capite de gentilibus latè exsecutus est. Nec certè vsquam alibi de gentibus à fide mediatoris alienis ita loquitur, vt tribuat eis aliquam veram legis obseruationem, sed vbique varia eis asscribit crimina, vt Eph. 2. & 4. Coloss. 3. 1. Thess. 4. De quibus & in hac epistola cap. sequenti pronunciat illud cum Iudæis commune: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*. Deinde probat totius loci contextus, quem diligenter expendit Augustinus in lib. de spiritu & litera. Nam proximè præcessit, factores legis iustificari, videlicet siue Iudæos, siue gentiles, siue legem scriptam accepissent, siue non. Et quia dubitari poterat de gentilibus, quomodo legem faciendo iustificarentur, quum legem nõ accepissent; idcirco modum hac parte declarat, dicens: *Cùm enim gentes*, &c. Certum est autem secundùm fidem catholicam, nullos infideles fuisse iustificatos aut iustos apud Deum, etiamsi nonnulla quæ legis sunt facerent: igitur neque subsequens hæc declaratio de gentibus infidelibus accipi potest: sed de solis fidelibus est verificanda, cuiuscumque temporis fuerint. Eodem omninò facit illa sententia præcedens: *Gloria & honor & pax omni operanti bonum*. id est facienti ea quæ legis sunt. Si ergo gentilis sine fide facit ea quæ legis sunt, secundum apostolum erit illi gloria

Tertia quæ de gẽtibus fide imbutis locum hunc intelligit, probatur.

Tres expositiones, quarum prima Pelagij.

Secunda.

& honor

& honor & pax, id eſt, vt iam ſupra expoſitum eſt, ipſa vita æterna. Quâ probatione ad refutandam iſtam de infidelibus expoſitionem vtitur Fulgentius. Rurſum pro fidelibus faciunt ſimiles ſententiæ quæ hoc eodem capite ſequuntur, vt illa: *Si igitur præputium iuſtitias legis cuſtodiat, nonne*, &c. Item: *Iudicabit id quod ex naturâ eſt præputium legem conſummãs, te qui per literam* &c. Ex quibus omnibus colligo quòd eadem ſunt apoſtolo ſex iſta, quæ in hoc capite leguntur, operari bonum, eſſe factorem legis, facere ea quæ legis ſunt, legem obſeruare, iuſticias legis cuſtodire, legem conſummare. Atqui horum duo poſtrema ſine controuerſia tribuit apoſtolus gentibus ad fidem conuerſis: quartum tribuit Iudæis fidelibus: primum & ſecundum generaliter iis qui coram Deo iuſti ſunt, & gloriam apud Deum merentur. Quare & tertium, id eſt facere ea quæ legis ſunt, quod gentilibus attribuit, non aliis vtique præterquam fidelibus attributum intelligi debet, iis qui coram Deo iuſti ſunt. Adde, quòd & in ſequentibus ſignificat apoſtolus, eorum opera de quibus hic dicit quòd quæ legis ſunt faciunt, remunerationem habitura in die iudicij. Id enim volunt illa verba: *In die cùm iudicabit Deus occulta hominum.* At ea remuneratio non alia eſt quàm vitæ æternæ. Nam infidelium opera bona, quoniam mortua ſunt, nullam illic acceptura ſunt remunerationem. Denique & illud admodum ſuadet, quod gentilem iuſticias legis cuſtodientem & legem conſummantem, in fine cap. appellat *Iudæum in abſcõdito*, & iuſticiam eius vocat *circumciſionem cordis in ſpiritu, non litera: cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo.* Hæc enim planè congruunt cum eo quòd hic dicit, gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt facere; vt qui oſtendãt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis: licet non habeant ſcriptum in tabulis, ſicut habebant Iudæi. Igitur ex his omnibus ſatis abundè liquet, de quibus gentibus hic loquatur apoſtolus. Cur autem de gentibus hæc verba ſuperiori ſententiæ ſubiecerit, iam antè dicta eſt ratio. Cui & iſta accedit, quia comparatione gentilium humiliare volebat Iudæos, & peccatores oſtendere, vt patet ex ſequentibus.

Obiectio. Verùm adhuc inſtant Pelagius & Caſſianus, negantes de fidelibus hæc apoſtoli verba accipi poſſe: quia loquitur de gentibus quæ legem non habent: fideles autem omnes præter legem naturæ cunctis inſitam, legem habent Chriſti: ſicut & Paulus de ſe teſtatur dicens 1. Cor. 9. ſe ſine lege non eſſe, ſed eſſe in lege Chriſti. Primùm reſpondeo: quamuis

Reſponſio hoc argumentum videri poſſit aliquid habere momenti, quantum ad gentiles attinet Chriſtianos, id eſt eos qui Chriſto nomen dederũt in baptiſmo: nihil tamen ad eos pertinere gẽtiles qui Chriſti aduentum præceſſerunt, & tamen in eum venturum crediderunt; quos hic etiam comprehendi iã antè dixi. Nam his nullã à Chriſto legẽ datam fuiſſe, manifeſtum eſt. Deinde pleniùs ac generaliùs reſpondetur, nec omninò Chriſtum vllam dediſſe legem in tabulis aut membranis ſcriptam: At neque principaliter attuliſſe legem operum, quam omnes à natura, Iudęi inſuper à Deo per Moyſen acceperant; ſed legem fidei. Non enim gentiles per operum legem traducti ſunt ad fidem, quemadmodum Iudæi, quibus ſua lex pædagogus fuit ad Chriſtum: ſed nulla lege media vocati ſunt ad fidem, vt ea quæ legis ſunt facerent. Denique lex Chriſti præter legem naturæ & fidem myſteriorum pauca cõtinet ſeruanda: magiſq́ue conſiſtit in ſpiritu ac dono gratiæ quâ lex impleatur, quàm in præceptis, quæ iubeantur impleri. Sed nunc ad explicationem textus veniamus. Cùm enim gentes, inquit, quæ legem ſcriptam non acceperunt, naturaliter ac ſine lege ſcripta faciunt ea quæ ſunt legis ſcriptæ, id eſt ea quæ lege decalogi continentur; hi legem ſcriptam non habentes, ſibiipſis ſunt loco legis; dum ſua ſponte ac proprio iudicio ſine externo legis iubentis adminiculo & impulſu bonum operantur: Atque hoc pacto completur in eis quod dixi, *factores legis iuſtificari*. Illud, *naturaliter*, Auguſtinus de ſpiritu & lit. cap. 27 exponit, ex natura per gratiam reparata. Alij ſic: *naturaliter*, id eſt, duce ac monſtrante ipſa natura ſeu naturali lumine rationis, abſque magiſterio legis ſcriptæ. Thomas vtrumq; commentarium adfert. Nec verò pugnant hi duo ſenſus. Neque enim duce natura poſſunt gentes ea quæ legis ſunt facere, niſi eadem natura per gratiam fuerit reformata. Cuius ratio eſt & ex parte luminis naturalis, quod peccato obſcuratum cùm ſit, non monſtrat omnia agenda & vitanda; & ex parte voluntatis, quæ ex peccato infirmitatem & maliciam contraxit, vt nec ea omnia quæ ratio naturalis agenda dictauerit, eligere poſſit, antequam fuerit per gratiam ſanata atque adiuta. Nec aliud vult Auguſtinus, quum naturam interpretatur reparatam per gratiam. Non enim ſentit hic in nomine naturæ gratiam includi: ſed gentes id quod hic dicitur, facere non poſſe naturaliter, id eſt per naturam, niſi gratia reparatam. Ex his iam liquet, in verbis apoſtoli naturam non gratiæ, ſed legi ſcriptæ opponi: & proinde ceſſare argumentum eorum qui ex vocabulo *naturaliter* colligebant hic apoſtolum agere de gentibus infidelibus. Sunt qui vocem *naturaliter* ſic exponant, ſponte, libenter, ex animo, vt hoc opponat apoſtolus illi modo quo Iudæi ſub lege conſtituti legem obſeruabant, nempe ſeruiliter & coactè. Ratio locutionis patet, quia quæ naturali fiunt impulſu, ſponte & non coactè fiunt. Mihi tamen quod priùs dictum eſt, magis germanum videtur. Vtrique ſenſui bene quadrat quod ſequitur.

15 QVI OSTENDVNT OPVS LEGIS SCRIPTVM IN CORDIBVS SVIS. *Scriptum* Græcè γραπτὸν, nomen, non participium. Significatur enim ita ſcriptum vt permaneat. *Oſtendunt* facien-

do ea quæ legis ſunt, cùm legem non acceperint. Per hoc enim declaratur quod *ipſi ſibi ſunt lex.* Idipſum etiam ſignum eſt eos ex animo facere, tanquam opus legis habentes ſcriptum & impreſſum in cordibus. Scriptum autem à Spiritu-ſancto, vt indicatur in fine cap. vbi circumciſionem nominat *cordis*, *in ſpiritu, non literâ.* Expreſſiùs autem alibi ſignificatur, vt 2. Cor. 3. vbi Corinthios vocat epiſtolam Chriſti, ſcriptam *non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis ſed in tabulis cordis carnalibus.* Quò pertinet illud Ierem. 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum: & in corde eorum ſcribam eam.* Ad hunc modum diſertè ſcriptionem hanc in cordibus exponit & probat Auguſtinus lib. de ſpiritu & lit. cà. 26. Et huc etiam Origenis commentarium ſpectare, iam antè diximus. Ita quoque B. Ambroſius intellexiſſe videtur lib. de paradiſo cap. 8. quum citans hunc locum dicit; nos Dei præceptum cordibus noſtris tenere impreſſum ſpiritu Dei viui. Alij interpretantur apoſtolum hic loqui de lege naturæ omnium animis impreſſa, cuius dictamen appellet *opus legis ſcriptum in cordibus.* Sed prior ſenſus magis eſt apoſtolicus, quem & tradit Thomas in commentario, eumque ſecutus Ioannes Viguerius.

TESTIMONIVM REDDENTE ILLIS CONSCIENTIA IPSORVM. *Teſtimonium reddente* Græcè συμμαρτυρούσης *contestante*, vt legit Auguſtinus in expoſitione quarūdam prop. Sed compoſitum videtur poſitum pro ſimplici. *Teſtificante eorum conſcientia.* Nam *illis* in Græco non eſt. Qui partem hanc referunt ad eoſdem gentiles, ſcilicet ea quæ legis ſunt facientes, exponunt ad hunc modum: In eo quod faciunt ea quæ legis ſunt, non ſequuntur legem ſcriptam, quæ eis non eſt data, ſed ſuam ipſorum conſcientiam (intellige Dei gratiâ reformatam) quæ eis eſt loco legis, vtpote teſtificans & dictans quid agendum, quid fugiendum. Ita ferè Oecumenius. Verùm quia pars hæc connexionem habet cum ſequenti, quæ non poteſt de ſolis iuſtis accipi, videtur ipſa quoque referenda ad gentes in genere, maximè cùm, vt dictum eſt, pronomen *illis* in Græco non habeatur. Igitur ablatiuos abſolutè poſitos, qui Græcis genitiuis reſpondent, crediderim exponendos rationaliter, hoc ſenſu: Habent enim omninò gentes, etſi legis expertes, conſcientiam factorum ſuorum intus in animo, quæ ipſis teſtimonium ingerit de iis quæ bene vel malè fecerint. Vnde cōſequenter addit apoſtolus.

ET INTER SE INVICEM COGITATIONIBVS ACCVSANTIEVS AVT ETIAM DEFENDENTIBVS. Ablatiuos legimus ex correctione Romanâ, cùm hactenus peruulgata codicum lectio fuerit, *cogitationum accuſantium aut etiam defendentium* (pro quo *excuſantium* legit Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 9) retentis ſcilicet ex Græco genitiuis abſolutè poſitis, qui in ablatiuos mutandi erant: ſicut factum eſt in parte præcedenti: *Teſtimoniū reddente conſcientiâ.* Niſi forte interpres hos genitiuos regi putauerit à præcedenti nomine *conſcientiâ:* Id enim conijciunt nonnulli: Sed non eſt probabile. Ablatiuos legunt Hieronymus lib. 5. in Ezech. 16. Ruffinus in expoſitione ſymboli, ad articulum; *Inde venturus eſt iudicare.* & in commentario Origenis. Auguſtinus lib. 20. de ciuit. cap. 26. & commentator Amb. necnon Concordantiæ veteres vno & altero loco. Pro *cogitationibus* Græcè eſt λογισμῶν, quo vocabulo ſignificantur non quale ſcunque cogitationes, ſed quæ fiunt ratiocinando ac diſceptando; dum adhibito iudicio rationis animus examinat aliquid, & de eo pronuntiat ſitne verum an falſum, bonum an malum. Deriuatur à verbo λογίζεσθαι, quod ſequenti cap. exponit arbitrari. Senſus eſt: Atque ex hoc teſtimonio conſcientiæ fit vt dum facta ſua cogitando expendunt & inter ſe conferunt, ipſis ſuis cogitationibus vel accuſentur propter mala facta, vel excuſentur ac laudentur propter bona. Notandum pleroſque illud, *aut etiam defendentibus* extendere ad cogitationes infidelium, quos ſcilicet defendit ſiue excuſat aliquorum bonorum operum à ſe factorū conſcientia. Sed probabilius puto cū Oecumenio, eam partem tantū reſpicere bonos, de quibus dixerat: *Cum enim gētes*, &c. idq; Paulum ſignificare voluiſſe addita vocula *etiam*, ac ſi diceret: *cogitationibus accuſantibus aut etiam* (quod ad bonos & ea quæ legis ſunt facientes, attinet) *defendentibus.* Nam certè etſi infidelium bona quædam ſint opera, remunerationem tamen, vt ſuprà dixi, non ſunt acceptura in die iudicij, de quo & antea locutus eſt, & nunc iterum loquitur.

16 IN DIE CVM IVDICABIT DEVS OCCVLTA HOMINVM. Pars iſta cum proximè præcedente connecti poteſt hoc modo; Quod quidem teſtimonium conſciētiæ accuſantis vel etiam defendentis, etſi valeat plurimum in hoc ſæculo, præcipuè tamen locum habebit in die iudicij, quo Deus iudicaturus eſt de factis omnium hominum, etiam iis quæ nunc ſunt occultiſſima. Vel *in die* iuxta Stapulenſem, id eſt in diem iudicij diuini: ſicut ſuperius, *in die iræ.* Nam illa cogitationum accuſatio vel excuſatio nunc quidem fit, ſed reſpicit diem examinis ac iudicij Dei. Nonnulli partem hanc, quod incommodè cum proximis cohęreat, annectendam putant ſuperiori verbo *oſtendunt*, ac ſi nunc tempus exprimatur, quo oſtenſio illa futura ſit, de qua dixerat: *Qui oſtendunt opus legis ſcriptum* &c. Quæ connexio mihi non probatur. Nam illa oſtenſio fit per opera legi conſentanea dum exercentur. Vnde nec dictum eſt *oſtendent*, ſed *oſtendunt.* Magis placet quod alius quidam admoner, iungendam eſſe cum verbo *iuſtificabuntur*, & ſuperioribus *iudicabuntur, peribunt*, quæ omnia ſunt futuri temporis, & iudicium diuinum reſpiciunt; vt ſequentia ab illo loco,

Cùm

Cùm enim gentes, &c. accipiantur velut parentheticè interiecta. Nam quo minus aptè hæc pars ad proxima referatur, æquè obstant præsentis temporis participia *accusantibus* & *defendentibus*.

SECVNDVM EVANGELIVM MEVM. Scilicet quod prædicandum mihi Christus tradidit. Hinc discе contra sectarios, ad euangelium pertinere non solùm annunciationem gratiæ Dei & salutis per Christum promissæ, sed etiam iusti iudicij, quo Deus vnicuique reddet secundum opera sua. Scribit Hieronymus in catalogo de Lucâ, quosdam suspicari, quotiescumque in epistolis suis Paulus dicit, *iuxta euangelium meum*, de Lucæ significare volumine: Sed eam suspicionem nec Hieronymus sibi probari significat, neque nos probamus. Euangelium enim suum Paulus non aliud intelligi vult, quàm doctrinam euangelicam, vt dixi, à se prædicatã; quòd eam Christo reuelante didicisset. Gal. 1.

Quod vocet Paulus euangeliũ suũ.

PER IESVM CHRISTVM. Hoc adiungendum illi parti; *cùm iudicabit Deus occulta hominum*. Sensus enim est; Deum iudicaturum per Christum hominem, *qui constitutus est ab eo iudex viuorum & mortuorum*, Act. 10. Quẽadmodum habet & symboli nostri confessio.

17 SI AVTEM TV IVDÆVS COGNOMINARIS. Hic iam apertè & expresso nomine sermonem ad Iudæum conuertit, ac graui accusatione eum vrget, quod cùm legem à Deo accepisset, eoque nomine sibi placeret, non tamen id præstaret lege instructus quod gentes sine lege. Atque in ea re inculcanda persistit vsque ad finem cap. Est autem oratio splendida ac vehemens, & ad rem quam agit accommodata: Quâ priùs quidem recenset ea quæ videbantur in Iudæo præclara, & in quibus gloriabatur; postea verò ex iis ipsis, quoniam tantis beneficiis non responderet, damnabilem eum ostendit. *Si*, inquit, *tu Iudæus cognominaris*, id est geris nomen Iudæi, eoque nomine gaudes, 18 & in eo gloriaris. Etenim reuera honorificum erat appellari Iudæum, sicut nũc vocari Christianum. Erat enim nomen illud & appellatio populi Dei, hoc est, à Deo peculiariter electi, & à cæteris gentibus ad ipsius cultum separati. *Non* enim fecerat *taliter omni nationi*, ps. 147. Cepit autem appellatio Iudæorum sub tempus captiuitatis Babylonicę, postquã decem tribus abductæ fuissent in Assyrios: cùm antea communi nomine vocarentur filij Israël. Ac primùm quidem ij soli qui erant de regno duarum tribuum, hoc nomine vocabantur, à tribu videlicet principaliore, vt 4. Reg. 16 & 25. Item apud Ieremiam & Danielem. At in libro Esther, vbi frequens est nomen Iudæorum, accipitur generaliter vt omnes tribus cõprehendat. Sic & deinceps apud Zachariam cap. 8. & in libris Machabæorũ, atque in tota scriptura noui testamenti. Et de hac generali nuncupatione Iosephus intelligendus est, cũ dicit libro 11 antiq. Iud. cap. 5. tum primùm eam inditam fuisse & populo & regioni (scilicet vt regio Iudæa vocaretur) quando à Babyloniâ sunt reuersi. Ex his etiam constat eos vehementer falli, qui nomen Iudæorum à Iuda Machabæo deductum volunt: quum fuerit facilè tribus sæculis antiquius. Quod ad initium attinet huius partis, variant Græci codices. Nam plerique qui nunc exstant, habent ἰδὲ, id est *ecce tu Iudæus*. Atque ita verterunt Erasmus & Faber, alijque neoterici. Idque etiam mauult F. Toletus. At interpres noster legit εἰ δὲ *Si autem*. Quomodo & in Origene Ruffinus vertit: & com. Ambros. legit. Prior lectio reddit sententiam absolutam: Posterior suspensam relinquit, quæ tandem absoluitur ibi: *Qui ergo alium doces*, &c. Eadem varietas exstat in epistola Iacobi cap. 3. *Si autem equis*, &c.

Vnde sit orta Iudæorum appellatio.

ET REQVIESCIS IN LEGE. Hæc quæ sequuntur, tanquam bona quædam commemorantur vsque ad illud: *Qui ergo*, &c. Nondum enim venit apostolus ad reprehensionem. Non igitur sensus est: Qui spem salutis in lege collocas nihil amplius quærens, quasi illa tibi satis sit ad iusticiam. Hoc enim malum est. Sed *requiescis*, siue vt alij vertunt, *acquiescis in lege*, hoc est oblectaris in lege, de eâ tibi gratularis seu applaudis tanquam de insigni Dei beneficio: frequens es in eius auditu & lectione. Sermo est de vniuersa lege Mosaicâ, præcipuè tamen de morali, vt ex sequentibus patet.

ET GLORIARIS IN DEO. Hoc est, gloriaris verum Deum esse Deum tuum, qui te ad cultum suum ex omnibus mundi nationibus elegerit, & populum sibi peculiarem fecerit. Meritò quidem hac in re gloriabatur Iudæus; erat enim magnum Dei beneficium; sed illud non rectè, quod in Deo nõ sicut oportet gloriaretur, vel plus sibi tribuendo quàm deberet, vel non in Deum bona quæcunque accepisset referendo.

18 ET NOSTI VOLVNTATEM EIVS. *Eius* non est in Græco, sed ab interprete additum ad explendum sensum. Ex lege nosti, inquit, quid Deus velit te facere, & à quibus abstinere. Hæc vocari solet voluntas signi, in præceptis consistens.

ET PROBAS VTILIORA INSTRVCTVS PER LEGEM. Id est, ex lege sic institutus es, vt noris bona à malis discernere, ac probè scias quid agere, quid fugere debeas. Hanc enim vim habere videtur quod in Græco est διαφέροντα, q. d. *differentia*, pro quo legit Augustinus *distantia*, lib. de spir. & lit. cap. 8. Porrò *differentia*, id est meliora, bona præ malis. Quare minùs placet, quod Erasmus vertit, *eximia*. Rectiùs alij *meliora*; sic tamen vt comparatiuus impropriè sumatur, sicut apud Poëtam: *Video meliora proboq; deteriora sequor*. *Instructus* Græcè κατηχούμενος, participium præsentis temporis, quo significatur is, qui mysteriis alicuius religionis initiatur. Vnde catechumeni apud Christianos. Sensus: Legem habens in promptu, quæ te quotidiè docet ac instruit.

CON-

19 CONFIDIS TEIPSVM ESSE DVCEM COECORVM, LVMEN EORVM QVI IN TENEBRIS SVNT. In Græco præfixa eſt coniunctio, *& confidis*. Quo intelligitur illud *inſtructus per legem* non ſequentibus ſed præcedentibus annectendum eſſe. Senſus: Arrogas tibi tantam legis ſcientiam, vt etiam cæcis, id eſt, errantibus ducem te præbere, & iis qui in tenebris ſunt, id eſt ignorantibus, lumen doctrinæ poſſis adferre. Confidere pro gloriari legitur etiam alibi, de quo vide cõmentarium ad illud 2 Cor. 3. *Fiduciam autem talem habemus* &c.

20 ERVDITOREM INSIPIENTIVM, MAGISTRVM INFANTIVM. Etſi plus eſt eſſe magiſtrum ſiue doctorem, Græcè διδάσκαλον, quàm eruditorem παιδευτὴν, qui ſcilicet erudiendis tantum pueris adhibetur, quum magiſter etiam grandes & prouectos habeat diſcipulos: hic tamen videntur confundi. Nam ſicut eruditorem vocat inſipientium, ita magiſtrum infantium, ſiue paruulorum, Græcè νηπίων, id eſt rudium & imperitorum. Transfertur enim hæc vox ad animum. Quod in ſcriptura frequens eſt.

HABENTEM FORMAM SCIENTIÆ ET VERITATIS IN LEGE. *Formam* Græcè μόρφωσιν, *formationem*. Quo nomine ſignificat inſtituẽdi formandiq́ue rationem, quam quis alijs præſcribit. Habetur idẽ vocabulum 2 Tim. 3, vbi interpres vertit *ſpeciem*. *Habentes ſpeciem quidem pietatis*. Cuius loci veram intelligentiam illic indagabimus. Quod autem hic dicit, tale eſt: Profiteris te magiſtrum imperitorum, vt qui ex ſtudio legis conſecutus ſis formam ac rationem, quâ etiam alios ſcientiâ veritatis imbuere, ac morum præceptis inſtruere queas. Cauſaliter enim hæc pars connectenda cum præcedenti.

21 QVI ERGO ALIVM DOCES, TEIPSVM NON DOCES. Nunc ad accuſationem ipſorum vertit bona quæ dixerat; quia non iis vtebantur ad eum finem, vt bene & iuſtè viuerent. Hanc partẽ cum ſequentibus Chryſoſtomus, Theophylactus & alij plerique legunt ſchemate interrogationis. Alij verò enunciatiuè, vt annotauit Oecumenius. Senſus tamen eodem recidit; niſi quod acrior & vehementior eſt obiurgatio per interrogationem. *Teipſum non doces*, id eſt non viuis vt doces: doctrinã tuam facto non oſtendis. Nam *turpe eſt doctori cum culpa redarguit ipſum*. Vnde ſequitur.

QVI PRÆDICAS NON FVRANDVM, FVRARIS:

22 QVI DICIS NON MOECHANDVM, MOECHARIS. Hæc faciebat Iudæus non ſolum cupiditate & affectu, verumetiam ipſo opere. Nam etſi lex manum cohibebat, non animũ; in multis tamen efferueſcens cupiditas erumpebat in actum externum. Etenim de manifeſta violatione legis apoſtolum loqui, patebit ex ſequentibus.

QVI ABOMINARIS IDOLA, SACRILEGIVM FACIS. Sacrilegium hoc intelligi debet in participatione cultus idolorum, vt reſpondeat antitheto ſuo, *qui abominaris idola*. Committebat autẽ huiuſmodi ſacrilegiũ Iudęus exponẽtibus Chryſoſt. & Theophyl. quãdo cupiditate victus res idolis cõſecratas contra legẽ vſurpabat. Id enim erat idolorũ cultus participem fieri. Poteſt etiã intelligi in eo quod gula aut hominũ amicitia illecti menſas adibãt idolothytis inſtructas. Nam & hoc ad idolorũ culturam & dæmonum ſocietatem pertinere, Paulus docet 1 Corint. 10. Minus probabile quod Syrus interpres reddit: *ſpolias domum ſanctuarij*, id eſt templum: niſi ſacerdotes templi Hieroſolymitani occultè de eius theſauro furantes, hîc taxat; quod ipſum tamen non erat idolis participare. Idola more ſcripturæ dicũtur ſimulacra falſorum deorum, vel quæ ipſa pro diis coluntur. De qua voce plura ad illud 1 Cor. 8: *Nihil eſt idolum in mundo*.

23 QVI IN LEGE GLORIARIS. Tanquam à Deo accepta; Nec enim Iudęis erat materia gloriandi, legem à Deo accepiſſe præ cæteris gentibus. Nam *iudicia ſua non manifeſtauit eis*, pſal. 147.

PER PRÆVARICATIONEM LEGIS DEVM INHONORAS. Illum ipſum ſcilicet, à quo legem accepiſti. Nam legis præuaricatio cedit in iniuriam & ignominiam legiſlatoris. Tollitur enim per eam honor illi debitus, qui cõſiſtit in obſeruatione legis ab eo latæ: præſertim vbi tranſgreſſio eſt hominibus manifeſta, qui per hoc DEO tuo ſint obtrectaturi. Id enim hic ſignificari, declarat probatio ſequens;

24 (NOMEN ENIM DEI PER VOS BLASPHEMATVR INTER GENTES. *Per vos* Græcè δ' ὑμᾶς propter vos. Et ſenſus eſt: Propter vos, id eſt veſtra culpa, qui legem à Deo traditam palàm violatis; malè de Deo veſtro gentes loquũtur, detrahentes honori & maieſtati eius, qui habeat tam malos cultores, quaſi eos vel negligat punire, vel non poſſit; vel etiam ſcelera approbet. Qua de re grauiter expoſtulat Dominus apud Ezech. cap. 36.

SICVT SCRIPTVM EST.) Ad locum memoratum Ezechielis hanc Pauli citationem referendam eſſe multi exiſtimant. Sed rectiùs Origenes & alij referunt ad locum Iſaiæ 52. Nam verba apprimè conueniunt iuxta verſionem LXX, quæ ſic habet: *Propter vos ſemper nomen meum blaſphematur in gentibus*. Iam ex his verbis ſatis apparet illa ſuperiora *furaris, mœcharis, ſacrilegium facis*, de externo opere accipienda eſſe. Nam propter ſolum affectum intus latentem non poterat infamari nomen Dei apud exteras nationes.

25 CIRCVMCISIO QVIDEM PRODEST, SI LEGEM OBSERVES. Græcè: *Nam circumciſio quid eſt, ſi legem facias ſeu exſequaris*. Aliud nunc remouet, in quo gloriabantur Iudæi, nempe circumciſionem: Docetq́ue eam nihilo magis quàm ſuperiora, ſi legem non obſeruent, ipſis profuturam ad ſalutem; ſed ita demum prodeſſe, ſi legem obſeruent. Vbi quæſtio occurrit; quomodo cum hac ſententia non pugnẽt illæ Gal. 5 & 6. & 1 Cor. 7, quibus dicitur neq;

circum-

circumcisionem valere quicquam, neq; præputium, sed fidem quæ per charitatem operatur, & obseruationem mandatorum Dei. Respondent apostolum hic loqui de circumcisione pro tempore legis, alibi verò pro tempore reuelatæ gratiæ. Vnde in vtroque loco ad Gal. addit, *in Christo Iesu*. Sed verior responsio est ex mente Pauli (respicientis etiam ad tempus quo hæc scribebat, quando Iudæis nõdum erant legalia prohibita) circumcisionem prodesse Iudæo legem obseruanti, quia circumcisione bene vtitur. Nam qui legem obseruat, circumcisionem quam in carne accepit, transfert ad spiritum, dum quod circumcisione carnis significatur, id est vitiorum amputatio & fuga, in ipso impletur. Nã circumcisio signum quoddam erat, Iudæum commonefaciens cor esse circumcidendum, secundum illud Ierem. 4. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum.* Adde quod etsi Iudæo iam illicita facta fuisset circumcisio per sufficiẽtem euangelij promulgationem, tamen adhuc proderat ei seruanti legem circumcisio quam infans acceperat, quatenus per eam admonebatur circumcisionis spiritualis, quam illa carnis circumcisio significabat. Sunt qui putent hîc per synecdochen nomine circumcisionis totam legem ac professionem Iudaicam intelligi. Secundum quos sensus est: Religione ac professione Iudæum esse prodest, si qui talis est, legem obseruet, atque id quod profitetur præstet. Quod tamen etiam secundum suprà dicta debet intelligi. Verùm ea circumcisionis acceptio neque cum sequentibus admodum congruit, neque facilè potest aliunde probari.

Quo sensu profuerit Iudæo circumcisio.

SI AVTEM PRÆVARICATOR LEGIS SIS, CIRCVMCISIO TVA PRÆPVTIVM FACTA EST. Sin autem, inquit, legem non obserues, sed transgrediaris; nihil tibi conferet tua circumcisio; nec omninò proderit Iudæum esse genere ac professione: sed eris tanquam non circumcisus, id est præputiatus, gentilis: quasi dicat. Circumcisio tua tibi versa fuerit in præputium. Est enim præputium ea pellicula, cuius amputatione fiebat circumcisio.

26 SI IGITVR PRÆPVTIVM IVSTICIAS LEGIS CVSTODIAT; NONNE PRÆPVTIVM ILLIVS IN CIRCVMCISIONEM REPVTABITVR? Erotemate Iudæum perurget comparatione gentilis. Nã præputiũ prioti loco metonymicè pro homine præputiato, id est gentili incircũciso ponitur. *Iusticias legis* Græcè *iustificationes legis*, id est mandata legis, quorũ obseruatione iusti sunt homines. Sensus est: Igitur è diuerso si gentilis legem obseruet, iusta opera exercẽdo; nónne perinde habendus erit, & apud Deum reputabitur vt circumcisus? quia nimirũ rem circumcisione significatam exhibet opere. Est enim corde circumcisus, licèt non carne.

27 ET IVDICABIT ID QVOD EX NATVRA EST PRÆPVTIVM LEGEM CONSVMMANS, TE, QVI QVI PER LITERAM ET CIRCVMCISIONEM PRÆVARICATOR LEGIS ES? Hæc posterior erotematis pars est instar conclusionis, qua tãdem in Iudæũ subtiliter retorquet iudicium quo gentilẽ Iudæus grauabat; vt vidimus initio huius cap. (*consummãs* Græcè τελῶσα, quod minus plenè vertit Erasmus, *si seruauerit*. Nam Græcũ verbũ τελεῖν, perficere & implere significat. Sensus: Et nõne gentilis quem tu iudicare soles, etsi præputiũ habẽs cũ quo natus est, si legem obseruet ac perficiat, sui comparatione condẽnabit te, qui cũ literam, id est legẽ in tabulis scriptã habeas, & carne circũcisus sis, atq; externa professione Iudæus; tamen huic professioni non respondes, sed legẽ acceptam præuaricaris? Simili locutione dicit è diuerso cap. 4. gẽtes per præputiũ credere. Posset alioqui sic intelligi: *per literã & circũcisionẽ præuaricator*, id est occasione legis & circumcisionis trãsgressor factus, quia *lex iram operatur* infrà ca. 4. quomodo dictũ est: *litera occidit* 2 Cor. 3. &: *Virtus peccati lex* 1 Cor. 15. Notandum est à Syro interprete priorem partem ita reddi: *Et iudicabit præputium quod ex natura sua perfecit legem*; vt illud *ex natura sua*, videatur apostolus opponere vocibus quas subiungit, *per literam & circumcisionem*: sitq; idem cum eo quod suprà dixit, gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt facere. In quẽ sensum & Græca accipi posse mihi videntur, etsi interpretatione minus prompta & commoda. Cæterũ illud hic obserua lector, quã sæpè ac diuersis verbis apostolus repetat atque inculcet, hominem iustificatum facere, seruare, consummare legem Dei, vt intelligas quàm sint ab apostolico spiritu alieni nouatores nostri, quum docent Dei præcepta homini etiam iustificato & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia. Quos proinde iusto anathemate dãnauit Synodus Trid. sess. 6 can. 18.

28 NON ENIM QVI IN MANIFESTO IVDÆVS EST; NEQVE QVÆ IN MANIFESTO IN CARNE, EST CIRCVMCISIO. Docet quis Iudaismus, & quę circũcisio hominẽ Deo cõmendet, atq; ex eo probat vetsum præcedentẽ. Sensus est: Non enim qui genere aut professione externa & hominibus conspicua Iudæus est, is verè & corã Deo Iudæus est; neq; circumcisio manifesta atque externa quæ fit in carne, vera est circũcisio. Non negat fieri posse, vt qui in manifesto Iudæus est, idẽ etiã verè & coram Deo Iudæus sit: Ipse enim qui hæc scribit apostolus Paulus, & in manifesto Iudæus erat & coram Deo: Sed negat ex eo verum Iudaismum æstimandum esse, quod in manifesto quis Iudæus sit: ac similiter de circumcisione.

29 SED QVI IN ABSCONDITO, IVDÆVS EST. Id est, qui Iudæus est in abscondito, vbi Deus videt; qui corde ac legis obseruatione ex corde profecta Iudęus est: ille demũ verus est Iudęus, ad quẽ pertinent promissiones Abrahæ factæ.

ET CIRCVMCISIO CORDIS IN SPIRITV, NON LITERA. Quod ait: *In spiritu non litera*: iucundius sonat in Græco, ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι,

Spiritum nonnulli humanum interpretantur, id est animam seu mentem. Augustinus in expositione quarundam huius epistolæ propositionum, per spiritum intelligere videtur sensum spiritualem legis, & per literam sensum literalem, qui est de carnali circumcisione. Atqui idem Augustinus in lib. de spiritu & litera cap. 8. spiritum interpretatur Spiritum sanctum. Quam genuinam esse expositionem ostēdit locus eiusdē apostoli 2 Cor. 3: vbi similiter spiritum opponēs literæ, de Spiritu sancto se loqui manifestè declarat. Cæterùm pars hæc vt superioribus respondeat, ita supplenda videtur: Et circumcisio cordis circumcisio est: nempe quæ in spiritu, non in litera; vt hic sit sensus: Et circumcisio qua cor circumciditur à vicijs & cōcupiscentijs, ea demum vera Deoque placita circumcisio est, vtpote quæ spiritualis sit circumcisio, id est per Spiritum sanctum facta: nō autē carnalis iuxta literam legis Mosaicæ. Potest etiam illud, *in spiritu, non litera* seorsim accipi, & referri ad vtrumque quod præcessit, Iudęum & circumcisionem: vt sensus sit; Verum esse Iudæum, qui talis est in spiritu, non litera, id est qui secundum spiritum est Iudæus, non secundum literam, modo iam explicato. Similiter quoque veram esse circumcisionem, quæ talis est in spiritu, non litera.

CVIVS LAVS NON EX HOMINIBVS, SED EX DEO EST. *Cuius* Græcè οὗ, masculinum est vel neutrum. Itaque nō potest præcisè ad circumcisionem referri, quæ etiam in Græco fœminini generis est, περιτομή. Proinde vel ad Iudæum referri debet, quod facit Augustinus in expositione: vel per syllepsin ad vtrumque, id est Iudæum & circumcisionem, hoc sensu: Qui Iudæus, & quæ circumcisio spiritualis, laudem & commendationem habet, non apud homines, qui non vident nisi quæ foris sunt conspicua; sed apud Deum, qui cor intuetur.

SVMMARIVM.

Ostendit in quibus Iudæi præcellant gentibus. Omnes tamen docet esse sub peccato, nec habere de quo glorientur: & proinde egere iustificatione per fidem Christi.

CAPVT TERTIVM.

1 QVID ERGO AMPLIVS IVDÆO EST? AVT QVÆ VTILITAS CIRCVMCISIONIS? Oritur hæc quæstio ex eo quod dixerat, circumcisionem nihil prodesse sine legis obseruatione: & præputiū nihil obesse obseruanti legem. Mouet autem eam quæstionem Paulus in gratiam Iudæorū: ne videatur eos nimium depressisse, tanquam nihil illis prę̄stitū esset à Deo præ gētilibus. Sēsus est: Si ita se res habet, vt dictum est; quid igitur amplius præ gentili, quidue eximium (Græcè τὸ περισσὸν) collatū est Iudæo? quid habet Iudæus in quo præcellat? deniq; *quæ vtilitas circumcisionis?* id est quid prodest esse circūcisum? Quidam posteriorem interrogationis partem cum priore confundunt, tanquam vnum idemque significetur, hoc nimirum: Quid prodest esse religione Iudæum? Sed alij rectiùs distinguunt, vt prior pars quærat de populi prærogatiuis in genere, quod ad religionem pertinet, vt sunt lex, prophetæ: posterior autem specialiter de circumcisione, quæ mandata fuit ipsorum patriarchæ in totam posteritatem. Rectiùs, inquam, distinguunt: Nam separatim apostolus ad eas respondet: continuò quidem ad partem priorem, ad posteriorem verò capite sequenti.

2 MVLTVM PER OMNEM MODVM. Hypophora est, qua suæ ipsius interrogationi respondet. Quo schemate septies adhuc vtitur hoc eodem capite, & sæpe alibi. Non enim solùm ornat orationem, verùm etiam ad docendum cumprimis accommodum est. *Multum*, inquit, *per omnem modum*, id est, valde multum amplius est Iudæo. Hîc enim, vt dixi, ad priorem partem quæstionis respondet; ad alteram postea suo loco respōsurus: vt inanis & intempestiua sit hoc loco coniectura Erasmi, qui suspicatur à Paulo non fuisse scriptum πολὺ *multum*, sed πολλὴ *multa*: vt ad vtilitatem referatur. Dicet aliquis: Si multum omninò amplius est Iudæo præ gentili; quomodo ad Gal. 3 parem facit vtriusque conditionem, dicens: *Non est Iudæus, neque Græcus; non est seruus neque liber*, &c. Respondeo, Paulum eo loco non aliud velle, quam rem esse adiaphoram in religione Christiana, sitne quis Iudæus an gentilis, seruus an liber. Hic verò eum loqui de beneficiis olim populo Iudaïco præstitis præ cæteris gentibus. De qua re psalmista: *Non fecit taliter omni nationi.* Hoc enim est quod sequitur. *Quæstio.* *Responsio.*

PRIMVM QVIDEM, QVIA CREDITA SVNT ILLIS ELOQVIA DEI. Græcè *Nam primum quidem*, id est hoc imprimis & præcipuè Iudæis amplius est, quod credita, commissa, tradita sunt eis eloquia Dei. Pronomen *illis* in Græco non exprimitur; sed ab interprete necessariò adiectum. Nam ἐπιστεύθησαν *crediti sunt eloquia*, Latinè dicitur credita siue commissa sunt eis eloquia Dei. Sic autem loquuntur Græci: creditus est hanc rem, id est hæc res ei concredita, commissa est. Annotauit hoc bene Erasmus, tacitè notans imperitiam Fabri, qui relatiuum *illis* reiecerat vt superfluum. *Eloquia*, Græcè λόγια. Quæ vox apud authores Græcos peculiariter vsurpatur ad significanda responsa Dei vel Deorum, quæ Latini vocamus oracula. Sed in sacris literis extenditur ad omne Dei verbum hominibus traditum, cuiusmodi est vniuersa scriptura sacra, siue prophetica, siue historica, seu quæcumque alia.

Erat

Prærogatiuæ Iudæorum præ gentibus.

Erat autem permagnum beneficium habere legem, & scripturas sibi traditas à Deo. Priuilegia Iudæorum prę gentibus explicat idem apostolus enumeratione quadam infrà cap. 9: *Quorum est*, inquit, *adoptio filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum patres, & ex quibus est Christus secundum carnem*. Ex quo videmus apostolum hoc loco non omnia voluisse expromere quæ Iudæus habeat præ gentili; sed vno ac præcipuo beneficio nominato pleniorem declarationem alij loco seruasse. Quod fortè significare voluit dicendo, *primùm quidem*. Ac si dicat: non hoc solùm est, sed sunt & alia alibi referenda. Quare & de eo quod hoc loco quærunt nonnulli, fuerítne signaculi circumcisionis apud Iudæos vtilitas aliqua, siue effectus spiritualis ac salutaris: ex iis quæ hic dicuntur, statui nihil potest: tum quia de circumcisione nondum hic respondet apostolus: tum quia contentus vnam exposuisse Iudæorum prærogatiuam, de cæteris tacet. Erit autem opportunum, vt de ea quæstione aliquid dicamus ad illud capitis sequentis. *Et signum accepit circumcisionis*, &c.

QVID ENIM, SI QVIDAM ILLORVM NON CREDIDERVNT? Græcè ἠπίστησαν, quasi dicat incrediderunt, credere noluerunt, scilicet eloquiis Dei sibi creditis. Hoc est: non habuerunt fidem promissis diuinis, quæ continentur in scriptura. *Illorum* non est in Græco, tametsi additum facit ad sensum.

3 NVNQVID INCREDVLITAS ILLORVM FIDEM DEI EVACVABIT? Futuri temporis verbum *euacuabit* (pro quo in multis legebatur præteritum *euacuauit*) omninò retinendum ex castigatione Romana. In hanc enim lectionem mss. codices emendatiores cum Græcis conspirant. *Euacuabit* autem, id est abolebit, irritam faciet, Græcè καταργήσει. Et est sensus: Nunquid illorum incredulitas efficere poterit, vt Deus promissa sua non præstet, fidemque datam non seruet? Fides hic accipitur, vt aliàs sæpissimè in scriptura veteris testamenti, pro veritate in præstandis promissis.

ABSIT. Græcè μὴ γένοιτο. *Ne sit, ne fiat*; scilicet vt hominum malicia Dei fidem euacuet. Sermo est abominantis, velut rem absurdam, atque adeò impossibilem: Siquidem impossibile est Deum mentiri, aut fidem fallere. Vnde sequitur.

4 EST AVTEM DEVS VERAX In omnibus dictis & promissis: adeò vt fallere non possit. Est enim ipsa veritas. Notandum pro verbo *est* in Græco legi γινέσθω, id est *fiat*. Et ita citant hunc locum Amb. lib. 3. de fide ad Grat. cap. 3. & Hiero. in commentario epistolæ ad Titum cap. 1. Estque sensus: Sit Deus verax; hoc est, sine ambiguitate credatur verax in omnibus suis dictis & promissis. Putant quidam interpretem vertisse *esto*.

OMNIS AVTEM HOMO MENDAX. Scilicet ex semetipso & ex inclinatione deprauatæ suæ naturæ: Sumptum ex psalmo 115. Excipitur autem ille homo, qui etiam Deus est. Non hic repetendum γινέσθω, sed supplendum ἐστὶ. nisi illud exponas, habeatur, reputetur.

SICVT SCRIPTVM EST. Referri posset hæc citatio ad sententiam modo dictam. Sed meliùs & quidem necessariò refertur ad testimonium sequens, quod alioqui non cohæret.

VT IVSTIFICERIS IN SERMONIBVS TVIS, ET VINCAS CVM IVDICARIS. Adducit hoc testimonium ex psal. 50, quo ostendat Deum semper in promissis esse veracem, non obstantibus etiã hominum peccatis; adeò vt ex nostra iniquitate magis etiam appareat, atque illustrior fiat ipsius veritas & iusticia. Quod luculentè docet psalmus 88, in quo post commemoratas promissiones Dauidi & semini eius factas, affirmat Deus, etiamsi posteri legem suam deserant, ac iusticias suas profanent, tamen inconcussè seruaturum se ea, quæ promiserat; nec irritum facturum quicquam eorum, quæ de labiis suis processerant. Vt intelligatur hoc Paulum velle, exponendus est psalmi versiculus. *Tibi soli peccaui*, inquit Dauid, *& malum coram te feci*. Ex qua mea iniquitate id consequitur, vt tu iustificeris in sermonibus tuis, &c. id est, vt omnes cum laude agnoscant adeò te iustum ac veracem esse in verbis tuis ac promissis, vt ne quidem ob peccata hominum, promissiones tuas retractes: quandoquidem mihi, nihil obstante hac mea, quam confiteor, iniquitate, præstabis quæcumque de regni stabilitate, successore, & sancto semine ex me nascituro fuisti pollicitus: itaque fit vt semper vincas cum iudicaris, id est victor & superior in causa pronuncieris, quoties quis recta ratione voluerit de tuis factis iudicium aut examen instituere. Ita hunc modum exponit Euthymius, congruenter admodum cum mente Pauli hoc loco. Ex qua etiam expositione liquet, particulam *vt* non finalem esse, sed tantùm consecutionem denotare: quod & Theophylactus hîc annotauit. Loquitur autem apostolus de promissis Dei absolutis, quale fuit illud psalmi 88. non de iis quæ conditionem habent annexam. Nam quæ huiusmodi sunt; ea, non seruata conditione, euacuari & irrita fieri posse constat, salua fide & veritate promittentis. Nonnulli versum hunc, *vt iustificeris* &c. in psalmo per hyperbaton referunt ad preces superiores, *Miserere mei. Dele iniquitatem meam. Laua me. Munda me.* Ac si diceret Dauid: Si mei misertus fueris, si deleueris iniquitatem meam, si laueris & mundaueris me; verax & iustus inuenieris in sermonibus tuis, quibus veniam & gratiam promisisti pœnitentibus. Probabilis quidem etiam hic sensus: Verum expositio prius data pleniùs seruire

Hominũ peccata nõ mutãt Dei promissa.

videtur explicandæ menti Paulinæ. Cæterùm obſerua Paulum in hoc teſtimonio citando ſequi verſionem LXX interpretum: quod ferè ſolet vbi eorum verſio parum aut nihil ab Hebræo diſcrepat; vti contingit in hoc verſiculo, quem Hieronymus ex Hebræo vertit iiſdem verbis; niſi quod pro *iudicaris* reddidit futurum *iudicaberis*, ſenſu nihil diuerſo.

5 SI AVTEM INIQVITAS NOSTRA IVSTICIAM DEI COMMENDAT, QVID DICEMVS? *Iniquitas*, ἀδικία; pro qua malim *iniuſticiam*, propter antitheſim ad *iuſticiam*. *Commendat* Græcè συνίστησι. Quod quidam potiùs vertendum putant, *confirmat, conſtabilit, adſtruit*; quomodo accipitur Galat. 2. vbi nos habemus: *prænaricatorem me conſtituo*. Sed & in Syriaco *confirmat* legitur. Atqui ſentit Eraſmus interpretem noſtrum rectè vertiſſe: nec ipſe ſecùs vertendum ſibi putauit. Nam in verbo commendandi poſſunt ea quæ commendationi coniungi ſolent, etiam intelligi; vt declaratio, teſtificatio, confirmatio. Dixerat apoſtolus incredulitate hominum non modò non euacuari fidem Dei, verùm etiam illuſtrari. Quare meritò quæſtionem hanc ſubijcit, inquiens: Si noſtra iniquitas ſiue iniuſticia commendat, id eſt apparere facit, & illuſtriorem reddit, adeoque confirmat Dei iuſticiam & fidem erga homines; *quid dicemus?* ſcilicet ad quæſtionem ex illis dictis obuiam, quæ ſequitur.

NVNQVID INIQVVS EST DEVS QVI INFERT IRAM? Et hic mallem, *Nunquid iniuſtus eſt Deus*: vt ſicut in Græco, ſic in Latino παρονομασία quædam appareat. Senſus: An ob id cenſebimus Deum iniuſtum eſſe, qui infert iram, id eſt punitionem; qui punit & vindicat peccata, ex quibus eius iuſticia commendatur?

6 (SECVNDVM HOMINEM DICO). Id eſt, ſecundum humanum ſenſum loquor: obiectionem hanc moueo ex perſona hominis diuina nondum capientis; cui facilè, ſicut experientia docet, huiuſmodi quæſtiones occurrant.

ABSIT: vt ideo credatur Deus iniuſtus; vt quis de Deo tam abſurdè & indignè ſentiat.

ALIOQVIN QVOMODO IVDICABIT DEVS HVNC MVNDVM? Græcè τὸν κόσμον, *mundum*, ſine pronomine demonſtratiuo, conſentientibus etiam mss. quibuſdam Latinis, & Syro exemplari. Deductione ad incommodũ repellit obiectionem, quaſi dicat: Si propter cauſam memoratam Deus iniuſtus cenſendus eſt in vindicandis peccatis; igitur non erit idoneus qui iudicet mundum. Quod eſt longè abſurdiſſimum. Sequela manifeſta eſt, quia iudicem totius mundi iuſtiſſimum eſſe oportet. Cæterùm directa quæſtionis ſolutio eſt, Dei iuſticiam non illuſtrari noſtra iniquitate per ſe, ſed tantum vt per occaſionem. Nam vera cauſa illuſtrandæ iuſticiæ diuinæ, qua iuſtus & fidelis eſt in verbis ſuis, ipſa bonitas eſt & potentia Dei, ad eum finem vtentis peccatis hominum, ſeu potius ea permittentis: ſicut & ea permittit, tum ad demonſtrandam iuſticiam ſuam vindicatiuam in iis puniendis, tum ad declarandam ſuam miſericordiam in iis remittendis. Et quidem veram cauſam illuſtrandæ iuſticiæ Dei non eſſe noſtra peccata, docet apoſtolus ſubiunctis verbis, idque rurſus ad incommodum deductione, cùm ait:

7 SI ENIM VERITAS DEI IN MEO MENDACIO ABVNDAVIT IN GLORIAM IPSIVS. Mendacium vocat quod paulo antè iniquitatem, id eſt peccatum. Nullus enim peccat, niſi falſa ſpecie boni. Dixit autem mendacium propter antitheſim cum veritate. Abundare in gloriam eſt clariorem fieri.

QVID ADHVC ET EGO TANQVAM PECCATOR IVDICOR? Redundat, vt alibi interdum, & particula. Senſus totius verſus eſt: Si fides & veracitas Dei clarior & illuſtrior facta eſt per meum mendacium ſiue iniuſticiam; cur ego poſtea iudicor, condemnor, & punior tanquam mendax & peccator? Suam perſonam ponit pro quauis alia, tanquam diceret; Si peccata hominum per ſe iuſticiam Dei illuſtrant, eiuſque gloriam promouent; cur igitur homines tanquam peccatores puniuntur? F. Toletus ſubtilem quendam adhibet huic loco commentarium, quem lectori ipſius iudicandum relinquo. Nobis quidem videtur coactior: Noſtra verò communis eſt expoſitio; quod & ipſe fatetur. Et huic optimè cohæret quod ſequitur.

8 ET NON SICVT BLASPHEMAMVR, ET SICVT AIVNT QVIDAM NOS DICERE; FACIAMVS MALA VT VENIANT BONA? *Blaſphemamur* βλασφημέμεθα, id eſt, maledicimur, malè de nobis homines loquuntur. Senſus: Et cur non potius dico (ſicut quidam malè de nobis loquentes aiunt nos dicere) faciamus mala, cumulemus peccata peccatis, vt veniant bona; quale eſt Deum glorificari? Suppleri ſententia poteſt etiam hoc modo: Et cur non potius facimus mala, vt Deus glorificetur? ſicut quidam calumniantur nos dicere, *Faciamus mala vt veniant bona*. Videtur apoſtolus eos ſignificare, qui malè & calumniosè interpretabantur id quod paſſim docebat, ſuperabundaſſe gratiam Dei, vbi ſuperabundauit hominum iniquitas. Simul inſinuat, pro regula tenendum, ne vnquam malum faciamus cuiuſcumque boni gratia. Cæterùm permittere & non impedire mala quum poſſis, vt bona maiora eueniant; haud dubiè licitum eſt & laudabilis prudentiæ; quemadmodum & illud, conſulere cuipiam minus peccatum, quo à maiori reuocetur: ſicut ipſe fecit apoſtolus, quædam ſecundum indulgentiam

Regula moralis & perpetua.

dicens

dicens infirmis, non ſecundum imperium, 1 Cor. 7.

QVORVM DAMNATIO IVSTA EST, ſcilicet eorum qui ſic loquuntur: *Faciamus mala*, &c. Reiectio eſt. Non enim dignatur illationem tam abſurdam pluribus refellere, ſed eã ſimpliciter condemnat. Sapientis enim diſputatoris eſt, non ad omnia obiecta reſpondere, ſed quædam contemnere. *Damnatio* Græcè *iudicium*, ſed intellige condemnatiuum, vt alibi frequenter. Hîc ſecundum diſtributionem Theodoriti, finis eſt primi tomi huius epiſtolæ, & ſecundi initium à verbis ſequentibus. Cùm enim, inquit, gentilium & Iudæorum iniquitatem coarguiſſet apoſtolus, & vtroſque ſupplicio dignos oſtendiſſet; offert deinceps fidei medicamentum, & diuinæ diſpenſationis benignitatem docet.

9 QVID ERGO? PRÆCELLIMVS EOS? NEQVAQVAM. *Eos* non eſt in Græco, rectè tamen ſuppletum, etiam ab Eraſmo. Quoniam videbatur Iudæum prætuliſſe gentili, quando dixit, multum per omnem modum amplius eſſe Iudæo: rurſus hîc, ne Iudæus ſe extollat aduerſus gentilem, ita quærit; *Quid ergo?* an quia hoc amplius eſſe dixi Iudæo, ideo nos Iudæi præcellimus gentiles? Et reſpondet, *Nequaquam*. Græcè οὐ πάντως, *non omnino*: ſed vſurpat Paulus pro *nequaquam*, *nullo modo*. Qua reſponſione non iam ſibi contrarius eſt apoſtolus. Dixerat enim Iudæo amplius eſſe, quantum attinet ad externa beneficia Iudaico populo exhibita à Deo; & illud maximè, quia credita illis fuerant eloquia Dei: Hic autem negat Iudæum abſolutè præcellere, id eſt quo ad veram iuſticiam, à qua ſola petenda eſt hominis cuiuſque vera & ſolida ſupra alium excellentia. Vnde ſequitur,

Apparens antilogia tollitur.

CAVSATI ENIM SVMVS IVDÆOS ET GRÆCOS OMNES SVB PECCATO ESSE. Græcè προῃτιασάμεθα, quaſi dicat *præcauſati ſumus*. *Quod ego transferrem*, ait Valla, *ſuprà diximus enim cauſam*. Vnde ſenſum hunc reddunt: Iam enim antè probauimus allatis cauſis & rationibus, Iudæos & gentiles omnes peccato ſubditos eſſe, id eſt, omnes eſſe peccatores, & propter peccata damnatione dignos. Atqui plenior erit ſenſus, ſi dicas; Iam antè probauimus, allegatis criminibus, &c. Nam Græcum verbum & ſimplex & compoſitum ſignificationem habet accuſandi. Crimina audiuimus gentilium cap. 1, & Iudæorum cap. 2. Hic quæritur quàm generaliter illud *omnes* accipiendum ſit, quum cauſatum ſe dicit *omnes ſub peccato eſſe*. Nam ex præcedentibus ſolùm inferri poſſe videtur, multos ſub peccato eſſe; vt ex gentibus philoſophos, ex Iudæis legiſperitos: Siquidem horum propriè crimina percenſuit. Reſpondeo Pauli proculdubio mentem eſſe de omnibus ſine exceptione hominibus ſub peccato concludendis; ſicut & dicit Gal. 3: *Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato*. Primùm id patet ex ſcopo Pauli. Vult enim demonſtrare ſine fide Chriſti neminem iuſtificari poſſe: quod demonſtrari non poteſt, niſi conſtiterit ſine ea omnes eſſe peccatores. Idipſum probant teſtimonia ſcripturæ ſubiuncta, quæ prorſus vniuerſaliter loquuntur, illud potiſſimùm: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*. Ex quibus deinde rurſus vniuerſalem, omnes & ſingulos homines complectentem, facit illationem, dicens: *Vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo*. Nec pluribus opus eſt argumentis in re tam manifeſta. Ad obiectionem verò reſpondemus, Pauli collectionem, quæ breuis & proinde obſcura eſt, explicandam eſſe hoc modo: Gentilium & Iudæorum præcipui, & à quibus maximè erat exſpectanda iuſticia, quippe qui præ cæteris hominibus ſapientiam, vt philoſophi, & diuinæ legis noticiam, vt nomodidaſcali, profitebantur, peccauerunt & à iuſticia longè aberrauerunt: igitur & omnes cæteri, quibus nec ſapientiæ ſtudium cordi fuit, nec legis diuinæ noticia contigit. Argumentum eſt à minori. Nec verò plenior exigenda fuit de ſingulis probatio: quum intelligenti ſatis ſit rationem adferri poſſe ſingulis & omnibus communem, nec ignotam; id eſt humanæ naturæ corruptionem: etſi cauſa eius paſſim lateret. Hæc porrò ſi Iudæo minùs perſuadeant, audiat quæ ſequuntur.

Quæſtio.

Reſponſio

10 SICVT SCRIPTVM EST: QVIA NON EST IVSTVS QVISQVAM.

11 NON EST INTELLIGENS, NON EST REQVIRENS DEVM.

12 OMNES DECLINAVERVNT, SIMVL INVTILES FACTI SVNT: NON EST QVI FACIAT BONVM: NON EST VSQVE AD VNVM.

13 SEPVLCRVM PATENS EST GVTTVR EORVM; LINGVIS SVIS DOLOSE AGEBANT. VENENVM ASPIDVM SVB LABIIS EORVM.

14 QVORVM OS MALEDICTIONE ET AMARITVDINE PLENVM EST.

15 VELOCES PEDES EORVM AD EFFVNDENDVM SANGVINEM.

16 CONTRITIO ET INFELICITAS IN VIIS EORVM.

17 ET VIAM PACIS NON COGNOVERVNT.

18 NON EST TIMOR DEI ANTE OCVLOS EORVM. Omnes ſub peccato eſſe, copioſiùs adhuc probat propter Iudæos ex ſcriptura, tanquam propria (ſicut infrà dicit) ipſorum lege, conuincendos. Arguit autem hæc probatio, quemadmodum ſuperiùs admonni, vniuerſalem intellectum illius concluſionis: *omnes ſub peccato eſſe*. Dicitur enim: *Quia non eſt iuſtus quiſquam* &c. Item: *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*. Accedit & generalitas hominum illo verſu eiuſdem pſal. ſignificata: *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum: vt videat*

si eſt intelligens aut requirens Deum. Poſt quem verſum proximè ſequuntur verba à Paulo citata: *Omnes declinauerunt*, &c. Hoc enim quid eſt aliud quàm, omnes inuentos malos, neminem bonum? Verùm hæc intellige iuxta mentem & ſcopum Pauli, de filiis hominum, id eſt humano genere, quale eſt ex ſua origine, & qualis vnuſquiſque perſeuerat, donec iuſticiæ Dei per fidem Ieſu Chriſti particeps fiat. Non ſum neſcius, Hieronymum alicubi ſcripturam hanc; *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt*, interpretandam docere ſecundum illum canonem ſcripturarum, quo ſignum vniuerſale non ad totum, ſed ad partem maximam referendũ ſit, velut in eo quod apoſtolus dicit: *Omnes quæ ſua ſunt quærunt.* Philip. 2. Sic enim cenſet in epiſtola 146, quæ eſt de filio prodigo ad Damaſum Papam, & in commentario epiſtolæ ad Eph. ſub finem capitis primi. Quam Hieronymi interpretationem etiam alij quidam ſequuntur. Mihi tamen Paulino ſenſui, atque etiam Dauidico, conuenientius videtur, vt vniuerſaliter vtriuſque verba accipiantur, eo modo quo dixi. Nam de Paulo ſatis puto conſtare. Sed & Dauidis non aliam in ſuis verbis arbitror eſſe ſententiam, quàm quæ fuit Iſaiæ prophetæ in hiſce conſimilibus cap. 53. *Omnes nos quaſi oues errauimus: vnuſquiſque in viam ſuam declinauit.* Quæ verba nemo Theologus negauerit ad omnes omninò pertinere, quos cõprehendit id quod proximè ſequitur: *Et poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Alibi quoque Hieronymus hoc vniuerſali ſenſu verſum Dauidicum accipit, vt in commentario ſuper Iſaiæ 52, ita ſcribens: *Opportuno tempore pro cunctis ſanguinem fudit*, Chriſtus, *quando omnes declinauerant, ſimul inutiles facti erant: non erat qui faceret bonum, non erat vſque ad vnum: vt pro omnibus guſtaret mortem, quia omnes peccauerant, & indigebant gloria Dei.* Hæc ibi. Sed quæret aliquis, quomodo ad omnes & ſingulos pertineant quæ ſequuntur apud Paulum: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum*, &c. vſque ad finem citati teſtimonij. Reſpondeo Paulum non ſentire, quod in omnibus & ſingulis fuerint omnia vicia quæ hic enumerat; ſed alia in aliis; ita tamen vt omnes in vicio & peccato fuerint, omnes declinauerint, & ad bonum facti ſint inutiles: denique inter omnes nullus ſit iuſtus, nullus intelligens, nullus qui Deum quærat aut timeat, aut quod bonum eſt faciat: ſenſu nimirum antea declarato. Cæterùm quod ad ſcripturas hic ab apoſtolo citatas attinet, etſi iam olim in vulgatis codicibus Latinis exſtiterint omnes vno loco, ſcilicet in pſal. 13, etiam ante Hieronymi & Auguſtini tempora; ſciendum tamẽ eſt, neque in Hebræo, neque apud LXX interpretes in eo pſalm. omnes haberi. Quod & diſertè teſtatur Hieronymus in præfatione lib. 16 ſuorum commentariorum in Iſaiam, aſtipulante etiam commentario pſalmorum, qui Hieronymi titulum habet. At neque Chaldæa paraphraſis in eo loco agnoſcit. Addit ipſe Hieronymus, omnes Græciæ tractatores, qui in pſalmos edidere commentarios, idipſum liquidò confiteri: Dicitque eos qui artem contexendarum inter ſe ſcripturarum apoſtoli neſciebant, cùm quærerent aptum locum, vbi aſſumptum ab eo ponerent teſtimonium, quod abſque authoritate ſcripturæ poſitum non putabant; tranſtuliſſe in eum pſalmum in quo repererunt prima verba. Fuere quidem nonnulli, qui verſus illos, quos aliò relegat Hieronymus, contenderent Hebraico textui in pſalmo memorato detractos eſſe, & reſtitui debere, idque ex quodam Hebraico, quod allegant, pſalterio Anglicanæ eccleſiæ. Sed eos bene & ſolidè refellit vir doctiſſimus F. Lucas ſuis in ſacra biblia notationibus; ad quas lectorem remitto. Iam ex quibus locis collecta ſit hæc teſtimoniorum congeries, eodem indice Hieronymo paucis accipe. Primi verſus vſque ad illud: *Sepulcrum patens*. deprompti ſunt ex pſal. 13 iam dicto, qui Hebræis eſt 14. At verſus ille: *Sepulcrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant*, ſumptus eſt ex pſal. 5. Quod ſequitur: *Venenum aſpidum ſub labijs eorum*, decerptum eſt ex pſal. 139: non autem, vt vult autor ille incertus commentariorum in pſalmos, ex Deuteronomio. Nam in eo libro non hoc legitur, ſed *venenum aſpidum inſanabile*, cap. 32 in cantico Moyſi. Quod ſtatim ſequitur: *Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt*, habetur in pſal. 9, qui Hebræis eſt 10. Porro verba ſequentia: *Veloces pedes eorum* & cætera vſque ad illud: *Non eſt timor*. deſumpta ſunt ex Iſaiæ cap. 59. Quod ita eſſe repetit in eundem Iſaiæ locum ſcribens Hieronymus. Illud poſtremum: *Non eſt timor Dei ante oculos eorum*, in pſalmi 35 principio legitur. *Nec in hoc*, ait Hieronymus, *cuiquam videatur eſſe diuerſum, ſi quod in ſuis locis numero dicitur ſingulari, ab apoſtolo pluraliter dicatur: qui ſcribebat ad plurimos, & in vnum ſenſum multa cogebat exẽpla.* Sic ille. A quo Caietanus in locis deſignandis nonnihil diſſentit: ſed præter æquum. Reſtat vt teſtimonia hæc à Paulo citata breuiter exponamus. *Non eſt*, inquit, *iuſtus quiſquam.* Græcè, *non eſt iuſtus, ne quidem vnus*, ſcilicet in vniuerſo hominum genere: quod intellige, quantum ad naturæ corruptionem attinet, & antequam quiſque iuſtificetur ex fide. Item non eſt quiſquam intelligens, id eſt ſapiens ea quę Dei ſunt. Non eſt exquirens Deum, id eſt bonis actionibus ſeſe Deo commendans. Omnes originaliter infecti atque corrupti, à recto deflexerunt ad iniquitates. Simul omnes, excepto nemine, facti ſunt ad legem implendam & opera pietatis exercenda prorſus inepti atque inutiles: quod in Hebræo eſt, *putruerunt, ſiue rancidi facti ſunt.* Non eſt quiſquam qui faciat bonũ, Græcè χρηστότητα, *bonitatem*; ſed Hebraicè טוב tob, *bonum*, id eſt opus Deo acceptum. Vel: Non eſt quiſquam, qui bene viuat; qui

Ars apoſtoli Pauli in contexendis ſcripturis.

ita

ita faciat bonum, vt bonus dici possit. *Non est vsque ad vnum*, id est nec vnus quidem. Nam inclusiuè exponendam esse voculam *vsque*, secus quàm in expositione psalmi vult Augustinus, vt Christum excipiat; rectè monet Caietanus: *Nullus enim*, inquit, *purus homo excipitur*. Et hic sensus patet ex eo quod in Græco præcessit: οὐδὲ ἕνα, *ne quidem vnus*. Porro sepulcro patenti simile est guttur eorum; quia sicut sepulcrum patens exhalat tetrum ac pestiferum fœtorem; ita ex ore illorum impuri, pestilentes, noxijque sermones exeunt. Linguis suis vtuntur ad dolum & fraudem, aliud loquentes, aliud sentientes. Et, quasi qui venenum aspidũ, id est nocentissimũ sub labiis vel in labiis gerant, semper parati sunt pestiferũ virus latentiũ cogitationum ex oris pharetra depromere, & in quemlibet eiaculari. Quorum os maledictione siue exsecratione & amarulentia plenum est; ita vt vix aliud ore proferãt in eos, quibus offensi sunt, quàm contumelias & maledicta. Est autem amaritudo siue amarulentia, dum odium cordis in ore & sermone apparet. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*, id est, ad cædes & oppressiones innocentium. *Contritio & infelicitas in vijs eorum. Infelicitas* Græcè ταλαιπωρία, miseria, ærumna. Calamitatem legit Cyprianus lib. de zelo & liuore. Vox Hebræa apud Isaiam vastitatem significat. Sensus: Omne eorum studium est vt alios conterant & vastent; adeò vt nati videantur in aliorum perniciem. Viarum nomine studia & actiones Hebræa phrasi significari notum est. *Et viam pacis non cognouerunt*, scilicet approbationis noticia: quia pacem & iusticiam veræ pacis conseruatricem, oderunt. Ac si dicat: nolunt ingredi viam pacis. Denique quod præcedentium malorum fons & caput est: *Non est timor Dei ante oculos eorum*, id est, oculis mentis non considerant Deum vbique præsentem, proindeque timendum esse, tanquam iustum vindicem malorum. Hoc enim timore, velut fræno cohiberi solent homines, ne in scelera & flagitia præcipites currant. Ex hoc loco colligitur, hominem peccando non solùm amisisse amorem iusticiæ, verùm etiam timorem gehennæ, quemadmodum docet Prosper lib. contra Collatorem cap. 19.

Homo peccãdo non solũ amisit amorẽ iusticiæ, sed etiam timorem gehennæ.

19 SCIMVS AVTEM QVONIAM QVÆCVMQVE LEX LOQVITVR, IIS QVI IN LEGE SVNT, LOQVITVR. *In lege*, id est sub lege, legi subiecti. Ne Iudæus excipiat, & dicat hæc superiora nihil ad se pertinere; sed de impiis, id est gentilibus dicta esse; nunc ratione probat ea Iudæis esse communia. Legis nomine priori loco psalmos & prophetas, ac verisimiliter etiam reliquos sacros libros comprehendit. Nam ex psalmis & prophetis adducta fuere memorata testimonia. Atque eo modo legis vocabulum etiam Dominus vsurpat Ioannis 15 dicens: *Vt adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.* An eadem legis acceptio sit posteriori loco, cùm dicit, *ijs qui in lege*, id est sub lege *sunt*, dubitari potest. Nam solet hac locutione Mosaica lex intelligi, quæ vt summum quatuor libris continetur. Verùm quia tota veteris testamenti scriptura canone Hebræorum cõprehensa, Iudæis erat, vt esse debebat, pro verbo Dei; ideo nihil vetat etiam hac parte totam legis nomine comprehendi: tametsi nihil incommodi est, si specialiter accipiatur. Nam sic etiam sensus congruit, qui est huiusmodi: Lex & prophetæ, licèt multa dicant & prædicant de gentibus à populo Dei diuersis, & aliquando ad eas etiam sermonem dirigant, vt in prophetis videre est: potissimùm tamen intendunt corripere, castigare, comminari, inuehere in illorum vicia qui sub lege sunt: præsertim vbi loquuntur absque determinatione certæ alicuius gentis. Hæc enim quæ dixi, legis sunt officia. Lex autem soli populo Hebræorum data fuit. Bene igitur apostolus ex lege & eius increpatione conuincit populum illum totum fuisse sub peccato. Alij aliter hanc probationem explicant: sed meo iudicio minus rectè.

Legis nomine quæ scripturæ comprehendãtur

VT OMNE OS OBSTRVATVR. *Vt* illationem notat non causam, ac si dicat: Hinc fit vt nemo gloriari possit de iusticia, nec se excusare in Dei iudicio, ne Iudæus quidem qui in lege gloriatur. Per eam ipsam enim iniustus arguitur.

ET SVBDITVS FIAT OMNIS MVNDVS DEO. Subditus Græcè ὑπόδικος, id est obnoxius, obstrictus ad pœnam. Augustinus legit *reus* lib. de gratia Christi cap. 8. Sensus: Et vt appareat omnes omnino homines, etiam Iudæos, esse Deo iudici ad æternam mortem obnoxios.

20 QVIA EX OPERIBVS LEGIS NON IVSTIFICABITVR OMNIS CARO CORAM ILLO. *Non iustificabitur omnis caro*, id est nulla caro, nullus homo iustificabitur. Notissima synechdoche, caro pro homine. Porro *quia* Græcè est διότι, *propterea quod, ideo quia*. Sentit enim apostolus idcirco etiam Iudæo, qui legem accepit, os obstrui, reddique eum Deo obnoxium: quoniam etsi legem & opera legis prætendere velit, non tamen ex illis coram Deo iustificetur: quum maneat illud quod antè probatum & conclusum est, *Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse*; nec habere de quo coram Deo gloriẽtur. Quod si Iudæus qui legem accepit, ex operibus legis non iustificabitur; quanto minus gentilis qui legem non accepit? Itaque rectè dictum est, *omnis caro*. Potest autem accipi hæc Pauli sententia velut epiphonema supradictorum. Huc enim spectant quæ dixit, vt intelligatur ex lege non esse iusticiam: Vnde mox colligat principale suum institutum, iusticiam esse petendam ex fide. Quidam hoc loco intelligunt opera legis, qua parte cerimonialis est. Et hoc putant apostolum velle; quod iusticia non habeatur per sacramenta veteris legis, siue per obseruationem legalũ. Pro quo intellectu facere videtur, quod eadem hæc præpositio habetur Gal. 2. in qua

Opera legis quæ Paulo dicantur.

epiſtola potiſſimùm de legis cærimonialis ad iuſticiam inutilitate Paulus diſſerit. Verùm de illius loci ſententia videbimus in eius commentario. Præſens certè doctrina ad legem cærimonialem reſtringi non poteſt, quemadmodum bene probat Auguſtinus lib. de ſpiritu & litera cap. 8 & 29. Primùm, quia continuò ſubiungit apoſtolus; *Per legem cognitio peccati*: quod de lege morali in decalogo ſcripta dici manifeſtum eſt. Et ita ſe ipſe apoſtolus exponit cap. 7, citans illud ex decalogo, *Non concupiſces*: ac ſubiungens legem ſanctam eſſe, & mandatum ſanctum & iuſtum & bonum. Quæ epitheta maximè competunt in legem moralem. Deinde quia verbis hic ſuperioribus, & iam antè cap. 2, oſtenderat, nec eos quidem qui legem acceperant, iuſticiam fuiſſe conſecutos, de lege morali indubiè loquens; vt ibi: *Qui prædicas non furandum, furaris*, & quæ ſequuntur. Adde quod non opponit apoſtolus cærimonialia moralibus, ſed antitheſim ſtatuit inter id quod eſt ex operibus legis, ſiue ex lege, & per legem: & id quod eſt gratis, atque ex fide, & per fidem; vti docet totus contextus ſequens. Sed nec id quod infrà dicitur: *Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit: ſed legem ſtatuimus*; accipi poteſt de lege cærimoniali, quam fides Chriſti promulgata tollit ac deſtruit. Illud quoque cap. ſequentis: *Lex iram operatur: vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio*; de lege morali præcipuè veritatem habet. Nam præuaricationes pleræque omnes ſunt contra leges morales. Igitur hoc loco vel legem moralem oportet intelligi, vel certè legem vniuerſam Moyſi, moralia ſimul & cærimonialia complectentem. Nam à tota lege vim iuſtificandi remouere vult apoſtolus. Et ſic intellecta ſententia magis ad amuſſim conuenit cum ea quæ eſt ad Gal. 2. Præterea notandum eſt opus legis bifariam ſumi: vel pro opere quod lex præſcribit, quale opus verè bonum eſt; de quo cap. 2, *Factores legis iuſtificabuntur*. vel pro opere quod fit ex lege, id eſt ex ſola legis cognitione, & non ex fide. Quo poſteriori modo loquitur hîc Paulus de operibus legis, ea nimirum intelligens, quæ quis facit ſola lege adiutus. Cuiuſmodi erant quæ faciebant & adhuc faciunt Iudæi, non exiſtimantes gratiam redemptoris ad iuſtè viuendum ſibi eſſe neceſſariam. Qualiacumque enim ea ſint, ad veram iuſticiam nihil conducunt. Hoc quippe eſt ex operibus legis neminem iuſtificari coram Deo. Sic opera legis exponit Auguſtinus compluribus locis, vt lib. de ſpiritu & litera cap. 8, de gratia & libero arbitrio cap. 12, & lib. 3 contra 2 epiſtolas Pelag. cap. 7. Item Hugo quæſt. 82 & 83. Quod ſi lex à Deo data, tanquam legis naturalis per peccatum obſcuratæ quędam interpres, explicans eam ac renouans, iuſticiam præſtare non potuit: multo minus id poteſt ſola lex naturalis, tali interprete deſtituta. Quare ſi ex operibus legis ſcriptæ nemo Iudæus iuſtificatur; conſequenter intelligendum relinquitur, multo minus gentilem iuſtificari poſſe ex operibus legis naturæ, quantùmlibet etiam humano ſtudio excultæ, & quibuſcumque philoſophiæ præceptis elucidatæ. Quocirca nec Ariſtotelis Ethica, quamuis ſuam minimè contemnendam habeant vtilitatem, cuiquam ſufficere potuerunt ad veram & ſalutarem iuſticiam. Vnde & Paulus alibi, tam legis ſcriptæ quàm naturalis opera comprehendens, communem de vtriſque, quòd ad ſalutem nihil conferant, profert ſententiam. Sic enim ſcribit Iudæus ipſe ad Titum gentilem cap. 3: *Non ex operibus iuſticiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit*. Videtur autem hoc loco & deinceps iuſtificari ſeu iuſtificatio generaliter accipi, qua nimirum quis vel ex impio fit iuſtus, vel in adepta iuſticia progreditur. Prius acceptionis membrum ex ſequentibus manifeſtum eſt, maximè ex eo quod dicitur cap. ſeq. *Credenti in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſticiam*. Poſterioris autem membri iuſtificatio fuit ea, quæ ibidem Abrahæ tribuitur ex fide: vt qui iam antè erat iuſtus. Quem vtrumque iuſtificationis modum obſeruare eſt etiam apud Iacobum apoſtolum cap. 2. Igitur mens & doctrina Pauli eſt, ex operibus legis neque primam obtineri poſſe iuſticiam cum remiſſione peccatorum: neque iuſticiam habitam conſeruari, augeri, perfici; neque verò tanquam ex actibus iuſticiæ, iuſtum quempiam apud Deum reputari.

Pauli doctrina cõmunis ad iuſtificationẽ primam & ſecũdam.

PER LEGEM ENIM COGNITIO PECCATI. Intellige excluſiuè hoc ſenſu: Lex ſolam præſtat & ingerit agendorum & fugiendorum noticiam: dum alia præcipit, alia prohibet. Quod enim lege prohibetur, peccatum eſt. Non ergo per legem, neque ex operibus legis eſt iuſtificatio, qua peccatum tollitur & lex obſeruatur. Sermo eſt de eadem lege de qua ſuprà, id eſt de lege ſcripta ſiue Moſaica. Nam ea, qua parte moralis eſt, peccatum oſtendit: ſicut & infrà dicit cap. 7. *Peccatum non cognoui niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret: Non concupiſces*. Vnde patet falli Origenem, qui legem naturalem ab initio mentibus hominum inſitam, exiſtimat hic ſignificari. Quamuis enim Cain & alij multi ante legem ſcriptam, habuerint agnitionem malefactorum ſuorum, accuſantibus ipſos ſuis conſcientiis; obſcurior tamen & imperfectior erat ea noticia. Nam lumen naturale rationis ita peccato fuit obnubilatum, vt multa quę peccata ſunt, non putarentur eſſe peccata; multa quoque leuia putarentur, quæ grauia ſunt. At verò per legem à Deo datam & tabulis inſcriptam, multo clarior atque perfectior acceſſit peccati cognitio: nec ſolum quatenus rectæ rationi peccatum repugnat, verùm etiam quâ Dei offenſa eſt, & à Deo grauiter puniendum: quod vtrumque per ſolam naturæ legem pauci, nec

niſi

niſi imperfectè, poterant cognoſcere. Denique ſi de lege naturæ partem hanc interpreteris, non perinde contra Iudæum valebit; qui dicere poterit: Etſi per legem naturæ, tantùm peccati cognitio ſit; legi tamen diuinæ, quam ipſe accepit, amplius eſſe tribuendum. Sentiunt nobiſcum Auguſt. lib. de ſpiritu & litera cap. 8. & commentatores ferè omnes.

21 NVNC AVTEM SINE LEGE IVSTICIA DEI MANIFESTATA EST: TESTIFICATA A LEGE ET PROPHETIS. Poſtquam oſtendit ex lege non eſſe iuſticiam, docere nunc incipit, vnde ea petenda ſit, nempe ex fide Ieſu Chriſti. Qua in re verſari cardinem Paulinæ diſputationis in hac epiſtola, diximus initio. *Nunc*, id eſt tempore prædicationis euangelicæ: vel *nunc autem*, id eſt atqui, at verò. Sic enim accipitur interdum, vt non tempus, ſed aſſumptionem vel adiunctionem ſignificet. Vide quæ annotamus ad illud Heb. 11. *Nunc autem meliorem appetunt*. *Iuſticia Dei*, id eſt ea iuſticia qua coram Deo quis iuſtus eſt. Præceſſit enim: *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo*. Nunc, inquit, iuſticia Dei, iuſticia vera, quâ in Dei conſpectu & iudicio iuſti ſint homines, manifeſtata eſt & palam annunciata, ac reipſa exhibita ſine lege, .i. nõ per opera legis: tametſi teſtificationem habẽt à lege & prophetis. A lege quidẽ, .i. ex libris legis, vbi ſcriptum eſt: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*. A prophetis autem, in quibus legitur: *Iuſtus ex fide viuit*. Sciendum eſt Auguſtinum lib. de gratia Chriſti cap. 8. & de ſpiritu & litera cap. 9. illud, *ſine lege*, iungere cũ *iuſticia Dei*, quod & ſequitur Hugo quæſt. 87. vt iuſticia Dei ſine lege intelligatur, quæ non eſt ex lege. Sed ea conſtructio coactior eſt, & non neceſſaria. Nam ſenſus eodem recidit cum expoſitione prius data. Minus verò placet quod alij quidam *ſine lege* exponunt, ceſſante lege. Non enim agit nunc apoſtolus de legis aut legalium ceſſatione, nec opportunum erat vt ageret: ſed de legis effectu. Docet enim quid lex poſſit, quid non poſſit: peccatum oſtendere potuiſſe, iuſticiam præſtare non poſſe; ideoque ſine ea iuſticiam eſſe manifeſtatam & exhibitam. Porrò ea manifeſtatio ſeu manifeſta exhibitio iuſticiæ Dei ſine lege, potiſſimùm facta eſt in conuerſione gentilium qui legem non acceperant; quorum tamen veræ iuſticiæ atteſtabantur extera ſigna; prout Cornelij centurionis & aliorum exempla in Actis commemorata nos docent. Vnde & Galatis dicitur cap. 3. *Ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?*

22 IVSTICIA AVTEM DEI PER FIDEM IESV CHRISTI IN OMNES ET SVPER OMNES QVI CREDVNT IN EVM. Græcè non additur *in eum*; ſatis tamen intelligitur. Nam & Syrus interpres addendum putauit. Cohærent hæc verba ſuperioribus epanalepſi quadam, exponentẽ cauſam ac modum iuſticiæ Dei, quam dixit, acquirendæ. Senſus enim eſt: Iuſticia, inquam, Dei quæ eſt per fidem Ieſu Chriſti; idque in omnes & ſuper omnes credentes in Chriſtum. Hi enim omnes iuſtificantur, ſiue Iudæi ſint, ſiue gentiles. Cùm dicit iuſticiam Dei haberi per fidem, apertè ſignificat iuſticiam non eſſe ipſam fidem; quod volunt hæretici. Doctrina enim apoſtoli eſt per fidem acquiri iuſticiam; ita tamen vt ipſa fides ſit initium iuſtificationis, atque etiam pars quædam iuſticiæ: quemadmodum infrà pleniùs declarabitur. Hæc duo, *in omnes & ſuper omnes* Oecumenius ita diſtinguit, vt prius ad Iudæos, poſterius ad gentiles referatur: quòd Iudæi apud ſe velut domeſticam haberent ſalutis cauſam, nempe Chriſtum; à quibus extenſa deinde fuerit ad gentiles & ſuper gentiles Dei gratia: quia *ſalus ex Iudæis eſt*, Ioan. 4. Verùm non hoc apoſtolum velle, ſatis arguit pars ſequens, qua diſertè ſignificat ſe indiſtinctè nunc loqui de Iudęis atque gentilibus. Vtrumque igitur hoc membrum ad vtroſque pertinet. Alij dictum putant *in omnes*, propter vniuerſalitatem beneficij; *ſuper omnes*, propter ſublimitatem. Atqui Græcè non eſt ὑπὲρ, ſed ἐπί; quemadmodum priori loco εἰς, Paulo ferè idem ſignificantia; vt verti potuerit hoc modo, *ad omnes & in omnes*. Quare ſi quid diſcriminis eſt, velim ita diſcerni, vt in priori ſignificetur acceſſus, in poſteriori peruentio. Habet enim iuſtificatio ſuos gradus. Atque id eſt quod alij dicunt, eſſe eiuſdem inculcationem per auxeſim quandam. Porrò omnes in Chriſtum credentes intellige, non quomodocumque, ſed ea fide de qua cap. 1 diximus apoſtolum loqui: qua videlicet in Chriſtum quis credit, paratus ſubire & agere ea quę ille ordinauit ad iuſticiam conſequendam, vel etiam retinendam, id eſt credentes fide humili & obediente. De qua & illud accipiẽdum quod dicit Dominus Ioan. 3. *Vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Ex his quóque reſpõderi poteſt ad id quod quæri ſolet; vtrùm hęc fides informis ſit an formata. Iam enim ſuprà dictum eſt, eam non prorſus informem eſſe, ſed formatam bona volũtate; in qua & ſpes & dilectio Dei includuntur.

Fidẽ non eſſe ipſam iuſticiam.

NON ENIM EST DISTINCTIO. Scilicet inter Iudæos & gentiles, ac ſi dicat: Nullus eſt hominum qui poſſit aut vnquam potuerit aliter iuſtificari, quàm per fidem Ieſu Chriſti. Hæc vna & ſola via eſt omnibus propoſita, qua perueniatur ad iuſticiam. Qua de re grauiter diſſerentem vide B. Auguſtinum lib. de peccato originali cap. 24. Quanquam illud ſciendum, in fide Chriſti mediatoris implicita pleroſque qui Chriſti aduentum anteceſſerunt, iuſtificatos fuiſſe: quod ex profeſſo docent Theologi in 3. ſent. diſt. 25. Portò non eſſe diſtinctionem, probat ex cauſa communi.

23 OMNES ENIM PECCAVERVNT: Tam Iudæi quàm Græci, quemadmodum in præcedentibus oſtenſum eſt & concluſum: vt quibus eſt morbus communis, ſit etiam communis remedij neceſſitas.

ET

ET EGENT GLORIA DEI. Ita legendum, non *gratia Dei*, quod in quibuſdam legitur. Senſus tamen huc recurrit, iuxta multorum expoſitionem. Putant enim hoc ſignificari; quoniam omnes peccauerunt, idcirco omnes egere Dei miſerantis auxilio, id eſt gratia remiſſionis, per quam Dei nomen glorificetur; vt eſt apud Ezechielem cap. 36. Sic intellexit Auguſtinus lib. de ſpiritu & litera cap. 9, & ferè Latini poſt eum. Sic etiam Theodoritus in commentario. Atque hunc intellectum confirmare videntur ea quæ proximè ſequuntur de gratuita remiſſione peccatorum. Poteſt autem & hic eſſe ſenſus: Omnes confiteri debẽt ſe peccatores, & per hoc gloriam dare Deo; quomodo Ioſue dicebat ad Achan furti deprehenſum: *Da gloriam Deo, & confitere quid feceris* Ioſ. 7. Quo item ſenſu dicitur Apoc. 15: *Et non egerunt pœnitentiam vt darent Deo gloriam.* Verùm notandum eſt verbum ὑστεροῦνται *egent*, etiam verti poſſe *deſtituuntur*; quemadmodum verterunt Eraſmus & alij. Tùm ſenſus eſſe poteſt: Quia omnes peccauerunt, ideo omnes deſtituuntur ſeu priuantur gloria Dei, id eſt indigni ſunt vita æterna, quæ non datur niſi iuſtis. Quem ſenſum indicant Chryſoſtomus & Theophylactus. At verò quamuis hi ſenſus memorati probabilitatem ſuã habeãt; eſt tamen alius meo iudicio verus & germanus huius loci, iſte nimirum: Omnes peccauerunt, & proinde deſtituuntur gloria Dei, id eſt non habent vnde coram Deo glorientur. Sic enim Paulo gloria Dei eſt gloria coram Deo, ſicut eidem hic & alibi iuſticia Dei eſt iuſticia corã Deo. Cui locutioni ſimiles ſunt, oratio Dei, Lucæ 6 pro oratione ad Deum: fides Dei, Marci 11 pro fide in Deum: & paſſim fides Ieſu Chriſti pro fide in Ieſum Chriſtum. Sic & blaſphemia ſpiritus, Matth. 12; id eſt blaſphemia in ſpiritum. Itaque hac parte dicitur idem quod ſuperiùs; *vt omne os obſtruatur.* id eſt vt nemo habeat vnde glorietur: & quod inferiùs: *Vbi eſt ergo gloriatio tua?* Explicatur autem hæc phraſis cap. ſeq. *Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.* Ad hunc ſenſum quam proximè accedunt Caietanus & Toletus in commentariis, & Eraſmus in paraphraſi. Deniq; contextui ſenſus hic apprimè quadrat.

Quid egere gloria Dei.

24 IVSTIFICATI GRATIS PER GRATIAM IPSIVS. *Iuſtificati*, Græcè δικαιούμενοι, præſentis temporis participio, quo Latini carent. Non ergo ſignificatur priùs homines iuſtificari quã peccent, aut egeant gloria Dei: ſed eos qui peccauerunt, nec habent in quo glorientur coram Deo, poſtea iuſtificari. Proinde vertit Eraſmus, *iuſtificantur autem gratis.* Poteſt & ita commodè verti, *iuſtificandi gratis.* Quomodo patres concilii Tridentini participium ἁγιαζομένους Heb. 10, quod interpres vertit *ſanctificatos*, exponendum putarunt, *quotquot ſanctificandi eſſent*, ſeſſ. 22 cap. 1. Quod ſequitur, *per gratiam ipſius*, ἐξηγητικῶς additum eſt, ac ſi dicat *gratis*, id eſt *per gratiam ipſius.* Nam ſenſus eſt, homines peccatores iuſtificari abſque vllo ſuorum operum merito, per ſolam gratuitam Dei bonitatem. Hoc autem intellige de tota iuſticia ab initio vſque ad finem: de qua ſub nomine ſalutis idem apoſtolus verbis antea citatis: *Non ex operibus iuſticiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Hinc Auguſtinus epiſtola 105 quę eſt ad Sixtum Romanum, docet iuſticiam & fidem nuſquam vocari mercedem; quamuis remiſſio peccatorum non ſine aliquo ſit merito, propterea quod reddatur fidei & orationi præcedenti. Cuius doctrinæ ratio eſt, quia iuſticia Chriſtiana complectitur totam hominis renouationem: cuius initium eſt à fide: quę prima datur, vt per eam cætera impetrentur; vti loquitur idem Auguſt. lib. de prædeſtinatione ſanctorum cap. 7. Eundem vide his cõſentanea ſcribentem in epiſtola 106 ad Paulinum Nolanum epiſcopum. Ab hac explicatione ſententiæ Paulinæ nihil diuerſum eſt, quod docet ſynodus Trid. ſeſſ. 6 cap. 8. nos ideo gratis iuſtificari, *quia nihil eorum quæ iuſtificationẽ præcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur.* Loquitur enim de fide prorſus informi & mortua, quæ nihilo magis, quàm donum linguarum aut prophetiæ aut ſcientiæ, ſi nihil adſit Chriſtianæ dilectionis, hominem Deo commendat, 1 Cor. 13. quẽadmodũ & de operibus totam iuſtificationem præcedentibus; quæ nec ipſa, qualiacumque ſint, hominem Deo commendare poſſunt. Dico, totam iuſtificationem; cuius exordium eſt à Dei per Ieſum Chriſtum præueniente gratia, qua qui à Deo auerſi ſunt, vt dicitur eiuſdem ſeſſ. cap. 5, nullis eorum exiſtentibus meritis ad conuertendum ſe diſponuntur: ad quod vtique non diſponit fides omnino informis & ocioſa. Et hanc eſſe mẽtem concilij ſatis etiam oſtendit ipſius ſubiuncta probatio: *Si enim gratia eſt, iam non ex operibus: alioquin gratia iã non eſt gratia.* Siquidem parùm ſolida videretur hæc probatio, ſi de operibus à gratia Chriſti profectis, & proinde ſub latitudine iuſtificationis comprehenſis, Synodus fuiſſet locuta. Quanquam alioqui, & de huiuſmodi operibus, ſicut & de fide inuocante, ex qua procedunt ea opera, fatemur verè dici, quòd habitualem iuſtificationis gratiam, quæ videlicet in amicitia Dei conſiſtit, & datur ſimul cum remiſſione peccatorum, non promerentur: quatenus ſcilicet hoc promerendi vocabulo meritum condignum ſignificetur. Nam quòd eam ex congruo mereãtur, ſacris literis & ſanctorum patrum atteſtationibus valde conſentaneum eſt. Porrò ex hoc apoſtoli loco & aliis ſimilibus conſtabilitur dogma catholicum aduerſus Pelagianos ac Pelagianorum reliquias, de gratia & prædeſtinatione Dei prorſus gratuita. De quo diſputant ex profeſſo Theologi in 1. ſent. diſt. 41, & in 2 diſt. 26. Vocat autem hoc loco gratiam apoſtolus, quam in epiſtola ad Titum vocat miſericordiam, id eſt gratuitam Dei

Iuſtificatio gratuita.

Gratia & prædeſtinatio Dei prorſus gratuita.

benignitatem ac beneficentiam erga miseros & indignos.

PER REDEMPTIONEM QVÆ EST IN CHRISTO IESV. Græca vox ἀπολύτρωσις propriè significat eam redemptionem, qua captiuus precio pro capite eius persoluto redimitur. Id enim precium Græcis λύτρον dicitur. Estque sensus: Peccatores iustificari per redemptionem, quam appenso precio fecit ac meruit Christus Iesus: Siue quod idem est; per Iesum Christum redemptorem. Quamuis igitur quod ad nostra merita attinet, gratis iustificamur; non tamen absque meritis & satisfactione Christi, qui sanguinis sui precio nos à peccato redemit, atque in libertatem iusticiæ vindicauit; denique omnia bona ad salutem pertinentia nobis promeruit: vt proinde rectè dicatur, non olùm iustificationem nostram, sed & prædestinationem niti meritis Christi; testante eodem apostolo Eph. 1, *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et iterum: *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.* Veruntamen etiam hoc ipsum fuit gratuitæ erga nos misericordiæ Dei, quod Christum redemptorem & satisfactorem nobis dederit. Vnde adhuc sequitur.

Iustificatio & prædestinatio nostra ex meritis Christi.

25 QVEM PROPOSVIT DEVS PROPICIATIONEM PER FIDEM IN SANGVINE IPSIVS. Quidam vetusti codices habent *propiciatorem*; quibus annuunt textus Amb. & Syriaca versio, necnon quarundam ecclesiarum breuiaria. Neque enim Græcè est ἱλασμὸν, quod propiciationem significat, vt 1 Ioan. 2. *Ipse est propiciatio pro peccatis nostris*, & 4. *Misit Deus filium suũ propiciationem pro peccatis nostris*; *sed* ἱλαστήριον. Potestque vel neutro genere accipi vel masculino. Neutro genere vocabulum est sacris scripturis peculiare, & à LXX interpretibus vsurpatum, ad significandã tabulam illam desuper extensam supra arcam testimonij; quam interpres Hieronymus modò *propiciatorium*, modò *oraculum* vocat. De quo Exod. 25 & 36. Cuius & apostolus meminit Heb. 9. Ad illud verò Paulum hic respexisse, velut ad typum Christi, existimant Origenes & Theophylactus. Quod si sequamur, vertendum esset *propiciatorium*, vt fecit Theophylacti interpres. Quod etiam Vallæ & Stapulensi placet. At probabilius est hic accipi genere masculino, vt propiciatorem significet, seu reconciliatorem, vt vertit Erasmus: idque cum allusione ad sacrificia veteris legis, ea nimirum quæ erant propiciatoria pro peccatis: Quæ quidem omnia vnius sacrificij crucis figuram prætulerunt. Huc inuitat maximè quod additur: *Per fidem in sanguine ipsius.* Erant enim omnia sacrificia propiciatoria veteris legis cruenta. Nam sine sanguinis effusione non fiebat remissio Heb. 9. Quod si *propiciationem* legas, vt ἱλαστήριον ἀντὶ τοῦ ἱλασμοῦ positum sit, (quod nõ improbo) sensus eôdem nihilominus recidet; qui est huiusmodi; Quẽ Deus proposuit, exhibuit, ac dedit nobis propiciatorem seu propiciationem, id est tanquã victimam quandam iræ suæ diuinæ propiciatoriam, interueniente scilicet effusione sanguinis ipsius; sicut in veteri testamento, victimarum quæ pro peccato offerebantur, sanguis effundi solet. Cuius quidem propiciationis ac reconciliationis participes nos effici voluit per fidẽ. Hîc vides partẽ illâ *in sanguine ipsius*, astrui vocabulo *propiciationem* siue *propiciatorem*. Et fauet Chrysostomus qui illud intermedium, *per fidem*, non videtur legisse. Alij tamen seruato ordine verborum apostoli, posteriorem partem sic exponunt; Cuius propiciationis participes efficimur per fidem, qua credimus eum pro peccatis nostris expiandis sanguinem suum effudisse, simulque confidimus Deum Patrem propter effusum sanguinẽ filij sui nobis fore propicium. Nam ea parte, *in sanguine ipsius*, causa meritoria significatur, id est passio Christi saluatoris.

AD OSTENSIONEM IVSTICIÆ SVÆ. Hoc est, vt palam mũdo declararet, ac manifestam faceret suam, id est Dei iusticiam; qua scilicet homines verè & coram Deo iusti sunt, & quã non dat nisi Deus. Hæc enim tempore veteris legis non erat manifesta. Chrysostomus quidem & commentator Amb. iusticiam Dei intelligunt, qua ipse iustus est, qua eadem vel iustificat peccatores, vt ille exponit: vel fidem præstat promissorum, vt iste. Verùm prior sensus quem tradit Augustinus, & post eum Heruæus, congruit cum superioribus, vbi dictum est; *Nunc autem sine lege iusticia Dei manifestata est.* Ac rursum: *Iusticia Dei per fidem Iesu Christi*, nec non cum eo quod dictum est capite primo. *Iusticia Dei in eo reuelatur*, &c. & omninò cum scopo Pauli in hac epistola. Quidam *ostensionem* exponit *exhibitionem*. Nam ostendere pro exhibere frequens est in scripturis. Equidem arbitror vtrumque simul ab apostolo significatum, manifestationem cum exhibitione. Neque enim aliter manifestata est, quod antè dixit, iusticia Dei; quàm quia palam mundo fuit exhibita.

PROPTER REMISSIONEM PRÆCEDENTIVM DELICTORVM. Græcè πεπαρεθηκότων ἁμαρτημάτων, id est *præteritorum* seu *priùs admissorum peccatorum*. Huius partis duplex est expositio. Vna quidem & obuia, quæ est Origenis & Latinorum: Christum à Deo patre datum propiciatorem, per quem remitterentur, id est condonarentur peccata hactenus admissa: non quod ad remissionem eorum quæ postea committerent homines, non esset valitura Christi victima: Valet enim prorsus vna eademque ad delenda totius sæculi peccata; quemadmodum latè demonstrat apostolus in epistola ad Hebræos: Sed præcedentia solùm nominat, vt nobis insinuet deinceps post effusum & semel applicatum vnicuiq; Christi sanguinem, non esse peccatis viuendum, sed iusticiæ: sicut exhortando docet infrà capite 6, & Heb. 10. Pro altera expositione notandum in Græco non haberi consuetum vo-

cabulum

cabulum ἄφεσιν, quo ſignificari ſolet remiſſio debiti; ſed πάρεσιν, quod remiſſionem quidem ſeu diſſolutionem ſignificat, ſed eam quę intenſioni, firmitati ac robori opponitur; ſecundum quod ad Heb. 12 ſcribitur: *Remiſſas manus* (Græcè τὰς παρειμένας χεῖρας) *& ſoluta genua erigite*. Plerique languorem ſeu tabem exponunt. De ea voce Budæus in commentariis linguæ Græcæ: πάρεσις, inquit, *defectio & languor eſt, & virium, corporiſq; extenuatio & tabes*. Iuxta quam vocabuli Græci ſignificationem Chryſoſtomus & Theophylactus ita hũc locum exponunt: Deum cùm videret mundum peccatis præcedentibus oppreſſum contabeſcere, ac veluti paralyticum iacere ſine ſpe ſalutis; miſericordia motum miſiſſe Chriſtum medicum ac propiciatorem: Vt remiſſio peccatorum hic dicatur, non qua peccata remittuntur, ſed quam peccata fecerant. Hic ſenſus valde probabilis eſt; tametſi nec prior repudiandus. Nam verbum Græcum παρεῖναι, quemadmodum memorato loco Budæus docet, inter alia etiam ſignificat indulgere, condonare; licèt in ea ſignificatione haud facilè reperiatur in ſacris literis. Vnde & Syrus interpres de vocis ſignificato dubius, vti conijcio, prętermittendã duxit. Tãtum enim vertit: *propter peccata quæ ab initio peccauimus*. Illud porrò minus placet, quod apud commentatorem Amb. pro remiſſione legitur propoſitum: quamuis ſic etiam legat Auguſtinus de ſpiritu & litera cap. 13. Non placet, inquam, quia nec Græca vox id ſignificat, nec ſenſum ea lectio ſuppeditat huic loco commodum. Veriſimile eſt autem interpretem illum qui vertit *propoſitum*, in Græco non πάρεσιν, ſed προθέσιν legiſſe.

26 IN SVSTENTATIONE DEI. Græcè ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, id eſt *in tolerantia Dei*. Superiori capite vertit patiẽtiam. Quod ſi in parte præcedenti remiſſionem accipimus condonationem; ſenſus eſt: Quæ peccata Deus hactenus tolerauit ac patienter tulit, differẽs iudicium, vt interim ſuo tempore propiciatorem exhiberet. Si verò remiſſionem intelligimus languorem; aptiùs referetur hæc pars ad ipſam remiſſionem, hoc modo: Quam remiſſionem, id eſt languorem humani generis ex peccatis ortum Deus hactenus tolerauit. Ad hũc modum exponit Chryſoſtomus, & eum ſecutus Theophylactus. Quanquam huius interpres Latinus mentem ſui authoris non videtur aſſecutus.

AD OSTENSIONEM IVSTICIÆ EIVS IN HOC TEMPORE. Verti poteſt *iuſticiæ ſuæ*, vt ſuprà. Repetit quod dixerat, vt addat, *in hoc tempore*: volens per hoc ſignificare, Deum miſiſſe filium ſuum in plenitudine temporis, vti dicitur Gal. 4. hoc eſt, eo tempore quo iam ſatis exploratum & compertum eſſet, neque per legem naturæ, neque per legem ſcriptam poſſe languorem peccati ſanari, & iuſticiam reſtitui. Poteſt tamen & aliter hæc pars exponi. Non enim hic eſt in Græco præpoſito εἰς quæ ſuprà, *ad oſtenſionem iuſticiæ ſuæ*, ſed πρὸς, qua ſignificari poteſt *vſque ad*; vt ſit ſenſus, Deum toleraſſe peccata hominum vſque ad oſtenſionem iuſticiæ ſuæ, id eſt, vſque ad hoc tempus, quo ſuam iuſticiam mundo voluit patefacere & exhibere. Quem ſenſum confirmat addita temporis explicatio, *in hoc tempore*.

VT SIT IPSE IVSTVS, ET IVSTIFICANS EVM QVI EST EX FIDE IESV CHRISTI. *Chriſti* non eſt in Græco. Senſus: Ieſum dedit Deus propiciatorem, vt & ipſe agnoſcatur iuſtus in ſe, & prætera author iuſticiæ in alijs, ſcilicet ijs qui ſunt ex fide Ieſu Chriſti, hoc eſt, qui in Chriſtum credentes iuſticiam ab eo per fidem exſpectant. Phraſi quadam peculiari fideles dicuntur eſſe ex fide Chriſti; quemadmodum è diuerſo Iudaizantes eſſe dicuntur ex lege & ex operibus legis: nempe quod ex his iuſticiam ſibi promitterẽt. Habes eiuſmodi locutiones cap. proximè ſequente, & ad Gal. 3. Dicebantur etiam Iudæi eſſe ex circumciſione; ſed ob id tantum, quod ſecundum legem circumciſi eſſent. In priori parte ſententiæ iuſtus dicitur Deus, vel quia promiſſa ſeruat, vt plerique exponunt; vel potiùs quia in ſeipſo rectiſſimus eſt, omnis iniquitatis expers. Sic enim priori parti melius reſpõdebit poſterior, qua dicitur, *& iuſtificans eum* &c, vt vtrobique eiuſdem rationis iuſticia intelligatur. Nam & iuſticia, id eſt rectitudo Dei in hoc maximè declaratur, quod vſque adeò odit peccatum, vt eius delendi, & hominis iuſtificandi gratia filium ſuum miſerit in mũdum, atque in mortem tradiderit. Cæterùm his verbis alludere videtur apoſtolus ad locum Iſa. 53, qui ſic habet: *In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos*. Nam *in ſcientia ſua*, ſiue, vt alij vertunt, *in cognitione ſui*, idem eſt quod, in fide quæ eſt in ipſum. Obſeruauit hoc Ioan. Forerius in commentario prophetæ. Loquitur quidẽ propheta de Chriſto, Paulus de Deo: ſed hoc nihil obſtat alluſioni: præſertim cũ Chriſtus etiam ſit Deus, noſque non tantum merito, ſed & poteſtate iuſtificet.

Quid ſit eſſe ex fide Chriſti, ex lege, ex operibus legis, ex circumciſione.

27 VBI EST ERGO GLORIATIO TVA? EXCLVSA EST. In Græco & Syriaco *tua* non exſtat, vt nec apud Chryſoſtomum: tametſi Theophylactus legiſſe videtur. Qui legendum aut ſupplendum putant, intelligunt apoſtolum hic alloqui Iudæum, & concludere aduerſus eum ex ſuperioribus, quod non habeat vnde glorietur & extollat ſe de ſua iuſticia ſupra gentilem: quandoquidem æquè vt gentilis, propter peccata Deo ſit obnoxius, & Chriſti propiciatoris indigus. Alij exiſtimant abſoluto ſenſu dictum, *Vbi igitur gloriatio?* Cùm enim, vt aiunt, in ſuperioribus oſtenſum ſit omnes peccaſſe, & iuſticiam non ex operibus, ſed à fide petendam eſſe; rectè ſubinfert apoſtolus, omnem de ſuis meritis gloriandi materiam ereptam eſſe Iudæis pariter ac gentilibus: quod & antè de vtriſque dixerat illis verbis:

bis: *Et egent gloria Dei.* Sanè dicendum puto, quamuis commune eſſet vtriſque non habere de quo gloriarentur, hanc tamen interrogationem inſtitui propriè ad Iudæum, vel de Iudæo, qui gloriabatur aduerſus gentilem de iuſticia legis acceptæ à Deo: Sub cuius etiam perſona dudum mouerat quæſtionem dicens: *Quid ergo? præcellimus eos?* Sed & ea quæ ſequuntur vſque ad finem capitis, oſtendunt ad eos ſiue de eis eſſe ſermonem, qui legem acceperant. Porrò excluſa dicitur gloriatio, quia demonſtratum eſt ei locum non eſſe relictum.

PER QVAM LEGEM? FACTORVM? NON: SED PER LEGEM FIDEI. *Factorum*, id eſt *operum*, Græcè ἔργων. Eſt autem lex operum, per quam habetur nuda cognitio agendorum. Lex fidei, quæ fidem exigit, per quam ſine operibus exſpectatur à Deo iuſticia. Alio nomine lex euangelij. Vel certè, (quod placet Chryſoſtomo & Theophylacto,) legem fidei vocat apoſtolus ipſam fidem, qua velut lege impellitur homo ad quærendam à Deo iuſticiam: quemadmodum infrà cap. 7. concupiſcentia vocatur lex peccati. Per eam legem excluditur Iudæi gloriatio, qua in operibus gloriatur; dum inanis ac de nihilo eſſe eiuſmodi gloriatio conuincitur. Si enim ex fide petenda iuſticia eſt; nihil igitur ad iuſticiam opera legis conferunt, vt de iis gloriari Iudæus poſſit. *Quæstio.* Quæres; quare non etiam excluditur gloriatio per legem operum: quando eam Iudæus verè non implet? *Responsio.* Reſponſio: quia lex operum non docet, per quem & quibus auxiliis ipſa implenda ſit, vt quæ tantum agenda præſcribit: Tum quia Iudæus aliquo ſaltem modo legem operum implet, nempe ſeruiliter & ſpecie externa. Quod dum facit, magis intra ſe fouet de ſua iuſticia noxiæ præſumptionis vicium, vt dicat: *Non ſum ſicut cæteri homines*, Lucæ 18. *Lex factorum quæ?* Legem factorum ſunt qui legem Moſaïcam interpretentur, quâ parte cærimonialis eſt, dicentes gloriationem Iudæorum, id eſt legem in qua gloriabantur, excluſam eſſe, non per aliam legem operum ſimilem, ſed per legem fidei, id eſt per euangelium Chriſti, quo promulgato lex Moſaïca ceſſauit. Verùm non hic agitur de legalium abrogatione; quam rem in hac epiſtola diſſimulat apoſtolus, quemadmodum ſatis oſtendunt ea quæ ſcribit cap. 14: Qua de re etiam in argumento huius epiſtolæ nonnulla diximus. Sed de differentia legis & gratiæ tota Pauli diſputatio eſt, legis inquam moralis: quemadmodum oſtenſum eſt ſuprà ad verſum 20. Lex igitur operum eſt lex decalogi; ſine cuius operibus mox affirmat hominem iuſtificari per fidem. Nec aliter hunc locum intellexit Auguſtinus: quem conſule libro de ſpiritu & litera cap. 13 & 14, & ſequacem eius Hugonem in quæſtionibus huius loci. Si quæras, cur dicere maluit apoſtolus legem fidei, quàm ſimpliciter fidem: aut cur omninò quæſtionem ſic propoſuit, per quam legem? reſpondet Chryſoſtomus, vt à legis vocabulo non recederet, quod gratum ſciebat auribus Iudæorum.

28 ARBITRAMVR ENIM IVSTIFICARI HOMINEM PER FIDEM SINE OPERIBVS LEGIS. *Enim* Græcè ἂρ᾽ *igitur*: vt hæc ſit illatio ex ſupradictis. *Arbitramur*, Græcè λογιζόμεθα, id eſt *ratione colligimus*, Syr. *ratiocinamur*: quæ ſignificatio non eſt aliena à Latino vocabulo arbitrandi. Dicit autem *hominem*, ait Chryſoſtomus, *commune naturæ nomen vſurpans*, ne quis hominum exceptus intelligatur. Senſus: Iam ergo colligimus & concludimus ex ſuperiori diſputatione hanc noſtram propoſitionem. Hominem ſiue Iudæum, ſiue gentilem iuſtificari per fidem qua iuſticiam apprehendat, etiamſi legis opera non adferat, ea videlicet quæ ſola cognitione legis adiutus fecerit: vt quæ nihil ad iuſticiam conducant. Non igitur, vt ſectarij volunt, opera ſimpliciter excluduntur à negocio iuſtificationis, ſed opera fidem præcedentia, vel non à fide profecta, quantumuis ad lumen inſitæ rationis lucerna ſcriptæ legis acceſſerit. Nam quod ad opera verè bona ac ſalutaria attinet, tenendum prorſus quod in ſua docet epiſtola Iacobus apoſtolus cap. 2. *quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum*: quemadmodum præcedenti cap. declaratum eſt. Sed hæc *opera ſunt ex fide, non ex operibus fides* ait Auguſtinus libro de gratia & libero arbitrio cap. 7. *Non enim virtutibus venitur ad fidem, ſed per fidem venitur ad virtutes*, teſte Gregorio magno hom. 19 ſuper Ezech. Siquidem & *Cornelius centurio, cuius eleemoſynæ ante baptiſmum angelo teſtante laudatæ ſunt*, vt de eo ſubijcit ibidem Gregorius, *non operibus venit ad fidem, ſed fide venit ad opera*, ſcilicet hæc ipſa quæ ab angelo laudata ſunt, orationes & eleëmoſynas. *Neque enim*, inquit, *poterat bona agere, niſi antè credidiſſet.* Porrò quæ fides hic intelligatur, ſatis expoſitum eſt in ſuperioribus. Sed & Auguſtinus loco proximè citato fidem exponit, de qua Paulus Gal. 5 ſcribit dicens: *In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides quæ per dilectionem operatur.* Ea eſt quam ſuprà diximus fidem obedientem & bona voluntate formatam. Illud hoc loco pleniùs ac diſtinctiùs explicandum; quum aliis in locis ſcriptura iuſtificationem aſſcribat nunc pœnitentiæ, nunc dilectioni, nunc inuocationi diuini nominis, nunc ſacramento baptiſmi, vt Act. 2 & 3. Luc. 7. Ioel. 2. Ioann. 3. Tit. 3. ſintque hæc omnia ad iuſtificationem neceſſaria: quænam ſit ratio cur Paulus ita peculiariter eam attribuat fidei. Nam ſi reſpondeas fidem à dilectione & cæteris illis non eſſe ſeparandam; è diuerſo tibi dicetur, nec illa à fide

Quæ opera à negocio iuſtificationis excluſa.

Cur iuſtificatio à Paulo peculiariter attributa fidei.

ſeparanda eſſe, aut ſeparari poſſe, vt ad iuſticiam valeant. Itaque reſpondeo complures adferri poſſe rationes, ob quas ſecundum doctrinam apoſtolicam ex fide iuſtificari dicamur. Prima ratio eſt, quia fides humanæ ſalutis, ac proinde iuſticiæ ipſius, initium eſt: non ſolum quia fides iuſticiam præcedit, ſed quia ſic eam inchoat, vt etiam ipſius pars quædam ſit: quemadmodum à corde principium eſt vitæ hominis, quum tamen in ipſo etiam vita ſit. Quo referendum, quod Gregorius in homilia paulo antè citata, fidem vocat veſtibulum ædificij ſpiritualis: quoniam huc non intratur niſi per fidem. Et tamen veſtibulum etiam eſt pars ædificij. Secunda ratio, quia fides fundamentum eſt omnis noſtræ iuſtificationis: vt quæ tota fidei innitatur, & ab ea continuò ſuſtentetur. Id quod præclarè docet apoſtolus in epiſtola ad Hebr. 10 & 11. Tertia, quia fides eiuſdem noſtræ iuſtificationis radix eſt: vt pote in qua virtute contineatur omnis iuſticia noſtra, & ex qua veluti pullulet atque ſuccreſcat. Circa quas duas rationes illud rurſus notandum; ſicut fundamentum pars eſt domus, & radix pars arboris; ita fidem eſſe partem quandam iuſticiæ. Tres rationes iam dictas expreſſit ſynodus Trident. ſeſſ. 6 cap. 8. Quarta eſt, per fidem ſiue ex fide hominem iuſtificari, quia fides impetrat iuſtificationem, & quadamtenus eam meretur. Hac enim ratione dictum eſt peccatrici Luc. 7. *Fides tua te ſaluam fecit*, id eſt à peccatis iuſtificauit. Etenim fides vt hic accipitur, opus eſt Deo gratum, idemque primum, cuius intuitu cætera donantur, quæcumque ad iuſticiam & ſalutem hominis pertinent: vt ob hanc cauſam meritò non ſolùm impetrare, verùm etiam apprehendere iuſticiam fides dicatur. Adfert hanc rationem Auguſtinus libro de ſpiritu & litera cap. 29 & 30, & in epiſtola 105, ac alibi. Vnde illud eiuſdem; *Fides impetrat quod lex imperat*. concione 16 in pſalmum 118. Item: *Non opera, ſed fides inchoat meritum*, libro 1 retractationum cap. 23. Accedit & quinta ratio, quæ quartam confirmet; quod nimirum in fide magis quàm in aliis actibus Deo placitis appareat ac manifeſtetur, hominem non propria virtute, ſed Chriſti merito gratis iuſtificari. Nam idipſum agnoſcit & proteſtatur is qui in Chriſtum credit. Qua quidem agnitione in ſpem erectus, fidenſque Deum ſibi propter Chriſtum propicium fore, prouocat erga ſe miſericordiam Dei ad impertiendum ipſi iuſtificationis beneficium: ſicut in quarta ratione dictum eſt. Quod verò ſectarij docent, per fidem vt cauſam formalem nos iuſtificari, ſic vt non ſit alia noſtra iuſticia quàm fides; id quàm ſit alienum à mente Pauli, ſatis oſtendit illa dudum ab eo præmiſſa ſententia: *Factores legis iuſtificabuntur*. Igitur vtrumque confitendum eſt; factores legis iuſtificari; nec tamen ex operibus legis quemquam iuſtificari, ſed per fidem. Non enim factores legis ex operibus legis, ſed ex operibus fidei iuſtificantur, quantumuis in iuſticia promouerint. Etenim etiam in hoc loco iuſtificationem generaliùs accipi nihil vetat, vt comprehendat progreſſum & augmentum iuſticiæ; de quo ſcriptum eſt: *Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc* Apocal. 22. Semper enim iuſtus, dum in hoc ſeculo viuit, ex fide viuit. Ad extremum quæret aliquis, quomodo Paulus modò per fidem, modò gratis iuſtificari nos dicens, non ipſe ſecum pugnet: maximè ſi in fide ſecundum prædicta ſtatuendum ſit aliquod meritum iuſtificationis. Quidam huic quæſtioni non aliter ſatisfieri poſſe putant, niſi meritum hoc inficiando. Dicunt enim fidem eſſe nudam conditionem, quam Deus exigat ab homine præſtandam, ſi velit iuſtificari: ſicut erat aſpectus ſerpentis ænei iis, quos momorderant igniti ſerpentes, Numer. 21. Hac enim vtuntur comparatione, velut argumento ad rem figuratam: quaſi videlicet aſpectus ille non debuerit eſſe cum obedientia coniunctus; ideoque etiam impetrationis ac meriti quandam rationem habuerit; aut quaſi figura debeat per omnia reſpondere figurato: quum conſtet, ac multis exemplis doceri poſſit, etiam per actiones malas interdum actiones bonas & ſanctas in myſterio præfiguratas fuiſſe. Exempla ſunt Noë inebriati, Geneſis capite 9. Samſonis meretricem amantis, Iudicum capite 14. Dauidis inſaniam ſimulantis, 1 Regum cap. 21, & aliorum: quemadmodum viciſſim per actiones bonas, cuiuſmodi multæ erant, quibus immundicia legalis contrahebatur, mala & immunda opera typicè ſignificata fuere. Dicendum proinde nullam in ea Pauli doctrina eſſe repugnantiam: Quoniam & fides ipſa gratis datur, tanquam iuſticiæ pars quædam initialis, vt antè dictum eſt. Nam fides non ſolum gratiam Dei qua iuſtificamur, agnoſcit & impetrat: ſed & eam inchoat. Eſt enim fides, vt ſic dicam, gratiæ Dei per CHRISTVM filia primogenita. Nec verò prorſus vt oportet quis credit ſe gratis iuſtificari, niſi credat & ipſam fidem qua iuſtificatur, eſſe gratuitum Dei donum. Id quod perſpicuè docet apoſtolus Epheſ. ſecundo: vbi cùm vtrumque coniunxiſſet, dicendo; *Gratia eſtis ſaluati per fidem*, ſtatim de fide ſubiunxit: *Et hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.*

Cur fides iuſticiam apprehendere dicatur.

Quomodo non pugnent, nos per fidem, & tamen gratis iuſtificari.

29 AN IVDÆORVM DEVS TANTVM? NONNE ET GENTIVM? IMO ET GENTIVM. Græcè *Certè & gentium*. Senſus eſt: Deum quod ad beneficium

attinet

attinet iuſticiæ & ſalutis æternæ, non ſolùm Iudæorum Deum eſſe, verùm etiam gentilium; vt qui æquè ſint Dei creatura rationis capax, & ad ſupernam felicitatem ordinata; nec neceſſe eis ſit per circumciſionem Iudaicæ nationi incorporari, vt iuſticiæ Dei participes fiant. Quod declarant verba ſequentia.

30 QVONIAM QVIDEM VNVS EST DEVS, QVI IVSTIFICAT CIRCVMCISIONEM EX FIDE, ET PRÆPVTIVM PER FIDEM. *Iuſtificat*, Græcè futurum, δικαιώσει iuſtificabit; Latinis etiam nonnullis aſſentientibus. *Ex fide, & per fidem, non ad aliquam differentiam dictum eſt, ſed ad varietatem locutionis*, ait Auguſtinus libro de ſpiritu & litera capite 29, ac doctè demonſtrat aliorum locorum collatione. Nam & contrà, Iudæos per fidem iuſtificari, & gentes ex fide, teſtatur idem apoſtolus Gal. 2 & 3. Diſtinguit quidem hæc duo Paulus Burgenſis ex Tarantaſia. Diſtinguere conantur & alij quidam: ſed inani labore ſe occupant. Senſus enim clarus eſt: Cùm, inquit, omnium vnus & idem ſit Deus; vnam quoque & eandem conſequendæ iuſticiæ rationem, ſcilicet ex fide ſiue per fidem, omnibus ſine diſcrimine prouidit, tam gentilibus, quàm Iudæis.

31 LEGEM ERGO DESTRVIMVS PER FIDEM? Obiectionem mouet, qua dici poterat, hanc de fide doctrinam ſpectare ad legis euerſionem. *Deſtruimus* Græcè καταργοῦμεν, id eſt *abolemus*. Auguſtinus & ante eum Tertullianus legunt, *euacuamus*. Ita noſter interpres ſuprà, *fidem Dei euacuabit*. Senſus: Ergóne legem abolemus, irritam facimus, ocioſam & inutilem reddimus hac noſtra de iuſtificatione doctrina, qua fidem exigimus, & opera legis excludimus? Reſpondet.

1 ABSIT: SED LEGEM STATVIMVS. Adeò legem non deſtruimus, inquit, vt potius eam ſtatuamus, id eſt ſtabiliamus, & confirmemus. Id quomodo verum ſit, nempe legem per fidem ſtatui, trifariam explicatur. Primùm, quia ſicut dicit Auguſtinus libro de ſpiritu & litera cap. 30. fides impetrat gratiam, qua lex impleatur. Eandem rationem adferunt Chryſoſtomus, eiuſque ſequaces. Secundò, quia quæ lex vetus ſignificabat & promittebat, per legem nouam exhibentur. Impletur enim promiſſio, non euacuatur, quando res promiſſa præſtatur. Qui ſenſus etiam eſt apud Chryſoſtomum: & probabilis efficitur ex illis ſuperioribus apoſtoli verbis: *Teſtificata à lege & prophetis*. Tertiò, quia per hanc iuſtificationis doctrinam legitimum officium legis oſtenditur, & ab officio fidei diſcernitur: dum docetur per legem haberi cognitionem peccati, vti ſuprà dictum eſt, & latiùs declaratur infrà cap. 7: per fidem verò iuſticiam acquiri. Verùm id propriè non eſt legem per fidem ſtatui. Nam etiam ſine fide, per legem cognitio peccati habetur. Placent igitur duo priores ſenſus: primus maximè. Nam legis firmitas, impletio, conſummatio potiſſimùm intelligitur in obſeruatione præceptorum eius, vt patet ſuprà cap. 2. Nec obſtat quod dicunt fidem non eſſe introductam, vt impleretur lex Moſaïca, quam per Chriſtum abolitam eſſe conſtat. Loquitur enim apoſtolus non de lege cærimoniali, ſed morali, id eſt de lege decalogi: nec ea, quatenus per Moyſen lata, ſed vt iuſticiæ præcepta continet omnibus ſeruanda, Iudæis pariter & Græcis. Porrò quod Chriſtus in euangelio dicit: *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere* Matth. 5. non videtur huc pertinere. Dictum eſt enim alio ſenſu: quia multa quæ minùs erant in lege expreſſa, ipſe expreſſiùs tradidit, & facienda præcepit. Quanquam & alijs modis legem Chriſtus Dominus adimpleuit: tum ea, quæ lex adumbrauit, exhibendo; tum ad obſeruanda legis præcepta gratiam ſubminiſtrando.

Quo ſenſu fides legē ſtatuat.

SVMMARIVM.

EXemplo Abrahæ oſtendit, non ex operibus, neque ex circumciſione, neque ex lege, ſed ex fide exſpectandam eſſe iuſticiam; non Iudæis ſolum, ſed omnibus fidem illius imitantibus.

CAPVT QVARTVM.

1 QVID ERGO DICEMVS INVENISSE ABRAHAM PATREM NOSTRVM SECVNDVM CARNEM? *Inueniſſe*, id eſt conſecutum eſſe, phraſi Hebræa. qua alibi *inuenire gratiam, miſericordiam, ſapientiam, vitam*. Duas quæſtiones initio capitis ſuperioris ſibi fecerat apoſtolus: quarum poſteriorem de vtilitate circumciſionis, huc vſque dilatam nunc repetit alijs verbis; idque ſupradictorum occaſione, maximè eius quod docuerat Deum ſine diſcrimine iuſtificare tam præputium, quam circumciſionem: ex quo ſequebatur ad iuſticiam nihil intereſſe, ſitne quis circumciſus an non. Vbi iam locum habet quæſtio: *Quæ* igitur *vtilitas circumciſionis?* Quoniam verò Abraham primus mandatum circumciſionis accepit, idemque iuſtus ac Dei amicus prædicatur in ſcripturis; ideo quæſtionem reſumit in perſona Abrahæ: quod fatendum videatur eum fuiſſe iuſtificatum per circumciſionem. Nam, dicere poterat Iudæus, quid ei profuit circumciſio, ſi non ad iuſticiam? Valde enim magni faciebant circumciſionem Iudæi: vt etiam quidam ex eis dicerent

ad gentiles: *Niſi circumcidamini, non poteſtis ſaluari.* Act. 15. Porro quæſtioni Paulus ita reſpondet, vt doceat non ex circumciſione, ſed ex fide iuſtificatum fuiſſe Abraham: nec tamen inutile fuiſſe circumciſionis ſignum. Quanquam non inſtituit hic agere de lege cærimoniali; quæ data fuit longè poſt Abraham; ſed ſolum de circumciſione, quæ, ſicut ait Dominus Ioann. 7, *non ex Moyſe* erat, *ſed ex patribus*: licet inſtitutis legalibus ſub Moyſe ceperit annumerari. Nam de legalibus in vniuerſum, quòd nihil ad iuſticiam conferant, alibi docet apoſtolus ex profeſſo: vt in epiſtolis ad Galatas & ad Hebræos. In Græco hic eſt ordo verborum: *Quid ergo dicemus Abraham patrem noſtrum inuenieſſe ſecundum carnem?* vt illud *ſecundum carnem* referendum videatur ad verbum *inueniſſe*. Quod quidem voluit Syrus interpres, dum ita vertit: *Quid igitur dicimus de Abraham principe patrum, quod inuenit in carne?* Quin & Latini quidam, vt commentator Ambro. Aquinas & Caietanus ſic interpretantur, vt *ſecundum carnem* referant ad *inueniſſe*. Iuxta quam ſeu lectionem ſeu conſtructionem, ſenſus erit: Quid dicemus Abraham patrem noſtrum conſecutum fuiſſe per circumciſionem carnis? At noſter interpres qui verba tranſpoſuit, hunc videtur ſenſum facere voluiſſe: Quid dicemus Abraham, qui pater noſter eſt ſecundum carnem, id eſt ſecundum carnalem propagationem, (loquitur enim apoſtolus ex perſona ſuæ gentis) adeptum fuiſſe per hoc quod fuit circumciſus? Nam de circumciſione moueri quæſtionem ſequentia docebunt. Ita quoque Chryſoſtomus, eiuſque ſequaces, & Photius exponunt, agnoſcentes hyperbaton in textu Græco. Fauentque huic conſtructioni & ſenſui alia loca apud Paulum, vt huius epiſtolæ cap. 1. *Ex ſemine Dauid ſecundum carnem*. Et infrà capite 9. *qui ſunt cognati mei ſecundum carnem*. Ac rurſum: *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem*. Et 1 Cor. 10. *Videte Iſraël ſecundum carnem*.

2 SI ENIM ABRAHAM EX OPERIBVS IVSTIFICATVS EST, HABET GLORIAM, SED NON APVD DEVM. Malè quidam codices: *ex operibus legis*: addito ſcilicet vocabulo *legis*, quod nec in Græcis eſt, nec in Syriacis, nec in meliotibus Latinis. Sed nec erat ratio cur adderetur; quum ſermo eſſet de Abraham, cuius tempore lex nondum erat data. Legit quidem commentator Ambroſ. & exponit; ſed vſus mendoſo textu, quemadmodum & Aquinas, & alij quidam. *Gloriam* Græcè Καύχημα, *gloriationem*. Proinde clarius alij verterunt: *habet quod glorietur*. Porro vocula *enim* non cauſalis eſt hoc loco, ſed ſuppletiua, qua reſponſionem aggreditur. Ac primum docet quid non fuerit conſecutus Abraham per circumciſionem, deinde quid conſecutus. Negat conſecutum fuiſſe iuſticiam, quia non ex operibus iuſtificatus eſt. Id verò probat hoc modo: Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt & non ex fide, habet vnde glorietur, vnde ſe iactet apud homines, tanquam iuſtum; ſed non apud Deum; quia talis iuſticia (quod in ſuperioribus demonſtraui) non eſt iuſticia Dei. Atqui in confeſſo eſt Abraham habuiſſe gloriam apud Deum: non igitur ex operibus iuſtificatus eſt. Hanc enim argumenti conuerſionem ex oppoſito conſequentis Paulus intendit. Vbi tamen non hoc ſentit, eum qui ex operibus iuſtificatus videtur, meritò poſſe gloriari de ſua iuſticia apud homines; ſicut hanc partem nonnulli accipiunt: (Neque enim ea vera iuſticia eſt) Sed per conceſſionem dicit *habet*, id eſt habeat gloriam; vt ſenſus ſit: Etſi fortè, quod nunc non diſcutio, de ſua operum iuſticia apud homines gloriari poſſit, qui tantum vident ea quæ foris ſunt: haudquaquam tamen habet vnde glorietur apud Deum, qui videt abſcondita cordis: *Nam ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo*. ſuprà cap. 3. Eſtque eadem ratio de cæteris operibus non à fide profectis; ac de ipſa circumciſione, vt erat ſignum & obſeruatio quædam externa, quamuis à Deo inſtituta. Interpretamur apoſtolum de operibus quæ non ſunt ex fide, ſed fidem præueniunt, & contra eam diſtinguntur. De talibus enim apoſtolo præſens inſtituta eſt diſputatio. Nec alioqui cauſæ eius ſetuiret exemplum Abrahæ; vt quem ex operibus à fide profectis verè & coram Deo iuſtificatum fuiſſe, teſtatur ac docet apoſtolus Iacobus cap. 3. Quod ipſum & Chriſtus ſignificauit dicens: *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*, Ioan. 8. Conſule ſi lubet, Auguſtinum in præfatione ſuæ enarrationis in pſalmum 31, vbi pulcrè & diſertè explicat, de quibus operibus hæc Pauli doctrina ſit accipienda; ſimulque eam cum doctrina Iacobi qua iuſtificationem ex operibus aſſerit, doctè conciliat, adhibita diſtinctione operum quam diximus.

Quo ſenſu non ex operibus Abrahæ iuſtificatus.

3 QVID ENIM DICIT SCRIPTVRA? CREDIDIT ABRAHAM DEO, ET REPVTATVM EST ILLI AD IVSTICIAM. Si non ex operibus Abraham iuſtificatus eſt, (quærere poterat Iudæus) quomodo igitur iuſtus in ſcripturis prædicatur? Reſpondet & docet apoſtolus ex fide iuſtificatum fuiſſe: ſimul vt eo exemplo tanti patriarchæ probet ac ſuadeat principalem propoſitionem qua dixerat; iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. Si enim Abraham ex fide & non ex operibus iuſtificatus eſt; quem tamen ſcriptura tanquam egregiè iuſtum deſcribit, atque in exemplum iuſticiæ nobis proponit: igitur nos quoque non ex operibus, ſed ex fide iuſticiâ exſpecta-

re de-

re debemus. Hanc ratiocinationem Paulo propoſitam eſſe, liquet ex contextu totius capitis, & maximè ex eo quod ſub finem veluti concludendo dicit: *Non eſt autem ſcriptum tantum propter ipſum, ſed & propter nos*, &c. Porrò ſcriptura quam adducit Paulus in teſtimonium, habetur Gen. 15. Quo quidem ſcripturæ loco quamuis nondum Abraham, ſed Abram vocatur: Paulus tamen ſcripſit *Abraham*, quod nomen illi poſtea Deus indidit; quodque tritum erat ore Iudæorum, & auribus gratum. Circa eandem ſcripturam notandum, ne cui ſcrupulum faciat quod in Hebræo legitur, *Credidit in Dominum* ſeu *Deum*: nihil diuerſum ſignificari; ſed ſenſum eſſe eundem. Nam Hebræo ſermone credere in aliquem vel in aliquo, idem eſt quod illi ipſi credere, fidem adhibere. Sic Exodi 14 Hebraicè, *Crediderunt in Dominum & in Moyſen ſeruum eius*. Quod Hieronym. bene vertit; *Crediderunt Domino, & Moyſi ſeruo eius*. Item 1 Reg. 22 Hebraicè *Et credidit Achis in Dauid*. Hieronymus. *Credidit ergo Achis Dauid*. Nec aliter in Geneſi & Exodo verterunt LXX. Quare & Paulus in hoc capite, credere Deo, & credere in Deum; vſurpat pro ijſdem. Iam quod nos paſſiuè legimus, *reputatum eſt ei ad iuſticiam*; actiuè quidem in Hebræo legitur: *reputauit illud ei iuſticiam*; ſed nulla ſenſus diuerſitate, niſi quod illic expreſſiùs ſignificatur perſona reputans, ſcilicet Deus. Viſum autem fuit Paulo, quemadmodum & Iacobo cap. 2, ſententiam hanc citare, ſicut habetur apud LXX, quorum erat receptiſſima verſio: maximè quod ita etiam in Hebræo legatur pſalmo 105. Vnde etiam apparet haud rectè ex Hebræo vertiſſe Pagninum: *Imputauit illud ſibi ad iuſticiam*, id eſt, Abraham ſibiipſi. Quod omnino alienum eſt à ſenſu vtriuſque apoſtoli, atque ipſius Moyſi, qui ſanctum patriarcham non ſuo, ſed Dei iudicio iuſtificatum dicere voluit. Præter hæc obſeruandum, vulgato interpreti tria hæc verba, reputare, imputare, & accepto ferre, quæ hoc capite leguntur, prorſus eiuſdem eſſe ſignificationis; vt quibus vnum idemque verbum Græcum λογίζεσθαι tam actiua quam paſſiua ſignificatione reſpondeat. Nec verò, vt Eraſmus in paraphraſi exponit, & alij quidam exiſtimant, illud ex mente apoſtoli dicitur reputari pro aliquo vel ad aliquid, quod cùm verè tale non ſit, ex ſola reputantis aut imputantis benignitate pro tali habetur; vt ſi quis habeat pro ſoluto, quod verè non eſt ſolutum. Hoc enim adferunt pro exemplo. Sed ea falſa eſſet reputatio, quæ in Deum cadere non poteſt. Etenim hoc pacto non eſſet verè iuſtus ille cui fides ad iuſticiam imputatur. Quare nec Abraham, cui credidiſſe Deo reputatum eſt ad iuſticiam, ea fide verè iuſtus fuiſſet. Quod & ſcripturis & ipſi apoſtolo repugnat. Ac certè non parum fauere videretur ea expoſitio nouo dogmati hæreticorum de iuſticia imputatiua. Dicunt enim hominem erſi non verè iuſtum, tamen coram Deo iuſtum haberi; quia fides qua credit ſibi propter Chriſtum remiſſa peccata, imputatur ei pro iuſticia. Quam doctrinam meritò damnauit eccleſia in ſynodo Trid. ſeſſ. 6 cap. 7, & canone 11. Itaque ſecundum ſcripturas dicimus illud reputari ad aliquid, quod vera æſtimatione, veroque iudicio tale habetur. Sic enim dictum eſt: *Credidit Abram Deo, & reputatum eſt ei ad iuſticiam*; quia fides illa qua Deo credidit promittenti ſibi ſemen ſicut ſtellas cæli, erat verum & inſigne opus iuſticiæ, Deo gratiſſimum. Sic de eodem patriarcha ſcriptum eſt lib. 1 Machab. 2, quod *in tentatione inuentus eſt fidelis, & reputatum eſt ei ad iuſticiam*. Item de Phinees ſacerdote pſal. 105. *Stetit & placauit, & ceſſauit quaſſatio: & reputatum eſt ei in iuſticiam*. Hæc quippe erant opera verè iuſta. Sic & ab Auguſtino dictum eſt in tractatu de vrbis excidio cap. 3, quod beatus Iob *ſuſtinuit tribulationem*; *& deputatum eſt illi ad magnam iuſticiam*; quia nimirum illa ſuſtinentia Iob magnæ iuſticiæ opus fuit. Quæ res confirmatur etiam ex contrario. Nam more ſcripturæ etiam mala opera reputari dicuntur in peccata; vt violatio voti, & detentio mercedis debitæ, Deuter. 23 & 24. Hæc autem conſtat verè peccata eſſe, eaque mortifera. Neque Deus qui iuſtè & ſecundum veritatem iudicat, in peccatum reputaret, & tanquam peccatum puniret opus aliquod, quod verè peccatum non eſſet. Quare & in bonis eadem eſt retinenda iſtius vocabuli ſignificatio, etiam hoc loco, vbi docetur fidem reputari ad iuſticiam. Et ita Cyprianus in epiſtola ad Cæcilium lib. 2 epiſtola 3 hanc reputationem explicat. *Si Abraham*, inquit, *Deo credidit, & deputatum eſt ei ad inſticiam: vtique quiſquis Deo credit, & fide viuit, iuſtus inuenitur*. Vbi vides eadem eſſe Cypriano, deputari cuipiam fidem ad iuſticiam, & eum per fidem iuſtum inueniri. Nec verò hunc ſcripturæ ſermonem ab apoſtolis repetitum, quo dicitur fides Abrahæ deputata ad iuſticiam, patres orthodoxi vnquam aliter quam de vera iuſticia acceperunt. Quod autem objiciunt, in rationibus imputari tanquam ſoluta, non ſolum quæ verè ſoluta ſunt, verum etiam quæ non ſoluta, ſed remiſſa: Reſpondeo id impropriè dici, quo ſignificetur debitorum condonatio; quæ cùm facta fuerit, iam non eſt quod ſolui debeat. Alioqui verè & propriè nec reputari nec haberi poteſt pro ſoluto, quod non eſt ſolutum: nihilo magis quam habere poſſis pro viro bono, quem ſcias eſſe nebulonem. Cæterùm quomodo ſit hoc ipſum intelligendum, quod hic ex profeſſo docet apoſtolus, fidem reputari ad iuſticiam; cùm fides non ſit ipſa hominis iuſticia,

Quid Hebræa phraſis credere in Deum.

Quid ſecundum ſcripturas quippiam ad aliquid reputari.

Duplex dubitatio.

paulo pòst explicabitur. At circa præsentem locum duplex occurrit dubitatio. Nam videri potest exemplum Abrahæ, de quo scriptum est, *Credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam*, non bene nec appositè introductum ab apostolo ad probãdam impij iustificationem ex fide Christi: Primùm, quia Abraham non tunc demũ quando hoc credidit quod de eo scriptura commemorat, iustificatus fuit: sed inde ab initio vocationis suæ, quando dictum est ei: *Egredere de terra tua* &c. Genes. 12, describitur vt vir iustus, vtpote fidelis & obediens Deo, & vt talis laudatur Heb. 11 & alibi. Deinde, quia scriptura non loquitur illic de fide Christi propiciatoris; sed de ea solum fide, qua promittenti Deo credidit Abraham semen suum futurum sicut stellas cæli. Ad priorem dubitationem responsio quorũdam est, verba citati à Paulo testimonij de prima Abrahæ iustificatione esse intelligenda: non tamen referenda ad solam promissionem Dei proximè præcedentem, sed etiam ad alias superiores, quibus iam antè & ab initio credidit. Nam *fide Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem*. Heb. 11. Hæc responsio mihi certè violenta videtur & improbabilis. Planus enim scripturæ textus postulat vt verbum *credidit* præcisè referatur ad promissionem proximè narratam; neque patitur vt ad alias longè præmissas post multa intermedia retrahatur. Tum & ratio obsistit. Nam si de prima iustificatione sermo est, iam omnino non poterit referri verbum *credidit* ad promissionem præsentem, sed ad illam solam referendum erit, quæ facta fuit Abrahæ nondum iustificato. Itaque non stat vt ad hanc simul & priores referatur. Proinde verior ac textui Mosaico magis consentanea responsio est; Abraham tunc quando hoc credidit, quod ibi Moyses ei promissum narrat, iustificatum fuisse: non quod tunc ex impio iustus factus fuerit; sed quia ea fide tanquam insigni opere iusticiæ declarata fuit & aucta eius iusticia: auctam dico ea iustificatione quę secunda vocatur. Nam etiam multo pòst quãdo filium suum obtulit, eandem scripturam impletam fuisse, Iacobus in epistola sua testatur cap. 2. Iam si Abraham antea iustus, adhuc iustificatur ex fide & per gratiam fidei; non autẽ ex operibus: majori igitur ratione (quod in fine capitis apostolus concludit) ex impio iustus quis primum efficitur per fidem & non per opera. Adde quod apostoli doctrina de iustificatione generalis est, etiam secundam iustificationem comprehendens, vti cap. 1 & 3 satis est ostensum. Ad posteriorem dubitationem responderi potest, Abraham diuinæ promissioni credentem, non solam attendisse carnalem posteritatem; sed præcipuè spectasse vnum illud semen, in quo, sicut ei promittitur Gen. 12, benedicendæ erant omnes familiæ terræ; id est Christum ex ipsius posteritate nasciturum. Nam propter hoc semen quod est Christus, omnia illa de carnali posteritate promissa dabantur. Verùm quia in promissione quæ habetur Gen. 15 (ex quo loco præsens testimonium desumptum est) nulla fit mentio seminis, in quo gentes sint benedicendæ; sed tantum posteritatis carnalis; velut etiam toto hoc capite non aliam fidem Abrahæ, quæ ei reputata fuerit ad iusticiam, vrget apostolus, quam qua contra spem in spem Deo promittenti credidit (vt infrà dicitur) se futurum patrem multarum gentium; idcirco respondent alij, fidem illam Abrahæ, licèt non fuerit de Christo vt obiecto, tamen innixam fuisse fidei seu fiduciæ de Christo, saltem tacitè atque implicitè, si nondum expressam de eo reuelationem acceperat. Sed hæc resp̃sio principium petere videtur. Hoc ipsum enim probandum erat, Abrahæ fidem qua credidit Deo promittenti sibi semen sicut stellas cæli, innixam fuisse fidei quam habebat de Christo; & ex hoc fundamento valuisse ei ad iusticiam. Simplicior mihi responsio videtur, si dicamus satis esse Paulo, ab exẽplo Abrahæ, qui ex fide qua Deo credidit, iustificatus fuisse scribitur, qualecumque fuerit illius fidei obiectum, ostendisse, idque apud Iudæos, quibus omnia facta Abrahæ erant veneranda, quod non debeat absurda videri doctrina euangelica, sed ijs quæ de Abraham sanctissimo eorum patriarcha leguntur, admodum consona, qua docetur impium iustificari ex fide: cùm illud exemplum clarè doceat, esse rem Deo ad iusticiam hominis valde gratam & acceptam, si verbis illius indubitata fides adhibeatur. Hęc responsio colligi potest ex fine capitis, vbi Paulus exẽplum Abrahæ credentis suo applicans instituto, solum hoc dicit: *Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi: sed & propter nos, quibus reputabitur, credentibus in eum qui suscitauit Iesum Christum*, &c. Quibus verbis Abrahæ quidem non aliam attribuit fidẽ, quàm de qua egerat in superioribus: & tamen hoc scriptum esse dicit propter nos, per fidem qua in Christum crederemus iustificandos: ne videlicet incredibile Iudæis videatur, hominem iustificari ex fide Iesu Christi; quum & Abraham patrem suum legant ex fide iustificatum. Huc facit quod Heb. 11 dicitur Noë eius iusticiæ quæ per fidem est, heres fuisse institutus, id est, per fidem iustificatus. Hanc enim fidem exponit eo loco Paulus, non qua credidit in Christum; sed qua Deo credidit prędicenti futurum mundi diluuium: ita vt propter hanc fidem etiam de ipso dici potuerit; (*credidit* Noë *Deo, & reputatum est ei ad iusticiam*. Sciẽdum tamen, tam in hac fide Noë, quàm in illa Abrahæ, contineri fidem Dei remuneratoris, de qua dicitur in eodem loco: quòd credere oportet Deum esse, & inquirẽtibus se esse remuneratorem. Ac rursus in fide Dei remuneratoris rectè incluśam intelligi fidem mediatoris; quemadmodum illic ostendetur. Vnde hac ratione dici potest, taciturn esse apostoli mentem, quod Abraham & Noë

Quorũdã ad priorẽ responsio.

Alia respõsio melior.

Responsio ad posteriorem dubitationẽ.

Alia responsio.

Alia probabilior responsio.

per

per fidem mediatoris iusti fuerunt declarati, iusticiæque profectum & incrementũ adepti. Ex quo consequenter intelligendum relinquatur, iisdem primam quoque iustificationem ex fide mediatoris Christi contigisse. Nam si progressus iusticiæ ex fide est, vbi tamen opera inueniuntur; quanto magis initium iustificationis, quod opera præuenit, ex fide erit? Pertinent huc & cæterorum antiquorum exempla, quos per fidem Deo placuisse, ac iusticiæ testimonium consecutos fuisse, longo ordine Paulus eodem loco recenset: non vtique loquens de fide mediatoris, sed de fide dictorum & promissorum Dei in genere, in qua tamen contineretur fides de Deo, quòd inquirentibus se remunerator sit: proinde & fides mediatoris, ea ratione & sensu qui suo loco declarabitur: vti dictum est de fide Noë & Abraham.

4 EI AVTEM QVI OPERATVR, MERCES NON IMPVTATVR SECVNDVM GRATIAM, SED SECVNDVM DEBITVM. In eo quod dixit fidem Abrahæ fuisse ei reputatam ad iusticiam, sonat gratia: quia fides promissorum Dei gratię innititur. Quo argumento nunc docet Abraham non ex operibus iustificatum fuisse. Pugnant enim, ex operibus & gratiâ, secundum illud infrà cap. 11. *Si gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia.* Porrò sumptio generalis est de quolibet operario, qui opere suo mercedem acquirit, vt arando, texendo, ædificando; quemadmodum rectè exponunt Augustinus in propositionibus huius loci, & Græci tractatores: vt sensus sit: Operi respondet merces, videlicet ex conuentione; merces autem non æstimatur vt gratuita, sed vt debita. Nam merces significat id quod pro opere debetur. Hinc colligendum relinquit: quòd si Abraham ex operibus iustificatus fuit, non igitur gratis iustificatum fuisse. Cuius quidem consequentis falsitatem, ex scriptura iam allata ostendit per ea quæ sequuntur. Quidam extremã partem sententiæ supplent hoc modo: *Sed secundum debitum* repẽditur. Negant enim conuenienter dici; merces imputatur secundum debitũ, eo quod imputatio importet aliquid gratuitum. Verùm si bene consideretur significatio verbi imputari, Græcè λογίζεσθαι, prout superius à nobis exposita est; facilè intelligetur, non incongruam neque abusiuam esse hanc locutionem. Significatur enim mercedem vera æstimatione iudicari debitam & non gratuitam.

Quid merces.

5 EI VERO QVI NON OPERATVR, CREDENTI AVTEM IN EVM QVI IVSTIFICAT IMPIVM, REPVTATVR FIDES EIVS AD IVSTICIAM. *Credenti autem in eum.* Erat & hoc participiũ πιστεύοντι, sicuti præcedens μὴ ἐργαζομένῳ *non operanti*, resoluendum in verbum, hoc modo: *Ei verò qui non operatur, sed credit in eum*, &c. Hic manifestè iam apostolus opponit operãtem credenti. Vnde liquet eum etiam in superioribus intellexisse operantem, non illum qui credit, aut ex fide operatur; sed qui operatur non credens in eum qui iustificat hominem, id est, iusticiam ab eo non exspectans. Quare fides ad id genus operum non pertinet, sed ijs opponitur. Nam qui credit in eum qui iustificat impium, si credit vt oportet, etiã ipsam fidem, quæ iustificationis initium est, se credit habere ex ipsius iustificantis beneficio. *Impium* vocat peccatorem in genere. Sũt enim eadem ferè in scripturis, maximè in disputatione Paulina de iustificatione, quatuor ista, ἁμαρτωλὸς, ἀσεβὴς, ἄδικος, ἄνομος, id est peccator, impius, iniustus, iniquus. Porrò fides qua quis credit in eum qui peccatorem iustificat, & ab eo iusticiam per Christum exspectat, reputari dicitur ad iusticiam; non quia Dei benignitate pro iusticia reputatur, cùm non sit iusticia; quemadmodum sectarij volunt, suam ex hoc loco malè intellecto iusticiam constituentes quam vocant imputatiuã. Esset enim hæc falsa reputatio. Nec verò quia reputatur pro iusticiæ perfectione, quam erat habiturus homo si non peccasset; quod sentit Hugo Victorinus quæstione 101: siquidem nec ea reputatio veritati responderet: sed iuxta supradicta, quia fides vera iusticia est, saltem secundum inchoationem. Nam eiusmodi fides à peccatore concepta, initium est iusticiæ & renouationis eius, & quidem tale quod ipsam iusticiam apprehendat, & ex quo velut semine tota iusticia progerminet. In homine autem iusto eadem fides simpliciter iusticia est, sicut & cætera bona iustorum opera: quomodo etiam illa fides Abrahæ qua diuinis promissis credebat, simpliciter iusticia erat, nimirum actualis, ab habituali & inhærente iusticia procedens. Erat enim opus iusticiæ Deo gratissimum. Nam & opera iusticiæ passim in sacris literis iusticia vocantur. Sic autem Deus ipsam fidem reputat ad iusticiam, vt nihil sine ea ad iusticiam reputet: sed cætera per eam & propter eam. Fidem verò intellige sperantem, diligentem, inuocãtem, obedientem, vt alibi declaratum. Vnde Augustinus tract. 29 in Ioannem, cùm adduceret hanc apostoli sententiam, *Credenti in eum qui iustificat impium* &c. *Quid est*, inquit, *credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & eius membris incorporari.* Denique addit, eam intelligi fidem quæ per dilectionem operatur. Dicitur autem Deus impium iustificare, non sola remissione peccatorum: quæ doctrina est hæreticorum; sed donis gratuitis & gratificantibus mentem eius renouando: quorum primum est ipsa fides. Vnde quamuis absolutè nemo iustus aut iustificatus dici debeat, priusquam acceperit peccatorum remissionem & spiritum adoptionis filiorum Dei; tamen inchoatione quadam talis interdum quis dicitur cùm primũ credit, ea videlicet fide qua de nunc agitur. Ita Augustinus enarrans psal. 110. *Iusticiam*, inquit, *homo non operatur nisi iustificatus. Credens autem in eum qui iustificat impium, à fide*

Quẽ operantẽ credẽti Paulus opponat.

Eadem Paulo peccator, impius, iniustus, iniquus. Quo sensu fides ad iusticiam reputata.

A fide iustificationis initiũ.

incipit (operari iusticiam) *vt bona opera non præcedentia quod meruit, sed consequentia quod accepit, ostendant.* Hæc ille. Nam quod de confessione peccatorum, quę fidei comes est, subiungit: *Nondum quidem opus est iusticiæ, sed delicti improbatio*: non negat eam opus esse iusticiæ inchoatæ, sed iusticiæ simpliciter: quam non habet is cui nondum sunt dimissa peccata. Alioqui peccatorum confessionem inter opera bona & salutaria numerandam esse, idem Augustinus testatur tract. 12 super Ioannem, his verbis: *Cùm ceperit tibi displicere quod feciſti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorum, confessio est operum malorum.* Hæc ibi.

SECVNDVM PROPOSITVM GRATIÆ DEI. Hæc clausula non est in textu Græco, neque Syriaco: sed neque in omnibus reperitur Latinis: tametsi commentator Amb. Pelagius & Sedulius legunt & exponunt. Ex quo constat vetustam esse hanc lectionem. Verùm siue Paulus, siue quis alius asscripserit; addita est, vt euidentior esset antitheſis istius partis, *Ei qui non operatur, credenti autem*, &c. cum præcedenti, in qua dictum erat mercedem operanti non imputari secundum gratiam. Nam sensus est: fidem reputari ad iusticiam, & ex ea iustificari hominem, non quod hic iustificandi modus ad primam naturę pertineat institutionem: sed quia Deus gratioso decreto sic ab æterno ordinauit; quo & ipsam fidem gratis dare constituit. Hac enim ratione dictum est cap. præcedenti, gratis & per fidem nos iustificari.

6 SICVT ET DAVID DICIT BEATITVDINEM HOMINIS CVI DEVS ACCEPTO FERT IVSTICIAM SINE OPERIBVS. Aliud adducit ex psalmis testimonium; non quo probet ex fide iustificari hominem, quod superiori testimonio fecit: sed quo doceat sine operibus, id est sine vllo operum merito iusticiam homini prouenire, & proinde gratis. Simul autem insinuat se versari in quæstione apud philosophos grauissima & celeberrima de beatitudine hominis. Nam omnis scriptura iustum vocat beatum, videlicet ea beatitudine quæ haberi potest in hac vita, & quę gradus est ad perfectam beatitudinem, ac semen illius. Pro beatitudine tam hic quàm paulo pòst in Græco est μακαρισμὸς, id est beatificatio: quo vocabulo ipsa iustificatio significatur. Et sensus est: Simili modo etiam Dauid in psalmo 31 dicit & pronunciat hominem beatificari seu iustificari, cui Deus imputat iusticiam, id est quem Deus suo iudicio iustum reputat absque merito operum eius: dum scilicet nullam facit operum mentionem, sed tantùm peccatorum præcedentium, & gratuitæ eorum remissionis. Ait enim:

7 BEATI QVORVM REMISSÆ SVNT INIQVITATES, ET QVORVM TECTA SVNT PECCATA. Idem vtroque membro significatur more scripturæ. Sic psal. 84. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.* Et Nehem. 4. *Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur.* Igitur operta seu tecta Deo dicuntur peccata, non quod permaneant, & tamen Deo dissimulante non imputentur ad pœnam, vti contendunt Lutherani: Id enim iusticia Dei nullo modo patitur. Sed quia verè remissa sunt ac deleta; vt iam neque sint actu neque reatu. Nam actum peccati ipse psalmistes excludit, mox adijciens: *Nec est in spiritu eius dolus.* Hoc enim dicitur propter veram & sinceram hominis à peccato ad Deum conuersionem. Quocirca non est consequens ex hoc loco, beatitudinem, id est iusticiam hominis consistere in sola remissione peccatorũ: cùm alibi idem psalmista beatos vocet, qui ambulant in lege Domini: quique custodiunt iudicium & faciunt iusticiam. psal. 1, & 118, & 105. imò & Christus dicat suis discipulis: *Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea*, Ioan. 13. & apostolus Iacobus cap. 1 de factore operis, *Hic beatus in facto suo erit.* Itaque nomine remissionis peccatorum, tota hominis renouatio comprehensa debet intelligi.

8 BEATVS VIR CVI NON IMPVTAVIT DOMINVS PECCATVM. Multi codices habent futurum, *imputabit*. Quæ lectio cum Hebræo conuenit. In Græco subiunctiuus est λογίσηται, id est imputauerit: tametsi ad sensum non refert quid horum legatur. Generalis enim sententia est, pertinens ad omne tempus. Dicitur autem Deus peccatum non imputare: quia cùm delet ac remittit homini peccatũ, non iam eum amplius habet pro peccatore: quippe qui peccato remisso iam peccator esse desierit. Quare nec hic versus, cuius sensus conuenit cum præcedenti, quicquam adiuuat illam sectariorum imputatiuam iusticiam. Nec sanè in eam competit nomen beatitudinis. Nam quomodo beatus, qui adhuc est in peccatis suis? Nihilo magis, quàm si sanum dicas ac reputes eum qui morbo manet implicitus. Ex his iisdem psalmi versibus impugnant hæretici satisfactiones pœnitentium. Si enim, inquiunt, tecta sunt Deo iustificati hominis peccata; & non imputat ei Dominus peccatum: nihil igitur ei pro peccato restat in Dei iudicio soluendum. Sed falluntur. Neque enim ita dicitur Deus tegere & non imputare peccatum quod remittit, ac si nulla restet pœna quæ soluatur: cùm ab ipso Dauide qui hæc scripsit, non leues exactæ fuerint pœnæ temporales ob commissum adulterium & homicidium, etiam postquam audiuit à propheta: *Transtulit Dominus peccatum tuum* 2 Reg. 12. De qua re vide quæ scribit Augustinus lib. 22 contra Faustum cap. 67, & in inchoata expositione huius epistolæ ad illud, *gratia vobis & pax*; itemque in enarratione psalmi 50, vbi de Dauide inter alia dicit: *Agnoscens culpam suam amplexus est pœnam suam.* Verùm tegere peccatum & non imputare dicitur Deus, quia non aspicit nec imputat illud ad eam pœnam quæ peccato propriè respondet,

Quo sensu tecta Deo dicantur peccata.

Quæstio de beatitudine hominis apud philosophos famosissima.

Hominẽ iustum sacræ literæ vocant beatum.

Imputatua iusticia refellitur.

Satisfactiones pœnitẽtum astruũtur

reſpondet, id eſt ad ſupplicium mortis æternæ, de qua infrà cap. 6, *Stipendia peccati mors.* Nam quod ad temporales attinet pœnas, de Deo ſcriptum eſt: *Flagellat omnem filium quem recipit*, Heb. 11.

9 BEATITVDO ERGO HÆC IN CIRCVMCISIONE TANTVM MANET, AN ETIAM IN PRÆPVTIO? Reflectit ſermonem ad principale ſuum inſtitutum, id eſt, vt doceat Dei iuſticiã ex fide tam gentilibus quàm Iudæis eſſe propoſitam. Hæ duæ voces *tantum manet*, nec in Græcis habentur codicibus, nec in Syriacis: ſed nec in omnibus Latinis: quorum tamen plures aduerbio, pauciores verbo carent. Addita videntur ſiue ab interprete, ſiue ab alio quopiam, ad explendam ſententiam alioqui imperfectam. Græci commentatores ſubaudiũt verbum *venit* aut *deuênit*: atque hoc ſuppleuit Eraſmus. Nam in Græco ſunt quarti caſus, *in circumciſionem, in præputium*, vt ſit ſenſus: Hæc beatificatio ſeu iuſtificatio de qua Dauid loquitur, tantúmne contingit Iudæis circumciſis? an etiam peruenit ad gentiles nõ circumciſos? Ad hanc quæſtionem explicandam rurſus conſiderat locum ſcripturæ de Abraham, ita ſubiungens:

DICIMVS ENIM QVIA REPVTATA EST ABRAHÆ FIDES AD IVSTICIAM. *Dicimus*, id eſt, iam paulo antè diximus ipſis verbis ſcripturæ: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſticiam.* Vel *dicimus*, id eſt, hic iam repetimus Abrahæ fidem reputatam ei fuiſſe ad iuſticiam. Repetit autem, vt reſponſionem paret interrogationi quam fecit.

10 QVOMODO ERGO REPVTATA EST? IN CIRCVMCISIONE, AN IN PRÆPVTIO? Illud *quomodo* ad qualitatem ſeu conditionem perſonæ referendum. Senſus enim eſt. Qualis & quo in ſtatu erat Abraham, quando ei fides ad iuſticiam reputata eſt? Num circumciſus iam erat, an adhuc præputiatus? Quem ſenſum Græca manifeſtè volunt, quæ ſic ad verbum; *In circumciſione exiſtenti*, ſcilicet Abraham, *an in præputio?* Sequitur reſponſio.

Abrahã ante circũciſionẽ iuſtus.

NON IN CIRCVMCISIONE, SED IN PRÆPVTIO. Hoc eſt: nondum circumciſo, ſed adhuc habenti præputium. Id ex hiſtoria Geneſis perſpicuum eſt, quæ circumciſionem eius poſtea factam deſcribit cap. 17.

11 ET SIGNVM ACCEPIT CIRCVMCISIONIS, SIGNACVLVM IVSTICIÆ FIDEI, QVÆ EST IN PRÆPVTIO. His iam verbis continetur reſponſio ad illam interrogationem capitis præcedentis: *Quæ vtilitas circumciſionis?* Græca nonnulla habent περιτομὴν, *circumciſionem* accuſandi caſu: Sed id ſenſum non variat. *Quæ eſt in præputio.* Verbum in Græco non exprimitur: ac potius ſupplendum: *quæ fuerat in præputio.* Poſtulat enim hoc Pauli ſententia. Quæritur autem quo reſpiciat relatiuum *quæ*: num ad iuſticiam fidei, an ad fidem. Eſt enim id ambiguum tam in Græco quàm in Latino. Sanè videtur potius ad iuſticiam fidei referendum. Nam dicere vult apoſtolus circumciſionem in Abrahamo fuiſſe ſignaculum eius iuſticiæ quam prius acceperat ex fide. Quippe ſenſus huiuſmodi eſt: Abraham iam antè iuſtificatus per fidem, poſtea accepit ſignum circumciſionis, id eſt ipſam circumciſionem, quæ pro ſigno data fuit illi & eius poſteritati. Accepit inquam circumciſionem, quæ eſſet ſignaculum, id eſt ſigillum eius iuſticiæ quam perceperat ex fide, tunc quando adhuc erat in præputio, id eſt nõdum circumciſus. Quæres, cuius rei ſignum fuerit circumciſio. Reſpondeo ſignum fuiſſe principaliter inſtitutum ad ſignificandum fœdus, quod pepigit Deus cum Abraham & eius poſteritate; quemadmodum patet ex hiſtoria Geneſis 17. Conſequenter autem & ſecundario ſignum fuiſſe, quo diſcernerentur Abrahæ poſteri à cæteris gentibus: tametſi, vt hic dicitur, in ipſo Abraham etiam ſigillum iuſticiæ fuit, eius ſcilicet quæ præceſſit. Nã Græca dictio σφραγὶς, quam interpres vertit *ſignaculum*, propriè ſignificat ſigillum quo aliquid obſignatur. Quæ quidem obſignatio fieri ſolet ob duas cauſas; vel vt clauſum ſit & ſecretum id quod obſignatur, vel vt ratum ſit ac firmum. Itaque vel ſignificat apoſtolus circumciſione velut ſigillo clauſam & occultatam olim fuiſſe iuſticiam fidei, tempore euangelij reuelandam, iuxta illud cap. 1: *Iuſtitia Dei in eo reuelatur ex fide*, & illud cap. 3, *Nunc autem ſine lege iuſticia Dei manifeſtata eſt.* Quæ eſt Origenis expoſitio. Vel ſentit circumciſionem Abrahæ datam vt ſigillum, quo præcedens eius iuſticia comprobaretur, ratificaretur, certáque ac firma redderetur. Hoc ferè modo Chryſoſtomus, alijque Græci, conſentientibus etiam Latinis exponunt: idque magis ad ſenſum apoſtoli, qui loquitur hic non de iuſticia fidei in genere, ſed de iuſticia Abrahæ, quæ per circumciſionem eius non fuit occultata, ſed potius declarata ſimul & confirmata. Nam propterea Deus pactum inire dignatus fuit cum Abraham, dato ei ſigno circumciſionis, quoniam Deo iam antè placuerat per iuſticiam. Neque verò hic agitur de circumciſione, vt erat actus quidam moralis obedientiæ in Abraham circumcidente ſe: ſed vt erat ſignum & obſeruatio quædam externa, diuinam habens inſtitutionem: quomodo Iudæi de circumciſione loquebantur, vtilitatem eius ac neceſſitatem prædicantes. Igitur ex hoc loco, ſicut & ex epiſtola ad Galatas, rectè docetur circumciſionem, quatenus ad obſeruationes veteris populi pertinebat, perinde vt veteris legis ſacramenta, gratiam non contuliſſe. Vult enim apoſtolus, iuſticiam nec Abrahæ, proinde nec eius poſteritati, id eſt Iudæis contigiſſe ex circumciſione; ſed quibus contigit, eam habuiſſe ex fide, ſicut Abraham. Cæterùm an circumciſio vt ex fide ſuſcepta, vim habuerit iuſtificandi, ſicut nouæ legis ſacramenta, diſputatur problematicè in 4 ſent. diſt. 1. Neque pars negatiua ex eo ſtatui poſſe videtur, quòd vt hic dicitur, Abraham non fuerit adeptus

Quo ſenſu circũciſio ſignaculũ iuſticiæ in Abrahã.

Circũciſio an gratiã cõtulerit.

iuſticiam

iuſticiam ex circumciſione. Hoc enim ideo, quia iam antè iuſtus erat. Quod etiam in baptiſmo nouæ legis ſacramento poteſt accidere; quemadmodum de Cornelio centurione docet Auguſtinus lib. 4 contra Don. cap. 24. *Sicut*, inquit, *in Abraham præceſſit fidei iuſticia, & acceſſit circumciſio ſignaculum iuſticiæ fidei; ita in Cornelio præceſſit ſanctificatio ſpiritalis in dono ſpiritus ſancti, & acceſſit ſacramentum regenerationis in lauacro baptiſmi.* Sic ille. Verùntamen obijcere poſſet Iudæus & dicere. Etſi Abraham non fuerit iuſtificatus ex circumciſione, nos tamen ex circumciſione iuſtificamur. Ac rurſum: Etſi prima iuſtificatio non contigit Abrahæ ex circumciſione, ſecunda tamen contigit; quemadmodum Cornelio & cuicumque Chriſtiano ante baptiſmum iuſtificato, per baptiſmum accedit augmentum iuſticiæ. Iam enim ex ſuperioribus patet non ſolum de prima iuſtificatione Paulum agere, cùm docet hominem ex fide iuſtificari, non ex operibus legis; ſed de tota hominis iuſticia diſſerere. Propter huiuſmodi argumenta diſſoluenda, nec non propter alia quæ ab aliis adferuntur, admodum probabile fit, ſignum circumciſionis ex diuina inſtitutione nihil ad iuſticiam valuiſſe; ſed nudum fuiſſe ſignum fœderis quod Deus iniit cum Abraham, eiuſque poſteritate. Quæ ſignificatio ſola in Geneſi eſt expreſſa. Si enim ille cui primo data eſt circumciſio, nihil ex ea conſecutus eſt iuſticiæ; conſequens apparet nec cæteros ex ea iuſtificari potuiſſe: præſertim cùm nec vſquam alibi ſcriptura tale quid inueniatur circumciſioni tribuere. Eſtque ea ſententia Chryſoſtomi & Græcorum qui poſt eum ſcripſerunt: imò & patrum quorundam antiquiorum, vt Irenæi, Iuſtini, Tertulliani, Cypriani atq; aliorum, quorum teſtimonia citata videre eſt ab iis qui de hac quæſtione ex profeſſo diſputât. Nec facilè quenquâ reperias Auguſtino priotem, qui in ſignaculo circumciſionis virtutem agnoſcat animas à peccato mundandi: tametſi hæc opinio poſt Auguſtinum, eoque vt apparet authore, multum apud Latinos fuerit recepta.

VT SIT PATER OMNIVM CREDENTIVM PER PRÆPVTIVM. *Vt ſit*, vt eſſet. *Per præputium*, id eſt manente præputio: quamuis habeant præputium. Sic vſus eſt præpoſitione διὰ cap. 2: *qui per literam & circumciſionem prænaricator legis es.*

VT REPVTETVR ET ILLIS AD IVSTICIAM. Græcè: *vt reputetur & illis iuſticia.* Quod conuenit cum eo quod diximus in Hebræo legi: *reputauit illud ei iuſticiam.* Itaque ſubauditur fides. Et ſenſus eſt: Idcirco iuſtificatum fuiſſe Abraham cùm adhuc eſſet in præputio, vt exemplo fidei ſuæ quæ ei reputata fuit ad iuſticiam, pater eſſet omnium eorum qui crediturierant, etſi præputium habentes & in eo manentes, id eſt gentilium; vt nimirum etiam illis ſua fides reputaretur iuſticia, id eſt ad iuſticiam: dum ſcilicet ex fide iuſtificantur.

12 ET SIT PATER CIRCVMCISIONIS. *Et ſit*, & eſſet, tametſi verbum in Græco non repetitur.

NON IIS TANTVM QVI SVNT EX CIRCVMCISIONE; SED ET IIS QVI SECTANTVR VESTIGIA FIDEI, QVÆ EST IN PRÆPVTIO PATRIS NOSTRI ABRAHÆ. Græcè: *ijs qui non ex circumciſione ſolum; ſed & incedunt veſtigiis fidei quæ* (fuit) *in præputio patris* &c. Ex quo ſatis apparet hanc partem ad ſolos Iudæos carne circumciſos, fideles tamen pertinere: ſicut præcedens tantum pertinebat ad gentes credentes, etſi carne incircumciſos. Vult enim oſtendere Paulus Abraham eſſe patrem omnium credentium, gentilium æquè ac Iudæorum. Senſus igitur huius poſterioris partis eſt; Ideo Abraham cùm iuſtificatus eſſet in præputio, tamen adhuc accepiſſe iuſticiæ ſignaculum circumciſionem; vt eſſet pater circumciſionis, id eſt Iudæorum, ſiue ipſis Iudæis: iis inquam, qui non tantum carne circumciſi ſunt, tanquam hoc eis ſufficiat vt filij ſint Abrahæ; verùm etiam fidem habent qua ſectentur veſtigia, hoc eſt exempla fidei quæ fuit in præputio patris noſtri Abrahæ, id eſt quæ fuit in Abraham etiam ante circumciſionem, quãdo adhuc erat præputiatus. Vt hic ſenſus etiam vulgatę lectioni ſit accommodus, tranſponẽda eſt vocula *tantum*, necnon coniunctio &, vt ita legas: *Non iis qui tantum ſunt ex circumciſione ſed iis qui &*, id eſt etiam, *ſectantur veſtigia fidei*, &c.

Abrahã pater omniũ credentium.

13 NON ENIM PER LEGEM PROMISSIO ABRAHÆ AVT SEMINI EIVS, VT HERES ESSET MVNDI; SED PER IVSTICIAM FIDEI. *Vt heres eſſet mundi*, Græcè τὸ κληρονόμον αὐτὸν εἶναι τοῦ κόσμου, id eſt *heredem eum eſſe mundi.* Eſt enim expreſſio promiſſionis Abrahæ factæ. Alio nunc ac nouo vtitur argumento Paulus ad probãdum id quod inſtituit, ex fide iuſticiam omnibus eſſe propoſitam, gentilibus æquè ac Iudæis. Poterat enim Iudæus dicere: Si non ex circumciſione iuſticia eſt; ſaltem ex lege. Docet igitur apoſtolus id quod præcedenti capite docuit, ex lege non eſſe iuſticiam. Sed vt dixi, nouo id agit argumento, ſumpto nimirum ex promiſſione benedictionis omnium gentium, Abrahæ facta multò ante legem latam. Quo etiam vtitur in epiſtola ad Galatas cap. 3. Porro ſupplendum eſt hoc loco verbum, facta eſt, aut fiet; contigit, aut cõtinget. Nam ſi promiſſio propriè accipitur, ea olim facta fuiſſe ſignificatur: Si verò impropriè pro re promiſſa, quomodo frequenter accipitur in ſacris literis, vt Gal. 3, & aliquoties in epiſtola ad Hebræos; tum ſignificatur futura. Qui promiſſionem hoc poſteriori modo accipiunt, ita partem hanc exponunt: Res Abrahæ promiſſa, ſcilicet ipſum & ſemen eius fore mundi heredem, non eſt exhibenda per legẽ, ſed per iuſticiam fidei. Verùm melius ſe habet, vt propriè promiſſio ſumatur; atque hic ſit ſenſus: Non enim per legem obtinuit Abraham de ſemine ſuo illam à Deo promiſſionem,

nem, qua promiſit eum fore heredem mundi. Siquidem illa ei facta eſt, vt in epiſtola ad Galatas dicitur, annis quadringentis & triginta ante legem: Sed eam accepit per iuſticiam ex fide partam, quæ fuit in eius præputio; de qua iuſticia dictum, *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſticiam*. Vt huius argumenti vis appareat, ſupponendum eſt Abrahæ non fuiſſe factam promiſſionem cum aliqua conditione, ſed abſolutè: vt conſtat ex ſcripturis, quæ promiſſionem ei factam commemorant. Propter quod & lex tanto tempore pòſt data fuit; nec ipſi, ſed eius poſteris. Vnde intelligitur prorſus gratuita promiſſio. Quod ergo Deus ſine conditione promiſit, ſine lege donat & implet; quemadmodum docet Proſper lib. 1 de vocatione gent. cap. 9. Hinc & filij noui teſtamenti, filij promiſſionis vocantur, infrà cap. 9, & Gal. 4. Quidam apoſtoli verba ſic ordinanda putant: Non enim promiſſio Abrahæ aut ſemini eius, vt per legem heres eſſet mundi, ſed per iuſticiam fidei. Verùm hac metatheſi particulæ *per legem* non opus eſſe, ſatis patet ex vtroque ſenſu iam dato. Cæterùm videtur apoſtolus cùm dixit: *Abrahæ aut ſemini eius*, alludere voluiſſe ad duas promiſſiones, quarum prior eſt Gen. 12, *In te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ*; poſterior Gen. 22, *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*. Quarum tamen eadem eſt ſententia, ſcilicet Abraham ratione ſeminis ſui, id eſt Chriſti ex eo naſcituri (ſicut ipſe Paulus interpretatur ad Gal. 3) futurum totius mundi heredem ſeu poſſeſſorem; id eſt, Chriſti regnum per omnes gentes propagandum eſſe; & per hoc eas omnes in ipſo benedicendas. Nam Chriſtum mundi heredem etiam pſalmiſta canit in perſona Dei patris dicens: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam; & poſſeſſionem tuam terminos terræ*, pſal. 2. De quo rurſus apoſtolus Heb. 1. *Quem conſtituit heredem vniuerſorum*.

Promiſſio Abrahæ facta, abſoluta fuit & gratuita.

14 SI ENIM QVI EX LEGE, HEREDES SVNT; EXINANITA EST FIDES, ABOLITA EST PROMISSIO. *Exinanita eſt.* Græcè κεκένωται, inanis & irrita facta eſt. Idē verbum legitur 1 Cor. 1; vbi nos habemus, *vt non euacuetur crux Chriſti*. Ratiocinatur apoſtolus ad abſurdum deductione. Quod argumentum duobus modis explicari poteſt, provt illud *qui ex lege* bifariam intelligitur. Prior explicatio eſt: Si enim ſoli qui ex lege ſunt, id eſt Iudæi quibus lex data eſt, heredes ſunt, id eſt pertinentes ad hereditatem Abrahæ promiſſam, vt ipſi volunt; igitur inanis redditur fides, quæ præceſſit legem; & conſequenter irrita fit promiſſio Abrahæ facta, quæ & ipſa legem præceſſit. Iuxta hunc ſenſum nota relatiuam oppoſitionem inter heredes & heredem quem prius dixerat. Heredem enim vocat actiuè & propriè, eum qui percipit aut percepturus eſt hereditatem: heredes verò paſsiuè, qui ſunt ipſa poſſeſsio hereditaria, id eſt populus Chriſto in hereditatem promiſſus. Altera expoſitio, ſecundum quam particula *qui ex lege* ſumitur vt illa Gal. 3 *qui ex operibus legis*, aut certè formaliter, quatenus ex lege, eſt huiuſmodi: Si illi demum heredes ſunt promiſſionis Abrahæ factæ, & promiſſæ benedictionis participes, qui ex lege ſunt vt iuſtificante, id eſt ex lege iuſticiam ſibi parāt; ſequitur abſurdum, nempe fidem, ſiue ipſius Abrahæ credētis promiſſioni, ſiue potius noſtram qua per Chriſtum iuſticiam exſpectamus, eſſe rem inanē, adeoque promiſsionem Abrahæ factam abolitam eſſe & irritam; non ſolum quòd hac ratione effectus, id eſt res promiſſa à lege pendeat, non à promiſsione; verùm quod omnino fruſtretur effectu, vt quem nemo per legem conſequi poſſit; propterea quod lex ad iuſticiam & ſui obſeruationem neminem perducat. Hunc ſenſum eſſe germaniorem probat illa ſententia ſimilis Gal. 3: *Si ex lege hereditas, iam non ex promiſſione*. Deinde & oſtendit ratio ſubiuncta de lege iram operante. Quod autem nonnulli fidem hic interpretantur ipſius Dei, id eſt veracitatem in præſtandis promiſsis; vt eadem ſint exinaniri fidem, & aboliri eius promiſsionem, ſitque poſterius explicatio prioris: aliis non probatur, ac meritò. Nam huic parti, *exinanita eſt fides*, ſtatim pòſt opponit illam, *ideo ex fide*; vbi fidem hominis in Deum intelligi, non eſt dubium.

15 LEX ENIM IRAM OPERATVR. Probatio eſt ab effectu & euentu legis (ait Thomas) qui eſt iram operari: tanquam dicat apoſtolus: Adeò ex lege non obtinetur hereditas ſeu benedictio, vt lex potius iram operetur, id eſt pœnam augeat & maledictionem adferat. Hoc autem lex non per ſe facit & ex ſua inſtitutione, ſed ex occaſione; ſicut docetur infrà cap. 7, quomodo & Chriſtus dicitur poſitus in ruinam multorum, Luc. 2, & apoſtoli quibuſdam erant odor mortis in mortem, 2 Cor. 2, videlicet per occaſionem. Sic igitur & lex iram operatur, idque triplici ratione. Primùm, quia ſi lex non eſſet, nec eſſet tranſgreſsio legis. Vnde docet Auguſtinus epiſtola 88, peiorem eſſe qui legem habet cum mala voluntate, quàm ſi legem non haberet. Nam cæteris paribus grauiùs peccant ſciētes quàm ignorantes, Luc. 12 & Iac. 4. Secundò, quia legis occaſione augetur in homine concupiſcentia, dum ex inclinatione naturæ corruptæ magis ſemper nititur in vetitum, fitque ei dulcius quod prohibetur. Pluribus id declarat apoſtolus infrà cap. 7. Ac de eo vide ſanctum Auguſtinum de ſpiritu & litera cap. 4. Tertiò, quia facilè ſibi promittit homo legis acceptæ impletionem, atque ex ea inſticiam, non cogitans de neceſſario Dei auxilio: quemadmodum illi qui lege audita dicebant: *Omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus, & erimus obedientes*, Exod. 24. Deinde in ſe confidit, ac ſibi placet tanquam iuſtus, dum legem aliquatenus, ac vel opere vel ſpecie externa, Phariſeorū more, obſeruat:

Lex iram operatur, & quo ſenſu.

itaque

itaque per hoc redditur ſuperbus & hypocrita. Rationis huius meminit Auguſtinus lib. 3 contra duas epiſtolas Pelag. cap. 7. Et hi quidem effectus ſunt legis à fide & gratia ſeparatæ, ſicut de ea nũc apoſtolus diſputat. Quocirca malè contendunt ſectarij hinc oſtendere, quod nemo etiam iuſtificatus legem impleat. Quæ eorum doctrina & ſcripturis apertiſſimè aduerſatur, & in Chriſtum eiuſque gratiam, quæ data eſt vt lex impleatur, vehementer iniurioſa eſt. Cæterùm apoſtolus hoc loco primum modum præcipuè conſiderauit: vt patet ex eo quod ſequitur.

VBI ENIM NON EST LEX; NEC PRÆVARICATIO. Græcè παράβασις *tranſgreſſio*. Caietanus ita ſupplet: *nec præuaricatio imputatur ad pœnam*, haud rectè. Nam quî fieri poteſt, vt præuaricatio ad pœnam non imputetur? Dicitur quidem ſequenti capite: *Peccatum non imputabatur, cùm lex non eſſet*: Sed hoc ſenſu; Nõ imputabatur ad præuarication em. Non enim idem eſt peccatum & præuaricatio. Quare non aliud hic ſupplendum, quam quod in priori membro expreſſum eſt; Vbi non eſt lex nec eſt præuaricatio, ſiue tranſgreſſio. id eſt, vbi lex non eſt, locum non habet tranſgreſſio: quemadmodum & contra: vbi lex, ibi tranſgreſſio. Hoc enim apoſtolus intelligendum relinquit, quo probet quod dixit; *Lex iram operatur*. Tranſgreſsionem autem vocat, quum ſciens quis peccat: vt cõtingit maximè, dum peccatur aduerſus legem verbo aut ſcripto diſertè poſitam, vt ignorari non poſſit. Siquidem lex naturalis obſcurata erat: ideoque nec attendebatur. Vnde gentiles qui eam ſolam Dei legem habebant, id eſt naturalem; ſine lege eſſe, & ſine lege peccare, atque etiam ſine lege puniri, apoſtolo dicuntur Rom. 2, & 1 Cor. 9. Quare nec præuaricatores cenſebantur, eodem apoſtolo dicente cap. 5 *quod non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ*. Nam & Adam legem habuit ſibi datam à Deo præcipiente; *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas*. Gen. 2. In quo præcepto rationem legis fuiſſe qui negant, ſatis ex hoc loco redarguuntur.

Nõ omne peccatum præuaricatio.

16 IDEO EX FIDE, VT SECVNDVM GRATIAM FIRMA SIT PROMISSIO OMNI SEMINI. Quidam codices *vt* repetunt, hoc modo: *vt ſecundum gratiam, vt firma ſit promiſſio* &c. Quod Græcis conſentaneum eſt, quæ ita ſonant; *vt ſecundum gratiam, ad hoc vt firma ſit promiſſio*. Annuit & Syrus paraphraſtes. Procedit argumentatio Pauli à diuiſione, hoc modo: Aut per legem implenda eſt promiſſio Abrahę facta, aut per fidem: atqui per legem non impleri iam oſtenſum eſt: Reſtat igitur vt ex fide & per fidem impleatur. Quod conſequens hic amplius iam confirmat ex duobus omnino ſtatuendis & agnoſcendis in Dei promiſsione; quæ ſunt gratia & vniuerſalis atque omnimoda firmitas. Ideo, inquit, ex fide; vt promiſsio agnoſcatur gratuita & indebita; Et rurſum, vt promiſsio firmetur ac rata ſit ſuper vniuerſum ſemen Abrahæ; id eſt, tam ad gentiles quàm ad Iudæos extenſa; vt qui omnes in ſemine Abrahæ computantur. Nam ſi ex lege promiſsio firmanda erat; ea pars ſeminis Abrahæ, cui lex non eſt data, à promiſſa benedictione excluderetur. Notandum tamẽ has duas rationes ita accipi poſſe, vt prior ad poſteriorem referatur: id quod Græca lectio videtur exigere. Tum ſenſus erit: Ideo promiſsionem ex fide implendam, vt ſecundum gratiam implenda agnoſcatur: & ideo ſecundum gratiam, vt firma ſit ſuper vniuerſum ſemen Abrahæ. Conſideratunt hunc ordinem Theophylactus & Oecumenius.

Quæ in Dei promiſſione agnoſcenda.

NON EI QVI EX LEGE EST SOLVM; SED ET EI QVI EX FIDE EST ABRAHÆ. *Qui* potiùs *quod* vtroque loco. Nam refertur ad ſemen. Quod enim dixit, *omni ſemini*, id eſt toti ſemini, explicat per diſtributionem. Et ſenſus eſt: Firmam & ratam effici promiſsionem, non tantum ei ſemini quod ex lege eſt, id eſt Iudæis, quibus lex data fuit: ſed & ei quod ex fide eſt Abrahæ, id eſt gentilibus, qui licèt ſecundum carnem non ſint progeniti ex Abraham, neque legem acceperint, ſunt tamen Abrahæ ſemen per imitationem fidei. Oecumenius extremam dictionem *Abrahæ*, iungit cum *ſemine*, vbi dictum eſt *omni ſemini*; & facit hyperbaton. Quod non eſt improbabile: vt illud *ex fide* ſit abſolutum, ſicut illud *ex lege*. Notandum quoquè eam partem *qui ex lege*, non hic eodem modo ſumi quo ſuprà, cùm dixit: *Si enim qui ex lege, heredes ſunt*, ſecundum probabiliorem illius loci expoſitionem. Nec mirum. Nam & ſub lege eſſe non vno modo ſemper apud Paulum accipitur, vt patet expendenti loca 1 Cor. 9, Gal. 4 & 5, & huius epiſtolæ cap. 6. Hic ergo dicuntur *qui ex lege*, id eſt qui legem acceperunt, vt antitheſis conſtet: quomodo paſsim *qui ex circumciſione*, id eſt circumciſi. Illud etiam *qui ex fide*, exponendum cum excluſione prioris partis *qui ex lege*. Quod liquet ex ſenſu dato, q. d. qui quamuis nõ ſint ex lege, ſunt tamen ex fide, ſicut illi.

Qui ex lege, bifariã dicuntur.

QVI PATER EST OMNIVM NOSTRVM. *Pater* per fidem, *omnium noſtrum*, id eſt non ſolum Iudæorum, ſed & gentium. Vnde ſacerdos ad altare omnium fidelium nomine loquens, Abraham patriarcham noſtrum vocat. Sequitur probatio.

17 (SICVT SCRIPTVM EST, QVIA PATREM MVLTARVM GENTIVM POSVI TE) Id eſt conſtitui te, videlicet præordinatione ac propoſito certiſsimo. Hoc quidem ad literam de carnali poſteritate dictum eſt, quemadmodum ſatis apparet inſpicienti locum ſcripturæ Gen. 17, atque etiam de ea impletum eſt. Nam & carnalis Abrahæ poſteritas longè ſeſe extra gentem Iſraeliticam protulit, vt ad Iſmaelitas ſiue Agarenos, qui ſe Saracenos appellant: item ad Madianitas, & alios quos enumerat ſcriptura Gen. 25. Denique & ad Idumæos. Minimè tamen dubium, quin my

Abrahã multarũ gentium pater, ſenſu literali & myſtico.

ſtico

ſtico & ſublimiori ſenſu pertineat ea promiſſio ad ſemen ſpirituale, quod futurum erat multo numeroſius ſemine carnali, id eſt ad populos fideles, quorum Abraham pater erat exemplo fidei. Veruntamen & illud ſciendum, promiſſionem paternitatis ſpiritualis multarum gentium, Abrahæ factam, ex ordinatione diuina non fuiſſe præſtandam, niſi interueniente generatione carnali, qua futurum erat vt Chriſtus (in quo benedicendæ erant omnes gentes) ex eo ſecundum carnem naſceretur. Itaque generatio carnalis Abrahæ promiſſa, ſubſeruiuit implendæ promiſſioni paternitatis ac ſeminis ſpiritualis.

ANTE DEVM CVI CREDIDIT. Quidam codices, *credidiſti*. Sed tertiam perſonam ex Græcis & melioribus Latinis reſtituêre correctores Romani, ſuffragantibus item Græcorum commentariis: tametſi commentator Ambroſ. *credidiſti* legit & exponit. Neque enim hæc pars annectenda eſt teſtimonio proximè citato ex Geneſi. Nam illic tale nihil additur. Sed referenda ad illud; *Qui pater eſt omnium noſtrûm*: vt citatio media, parenthetica ſit. Eſt autem ſecundum Latinos hic ſenſus: Abraham eſſe patrem omnium noſtrûm, non paternitate carnali, quæ eſt coram hominibus, ſed ſpirituali, quæ eſt coram Deo, cui crediderat. Dicitur hæc paternitas eſſe coram Deo, quia fundata eſt in fide, quæ hominem Deo commendat. Græci verò ſic exponunt: Qui pater eſt omnium noſtrûm ad exemplum Dei, vel inſtar Dei (his enim modis vertunt Græcorum interpretes) cui credidit: vt ſicut Deus eſt omnium pater creatione, ſic Abraham fieret omnium pater exemplo fidei. Non enim in Græco eſt aduerbium ἔμπροσθεν aut ἐνώπιον, id eſt antè, coram, in conſpectu: quibus in hac ſignificatione paſſim vtitur ſcriptura Græca: ſed κατέναντι, id eſt ex aduerſo, è regione; quod legitur Marci 11 & 12, & Luc. 19. quomodo quod pingitur, è regione ſui exemplaris ſtatuitur. Quamuis & in priore ſignificatione reperitur interdum.

QVI VIVIFICAT MORTVOS, ET VOCAT EA QVÆ NON SVNT, TANQVAM EA QVÆ SVNT. Prius membrum huius partis plerique referunt ad miraculum rei geſtæ, quando Deus ad generandum viuificauit emortuum corpus Abrahæ & coniugis eius. Qua de re ſermo eſt paulo inferius. Alij vtrumque membrum referunt ad eoſdem, ſcilicet gentiles. Putant enim Paulum hac parte velle oſtendere, quomodo Abraham factus ſit pater etiam gentilium, & quomodo gentiles facti eius filij. Itaque ſecundum eos ſenſus eſt: Qui Deus homines ſpiritualiter mortuos, id eſt nihil vitæ ſpiritualis habentes, viuificat per fidem: quique non filios Abrahæ vocat & facit filios Abrahæ per eandem fidem. Huic expoſitioni coaptant ſcripturas Matth. 4. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*. Coloſſ. 2. *Et vos cùm eſſetis mortui in delictis, & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illo*. Et huius epiſtolæ cap. 9 ex Oſee propheta: *Vocabo non plebem meam, plebem meam*. Hoc enim quid aliud eſt quàm vocare *ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*, ſiue vt alij vertunt, *tanquam ſint*? quod ad verbum eſt in Græco; vocare *non entia tanquam entia*. Gratus quidem hic ſenſus propter allegoriam: non tamen videtur à Paulo ſpectatus. Adijcit enim hanc partem, non qua ſignificet quid fecerit aut facturus ſit Deus: ſed vt duobus velut epithetis (ſunt enim in Græco participia Deo cohærentia) declaret Deum omnia poſſe; ſimul innuens etiam hoc ipſum de Deo Abraham credidiſſe. Nam mortuos ad vitam reuocare, & ex nihilo res producere, quod eſt vocare non entia tanquam entia; non niſi infinitæ virtutis, id eſt diuinæ ſunt opera. Nobiſcum ſentit in hac expoſitione Fr. Toletus: qui etiam ſubtiliter obſeruat, in priori membro Paulum reſpicere ad fidem Abrahæ, quando iuſſus eſt immolare filium ſuum Iſaac: videlicet *arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus*, vt de eo dicitur Heb. 11. in ſecundo autem membro ad fidem prioris temporis, quando credidit ſibi filium ex Sara naſciturum. De qua fide continuò ſubiungit: *Qui contrà ſpem in ſpem credidit*. Quod ad ſyntaxin attinet huius loci, ſcias ex Græco textum ſic ordinandum: *Ante Deum, cui credidit, viuificantem mortuos & vocantem* &c. non autem ſic: *Ante Deum, cui credidit viuificanti mortuos & vocanti*, &c: licet vtraque ſtructura ſenſum ferè eundem pariat. Hanc porro ſententiam illuſtrant, quæ iam deinceps de Abraham, & in eius fidei commendationem directè dicuntur.

18 QVI CONTRA SPEM IN SPEM CREDIDIT. Græcè, *qui præter ſpem in ſpe* vel *ſub ſpe credidit*. Sed & apud Latinos Pelagium, Primaſium & Hugonem legitur auferendi caſu, *in ſpe*; vt veriſimile ſit ita vertiſſe noſtrûm interpretem. Qui etiam illud rectè, *contra ſpem*. Nam eam vim habet Græcum παρά, tum hic tum paſſim alibi: quemadmodum & Latinum *præter*. Ita nimirum illud accipiendum Galatas 1, *præterquàm quod euangelizauimus vobis*: & iterum, *præter id quod accepiſtis*. quemadmodum eo loco plenius oſtendemus. Senſus eſt: Qui præter ſpem, id eſt cùm prius non ſperaret, ſed magis deſperaret ſibi ſobolem ex Sara: vel potius, præter ſpem naturæ; id eſt contra quam ex natura ſperari potuit, quia res erat naturaliter impoſſibilis; credidit diuinæ promiſſioni, ſpemque certam ex ea concepit. Credidit, inquam, quod ſequitur.

VT FIERET PATER MVLTARVM GENTIVM. Id eſt, ſe futurum patrem

multarum gentium. Quidam ad ſpem referunt hoc ſenſu: Credidit ſperans ſe fore patrem multarum gentium. Sed prior conſtructio textui magis congruere videtur: eamque vult etiam Syriaca tranſlatio.

SECVNDVM QVOD DICTVM EST EI: SIC ERIT SEMEN TVVM. In Græco non additur *ei*, ſed tamen intelligitur. Poteſt & ſic verti: *ſecundum quod dictum fuerat*; ſcilicet multo antè. Nam illud, *ſic erit ſemen tuum*, non legitur dictum Gen. 17, quo loco deſcribitur promiſſio Abrahæ facta, quando nonaginta nouem erat annorum; ſed Geneſ. 15. Veruntamen Abraham intelligebat, vti debuit, primam illam promiſſionem præcipuè in Iſaac, ſibi poſtea ex Sara promiſſo, complendam eſſe. Hic ſequitur in multis libris, *ſicut ſtellæ cæli & arena maris*. Sed non eſt in Græco nec Syriaco: nec legitur apud veteres interpretes. Latini quoque meliores codices, quos meritò ſecuti ſunt epanorthotæ Romani, non habent; vt dubium non ſit additum eſſe à quopiam, qui orationem incompletam voluerit abſoluere: tametſi nec in Geneſi à Deo promittente quicquam adiungitur. Tantum præceſſerat illud Dei ad Abraham; *Suſpice cælum, & numera ſtellas ſi potes*. Tum ſequitur, *ſic erit ſemen tuum*, ſcilicet ſicut ſtellæ innumerabiles.

19 ET NON INFIRMATVS EST FIDE. In Græco continua eſt oratio cum parte ſequenti, *& non infirmatus fide non conſiderauit*, &c. id eſt nullam paſſus infirmitatem aut vacillationem fidei circa promiſſionem diuinam.

NEC CONSIDERAVIT CORPVS SVVM EMORTVVM. Græcè, *iam emortuum*, id eſt præ ſenio iam effœtum & impotens ad generandum.

CVM IAM FERE CENTVM ESSET ANNORVM. Dictio *iam* huc tranſlata ex parte proximè præcedenti. Quod & volunt codices meliores mss. & ſignat caſtigatio Louanienſis. Dicit autem fere centum annorum, id eſt vno minus. Habebat enim annos nonaginta nouem.

ET EMORTVAM VVLVAM SARÆ. Græcè *& mortificationem* ſeu *mortalitatem matricis Saræ*. Senſum tamen optimè reddidit interpres, approbante Eraſmo. Ad huius loci pleniorem intellectum tres explicandæ ſunt quæſtiones. Quarum prima eſt, quomodo dicat apoſtolus Abrahæ corpus emortuum fuiſſe, cum is adhuc poſtea ex Cethura coniuge, quam Sara mortua duxit, filios procrearit. Ad hanc quæſtionem reſpondet Auguſtinus libro 16 de ciuitate Dei cap. 28, & quæſtione 35 ſuper Geneſim: emortuum fuiſſe eius corpus reſpectu Saræ vetulæ, quod ex ea naturaliter ſuſcitare ſobolem non potuerit: non autem reſpectu eius, quæ eſſet ætate adhuc vigente, qualis erat Cethura. Verùm hæc reſponſio non videtur ſatisfacere. Nam eo pacto etiam vir iuuenis diceretur habere corpus emortuum, quoniam vetulam imprægnare non poſſit. Quare potius cum aliis pleriſque dicendum, Abraham illo tempore fuiſſe præ ſenio ſimpliciter impotentem ad generandum. Sed diuino miraculo redditam ei virtutem generandi, qua deinceps non ſolum ex Sara per ſimile miraculum iam fœcunda, verum ex quacumque muliere ad concipiendum apta, poſſet filios ſuſcipere. Quæ reſponſio ſcripturis etiam valde conſentanea eſt. Nam præter hunc locum, vbi expreſsè tam de Abraham quam de Sara dicitur, quod corpus habuerint emortuum (vt eodem ſenſu neceſſe ſit de vtroque intelligi) etiam ſcriptura Geneſis ita loquitur, vt ſatis declaret in vtroque diuinam virtutem aliquid ſupra naturam operatam fuiſſe. Refert enim cap. 17. Abraham audita Dei promiſſione dixiſſe: *Putáſne centenario naſcetur filius; & Sara nonagenaria pariet?* Deinde capit. 18, *Erant*, inquit ſcriptura, *ambo ſenes, prouectæq; ætatis*. Quæ vtique eſt aperta ſignificatio impedimenti in vtroque coniuge: vt proinde Chryſoſtomus homilia 40 ſuper Geneſ. de eis dicat: quod *nihil à lapidibus differebant, quantum ad generationem attinet*. Sed & apoſtolus ad Hebr. 11 cùm dixiſſet: *Fide & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptione ſeminis accepit*, de Abraham ita ſubiungit: *Propter quod & ab vno orti ſunt, & hoc emortuo, tanquam ſidera cæli*, &c. Satis igitur ex his liquet ſcripturam non ſolum in Sara ponere miraculum, verùm etiam in Abraham. Et in illa quidem duplex, quod & ſterilis & vetula concipere potuerit: in illo autem ſimplex, quod ſenex cùm eſſet, ideoque ob frigiditatem ſeminis ad generandum ineptus, ſobolem ſuſcitare potuerit, non ſolum ex Sara, verùm etiam, vt dictum eſt, ex aliis feminis: videlicet in eo perſeuerante gignendi virtute ſemel reddita: quomodo fœcunditas ſemel data permanſit in Anna matre Samuelis, vt & alios poſt illum filios gigneret, ſecundum id quod ipſa cecinit: *Donec ſterilis peperit plurimos*, 1 Reg. 2. Secunda quæſtio. Cùm ſcriptura teſtetur Abraham poſt annum ætatis centeſimum adhuc vixiſſe ſeptuaginta quinque annos, Gen. 25: quî veriſimile eſt eum centenarium adeò fuiſſe ſenem, vt ad generandum eſſet, quemadmodum dictum eſt, ſimpliciter ineptus? Nam hodie certè qui viuere poſſunt annos nonaginta (vt ſumamus tempus quaſi dimidium ætatis Abrahæ) nequaquam ad gignendum prolem inepti cenſentur anno ſuæ ætatis quinquageſimo: Et tamen in his eadem eſt ætatis proportio. Hæc difficultas mouit Auguſtinum, cur minus probaret præcedentis quæſtionis eam ſolutionem, quam dedimus, quamque fatetur ab aliis adferri ſolitam.

Quo ſenſu corpus Abrahæ emortuum

Alia quæſtio.

Quidam

Reſpõſio. Quidam reſpondent: quemadmodum nunc alij aliis citius ſeneſcunt ac decrepiti fiunt, vt generare non poſsint: ita tunc Abrahæ contigiſſe vel ex naturæ defectu, vel quod laboribus eſſent ei vires exhauſtæ. Non placet hæc reſponſio: quia ſcriptura tam in Geneſi quam hoc loco gignendi impotentiã ſimpliciter reijcit in ætatem, eo quod centum eſſet annorum: tanquam ea ætas illo tempore, ſaltem vt plurimum, inepta fuerit generationi. *Alia reſponſio melior.* Proinde aliter reſpondẽdum exiſtimo: patres illos antiqui temporis poſt mediam ætatem longam vixiſſe ſenectutem, ita vt ætas deficiens longè diuturnior in illis eſſet quam accreſcens. Exemplo ſit Iſaac, qui vixit annos centum octoginta Gen. 35. Cui tamen ætatis anno, iuxta peritorum ſupputationem, centeſimo vigeſimo aut circiter, præ ſenectute caligauerunt oculi, ſic vt videre non poſſet: quando & filiis ſuis, tanquam non diu victurus, benedixit Gen. 27. Et tamen annos adhuc ſuperuixit ſexaginta: vt appareat totum tempus ſenectutis eius fuiſſe non multo minus centum annorum; ac proinde maius tota reliqua ætate. Id autem & in aliis ſimiliter ſe habuiſſe, argumento eſt, quod Gen. 11 quidam leguntur genuiſſe filios anno ſuæ ætatis triceſimo, quorum alij ducentis, alij trecentis, alij quadringentis annis vixerunt. Ex quo intelligas quàm breue fuerit illis tempus ætatis creſcentis, comparatione reliqui temporis vitæ: Deo nimirum ſic ordinante, cauſaſque naturales dirigente (neque enim arbitror in ea re miraculum ponendum) vt diu ſuperſtites eſſent diuinorum operum teſtes ad rudem adhuc & raram poſteritatem: ſimul vt eam artibus & legibus ad vitam politicam Deique cultum ſpectantibus ſufficienter inſtituerent; donec humano genere ſatis multiplicato, neceſſitas eiuſmodi ceſſaret. *Tertia quæſtio.* Tertia quæſtio eſt de eo quod negat apoſtolus Abraham conſideraſſe corpus ſuum emortuum, & emortuam vuluam Saræ; cùm ſcriptura iam antè citata teſtetur ipſum audita promiſſione filij ex Sara, riſiſſe atque dixiſſe in corde ſuo: *Putáſne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Quæ verba ſunt bene conſiderantis horum vtrumque, etiam cum quadam vt apparet diffidentia ſeu fidei infirmitate. *Reſponſio Caietani improbata.* Reſpondet Caietanus Abraham ab initio non percepiſſe, reuelationem eſſe aſſertiuam, ideoque ſecum in animo contuliſſe impedimenta naturæ tam in ſe quàm in Sara, non dubitando de promiſſione, ſed percontando ſenſum diuinorum verborum, an verè ad ſignificandum hoc quod ſonabant, dicta eſſent. Sed hæc reſponſio non videtur bona. Nam Pauli doctrina eſt hoc loco & Heb. 11. Abraham ſtatim & incunctanter audita Dei promiſsione, plenam ei fidem adhibuiſſe. Idem liquet ex aliis promiſsionibus Abrahæ factis, Gen. 12. 13. 15, quas ille ſtatim vt audiuit, recepit: Nec non ex præceptis ipſi datis à Deo, tametſi duris & arduis Gen. 12. 21, & 22, quibus ille confeſtim paruit; vt non minus obedientia eius quàm fides in ſcripturis commendetur. Accedit quod verba promiſsionis de qua nunc agitur, nullam habebant obſcuritatem; vt proinde ſenſum eorum percontari Abraham minimè debuerit; ſicut nec in aliis fecerat. *Reſponſio Gerſon.* Dicendum igitur Abraham ex ſententia Pauli, non conſideraſſe ſuam & vxoris ſenectutem & gignendi impotentiam, ſic vt propterea diffideret, aut aſſenſum ac fidem differret adhibere diuinæ promiſsioni: Sed quemadmodum cap. 15 Geneſis, poſteaquam dictum eſſet de eo, quod *credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam*: narratur quæſiuiſſe modum adimplendæ promiſſionis diuinæ, dicens: *Vnde ſcire poſſum*, &c: Sicut & B. virgo Maria audito nuncio partus dominici, modum quæſiuit dicens: *Quomodo fiet iſtud?* ita cap. 17 poſt auditam & firma fide ſuſceptam Dei promiſsionem, non vtique dubitando, nec (vt vult Caietanus) ſenſum verborum quæ plana vtique & perſpicua erant percontando, ſed potius rei promiſſæ magnitudinem admirando, dixit: *Nunquid centenario naſcẽtur filius?* ac ſi diceret: Nunquid rem tantam & à ſæculis inauditam facturus es mea cauſa? Reſpondent ad hunc modum Ambroſius libro 1 de Abraham cap. 4, & libro 2 cap. 11; & Auguſtinus libro 16 de ciuitate Dei cap. 26 & 31. Nam & illud quod obijci poterat, Abraham audita promiſsione, velut deſperantem de filio qui ex Sara promittebatur, dixiſſe Deo: *Vtinam Iſmael viuat coram te*; exiſtimandum eſt non vlla diffidentia dictum, ſed ex humilitate qua ſe indignum reputabat tam grandi miraculo quod promittebatur; quaſi diceret: Multum ac ſatis mihi præſtiteris, ſi factã olim promiſſionem adimpleas in Iſmaële. Conſtat enim Abraham ſe valde humiliaſſe coram Deo, vt Geneſ. 18. Non deſunt, fateor, inter patres, qui videantur aliquid incredulitatis ſeu dubitationis in prædictis verbis ſancto patriarchæ aſſcribere, vt Baſilius homilia de patientia, Chryſoſtomus homilia 40 in Geneſim, & Hieronymus libro 1 dialogi contra Pelagianos capite 10, & libro 3 capite 5. Sed illi ſententiæ reſiſtunt non ſolum Ambroſius & Auguſtinus, quos iam citauimus, verum & omnes huius loci commentatores, ac præcipuus inter eos ipſe Chryſoſtomus, cuius verba mox referam. Denique manifeſtè contradicit illi ſuſpicioni hic ipſe locus Paulinus. Vnde adhuc ſequitur:

In Abraham nulla fidei vacillatio.

IN REPROMISSIONE ETIAM DEI NON HÆSITAVIT DIFFIDENTIA. Græcè, *ad promiſſionem autem Dei non hæſitauit incredulitate*. Sed & commentator Ambroſ. non *etiam*, ſed *verò* legit, vt Græca particula δὲ ſumatur aduerſatiuè. Pro verbo *hæſitauit*, quod in Græco eſt διεκρίθη, quidam malunt *diſceptauit*, aut *diſquiſiuit*.

Ac posset videri hic sensus: Quamuis Abraham audita promissione quæsiuerit, ac quasi disceptauerit dicens Deo: *Putásne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* non tamen id fecit ex incredulitate, sed ex admiratione, sicut iam dictum est. Verùm optime redditum à nostro interprete, *hæsitauit*: quamuis hæsitatio non sine disceptatione fieri soleat. Sic enim & Erasmus vertit & alij. Vide quæ de Græci verbi significatione annotamus infrà ad illud cap. 14, *Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est.* ac rursus ad illud Iacobi 1, *Postulet in fide nihil hæsitans.* Ergo quod additum est, *incredulitate*, non est restringentis, sed declarantis. Nam hæsitatio seu dubitatio de Dei promissis, esse non potest sine incredulitate. Sensus igitur est: Nulla laborauit incredulitate, vt ad promissionem Dei auditam hæsitaret. Expendit hæc apostoli verba Chrysostomus, ita loquens: *Non dixit illum non incredulum fuisse, sed non hæsitauisse, hoc est, ne animo quidem suspenso, anciputi ac dubio fuisse.* En apertam Chrysostomi de fide Abrahæ sententiam. Quare quod in expositione Geneseos aliter sensisse visus est, id puta eum hic tacitè retractasse. Quosdam offendunt hæ voces tanquam parum Latinæ, *repromissio* & *repromittere*, quibus noster interpres pro simplici promissione passim vtitur. Sed interpretem satis defendit vsus vulgaris horum vocabulorum apud veteres ecclesiæ scriptores, etiam præcipuos, vt Hieronymum & Augustinum: quandoquidem & Suetonius inuenitur repromittendi vocabulum alicubi sic vsurpasse.

Repromissio, repromittere.

SED CONFORTATVS EST FIDE, Id est firma ac robusta fide suscepit Dei promissionem. Pars hæc aduersatiua est eius quod suprà dixit: *Et non infirmatus est fide.*

DANS GLORIAM DEO. Gloriam Deo tribuit Abraham credens ac profitens eum omnipotentem, & in promissis veracem. Per hæc enim laudatur & glorificatur Deus. *Hoc aduersus illos positum est* (ait Augustinus in expositione propositionis 25) *qui gloriam suam de operibus legis coram hominibus quærebant.*

21 PLENISSIME SCIENS, QVIA QVÆCVMQVE PROMISIT DEVS, POTENS EST ET FACERE. *Plenissimè sciens*, Græcè πληροφορηθεὶς, id est *plenitudinem consecutus*, videlicet persuasionis seu fidei. Tale quid enim intelligendum postulat subiecta materia: cùm aliàs etiam ad alia referatur Græcum verbum πληροφορεῖσθαι, quemadmodum latiùs ostendemus infrà ad illud cap. 14, *Vnusquisque in suo sensu abundet.* Erasmus vertit, *certa persuasione concepta*. Quod sequitur *quæcumque promisit*, Græcè est ὁ ἐπήγγελται, quod promisit, vt legunt Amb. commentator & Primasius, quemadmodum & vertunt neoterici quidam. Quod enim Erasmi versio habet, *qui promiserat*, probari non potest, nisi forte in eius codice (quod non puto) scriptum fuerit, ὃς ἐπήγγελται. Verùm scito Græcum verbum esse præteritum passiuum, vt proinde vertendum videatur, *quod promissum est*: vt etiam Erasmus admonet in annotationibus. Nam in actiua significatione apud authores haud temerè reperias, nec quidem in sacris literis. Siquidem actiua promissio ferè semper exprimitur aoristo verbi medij ἐπηγγείλατο *promisit*. Legitur autem idem verbum quod hoc loco, in epistolis ad Galat. 3 & ad Heb. 12. Sed illis quoque locis expositionem passiuam conuenire, docebimus cùm illuc vsque peruentum erit: tametsi hic ad sensum non interest, actiuè exponas an passiuè. Sensus enim apostoli est: Plena ac certissima fide persuasum habens, Deum sua promissa seu quæcumque promisit, præstare posse. Nominat autem potentiam Dei, non veracitatem: quia suppositа fide potentiæ non erat difficile credere Deum facturum quod promiserat. Longè enim facilius creditur veracem esse Deum, quàm omnipotentem. Sed quæres, quid magnum, si credidit Deum omnipotentem; cùm id credant omnes Christiani, boni & mali? Quæstio est apud Hugonem numero 121, eiusdemque hæc responsio: *Tunc illud credere magnum erat, quando pene vniuersus orbis in cultura dæmonum errabat; nec adhuc fides vnius Dei prædicata fuerat, aut scripturis manifestè declarata, sicut modò.* Sic ille. Cui tamen responsioni etiam hoc addimus: laudari in Abrahamo fidem omnipotentiæ Dei, non qualemcumque, sed promptam, deuotam & obedientem, qualis in paucis reperitur.

Quæstio.

Resp̃sio.

22 IDEO ET REPVTATVM EST ILLI AD IVSTICIAM; scilicet eadem ratione qua & prius fides promissionis ei reputata fuerat ad iusticiam. Genes. 15. Hinc manifestum est ea locutione non significari primam iustificationem. Quoties enim credidit Abraham Deo, toties ei fides ad iusticiam reputata est. Nam vt supra dictum est, etiam obedientia per quam multo pòst in tentatione inuentus est fidelis, reputata est ei ad iusticiam, attestante scriptura 1 Machab. 2, & Iac. 2.

23 NON EST AVTEM SCRIPTVM TANTVM PROPTER IPSVM. Græcè: *Non scriptum est autem propter ipsum solum*. Vt dictio *solum* Græcè μόνον, tam nomen adhærens pronomini *ipsum*, quam aduerbium esse possit.

QVIA REPVTATVM EST ILLI AD IVSTICIAM. In Græco non additur *ad iusticiam*. Sunt & Latini codices qui non habeant. Sensus tamen postulat vt intelligatur, videlicet repetendum ex parte præcedenti; quemadmodum & in eo quod mox sequitur.

24 SED ET PROPTER NOS. id est nostræ doctrinæ causa. *Quæcumque enim scripta sunt*, ait infrà cap. 15, *ad nostram doctrinam scripta sunt.* Cuiusmodi sunt maximè facta sanctorum patriarcharum.

QVIBVS REPVTABITVR CREDENTIBVS IN EVM QVI SVSCITAVIT IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM A MORTVIS. *Reputabitur*, ſubaudi ad iuſticiam. *Chriſtum* non eſt additum in Græco. *A mortuis*, ſiue *è mortuis*, Hebraiſmus eſt. Syriacè *de inter mortuos*, id eſt è ſtatu vel è numero mortuorum, à morte. Senſus periodi: Quod ſcriptura dicit Abraham Deo credidiſſe, idque ei reputatum fuiſſe ad iuſticiam; non tantùm ſcriptum eſt propter ipſius laudem, vt eius iuſticia celebraretur apud poſteros; verùm etiam noſtri cauſa, id eſt vt in Abraham haberemus formam quandam noſtræ iuſtificationis, atq; ſciremus etiam nobis credentibus, ipſum credere, hoc eſt fidem noſtram ad iuſticiam reputatum iri. Iam quæ ſit vis collectionis Paulinæ: fides reputata fuit Abrahæ ad iuſticiam, ergo & nobis ad iuſticiam reputabitur: cum vtriuſque fidei non ſit idem obiectum, ſatis explicatum arbitror ſuperiùs ad ſcripturam ex Gen. citatam; *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſticiam*. Illud adhuc quæri poteſt, quomodo ex eadem Pauli collectione non ſit conſequens, fidem peccatoris credentis in eum qui iuſtificat impium, eſſe ſimpliciter iuſticiam, ſi ſimpliciter iuſticia fuit fides Abrahæ Deo credentis: in qua ſicuti dictum eſt, forma quædam fuit noſtræ iuſtificationis. Reſpondeo ſimilitudinem conſtare ſalua proprietate vtriuſque iuſtificationis, ſecundæ videlicet & primæ. Nam fides qua iuſtificatur is qui iam iuſtus erat, vt Abraham, à Spiritu ſancto procedit inhabitante, ideoque ſimpliciter eſt iuſticia. Quod non perinde dici poteſt de fide peccatoris, in eum qui iuſtificat impium credentis. Non enim proficiſcitur eā fides ab inhabitante ſpiritu, ſed tantum mouente: donec ille ſic credens, ipſa fide eum promouente, gratiam adoptionis aſſecutus fuerit. Eſſe tamen eiuſmodi fidem inchoatiuè iuſticiam eiuſque partem, ſecundum ea quæ dicta ſunt capite ſuperiori, non eſt cur ambigatur. Poſtremò quæres cur apoſtolus ſolam hic exprimat fidem reſurrectionis Chriſti. Reſpondeo, vel quia in hoc articulo tacitè continetur etiam fides incarnationis & mortis: nemo enim reſuſcitatur ad vitam, niſi mortuus; & nemo moritur, niſi natus; vel quia reſurrectio Chriſti credita ſpē noſtram, quam in Chriſto habemus, maximè erigit & confirmat.

A mortuis, Hebraiſmus.

Fides peccatoris quatenus iuſticia.

25 QVI TRADITVS EST PROPTER DELICTA NOSTRA. *Traditus* in mortem, idque à patre de quo infrà cap. 8: *Qui etiam proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Propter delicta* ſiue peccata *noſtra* abolenda.

ET RESVRREXIT PROPTER IVSTIFICATIONEM NOSTRAM. *Reſurrexit*, Græcè ἠγέρθη *ſuſcitatus eſt*. Tum in eo variant Græca, quod alia legunt δικαίωσιν *iuſtificationem*, alia δικαιοσύνην *iuſticiam*: tametſi res eodem recidit, vt ex ſenſu patebit. Quem vt aſſequamur, illud primò ſciendum eſt: omne meritum Chriſti ſaluatoris in paſſione eius & morte completum fuiſſe, & proinde ſua reſurrectione eum nihil meruiſſe; vti nec aſſcenſione in cælum, ac cæteris quæ egit poſt paſſionem & mortem. Quæ doctrina eſt omnium Theologorum. Quocirca hac parte ſignificari non poteſt Chriſtum reſurgendo meruiſſe noſtram iuſtificationem, ſicut patiendo meruit delictorum noſtrorum remiſſionem. Videndum ergo quo ſenſu dicatur reſurrexiſſe propter iuſtificationem noſtram: & omnino quis totius pericopes ſenſus ſit. Laborant enim in eo reddendo interpretes. Ac primū illud recipi nullo modo poteſt quod Pſeudambroſius in hunc locum commentatur. Dicit enim eos qui ante Domini paſſionem baptizati fuerunt, ſolam accepiſſe remiſſionem peccatorū (*quorum zelo*, inquit, *ſatanas occidit ſaluatorem*) poſt reſurrectionem verò tam eos qui priùs, quam qui poſtea baptizati ſunt, omnes iuſtificatos eſſe per datam formam fidei Trinitatis: Et id Paulum exiſtimat hoc loco ſignificare voluiſſe. Sed hoc commentario velut parum ſano repudiato alios audiamus. S. Thomas dicit mortem & reſurrectionem Chriſti hic conſiderari, non vt meriti rationem habent, id enim reſurrectioni non competere: ſed vt ſalutares nobis fuerūt per modum cuiuſdam efficientiæ, ſicuti fuerunt & cæteræ omnes actiones eius & paſſiones, vtpote ex virtute diuinitatis proueniētes, cuius humanitas ipſius erat inſtrumentum. *Sed quoniam*, inquit, *effectus aliquo modo ſimilitudinem habet ſuæ cauſæ; mortem Chriſti, per quam in eo exſtincta eſt mortalis vita, dicit apoſtolus eſſe cauſam exſtinctionis peccatorum noſtrorum: reſurrectionem autem eius, qua rediit ad nouam vitam gloriæ, dicit eſſe cauſam iuſtificationis noſtræ, per quam redimus ad nouitatem iuſticiæ*. Sic ille. Verùm huic expoſitioni videtur obſtare, quod à Paulo non nominantur actiones humanitatis Chriſti, ſed actiones Patris, *traditus eſt*, *ſuſcitatus eſt*, ſcilicet à patre. Aliorum expoſitio eſt; mortem & reſurrectionem Chriſti hic conſiderari tantum vt cauſam exemplarem. Sic enim loquuntur: tanquam Chriſtus moriens exemplum nobis dederit, vt nos quoque moriamur peccatis: reſurgens verò exemplum dederit, vt & nos à morte peccati reſurgamus ad nouitatem vitæ. E quidem typum ſeu figuram dicere malim quàm exemplar. Nā Chriſtus ipſe non eſt mortuus vitæ peccati, neque reſurrexit in vitam iuſticiæ: ſed eius mors & reſurrectio corporalis fuit typus ac figura noſtræ mortis & reſurrectionis ſpiritualis: mortis quidem qua peccatis morimur, reſurrectionis autem qua reſuſcitamur ad iuſticiam: quemadmodum id pluribus exhortando declarat apoſtolus infrà cap. 6. Rectè verò dixeris Chriſti reſurrectionem eſſe cauſam exēplarem noſtræ reſurrectionis, qua corporaliter reſurgemus ad vitam immortalem. Quo ſenſu accipiendum quod de eo canit eccleſia in præfatione paſchali: *qui mortem noſtram*

Omne meritū Chriſti morte eius completum.

Quo ſenſu Chriſtus propter iuſtificationem reſurrexerit, & variè expenditur

Chriſti reſurrectio typus potius quā exemplar noſtræ iuſtificationis.

moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Qua etiam ratione primitiæ dormiẽtium Christus vocatur 1 Cor. 15. Verũtamen & huic iã dictæ expositioni (quãuis eam suppeditent Augustinus ser. 141 de tempore, & Thomas 3 quæst. 56 art. 2) non parum obsistit, quod Paulus non dixit, mortuus est, sed *traditus est*: nec addidit, vt nos moriamur peccato, sed simpliciter dixit, *propter delicta nostra*. Porrò Caietanus sic interpretatur: Qui traditus est morti propter delicta nostra delenda, resurrexit autem propter iustificationem nostram, id est resurrexit vt crederemus, & credentes iustificaremur: quia nisi homo ille mortuus resurrexisset à morte ad vitam immortalem, mundus in eum non crederet. Sed quia resurrexit, credidit mundus, & per hoc peruẽnit ad mundum iustificatio. Sensus hic etiam Sasboldo & Pererio probatur: potestque ad eius cõfirmationem adduci quod scribit Petrus 1 epistolæ 1: *Qui regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.* Et infrà: *Qui suscitauit eum à mortuis: & dedit ei gloriam, vt fides vestra & spes esset in Deo.* Est & alia expositio quam huc adfert F. Toletus, ac legitimam censet: ideo videlicet dictum, resurrexisse Christum propter iustificationem nostram, quia quamuis in morte Christi precium esset persolutum pro redemptione generis humani, tamen applicatio precij ad hominum iustificationem generaliter non erat futura (Deo nimirum sic ordinante) nisi post resurrectionem Christi, missis in mundum apostolis annunciatoribus salutis: & idcirco Christum tam cito resurrexisse, ne remedij salutaris applicatio dilata, multorum hominum damnationis esset occasio. Probabilis est hæc expositio, quemadmodum & proximè precedens. Mihi tamen simplicius ac magis germanum videtur, si singula membra suum proprium habeãt sensum accommodatum consuetudini sermonis apostolici: vt traditus in mortem Christus dicatur propter peccata nostra, id est vt sua morte pœnam peccatis nostris debitam aboleret: resurrexisse verò propter iusticiam nostram, id est vt sua resurrectione typum quendam nobis præferret resurgendi ad iusticiam seu vitæ nouitatem, secundum ea quę dicuntur infrà cap. 6: vel certè, vt nobis reconciliatis ipse iam rediuiuus & immortalis iustificationem nostram, qua scilicet mens nostra renouetur de die in diem, & quæ inde sequitur salutem, apud Deum promoueret, secundum id quod dicitur capite sequenti: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius.* Vbi postremò & illud obserua contra sectarios iusticiam nostram in sola remissione peccatorum constituentes: apostolum disertè distinguere hæc duo, deletionem peccatorũ & iusticiam, id est vitæ nouitatem velut iustificationis nostræ partem præcipuam.

Authoris sententia.

SVMMARIVM.

IVstificatorum ornamenta commemorat. Dei eximiam erga nos charitatem prædicat: ac docet, sicut peccatum & mors per vnum hominem in omnes transierunt: ita gratiam & vitam ex vno homine in multos derivari.

CAPVT QVINTVM.

1 IVSTIFICATI ERGO EX FIDE PACEM HABEAMVS AD DEVM PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM. *Ad Deum*, id est erga Deum, cum Deo. Postquam ostendit apostolus ex fide, non ex lege esse iusticiam, transit nunc ad declaranda bona quædam, seu fructus, ornamenta & décora, quæ gratiam iustificationis consequuntur; nonnulli excellentias appellant. Ea bona sunt pax hominis cum Deo; adoptio filiorum Dei, in tribulationibus non frangi animo, sed exultare; atque de his omnibus gloriari, non in seipso nec in alio, sed in Deo. Quæ bona Caietanus diligenter enumerauit ac distinxit. Pro verbo *habeamus* in plerisque Græcis codicibus est ἔχομεν habemus. Et ita Tertullianum legisse, arguunt hæc eius verba lib. 5 aduersus Marcionem cap. 13. *Monet* (Paulus) *iustificatos ex fide Christi, non ex lege, pacem habere.* Quod & à viro doctissimo Iacobo Pamelio in suis ad eum locum scholijs obseruatum est. Nec obscurè pro ea lectione facit commentarius Ambrosio asscriptus. Addo me quoque in quodam MS. Latino legisse *habemus*. At verò commentarij Græcorum Origenis, Chrysostomi, ac cæterorum pro nostra vulgata faciunt lectione: tametsi perpauci sunt hodie Græci codices quibus legatur ἔχωμεν. Nullus certè à R. Stephano annotatus est. Vtraque lectio bonum recipit sensum; nostra quidem huiusmodi; Cùm iam simus ex fide iustificati, ne peccemus amplius; sed pacem conseruemus cum Deo, permanentes in iusticia semel accepta. Vel secundum alios; pacem habeamus, id est, simus tranquillo & pacato animo, & à terroribus quibus concuti solet mala conscientia, libero, vtpote iam Deo reconciliati. Iuxta alteram lectionem hic sensus est: Ex fide iam iustificati, illud beneficij imprimis consecuti sumus, quod cum Deo pacem habemus, id est, quod Deo sumus reconciliati, quodque eum nunc habemus placatum, quem propter peccata nostra habebamus offensum. Qui sensus cùm sit planus & apertus, & textui maximè consentaneus, (nõdum enim exhortationi, sed doctrinæ adhuc intendit apostolus) apparet Græcorum codicum lectionem esse veriorem: præsertim cum huic sensui aptissimè congruat illa clausula, *per Dominum nostrum Iesum Christum*, videlicet tanquam mediatorem & pacificatorem nostrum; cumque etiam verba subsequentia, *habemus, stamus, gloriamur*, eiusdem sint modi

Ornamẽta iustificatorum.

indicatiui.

indicatiui. Detorquent hunc locum ſectarij ad ſtabiliendam eam quam ab vnoquoque credente exigunt, reconciliationis ac ſalutis ſuæ certitudinem infallibilem: Sed id faciunt imperitè. Nam pax reconciliationem ſignificat, non autem eius certam noticiam. Itaque pacem habere poteſt cum Deo, qui tamen propter occultas latebras ſui cordis non omnino certus ſit, quod eam habeat. Nec aliud affirmat Paulus, quàm iuſtificatos hanc pacem habere.

Pax iuſtificatorum malè à ſectarijs intellecta.

2 PER QVEM ET HABEMVS ACCESSVM PER FIDEM IN GRATIAM ISTAM. *Habemus acceſſum*. Græcè προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν, id eſt *aditum* ſeu *admiſſionem habere nobis contigit*. Senſus apoſtoli: Cuius opera ac merito admiſſi & adducti ſumus per fidem ad hanc gratiam, id eſt beneficium iuſtificationis. Vtitur eadem voce προσαγωγὴ ſcribens ad Eph. 3. Porrò notandum, etſi fides ſit initium & pars quædam noſtræ iuſtificationis; rectè tamen & conuenienter dici, quod per fidem habemus acceſſum & ingreſſum ad gratiam iuſtificationis: quomodo per oſtium ingredimur domum, quamuis ipſum oſtium pars domus ſit. Senſus enim eſt, fide velut initio iuſtificationis, eò nos vlterius adduci, vt cæteris donis accedentibus ſimpliciter iuſti ſimus, ac Deo accepti ad vitam æternam; quemadmodum intrando per oſtium eò quis promouetur, vt ſit intra domum, in aula aut in conclaui.

Quo ſenſu per fidem acceſſus ad iuſtitiam.

IN QVA STAMVS ET GLORIAMVR IN SPE GLORIÆ FILIORVM DEI. Dubium tam in Græco quàm in Latino, num ad fidem illud *in qua* referendum ſit, an ad gratiam. Si ad fidem, ſenſus erit: per quam ſtamus, quomodo nonnulli verterunt. Ita dictum 2 Cor. 1. *Nam fide ſtatis*. Veruntamen contextus magis exigit vt ad gratiam referatur: In qua gratia, inquit, ſtamus, id eſt manemus, perſiſtimus: in qua, id eſt de qua, etiam gloriamur ſub ſpe & certa exſpectatione futuræ gloriæ, quæ præparata eſt & per hanc gratiam præſtanda filijs Dei adoptiuis. Quidam hanc partem *& gloriamur in ſpe*, &c. retrahentes à præcedenti, ſic exponunt: & gloriamur de ſpe futuræ gloriæ, id eſt de ea re ſperata; ſicut mox ſequitur, *gloriamur in tribulationibus*, id eſt de tribulationibus. At minus rectè. Nam quod bene animaduertit Toletus, in Græco diuerſæ ſunt præpoſitiones ἐν & ἐπὶ, quarum prior ſeruit ſignificando gloriationis obiecto ſeu materiæ, non poſterior. Vnde & in parte ſequenti, *Gloriamur in tribulationibus*, non eſt ἐπὶ ſed ἐν. Sciẽdum quoque eſt genitiuum *filiorum* non eſſe in Græco, nec in Syriaco, neque à Græcis tractatoribus exponi. Sed & commentator Amb. & Cyprianus lib. de exhortatione martyrij cap. 9 prætermittunt. Sic enim habet Cyprianus: *Gloriamur in ſpe claritatis Dei*. Cuius tamen lectionis ſenſus à priori non variat. Nam gloria Dei filijs eius adoptiuis communicatur.

3 NON SOLVM AVTEM. Ellipſis Paulo frequens; pro eo quod diceret; Nec id ſolum. Non ſolum, inquit, gloriamur de eo quod dixi, id eſt de gratia iſta:

SED ET GLORIAMVR IN TRIBVLATIONIBVS, Id eſt de afflictionibus, preſſuris ac perſecutionibus quas propter hanc gratiam, id eſt quia Chriſtiani ſumus, patimur. Gloriamur, inquam, de iis ſecundum ſpiritum, tanquam de magno bono: licèt infirma caro doleat. Sic apoſtoli Act. 5, *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quod digni habiti eſſent pro nomine Ieſu contumeliam pati*. Hinc & Iacobus admonet c. 1 dicens: *Omne gaudium exiſtimate, cùm in tentationes*, id eſt tribulationes, *varias incideritis*. Nam tribulationes ſummopere confirmant ſpem electorum, quam habent de gloria futuri ſæculi. Probat hoc Paulus ſubiuncta gradatione.

SCIENTES QVOD TRIBVLATIO PATIENTIAM OPERATVR;

4 PATIENTIA AVTEM PROBATIONEM, PROBATIO VERO SPEM. In hoc loco eloquentiam Pauli ſapientiæ comitem minimeque affectatam, obſeruauit Auguſtinus libro 4 de doctrina Chriſtiana cap. 7. Partem hanc Tertullianus in Scorpiaco cap. 13 ita reddit: *Certi quod preſſura tolerantiam perficit, tolerantia verò probationem*, &c. Hilarius quoque locum hunc citans, perficit, pro *operatur*, legit, in enarratione pſal. 138. Siquidem in Græco compoſitum eſt verbum κατεργάζεται, quod intendere videtur ſignificatum ſimplicis. Verũ conſtat vſurpari ſæpe pro ſimplici, vt obſeruare eſt huius epiſtolæ cap. 7 & alibi. Quocirca noſter interpres bene reddidit, *operatur*. Eraſmus & alij, *parit, gignit*. *Tribulatio patientiam operatur*, quia nobis proficit ad patientiam. Eſt enim nobis materies & occaſio patientiæ exercendæ, atque etiam augendæ. Patientia probationem operatur, quia reddit eum qui affligitur, probatum & exploratum, vt cognoſcat quanti Deum & cæleſtia faciat, ſimulque eum magis ac magis repurgat ab affectibus vicioſis. Vnde paſſim in pſalmis & alibi dicuntur iuſti velut aurum à Deo probari per tolerantiam afflictionum. Probatio verò ſpem gignit, excitando eam & augendo. Qui enim iam expertus eſt ſe nullis aduerſis à iuſticia & veritate fidei dimotum eſſe, etiamſi variè tentatus ſit; mirum in modum erigitur animo in ſpem gloriæ cæleſtis. Ex hoc loco diſce contra ſectarios ſpem noſtram & fiduciam non ita niti ſolis diuinis promiſſionibus, vt non etiam fatendum ſit eam inniti teſtimonio bonorum operum, quæ Deus dederit. Vnde idem apoſtolus 2 Cor. 1: *Gloria noſtra*, inquit, *hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*. Mouere poteſt lectorem, quòd ſecũdum membrum huius gradationis apoſtolus Iacobus cap. 1 inuertere videtur. Dicit enim: *Sciẽtes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur*. Sed quomodo non pugnent hæc duo; quia breuiter dici nõ poteſt, in eius loci commentario declarabitur.

Spes nititur & promiſſione diuina, & bonis operibus.

5 SPES AVTEM NON CONFVNDIT. Græcè καταισχύνει, id est, *pudefacit, pudore afficit*: quod vulgatus interpres more sui sæculi, etsi parum Latinè, passim vocat confundere. Sensus: Spes verò ad eum modum excitata & aucta, sperantem non pudefaciet, non fallet; non frustrabitur ille spe sua. Nam præter hoc quod spes ex parte Dei promittentis cuius verbo nititur, prorsus est infallibilis; etiam pignora quæ iam prærogauit, mirificè fiduciam excitant in homine consequendæ hereditatis. Quam rem vrget apostolus hoc loco. In scripturis frustratio spei vocatur confusio, id est pudefactio; quia qui frustrantur exspectatione, solent pudefieri ac rubore suffundi. Porrò quamuis sermonem hic esse constet de spe iustificatorum: tamen & spes hominis adhuc peccatoris, dum euangelio credens exspectat vitam æternam ex operibus bonis, quæ per Dei gratiam se facturum sperat, non eũ confundet. Sed confundet & frustrabit seipsum si bona opera negligat exercere: cùm alioqui teneat certissimam Christi promissionem, *Hoc fac, & viues.* Luc. 10. Verum potiori ratione spes iustorum præsertim electorum, in quorum maximè persona Paulus loquitur, non confundit. De qua Ecclesiasticus cap. 2: *Nullus speranit in Domino & confusus est.* Nam sequitur: *Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est?* Denique spem charitate formatam intelligi, docet probatio sequens.

Quæ spes non confundat: & quo sensu.

QVIA CHARITAS DEI DIFFVSA EST IN CORDIBVS NOSTRIS PER SPIRITVM SANCTVM, QVI DATVS EST NOBIS. *Diffusa est* Græcè ἐκκέχυται *effusa est.* Cyprianus legit *infusa*, sensu non diuerso. Potest autem intelligi vel charitas Dei erga nos, vel ea qua nos Deum diligimus; id est, vel Dei diligentis, vel Dei dilecti. Nam vtroque modo charitas Dei in scripturis accipitur. Priori quidem modo, huius epistolæ cap. 8 iuxta meliorem intellectum: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Et iterum: *Nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei.* Item 2 Cor. 5: *Charitas Christi vrget nos.* Et manifestius in fine eiusdem epistolæ, *Charitas Dei sit cum omnibus vobis.* Item Ephes. 3. *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* & 1 Ioan. 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit,* & iterum cap. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum,* &c. Posterioris exempla sunt Lucæ 11, *Præteritis iudicium & charitatem Dei.* Ioan. 5. *Dilectionem Dei non habetis in vobis.* 2 Thess. 3, *Dominus dirigat corda vestra in charitate Dei.* 1 Ioan. 3. *Qui viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* & cap. 5. *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus.* Et in eadem epistola sæpius. Iam priori modo si charitas Dei hic accipiatur, sensus & connexio erit huiusmodi; Quod dixi spem nos non confundere, patet vtique ex charitate, quam Deus nobis copiosè exhibuit, effundendo in nos Spiritum sanctum, tanquam pignus hereditatis promissæ, per multiplicia dona quæ nobis impertiuit. Nam ex acceptis confirmamur & certi reddimur de futuris. Hunc sensum probabilem faciunt quæ sequuntur de Dei & Christi erga nos dilectione; vbi etiam apertè charitas Dei qua nos diligit, nominatur illis verbis: *Cõmendat autem charitatem suam Deus in nobis.* Si posteriori modo accipiatur, erit hic sensus: Spes nostra non fallit nos, quia charitas quæ præstat vt Deum diligamus, & diligendo bona promissa assequamur, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui nobis ad sanctificationem datus est: ac si dicat; Qui iam dedit nobis charitatem per quam mereamur bona promissa; certissimè etiam daturus est in charitate perseuerantibus, id est electis suis, ipsa bona quæ promisit. Prior expositio est apud Chrysostomum & Theophylactum: quos sequuntur Caietanus & F. Toletus. Posteriorem tradit imprimis Augustinus cum alibi, tum apertissimè lib. de spiritu & litera cap. 32 ita scribens: *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut dicitur iusticia Dei, qua nos iusti eius munere efficimur, & Domini salus qua nos saluos facit.* Hanc eandem expositionem videre est apud Primasium & Heruæum, alioscque Latinos: à quibus nec Theodoritus dissentit, dum charitatem hanc interpretatur Spiritus sancti gratiam, quam per baptismum accepimus. Porro alij vtrãque expositionem in medium adferunt: primum Origenes (cuius verba Sedulius quoque in sua collectanea compegit) tametsi is priorem expositionem potius probare videtur. Deinde glossa ordinaria, P. Lõbardus, ac B. Pererius: qui quidem singulari opinione censet vtrumque sensum esse literalem huius loci. Nonnulli verò ambiguè loquuntur, nec mentem satis explicant, vt commentator Amb. Primasius & Oecumenius. At demum posteriori intellectui fauere videtur id quod in synodo Tridentina sess. 6 ca. 7 dicitur, per Spiritum sanctum diffundi charitatem in cordibus eorum qui iustificantur, atque ipsis inhærere: quodque Theologi ex hoc loco scripturæ, tam contra magistrum Sententiarum, quam contra nostri temporis hæreticos imputatiuæ iusticiæ assertores, statuunt habitum charitatis creatæ & inhærentis: quamuis & iuxta alteram expositiõem idipsum, saltem ex consequenti statui potest, vt ostendit Caietanus, & ante eum Origenes. Nam charitatis Dei in cordibus nostris effusio, secundum effectus diuinæ erga nos charitatis intelligi debet, id est secundum dona Spiritus sancti nobis collata ac nobis inhærentia; quemadmodum ipse Paulus exponit, quum addit: *per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Vnde fit consequens in nobis esse & cordibus nostris inhærere charitatem reciprocam erga Deum. Nam præcipuè dari nodicitur Spiritus sanctus propter donum charitatis;

Charitas Dei bifariã accipitur in scripturis.

Charitas est habitus cordibus nostris inhærens.

ritatis; quod & cæteris Spiritus ſancti chariſmatis excellẽtius eſt, ac maximè neceſſarium, 1 Cor. 13. Huc facit locus ſimilis apud Ioan. apoſtolum 1 epiſtolæ 3, vbi ſic ait: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus. Dedit*, id eſt præſtitit, exhibuit; vt Dei charitas intelligatur qua nobis dedit eſſe filios Dei, quod non ſumus niſi per donum charitatis erga Deum reciprocæ. Quæ cùm ita ſint: non exiſtimo pro ſenſu poſteriore contentioſiùs certandum eſſe. Satis ſit vtrumque probabilem haberi. Cæterùm aduerte non eſſe dictum accuſatiuo caſu, *diffuſa* vel *effuſa eſt* in corda noſtra, ſed in cordibus noſtris ablatiuo caſu, qui Græcis eſt datiuus, ſicut in pſal. 44. *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.* Plus enim hoc caſu ſignificatum eſt quam accuſatiuo diceretur. Significatur enim, vt Grammaticè loquar, motus in loco, quo fiat vt charitas ſeſe fundat atque dilatet in cordibus hominum. Vnde ait 2 Cor. 6, *Cor noſtrum dilatatum eſt.*

Vtraque charitatis Dei acceptio probabilis hoc loco.

6 VT QVID ENIM CHRISTVS, CVM ADHVC INFIRMI ESSEMVS, SECVNDVM TEMPVS PRO IMPIIS MORTVVS EST? Græca ſine interrogatione legunt hoc modo: ἔτι γὰρ χριστὸς ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν. *Adhuc enim Chriſtus exſiſtentibus nobis infirmis.* Sed ordo eſt: Nam Chriſtus cùm adhuc nos infirmi eſſemus. Suſpicio eſt interpretem pro ἔτι legiſſe εἰς τί, id eſt, *ad quid*, vel potius ἵνα τί, quod multis locis tam in pſalmis quàm in nouo teſtamento voculatim reddit, *vt quid*. Ac nihilominus ἔτι ab eo lectum fuiſſe ſaltem poſteriore loco, arguit ipſa verſio: *cùm adhuc*, &c. Cæterùm ſiue cum interrogatione pericopen hanc legas, quomodo veteres Latinos legiſſe conſtat, ſiue particula interrogationis remota, confirmatio eſt ſupradictorum effectuum & ornamentorum ex eo quod pro nobis adhuc impiis mortuus fuit Chriſtus. ac ſi dicat: quanto magis iam ad ſe conuerſis & reconciliatis & amicis ſua beneficia cumulabit? Hoc enim argumentum inculcat in ſequentibus. Illa pars, *ſecundum tempus*, quamuis ad id quod præcedit, referatur à nonnullis, rectius tamen ſequentibus iungitur. Quod facit Hieronymus in epiſtola ad Algaſiam quæſtione 7, vbi locum hũc pertractat. Theophylactus item & Oecumenius in commentariis. Rectius inquam, quia Græcè non eſt χρόνος, ſed καιρὸς, quæ vox ſignificat tempus opportunum ad aliquid agendum. Iam verò ſcripturæ teſtantur non vno loco, Chriſtum definito, completo, & vt Hieronymus interpretatur, opportuno tempore veniſſe in carnem, & mortuum eſſe. Senſus igitur eſt; Chriſti tantam erga nos fuiſſe charitatem, vt pro nobis quando adhuc eramus infirmi, hoc eſt variis peccatorum languoribus detenti, & proinde etiam impij, id eſt iniuſti & peccatores; mori non dubitauerit tempore à Patre conſtituto. Eſt autem hæc probatio conſequentiæ præcedentis, quæ talis erat: Tanta eſt Dei charitas erga nos, vt dederit nobis Spiritum ſanctum, quo ex inimicis facti ſumus amici; igitur non fruſtrabit nos ſpe promiſsionis æternæ gloriæ. Sequelam probat, quia ſi cùm adhuc peccatores eſſemus, adeò nos dilexit Chriſtus, vt pro nobis mortem oppeteret: quanto magis nobis iam iuſtificatis & amicis præſtabit cætera quæ promiſit? Hæc argumentatio ſtatim ab ipſo Paulo pluribus verbis explicatur. Quoniam autem infirmitatis vocabulum Græcè ἀσθένεια in epiſtolis Paulinis frequens eſt, & variæ ſignificationis; operæ precium putaui, & hoc loco opportunum, ſi de ea re paucis lectorem inſtruxero. Propriè quidem ſignificat ea vox aduerſam corporis valetudinem, vt 1 Cor. 11. *Sunt inter vos multi infirmi.* Veruntamen ad alios tum corporis tum animi, tum aliarum quoque rerum defectus multipliciter in ſcripturis transfertur. Corporis quidem, vt quoties pro mortalitate & corruptibilitate ſumitur, velut 1 Cor. 15. *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* & 2 Cor. vltimo, *Crucifixus eſt Chriſtus ex infirmitate.* Item pro vilitate & & contemptu, vt 2 Cor. 10. *Præſentia corporis infirma.* Item pro afflictione & miſeria, quibus homines vulgo contemptibiles & viles effici ſolent. Sic Paulus afflictiones ſuas & perſecutiones in eadem epiſtola cap. 11 & 12 identidem infirmitates vocat. Et ſimili quadam ratione plagæ Aegyptiæ dictæ ſunt *infirmitates* Deut. 7. Quo pertinet & illud Eccleſiaſtæ 5, *Eſt & alia infirmitas peſſima*, id eſt miſeria. Quum verò ad animum refertur, ſæpe quidem dolorem Hebræis ſignificat, propterea quod animus dolore langueſcat, velut morbo; vt Hoſee 4, *Lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea*, id eſt dolebit. Et Amos cap. 6, *Nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph*, Hebraicè, *non infirmabantur*; id eſt non dolebant. Item Micheæ 4, *Dole & ſatage filia Sion*, Hebraicè, *infirmare*. & 1 Machab. 1, *Iuuenes & virgines infirmati ſunt*, id eſt doluerunt. Aliâs autem præcipuum humanæ naturæ defectum ſeu corruptionem ſignificat, id eſt peccatum, vt pſal. 6. *Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum*, id eſt peccator. Hæc ſignificatio præſentis eſt loci. Nam quos infirmos vocet ea parte, *cùm adhuc infirmi eſſemus*, mox repetendo declarat, vbi ait: *cùm adhuc peccatores eſſemus*. Nec alios iudicare voluit Dominus ea ſententia qua dixit: *Non eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus.* Huic affine eſt cùm ſignificat peccandi pronitatem, vt Matth. 26. *Spiritus promptus eſt, caro infirma.* & apud Paulum in his ſentẽtiis priori loco: *Factus ſum infirmis infirmus*, 1 Cor. 9, *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* 2 Cor. 11. Sic ferè infirmitas Heb. 5 & 7, vbi eam Leuitico ſacerdoti aſſcribit, & cap. 4, vbi Chriſtus deſcribitur pontifex qui compati poſsit infirmitatibus noſtris. Peculiariter autem infirmi quibuſdam locis apoſtolo dicuntur Chriſtiani, qui in fide nondum ſatis erant inſtructi & roborati,

Infirmitatis in ſcripturis multiplex acceptio.

roborati, vt exempli gratia, qui cibis immolaticiis aut lege vetitis coinquinari ſe putabant. Loca ſunt huius epiſtolæ 14 & 15, & 1 Cor. 8 & 9. Dicitur & ille infirmari, qui infirmis ſeſe accommodat, vt in poſteriori mẽbro duarum ſententiarum, quas paulo ante citaui. Denique transfertur ad res inanimatas, vt cum legalia vocat apoſtolus infirma & egena elementa, Gal. 4. Alibi hereditas & vitis infirmata dicitur, id eſt afflicta & attenuata: pſal. 67, & Iſaiæ 24. Sed hæc ſufficiant. Nunc ad textum apoſtoli redeamus.

7 VIX ENIM PRO IVSTO QVIS MORITVR. Collatione quod dixit amplificat. *Moritur*, Græcè ἀποθανεῖται *morietur*, id eſt mori paratus ſit. Hieronymus in epiſtola ad Algaſiam, iuſtum abſtractiuè iuſticiam, ſeu rem iuſtam interpretatur. Verùm ſimplicior & germanior apoſtoli ſenſus eſt quem alij reddunt. Vix reperiri aliquem inter mortales, qui pro iuſto homine liberando velit ſe dare in mortem. Nam inter perſonas collationem facit, iuſtum ſcilicet & impios.

Iuſtus & bonus an idem apoſtolo.

NAM PRO BONO FORSITAN QVIS AVDEAT MORI. Græcè *quis etiam audet mori*. Inter iuſtum & bonum diſtinguit commentator Amb. quod bonus natura quis dicatur, iuſtus exercitio. Melius illi qui iuſtum intelligunt reddentem cuique quod ſuum eſt, bonum verò qui beneficus ſit, ac bene de multis meritus. Nam homines beneficiis affecti citius vitam exponant periculo pro benefactoribus, quàm pro aliis quantumlibet iuſtis. Itaque ſenſus hic probabilis eſt. Ac niſi diſcrimen aliquod indicare vellet apoſtolus inter iuſtum & bonum, quorſum mutaret vocabulum? Plerique tamen, fateor, non diſtinguunt, & ſenſum hunc faciunt; Dico vix reperiri qui pro iuſto moriatur; non ſimpliciter nego reperiri; quia forſitan reperiatur aliquis qui id faciat, id eſt, pro iuſto & bono homine etiam mori audeat, ſuſtineat, in animum inducat. Sic enim verbum *audeat*, exponendũ. Oſtendit hic locus, ſaluo ordine charitatis alium pro alio rectè vitam impendere temporalem. Obiter admoneo locum hunc ab antiquis hęreticis Marcione & Ario prauè intellectum fuiſſe, quemadmodum refert Hieronymus in epiſtola memorata. Nam Marcion iuſtum intelligebat Deum legis & prophetarum, bonum verò Deum euangeliorum & apoſtolorum: & pro iuſto quidem dicebat vel nullos vel paucos oppetiuiſſe mortem; pro bono autem Deo eiuſque filio Chriſto innumerabiles martyres exſtitiſſe. Arius verò iuſtum referebat ad Chriſtum, qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum: bonum autem ad Deum patrem; de quo filius ipſe confitetur: *Nemo bonus niſi vnus Deus*. Quo nimirum commento ſignificare volebat filium non eſſe bonum ęquè vt patrem, ſed participatione tantum bonitatis paternæ. Verùm hæc vt hæretica ſunt & impia; ita ab inſtituto & contextu ſermonis apoſtolici prorſus aliena, vt in ijs refellendis non ſit hærendum.

Hic locus à Marcione & Ario peruersè expoſitus.

8 COMMENDAT AVTEM CHARITATEM SVAM DEVS IN NOBIS. Græcè *in nos*, id eſt erga nos.

QVONIAM CVM ADHVC PECCATORES ESSEMVS, SECVNDVM TEMPVS CHRISTVS PRO NOBIS MORTVVS EST. Malè quidam codices *ſi* interpoſito legunt: *Quoniam ſi cùm adhuc*, &c. tametſi ita legitur apud Cyprianũ epiſtola 52, ſed citantem hæc verba reuulſa à ſuperioribus, vt opus illi fuerit addere *ſi* quẽadmodum & Hilario enarranti pſalmum 55. Illud quoque *ſecundum tempus* huc ingeſtum videtur è loco ſuperiore ſimili. Nam Græca, Syriaca, Latina potiora, veteres concordantiæ non habent; vt nec Cyprianus nec Hilarius. Sed & Irenæus libro 3 aduerſus hæreſes cap. 18, & Auguſtinus libro 4 de Trinitate cap. 1. ac rurſum libro 13 cap. 10 verſum hunc abſque ea particula citant. Eſt autem totius periodi ſenſus: Magna quidem charitas apud homines æſtimatur, ſi quod rariſſimum eſt, pro iuſto aut bono quis oppetat mortem. At Deus ſuam erga nos charitatem commendat ac teſtatam facit, atque humana charitate lõgè maiorem oſtendit in eo, quod pro nobis iniuſtis & peccatoribus Chriſtũ filium ſuum mori voluit. Vtrùm hinc ſequatur maioris eſſe meriti dilectionem inimicorum quàm amicorum; videat ſtudioſus apud commentatores magiſtri Sententiarum lib. 3 diſt. 30. Porro notandum eſt particulam *adhuc*, tam hoc loco quàm ſuperius, vbi ait, *cùm adhuc infirmi eſſemus*, pertinere potius ad ſignificandum ſtatum cuiuſque hominis, quo remedium mortis Chriſti ſit ei neceſſarium, quam ad certum aliquod tempus. Vt enim homines non vno tempore exſiſtunt, ita nec vno tempore ſunt aut fuerunt infirmi & peccatores. Similis ratio de aduerbio *nunc* in ſequentibus.

Vtrùm maioris meriti dilectio inimicorum quã amicorum.

9 MVLTO IGITVR MAGIS NVNC IVSTIFICATI IN SANGVINE IPSIVS, SALVI ERIMVS AB IRA PER IPSVM. Salui erimus, Græcè σωθησόμεθα, *ſaluabimur*. Hilarius legit *liberabimur*, in expoſitione pſalmi 2. Collectio eſt à minori. Si enim mortuus eſt Chriſtus vt nos peccatores iuſtificaret; ergo multo magis poſtquam per eius ſanguinem, id eſt paſſionem qua ſuum ſanguinem profudit, iuſtificati ſumus, per ipſius eiuſdem merita ſeruabimur in extremo iudicio ab ira diuina, id eſt vindicta & punitione in impios exercenda. De hac enim ira Dei iam ſupra locutus eſt cap. 1, 2, 3 & 4. Quare ſectarij dum ex hoc loco docere conantur homini per Chriſti ſanguinem iuſtificato nullam amplius reſtare luendam pœnam temporalem, nec in hoc ſæculo, nec in futuro; planè detorquent apoſtoli verba in alienum & prauum ſenſum. Porro ſequelam hanc confirmat periodus ſequens.

Hic locus à ſectariis in prauũ ſenſum detortus.

10 SI ENIM CVM INIMICI ESSEMVS, RECONCILIATI SVMVS DEO PER MORTEM FILII EIVS; MVLTO MAGIS RECONCILIATI, SALVI ERIMVS IN VITA IPSIVS. *Salui erimus*,

Græcè

Græcè σωθησόμεθα, vt in parte præcedenti. Si enim, inquit, per mortem filij sui nos inimicos suos sibi reconciliauit; quanto magis in vita eiusdem filij sui nos iam reconciliatos & amicos saluaturus est? Extensio est superioris argumenti, duplicata antithesi, videlicet inter inimicos & reconciliatos, id est amicos; & inter mortem filij Dei & vitam eius. Quæres, *Quæstio.* quomodo dicat Deo reconciliatos, quos semper & ab æterno dilexit? *Resp.* Responsio: Quia cum prius propter peccata essemus obnoxij iræ eius, id est digni in quos iustam vindictam damnationis exerceret: per gratiam iustificationis ab illo reatu liberauit, ac dignos fecit sui regni consortio. Hæc enim mutatio tota in nobis est, non in illo: qui immutabiliter ab æterno suis electis præparat ea gratiæ suæ beneficia quæ conferat eis in tempore. Porro quod dicit, *in vita ipsius*, alij aliter exponunt. Mihi sensus videtur: filio ipsius iam viuente, nec amplius morituro. Vel quod eodem redit: per filium ipsius iam viuentem, &c. præsertim cùm ad dexteram ipsius sedens etiam interpellet pro nobis, vt dicitur infrà cap. 8. Quamuis enim illud *in vita* possit etiam verti *per vitam*, vt fecit Erasmus; diuersis tamen præpositionibus vsus est apostolus dicendo, *per mortem*, & *in vita*; quia in priori precium significatur & meritum redimentis: in posteriori status eiusdem feliciter regnantis, ad quem per suam passionem & mortem euectus est, id est vita immortalis & gloriosa; tanquam dicat apostolus: Si nos inimicos reconciliauit Patri Christus patiens & moriens: quanto magis reconciliatos saluabit viuens & regnans? Porro tota hæc apostoli argumentatio eo potissimum tendit, vt doceat spem electorum qui iam iustificati & probati sint, non confundere.

11 NON SOLVM AVTEM. Quidam supplent ex eo quod longius anteceſſit, *gloriamur in tribulationibus*; alij de proximo verbum *salui erimus*: alij participium *reconciliati*; quod tertium maximè congruit sequentibus, vt patebit.

SED ET GLORIAMVR IN DEO PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM, PER QVEM NVNC RECONCILIATIONEM ACCEPIMVS. *Gloriamur* Græcè καυχώμενοι *gloriantes*, vt participium participio respondeat: non solum reconciliati, sed & gloriantes. Sensus enim est: Quanto magis salui erimus, qui non solum (quod iam dixi) reconciliati sumus Deo, vt peccata nostra non puniat; sed etiam gloriamur in Deo per Iesum Christum Dominum nostrum, cuius beneficio ac merito nunc reconciliationem accepimus; gloriamur, inquam, in Deo, vel vt patre, cuius filij facti sumus adoptione per gratiam reconciliationis; vel vt omnis nostræ iustitiæ, reconciliationis & renouationis authore. Sic enim in Deo gloriandum esse passim docet & hortatur apostolus.

12 PROPTEREA SICVT PER VNVM HOMINEM PECCATVM IN HVNC MVNDVM INTRAVIT. Græcè & Syriacè *in mundum intrauit*. Pergit ostendere magnitudinem charitatis Christi erga homines. Id nunc facit repetens rem ipsam ab altiori principio, nempe ex eo quòd humanum genus in peccatum & mortem transgressione primi parentis delapsum fuit: vnde factum vt Christo indigeret reparatore ad iusticiam & vitam. Igitur hic iam nobis aperit & exponit originalem causam corruptionis humani generis. Illud *propterea*, Græcè διὰ τοῦτο *propter hoc*, vim habere videtur voculæ causalis, ac si diceret: Nam sicut per vnum hominem &c. vt sit cõfirmatio eius quod proximè dixit: *Per quem* Christum *reconciliationem accepimus*. Id enim probat: quia sicut per Adam sumus in peccatum lapsi, ita per Christum ad iusticiam reducti. Porrò sententiam hanc adiunctis verbis sequentibus in seipsa completam esse, quidam volunt; reddentes eam ad hunc modum: sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, sic & per peccatum mors, &c. vt sit comparatio ingressus peccati per vnum hominem cum ingressu mortis per peccatum. Qualis est locutio quum dicimus in oratione dominica: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra*, id est sic & in terra. Suggerit hanc complementi rationem Erasmus, & probat Gaignæus. Aliter Stapulensis. Vult enim particulam & secundo loco superfluam esse, dicitque in nonnullis Græcis non haberi. Proinde sic vertit: *Sicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors: ita in omnes homines mors pertransiit*. Verum ea Græci cuiuspiam exemplaris lectio nec à R. Stephano est annotata, nec alium legi qui meminerit. Deinde nec mihi probabiles sunt hæ constructiones: quia neutra comparatio facit ad præsens institutum: Nam vt dictum est, & ex sequentibus patet, intendit apostolus comparare primum hominem cum secundo, id est Adam cum Christo, scilicet ea comparatione quæ fit per antithesim, vt si dicas: Sicut Adam nocuit humano generi, ita Christus profuit. Quapropter alij censent orationem esse inabsolutam, vt cui desit altera pars comparationis, hoc aut simili modo supplenda: Sicut per vnum hominem peccatum & per peccatum mors intrauit in mundum; sic per vnum hominem, videlicet Christum, iusticia, & per iusticiam vita in mundum intrauit. At verò Caietanus negat textum esse mancum: sed sententiam hanc totam dicit esse suspensam, ita vt alterum membrum comparationis intercedente longo hyperbato, differatur vsque ad eum locum: *Igitur sicut per vnius delictum* &c. Illic enim priori membro de Adam resumpto, redditur alterum de Christo. Quanquam id ante Caietanum etiam Augustinus obseruauit & admonuit in expositione propositionis 29.

Hæresis Pelagij negantis originale peccatum.

Quod ad intellectum præsentis loci attinet, Pelagius in suo commentario, & sequaces eius, quo originale peccatum excluderent, interpretati sunt peccatum in mundum intrasse per vnum hominem forma & exemplo; quia primum hominem peccantem posteri eius peccando secuti sunt, & exemplum eius velut formam propositam imitati. Idipsum satis apertè docet Theodoritus in commentario huius loci, ita demum subiungens: *Non enim propter primi parentis peccatum, sed propter suum vnusquisque decretum suscipit.* Quod & repetit in dialogo 3, qui dicitur impatibilis. Ac nimis temere etiam Erasmus in eiusmodi sensum propendet, tam in paraphrasi quàm in annotationibus, Origenem, vt apparet authorem secutus. Quamuis enim Origenes in suo commentario varius est & lubricus, potissimum tamen immoratur in explicanda & exaggeranda peccati imitatione, & de ea accusat omnes antiqui sæculi iustos, ab Abel vsque ad Abraham. Verum S. Augustinus aduersus Pelagianos disputans contendit ac multis rationibus ostendit, hunc locũ non recipere aliam interpretationem, quam de ingressu peccati per propagationem; nec nisi absurdè de imitatione posse accipi. Primùm, quia Paulus primum hominem opponit Christo: Sic enim per primum hominem peccatum, sicut per Christum iusticia. Non est autem per Christum iusticia propter solam imitationẽ: Nam & antiqui qui Christum præcesserunt, ideoque eum imitari non potuerunt, iustificati sunt per Christum: & iusticia Christi contingit etiam paruulos, qui omnino non possunt imitari. Quare nec per primum hominẽ peccatum propter imitationem. Sed sicut Christus occulta inspiratione gratiæ nos iustos facit; ita & Adam occulta tabificatione naturæ nos constituit peccatores. Quod si de imitatione sermo erat apostolo, non Christum, sed Abel vel Enoch vel alium quempiam ex antiquis iustis potius Adamo debuisset opponere; quem scilicet omnium sæculorum homines iustè viuendo possent imitari. Quanquam imitari non dicitur, quisquis agit aliquid, quale alius prior fecit: Nam propriè nullus imitatur quod non cognouit, etiãsi id alius prior fecerit. Sed imitari dicitur ille, qui factum alterius cognitum, sibi pro exemplo statuit & proponit, vt simile faciat. Atqui plurimi sunt & fuerunt grauissimi peccatores, qui de peccato primi hominis nihil audierunt; Qui proinde etsi peccando similes ei fiãt, non tamen ab eo peccandi formam & exemplum accipiunt, quomodo Pelagius loquitur. Vnde nec eum imitari dicendi sunt; nisi forte quadam imperfecta ratione: quatenus ille peccando præcessit, isti secuti sunt. Verùm si de huiusmodi imitatione hic sermo esset; potius dicendum erat per diabolum peccatum intrasse in mundum, quia ille omnium primus peccauit. *Ab initio enim diabolus peccat* 1 Ioan. 3. ac de eo scriptum est, *Imitantur illum qui sunt ex parte eius*, Sap. 2. Deinde, sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundũ, ita & mors; atqui ingressus mortis intelligi non potest per imitationem, ergo nec ingressus peccati. Postremò, si imitationem apostolus intelligeret; non diceret in consequentibus: *Iudicium ex vno in condemnationem*, sed ex multis: quomodo dixit, *Gratia autem ex multis delictis in iustificationem*. Has fere rationes aduersus istum Pelagij de imitatione commentarium adducit Augustinus variis locis; vt libro 1 de baptismo paruulorum cap. 8, 9, 10, libro 4 contra duas epistolas Pelagianorum cap. 4, sermone 14 de verbis apostoli, & epistola 89 ad Hilarium, nec non aliis à venerabili Beda diligenter collectis. Ex quibus simul efficitur non nisi de propagatione peccati posse locum hunc intelligi, quemadmodum Augustinus concludit. Ac ne dubitemus veram hanc esse interpretationem, iam Augustini tempore definitum est à patribus concilij Mileuitani can. 2, non aliter intelligendũ esse quod dicit apostolus, *Per vnum hominem* &c. quam de peccati originalis traductione; *quemadmodum*, inquiunt, *ecclesia catholica vbique diffusa semper intellexit.* Quem canonem iisdẽ verbis repetiuit synodus Tridentina sess. 5, can. 4. Nunc igitur ad explicationem verborum apostoli veniamus. Vbi primum refellendi sunt, qui vnum hominem in his verbis non Adam intellexerunt; sed Heuam; quod hæc prior illo, atque omnium hominum prima peccauerit. Ita namque sentiunt Pseudambrosius & Pelagius. Sed manifestis argumentis redarguũtur. Primum, quia Paulus in sequentibus exponit quem vnum hominem dixerit, Adamum semel & iterum suo nomine exprimens. Deinde, quia Pauli intentio est, hunc hominem de quo loquitur, per antithesim comparare cum Christo, id est primum hominem cum secundo. Id enim facit tam hoc capite in iis quæ sequuntur, quàm in 1 epistola ad Cor. 15. Hoc autem in Euam minimè quadrat. Adde quod etsi in sententiis generalibus sæpe masculinum genus complectatur fœmininum: tamen neque lex grãmatica permittit, neque mos habet scripturæ, vt fœmina, si de ea singulariter sermo sit, significetur genere masculino. Sed iam quæritur quomodo dicat apostolus per vnum hominẽ, id est Adamum; cùm etiam per Heuam quæ prior peccauit, peccatum & mors ingressa fuerint in mundum. Hæc enim multorum patrum sententia est, eademque scripturis consona, vt Ecclesiastici 25, *A muliere initium factum est peccati; & per illam omnes morimur.* Et psal. 50, *In peccatis concepit me mater mea.* Vnde & propter corruptionem naturæ filij Euæ vocamur. Respondetur id nihil obstare, quominus *per vnum hominem* verè dictum sit. Nam vir in generatione principalior est: & quamuis mulieris ad generandum egeat consortio, cum ea tamen est vna caro: sicut scriptum est, *Erunt duo in carne vna*, Gen. 2. Sic quippe

Commentarius de imitatione refellitur.

Commentarius de propagatione peccati probatus ac definitus ab ecclesia.

per vnũ hominem non Heua sed Adam significatur.

Quæstio.

Peccatũ originale etiam per mulierem

Responsio.

quippe & de posteris Abrahæ dicit apostolus Heb. 11. *Propter quod & ab vno*, scilicet Abraham, *orti sunt*. Quo tamen loco constat Saram, *quæ virtutem in conceptione seminis accepit*, non excludi. Cum ergo dicitur, *per vnum hominem*; etsi Heua nec significatur nec comprehenditur, non tamen excluditur. Significatur enim vnus homo, vt est principium generationis; quod esse non potuit absque muliere. Qua de re S. Augustinus in altero opere contra Iulianum citante Beda: *Ideo per vnũ hominem*, inquit, *peccatum intrauit in mundum, quia per semen generationis intrauit, quod à viro incipiens concipit fœmina. Quo more nasci noluit, qui solus sine peccato est natus ex fœmina.* Vide eundem Augustinum lib. 1 de baptismo paruulorum cap. 16, & Hugonem quæstione 132. Sed nunc sensum apostoli dicamus. *Sicut*, inquit, *per vnum hominem*, scilicet Adamum qui erat totius humani generis parens ac principium à Deo constitutus, *peccatum in mundum*, id est in vniuersum genus humanum, *intrauit* propagatione; quia nimirum ille vnus & primus homo, præuaricando Dei mandatum, totam suam posteritatem peccato reddidit obnoxiam, atque in se tanquam in radice viciauit. Mundum exponimus vniuersum genus humanum, id est, omnes homines ex Adam carnaliter propagatos. Sic enim apostolus seipsum exponit, quum statim subijcit; *Et ita in omnes homines mors pertransijt.* Eadẽ est interpretatio B. Augustini in Enchiridio cap. 26, & aliis locis innumeris: denique omnium patrum orthodoxorum. Quod enim Origenes mundum interpretatur locum in quo habitant homines, vel terrenam hanc & corporalem vitam, minus quadrat cum sententia Pauli. Peccatum accipitur generaliter, sed propriè tamen; vt significet id omne quod veram culpæ rationem habet, siue sit actuale, siue habituale, siue quid aliud: sed hic verificatio fit de peccato quod propagatur, id est de peccato originali. Hoc autem non est ipsa actualis Adæ transgressio, quæ non nisi in illo esse potuit, & in eo deleta fuit per pœnitentiam; sed peccatum in quo & cum quo singuli eius posteri nascuntur. Quod etsi *Adæ peccatum* sit, id est eius voluntate factum, ideoque & *origine vnum: propagatione* tamen *transfusum omnibus inest, vnicuique proprium*; quemadmodum loquitur ac definit Tridentina synodus can. 3. Vnde & Augustinus libro 1 retract. cap. 13. *Illud*, inquit, *quod in paruulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non vtantur libero arbitrio voluntatis, non absurdè vocatur etiam voluntarium: quia ex primi hominis mala voluntate contractum, factum est quodam modo hereditarium.* Hæc Augustinus. Vtrùm autem illud peccatum sit concupiscentia cum qua nascimur, vt sentit passim Augustinus, & eum secutus Petrus Lombardus, alijque docti; an originalis iusticiæ priuatio, vt vult Anselmus, quem multi sequuntur scholastici; an verò quid aliud, disputatur à Theologis, & à nobis disputatum est in 2 libro sententiarum dist. 30. Certè Tridentina synodus etsi quæstionem hanc non definiuerit; in eo tamen quod docet can. 5 concupiscentiam in renatis non esse peccatum, facit intelligi eam in non renatis esse peccatũ, nec aliud quàm originale. Iam quod hoc loco peccati nomine, neque pœna peccati, neque reatus peccati, id est obligatio ad pœnam ex peccato orta, vt quidam putarunt, sed verum peccatũ intelligatur; certo liquet, vel ex ipsis apostoli verbis, quibus distinguit peccatũ & mortem, quæ pœna peccati est; ipsumq; peccatum iusticiæ Christi opponit: Deinde ex Arausicani concilij can. 2, cuius verba repetit synodus Tridentina sess. 5 can. 2, quo definitur Adam sua transgressione non tantũ mortem & pœnas corporis in humanum genus transfudisse, sed & peccatum quod mors est animæ. Ac postremò ex eiusdem sess. can. 5, quo asseritur ac definitur, baptismate tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet. Hinc enim manifestè sequitur peccatum originale, quodcumque demum illud sit, priusquam baptismate tollatur, veram & propriam peccati rationem habere. Quam eandem doctrinam multis locis apud S. Augustinum explicatam reperies.

Verã habet peccati rationem.

Mundi nomine quid significetur.

Peccatũ originale quodnam sit.

An cõcupiscentia.

Et per peccatvm mors. Scilicet intrauit in mundum. Mortem corporis intelligit: non quidem primi hominis, vt nonnulli volunt, sed mortẽ corporis in genere, cuius causa fuit in primo homine; quemadmodũ & de peccato dictũ est. Dicitur enim mors in mundum intrasse per peccatum, quia peccato in mundũ introducto simul & mors introducta est in mundum, id est in genus humanum, infligente eã iusto iudice Deo, qui dixerat: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. 2. Quidam mortem exponunt mortalitatem, id est moriendi necessitatem. Sed nulla est huius expositionis necessitas, cũ simpliciter ipsa mors possit intelligi, vt & in sequentibus vsque ad finẽ huius capitis. Sub ea tamen & mortalitas & aliæ communes corporis miseriæ simul comprehenduntur. Sicut enim Adã per peccatum non solũ secundum animam, sed etiam secundum corpus in deterius mutatus est; ita in omnes posteros eandẽ vtramq; corruptionem transmisit. Quod totum contra Pelagianos iam olim definitum exstat in cõcilio Arausicano can. 1 & 2, & pridẽ repetitũ in cõcilio Tridẽt. sess. 5, can. 1 & 2. De Pelagij sentẽtia docet ipsius cõmentarius: vbi ne mortẽ corporis ex peccato ortã fateri cogatur, locum hunc de morte animæ vult intelligi, quam quisque dum peccat incurrit. Sentit enim primum hominẽ ab initio mortalem factum fuisse, ita vt siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, non peccati merito, sed necessitate naturæ; vt loquitur, errorem illum condemnans, Mileuitanum concilium can. 1. Etenim mortẽ cor-

Mors peccati originalis pœna.

Cõtraria Pelagij sententia damnata

poris hic intelligi debere contextus apoſtolicus planiſsimè euincit. Idipſum oſtendit locus ſimilis 1 Cor. 15, *Per hominem mors: per hominem reſurrectio mortuorum*. *Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur*. Denique probat illa comminatio primo parenti facta de ligno vetito, Gen. 2 *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, videlicet ea morte, de qua poſteaquam peccauerat, ei dicitur cap. 3. *Puluis es & in puluerem reuerteris*.

ET ITA IN OMNES HOMINES MORS PERTRANSIIT. Tanquam dicat: Et hæc eſt cauſa, (quia nimirum primus parens peccatum & mortem introduxit) quod in omne genus humanum mors peruaſerit. Notandum eſt apud commentatorem Amb. & Seduliũ tantummodo legi: *Sic & in omnes homines pertrãſijt*, vt vel *mors* vel *peccatum* vel vtrumque ſubaudiri poſsit. Eadem lectio eſt Auguſtini paſſim: quam & vidimus in MS. codice peruetuſto monaſterij Laudenſis. Et quãuis Pelagius legiſſe videatur, *mors pertranſijt*, quemadmodum & Primaſius Pelagiani ſenſus hoc in loco corrector: alij tamen Pelagiani, quorum in codicibus dictio *mors* non exſtabat, ſubintelligi volebant non peccatum ſed mortem; vt refert Auguſtinus lib. 4 contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 4, ſimul inſinuans vtrumque ſubintelligi poſſe. Quod & repetit in ſecundo opere ſcripto contra Iulianum, citãte Beda. Quanquam neceſſe non eſt etiam peccatum hic intelligi: cùm peccati in omnes homines tranſitum tam præcedentia quam ſequentia apoſtoli verba, manifeſtè declarent. Sanè Græci codices & commentatores vulgatæ noſtræ lectioni conſtanter volunt. An autem hæc pars aliquam admittat exceptionem, in ijs ſaltem quos extremi iudicij dies occupabit viuentes; quæri poſſet. Sed de eo vide ſuis locis, vt 1 Cor. 15. 2 Cor. 5. & 1 Theſſal. 4. Illud conſtat, mortalitatem & mortis debitum ad omnes omnino pertinere, quos Adam traxit in culpam.

An omnes morituri.

IN QVO OMNES PECCAVERVNT. *In quo*, id eſt, in Adam, vt communiter intellexerunt Latini & Græci interpretes. Senſus autem eſt: In quo Adamo peccante omnes conſtituti ſunt peccatores. Sic enim ſeipſum Paulus exponere videtur, cùm infrà dicit, quod *per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi*. Non poteſt illud *in quo*, Græcè ἐφ' ᾧ referri ad peccatum, vt ſenſus ſit, in quo primi hominis peccato omnes peccauerunt; Qui ſenſus aliquando placuit Auguſtino. Repugnat enim genus apud Græcos; Nam ἁμαρτία fœminini generis eſt. Quod & Auguſtinus poſtea animaduertit, & ſententiam correxit lib. 4 contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 4. Dicuntur autem omnes peccaſſe in Adam, tanquam in principio & radice totius generis, quoniam in lumbis eius erant, quando ille peccabat. Vnde S. Auguſtinus, *In quo*, inquit, *omnes peccauerunt, quando omnes ille vnus homo fuerunt*. Dicit hoc libro 1 de baptiſmo paruulorum cap. 10, & repetit lib. 3 cap. 7. Item lib. 2 de nuptiis & concupiſcentia cap. 5, & in ep. 106 ad Paulinum. Id verò ſic intellige: quia tunc quando ille propria voluntate peccauit, in quo tanquam in principio generis omnes erant, cauſa data eſt, per quam deinceps vniuerſum genus inficeretur, & ſinguli conſtituerentur peccatores, videlicet à ſuo quiſque peccato quod ex illa origine contraheret; quomodo ſi pater attaminatus lepra filios gignat leproſos, dicentur filij facti leproſi in patre; licèt vnuſquiſque ſuam ex illo contrahat lepram: tamerſi comparationem hanc non per omnia reſpondere, ſatis ex antedictis intelligi poteſt. Porrò locum hunc Eraſmus ita vertit; *quatenus omnes peccauerunt*, quod & interpres Chryſoſtomi ſecutus eſt. Quæ verſio ita demum tolerari poteſt, ſi id non de actualibus peccatis per quæ homines primum hominem peccatorem imitari dicantur (qui commentarius iam ante excluſus eſt & reprobatus) ſed de originali peccato ſingulorum intelligatur: vt ſit ſenſus, mortem peruaſiſſe in omnes, ob eam rationem, quia & peccatum in omnes tranſijt. Qui ſenſus Caietano placuit: nec à Sasboldo reijcitur. Sciendum tamen nullos vetuſtos interpretes nec Latinos nec Græcos particulam illam *in quo*, per *quatenus* exponere: ſolum inter Latinos ſi demas Pelagium, & inter Græcos Theodoritum, à ſenſu Pelagij, ſicut ex ſupradictis ſatis apparet, haud longè recedentem. Pelagij hæc verba ſunt: *In quo omnes peccauerunt, hoc eſt, in eo quod omnes peccauerunt, exemplo Adæ peccant*. Photius quidem Græcus ſimiliter interpretatus eſt, Oecumenio verba eius referente. Ex quo Ioannes Gaignæus eadem Græca depromſit, & in hæc Latina conuertit: *In hoc*, inquit, *ipſi Adam commorimur, quod ipſi compeccamus: & ille quidem initium dedit, nos verò inde ſumpta occaſione non modò malum non ſumus auerſati, ſed adiutores etiam illi fuimus*. Ita Photius, à Gaignæo plus ſatis hac in parte laudatus: cùm ſit author recentior, idemque graui ſchiſmate fuerit ab eccleſia Romana diuiſus. Certè Oecumenius ſuis verbis ac ſenſu apoſtolum ita exponit: *In quo Adam, vel per quem Adam, omnes peccauerunt*. Quod conuenit cum expoſitione prius allata. Nec minus aperta ſunt verba Theophylacti: *In quo, id eſt in Adam*. Qui duo authores etiam Chryſoſtomum, quem libenter ſequuntur (quamuis alioqui paulo obſcuriùs locutum) in eundem ſenſum accepiſſe videntur. Nec verò pro verſione Eraſmiana adeò multum facit præpoſitio Græca, quam in hac phraſi qua dicitur ἐφ' ᾧ, cenſent eſſe cauſalem: vt ſit idem quod *quatenus*, *inquantum*, *qua ratione*. Conſtat enim apoſtolum Paulum in epiſtolis & Lucam in Actis indifferẽter vti interdũ tribus hiſce præpoſitionibus ἐπὶ, ἐν & εἰς, pro vna Latina præpoſitione *in*.

Aliorum verſio examinatur.

Photius ſchiſmaticus.

Quid ſit, omnes in Adã peccaſſe.

Quod

Quod & aliâs annotauimus. Quanquam etiam hic causa significatur cum dicitur, *in quo* Adam. Certè paulo pòst, vbi nos legimus, *in similitudinem præuaricationis Adæ*, Græcè est ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι, *in similitudine*, sicut hic, *in quo*; licèt aliâs dicere soleat ἐν ὁμοιώματι, vt supra cap. 1, & infrà cap. 8, & ad Philip. 2. Sic Act. 2, *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi*, Græcè ἐπὶ τῷ ὀνόματι, quod passim dicitur ἐν τῷ ὀνόματι, & interdum εἰς τὸ ὄνομα, vt Matth. 10 & 28. Sic etiam Heb. 9, *in cibis & potibus*, ac rursum: *Testamentum in mortuis cõfirmatum est*. Vtrobique Græcè ἐπὶ. Quæ loca nec Erasmus aliter vertit. Iam etiam hic quæri potest, vtrum sine exceptione verum sit apostoli dictum, *In quo omnes peccauerunt*. Ad quod breuiter respondeo: Si scripturam sacram, si totam ecclesiasticæ traditionis antiquitatem consulimus, nihil inueniri quo minus vniuersè verum sit, omnes omnino homines qui communi lege generationis, id est, per concubitum maris & fœminæ, & proinde secundum concupiscentiam carnalem ex Adam orti sunt aut orituri, in Adam peccasse. Solum Christum Deum & hominem, qui non sic natus est, sed noua ac singulari per virginem natiuitate venit in mundum, vt quod in Adam cecidit, in suis electis ipse erigeret ac restauraret; immunem ab illius contagio fuisse. Sic enim ille primus homo, quemadmodum ait Augustinus Enchiridij cap. 26, *stirpem suam, quam peccando in se tanquam in radice viciauerat, pœna mortis & damnatione obstrinxit; vt quicquid prolis ex illo & simul damnata per quam peccauerat coniuge, per carnalem concupiscentiam nasceretur, traheret originale peccatum*. Vnde scribit idem Augustinus lib. 1 de nuptijs & concupiscentia cap. 12, propterea *Christum, qui sine peccato futurus erat, sine carnis concupiscentia concipi voluisse, vt hinc etiam doceret omnem quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati: quandoquidem sola quæ non inde nata est, non fuit caro peccati*. Cùm autem hæc & plurima alia apud Augustinum, aliosque sanctos patres extent testimonia, quibus non solum exceptionem nullam faciant in hac quam tractamus apostoli Pauli sententia, verùm etiam exceptionem omnem apertis verbis excludant atque remoueant; mihi certè cui propositum est sanctorum inhærere sensibus & doctrinis, exceptionem aliquam in ea facere, religio est: vtcumque alij quidam, quos non iudicamus, aliter hac de re sapiant.

Vtrũ hæc apostoli sententia sine exceptione vera.

13 VSQVE AD LEGEM ENIM PECCATVM ERAT IN MVNDO. De peccato generaliter loquitur, vt etiam actualia comprehendat: quorum omnium fons & fomes est originale peccatum, siue ea sint transgressiones, siue non. Quocirca non est hic sollicitus vt hoc peccatum ab actualibus secernat, à quibus vtique in adultis separatum esse non potest. Igitur nunc ostendit apostolus, posteaquam peccatum semel ingressum est in mundum, semper in mundo fuisse & regnasse, etiam ante legem, videlicet eam quæ data est per Moysen. Nam qui legem hic intelligunt naturalem, vt Origenes, & si quis alius, aberrant à mente Pauli. Planè enim liquet ex sequentibus, eum loqui de lege scripta atque Mosaica. Nec admittendum Origenis supplementum; vsque ad legem peccatum fuisse mortuum in mundo, id est, vsque ad ætatem ratione vtentem, qua lex naturalis incipit innotescere, peccatum in pueris mortuum esse, sic vt eis imputari non possit. Audax enim & violenta est hæc additio. Quare de lege Mosaica, quæ omnium ferè expositio est, apostolum loqui non dubitemus. Augustinus quidem sic exponit, *vsque ad legem*, id est etiam lege lata peccatum permansit. Neque enim lex profligare potuit peccatum è mundo; vt propterea alio remedio fuerit opus, quo peccatum tolleretur. Iuxta quem sensum tacitè hic indicatur necessitas petendæ & exspectandæ iusticiæ à Christo. Alij verò sic: Non solum tempore legis, quando manifesta est transgressio, verùm etiam ab initio vsque ad tempus quo lex data est, peccatum erat in mundo. Hic sensus simplicior est, & ad scopum apostoli superius indicatum accommodatior. Denique ei probè respondet quod sequitur.

Omnium actualiũ peccatorũ fons & fomes in nobis originale peccatum

PECCATVM AVTEM NON IMPVTABATVR, CVM LEX NON ESSET: vel, vt habent codices MSS. non pauci, ijdemque Græcis consentientes: *Peccatum autem non imputatur, cùm lex non est*. Connexio talis est: Erat quidem etiam ante legem peccatum in mundo; sed non imputabatur: quia vbi lex non est, peccatũ non imputatur. Negat apostolus sine lege peccatum imputari, non simpliciter; sic enim ante legem iusti fuissent omnes, iuxta illud: *Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum*; sed imputari ad transgressionem; quia sicut dictum est cap. superiori: *Vbi non est lex, nec præuaricatio*. Quo etiam loco expositum est, quid transgressionis seu præuaricationis nomine significetur. Negat, inquam, peccatum, vbi lex non est, imputari ad transgressionem. Cuius rei argumentum est, quod filij Israël, quamuis & in Ægypto & in deserto ante datam legem frequenter & grauiter peccauerint; partim idola colẽdo, quod scriptura testatur Ezech. 23 & Iosue 24, partim murmurando contra Deum & Moysen: non tamen puniti leguntur aliqua pœna seu plaga manifesta. At verò statim post legem & legis comminationes publicatas, cùm primùm & quoties peccabant, vt in cultu vituli, alijsque modis; mox eos vltio diuina consecuta est; secundũ illud capitis superioris: *Lex iram operatur*. Sed quæres: si non imputabatur peccatũ ante legem, quomodo tã grauiter à Deo punitum legitur; vt nunc mundum

Peccata ante legẽ datam nõ imputata

Quæstio.

diluuio deleret, nunc Pentapolim incendio ſubuerteret; Cain vagus & profugus eſſet ſuper terram, Chanaan ſeruituti fratrum ſubiectus, Her & Onan à Domino percuſſi? *Reſpõſio.* Reſponſio patet ex dictis. Nam puniti fuerunt hi omnes, non ob tranſgreſſionem legis alicuius à Deo poſitæ (neque enim data erat lex) ſed propter violata iura naturæ peccatis tam magnis tamque manifeſtis, vt vltionem prouocarent eius qui author eſt naturæ. Porrò quidam ſic interpretantur hanc partem; Vbi lex non eſt, peccatum non agnoſci, nec reputari peccatum, ſcilicet â peccante, *Per legem enim cognitio peccati*, ſuprà cap. 3. Sed non videtur hic eſſe ſenſus Pauli, qui imputationem ſemper intelligit eam, quæ fit ab alio, vt patet imprimis ex capite præcedenti, deinde ex aliis locis, vt 2 Tim. 4. *Omnes me dereliquerunt, non illis imputetur.* Et ad Phile. *Si aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa.* Iam quod nonnulli partem hanc ita ſupplent: Peccatum non imputabatur ad mortem, quando lex non erat: primùm mihi recedere videntur à conſueta ſignificatione verbi imputare in ſcripturis, de qua capite ſuperiore: quia peccatum vera æſtimatione non eſt mors, licet mortem mereatur. Deinde conſtat non omnem pœnam tranſgreſſorum legis Moſaicæ eſſe mortem: quibus tamen omnibus ſuum peccatum ex mente Pauli imputari dicitur, videlicet ad trãſgreſſionem, propter quam ſubijciuntur pœnis à lege conſtitutis.

14 SED REGNAVIT MORS AB ADAM VSQVE AD MOYSEN. Quamuis, inquit, ante legem peccatum non imputabatur, erat tamen in mundo & propter hoc mors ob peccatum inuecta regnauit, id eſt graſſata eſt, tyrannidem exercuit in genus humanum, etiam toto eo tempore quod legem datam anteceſſit. Id enim eſt *ab Adam vſque ad Moyſen.* Nam per peccatum mors, ſiue illud imputetur, ſiue non.

ETIAM IN EOS QVI NON PECCAVERVNT IN SIMILITVDINEM PRÆVARICATIONIS ADÆ. Græcè *in ſimilitudine*, & ita ſcriptum habebatur in codice Laudenſi. Senſus tamen idem eſt; ad ſimilitudinem. Admonet Auguſtinus libro 1 de baptiſmo paruulorum cap. 11, & in epiſtola 89 ad Hilarium, quoſdam Latinos codices abſque negatione legere, *qui peccauerunt*. Atque eam lectionem interpretatur Amb. commentator, ac veram eſſe contendit, aſſeuerans Græcos codices in quibus negatio legitur appoſita, viciatos eſſe. Sed & Origenes affirmantem lectionem multis verbis exponit; tametſi ad extremum fatetur, ſiue ipſe, ſiue Ruffinus eius interpres, in quibuſdam exemplaribus negationem haberi. Quæ negatiua lectio ſine dubio verior & ſincerior eſt. Nam affirmatiuæ reclamat particula copulans *etiam*. Quis enim ſenſus: *etiam in eos qui peccauerunt?* quaſi potius regnare mors debuerit in eos qui non peccauerunt. Et tamen particulam *etiam* legit Origenes; licet & hanc ſupprimant Latini codices de quibus Auguſtinus, & inter hos Ambroſianus. Verùm non ob aliud eraſa fuit negatio, quàm quod non intelligeretur quomodo mors regnauerit in eos qui non peccauerunt, maximè quia dictum erat paulo antè, in Adam omnes peccaſſe. Certè teſtatur Auguſtinus codices Græcos aut omnes aut penè omnes negationem habere. Chryſoſtomum quoque & cæteros expoſitores Græcos negationem legiſſe, docent eorum commentarij. Legit & Cyrillus lib. 1 & 12 ſuper Ioannem: & his omnibus antiquior Irenæus libro 3 contra hæreſes capite 20. Quod ad Latinos attinet, negationem conſtanter legit Hieronymus, vt libro 3 dialogi contra Pelagianos ſub finem, & in epitaphio Nepotiani, & in epiſtola ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ. Denique Latini commentatores, excepto pſeudambroſio de quo diximus, & Sedulio: qui tamen etiam negatiuæ lectionis meminit, eandemque exponit. Hodie quidem in omnibus tam Latinis (quod Hieronymianæ correctioni acceptum refero) quam Græcis habetur negatio, ſuffragante etiam textu Syriaco. Porrò ea lectio duobus modis exponi poteſt. Aut enim ſenſus eſt mortem regnaſſe, non in eos tantum qui propria voluntate peccauerunt, primo parenti qui præceptum Dei ſua voluntate tranſgreſſus eſt, ea in re ſimiles facti; verùm etiam in infantes, qui non peccauerunt propriæ voluntatis actu, ſed tantum ex Adam naſcendo peccatum contraxerunt. Hæc Auguſtini expoſitio eſt locis memoratis: Item Hieronymi lib. 3 dialogi contra Pelagianos, & Latinorum poſteriorum. Aut ſenſus eſt, mortem regnaſſe etiam ante legem datam, & proinde in eos etiam qui non erant præuaricati legem aliquam ſibi à Deo poſitam; ſicut Adam fecerat, præuaricando præceptum ſibi datum à Deo: ſed ſolum peccauerant in legem naturæ. Hic ſenſus quem Græcorum commentarij ſuggerunt (quem etiam adfert & probare videtur Auguſtinus propoſitione 29) cum præcedentibus optimè quadrat, & omnino germanus apparet. Ac ſanè videri poteſt apoſtolus alluſiſſe ad locum Hoſee 6, qui ſic habet: *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum*, id eſt, non ex ignorantia peccauerunt, vt legem non habentes; ſed ſicut Adam præuaricatus eſt expreſſum pactum quod cum eo ſtatui in paradiſo; ſic & iſti legem quam eis per Moyſen dedi, tranſgreſſi ſunt colendo falſos Deos. Igitur ad eum modum dicit apoſtolus mortem regnaſſe in eos qui legem non habebant, & per hoc non ſunt præuaricati inſtar Adæ; quomodo dixerat capite 2, *Qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt*; vt ſint eadem peccare ſine lege, & peccare

Quid peccare in ſimilitudinem præuaricationis Adæ.

non

non in ſimilitudinem præuaricationis Adæ; quemadmodum & è diuerſo eadem ſunt peccare in lege, & peccare in ſimilitudinem præuaricationis Adæ. Non poſſe autem intelligi eos qui ſimpliciter non peccauerunt vllo modo, manifeſtum eſt, quia iam dixerat: *In quo omnes peccauerunt*. Et in ſuperioribus: *Cauſati ſumus omnes ſub peccato eſſe*. Item: *Omnes peccauerunt & egent gloria Dei*. Vnde improbabilis fit ea conſtructio huius loci, quam adfert Chryſoſtomus, ita inquiens: *Quomodo regnauit? Ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adam*. Cuius & Auguſtinus meminit propoſitione ſupra dicta: etſi non probet. Si enim hæc pars per hyperbaton (vt aiunt quibus hæc ſententia probatur) ad verbum *regnauit* referatur, abſolutè ponetur illud, *in eos qui non peccauerunt*. Quod pugnat cum dictis; vt taceam de ſermone parùm commodo. Non enim aptè dicitur, mortem regnare ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adam; ſicut homines ad eam ſimilitudinem peccare. Nam quod vrgent Græcam præpoſitionem ἐπὶ, qua dicunt cauſam denotari: iam aliâs docuimus has præpoſitiones ἐν & ἐπὶ promiſcuè ſubinde in ſcripturis vſurpari.

QVI EST FORMA FVTVRI. Qui Adam eſt forma, Græcè τύπος futuri, id eſt figuram gerit eius qui venturus erat, ſcilicet Chriſti, quem alibi vocat nouiſſimum Adam, 1 Cor. 15. Sentit apoſtolus Adam fuiſſe typum & figuram Chriſti per comparationem à contrario, vt Auguſtinus loquitur. Sunt enim Adam & Chriſtus velut duo principia mutuo oppoſita reſpectu hominum. Per Adam enim peccatum & mors intrauit in mundum; per Chriſtum iuſticia & vita. Quæ res paulo poſt pluribus declaratur. Poterat alioqui illud τῷ μέλλοντι *futuri*, neutro genere accipi, id eſt eius quod futurum eſt: ſed ſenſu nihil ad præſens inſtitutum faciente. Porrò commentarius Pelagij hoc loco totus Pelagianus eſt, omnia ad imitationem referens. Verba eius ſunt: *Forma Chriſti Adam factus eſt. Sicut enim Adam primus mandatum Dei præuaricans, exemplum eſt legem Dei præuaricare volentibus: ſic & Chriſtus voluntatem Patris complens, exemplum eſt imitari eum cupientibus*. Sed hunc ſenſum, quem & in ſequentibus inculcat, ſatis ſuprà expugnauimus. Quoniam autem *hæc forma non ex omni parte conformis eſt*, vt ait Auguſtinus in 2 opere contra Iulianum, ideo ſequitur.

Adã forma Chriſti quo ſenſu.

15 SED NON SICVT DELICTVM, ITA ET DONVM. Subaudi verbum eſt, vel ſe habet, aut quid eiuſmodi. Oſtendit in comparatione iam dicta diſſimilitudinem eſſe, quod non omnino ſimiliter procedant hæc duo, peccatum Adæ, & donum ſeu gratia Chriſti, de quo ſuprà dixerat: *Per quem nunc reconciliationem accepimus*. Non ſimiliter, inquam, è contrario comparata, id eſt, peccatum Adæ in malum, & gratia Chriſti in bonum: quum hæc illo ſit multo potentior & efficacior. Delictum hic & in ſequentibus vocat quod ſuperius peccatum. Non enim diſtinguit in hac præſenti diſputatione inter ἁμαρτίαν peccatum, & παράπτωμα delictum. Quod vel inde patet, Nam infrà cùm dixiſſet legem ſubintraſſe vt abundaret τὸ παράπτωμα: idipſum ita reſumit: Vbi autem abundauit ἡ ἁμαρτία. Quod manifeſtum eſt argumentum promiſcuæ vſurpationis harum vocum. Quare ex hac voce παράπτωμα non bene colligit quidam, hic non ſignificari delictum ſiue peccatum Adæ, ſed delictum ſeu caſum totius generis. Nam certè peccatum vnius Adæ ſignificari, palam oſtendit quod ſequitur.

Delictum & peccatum apoſtolo eadẽ.

SI ENIM VNIVS DELICTO MVLTI MORTVI SVNT; MVLTO MAGIS GRATIA DEI ET DONVM IN GRATIA VNIVS HOMINIS IESV CHRISTI IN PLVRES ABVNDAVIT. Probatio eſt dictæ diſſimilitudinis: quam proſequitur vſque ad illud: *Igitur ſicut per vnius delictum*, &c. Docet autem donationem Chriſti cum noxa Adami comparatam præcellere, ſiue conſiderentur chariſmata quæ dantur, ſiue peccata quæ condonantur. Priorem modum hic attendit, poſteriorem parte proximè ſequenti: ac poſtremo vtramque differentiam coniungit. Quæ analyſis eſt Auguſtini in expoſitione propoſitionis 29. Quanquam aliis placet tertio loco repeti tantum & explicari id quod primo dixit. *In gratia vnius hominis*, Græcè *in gratia quæ eſt*, ſiue *fuit*, *vnius hominis*. Item, *in plures*, Græcè *in multos*; quemadmodum reliqua parte capitis eandem vocem conſtanter vertit interpres: vt ne quem moueat hæc mutatio multorum in plures; quaſi plures per Chriſtum ſint ſaluati, quàm in Adam mortui; quum res contrario modo potius ſeſe habeat. Abutebantur autem hac lectione Pelagiani, dicentes ideo de gratia Chriſti Paulum dixiſſe quod in *plures abundauit*, quia protenditur etiam ad paruulos, qui peccatum Adæ imitari non potuerunt. Qua de re Auguſtinus huius noſtræ lectionis ignarus, ita ſcribit in opere 2 contra Iulianum, verbis à Beda citatis: *Quod dixiſti, vigilanter inculcaſſe apoſtolum: multo magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundabit; volens intelligi ideo plures dictos, quia peruenit gratia eius ad paruulos, ad quos imitatio primi hominis non pertinet: aut mendoſus codex tibi mentitus eſt, aut ipſe mentiris, aut ab aliquo falſo ſiue fallente, aut obliuione deceptus es. Non enim ait apoſtolus, plures ſed multos. Græcum attende codicem, & inuenies* πολλοὺς, *non* πλείους. *Dixit ergo multo magis abundaſſe gratiam in multos, non in magis multos, hoc eſt, non in plures, ſicut iam oſtendimus*. Hæc Auguſtinus. Patet igitur apoſtolum non hic multitudinem eorum qui gratiæ Chriſti participes fiunt, vrgere, ſed copiam beneficiorum Chriſti, quæ

Plus valet gratia Chriſti in bonũ, quã delictum Adæ in malum.

significatur in eo quod dicit, *multo magis*. Est igitur sensus: Nam per vnius quidem hominis delictum seu transgressionem multi, id est omnes ex eo propagati, mortem incurrunt: verùm multo magis per gratiam vnius hominis Iesu Christi, id est propter eius merita, Deus in multos, scilicet omnes electos, vel omnes ad Christum pertinentes, gratiæ suæ dona largiter effundit. Siquidem Adam suo delicto mortem inuexit; at Christus per suã gratiam multa & magna Spiritus sancti dona, atque ipsam immortalitatem hominibus conciliat: adeoque plus gratiæ nobis restituit, quàm in Adam perdidimus, videlicet iustitiæ perseuerantiam, & vitam æternam. Hæc enim Adam in paradiso non habuit. Rursus ex hoc loco statuitur peccatum propagationis contra Pelagianos. Nã, vt annotauit Augustinus, phrasis scripturæ sacræ non patitur, vt dicamus Adam esse mortuum delicto diaboli, licet illud imitatus sit: sicut hic vnius Adæ delicto multi mortui dicuntur. Quare non de imitatione id intelligendum, sed de propagatione.

Quæstio. Respõsio. Sed quæres cur multos dixerit in priori parte, cùm dicere posset omnes. Respondeo, vel ideo quia de præterito loquebatur, *ἀπέθανον mortui fuerunt*; vel potius vt conformitas esset prioris membri cum posteriore. Sic infrà, vtrosque nunc omnes dicit, nunc multos. Vide ibi commentarium.

16 ET NON SICVT PER VNVM PECCATVM, ITA ET DONVM. Græcè. *Et non sicut per vnum qui peccauit, donum*, seu *donatio*. Consentiunt Latina quædam MSS. nec non textus Amb. antiquioris editionis: quæ non *peccatum* legunt, *sed peccantem*: vt verisimile sit interpretem Latinum hoc modo vertisse. Est enim in Græco participium præteriti temporis, quo Latini carent. Augustinus quoque lib. 1 de baptismo paruulorum ca. 12, & epistola 89, & propositione 29 legit *peccantem*. Quibus locis etsi varient exemplaria, tamen etiam apud Bedam in collectaneis ex Augustini libro de baptismo paruulorũ, *peccantem* legitur. Ipse verò Beda textum apostoli referens nunc *peccatorem*, nunc *peccantem* legit. Porro Syrus quidem hoc modo vertit: *Et non sicut delictum vnius, ita donum*. Sed id fecit vt paraphrastes. Est igitur imperfectus sermo, maximè vt Græcè à Paulo scriptus; quem hoc modo supplere & exponere liceat: Neque enim sicut per vnum hominem qui peccauit, mors venit in mundum; ita & donum Christi sese habet: ac si dicat; Non sicut ex vnius hominis vna transgressione mors introducta est; ita Christi gratia ab vno tantum peccato, eiusque pœna liberat. Hunc sensum declarant verba sequentia.

NAM IVDICIVM QVIDEM EX VNO IN CONDEMNATIONEM, GRATIA AVTEM EX MVLTIS DELICTIS IN IVSTIFICATIONEM. In Græco vocum alluſio est, κρίμα, κατάκριμα, quæ Latinè reddi non potest. Illud, *ex vno*, vel intellige, delicto, vt vult Augustinus, eo quod sequatur, *ex multis delictis*, vel ex vno peccante. Hoc enim præcesserat. Quanquam sensus eodem recidit. Nam si intelligas, ex vno peccante, formaliter id accipiendum erit, id est, in quantum peccauit. *Condemnationem* verò, mortis dicit; quam in superioribus expressit: de qua etiam mox seipsum exponit. Igitur sensus est: Nam iudicium quidem Dei ex vno primi hominis peccato, vel quia vnus ille homo peccauit, processit ad condemnationem mortis. Gratia verò Dei non ex vno delicto, sed ex multis eductos ac liberatos, iusticia donat: quia non tantùm remitrit vnum illud Adæ peccatum, siue ab eo commissum, siue ex eo contractum, quod singulis inest; sed insuper remittit multa peccata à posteris Adæ mala ipsorum voluntate superaddita. Hanc porro dissimilitudinem comparationis inter Adam & Christum amplius adhuc illustrat apostolus sequentibus verbis.

17 SI ENIM VNIVS DELICTO MORS REGNAVIT PER VNVM. Malè quidam codices, *Si enim in vnius delicto*, scilicet addita præpositione *in*, quæ nec in Græcis est, nec in omnibus Latinis, & sensum impedit magis quam adiuuat.

MVLTO MAGIS ABVNDANTIAM GRATIÆ ET DONATIONIS ET IVSTICIÆ ACCIPIENTES, IN VITA REGNABVNT PER VNVM IESVM CHRISTVM. *Et donationis & iusticiæ.* Græcè, *& doni iusticiæ*, sine media coniunctione, nisi quod in paucis legitur, *& donum iustitiæ*. Cætetùm Augustinus tantum legit *abundantiam gratiæ & iusticiæ*, lib. 1 de baptismo paruulorum cap. 13, & sic à Beda citatur in collectaneis. Ita quoque legitur apud Irenæũ lib. 3 cap. 18. Sensus periodi: Si per vnum hominem, quatenus nimirum vnus ille deliquit, & eo contagio posteros infecit, mors peruasit humanum genus; multo magis qui per Christum acceperint exuberãtiam donorum quibus à peccatis iustificati atque in iusticia prouecti fuerint, in æterna vita regnabunt per eundem vnum hominem primo homini oppositum, scilicet Iesum Christum. Repetitio est prioris differentiæ: nisi quod hic iam expressius morti vitam opponit, eam scilicet quæ iusticiæ per Christum acceptæ merces sit futura. Vbi notandum est, cùm dixisset, *mors regnauit per vnum*, non tamen eum è diuerso dixisse, vitam regnaturam per vnum Iesum Christum: sed dixit ipsos iustificatos in vita regnaturos: tum quia iucundius sonat si dicãtur ipsi homines regnaturi; quod quidem regnum etiam scriptura iustis promittit Matth. 25 & alibi; tum quia sic loquendo voluit quãdam etiam dissimilitudinem innuere inter mortem & vitam, sicut fecerat inter delictum & donum. Nam mors ita regnat, vt perdat eos super quibus regnat: Vita autem sic regnabit in nobis, vt reges faciat, id est, cælestis regni cum Christo consortes. Obserua lector apostolum hoc capite ferè indifferenter & promiscuè vsurpare quatuor vocabula Græca,

Quatuor vocabula promiscuè vsurpata ab apostolo.

χάρις, χάρισμα, δωρεὰ, δώρημα. Quorum primum noſter interpres vertit *gratiam*: ſecundũ nunc *donum*, nunc *gratiam*; tertium nunc *donum*, nunc *donationem*: quartum verò *donum*. Quibus vocabulis pro rei quæ dicitur exigentia, modo ſignificatur beneficentia Dei, modo actus donandi, modo res ipſa donata. Quod perſpiciet qui ſingula ſuis locis expendet.

18 IGITVR SICVT PER VNIVS DELICTVM IN OMNES HOMINES IN CONDEMNATIONEM. Redit ad comparationem Adæ & Chriſti, indicatam illa parte: *qui eſt forma futuri*: eamque recolligit ex iã dictis. Ac ſimul ſupplet quod imperfectum reliquerat, vbi dixit: *Propterea ſicut per vnum hominem*, &c. addendo quod ſequitur.

SIC ET PER VNIVS IVSTICIAM IN OMNES HOMINES IN IVSTIFICATIONEM VITÆ. *Per vnius iuſticiam*, Græcè *per vnius iuſtificationem*, & ita vertit paulo ante Græcam vocem δικαίωμα. Verùm tam hic quam illic rectè intelligitur iuſticia. Sic Apoc. 19. *Byſſinum iuſtificationes ſunt ſanctorum*, id eſt iuſticiæ, iuſta opera. Diuerſum verbale eſt in eo quod ſequitur, *in iuſtificationem vitæ*, Græcè δικαίωσιν. Senſus huius loci eſt: Iam ex iis quę de Adam & Chriſto diximus, liquet, quod ſicut per vnius Adæ inobedientiam malum ſeu peccatum propagatum eſt in omnes homines ex illo genitos, trahens eos ad condemnationem mortis; ita & per vnius Chriſti iuſticiam, id eſt, iuſtas ac ſanctas eius actiones, ac nominatim obedientiam, qua patri obediuit vſque ad mortem, bonum ſeu gratia péruenit, & quaſi propagatur in omnes homines, qui ſunt ex parte Chriſti, ad efficiendam in eis iuſticiam qua perducantur ad vitam æternam: ac ſi dixiſſet, ad iuſtificationem vitalem ſeu viuificam. Dixi, nominatim obediẽtiam, quia hanc nominat in parte ſequenti. Porro ſignum vniuerſale *omnes* in vtroque membro poſitum, non omnes eodem modo exponũt. Pelagius quidem neutro loco vult vniuerſaliter accipi. *Nunquid*, inquit, *iniquus Deus qui infert iram? Abſit. Quomodo poteſt vnius delicto Adæ omnes homines condemnare, cùm nec vnius Chriſti iuſticia omnes homines iuſtificati ſint? Omnes autem dicens, non generaliter dicit: ſed vniuſcuiuſque partis ſignificat multitudinem.* Hæc ille hæretico ſenſu, quo negat peccatum originale. Quidam neotericus vniuerſalitatem poſteriore loco ſic reſtringit; *in omnes homines, ſi velint*, quaſi non & ipſum velle ſit opus gratiæ Chriſti, Paulo atteſtante Philip. 2. *Deus eſt qui operatur in vobis velle.* Proinde reſtrictio huiuſmodi, quam nec apud aliũ quẽquam legi, prorſus improbanda eſt. Alius quidam vir doctus, vtrobique abſolutam vniuerſalitatem intelligit: Sed iuſtificationem vitæ interpretatur reſurrectionẽ ad vitam, quæ communis erit etiam malis; allegans alterum Pauli locum, velut eiuſdem cum iſto ſententiæ, ex 1 Cor. 15, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Sed iſtorum verborum veram intelligentiam ſuo loco trademus: Huic certè loco ſenſus ille nõ niſi violentè coaptari poteſt. Etenim iuſtificatio nuſquam in ſcripturis, imò nec extra, ad hunc modum accipitur: ne quidem ſi addas, *vitæ*. Rurſus alij, vt vniuerſalitatem ſeruent eandem in vtroque membro, poſterius ſic exponunt; per vnius iuſticiam omnes homines iuſtificari quantum ad ſufficientiam attinet. Sed & hoc præter mentem apoſtoli: qui comparat delictum Adæ cum iuſticia Chriſti quantum ad effectus vtriuſque, non quãtum ad cauſarum ſufficientiam. Quod ſi cui minus placet expoſitio ſigni vniuerſalis, quam dedimus; poterit dicere, per *omnes homines* in vtroque membro intelligi genus humanum, non tamen eadem amplitudine acceptum, ſed iuxta rem ſubiectam; In priori quidem membro planè generaliter, quoniam ibi ſermo eſt de parente totius generis, per quem mors in omnes inuecta ſine exceptione: In poſteriori autem ſecundum modum loquẽdi quo ſæpè vtitur ſcriptura, dicens omnes homines, quum vult intelligi paſſim multos, vt Luc. 6. *Væ vobis cùm benedixerint vobis omnes homines.* Act. 22. *Eris teſtis illius ad omnes homines.* Col. 1. *Corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem.* Et Tit. 2. *Apparuit gratia Dei ſaluatoris noſtri omnibus hominibus*, id eſt generi humano. Quod aliâs, ſimili locutione, ſignificatur nomine mundi, vel totius mundi, vt Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum*, & huius epiſtolæ cap. 1. *Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.* Sit igitur hic ſenſus probabilis: Sicut per vnius delictum in genus humanum condemnatio mortis, ſic per vnius iuſticiam in genus humanum iuſtificatio vitæ. Sed humanum genus diſtingue quemadmodum dixi.

Vniuerſalis ſigni varia expoſitio.

19 SICVT ENIM PER INOBEDIENTIAM VNIVS HOMINIS PECCATORES CONSTITVTI SVNT MVLTI. Græca variant in perſona; καθέσθημεν, *conſtituti ſumus*; alia, κατεστάθησαν, conſtituti ſunt; quod magis conuenit cum tota ſerie ſermonis apoſtoli.

ITA ET PER VNVS OBEDITIONEM IVSTI CONSTITVENTVR MVLTI. Idem aliis verbis inculcat, velut doctrinam maximi momenti. Differentia tamen eſt inter hanc ſententiam & ſuperiorem; quod in illa præcipuè conſiderantur effectus, mors & vita; in hac verò peccatum & iuſticia, peccatum vt cauſa mortis, iuſticia vt cauſa vitæ. Deinde quia hæc interpretatio quædam eſt ſuperioris, vt admonet Theophylactus. Nam peccatum Adæ interpretatur apoſtolus inobedientiam, & iuſticiã Chriſti obedientiam. Vnde rectè ab eo ſumitur hæc ſententia tanquam probatio & declaratio quædam eius quod præceſſit. Nec te moueat, quod nunc multos vocat quos prius omnes dixerat: nec fallat commentarius Theodoriti dicentis: ideo Paulum vſum vocabulo *multi* etiam in priori parte, quod & in

Adæ posteris inueniantur aliqui, qui à maioribus peccatis alieni fuerint, vt Abel, Enoch, Noë, Melchisedec & patriarchæ, alijque in lege clari & insignes; quasi dicat hos non comprehendi sententia apostoli, quia non fuerunt primæ transgressionis imitatores. Quæ erronea est expositio, & refellitur, quia non solum dicit apostolus multos constitutos esse peccatores, sed & suprà dixit multos esse mortuos, cùm constet mortem ad omnes pertinere. Multos ergo dicit; quos antè dixit omnes: tum quia omnes homines reuera multi sunt, tum quia non omnes absolutè per Christum iustificantur, sed omnes secundum sensum modò dictum. Nota etiã apostolum id quod prius peccatum & iusticiam dixerat, nunc inobedientiam & obedientiam vocare: Ex quo intelligitur de actuali peccato Adæ, deque actuali iusticia Christi, Paulum fuisse locutũ.

Adæ peccatum cur inobedientia vocetur.

Vocatur autem Adę peccatum inobedientia, non quod ex cõtemptu præcepti diuini processerit, sed vsurpato nomine inobedientiæ pro transgressione: qua nimirum peccatur contra legem positiuam atque expressam, qualis erat illa: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Sẽsus est: Sicut per vnius primi hominis inobedientiam, id est transgressionem, multi, id est omnes ex eo geniti, constituti sunt peccatores, vtpote ex illa trãsgressione infecti peccato, à quo verè peccatores dicantur & sint; ita & per vnius Christi obedientiam, qua obediuit Patri vsque ad mortem crucis, iustificabuntur multi, nimirum quotquot per fidem ex eo renascentur. Rursum hic locus manifestus est pro peccato originali. Tum ex eo ostenditur contra sectarios iusticiam nostram esse internam, sicut peccatum nostrum internum est & inhærens.

Iusticia nostra interna & inhærens, quemadmodum & peccatum.

Si enim verè & propriè peccatores constituũtur per præuaricationem Adæ, quod fatentur aduersarij; non autem verè & propriè iusti constituimur per obedientiam Christi, sed imputatiuè tantum, vt ijdem volunt: neque consistet hæc comparatio quam facit apostolus, & multò minus Christi iusticia nobis cõtulerit, quam abstulit iniusticia Adæ. Nam in illo veram & inhærẽtem amisimus iusticiam, in Christo recuperamus imputatiuam; id est falsam. Loquitur enim apostolus de iusticia quam nunc per fidem accipimus, non de ea iusticiæ perfectione, quam speramus in vita futura.

20 LEX AVTEM SVBINTRAVIT VT ABVNDARET DELICTVM. Ne per legem existimetur aboleri potuisse peccatum introductum per Adam, ostendit legem adeò non valuisse ad tollendum peccatum, & iustificandos homines, vt ea superueniente facti fuerint etiam deteriores; Quod ipsum tamen profecerit ad maiorem gratiæ Christi commendationem. *Subintrauit* Græcè παρεισῆλθεν. Quod alij vertunt, *obiter intrauit, subijt.* Alibi in malam partem hoc verbum accipitur, vt Gal. 2. *Qui subintroierunt explorare libertatem nostram.* Verùm hic non aliud significatur quam post ingressum peccati in mundum, interim dum gratia peccati sanatrix exspectatur, legẽ subingressam fuisse. Particula *vt* à plerisque sic exponitur, vt non finalem causam denotet, sed euentum; quomodo frequenter alibi sumitur. Ita sensus est: Lex prohibens peccatũ, medio tempore inter Adam & Christũ subingressa est; Vnde tamen non aliud consecutum, quam vt peccatum magis etiam abundaret: tum quia lex hominem constituit præuaricatorem; Nam *vbi non est lex, nec præuaricatio*, vt dictum est superiori capite; tum quia *virtus peccati lex* 1 Cor. 15. Nam occasione legis, vbi non adest gratia, magis inardescit cõcupiscentia. Quam vtramque rationem adfert Augustinus propositione 30. Alij tamen causam finalem significari putant, sed hoc sensu; quia lex subintrauit, atque adeò data est à Deo, ad permittendam abundantiam peccatorum: vt dum legis occasione, sicuti dictum est, augetur peccatum, præsertim in opere externo & manifesto; superbus animus agnoscere cogatur se peccatorem, & legem sibi nequaquam sufficere ad iusticiam. Iuxta quem sensum, nobis certè probabiliorem, (quem etiam Thomas probat, & bene declarat) conuenit hæc sententia cum illa Gal. 3. *Lex propter transgressiones posita est, donec veniret semen*, &c. secundum eius intellectum potiorem, quem videbis eo loco pluribus à nobis explicatum.

Occasione legis homines facti deteriores.

VBI AVTEM ABVNDAVIT DELICTVM, SVPERABVNDAVIT GRATIA. *Delictum*, Græcè *peccatum*. Superabundauit autem gratia, non in omnibus, sed in electis. Non enim dicit *vbicumque*, sed *vbi* indefinitè, vt annotat Hugo. Nam quod ad reprobos attinet, in ijs lex alium effectum siue euentum non habet quam abundantiam peccati. Quibusdam placet *vbi* positum esse pro aduerbio temporis, id est *postquam*. Quod probarem, si liqueret Græcum ὅ aliquando sumi in ea significatione, perinde vt Latinum *vbi*. Sensus: Vbi peccata occasione legis inundarunt, & homines conuicti sunt suarum transgressionum; ibi redundauit gratia, id est benignitas & misericordia Dei peccata remittens, & dona gratificantia tribuens. Nam quanto maior iniquitas peccantis, tanto maior gratia remittentis: & quanto maiorem peccatorem quis fuisse se agnoscit, tanto maiorem gratiam sibi confitetur impensam; quemadmodum docemur exemplo peccatricis euangelicæ Luc. 7, & ipsius apostoli Pauli 1 Tim. 1. Dicitur autem de peccato, *abundauit*, de gratia verò *superabundauit*, quia gratia peccatis etiam multum abundantibus præualuit ac potentior fuit.

21 VT SICVT REGNAVIT PECCATVM IN MORTEM: ITA ET GRATIA REGNET PER IVSTICIAM IN VITAM ÆTERNAM, PER IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM.

In mortem,

In mortem, Græcè & Syriacè *in morte*: Quod & in quibuſdam eſt Latinis. Illud quoque *Dominum noſtrum* plerique Græci codices non addunt, tametſi Syrus additum habet. Senſus eſt: Vt ſicut regnauit, id eſt longè lateque dominium ſuum exercuit peccatum in morte ſiue per mortem, videlicet pertrahens homines ad mortem; ita etiam gratia & miſericordia Dei latè dominetur, adducens iuſticiam, & per eam perducens homines ad vitam æternam, idque per meritum redemptoris ac Domini noſtri Ieſu Chriſti. Mortem intelligit eandem quam in ſuperioribus, nempe mortem corporis. Vnde non dicit nos per Chriſtum eximi à morte, ſcilicet vt eam non patiamur: ſed per Chriſtum nobis vitam conferri, quâ nimirum mors illa deſtruatur per reſurrectionem. Quod non eſt futurum in reprobis, vt quibus reſurrectio non erit ad vitam, 2 Mach. 7, ſed mortis in æternum continuatio. Neque enim exiſtimamus impiorum reſurrectionem ad Chriſti beneficia pertinere, ſed referendam ad conſequentiam iuſti iudicij Dei, quod exigit vt non ſolum animæ, ſed ipſi homines qui peccauerũt, in ſuis etiam corporibus ſupplicium recipiant damnationis æternæ: non quod naturalis erat futura reſurrectio (nam nec animarum infuſio naturalis eſt, nec tamen per Chriſtum) ſed quia hominis peccantis ad Deum per iuſtam pœnam ordinatio fieri non poterat, niſi exſiſteret homo qui pœnã ſubiret. Huic autem doctrinæ quomodo contrarium non ſit quod apoſtolus dicit 1 Cor. 15. *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum* &c. videbis in eius loci commentario. Poſtremò, notanda proſopopœia quædam in eo quod peccatum & gratiam regnare dicit: quemadmodum & in ſuperioribus mortẽ: Mortem quidem, Græcè θάνατον, vt regem: peccatum verò & gratiam, Græcè ἁμαρτίαν καὶ χάριν, vt reginas. Qua figura rurſus vtitur ſequenti capite, in peccato & iuſticia. Facit enim ad ſplendorem & vehementiam orationis.

Impiorũ reſurrectio non pertinet ad beneficia gratiæ Chriſti

SVMMARIVM.

OStendit non ideo peccandum adhuc eſſe, vt gratia abundet: ſed ad ſimilitudinem mortis & reſurrectionis Chriſti nos peccato mortuos viuere debere iuſticiæ; vt cuius ſerui iam facti ſumus, à peccati ſeruitute liberati: docetq; quam diſpar vtriuſque ſeruitutis ſit exitus.

CAPVT SEXTVM.

1 QVID ERGO DICEMVS? PERMANEBIMVS IN PECCATO, VT GRATIA ABVNDET?

2 ABSIT. Quoniam dixerat gratiam ſuperabundare, vbi abundauit peccatum; ne quis propterea putaret immorandum eſſe peccatis, & peccata peccatis cumulanda, quo ſcilicet amplius abundaret atque commendaretur Dei gratia: repellit huiuſmodi peruerſam cogitationem apoſtolus, dum de ea quæſtionẽ ſibi faciens, reſpondet: *Abſit*. Nam vt perabſurdum eſt ideo velle ægrotare, vt habeat medicina quod ſanet: ita ſummæ dementiæ eſt, velle adhuc peccare, vt gratia Dei ſemper habeat quod remittat. Imò ſicut durante morbo non habetur ſanitas, nec appareret ars medici; ita manente peccato non habetur iuſticia, nec oſtẽditur virtus gratiæ Dei. Quare vt gratia commendetur, à peccatis recedendum eſt, non in illis manendum.

QVI ENIM MORTVI SVMVS PECCATO, QVOMODO ADHVC VIVEMVS IN ILLO? In Græco non eſt, *enim*, & abſque eo citat Tertullianus lib. de pudicitia cap. 17. Rectè tamen intelligitur. Eſt enim hæc probatio datę reſponſionis argumento à contrarijs, ac ſi dicat: Nam qui peccato bene mortui ſumus, ei profectò non amplius viuere debemus. *Peccato* datiuus eſt, non ablatiuus, vt ad Galat. 2, *Legi mortuus ſum*. Vt enim phraſes ſunt apoſtolicæ, viuere peccato, legi, iuſticiæ, Deo; quibus ſignificatur ſeruitus & obſequium quod his impenditur, aut commercium quod cum ijs habetur: ita & iſtæ è contrario; mori ſeu mortuum eſſe peccato, ac cæteris, id eſt ab horum ſeruitute & obſequio penitus eſſe liberum, & à commercio alienum. Sic & Petrus loquitur 1 epiſt. 2, *vt peccatis mortui iuſticiæ viuamus*. Ac rurſum Paulus Eph. 2, *Cùm eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris*. & Col. 2. *Cùm mortui eſſetis delictis & præputio carnis veſtræ*. Quæ duo loca huic præſenti ſimilia eſſe, quamuis alij ſecus exponant, oſtendemus, quum illuc vſque peruenerimus. Mortuos igitur peccato vocat eos qui reſpectu peccati mortui ſunt, id eſt qui à peccati ſeruitute liberi; quibuſque cum peccato non plus eſt negocij aut commercij, quam mortuis eſſe ſolet cum viuentibus. Aut certè (quod eodem recidit) mortui peccato dicimur, dum neque nos in peccato viuimus, ei ſeruiendo, neque peccatum viuit in nobis, regnãndo. Vnde ait: *quomodo adhuc viuemus in illo?* ſcilicet deſiderijs eius obſequendo. B. Auguſtinus libro de ſpiritu & litera cap. 6 partem hanc ſic exponit: *Cùm id præſtiterit gratia vt moreremur peccato; quid aliud faciemus ſi viuemus in eo, niſi vt gratiæ ſimus ingrati?* Idem epiſtola 47 ad Valentinum hanc apoſtoli ſententiam ita commendat, vt affirmet *nihil potuiſſe dici breuius & melius*. Porro dicit apoſtolus peccatum ſingulari numero, quia reſpicit ad fomitem peccati quem contraximus ex tranſgreſſione primi parentis: atque hoc peccatum conſiderat vt dominum ac imperatorem in homine tunc regnantem, quando prauis eius motibus ac deſiderijs obtemperat. Quæ conſideratio patebit amplius in conſequentibus.

Mortui peccato qui dicantur.

3 AN IGNORATIS QVIA QVICVMQVE BAPTIZATI SVMVS IN CHRISTO IESV, IN

MORTE IPSIVS BAPTIZATI SVMVS. Argumentationem præcedentem totam confirmat ex baptiſmi cærimonia atque effectu. In Græco ſunt accuſatiui, *in Ieſum Chriſtum, in mortem*. Atque ita legit Tertullianus in lib. de reſurrectione carnis cap. 47. Sed & vetuſti quidã bibliorum codices habẽt, *in mortem*. Vt autẽ intelligatur quid ſit baptizari in Chriſtũ; conferẽdus eſt hic locus cum illo Gal. 3, *Quicumque in Chriſto* (Græcè *in Chriſtum*) *baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. Quæ vtique verba vim & efficaciam baptiſmi ſignificant. Itaque ſenſus huius loci eſt: Scire debetis quod quicũque per baptiſmũ Chriſto nomẽ dedimus, & myſtico eius corpori ſumus inſiti; baptizati ſumus in ſimilitudinẽ ſeu configurationem mortis eius: quatenus ſcilicet in nobis quando baptizabamur impletum eſt & ſignificatione & effectu, quod Chriſti morte figurabatur. Nam mors & paſſio Chriſti non ſolum cauſa fuit noſtræ iuſtificationis, verùm etiam eiuſdem typus ac figuralis quædam repræſentatio. Significabat enim mortem & interitum veteris hominis in nobis, quomodo Chriſtus in ſeipſo mortuus fuit vitæ mortali. Rurſus ex hoc loco colligit Auguſtinus Enchiridij ca. 52, paruulos in peccato naſci. Nã ſi Paulo teſte quicunque baptizãtur in Chriſto, in eius morte baptizantur, & proinde peccato moriuntur; (id enim probandum ſuſcepit) neceſſe eſt & paruulos habere peccatum cui moriantur, dum in morte Chriſti baptizantur. Porro non ſolum mors Chriſti, & crucifixio de qua paulo poſt: ſed & ſepultura & reſurrectio & aſſcenſio in cælum adumbrarunt ea quæ in noſtra aguntur iuſtificatione. Id quod Paulus cum alibi, vt ad Gal. 2. 5. & 6. & ad Col. 2 & 3, tum maximè in hoc capite nos docet. Qua de re ſic Auguſtinus eiuſdem libri cap. 53, *Quicquid geſtum eſt*, inquit, *in cruce Chriſti, in ſepultura, in reſurrectione tertio die, in aſcenſione in cælum, & in ſedere ad dexteram Patris: ita geſtum eſt, vt his rebus non myſticè tantum dictis, ſed etiam geſtis, configuraretur vita Chriſtiana quæ hic geritur.* Quod & deinde per ſingula declarat. Iam verò ſimile myſterium etiam in baptiſmi cærimonia ſtatuit apoſtolus. Nam immerſio Chriſti ſepulturam nobis repræſentat; adeoque & mortem. Sepulcrum namque mortis ſymbolum eſt: nec enim ſepeliũtur niſi mortui. Quæ autem immerſionẽ ſequitur emerſio, ſimilitudinem habet reſurrectionis. Igitur in baptiſmo configuramur non tantum morti Chriſti, quod iam dixit, verùm etiam ſepulturæ & reſurrectioni; Quod vtrumque conſequenter dicturus eſt.

Baptizari in Chriſtũ quid ſit.

Mors & paſſio Chriſti nõ ſolum cauſa, ſed & typus noſtræ iuſtificationis.

In baptiſmo typus noſtræ iuſtificationis.

4 CONSEPVLTI ENIM SVMVS CVM ILLO PER BAPTISMVM IN MORTEM. *Enim* Græcè ἂν *ergo*. Sicque legit Tertullianus in lib. de pudicitia, & Auguſtinus de ſpiritu & litera. Senſus: Per baptiſmi cærimoniam ſumus vnà cum Chriſto ſepulti; quatenus immerſio quæ fit in baptiſmo, ſignificat & exprimit, vt dictum eſt, Chriſti ſepulturam: Sepulti, inquã, ſumus in mortem veteris hominis & peccati; ſicut Chriſtus in ſepulcro iacẽs mortuus erat carne mortali.

VT QVOMODO CHRISTVS SVRREXIT A MORTVIS PER GLORIAM PATRIS. *Surrexit à mortuis*. Græcè ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν, *ſuſcitatus eſt ex mortuis*, id eſt à morte. De qua phraſi dictum eſt aliâs.

ITA ET NOS IN NOVITATE VITÆ AMBVLEMVS. *Ita & nos*, intellige velut ex aqua baptiſmatis emerſi, atque ea mundificati, nouique homines facti. Significatur cauſa finalis myſticæ, quam dixit, ſepulturæ noſtræ. Et ſenſus eſt: ideo per baptiſmum nos Chriſto conſepultos eſſe in mortem peccati, id eſt, mortuos eſſe peccato, vt deinceps à peccati conſuetudine prorſus alieni, exerceamus opera nouæ vitæ, (hoc enim eſt in nouitate vitæ ambulare) quemadmodum Chriſtus reſuſcitatus eſt à morte ad nouam & immortalem vitam: idque per gloriam, id eſt glorioſam operationem patris ſui; quia nimirum in Chriſti reſurrectione Deus qui eam operatus eſt glorificatur. Sic enim multi hanc partem interpretantur: cum alioqui poſſit intelligi cauſa formalis, quam indicat verſio Syriaca *in gloriam patris*: vt ipſa noua & glorioſa vita ad quam à patre reſuſcitatus eſt Chriſtus, ipſo orante, *Pater glorifica filium tuum*, Ioan. 17, vocetur gloria patris. Qui ſenſus haud immeritò placuit Caietano. Nam hoc pacto plenior & aptior erit collatio, quam inter nos & Chriſtum attẽdit apoſtolus. Commentator Amb. legit *per virtutem Dei*: Quod ſenſum habet perſpicuum, ſed ab originali diſſonat. Porro ambulare paſſim in ſcripturis morale vocabulum eſt; quo metaphoricè ſignificatur idem quod conuerſari, viuere, actiones exercere alias poſt alias, ſumiturque non tantum in bono, ſed etiam in malo, vt Ioan. 8, *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris*. Nec propriè profectum indicat, ne quidem dum in bono accipitur; ſed continuationem quandam actionum. Nam & Chriſto in diebus carnis ſuæ competebat ſecundum hunc ſenſum ambulare: de quo Ioan. 1 ep. 2, *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare*. Quanquam nos viatores ita debemus in lege Domini, & in nouitate vitæ ambulare, vt proficiamus de die in diem.

Ambulare in ſcripturis morale vocabulum, & quid ſignificet.

5 SI ENIM COMPLANTATI FACTI SVMVS SIMILITVDINI MORTIS EIVS, SIMVL ET RESVRRECTIONIS ERIMVS. Confirmatio eſt eius quod proximè præceſſit. *Complantati*, Græcè σύμφυτοι non participium eſt, ſed nomen, quaſi dicas *conſiticij* vel *inſiticij*. Porro datiuus τῷ ὁμοιώματι poſſet etiam reddi per ablatiuum modi, *ſimilitudine*; pro quo Syrus vertit *in ſimilitudine*. Verùm Paulus modum ſignificare volens hoc vocabulo, ſemper addere ſolet præpoſitionem ἐν aut ἐπί, vt ſuprà cap. 1 & 5. & infrà cap. 8. & Philip. 2. Quod

cùm

cùm hic factum non ſit, optimè redditum puto à noſtro interprete datiuum *ſimilitudini*; maximè quod eum caſum exigat dictio σύμφυτοι. Nam quod Eraſmus ſupplet hoc modo, *Si enim inſiticij facti ſumus illi*, id eſt Chriſto *per ſimilitudinem mortis eius*, coactum mihi videtur. Nec ſolet Paulus huiuſmodi relatiuum reticere ac ſupplendum relinquere. Poſterius membrum in Græco ſic habet: *ſed & reſurrectionis erimus*: atque ita citat Tertullianus. Vbi *ſed* per vtique, ſanè, igitur, exponendum eſt. Interpres vulgatus pro ἀλλὰ legit ἅμα, vocem ſimilem. Hæc eadem pars ex priori membro ita ſuppleatur: Sed & reſurrectionis erimus ſimilitudini complantati. Senſus igitur huius periodi eſt: Nam ſi more ſurculorum qui arbori inſerũtur, vt inde ſuccum trahant, inſiti ſumus morti Chriſti, cuius ſimilitudinem geſſimus in baptiſmo; & per hoc eiuſdem mortis effecti participes, in eo quod mortui ſumus peccatis: profecto etiam reſurrectionis Chriſti participes effici debemus, tanquam & huic inſiti, cuius æquè in baptiſmo ſimilitudinem geſſimus. Nam ſicut immerſione, quæ fit in baptiſmo, configuramur Chriſto mortuo & ſepulto; ita viciſſim emerſione configuramur Chriſto reſurgenti. Quod ſi autem reſurrectionis Chriſti participes eſſe debemus; igitur in nouitate vitæ quam Chriſti reſurrectio ſignificat, ambulandum nobis eſt.

6 HOC SCIENTES QVIA VETVS HOMO NOSTER SIMVL CRVCIFIXVS EST. Significantius in Græco συνεσταυρώθη *concrucifixus eſt*: tanquam dicat eidem cruci ſimul affixũ, videlicet cum Chriſto. Nunc enim ex ipſa Chriſti crucifixione argumentatur non eſſe manendum in peccatis. Per illam enim figuraliter repreſentata eſt crucifixio & mortificatio veteris hominis in nobis. Senſus: Cum & hoc ſciamus, veterem hominem noſtrum vnà cum Chriſto (ſcilicet in typo ſeu repræſentatione) cruci affixum & mortificatum eſſe. Veterem hominem vocat vetuſtatem & corruptionem peccati in homine, quam ex veteri Adam contraxit: vel potius ipſum hominem, in quantum huiuſmodi vetuſtate affectus eſt. Opponitur autem homini nouo. Quem vtrumque meminit ac notis ſuis deſcribit apoſtolus Eph. 4. Putat Auguſtinus propoſitione 32, Paulum hic reſpicere ad illud Deut. 21, *Maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno*. Nam veteris hominis, id eſt peccatoris ac maledicti ſimilitudinem geſſit Chriſtus propter nos affixus cruci. Vnde & factus pro nobis dicitur *peccatum* 2 Cor. 5. & *maledictum*, Gal. 3. Hic igitur vetus noſter homo ſimul cum Chriſto crucifixus eſt & mortificatus, non vt ſtatim vetuſtas omnis tollatur, quod non contingit in hac vita: ſed, quemadmodum ſequitur;

Chriſti crucifixio quid myſticè ſignificet.

Vetus homo quis intelligatur.

VT DESTRVATVR CORPVS PECCATI. *Deſtruatur*, Græcè καταργηθῇ *aboleatur* vel *aboleretur*. Pro quo legunt Tertullianus & Auguſtinus, *enacuaretur*. Corpus peccati vocat ipſum veterem hominem, cuius membra alibi enumerat, dicens: *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immundiciam* &c. Col. 3. Vbi ſatis ſignificat eadem hæc eſſe membra veteris hominis ac terreni; nempe in eo quod dicit, *membra veſtra quæ ſunt ſuper terram*, id eſt membra hominis veſtri terreni. Deſtruitur ergo & aboletur in nobis corpus peccati, quando membra eius mortificamus, id eſt quando deſideriis peccati non conſentimus, ſed reſiſtimus, eaq; in nobis expugnamus & occidimus. Sunt qui corpus peccati interpretentur corpus noſtrum quatenus peccato ſubditum eſt, quam carnem peccati vocat apoſtolus infrà cap. 8. Atque hanc expoſitionem latè proſequitur Origenes, liberum tamen lectori faciens, vt vel iſtam, vel priorem eligat. Nobis quidem prior huic loco magis accommodata videtur. Quod verò neoterici quidam corpus pro robore poſitum exiſtimant: ac deſtrui corpus peccati dicunt, quum robur & virtus peccati eneruatur: id à conſueto Pauli ſermone conſtat eſſe alienum. Porro quamuis, vt dixi, perfecta deſtructio corporis peccati non huius ſit vitæ, ſed futuræ: nunc tamen interim ita deſtruendum eſt, vt ſaltem fiat quod ſequitur.

Corpus peccati quod dicatur.

ET VLTRA NON SERVIAMVS PECCATO. Legendum, *vt vltra non ſeruiamus*. In hanc enim lectionem omnes ferè noſtri codices, & commentatores conſpirant: Eademque eſt apud Auguſtinum: Nec Græca diuerſam admittunt. Seruit peccato, qui peccati deſideriis, & vt ita dicam, imperiis obſequitur: qui ſub peccati dominio eſt. Nam peccatum fingit vt perſonam dominantem, quæ ſubiectis ſeruis imperet. Sed id expreſſius in ſequentibus.

Seruire peccato quis dicatur.

7 QVI ENIM MORTVVS EST, IVSTIFICATVS EST A PECCATO. Ineſt his verbis tacita argumentatio ab effectu ſeu proprietate mortis, ad hunc modum explicanda: Mortuus homo nihil agit vitale, ſed abſolutus eſt ab officiis vitæ qua prius viuebat. Nam mors abolet omnes vitæ actiones. Sic igitur & nos, quoniam conformati morti Chriſti in cruce, mortui ſumus peccato ſeu vitæ veteri; iuſtificati ſumus, id eſt, abſoluti prorſus à peccato, vt ei nullam deinceps ſeruitutem debeamus, tanquam nihil amplius habentes cum eo negocij ſiue commercij. Quod ait *iuſtificatus eſt*, ſumpta phraſis à iudiciis forenſibus, vbi qui abſoluebatur, iuſtificari dicebatur, hoc eſt liberari, ſiue à crimine ſibi impoſito, ſiue à domino volente eum ſibi vendicare ſeruum. Iam ex hac quoque Paulina ſententia colligit Auguſtinus Enchiridij 42 & 43, paruulos ante baptiſmum habere peccatum: quoniam & ipſi Chriſto commortui ſunt in baptiſmo.

8 SI AVTEM MORTVI SVMVS CVM CHRISTO, CREDIMVS QVIA SIMVL ETIAM VIVEMVS CVM CHRISTO. Græcè, *credimus*

quia

quia & conuiuemus ei. Chryſoſtomus alijque multi dictum hoc accipiunt de vita gloriæ, quam exſpectamus per reſurrectionem; vt ſimile ſit illi quod ait 2 Tim. 2. *Si commortui ſumus & conuiuemus: ſi ſuſtinebimus & conregnabimus.* At certè contextus hic exigit, vt intelligatur de vita per nouitatem Chriſto reſurgenti conformata, quæ eſt vita gratiæ; vt ſit ſenſus: Si mortui ſumus peccato, quomodo Chriſtus mortuus eſt carne: confidimus, ſicut ille reſuſcitatus à morte viuit nouam vitam; ita nos quoque nouam, id eſt à vetuſtate peccati repurgatam vitam deinceps acturos. Et quia confidimus, ad hoc ipſum anniti debemus. Senſum hunc præter alia tam ſuperiora quam ſequentia, manifeſtè vult illa concluſio quam paulo poſt infert; *Ita & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato: viuentes autem Deo in Chriſto*, &c.

9 SCIENTES QVOD CHRISTVS RESVRGENS EX MORTVIS IAM NON MORITVR. *Reſurgens* Græcè *ſuſcitatus*. *Iam non moritur*. Græcè, *non amplius moritur*.

MORS ILLI VLTRA NON DOMINABITVR. Græcè, *mors ei non amplius dominatur*, verbo ſcilicet præſentis temporis; quemadmodum & citat Tertullianus. Atque ita ſcriptum legimus in peruetuſto codice monaſterij Laudenſis. Docere vult apoſtolus non modò recedendum eſſe à peccatis, ſed in nouitate vitæ continuò perſeuerandum. Scimus, inquit, Chriſtum reſurrexiſſe ad vitam immortalem, ita vt non ſit amplius moriturus, neque (quod idem eſt) mors ei præualitura. Semel quidem mors Chriſto dominata fuit, non tamen iure ſuo quod in eum haberet; ſed ipſius voluntate, ac libera poteſtate, de qua ait Ioan. 10. *Ego pono animam meam à meipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam*. Origenes mortem interpretatur diabolum: quod non recipimus. Nam diabolum aliquando fuiſſe dominatum Chriſto, neſcio an ferant aures piæ. Et vt ferant aliquo ſenſu; tamen huic loco non conuenit, vbi de morte, non de principe mortis eſt ſermo. Rectiùs apud Origenem Ruffinus, dum ex hoc loco Pauli redarguit eos qui Chriſtum in futuris ſæculis iterum atque iterum eadem vel ſimilia paſſurum aſſerebant, id eſt ſæpè moriturum. Quod propter ipſum Origenem eo dogmate infamem, à Ruffino additum fuiſſe non eſt dubium.

Mors Chriſto ſemel dominata non amplius dominabitur.

Origenis dogma ex hoc loco refutatũ.

10 QVOD ENIM MORTVVS EST PECCATO MORTVVS EST SEMEL. Vocem *peccato* quidam cum verbo præcedente conſtruunt: ſed alij rectius cum ſequente. Quod & indicant emendatiores codices, commate poſito ante *peccato*, vt miſſale Romanum & biblia Louanienſis caſtigationis. Hanc quippe conſtructionem poſtulat alterum membrum huic antithetũ. *Quod autem viuit* &c. Senſus: Quod enim mortuus fuit Chriſtus, id ſemel dumtaxat fieri oportuit, factumque eſt; videlicet ad deſtructionem peccati: ſimul vt mors noſtra qua peccato morimur, in eius morte repræſentaretur. Ad quod vtrumque vna eius mors ſatis ſuperque valebat. Sic Heb. 9. *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*. Et cap. 10. *Vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos*. Stapulenſis Vallam ſecutus cenſet ex Græco vertendum neutro genere, *Quod enim mortuum eſt, peccato mortuum eſt ſemel*, particula *quod* relatiuè ſumpta. Atque ita legitur apud Hilarium lib. 9 de Trinitate. Sed bene vulgatam verſionem defendit Eraſmus in annotationibus, adducto etiã ſimili loco Gal. 2, ver. 20. *Quod autem nunc viuo in carne*.

QVOD AVTEM VIVIT, VIVIT DEO. Id eſt, Quod autem viuit iam excitatus à morte; viuit vitam glorioſam & immortalem Deoque dignam, qui immortalis eſt. Aut iuxta Chryſoſtomum, *viuit Deo*, id eſt, ex Dei virtute præſtante vitam immortalem. Sed priori ſenſui melius reſpondet quod ſequitur.

11 ITA ET VOS EXISTIMATE, VOS MORTVOS QVIDEM ESSE PECCATO, VIVENTES AVTEM DEO IN CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO. *Vos* ſecundo loco ἑαυτοὺς *vos ipſos*. Pro verbo *exiſtimate* quod Græcè eſt λογίζεσθε, Ruffinus mauult *cogitate*, id eſt animo reputate. Nam exhortatoria concluſio eſt, qua ad inſtitutum applicat apoſtolus ea quæ dixit de morte & vita Chriſti. Ita, inquit, & vos cogitate de vobis ipſis, nempe vos ſemel mortuos eſſe peccato in baptiſmo: de cætero autem viuentes eſſe ac viuere oportere Deo, id eſt vitam viuere Deo congruam, quam nulla mors peccati vlterius ſequatur: idque per Chriſtum. Liquet ex iam dictis aliter Chriſtum, aliter nos mortuos eſſe peccato. Nos enim mortui peccato dicimur, quia non amplius in peccato viuimus, ſed vita peccati derelicta per iuſticiam viuimus Deo. Chriſtus autem mortuus peccato, id eſt corpore mortuus ad tollendum peccatum. Eſt autem in Græco diſcrimen ſermonis obſeruandum. Nam Chriſtus verbaliter & in præterito ἀπέθανεν, id eſt *mortuus fuit* peccato: nos autem nominaliter νεκροὶ, id eſt *mortui* peccato dicimur, ſcilicet morte præſente & in nobis permanente; cùm in Chriſto poſt paululũ morti vita ſucceſſerit.

Aliter Chriſtus, aliter nos peccato mortui.

12 NON ERGO REGNET PECCATVM IN VESTRO MORTALI CORPORE, VT OBEDIATIS CONCVPISCENTIIS EIVS. Hoc loco tertius incipit tomus huius epiſtolæ ſecundum Theodoritum. Eſt enim hic quidam tranſitus à doctrina ad morum informationem; quæ tamen ipſa multum etiam doctrinę continet. Vt autem hæc & quæ ſequuntur vſque ad finem capitis, meliùs intelligantur, obſeruanda eſt (de quo & ſuperiùs admonui) perſonarum fictio quædam in peccato & iuſticia. Fingit enim eas vt reginas ſeu dominas (nam vtrũque in Græco fœmininum eſt) ſingulas ſuum habentes regnum ac dominium, alterum alteri cõtrarium: humanum verò genus regno peccati ſubditum, per Chriſti gratiam paula-

Duo contraria regna peccati & iuſticiæ.

tim

tim ex ea seruitute liberari ac transferri in regnum iusticiæ. Sic autem liberatos hortatur, ne sese rursus per spontaneam obedientiam in priorem peccati seruitutem redigi sinant. Quæ res ex sequentibus fiet manifestior. Quod nos habemus *vt obediatis concupiscentijs eius*, ita legitur in Græco, εἰς τὸ ὑπακούειν αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ, id est *ad obediendum ei in concupiscentijs eius*, vt *ei* ad ἁμαρτίαν peccatum, & *eius* ad σῶμα corpus referatur. Iam enim dixi peccatum hic considerari vt dominam ac reginam, cui seruitus & obedientia præstetur. Vnde quod in Græcis nonnullis pro αὐτῇ legitur αὐτῷ, mendosum existimo. At posteriore loco rectè se habet αὐτοῦ. Passim enim in epistolis apostolicis audimus desideria carnis; quam notare voluit dicens *in vestro mortali corpore*. Quanquam secundum rem concupiscentiæ corporis eædem sunt concupiscentiæ peccati; quatenus peccatum eas in corpore excitat. Tertullianus locum hunc Pauli adducens libro de resurrectione carnis cap. 47, legit vt Græci, *ad obaudiendum illi*, non addens tamen partem sequentem, *in concupiscentiis eius*; fortè quia non totum citare voluit. Peccatum intelligit apostolus ipsam habitualem concupiscẽtiam, quę est fomes peccati: de qua quidnã sit, & in qua animæ facultate resideat, disputari solet in secundo lib. Sententiarum distinctione 30. & nos aliquid dicturi sumus ad illud capitis sequentis; *concupiscentiam nesciebam*, & rursus ad ea verba Gal. 5, *Caro concupiscit aduersus spiritum*. Vocatur autem à Paulo *peccatum* hoc capite & duobus sequentibus, non quod verè & propriè in renatis peccatum sit, vti contendunt huius temporis hæretici: sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat: quemadmodum ex S. Augustini doctrina declarat synodus Tridentina sess. 5 can. 5. Loca apud Augustinum sunt lib. 1 contra duas epistolas Pelagianorum capite 13, sermone 43 de verbis Domini, & sermone 6 de verbis apostoli, & alibi. Potior tamen huius appellationis ratio, quamque præcipuè & interdum solam vrget Augustinus, ea est; concupiscentiam ideo vocari peccatum, quia ad peccatum inclinat atque sollicitat. Nam mors ac cæteræ pœnalitates, licèt etiam sint ex peccato primæ transgressionis, quia tamen ad peccatum non inclinant, non solent peccata vocari in scripturis. Porrò non dicit apostolus: Non sit, sed *non regnet peccatum* &c, quia quamdiu sumus in hoc mortali corpore, est in nobis peccatum, neque durante hac vita exstirpari potest: vnde & habitare in nobis dicitur, capite sequente. Sed hoc agere possumus & debemus, vt non regnet in corpore nostro, id est non dominetur nobis, iuxta id quod orat psalmistes: *& non dominetur mei omnis iniusticia*, psal. 118. Quod fit quando ei ad peccatum sollicitanti non consentimus, & vt apostolus loquitur, non obedimus obsequendo concupiscentijs seu prauis motibus quos excitat in carne nostra. Ita locum hunc declarat Augustinus in expositione psal. 50, & sermone duodecimo de verbis apostoli, & aliâs sæpe. Hinc etiam patet cur addiderit *mortali*, scilicet ad significandum vicium hoc, quod peccatum vocat, propriam ac fixam habere sedem in corpore nostro mortali, nec nisi per mortem huius corporis futurum vt ab eo malo liberemur. Propter quod ait in fine capitis sequentis: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quidam peccati nomine non concupiscentiam hoc loco, sed peccatum in genere malunt intelligi, idemque propriè dictum. Nam fieri non potest, vt dum sumus in mortali corpore, careamus peccato: Possumus autem facere cum Dei gratia, vt peccatum in nobis non regnet. Verùm hi non videntur satis aduertisse ad verba concilij Tridentini loco iam indicato, quibus dicitur apostolum ipsam concupiscentiam aliquando appellare peccatum. Vbi procul dubio respicitur ad caput 6, 7 & 8 huius ad Romanos epistolæ: quæ etiam ad marginem illic annotari solent.

Peccati nomine concupiscentia significatur.

Concupiscẽtia manens in renatis cur peccatum vocetur.

Concupiscẽtia durante hac vita exstirpari nõ potest.

13 SED NEQVE EXHIBEATIS MEMBRA VESTRA ARMA INIQVITATIS PECCATO. *Sed* redundare videtur. Nam Græcè tantum est, *neque exhibete membra* &c. Tertullianus quoque citans hunc locum non addit: & ad sensum non facit. Tantum enim explicat apostolus quod proximè dixerat. Neque, inquit, exhibete, sistite, in obsequium date membra corporis vestri peccato, id est fomiti, vt sint instrumenta ac velut arma quibus peccato militetis, iniusticiæ opera ad quæ suo imperio mouet ac impellit, exercentes. Perstat enim apostolus in metaphora dominij & obsequij. Cui probè seruit Græcum verbum παριστάνετε, bene & significanter ab interprete nostro redditum *exhibete*, tam hic quàm in parte sequenti: minus autem bene ab Erasmo, *accommodate*. Est enim hoc verbum ad id exprimendum quod vult apostolus parum commodum. Quod & ipse Erasmus intelligens postea versu 19 huius capitis, ac rursum initio cap. 10 pro eodem Græco verbo reponit Latinum præbere, id est exhibere.

SED EXHIBETE VOS DEO TANQVAM EX MORTVIS VIVENTES. *Vos* Græcè ἑαυτοὺς, vosmetipsos. Sed, inquit, exhibete, sistite ac date vosipsos totos quãti estis, in obsequium Deo: sicut facere conuenit eos qui peccato mortui iam viuunt cum Christo, similitudini resurrectionis eius conformati.

ET MEMBRA VESTRA ARMA IVSTICIÆ DEO, scilicet exhibete. Sensus: Et ideo membra vestra exhibete Deo, velut arma quibus ei militetis, ad exercenda iusticiæ opera quæ vobis imperat. Nondum hic iusticiam vt dominam opponit peccato, sed Deum: vt ostendat non aliud esse iusticiæ regnũ, aliud Dei; nec aliud iusticiæ militare, aliud Deo. Cæterũ in sequẽtibus apertè cõparantur

peccatum & iuſticia tanquam dominæ, ſuos vtraque ſeruos ſuis obſequijs addictos habentes.

14 PECCATVM ENIM VOBIS NON DOMINABITVR. Quidam præceptiuè exponunt: *non dominabitur*, id eſt non dominetur; idiotiſmo Hebraico: vt ſit repetitio præcepti quo ſuprà dixit; *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore*. Alij intelligunt enunciatiuè dictum, idque rectiùs. Occurrit enim Paulus obiectioni, qua dicere quis poſſet, peccatum eſſe dominam, quæ ſua tyrannide premat ac ſibi ſeruire cogat homines, poſteaquam ſemel in mundum intrauit; ideoque non poſſe nos facere quæ Paulus præcipit. Reſpondet autem fideles ab ea peccati tyrannide liberatos eſſe per Chriſti gratiam, vt iam & deinceps peccatum eis non dominetur: ac proinde meritò ſe ab eis exigere tanquam rem facilem, vt de cætero membra ſua exhibeant arma, non peccato ſed Deo. Probat hunc ſenſum quod ſequitur.

NON ENIM SVB LEGE ESTIS, SED SVB GRATIA. Legem intelligit Moſaïcam, vt paſſim in hac epiſtola, præſertim capite ſequenti: ſed eam ſolam & puram, vt loquuntur, id eſt ſine gratia & fide. Nam diſtinguitur contra gratiam. Igitur ſub lege eſſe dicuntur, qui legis Moſaïcæ ſeruitute premuntur, gratia Dei, quam non agnoſcunt, ad eam implendã non adiuti. Sic enim & alibi phraſim hãc, eſſe ſub lege, Paulus vſurpat, maximè in epiſtola ad Galat. cap. 3. 4 & 5. Sub gratia autem eſſe dicuntur, qui ex fide per gratiam Chriſti, iuſticiam percipiunt aut exſpectant: ſiue legis Moſaïcæ præceptis aſtricti ſint, ſiue non. Nam iuſti veteris teſtamenti, quamuis legis ſeruandæ debitores, quia tamen non ex lege, ſed ex fide venturi Meſſiæ, iuſticiam ſperabant, non ſub lege (proüt apoſtolus vtitur hac phraſi) ſed ſub gratia dicendi ſunt fuiſſe. Vnde etiam intelligitur, poſt legem abrogatam nullos iam eſſe ſub lege, niſi propria & errante conſcientia: velut Iudæos, qui lege Moſaica tanquam adhuc vigeat, teneri ſe credunt. Sic enim & Galatæ quos obiurgat Paulus, eſſe volebant ſub lege, Gal. 4. Senſus igitur apoſtoli & probatio hæc eſt: Non eſtis ſub lege, quippe iam abolita: ſed ab ea tranſlati ad gratiam Chriſti, cui eſtis incorporati per baptiſmum: igitur eſtis à peccati dominio liberi. Sequela valet à cauſa ad effectum.

Qui ſub lege eſſe dicantur.

Qui ſub gratia.

Iuſti veteris teſtamenti nõ erant ſub lege, ſed ſub gratia

15 QVID ERGO? PECCABIMVS, QVONIAM NON SVMVS SVB LEGE, SED SVB GRATIA? Hanc ſibi quæſtionem facit ex eo quod proximè dixerat, *non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia*. Nam ſi ſub lege non ſumus; liberum nobis relictum videtur vt peccemus, id eſt, ea agamus quæ lex prohibet, vt pote legis vinculo non aſtrictis. Ac rurſum; etſi ſub gratia ſimus, adhuc tamen peccandum erit, vt gratia & miſericordia Dei in remiſſione peccatorum amplius commendetur. Qua poſteriori parte coincidit hæc occupatio cum ea quæ erat initio huius capitis.

ABSIT. Res, inquit, planè abſurda eſt, nec vllo modo conſequens ex dictis: cùm potius ex ijs bene intellectis diuerſum ſequatur, ſcilicet non eſſe peccandum.

16 NESCITIS QVONIAM CVI EXHIBETIS VOS SERVOS AD OBEDIENDVM. Græcè *vos ipſos ſeruos ad obedientiam*, quam mox obeditionem vocat interpres.

SERVI ESTIS EIVS CVI OBEDITIS, SIVE PECCATI AD MORTEM, SIVE OBEDITIONIS AD IVSTICIAM? Obiectionem contrario refellit argumento: ex quo tamen etiam obiectionis ſolutio poſſit accipi. Vis argumenti hæc eſt: Cui quis ſe exhibet ac tradit ad obediendum, ſeruus illius efficitur: atqui per gratiam voſmetipſos tradidiſtis in obedientiam euangelij: igitur huius eſtis ſerui; & proinde non amplius peccare, ſed operibus iuſticiæ quæ præſcribit euangelium, incumbere debetis. Propoſitionem argumentationis iſta pars tota continet, obſcura quidem, ſed quam ita clariorem reddere licebit: An neſcitis quod cuicumque vos ipſos addicitis, obediẽdo voluntati & imperio eius, ſerui illius efficimini: ſiue peccati, quod hominem ſibi ſeruientem trahit ad mortem; ſiue euangelij, aut (ſecundum alios) fidei, cuius obedientia præſtat iuſticiam? Nam in euangelio *iuſticia Dei reuelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt, Iuſtus autem ex fide viuit*, ſuprà cap. 1. Vbi etiam fides euangelij per obedientiam deſcribitur: quẽadmodum & alibi. Porro mortem intelligit æternam, de qua infrà, *Stipendia peccati mors*. Conſonant huic loco ſcripturæ, Ioan. 8, *Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*. Et 2 Petri 2, *A quo quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt*.

Duplex ſeruitus, peccati & euangelij ſeu fidei.

17 GRATIAS AVTEM DEO QVOD FVISTIS SERVI PECCATI. *Gratias*, Græcè χάρις *gratia*: ſed ſenſum facit eundem.

OBEDISTIS AVTEM EX CORDE IN EAM FORMAM DOCTRINÆ IN QVAM TRADITI ESTIS. His verbis aſſumptio continetur præcedentis argumentationis. *In quam* lego ex correctione Romana, pro eo quod paſſim legebatur, *in qua*. Correctionem probant non modo Græca & Syra exemplaria, verũ etiam ex Latinis meliora poſt Amb. Aquinatem & Liranum: nec non veteres concordantiæ. Apud Pelagium autem ſic legitur: *in ea forma doctrinæ in quam traditi eſtis*. Quod à Græca lectione non eſt alienum. Sic enim habet ad verbum: *obediſtis autem ex corde in quam traditi eſtis formam doctrinæ*. Quod ita conſtruitur & explicatur: Obediſtis in ea forma, vel ſecundum eam formam doctrinæ, *in quam traditi eſtis*, id eſt traducti ſiue tranſlati per euangelij prædicationem. Quod nonnulli per hypallagen exponunt: *in quam traditi eſtis*, id eſt, quæ tradita eſt vobis. Verùm ſuperior propoſitio magis exigit, vt ſignificetur quod ipſi ſua voluntate & ſpontanea obedientia ſe tradiderint

euan-

euangelio; cuius proinde serui sint facti. Porro non agit gratias Deo pro seruitute peccati, quam aliquando passi sint; tanquam illud esset Dei beneficium: Sed phrasis est Hebraica, sensum hunc habens: Gratia Deo habenda, quod cùm fueritis serui peccati, nunc è conuerso obedieritis ex corde, id est toto animo vosmetipsos composueritis ad formam euangelicæ doctrinæ, cui contraditi estis. Similes sunt locutiones, Isaiæ 12, *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conuersus est furor tuus, & consolatus es me.* & Lucæ 15, *Manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat & inuentus est.* Iam si gratiæ Deo sunt agendæ pro eo quod ex corde obediunt homines euangelio: igitur obedientia voluntatis humanæ & opus & donum Dei est, *vt ne quis glorietur*, Ephes. 2.

Obedire euangelio donũ Dei est.

LIBERATI AVTEM A PECCATO, SERVI FACTI ESTIS IVSTICIÆ. Datiui casus est *iustitiæ*. Sic enim habetur in Græco ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ, ac si dicat, mancipati estis iustitiæ. Cohæret hæc pars cum præcedente, tanquam explicatio eius quod dixit, *fuistis serui peccati*. Nam sensus est: Gratias, inquam Deo, quod liberati à peccati dominio, *serui facti estis iustitiæ*, nempe per hoc quod euangelio obediuistis, ac si dicat; à probrosa seruitute, cuiusmodi maximè est seruitus peccati, translati ad honorabilem seruitutem, scilicet iustitiæ qua Deo seruitur. Idcirco cauendum vobis summopere est, ne iterum peccando in priorem seruitutem recidatis.

19 HVMANVM DICO, PROPTER INFIRMITATEM CARNIS VESTRÆ. Suadet ab æquo & facili. Rem, inquit, non difficilem, sed humanis viribus accommodam & humano iudicio valde æquam & rationabilem vobis propono, & à vobis exigo: idque propter infirmitatem carnis vestræ; quasi dicat, nolo vos onerare grauiore præcepto. Quamuis enim spiritus promptus sit, caro tamen infirma est. Nomine carnis intelligi potest vel ipse homo quatenus carnalis est, ad malum pronus, & ad bonum infirmus: quomodo dictum est Geneseos 6, *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*. Vel innata homini concupiscentia, reddens eum carnalem & infirmum; tametsi prior intellectus magis placet. Hieronymus in epistola ad Algasiam quæst. 10 phrasim hanc, *humanum dico*, refert inter eas, quæ Paulo vt homini Tarsensi, & lingua Cilicum vtenti, fuêre peculiares; quemadmodum & illam 1 Corint. 4, *ab humano die*. Simili ratione tentationem humanam nominat eiusdem epistolæ capite 10. Porro humanum illud quod dicit, iam sequitur.

Quid nomine carnis intelligatur.

SICVT ENIM EXHIBVISTIS MEMBRA VESTRA SERVIRE IMMVNDICIÆ ET INIQVITATI, AD INIQVITATEM: ITA NVNC EXHIBETE MEMBRA VESTRA SERVIRE IVSTICIÆ, IN SANCTIFICATIONEM. *Ita nunc*. Græcè, *ita & nunc*. Notandum quoque pro verbo *seruire* vtrobique in Græco esse nomen neutrum δοῦλα, id est *serua*, siue vt Tertullianus duobus locis antè citatis legit, *famula*, videlicet adiectiuum substantiui τὰ μέλη *membra*, vt seruitus hæc ipsis membris tribuatur. Deinde eadem vtrobique præpositio est εἰς, *ad iniquitatem, ad sanctificationem*. Sensus; Cũ meritò deberetis multo maius studiũ impendere seruituti iusticiæ, quam hactenus impendistis seruituti peccati; & ad id possem vos exhortari, vtendo verbis eiusmodi quibus Baruch alloquitur Iudæos cap. 4 dicens: *Sicut fuit sensus vester vt erraretis à Deo, decies tantum iterum conuersi requiretis eum*: attamen demittens exhortationem meam ad vestram infirmitatem, hoc solum à vobis requiro, vt sicut membra vestra aliquando præbuistis immundiciæ, & in vniuersum iniustitiæ serua, ad opera iniusticiæ patranda: ita nunc pari saltem studio præbeatis membra vestra serua iusticiæ ad sanctificationem vestram, id est, vt vitam agatis sanctam & puram, nominatim ab iis peccatis quæ ad genus immundiciæ spectant. Huic enim peccatorum generi sanctitatem præcipuè opponunt apostolicæ literæ, vt 1. Thess. 4. & alibi.

20 CVM ENIM SERVI ESSETIS PECCATI, LIBERI FVISTIS IVSTICIÆ. *Essetis, fuistis*; vtrumque Græcè ἦτε *eratis*. Et *iusticiæ* rursus datiui casus est τῇ δικαιοσύνῃ. Sensus: Quando eratis serui peccati, liberi eratis à præclara & vnicè exoptanda seruitute iusticiæ; liberi, inquam, inquantum non seruiebatis iusticiæ. Quidam sic: *Liberi fuistis iusticiæ*, id est, credebatis vos non esse obligatos iusticiæ: secundum illud quod dicitur impiæ ciuitati Ierem. 2, *A sæculo confregisti iugum meum; dixisti, non seruiam*, id est libera sum. Verùm prior expositio menti Paulinæ magis congruit. Sentit enim liberos fuisse iusticiæ, non opinione sed facto, tametsi non iure.

Quid liberũ esse iustitiæ.

21 QVEM ERGO FRVCTVM HABVISTIS TVNC IN ILLIS, IN QVIBVS NVNC ERVBESCITIS? *In illis*, Græcè non est: sed nec in omnibus Latinis. Quanquam Græca exigunt huiusmodi supplementum, *in illis* aut *ex illis*. Exhortationem confirmat apostolus ab effectu & exitu vtriusque seruitutis. Ac primum ostendit nullum verum fructum ex peccatis percipi; quia fructus propriè in bono intelligitur. Cùm autem dicit *in quibus*, id est de quibus *nunc erubescitis*, insinuat effectum quendam, qui impropriè fructus dici queat, ex peccatis consequi; sed malum & fugiendum, nimirum pudorem & erubescentiam; qua parte simul innuit se loqui potissimum de peccatis immundiciæ. De his enim maximè solent homines erubescere.

Fructus propriè tũ intelligitur in bono.

NAM FINIS ILLORVM MORS EST. *Est* additum ab interprete. Sensus: Adeò nullus ex peccatis fructus percipitur, vt etiam mors inde tandem consequatur. Mortem intelligit eam quæ vitæ æternæ opponitur: Hanc enim mox ex aduersa parte collocat. Mors autem illa quamuis sit totius hominis, tamen initium habet à morte corporali, eamq; complectitur.

22 NVNC VERO LIBERATI A PECCATO. Id est à dominio peccati, cui seruiebatis.

SERVI AVTEM FACTI DEO. Id est mancipati Deo, nempe per hoc quod addixistis vos operibus iusticiæ quæ Deus præcipit. Quos priùs dixit seruos factos iusticiæ; nunc, quò seruitutem illam impensiùs commendet, Deo seruos esse factos affirmat.

HABETIS FRVCTVM VESTRVM IN SANCTIFICATIONEM. Hoc est, ipsam sanctificationem siue sanctimoniam, vitęque mundiciam, velut fructum ex illa seruitute capitis. Si fructus est sanctitas, vtique vera, licèt imperfecta: non igitur imputatiuè solum & sancti & iusti sumus. Loquitur enim de fructu quem in hac vita percipimus: Nam de futura sequitur.

FINEM VERO VITAM ÆTERNAM. Ad hanc enim perducit tandem iusticiæ seruitus; & ad eam vt causam finalem ordinatur. Circa totũ hunc locum in quo tam peccati quam iusticiæ seruitus identidem nominatur, sciendum ex eo quod peccator dicitur seruus peccati, sicut & Dominus ait Ioan. 8, *Qui facit peccatum, seruus est peccati*, & Petrus de quibusdam 2 epistolæ 2, *Cùm ipsi sint serui corruptionis*, id est peccati; nequaquam cõsequens esse quod hæretici volunt, hominem peccatorem necessariò peccare & non liberè; quemadmodum nec ex eo quod iustus vocatur seruus iusticiæ, sequitur hominem iustum necessariò bene operari: quasi nomen serui necessitatem importet actionibus quas aliquis vt seruus facit. Quod falsum esse constat. Nam siue in bonam partem siue in malam, seruitutis nomen huc translatum est, non ad significandam actionum necessitatem, sed ipsius hominis ad actiones huius aut illius generis addictionem, & vt ita dicam, appropriationem: vti superiùs expositum est. Significatur enim alios quidem peccato dominanti addictos esse, eiusque velut imperio regi & desiderijs agi; alios verò iusticiæ dominanti addictos seruire, eiusque iussis obtemperare. Est enim vt antè dixi, fictio personarum in peccato & iusticia, dum vel huius vel illius serui dicuntur homines, quod eis perinde vt dominis seruire videantur. Imò verò quia apostolus hanc seruitutem in obedientia constituit, vt ex eius verbis est manifestum; obedientia autem propriè non est nisi liberæ voluntatis; planè ex hoc loco diuersum sequitur, videlicet tam peccatores quàm iustos liberum habere arbitrium ad eas actiones, in quibus vel peccato vel iusticiæ seruiunt. Illud interim discrimen agnoscendum inter seruos peccati & seruos iusticiæ, quod hi solis arbitrij viribus deflectere possint ad peccatum, illi non nisi gratia Dei adiuti à seruitute peccati sese expedire, & ad iusticiam transferre queant; quemadmodum docet Augustinus libro 1 contra duas epistolas Pelagianorum cap. 2.

Seruitus peccati & iusticiæ nõ adfert necessitatem volũtati.

23 STIPENDIA ENIM PECCATI MORS. Declarat quod dixit de fine & exitu vtriusque seruitutis. Sensus huius partis: Merces quam peccatum seruis suis rependit, mors est. Adhuc enim durat metaphora seruitutis & militiæ. Nam considerat apostolus peccatum vt dominum ac imperatorem, qui non solùm seruis ac militibus suis imperet, verùm etiam stipendia soluat: eamque ob causam vsus est stipendij nomine. Sic Theophylactus & alij. Atque huic intellectui probè respondet alterum sententiæ membrum, *Gratia Dei*, &c. Est autem Græcè pro stipendiis ὀψώνια, quæ vox propriè significat cibarium ac vulgare stipendium gregariis militibus pro mercede dari solitum. Itaque vocabulo ipso Paulus insinuat, cuiusmodi stipẽdium conueniat ijs persolui, qui sub peccati signis militant.

Cur mercedẽ peccati vocet apostolus stipendia.

GRATIA AVTEM DEI, VITA ÆTERNA IN CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO. *Gratia*, Græcè χάρισμα, id est donum gratuitum; & sensus est: Donum quod Deus seruis suis largitur, est vita æterna accipienda per Iesu Christi Domini nostri merita. Quæritur cur non dixerit, stipendium aut merces iusticiæ vita æterna: sicut dixerat, *stipendium peccati mors*. Id enim postulare videbatur consequentia sermonis. Respondet hæreticus meritum omne iustificatis detrahens, hanc esse causam: quia vita æterna tantum est gratia Dei, non etiam merces bonorum operum. Verùm B. Augustinus multis locis aliter & catholicè respondet: vitam æternam quamuis pro bonis operibus iusto Dei iudicio reddendam (sicut ait ipse Paulus, coronam iusticiæ eam appellans, *Quam reddet mihi*, inquit, *in illa die iustus iudex*, 2 Tim. 4) gratiam tamen esse, id est gratuitum Dei munus, quoniam ipsa bona opera pro quibus vita æterna redditur, gratia sunt, id est gratis data: eodem apostolo testificante, quod sumus *creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus*, Ephes. 2. Ad hanc igitur gratiam commendandam maluisse Paulum loqui ad hunc modum, vt vitam æternam diceret gratiam Dei, quam vt stipendium iusticiæ: quod alioqui verè dicere poterat. Ita docet Augustinus in epistola 105 ad Sixtum: libro de gratia & libero arbitrio capite 6 & tribus sequentibus: de correptione & gratia capite decimo-tertio: & Enchiridij capite 107. Quo postremo loco sic ait: *Ipsam vitam æternam, quæ certè merces est bonorum operum, gratiam Dei appellat apostolus: Stipendium enim, inquit, peccati mors: Gratia autem Dei vita*

Vita æterna quãuis bonorum operum merces, multiplici ratione gratia vocatur.

æterna

æterna in Christo Iesu Domino nostro. Stipẽdium pro opere militiæ debitum redditur, non donatur: ideo dixit: Stipendium peccati mors: vt mortem peccati non immerito illatam, sed debitam demonstraret. Gratia verò nisi gratis sit, gratia non est. Intelligendum est igitur etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera: quibus cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur? Hæc Augustini responsio, quam probant omnes orthodoxi, plenior erit & absolutior, si dicamus idcirco vitam æternam vocari gratiam, quod prædestinatio quâ ad salutem & vitam æternam præordinati sumus, prorsus gratuita sit, & ab omni præuisione meritorum independens. Cùm enim prædestinatio Dei respiciat & vitam æternam, & opera bona; illam vt finem, hæc vt media ad finem; sitque finis intentione primus: vtique consequens est, prædestinationem ad vitam, ordine rationis priorem esse prædestinatione ad opera quibus vitam mereamur: quemadmodum pluribus ostendimus in 1 sentent. dist. 40. Sed & hanc rationem ad Augustini responsionem amplius stabiliendam adiungimus; quia Deus gratuitò dignatus est vitam æternam constituere mercedem ac præmium bonis operibus. Non enim iis hæc meriti ratio competit ex ipsorum natura, sed ex Dei beneplacito quo ita statuit ac promisit. Quanquam, etiam idcirco non debuit apostolus dicere; stipendium iustitiæ vita æterna; quia Græcum vocabulum ὀψώνια non quadrabat in excellentissimũ illud præmium iustitiæ, quod est vita æterna. Quo plenius autem respondeatur aduersariis, sciendũ est χάρισμα Græcis interdum id significare quod Latini donatiuum appellant, id est munus quod à principe militibus ob rem fortiter ac feliciter gestam donatur. Et ita accipi hoc loco valde probabile est. Versatur enim apostolus, vt dictum est, in metaphora militiæ. Certè Tertullianus in libro de resurr. carnis cap. 47 *donatiuum* transtulit, appositè nimirũ & Romanè. Erat enim illa Romanorum imperatorum consuetudo, donatiua largiri militibus. Igitur in eodem Græco nomine quo Paulus vsus est, habemus & largitionem gratuitam, & laborum militarium remunerationem. Ex quo præterea confirmari posse videtur, quod Theologi communi consensu tenent; Deum omnibus suis electis præmia redditurum supra condignum.

Prædestinatio hominis ad vitã æternam gratuita.

Bona opera vitam merentur æternam, non sua natura, sed ex Dei promissione.

Vita æterna donatiuum ab apostolo vocatur.

Deus electis suis præmia reddit supra condignum.

SVMMARIVM.

Docet fideles per Christum legi mortuos esse, vt Deo fructificent: qui quãdo sub lege erãt, morti fructificabant, non vicio legis quæ bona est; sed peccati, quod per legem cognitum eiusdem occasione magis excreuit. Nunc quoque propter malum in se reliquum, se non ea quæ vult agere: sed mente quidem seruire legi Dei, carne autem legi peccati.

CAPVT SEPTIMVM.

1 AN IGNORATIS FRATRES (SCIENTIBVS ENIM LEGEM LOQVOR) QVIA LEX IN HOMINE DOMINATVR QVANTO TEMPORE VIVIT? Superiori capite docuit apostolus liberatos esse fideles à seruitute peccati: quoniam & ipsi peccato mortui erant in baptismo, & peccatum ipsis mortuum. Nunc ostendit liberatos esse à seruitute legis, iuxta quod dixerat: *Non enim sub lege estis, sed sub gratia*. Ostendit autem consimili argumento: quia lex ipsis mortua est, & ipsi vicissim legi mortui. Quoniam verò soli Iudæi sub lege fuerant, idcirco peculiariter eos hic alloquitur: quod significant interposita verba; *Scientibus enim legem loquor*. Vbi legem nonnulli vel euangelium, vel naturæ legem interpretantur; sed præter mentem apostoli: quem constat de lege Iudæis propria loqui, vel ex hoc ipso, quia dicit: *scientibus legem loquor*, id est legis ac scripturarum peritis. Est enim valde probabile in hac parenthesi legem extendi ad omnes libros veteris instrumenti, quemadmodum & suprà cap. 3, cùm ait: *Quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur*. Cur id probabile sit, ex sequentibus intelligetur. Porrò Græcè non est *in homine dominatur*, sed *dominatur hominis*, siue *homini*, quomodo legunt commentator Ambros. & Hilarius in enarratione psalmi 131. Et secundum hoc textus noster interpretandus est. Verbum *viuit* non ad hominem, sed ad legem referendum videtur. Ad hoc enim inuitat subiuncta declaratio, in qua lex viro comparatur, quo viuente mulier ei manet subiecta. Quo argumento Origenes docet ad legem referri oportere. Cum quo post commentatorem Ambros. ferè sentiunt recentiores. Et ita vertit Erasmus: *Lex tantisper dominatur homini, quoad ea vixerit*. Alij tamen, vt Theophylactus, Oecumenius, (de Chrysostomo non liquet) Aquinas, Caietanus, atque etiam Augustinus quæstione 66 libro 83 quæstionum, ad hominem referre malunt propter ea quæ postea sequuntur: vbi non legem mortuam dicit apostolus; sed homines qui legi prius erant subiecti, legi mortificatos dicit per Christum. Verùm ad hoc responderi potest; apostolum ex eo quod homines legi mortificatos dicit, intelligendum relinquere, legem ipsam illis mortuam esse, quæ prius ipsis viuebat quando eos tenebat subiectos. Sic enim etiam capite præcedenti modò dicit nos mortuos esse peccato, modò veterem hominem nostrum crucifixum esse, vt destruatur corpus peccati. Id autem quid est aliud quàm peccatum nobis esse mortuum? Ita ad Galatas cap. sexto in vna sententia:

Legis nomine tota veteris instrumẽti scriptura comprehenditur.

Mundus, inquit, *mihi crucifixus eſt, & ego mũdo*. His accedit quod & in coniugio, ex quo ſumit apoſtolus comparationem, ita ſe res habet, vt alterutro mortuo ſoluatur lex coniugij. Rectè igitur Caietanus admonet parum aut nihil referre ad ſenſum & ſcopum apoſtoli, ſiue ad legem, ſiue ad hominem verbum *viuit* referatur. Nobis tamen ad legem referri probabilius eſt ob rationem ſupradictam, vt ſit ſenſus: Lex dominatur & poteſtatẽ ſuam exercet in hominem, quamdiu ipſa viuit ac viget; nõ autem poſtquam mortua & exſtincta fuerit. Sed cur dicit ſe loqui ſcientibus legem, quum nec ij quibus lex data non fuit, ignorent legem homini dominari, dum vel ipſa, vel homo legi ſubditus, viuit? Reſpõdeo melius id noſſe qui legem acceperunt, & eius iugum experti ſunt. Neque tamen ad hoc ſolum reſpicit apoſtolus: ſed ſimul ad id quod ſequitur de lege coniugij. Id enim adfert tanquam notum Iudæis ex lege ſibi tradita.

Quæſtio.

Reſpõſio.

2 NAM QVÆ SVB VIRO EST MVLIER, VIVENTE VIRO ALLIGATA EST LEGI. Quod dixit, exemplo declarat legis coniugalis; à qua deinde comparationem ſumit ad docendum quod hic principaliter inſtituit, fideles eſſe liberos à ſeruitute legis. Comparat autem legem viro; & homines legi ſubiectos, mulieri virum habenti; idque ſatis appoſitè. Quãuis enim lex Latinis ſit fœminei generis, Græcis tamen eſt maſculinum, νόμος. *Sub viro*, Græcè ὑπανδρος, quaſi dicat *ſubuiralis*. Eraſmus, *viro obnoxia*, ſcilicet per coniugium: proüt dictũ eſt ei Gen. 3. *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*. Eãdem Græca voce vtuntur interpretes LXX Num. 5 & Prouerb. 6. Porro ſciendum in Græco non haberi *viuente viro*, quod per genitiuos exprimi deberet; ſed τῷ ζῶντι ἀνδρὶ *viuenti viro*; eumque datiuum regi à verbo *alligata eſt*. Ita quoque Tertullianus lib. de monogamia cap. 13, *viuenti viro vincta eſt*. Vnde conſequenter pro datiuo *legi* reddendum eſſet ablatiuo *lege*, id eſt per legem; quomodo vertit Eraſmus: vt ſenſus ſit, mulierem per legem coniugij alligatam eſſe viro viuenti, id eſt quamdiu viuit: tametſi poteſt etiam vtrobique datiuus retineri per appoſitionem hoc modo: Viuenti viro alligata eſt legi, id eſt tanquam legi. Nam (vt dixi) comparat apoſtolus legem viro, & vir eſt quaſi lex mulieris; quia ſecundum præcepta apoſtolica mulier debet eſſe viro ſubdita, eique obedire. Qua ratione dici ſolet principem eſſe legem populi animatam. Verùm quia ſcriptura nuſquam ipſum hominem vocat legẽ; magis placet prior ſenſus: cui bene etiam aptatur illud 1 Cor. 7, *Mulier alligata eſt lege*: vt ex Græco verti poteſt. Aſtipulatur autem vtriuſque loci verſio Syriaca, *per legem*. Sed iam quæritur vbinam lex doceat quod hic apud ſcientes legem, velut ex lege, Paulus allegat, mulierem viro cui nupſit, alligatam eſſe, quoad ille vixerit. Nã certè Moyſes Deut. 24 viro poteſtatem facit dato libello repudij dimittere vxorem, ſi propter aliquam fœditatem diſplicuerit. Quod huic ſententiæ Paulinæ videri poteſt contrarium. Quidam adferunt illud Ieremiæ 3, *Si dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum; nunquid reuertetur ad eam vltra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa?* Mihi veriſimilius eſt Paulum reſpicere ad legem coniugij inſtitutam in paradiſo, Gen. 2, qua dictũ eſt: *Relinquet homo patrem ſuum & matrem; & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna*. Similiter enim 1 Cor. 14 dicẽs de mulieribus: *Non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit*: reſpicit ad id quod legi coniugij poſt peccatum acceſſit, Gen. 3. Quod autem illis verbis, *relinquet homo*, &c. ſignificatũ ſit coniugium ſolui non poſſe, docet Chriſtus Matth. 19, dum ex iis infert: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Id verò quod de lege repudij Moyſes ſtatuit, oſtendit permittentis fuiſſe, non approbantis: permittentis, inquam, ob duriciam cordis eorum quibus illa lex data fuit; ſalua nihilominus lege primordiali; quam Deus ſemper valere voluit. Quod quidem ipſe Moyſes in Deuteronomio, & poſt eum Ieremias ſatis innuunt; quũ mulierem dimiſſam & alteri nuptam dicunt põllutam eſſe & abominabilem factam corã Domino. Hoc ipſum igitur & Paulus ſignificat, dum præfatus ſe loqui ſcientibus legem, affirmat mulierem viro ſuo dum viuit alligatam manere. Cùm autem lex illa coniugij nõ Moſaïca ſit, ſed ab initio data, atque à Chriſto cõfirmata: rectè ex hoc loco, quo Paulus eam explicat, docent Theologi inſolubile eſſe vinculum matrimonij, vita vtriuſque coniugis durante. Quod tamen vtrum aliquam habeat exceptionem, diſputatur ad diſt. 33 lib. 4 ſententiarum. Neque id negat apoſtolus: ſed ab eo quod ordinarium eſt in lege matrimonij, comparationem aſſumit. Neque hic attinebat exceptionis alicuius meminiſſe, præſertim cùm rari ſint & priuilegiarij caſus; vt dum infidelis cum coniuge conuerſa cohabitare non ſuſtinet abſque iniuria Chriſti; & dum inconſummato adhuc matrimonio alter ingreditur religionem. Quarum exceptionum priorem ipſe Paulus oſtendit 1 Cor. 7, poſteriorem habemus ex apoſtolica traditione. Quanquam ſatis apparet apoſtolum hic loqui, quemadmodum & Moyſen in Geneſi, de matrimonio conſummato, in quo duo facti ſunt vna caro: tum quia mulierem vocat ὕπανδρον, in qua voce ſignificatio quædam eſt concubitus; tum verò quoniam in eo quod ſequitur, *ſi fuerit cum alio viro*, concubitus ſine dubio ſignificatur. Vnde conſequenter intelligi datur, eam antea, pari ſenſu, cum priori viro fuiſſe.

Reſpõſio.

Coniugij vinculum inſolubile.

An aliquo caſu ſolubile.

Vir lex mulieris.

Quæſtio.

SI AVTEM MORTVVS FVERIT VIR EIVS, SOLVTA EST A LEGE VIRI. Relatiuum *eius*, quod nec in Græco eſt nec apud Hilarium, ſuppleuit interpres. *Soluta eſt* Græcè κατήργηται: pro quo Tertullianus & Hilarius *euacuata eſt*. Et

eſt. Et ita noſter interpres alibi ſæpe vertit, nominatim in locutione ſimili Gal. 5, *Euacuati eſtis à Chriſto*. Quanquam hoc loco rectè, *ſoluta eſt*; vt alij, *liberata eſt*. Significatur autem Græca voce ius abolitum & antiquatum. Legem viri rurſus intellige legem coniugij, qua ſub viri poteſtate mulier tenebatur, & à qua liberatur per viri mortem. Poteſt etiam verti, *à lege viro*, id eſt à viro qui lex eſt mulieris, ſicuti dictum eſt in parte præcedenti. Sed is ſermo durior eſt, & vt dicebam, ſcripturis inſolitus.

3 IGITVR VIVENTE VIRO VOCABITVR ADVLTERA, SI FVERIT CVM ALIO VIRO. Græcè: *ſi fuerit viro alteri*, id eſt ſi copulata fuerit alij viro. Eſt enim Hebraiſmus, quem etiam Auguſtinus obſeruauit in locutionibus de Leuitico c. 22. *Filia ſacerdotis ſi fuerit viro alienigenæ. Vocabitur*, non quomodocumque. ſed accuſata apud iudicem. Tale quid enim inſinuat vox Græca χρηματίσει. Rectè autem hoc loco vertit interpres *viuente viro*; quod ſuperius non potuit. Sunt enim hic genitiui, qui Græcis abſolutè ponuntur, quomodo Latinis ablatiui.

SI AVTEM MORTVVS FVERIT VIR EIVS, LIBERATA EST A LEGE VIRI. Relatiuum *eius* rurſum ab interprete ſuppletum. Nec Græca habent *liberata eſt à lege viri*, nec Hilarius addit *viri*: Sed Græcè tantum, *libera eſt à lege*, ſcilicet ea qua viro erat alligata atque ſubiecta; quam ſuprà vocauit legem viri.

VT NON SIT ADVLTERA, SI FVERIT CVM ALIO VIRO. Græcè *ſi fuerit viro alteri*, vt ſuprà. Senſus: ac proinde non erit adultera, nec vt talis accuſabitur aut iudicabitur, etiamſi coniuncta fuerit alij viro.

4 ITAQVE FRATRES MEI, ET VOS MORTIFICATI ESTIS LEGI PER CORPVS CHRISTI. Exemplum quod de muliere & viro adduxerat, applicat inſtituto. Sicut, inquit, viro mortuo lex coniugij, vel etiam vir ipſe nihil amplius habet iuris in mulierem; ita lex Moyſi, cui vos Iudæi (nam Iudæos alloquitur, vt dictum eſt) ijdemque in Chriſto fratres mei, iam mortui eſtis; quæque proinde viciſſim vobis eſt mortua; nihil amplius in vos iuris habet. Hoc quod dicit apoſtolus *mortificati eſtis legi*, nonnulli reſtringũt ad legem cærimonialem: vt ſit ſenſus, fideles eſſe liberatos ab obſeruatione cærimoniarum quas lex Moſaica præſcribit, idque per corpus Chriſti, id eſt per mortem eius ſecundum corpus, in qua & per quam lex illa vim obligandi perdidit. Sed apoſtolum non id ſolum velle, perſpicuũ eſt; quia de lege non aliter hic loquitur quam capite ſuperiori, vbi dixit: *Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia*: Quod vniuersè dictum eſt de lege veteri per Moyſen data. Deinde & ea quæ hic proximè ſequuntur, palam oſtẽdunt non de cærimonijs legis apoſtolum agere, ſed de lege ſimpliciter, & quidem præcipuè de lege decalogi. Nam ex ea depromit illud; *Non concupiſces*. Igitur ſenſus eſt, fideles legi mortuos eſſe, proindeque legi non amplius ſubiectos; ac conſequenter in iis iam locum non habere ea legis officia quæ illi propria ſunt vt à gratia diſtinguitur, id eſt minari, accuſare, terrere, damnare & punire. Mortuos, inquã, per corpus Chriſti, ſcilicet, vt quidam exponunt, oblatum & mortuum in cruce; vt ſenſus ſit, per crucem & mortem Chriſti, quam in corpore ſuo ſuſtinuit; quomodo dicit Eph. 2 Chriſtum ſoluiſſe *inimicitias in carne ſua*, id eſt per carnem ſuam cruci affixam & in cruce mortuam. Vel potius & textui congruẽtius; *per corpus Chriſti*, id eſt per hoc quod ſunt incorporati Chriſto, tanquam coniuncti alteri viro, & cum eo facti vna caro. Nam ſequitur. *Legis à gratia diſtincta officia.*

VT SITIS ALTERIVS. Græcè *vt ſitis alteri*, ſiue quomodo legit Tertullianus, *vt efficiamini alteri*. Quæ phraſis iam ante expoſita eſt. Nam alluſio eſt ad coniugium, à quo comparationem deſumſit in ſuperioribus. Et quidẽ in editione Complutenſi ſic expreſsè legitur hoc loco, ἀνδρὶ ἑτέρῳ, *viro alteri*. Et in codice Laudenſi, *vt ſitis alterius viri*.

QVI EX MORTVIS RESVRREXIT. Græcè: *ei qui ex mortuis ſuſcitatus eſt*. Nam articulus additus emphaſim facit. Quam ſic expreſſit Hilarij citatio: *vt & ipſi ſitis alterius, huius qui à mortuis reſurrexit*. Senſus: Quo fit vt loco veteris legis iam alium virum habeatis, eique coniuncti ſitis, cuius deinceps arbitrio regamini; ſcilicet eius qui à morte reſurrexit: ad cuius formam etiam vos oporteat in nouitate vitæ ambulare, tanquam ex mortuis viuentes, vt dictum eſt cap. præcedenti. Vnde & hic addit.

VT FRVCTIFICEMVS DEO. Mutat perſonam (quod apoſtolicæ modeſtiæ eſt) vt etiam ſeipſum in hac exhortatione comprehendat; maximè quia generalis eſt exhortatio pertinens ad omnes ex Iudæis fideles. Eſt autem & hic ad coniugium alluſio. Debent enim vxores fructificare viris ſuis, non alienis, id eſt filios (qui fructus ventris in ſcriptura vocantur) ex ſuis viris conceptos edere. Dicit ergo *vt fructificemus Deo*, id eſt vt Chriſto tanquam viro noſtro cui coniuncti ſumus, ex ſemine gratiæ eius fœcundati, bonorum operum fructus proferamus. Alij ſic exponunt: vt proferamus opera bona, quibus Deo ſeruitur. Sed prior ſenſus plenius explicat allegoriam coniugij. *Fructificare Deo quid ſit.*

Quæſtio. Quærit Hugo Victorinus quæſt. 167, quomodo non ex hac comparatione à lege coniugij ſumpta ſit conſequens, Dauidem ac cæteros iuſtos veteris teſtamenti, reos adulterij fuiſſe, quod *lege viuente, id eſt ſtatum habente*, iunxerint ſe cum alio viro, videlicet *Chriſto, in quẽ credebãt & à quo iuſtificari quærebant*. Reſponſionis hæc ſententia eſt, eos quamuis Chriſto venturo ſeſe per fidem coniunxerint, non tamen à ſtatu legis veteris ad ſtatum legis euangelicæ tranſiuiſſe. Manebãt enim ſubiecti legi Moſaïcæ, eamque ſeruabãt multo ſincerius ac melius, quàm qui propriè filij erant veteris teſtamenti: Neque verò ad- *Reſpõſio.*

huc aduenerat nouus legislator, cuius instituta prioribus dimissis amplecterentur. *Sed si*, inquit Hugo, *sacramentis legalibus contemptis, iam sacramenta noui testamenti introducere præsumerent; tunc adulteri viderentur.* Addo ad hãc respõsionem, iustos illos sensu Pauli non fuisse sub lege. Non enim fuerunt sub lege minante & premente, id est secundum propria legis officia, quibus à gratia distinguitur, vt dictũ est: quomodo sub lege fuerãt quos hic alloquitur apostolus. Vide quę diximus ad illud cap. præcedentis: *Non enim sub lege estis, sed sub gratia*. Sanè quum hic dicit in persona eorum qui mortificati sũt legi per corpus Christi; *vt fructificemus Deo*: significat è diuerso, eos qui sub lege erant, non fructificasse Deo. Non igitur iusti fuerunt aliquando sub lege. Porro non dicit eos qui sub lege erant, legi fructificasse, quod consequenter dicendum videbatur; eo quod legem haberent pro viro: sed cui fructificarint, docet verbis sequentibus.

Iustos cæteris testamẽti non fuisse sub lege.

5 CVM ENIM ESSEMVS IN CARNE, PASSIONES PECCATORVM QVÆ PER LEGEM ERANT, OPERABANTVR IN MEMBRIS NOSTRIS, VT FRVCTIFICARENT MORTI. Græcè *ad fructificandum morti*. Quod refertur ad membra nostra, id est nos ipsos; sicut dixerat, *vt fructificemus Deo*. Passiones peccatorum vocat motus seu commotiones ad peccandum, desideria peccandi. Erasmus vertit affectus peccatorum. Quanquam Græcè non est πάθη, quemadmodum primo capite, sed παθήματα; quod tamen hic eandem ferè habet significationem; quemadmodum & Gal. 5, vbi nos legimus: *carnem suam crucifixerunt cum vicijs*, quod Græcè est σὺν τοῖς παθήμασι. Iam quod addit, *quæ per legem erant*, aut *sunt*, (nam Græcè tantum est τὰ διὰ τοῦ νόμου, *quæ per legem*) non ad peccata, sed ad passiones referendum esse constat ex Græco iam citato. Verbum *operabantur*, quod interpres dedit, passiuè accipiendum; sicut & alibi interdũ, vt 2 Thes. 2, *mysterium iam operatur iniquitatis*; & Galat. 5. *Fides quæ per charitatem operatur*. Est enim Græcè, ἐνηργεῖτο, à præsenti ἐνεργοῦμαι, quod etsi genere medium sit, semper tamen accipitur passiuè. Quod latius ostendemus ad memoratam sententiam epistolæ ad Gal. Certè etiã Tertullianus passiuè reddidit, *passiones delictorum quæ per legem, efficiebantur in membris nostris*. Nec malè vertit Erasmus, *vigebant*, quomodo dicimus vigere iusticiam & disciplinam, quum bene exercetur. Est igitur hic sensus periodi: Dico, *vt fructificemus Deo*; quia quando eramus in carne, id est in statu veteris & carnalis hominis, cuiusmodi sunt omnes qui sub lege sunt, passiones peccatorũ, id est motus, affectiones ac desideria peccandi, quæ sunt & excitantur per legem, exercebantur, & ipso opere complebantur in membris nostris: itaque per ea fructificabamus nõ Deo, sed morti; id est fructus edebamus mortiferos, qui sunt ipsa peccata; quia finis & stipendium peccati mors. Esse in carne quid sit apostolo, amplius patebit ex capite proximo vbi dicit: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*. Dicuntur autem passiones peccatorum esse & excitati per legẽ: quomodo Venus dicitur excitari vino, scilicet vt ab occasione. Nam vt paulo post dicitur, *sine lege peccatum mortuum erat. Sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit.* Quocirca mentem apostoli nõ satis explicant qui partem istam supplent hoc modo: *quæ per legem ostenduntur*, quemadmodum habet textus commentatoris Amb. Plus enim quam ostensionem significari patet etiam ex aliis quæ sequuntur hoc capite. Sed cur non dixit, vt fructificarent legi, sicut dixerat, *vt fructificemus Deo*: cùm versaretur in antithesi legis & Christi? Respondeo peccata non debuisse dici fructus legis: quia legi contrariantur, & à lege puniuntur. Rectè autem fructus mortis dicuntur, quatenus promouẽt regnum mortis, & faciunt homines mortis filios iuxta phrasim Hebraicam, id est morti destinatos, ac morte dignos. Quanquam hic effectus etiam legi velut causæ occasionali tribuitur, sicut infrà dicitur: *Et inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem*. Denique mors ipsa, legis comminãtis effectus est. Quod verò ad fructus bonos ac vitales attinet; legi fructificare eos non poterant, propter ipsius legis infœcunditatem: quoniam ab ea non suscipiebant semen gratiæ, ex quo solo genus hoc fructuum concipi gigniq́ue potest. Origenes hoc loco legem interpretatur peccati fomitem, id est concupiscentiam, quæ & infrà lex peccati vocatur. Verùm textus manifestè repugnat. Nam statim sibi Paulus objcit: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui nisi per legem*, &c. Quod vtique constat de lege Mosaica dici.

Passiones peccatorũ quæ dicãtur.

Operari passiuè sumptum.

Quæstio.

Respõsio.

6 NVNC AVTEM SOLVTI SVMVS A LEGE MORTIS, IN QVA DETINEBAMVR. *Soluti sumus*, Græcè *euacuati sumus*, vt legit Tertullianus. Sed de Græca voce iam suprà diximus. Pro genitiuo *mortis* in Græco participium est ἀποθανόντες, *mortui*. Eamq́ue lectionem Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, cæteriq́ue Græci interpretantur, & Syrus quoque expressit. Nã quod Gaignæus affirmat Chrysostomum legere ἀπὸ τοῦ νόμου ἀποθανόντος, *à lege mortua*; credo fuisse vsum mendoso exemplari. Refragatur enim ipsius Chrysostomi commentarius. Vnde eius interpres bene ex Græco vertit: *mortui ei* (scilicet legi) *in qua detinebamur*. Quanquam non nego eam lectionem, *à lege mortua* satis etiam congruere cum præcedentibus. Sicut enim legem viuere superius dixit; ita nunc mortua potest intelligi. Verùm quia postmodum ad nos mortem retulit dicens: *Et vos mortificati estis legi per corpus Christi*: magis apparet eum in hoc sermone persistere, quadam repetitione dicendo nos mortuos legi qua prius detinebamur. Suspicatur Caietanus in nostris co-

Quid sit fructificare morti.

dicibus

dicibus literam esse corruptam, putatque interpretem vertisse, *morientes*, nō *mortis*. Quod nobis non est probabile. Nusquam enim vulgatus interpres ἀποθανόντες vertit morientes, sed vbique mortuos. Nec enim erat causa cur aoristum redderet participio præsentis temporis, cùm præteriti participium non deesset. Apud Primasium quidem in textu legitur *morientes*, sed viciosè. Nam authoris expositio palam arguit eum legisse *à lege mortis*, quēadmodum legit etiam Amb. commentator. Hanc porrò lectionem sunt qui existiment à Græcis quibusdam codicibus manasse, propterea quod apud Origenem eius fiat mētio. Sic enim legitur: *Scio & in alijs exemplaribus scriptum, A lege mortis, in qua detinebamur. Sed hoc, id est mortui, & verius est & rectius.* Verùm hæc Ruffini Latini interpretis esse verba crediderim, qui pro more habuit adijcere & supplere quæ vellet, in Origene interpretando; quod in prolegomenis annotauimus. Sanè inter Græcas voces ἀποθανόντες & θανάτῳ non est ea affinitas quæ inter Latinas *mortis* & *mortui*, vt ab oscitante scriba procliue fuerit alteram in alteram commutari. Quare cùm lectio apud Græcos communissima sit ἀποθανόντες; mirum si pro θανάτῳ, vel, si mauis τῷ θανάτῳ, tanquam sinceriore, subrepere potuerit. Græcis suffragatur Latinorum ferè antiquissimus Tertullianus iuxta priores editiones, in quibus legebatur: *euacuati sumus à lege mortui, in qua tenebamur.* Veruntamen ex authoribus memoratis, Ambrosio, Ruffino, Primasio patet etiam Latinæ lectionis antiquitas. Occasio mutatæ lectionis esse potuit, tum ex cap. sequenti, vbi lex mortis nominatur; tametsi alia significatione, vt ibi videbitur: tum quia obscurum erat & non intelligebatur; *soluti sumus à lege mortui*. Vtraque lectio bonum habet sensum. Iuxta Latinam vetus lex appellatur lex mortis, quia per peccatum operatur mortem, scilicet æternam, de qua dixerat; passiones peccatorum fructificasse morti. Ita congruit cum eo quod dicit 2 Corinth. 3. *Litera occidit*. Nam quod commentator Ambros. legem mortis interpretari videtur ita dictam, quia lex illa reos temporaliter puniebat, vel etiam mortificabat; id Paulinæ intentioni minus est consentaneum. Iuxta Græcam lectionem sensus apostoli est: Nunc autem per gratiam Christi liberati sumus à iure legis, vtpote mortui ipsi legi, in cuius seruitute detinebamur. Origenes qui etiam in hac parte legem intelligi vult carnis & viciorum, quam infrà vocat apostolus legem membrorum, non est audiendus.

Lex vetus quo sensu lex mortis

ITA VT SERVIAMVS IN NOVITATE SPIRITVS, ET NON IN VETVSTATE LITERÆ. Ac si dicat: liberati sumus à lege, eiusque seruitute, non vt licēter peccemus, sed vt malam seruitutem commutemus in bonam. Præstat enim ea liberatio, vt seruitus quam operibus exhibemus, iam sit & consistat in nouitate vitæ, quam facit Spiritus sanctus: non autem, vt priùs, in vetustate vitæ, quam litera, id est lex scripta adeò non aufert, vt etiam per occasionem augeat. Nouitas vitæ vera iusticia est, quæ declaratur bonis operibus; vetustas, iniusticia, quam ostendunt opera mala. Quidam vetustatem literæ interpretantur circūcisionem, cæteraque legis antiquæ cærimonias. Sed hi Pauli mentem non assequuntur. Non enim hic agit de cessatione legalium, sed distinguit statum legis & statum gratiæ. Quod manifestum est ex tota huius capitis doctrina, adeoque ex scopo ipsius epistolæ.

Nouitas vitæ iusticia: vetustas, iniusticia.

7 QVID ERGO DICEMVS? LEX PECCATVM EST? Quædam Græca ὅτι ὁ νόμος ἁμαρτία; *quod lex peccatum sit?* Locum hunc vsque ad finem capitis tractat Hieronymus in epistola ad Algasiam quæst. 8. Vnde nonnulla etiam huc adducemus. Infert apostolus hanc suam interrogationem ex superioribus: maximè ex eo quod dixerat, *passiones peccatorum quæ per legem erant*. Sensus est: Ergóne lex præcipit peccatum? obligat, inducit, impellit ad peccatum? Quicquid enim per se causa peccati est, idipsum quodammodo peccatum est; quia reprehensione dignum. Qua ratione etiam ipsa concupiscentia, quoniā suapte natura ad peccatum sollicitat, peccatum ab apostolo vocatur hoc capite & superiori.

ABSIT. Ac si dicat. Res minimè concedenda. Lex enim à Deo est, ideoque per se bona; vt paulo post apertiùs exponetur. Respondet autem illationi Paulus, primùm declarando falsitatem eius quod inferebatur, idque ex officio legis, quod est monstrare peccatum, non autem præcipere aut promouere: Deinde consequentiam argumenti soluēdo. Legis officium indicat quod sequitur.

SED PECCATVM NON COGNOVI NISI PER LEGEM. Hæc & quæ sequuntur dicit Paulus in sua & aliorum persona qui sub lege fuerāt: docetque quales fuissent ante perceptam legis cognitionem, & quales facti postquam ea accessit. Loquitur enim in præterito vsque ad illud, *Scimus enim quod lex spiritualis est: ego autem carnalis sum*, &c. vbi tempus mutat: an verò etiam personam, illic videbimus. Hic igitur ante oculos ponit duos status hominis; alterum ante legem, quando latuit peccatum; alterum sub lege, quando patefactum fuit, sed adeò non sanatum, vt magis etiam auctū fuerit; non quidem vicio legis, sed hominis concupiscentiæ morbo laborantis. Potest autem hæc Pauli doctrina accommodari etiam ad eos qui sub lege Mosaica non fuerunt, sed quocumque modo diuinæ legis noticiam acceperunt: vt sub lege generatim esse intelligantur, quicumque nouerunt Dei præcepta, nec pœnas ignorant transgressoribus paratas; sed vires non habent quibus impleant quæ præcepta sunt. Iuxta quē sensum vix est quisquam adultus ad gratiam noui testamēti pertinens, qui non aliquando sine lege, ac deinde sub lege vixerit, vt sic ad gratiam Christi perueniret; quemadmodum docet Augustinus

lib.21 de ciuitate Dei cap. 16. Sed ad textum apoſtoli veniamus. Quod ait: *peccatum non cognoui* (Græcè οὐκ ἔγνων, præteriti temporis) *niſi per legem*, idem eſt cum eo quod ſuprà dixit cap. 3, *per legem cognitio peccati*. Nam ſicut peccatum nullo modo cognoſcitur niſi per legem in genere, (peccatum enim definitur quod ſit contra legem) ita perfectè non cognoſcitur peccatum, niſi per legē ſcriptam ſeu poſitiuam, quæ data ſit à Deo: qua nimirum illud imprimis oſtenditur, peccatum eſſe offenſam Dei; deinde pœnâ mortis propoſitâ, aliiſque comminationibus additis, ipſius peccati grauitas innoteſcit; denique monſtratur multa eſſe peccata quæ non putabantur; ac nominatim ipſam concupiſcentiam, etiamſi non erumpat in actum exteriorem: de qua ſtatim exemplum ſubijcit. Quidam *ſed* per *imò* exponunt, ſicut aliquoties accipitur 2 Corint. 7, vt ſenſus ſit: Vſque adeò lex peccatum non eſt, vt me à peccato auocet, docens quid ſit peccatum & proinde fugiendum. Verùm ſequentibus magis congruit, vt hæc ſit nuda legis excuſatio.

Peccatū eſt quod ſit contra legem.

NAM CONCVPISCENTIAM NESCIEBAM, NISI LEX DICERET; NON CONCVPISCES. Græcè: *nam & concupiſcētiam neſciebam*. Quod etiam ſic verti poteſt: *Nam & concupiſcētiam non nouiſſem, niſi lex dixiſſet, Non concupiſces.* Adeò verum eſt, inquit, legem oſtendere peccatum, vt etiam me docuerit quod plerique neſciunt, latentem in corde concupiſcētiam eſſe peccatum. Quandoquidem & ex Iudæis multi, ſenſum legis corrumpentes, non reputabant ſe peccare niſi per opera externa. Supplendum igitur: concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum. Quidam ſuſpicantur apoſtolum hic reſpicere non ad extremam partem decalogi, qua prohibetur cōcupiſcentia vxoris & rei alienæ, ſed ad præceptum primo homini datum in paradiſo, Gen. 2, *De lignoſcientiæ boni & mali ne comedas*: Eſtque ea ſententia Methodij martyris in libro de reſurrectione aduerſus Origeniſtas, Epiphanio citante in hæreſi Origeniſtarum numero 64. Sed eam reijciunt Hieronymus, Chryſoſtomus & alij: nec immerito. Nam in illo præcepto nulla concupiſcentiæ mentio. Nec verò per illud in primis hominibus ſuſcitari potuit concupiſcentia, quę nondum inerat; ideoque tranquilliſſimè & obedientiſſimè prohibitionē illam audierunt: tametſi poſteaquam per ſuperbiā peccarunt, ceperunt etiam niti in vetitum: videlicet harmonia primæuæ iuſticiæ iam ſoluta. Porro Origenes contendit intelligendam hic eſſe legem naturalem, quæ intra nos loquitur, & dicit, *Non concupiſces*. Quam dicit à nobis ignorari, quamdiu per ætatem non nouimus inter bonum & malum diſcernere: quum autem aduenerit ratio, tunc & illam in nobis locum inuenire. Verùm de lege ſcripta Paulum agere, & quidem de lege decalogi quæ per Moyſen data fuit, iam ſupra ſatis oſtēdimus; idque ſanè euincit ſeries totius diſputationis: tametſi poſſunt quæ de lege ſcripta Paulus hoc loco diſſerit, aliquatenus ad legem naturalem accommodari. Iam quod apoſtolus haud aliunde quam ex decalogo præceptum hoc adducat, ex ipſis verbis manifeſtum eſt, quæ non alibi quàm in decalogo ſcribuntur. Nam & apud LXX interpretes tā Exod. 20, quàm Deut. 5 idem ipſum vocabulum eſt quod hoc loco, ἐπιθυμήσεις. Ex quibus denique liquet apoſtolum tota ſua diſputatione qua contendit renatos non eſſe ſub lege, potiſſimum agere de lege morali: ex qua videlicet hoc præceptum depromſit. Vbi tamen notandum; ſicut generale præceptum eſt diligendi, ad quod cætera omnia præcepta reuocantur; ita ex apoſtoli ſententia generalem eſſe prohibitionem non concupiſcendi, ad quam cæteræ omnes prohibitiones reducendę ſint. Quod ergo ſpecialiter in decalogo dicitur de non concupiſcendis rebus proximi, id apoſtolus generale facit, abbreuiatè & abſolutè dicendo, *Non concupiſces: tanquam hæc eſſet vox legis* (ait Auguſtinus lib. de ſpiritu & litera cap. 4) *ab omni peccato prohibentis. Neque enim vllum peccatum niſi concupiſcendo committitur.* Atq; id eſt quod Hugo dicit quæſt. 174, in ſpeciali generale intelligi. Quam eandem exiſtimo mentem eſſe S. Hieronymi ſcribentis ad Algaſiam: dum negat quidem eam ſignificari concupiſcentiam, quæ prohibetur illo decalogi mandato, *Non concupiſces rem proximi tui*: ſed generalius eam vult patere, ſubijciens hæc verba; *Nos autem per concupiſcentiam omnes perturbationes animæ ſignificatas putamus, quibus mœremus & gaudemus, timemus & concupiſcimus*, & quæ ſequuntur. Igitur ea ſignificata eſt hoc loco concupiſcentia, de qua dicit idem apoſtolus ad Galat. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*. Quo quidem loco concupiſcentiam per omne genus viciorum vagari, perſpicuum eſt ex enumeratione operum carnis ibidem ſubiuncta. Non enim ſola carnalia quæ vocantur peccata, catalogus ille complectitur; verùm etiam ſpiritualia, vt inimicicias, contentiones, æmulationes, ſectas, id eſt hæreſes. Hinc igitur apparet eos apoſtoli mentem non eſſe aſſecutos, qui concupiſcentiam hanc vel intra noni ac decimi præceptorum decalogi prohibitionem concludunt; vel ad appetitum ſenſitiuum reſtringunt, & eandem cum ſenſualitate faciunt; quum ſit deordinatio quædam, & praua inclinatio totius appetitus humani. Quod & Iacobus apoſtolus aperte ſignificauit hac generali ſententia qua dixit cap. 1, *Vnuſquiſque tentatur à cōcupiſcentia ſua abſtractus & illectus*. Non enim illic ad ſola reſpicit carnalia peccata, aut ad ea ſola quæ duobus vltimis decalogi præceptis prohibentur; ſed agit de tentationibus peccatorum in genere: comprehenſis vtique etiam illis de quibus cap. 4 cum graui increpatione dicit, *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiſcentiis veſtris?* Hanc porro generalem concupiſcētiæ ſignificationem perſpicuè

Generale præceptū, non concupiſces.

Cōcupiſcentia eſt deordinatio totius appetitus humani.

declarant

declarant etiam ſubiuncta apoſtoli Pauli verba; quibus iam ſoluit argumenti ſuperioris conſequentiam, interpretans ea quæ durius in legem dicta videbantur.

8 OCCASIONE AVTEM ACCEPTA PECCATVM PER MANDATVM OPERATVM EST IN ME OMNEM CONCVPISCENTIAM. Eam partem *per mandatum*, alij conſtruunt cum prę cedentibus, hoc modo; Peccatum occaſione per mandatum accepta operatum eſt in me, &c. Alij cum verbo ſequente: per mandatum operatum eſt in me. Quæ conſtructio probabilior eſt. Non enim negare vult apoſtolus peccatum agere ſuum negocium per mandatum, videlicet operando per illud omnem in homine concupiſcentiam, eumque ſeducendo & occidendo; Nam aperte dicit infrà, *& per illud occidit:* ſed, pro mandati ſeu legis excuſatione, docet quomodo peccatū per mandatum ea faciat; nempe vt propoſitio *per* non cauſam, ſed occaſionem denotet. Alioquin & iam antè dixit, paſſiones peccatorum eſſe per legem; & infrà dicit peccatum eſſe ſupra modum peccans per mandatum. Itaque reſponſio Pauli qua legem excuſat, conſiſtit in illis duobus vocabulis *occaſione accepta*, quibus exponit quomodo per legem exſiſtant paſſiones peccatorum, ſiue, quod nunc alijs verbis repetit, quomodo peccatum per mandatum operetur in nobis omnem concupiſcentiam: denique quomodo (quod infrà dicet) per illud nos ſeducat & occidat. Porro nomine peccati non diabolus ſignificatur, vt poſt Methodium vult commentator Ambr. hic & in ſequentibus: à qua ſententia nec abhorrent Origenes & Theophylactus: ſed illud peccatum intelligitur de quo dixit in capite ſuperiore: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore*; & de quo plura hoc capite; ſcilicet habitualis concupiſcentia, fons & fomes peccatorum. Eſt igitur hic ſenſus: Concupiſcentiæ vicium in me latens, occaſione mandati illius, *Non concupiſces*, per illud ipſum excitauit & produxit in me omne genus prauorum deſideriorum. ac ſi dicat, Multò latius graſſari cepit quàm antè, tanquam ipſa prohibitione laceſſitum: quemadmodū de filijs Iſraël legitur Iudicum 2, quod *audientes mandata Dei, omnia fecere contraria*. Nam, vt alibi dicit apoſtolus: *virtus peccati lex*, 1 Corinth. 15. Vehementius enim inardeſcit concupiſcentiæ flamma dum lege premitur. Et notum eſt illud poëtæ, *Nitimur in vetitum ſemper*. Cuius cauſa eſt, vt cenſet Hugo, naturalis amor libertatis, quæ reſtringi videtur & minui per legem; cui proinde natura corrupta reſiſtens, in contrarium nititur. Quanquam, quod nonnulli Hebraiſmum hîc faciunt, omnem concupiſcentiam interpretantes concupiſcentiam auctam & cōſummatam, non puto neceſſarium. Nam augmentum eius & magnitudo ſatis intelligitur ex eo quod latius ſeſe proferat. Deinde augmentum illud ad habitum pertinet, de quo infrà, *vt fiat ſuprà modum peccans peccatum per mandatum*. Hic autem ſermo eſt de actibus ab illo peccato velut habituali principio profectis. Quidam pro verbo *operatum eſt*, malunt ſubſtitui *perfecit*, quod putant ſignificari Græco verbo κατειργάσατο: Verùm ex ſequentibus conſtabit non plus ſignificari quàm quod reddidit noſter interpres; pro quo Eraſmus, *genuit*. tametſi hic ſermo eſt de concupiſcentiæ motibus non qualibuſcumque, ſed perductis vſque ad conſenſum voluntatis.

Legis excuſatio.

Concupiſcētia lege compreſſa vehementius inardeſcit. Huius rei cauſa.

SINE LEGE ENIM PECCATVM MORTVVM ERAT. Auguſtinus in expoſitione propoſitionum huius epiſtolæ & quæſt. 1 ad Simplicianum legit *mortuum eſt*. Neque enim in Græco verbum exprimitur, tametſi rectiùs ſuppletur *erat*, vt & ab Eraſmo factum. Nam ſequitur eodem tempore: *Ego autem viuebam*, &c. Pelagius hunc locum exponens, ita ſcribit: *Si cum lex non eſſet, peccatum mortuum eſt: inſaniunt qui de Adam per traducem aſſerunt venire peccatum*. Sic ille, detorquens apoſtoli verba ad ſuam hæreſim, qua negat originale peccatum. Nec enim id ex iis verbis vllo modo conſequenseſt: præſertim cùm non infantium perſonam hic aſſumat apoſtolus, vt vult Pelagius, ſed adultorum. Dicit ergo peccatum ſine lege mortuum fuiſſe, nō ſimpliciter quaſi non eſſet; ſed velut mortuum, idque hac duplici ratione: quia non cognoſcitur niſi per legem, vt paulo antè dictum eſt; & quia vires ſuas non exerebat, quemadmodum poſtea lege ſuperueniente. Conſopitum quippe erat donecà lege excitaretur. Vnde nec neceſſe eſt, vt antea vixerit quod hoc ſenſu mortuum dicitur.

Quo ſenſu peccatum ſine lege mortuum

9 EGO AVTEM VIVEBAM SINE LEGE ALIQVANDO. *Viuebam*, id eſt videbar viuere vita iuſticiæ; latente videlicet peccato: quia cùm ſine legis eſſem cognitione, peccatum etiam ipſum non cognoſcebam; ideoque nec legem præuaricabar. Memineris apoſtolum quodammodo transferre ad ſingulos ſtatum vniuerſum generis humani: vt ſicut humanum genus primò caruit lege, poſtea legem accepit, ſaltem in vno populo Iudaico; ac tandem vocatum eſt ad gratiam: ſic intelligatur res ſeſe habere in ſingulis, quorum hic perſonam Paulus aſſumit; vt antè dictū eſt. Quod quidam non aduertentes coactè ſatis interpretantur Paulum loqui ſecundum illud tempus quo lex Moyſi nondum erat data.

SED CVM VENISSET MANDATVM, PECCATVM REVIXIT. Senſus eſt: Poſtquam verò mandatum illud legis, *Non concupiſces*, in noticiam meam veniſſet; reuixit in me peccatum. Quod intellige factum duobus modis, quibus è contrario diximus peccatum ſine lege mortuum eſſe: ſcilicet per cognitionem ipſius quam lex præſtat, & conſequenter per malorum deſideriorum exuberantiam, quæ occaſionem habet ex lege. Caietanus mandatum intelligit datum in paradiſo. Sed quomodo per illud mandatum reuixerit peccatum;

Peccatū quo ſenſu reuixerit.

tum, cùm nec latens peccati fomes tunc esset in homine, non potest ab eo commodè secundum scripturam explicari. Quæres, si reuixit peccatum, quando vixerit antea? Respondet Augustinus quæst. 1 ad Simplicianum, & lib. contra duas epistolas Pelag. cap. 9, vixisse in primo homine peccante. Quanquam simpliciter intelligi potest, *reuixit*, id est excitatum est: & vt idem Augustinus exponit propositione 38, *apparere cepit*.

Quæstio.

Respõsio.

10 EGO AVTEM MORTVVS SVM. Vel, *mortuus fui*. Verbaliter enim hoc accipiendum. Nam Græcè est ἀπέθανον. Exponitur autem dupliciter. Vno modo: Postquam reuixit peccatum, ego mortuus sum morte animæ, cui vita iusticiæ opponitur; non tamen quomodocumque mortuus, quia etiam sine lege viuens, reuera mortuus eram; sed morte manifestaria, propter manifestam legis præuaricationem; vt iam nec apparenter viuerem. Aliter & melius: *Mortuus fui*, id est manifestè factus obnoxius morti æternæ, propter manifestam, vt dictum est, legis transgressionem. Nam mortem æternam intelligi, quæ transgressionis est pœna, planè suadent quæ sub finem capitis superioris dicta sunt huic loco consentanea; *Finis illorum mors est*. &, *stipendia peccati mors*. &, quod hic paulo antè dictum de passionibus peccatorum, *Vt fructificarent morti*. Quæ quidem mortis acceptio totum hunc apostoli contextum reddit intellectu planiorem.

ET INVENTVM EST MIHI MANDATVM, QVOD ERAT AD VITAM, HOC ESSE AD MORTEM. *Quod erat ad vitam*, Græcè *quod ad vitam*, vt possit intelligi erat, aut est, aut institutum est, aut quid simile. Ordo verborum & sensus est: Et sic reipsa comperi legem seu legis mandatum illud de quo suprà, quod à Deo datum fuit & per se ordinatum vt hominem perduceret ad vitam & salutem, iuxta illud Leuit. 18, *Quæ faciens homo viuet in eis*; hoc ipsum mihi cedere ad mortẽ: quia morti æternæ me palàm reddidit obnoxium. Alij de vita iusticiæ & morte peccati interpretantur; sed minus probabiliter vt dixi. Iam quomodo mandatum fuerit ad mortem, ne rursus ipsum mandatum accusare videatur, repetita superiore excusatione declarat, vt sequitur.

Lex ad vitã data quomodo facta ad mortem.

11 NAM PECCATVM OCCASIONE ACCEPTA PER MANDATVM SEDVXIT ME, ET PER ILLVD OCCIDIT. *Seduxit* Græcè ἐξηπάτησε *decepit*. Et sensus est: Peccatum, id est fomes ille peccati, per mandatum quo vtebatur tanquam occasione (magis enim allubescunt vetita) decepit me & aberrare fecit; non quod antea iustus essem, sed quia longius me abduxit à via iusticiæ: simul & per illud occidit, vel morte spirituali, videlicet præuaricatorẽ me faciens qui prius viuere videbar; vel potius occidit, id est reatui mortis æternæ subiecit. Vbi rursus intellige, vt per occasionem. Nam illud *occasione accepta*, etiam huc referendum est. Nec mirum si peccatum occidit per mandatum, quando & ipsum mandatum occidere dicitur; quia cùm sanare non possit, mortem suis transgressoribus comminatur & irrogat. Ita namque dictum est 2 Cor. 3, *Littera occidit*. Qui peccati nomine diabolum intelligunt, & hæc à Paulo dicta volunt in persona protoplasti; vel ex eo redarguuntur, quod scriptura non Adam, sed Heuam testatur à diabolo deceptam fuisse, Gen. 3, 2 Cor. 11, & 1 Tim. 2.

12 ITAQVE LEX QVIDEM SANCTA, ET MANDATVM SANCTVM ET IVSTVM ET BONVM. Meritò siue lex siue mandatum hæc epitheta sibi vendicat: quia non præcipit nisi quod sanctum & iustum & bonum est; nec prohibet nisi his cõtraria. Proinde non accidit vicio legis aut mandati, quod homo lege accepta fiat deterior; sed ipsius hominis vicio, qui carnalis est; vt paulo pòst ab ipso apostolo plenius explicabitur. Inter legem & mandatum hoc videtur interesse, quod lex sit comprehensio mandatorum alicuius legislatoris, vt lex Moysi, lex Christi; mandatum verò vnaquæque pars legis qua quippiam præcipitur aut prohibetur: vt in re præsenti, decalogus est lex complectens decem mandata; mandatũ verò, *Non concupisces*, aut certè quodlibet in lege expressum. Vnde sermo apostoli supplere potest hoc modo: Lex quidem sancta, & vnumquodque mandatum eius sanctum &c. Tertullianus aduersus Marcionem lib. 5 capite 13 sic allegat: *Lex sancta, & præceptum eius iustum & bonum*. Porrò tria hæc epitheta legis ac mandati sanctum, iustum, bonum, ita distinguit Thomas tam in commentario, quàm 1 2 quæst. 99 art. 4, vt sanctum dicatur mandatum quoad cærimonialia, iustum quoad iudicialia, bonum quoad moralia. Verùm apostolus propriè respicit ad legem moralem. Deinde absolutè præmisit *lex quidem sancta*. Quare videtur hæc tria ferè pro eodem habere: licet ita distingui possint, vt sanctum dicatur quodque mandatum, id est purum & mundum: iustum, quia præcipit vnicuique reddi quod suum est: bonum, quia si seruetur vitam præstat homini. Sic 1 Tim. 1, *Bona est lex si quis ea legitimè vtatur*.

Lex & mandatũ quomodo differant.

Sanctum, iustum & bonũ quomodo distinguantur.

13 QVOD ERGO BONVM EST, MIHI FACTVM EST MORS? Intellige causaliter. Græcè: *Ergo bonum mihi factum est mors?* vt etiam ita reddi possit: *Quod ergo bonum erat, mihi factum est mors?* Sensus: Num igitur mandatum, quod est aut erat per se bonum, mihi factum est mortiferum, id est causa mortis? scilicet eius quæ est pœna transgressionis, vt dictum est suprà.

ABSIT. Indicat absurditatem tam consequentis quàm consequentiæ. Nam & per se absurdum est legem Dei propriè causam esse mortis; & pessimè colligitur hoc ex eo quod *peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit*. Discernenda est enim causa ab occasione, quæ non est propriè causa;

Lex occasio mortis, nõ causa.

causa;similiter vsus rei discernendus ab abusu. Veram igitur causam nunc subijcit.

SED PECCATVM VT APPAREAT PECCATVM, PER BONVM OPERATVM EST MIHI MORTEM. Locum hunc aliter Latini distinguunt,aliter Græci. Secundum Latinos sensus est: Sed peccatum, vt quantum sit malum euidenter appareat, occasione mandati quod in se bonum est, operatum est in me mortem; id est rem bonam vertit in meam perniciem; quod est argumentum insignis maliciæ. Sic præter alios exponit Augustinus serm. 11 de verbis apostoli. Græci distinguunt & exponunt hoc pacto: *Sed peccatum*, supple ex interrogatione præcedenti, *mihi factum est mors*: quia nimirum per se tale est,vt mortis reum me faciat, dum suis motibus ad peccādum sollicitans etiam occasione legis in apertam transgressionem me impellit. Deinde sequitur, *vt appareret peccatum per bonum mihi operans mortem*. Quod duobus modis exponi potest.Primùm quidem, si participium κατεργαζομένη *operans*, iuxta Græcam consuetudinem loco verbi infinitiui positum intelligatur. Quod secuti Erasmus & Hentenius ita verterunt: *vt appareret peccatum per id quod erat bonum, mihi gignere mortem*. Cuius sensus est: Atque ita iam manifestè peccatum per id quod bonū est,parit mihi mortem; vtpote per apertam, vt dictum est, legis præuaricationem me reddens æternæ morti obnoxium. Aliter hoc modo:Sed peccatum mihi factum est mors; nimirum (vt appareat quale quantumque sit malum) per bonum operando mihi mortem, id est per 14 legem. Qui sensus clarior est, magisque consonat Græcorum commentarijs. Eundem & Valla probat, malèab Erasmo reprehensus. Cæterùm distinctio Latinorum ægrè consistit cum Græca lectione. Quamlibet ex his tribus expositionem sequaris,particula *vt* accipienda est,vt non causam finalem,sed euentum denotet:quemadmodum & in eo quod sequitur.

Peccatum causa mortis.

VT FIAT SVPRA MODVM PECCANS PECCATVM PER MANDATVM. *Vt fiat*; vel *vt fieret*. *Supra modum* Græcè καθ' ὑπερβολὴν *secundum excessum*, id est excellenter, maiorem in modum. Pro participio *peccans* in Græco nomen est ἁμαρτωλὸς, id est peccator seu peccatrix. Nam eius substantiuum ἁμαρτία, fœmininum est; velut si Latinè diceretur, peccatrix peccantia,siue, vt Tertullianus loquitur, delinquentia. B Augustinus passim legit *peccator peccatum*, vt in expositione propositionis 40, quæst. 1 ad Simplicianum,& quæst. 66 inter 83. Item ser. 6 de verbis apostoli cap. 4, & lib. 13 de ciuitate Dei cap. 5, idque iuxta fidem veterum exemplarium; nisi quod indoctus scriba alicubi coniunctionem putauerit interponendam, *peccator ac peccatum*; aliàs, *peccator aut peccatum*. Hieronymus quidem ad Algasiam scribens, legit *peccans peccatum*: sed participiū nominaliter exponit dum ait: *Atque ita factum est, vt peccatum, quod priusquam haberem intelligentiam, absque peccato erat, per præuaricationem mandati incipiat mihi esse peccantius peccatum*. Denique Ruffinus in commentario Origenis ita transtulit, *peccator peccatum*, hæc addens de suo: *Quod autem diximus, peccatum peccator, maluimus vicium sermonis recipere, quàm sensum apostoli non integrè exprimere: quia in Latino sermone angustauit nos nomen peccati, quod neutro genere declinatur, in Græco verò fœmininum est: & ideo peccatorem ipsum nos appellauimus. Nam ibi peccatrix appellari potest*. Hæc ille. Loquitur autem apostolus de peccato velut de persona quapiam, non hic modò, verùm etiam in superioribus, dum ei tribuit operari, mortuum esse, reuiuiscere,seducere & occidere. Quare & peccare,seu peccatorē esse, simili tropo, & quidem valde appositè ei tribuitur. Sensus: Adeoque illud ipsum peccatum in me latens, occasione mandati factū est tanquā ingens peccator; dum in me operatur omnem concupiscentiam, & in apertam præuaricationem impellit,insuper & occidit. Videtur Augustinus sermone 6 de verbis apostoli partem hanc causaliter exponere. Sic enim ait: *Quid est supra modum? Vt addatur præuaricatio. Data est ergo lex illa vt inueniretur infirmitas. Parum est hoc: non solum vt inueniretur, sed etiam vt augeretur; & vel sic medicus quæreretur*. Verum quod dicit; *vt augeretur*, de permissione huiusmodi augmenti accipiendum est. Hanc enim Deus intendit per legem, vt alibi diximus.

Peccatum peccans siue peccator quo sensu.

SCIMVS ENIM QVIA LEX SPIRITVALIS EST. Perspicuum est, inquit, non esse culpam legis,dum ea accepta peior quis efficitur. Scimus enim quicumque rectè sapimus, legem spiritualem esse, quia præcipit ea quæ obseruata spiritualem & iustum reddūt hominem. Dicitur autem tam lex quàm homo spiritualis,vel à spiritu hominis, id est mente, cui carnem opponit inferiùs, dicens: *Ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati*. Vel potius à Spiritu sancto, cui passim carnem opponit, vt Gal. 5, *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem*: & alibi, sicut suis locis videbitur. Quomodo autem cum hac apostoli sententia non pugnet, quod Heb. 7 legem Mosaicam vocat legem mandati carnalis, id eo loco exponemus.

Lex spiritualis vnde dicatur

EGO AVTEM CARNALIS SVM. Ab hoc loco vsque ad finem capitis, vtrùm in persona hominis sub lege constituti, an sub gratia, loquatur apostolus; non parua quæstio est. Augustinus quidem quæst. 66 libro 83 quæstionum, & in propositionibus expositis huius epistolæ, nec non quæst. 1 ad Simplicianum, interpretatur de homine sub lege constituto, in quo adhuc regnat peccatum; quique luctatur quidem cum peccato, sed carnis infirmitate victus succumbit. Eadem est expositio Græcorum Origenis & Chrysostomi, quos secuti sunt Theodoritus

Quæstio, an Paulus hæc in sua dicat persona. Opinio negatiua.

Theophylactus & Oecumenius. Item Basilij in regulis breuioribus interrogatione decima sexta. Latinorum autem Pseudambrosij & Sedulij. Item Pelagij tam in commentario, in quo sensum hunc diligenter inculcat: quàm libro 3 de libero arbitrio, vbi referente Augustino libro de gratia Christi cap. 39, scribit omnes ecclesiasticos viros asserere, Paulum hæc in peccatoris & sub lege adhuc positi persona dixisse. Placuit hic sensus Lyrano & Carthusiano; eundemque vt probabiliorem amplectitur ac defendit inter neotericos Fr. Toletus, tum in commentario, tum in peculiari tractatu. Pro his authoribus facere imprimis videtur, quod dicit apostolus se carnalem esse, & sub peccato venundatum: deinde quod in consequentibus affirmat, non quod bonum est, sed quod malum, se agere; quod denique captiuum se teneri dicit in lege peccati. Quæ certè in hominem sub gratia constitutum non videntur competere. Verùm idem Augustinus in scriptis suis posterioribus, priori sententia retractata, de homine iusto & sub gratia constituto totum hunc locum exponit & exponendum docet; posteaquam videlicet Pelagianorum disputationibus excitatus, contextum & scopum apostoli diligentius considerauit, *lectis* etiam, vt ait, *quibusdam diuinorum tractatoribus eloquiorum*. Loca sunt libro 1 retractationum capite 23 & 26, & libro 2 capite 1. Item libro 3 contra Iulianum capite vltimo, & libro 6 capite 23. Quo postremo loco ostendit etiam alios ecclesiæ doctores hoc modo Paulum intellexisse, nominatim Hilarium, Gregorium Nazianzenum, & Ambrosium: quorum verba iam antè recitauerat, libro 2 cap. 3, 4 & 5. Iam in hanc sententiam plura qui volet, legat eundem Augustinum sermone 5 & 12 de verbis apostoli, & sermone 43 de tempore. Item libro de continentia cap. 8, libro 1 de nuptijs & concupiscentia cap. 27 & sequentibus, & libro de prædestinatione sanctorum cap. 4, & quæ ex Augustino Beda collegit ad hunc locum. Quomodo autem omnia quæ deinceps vsque ad finem capitis dicuntur, rectissimè Paulo accommodentur, præter loca nunc citata, prolixè docet idem Augustinus libro 1 contra duas epistolas Pelagianorum cap. 8, 10 & 11. Sed & Hieronymus quamuis aliquando propensior fuerit in priorem sententiam, vt in epistola ad Algasiam, & in commentario prophetæ Habacuc cap. 1, nec non in commentario Danielis capite 3 ad illa verba trium puerorum; *Peccauimus, iniquè egimus*: aliàs tamen, vt in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis, disertè affirmat Paulum hæc de se scribere, quando iam corpus suum castigauerat & in seruitutem redegerat. Et quidem in ea sententia Hieronymum permansisse verisimile est. Nam multo pòst, exorta Pelagiauorum hæresi, in libro 2 dialogi aduersus eos scripti capite 1 cum Pelagio disputans, ex professo docet apostolum hæc dicere in sua & iustorum persona. Idipsum planè cum supradictis & antè eos sensit Methodius martyr, qui apud Epiphanium in hæresi 64, quæ est Origenistarum, primum verbis Procli cuiusdam quæ commemorat, deinde & suis, admodum disertè & copiosè sensum hunc Pauli prosequitur. Ex quibus iam facilè intelligas falsum esse quod dicebat Pelagius, omnes ecclesiasticos scriptores de loci huius intellectu secum sentire. Quod autem ad posteriores attinet Latinos, Augustini sententiæ suffragantur Prosper libro contra collatorem cap. 8, Gregorius Romanus moralium libro 19 cap. 5, & libro 29 cap. 15, nec non expositionis in librum 1 Reg. libro 5 capite 1. Hugo Victorinus in quæstionibus huius loci, Heruæus in commentario, Lombardus item & Aquinas, quorum quidem vterque priorem etiam sensum adferunt, sed hunc posteriorem illi præferre non dubitant: addita docta eius explicatione. His addo Caietanum, Io. Hasselanum, eiusque discipulum Sasboldum, & ex postremis inter alios Benedictum Pererium, qui collectis Augustini varijs locis & rationibus hunc sensum priori longè docet anteponendum. Prætereo scholasticos doctores, qui plerique hic Augustinum sequuntur: & alios nonnullos, qui miscent vtrumque commentarium, etsi in Augustini partem proniores, vt Primasium & Haimonem. Igitur istorum quos dixi sententia est, apostolum hic & deinceps loqui in sua ipsius persona, & omnium eorum qui quantumuis sentiant in se legem quandam repugnantem legi mentis suæ, id est concupiscentiæ fomitem, cuius motibus incitantur ad ea quæ diuinæ legi contraria sunt: iam renati tamen & sub gratia constituti, mente ac voluntate conquiescunt in lege Dei. Qui sanè commentarius admodum consentaneus est textui & scopo Pauli: qui docere vult hominem in Christo renatum non amplius obnoxium esse damnationi, quamuis adhuc carne seruiat legi peccati; dum tamen ipsa mente seruiat legi Dei, & non secundum carnem ambulet: vt dicitur in fine huius capitis, & initio sequentis. Iam pro hoc intellectu primum facit in contextu mutatio temporis. Cùm enim in præcedentibus ab eo loco, *Sed peccatum non cognoui*, de se in præterito locutus fuisset apostolus, vt qui aliquando fuerat sub lege: nunc de se eodem secundum præsens tempus loquitur dicens, *Ego autem carnalis sum*, & quæ sequuntur vsque ad finem capitis: alioqui certè dicturus; ego autem carnalis fui, & cætera, si ista secundum idem tempus eundemque statum quo superiora, de se dicta vellet intelligi. Quamuis igitur personam non mutet; tempore tamen mutato, simul

Opinio affirmatiua verior.

Probatur rationibus affirmatiua responsio.

etiam

etiam ſtatus indicat mutationem in eodem homine, qui prius ſub lege & per legem tranſgreſſor factus, poſtea ad ſtatum gratiæ tranſlatus, adhuc tamen experitur in ſe pugnam quotidianam carnis aduerſus ſpiritum rebellantis. Hoc argumentum à mutatione temporis ſumptum magis adhuc probabile fiet ex ijs quæ dicuntur infrà verſu 17 & 20, vt ibi videbis. Confirmant deinde ſenſum hunc ipſa apoſtoli verba quibus vtitur in ſequentibus: *Non quod volo, hoc ago: ſed quod odi, illud facio.* &, *Non ego operor illud.* Item, *Conſentio & condelector legi Dei.* Denique illud quod ex præcedentibus concludit, & ſimili cum illis ſchemate dictum eſt: *Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei.* Nam qua fronte dicet hæc Iudæus, aut dicentem quis ferat; ſi prædicans non furandum, nec mœchandum, furatur tamen & mœchatur, & cætera facit quæ lege prohibentur? Quare ad perſonam hominis ſub lege conſtituti, & adhuc in regno peccati verſantis, hæc omnia pertinere, nullo modo veriſimile eſt. Accedit eiuſdem apoſtoli locus ad Galat. 5, vbi de carne & ſpiritu loquens, haud dubiè ad renatos, ſic ait: *Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcumque vultis, illa faciatis.* Quæ verba cum perſimilia ſint ijs quæ hic leguntur; *Video aliam legem in mẽbris meis, repugnantem legi mentis meæ*; &, *Non enim quod volo, hoc ago*; &, *Velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio*: ſatis profectò oſtendunt, etiam hunc locum ad perſonam hominis renati ac ſpiritualis eſſe referendum, cui cum carne bellum eſt inteſtinum atque continuum. Quæ verò pro diuerſa ſententia facere videbantur, quo ſenſu dicta ſint, ex conſequentibus eluceſcet, maximè ex illa concluſione, qua, clarè diſtinguẽdo, dicit apoſtolus ſe mente ſeruire legi Dei, carne autem legi peccati. Quæ diſtinctio 15
pro commentario eſt ad cætera quæ hic obſcurius dicta videntur. Quod ergo dicit, *Ego autem carnalis ſum*, intellige non mente, ſed carne adhuc concupiſcente contra ſpiritum. Quod non eſt abſolutè carnalem eſſe, ſed ſecundum aliquid; quatenus ſcilicet homo per gratiam renouatus, adhuc fomitem peccati circumfert, aſſiduè commouentem in ipſo peccandi deſideria. Qui autem hoc tantum modo carnalis eſt, is ſimpliciter eſt ſpiritualis; vtpote legi quæ ſpiritualis eſt, conſentiens, & proinde Deo, qui legem dedit. Porro connectuntur hæc cum ſuperioribus. Nam docere vult apoſtolus: etſi iam in Chriſto renati non amplius ſimus ſub lege, cuius occaſione peccatum in nobis operabatur omnem concupiſcentiam: peccatum tamen illud non ita penitus in nobis exſtinctum eſſe, quin remaneat concupiſcentiæ fomes, occulta peccandi deſideria identidem in nobis excitans. *Quæ tamen, cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti Ieſu gratiam repugnantibus, non* valeat: vt loquuntur patres concilij Tridentini ſeſſ. 5 cap. 5. Id enim eſt quod hic ad extremum infert apoſtolus: *nihil eſſe nunc damnationis ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu; qui non ſecundum carnem ambulant.*

VENVNDATVS SVB PECCATO. Græcè *ſub peccatum*, id eſt, vt quidam exponunt, ad peccatum faciendum; vt alij melius, in ſeruitutem peccati tanquam domini. Nam huiuſmodi ſenſum poſtulare videtur præpoſitio Græca cum accuſatiuo. Cæterùm Hebraica phraſis eſt, venundatum eſſe ſub peccatum, qua nimirum ſignificatur quis totus addictus obſequio & ſeruituti peccati. Nam ſimili locutione 3 Reg. 21 legitur Achab rex Iſraël fuiſſe *venundatus vt faceret malum*; vt ſi dicas; in ſeruitutem venditus ad faciendum malum, tanquam proprium opus cui à domino ſuo velut ſeruus addictus eſſet. Idem quoque de quibuſdam apoſtatis Iudæis dicitur 1 Machab. 1. Verùm quod ſimpliciter de illis dixit ſcriptura, hoc Paulus de ſe & quolibet iuſto non ſimpliciter dictum vult intelligi, ſed vt ante dixi, ſecundum aliquid, id eſt ſecundum carnem; vt ſenſus ſit: Carne adhuc ſeruus ſum peccati; quomodo dicit in fine capitis, ſe carne ſeruire legi peccati. Quo etiam ſenſu ſancta eccleſia, B. Gregorio authore, in perſona omnium fidelium orat dicens: *Vt nos vnigeniti tui noua per carnem natiuitas liberet, quos ſub peccati iugo vetuſta ſeruitus tenet.* Quam Eccleſiæ orationem opponimus ijs, quibus abſurdum videtur in perſona iuſti hominis dici, quod carnalis ſit & venundatus ſub peccato. Multi venditum ſub peccato hominem interpretantur, in primo parente: qui ſe & omne genus ſuum vendiderit diabolo in ſeruitutem peccati; idque precio exiguæ voluptatis quam ex peccato percepit. Sed prior ſenſus magis eſt germanus.

QVOD ENIM OPEROR NON INTELLIGO. Græcè *non cognoſco*, id eſt non approbo, non conſentio: quin potius improbo, diſſentio, repugno. Ad affectum enim, non ad intellectum hoc referendum eſt: vt patet ex ſequentibus, vbi ſunt hæc vocabula, velle, nolle, odiſſe. Nam quod ad intellectus ſeu rationis iudicium attinet, etiam mali ſæpe faciunt quæ non approbant. Vnde illud cuiuſdam apud poëtam; *Video meliora proboq́: deteriora ſequor.* Eſt autem nota phraſis ſcripturę, cognoſcere pro approbare. Igitur hic incipit apoſtolus aperire qua in perſona loquatur, ſcilicet eius qui prauis concupiſcentiæ motibus, quos in ſe ſentit, conſenſum non adhibet. Cohæret autem hæc pars cum ea quæ proximè præcedit, hoc modo; Carnalem me eſſe & venditum ſub peccatum, quamuis iam renatus ſim, inde conſtat, quia multa operor quę nõ approbo; perinde vt ſerui empticij, qui multa operãtur inuiti ac nolẽtes. Operor autẽ non mẽte; ſic enim ea cognoſcerem, id eſt approbarem; ſed carne excitante in me motus ac deſideria peccandi. Nec malè dicit apoſtolus ſe operari iſtiuſmodi motus,

Quid Venundatũ eſſe ſub peccato.

Quo ſenſu Paulus Venundatus ſub peccato.

Paulus quo ſenſu ſe carnalem vocet.

Peccato originali remiſſo, remanet in homine fomes peccati ad exercitiũ.

Cognoſcere pro approbare, frequens in ſcripturis.

quamuis eos inuitus patiatur, quia motus & appetitiones partis inferioris reuera ſunt operationes hominis tanquam ſuppoſiti, licet nõ ſubiectæ imperio mentis ac rationis. Hinc Auguſtinus ſerm. 43 de verbis Domini, loquens de concupiſcentiæ motibus inuoluntarijs; *Ipſum*, inquit, *concupiſcere facere eſt*. Igitur homo renouatus mente, talia non ſolum inuitus patitur, ſed etiam inuitus agit. Vnde adhuc ſequitur.

NON ENIM QVOD VOLO BONVM HOC AGO, SED QVOD ODI MALVM ILLVD FACIO. Ita multi codices Latini. Sed eorum magis ſinceram puto lectionem, qui *bonum* & *malum* omittunt. *Non enim quod volo, hoc ago, ſed quod odi illud facio.* Neque enim plus eſt in Græcis aut Syriacis, vt nec in Latinis probationibus, quibus Laudenſem codicem annumero. Suffragantur & veteres; Ambroſiaſter, Hieronymus in epiſtola ad Creſiphontem, Auguſtinus ſerm. 12 de verbis apoſtoli, & alijs locis ante citatis; & ex eo Beda in collectaneis. Huc aſſcribendi *bonum* & *malum*, occaſio fuit ex ſimili ſententia paulo pòſt ſequente. *Ago* & *facio*, Græcè πράσσω & ποιῶ idem prorſus apoſtolo ſignificant. Quod inde patet, quia in altera ſententia quam dixi, quæque huius repetitio eſt, ea tranſponit. Eſt autem ſenſus: Non enim perficio id quod mente volo, ſcilicet bonum: ſed carne operor id quod mente odi, ſcilicet malum. Nam volo non concupiſcere, ne quidem carne, id eſt non ſentire motus concupiſcentiæ: ſed id non præſto, non aſſequor. *Facere ergo ſe dixit* id quod oderat, ait ex Auguſtino Primaſius, *non affectu conſentiendi & implendi, ſed ipſo motu concupiſcendi*. Senſus hic ex ſequentibus amplius patefiet.

16 SI AVTEM QVOD NOLO, ILLVD FACIO, CONSENTIO LEGI, QVONIAM BONA EST. Siue *quod bona ſit*. Si, inquit, quod mente non volo ſed odi, illud ago, videlicet carne concupiſcendo; iam conſentio legi, verbi gratia, dicenti Non concupiſces, tanquam bonæ: quia voluntas mea qua nolo quod facio, legi conſentanea eſt, quæ vult me hoc nolle. Itaque conſentio legi, non ſolum intellectu indicans quod bona ſit; verùm etiam voluntate me ei conformans. Quod vtique eſt hominis iuſti ac mente renouati. Idque amplius oſtendit ſequens pericope.

17 NVNC AVTEM IAM NON EGO OPEROR ILLVD: SED QVOD HABITAT IN ME PECCATVM. Græcè, *Nunc autem non amplius ego* &c. Hoc certè homo ſub lege conſtitutus & adhuc dominio peccati ſubiectus dicere non poteſt. Talis enim non ſolum carne, ſed etiam mente ac voluntate, & proinde ſimpliciter operatur malum; vt bene obſeruauit Auguſtinus lib. 1 de nuptijs & concupiſcentia cap. 29. Quo præterea facit, quod, vt dixi, ſecundum Græcam lectionem, à qua Latina verſio ſenſu non diſcrepat, dicitur: *Nunc non amplius*. Exponit autem apoſtolus quod dixerat, *illud facio*: ne fortè malè intelligatur. Et ſenſus eſt: Quoniam renouatus per gratiam legi conſentio; nunc non amplius ego operor malum, ſicut faciebam conſtitutus ſub lege; ſed peccatum in me habitans illud operatur, id eſt concupiſcentia mihi inſita, & ſedem in me fixam habens, prauos motus in me excitat non conſentiente. Ea cur peccatum vocetur in renatis, expoſitum eſt ad illud capitis præcedentis: *Non ergo regnet peccatum* &c. Rectè verò nunc dicit ſe non operari motus illos concupiſcentiæ; quia non operatur vt homo, id eſt ex imperio vel conſenſu rationis. Vnde ipſe homo, quatenus homo, patitur eos, non operatur. Notanda metaphora inhabitationis frequens in ſacris literis, qua ſignificatur quippiam ita iugiter adeſſe aut ineſſe alicui, vt fixum in eo domicilium collocaſſe videatur. Quod maximè competit in fomitem hunc peccati; quem durante hac vita mortali penitus exſtirpari impoſſibile eſt.

Peccatum habitans in homine quod ſit.

18 SCIO ENIM QVIA NON HABITAT IN ME, HOC EST IN CARNE MEA, BONVM. Hæc quoque ſententia ſuperiorum expoſitio eſt, vbi dixerat ſe carnalem eſſe & venundatum ſub peccato; & malum facere quod non vult, ſed odit. Nam dicens *in me, hoc eſt, in carne mea*, declarat ſe ea omnia dixiſſe de ſe ſecundum carnem, & non abſolute. Senſus: Noui per experientiam, in me quatenus caro ſum, id eſt carnalis, non habitare bonum, ſed malum. Quod ergo Paulus alibi nos & membra noſtra vocat templa Spiritus ſancti, vt 1 Cor. 3 & 6, & 2 Cor. 6, non eſt huic loco contrarium: quemadmodum bene oſtendit Auguſtinus lib. 1 de nuptiis & concupiſcentia cap. 31. Nam in carne noſtra, id eſt in nobis ipſis ſecundum corruptionem carnalem, de qua Dominus Ioan. 3, *Quod natum eſt ex carne, caro eſt*; non habitat, imò nec inuenitur bonum: Inuenitur autem & habitat bonum in corpore noſtro; quatenus membra corporis ad bona agenda mouentur à mente renouata per inhabitantem Spiritum ſanctum: ſicut & præcepit capite ſuperioti; *Exhibete membra veſtra arma iuſtitiæ Deo*. Interim obſerua carnis acceptionem apoſtolis vſitatam, qua ſumitur pro toto homine, quatenus vetus eſt & carnalis: id eſt ſecundum illud quod traxit ex vetere & carnali Adam, corruptus ex corrupto. Quæ corruptio non in ſola carne eſt, vt ab anima diſtinguitur (licet in carne maximè appareat propter rebellionem membrorum) verùm etiam ac potiſſimum in ipſa anima. Cuius vtique ſunt ea vicia quæ carni non competunt, & quæ ſpiritualia vocari ſolent, carnalibus oppoſita: veluti ſuperbia, inuidia, contentiones & his ſimilia, quæ cuncta inter opera carnis enumerare non dubitauit apoſtolus Gal. 5.

Caro pro homine quatenus carnalis eſt.

NAM VELLE ADIACET MIHI, PERFICERE

AVTEM

AVTEM BONVM NON INVENIO. Verbum *inuenio* non erat additum in codicibus Græcis quos vidit Augustinus, vt ipse testatur lib. 3 contra Iulianum cap. vltimo: vbi locũ hunc accuratè tractat. Cæterùm in aliis omnibus legitur. Ac videtur etiam Syrus interpres legisse, quia vertit *impotens sum*. Si scriptũ non fuit *inuenio*; repetendum erit ex priori membro, *adiacet mihi*; quod tantundem valet. Sensus: Nam etsi velle bonum etiam perfectè, mihi adsit iam sanato & renouato per gratiam: (quod enim ad mentem attinet, volo omnino non concupiscere, ne carne quidem:) attamen propter malum illud habitans in carne mea, non inuenio, non assequor, vt totum bonum quod volo faciam siue perficiam; quia permanet in me carne concupiscere, & facere quod nolo. Non est tamen hic vrgendum vocabulum *perficere*. Nam in Græco est κατεργάζεσθαι, idem verbum cum eo quod ipse interpres & iam antè aliquoties, & rursum paulo pòst vertit *operari*. Quare & hoc loco sic verti potuit. Sensus tamen est ille quem dedi. Si quis verò ad hunc modum exponat: Velle bonum adest mihi ex meipso: perficere autem bonum ex meipso non habeo, sed ex gratia Dei: sensum is reddet Pelagianum; quod fecit Ioannes Cassianus collatione 13 cap. 9, refutatus à S. Prospero cap. 8 eius libri quem aduersus eum scripsit: idque ex euidenti testimonio eiusdem apostoli, dicentis ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere* Sed quæres, si Deus operatur in nobis etiam perficere; quomodo Paulus & quilibet iustus perficere bonum non inuenit? Respondeo verbum *perficere*, siue *operari* alio atque alio referri in diuersis apostoli sententiis. Nam hoc quidem loco refertur ad totum bonum quod iustus vult. Non enim totum illud perficit, quamdiu in eo caro concupiscit aduersus spiritum: vti iam expositum est. In eo autem quod ad Philippenses dictum est, refertur *perficere* non ad totum bonum quod volumus; sed ad bona opera quæ fiunt à nobis in hac vita. Nam non solum vt ea velimus, sed etiam vt faciamus, Deus in nobis operatur.

Refellitur Pelagiana expositio huius loci.

Quæstio.

Resp̃osio.

19 NON ENIM QVOD VOLO BONVM, HOC FACIO; SED QVOD NOLO MALVM, HOC AGO. Repetit ijsdem penè verbis quod iam ante dixerat, sensu prorsus eodem; repetit autem ad probandum quod dixit, *perficere bonũ non inuenio*. Obiter admoneo, loco verbi *nolo* semper in Græco esse οὐ θέλω, *non volo*: quomodo sibi vertendum putauit Erasmus. Atqui, meo iudicio, rectiùs vulgatus interpres reddidit, *nolo*; quo significaret voluntatem auersantem & in contrarium nitentem. Id enim postulat res de qua agitur. Vnde & prius dixit *odi*, pro quo postea *nolo*. De Græca autem lectione non mirum: quia quod Latini dicũt, *nolo* aut *nolle*; id Græci, quòd huiusmodi composita dictione careant, aliter exprimere non possunt, quam duabus dictionibus, negatione & verbo.

Verbum nolo quã vim habeat.

20 SI AVTEM QVOD NOLO, ILLVD FACIO, IAM NON EGO OPEROR ILLVD, SED QVOD HABITAT IN ME PECCATVM. Huius quoque partis intelligentia patet ex dictis. Cæterùm in Græco sic legitur, *Si autem quod nolo ego, hoc facio; non amplius ego operor illud*, &c. Vbi præter illud, *non amplius*, de quo suprà; notanda est emphasis in pronomine *ego* studiosè expresso, etiam in prima parte sententiæ. Per hoc enim innuere voluit apostolus se facere secundum carnem, quod tamen ipse homo mentis deliberatione nolit; ideoque se hominem rationali ac deliberata actione illud non agere.

21 INVENIO IGITVR LEGEM VOLENTI MIHI FACERE BONVM, QVONIAM MIHI MALVM ADIACET. *Quoniam* pro *quòd*, Nec enim causaliter hic accipitur ὅτι, sed εἰδικῶς, vt sæpe alibi. Sententia sic ordinanda & exponenda est: Igitur inuenio ac deprehendo in me legem seu inclinationem quandam, qua scilicet malum mihi adiacet, & faciendum tanquam lege quadam ingeritur; in me, inquam, volente facere quod bonum est. Alij aliter ordinant & exponunt, sed obscurè & violentè, dum legem intelligunt in bonã partem. Erasmus in annotationibus quatuor adfert expositiones, vnam Origenis, duas Theophylacti, quartam suam ipsius, quam & versione exprimit non ferenda: *Reperio igitur per legem*, &c. Nec verò aliter expedire se potest, nisi Paulum faciat balbutientem; prorsus immeritò. Nam hoc quod dixi, sensum habet planum & perspicuum: nec modò consequẽtem ex verbis proximè antegressis, *quod habitat in me peccatum*, & cæteris quæ præcedunt; verùm etiam quàm maximè congruentem cum iis quæ mox adijciet hoc capite, & initio sequentis, de lege peccati & membrorum. Ea enim lex est ipsum in nobis habitans peccatũ, id est concupiscentia. Denique huius sententiæ explicatio est totum quod sequitur, vsque ad illud *Infelix ego homo*, vt statim patebit. Iure igitur hunc sensum amplexus est Fr. Toletus post octo alias aliorum expositiones ordine recensitas & improbatas: licèt non in persona hominis iusti, sed peccatoris sub lege constituti (quod non probamus) hocà Paulo dictum velit: vt & cætera huius loci.

Erasmi versio reprehensa.

Vocabuli legis extensio.

Concupiscentia lex peccati, quo sensu.

est Ezech. 20, *In præceptis patrum vestrorum nolite incedere.* Dicuntur item præcepta philosophorum, grammaticorum, medicorum, id est regulæ quædam & principia scientifica agendi, loquendi, viuendi &c.

22 CONDELECTOR ENIM LEGI DEI SECVNDVM INTERIOREM HOMINEM. Deinceps explicat partem præcedentem. Et hic quidem illud declarat quod dixit, *volenti mihi facere bonum*. Sensus est: Delectat me lex Dei, vtpote lex sancta, iusta & bona; delectat me, inquam, non quauis parte mei, sed secundū hominē interiorē, id est secundum mentem seu partē intellectiuam, quæ iam per Christi gratiam sanata est. Interiorem hominem interpretor mētem, non autem hominem nouum aut renouatum. Non enim apostolo idem est homo interior & nouus: vt nec idem homo exterior & vetus. Nam & in peccatoribus est interior homo, sed nondum renouatus. In iustis autem interior homo cum nouo homine coincidit. Iustus igitur condelectatur legi Dei secundum interiorem hominem, non iniustus. De horum distinctione vide etiā Hugonem Victorinum quæst. 158 & 159. Et nos amplius aliquid dicturi sumus ad illud 2 Corint. 4, *Licet is qui foris est, noster homo corrūpitur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem*. Hominis exterioris hoc in loco non fit aperta mentio; sed ex parte quadam significatur per illud quod sequitur, *in membris meis.*

Interior homo quis Paulo dicatur.

23 VIDEO AVTEM ALIAM LEGEM IN MEMBRIS MEIS. Declarat illud: *Inuenio legē quoniam mihi malum adiacet.* Sensus: Sed experior aliam legem in membris meis, id est in corpore meo, & in toto homine exteriore, qui durante hac vita non renouatur sed corrumpitur, 2 Cor. 4. Ideo autem dicit *in membris*, quia in membris quibusdam, quæ pudor nominari vetat, maximè percipitur & appareret rebellio, quam excitat lex ista peccati de qua sermo est. Augustinus ser. 43 de tempore cap. 8 legem hanc membrorum suis quibusdam nominibus denotat, vocans eam *legem fœdam, legem miseram, vulnus, tabem, languorem*.

Lex mēbrorū quæ dicatur.

Legis mēbrorum nomina apud Augustinum

REPVGNANTEM LEGI MENTIS MEÆ. *Repugnantem*, Græcè ἀντιστρατευόμενον *rebellantem*, ac si dicat: quæ lex bellum mouet aduersus legem mentis meæ, id est aduersus legem Dei, in qua secundum mentem condelector. Est enim eadem lex Dei & lex mentis: sicut è diuerso eadem est lex peccati & membrorum. Ex his verbis rectè colligitur concupiscentiam, etiam quę in renatis est, repugnare & contrariam esse legi Dei: quia ad instar legis ad ea quæ legi diuinæ cōtraria sunt, impellit. Vnde & alibi dicit idem apostolus: *Caro cancupiscit aduersus spiritum: & spiritus aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non* &c. Galat. 5. Verùm hinc porrò consequens non est, eandem ipsam concupiscentiam, aut motus eius inuoluntarios lege Dei prohiberi, & proinde vera esse peccata, quod volunt hæretici: quamuis vt aiunt, à Deo propter Christum non imputentur ad peccata. Non est, inquam, id consequens. Nam præcepta & prohibitiones non fiunt nisi voluntati. Quare quod in nobis inuoluntarium prorsus est, sub prohibitionem legis cadere non potest. Vnde nec Paulus dicit eos peccare, qui quod nolunt, quodque oderunt faciunt, etsi peccatum eis non imputetur: sed simpliciter eos iam in Christo renatos, à peccato simul & damnatione liberat, quum docet nihil ijs esse damnationis, quia nihil sit peccati; vt qui iam non secundum carnem ambulent: quemadmodum dicitur initio capitis sequentis.

Eadē lex Dei & lex mentis. Eadem quoque lex peccati & mēbrorum. Concupiscentia legi diuinæ contraria.

Concupiscentia renatorum, motusque eius inuoluntarij nec peccata sunt, nec lege Dei prohibita.

ET CAPTIVANTEM ME IN LEGE PECCATI QVÆ EST IN MEMBRIS MEIS. *In lege peccati*, Græcè *legi peccati*: tametsi quidam Græci codices habent vt Latini, *in lege*. Verùm nec Syriacus textus additam habet præpositionē. Est autem in vtraque lectione Hebraismus, qualis ibi, *Pluit Dominus à Domino*, Gen. 19, & vtriusque idem sensus: Subijcientem me sibi in seruitutem; intellige, vt suprà, secundum carnem, &, vt Augustinus ait; *motione, non consensione*. Idem enim est cum eo quod in principio dixit, *venundatus sub peccato*. Vocat autem legem peccati concupiscentiam, vt antè dixi, quia fomes est & incitamentum ad peccandum.

24 INFELIX EGO HOMO: QVIS ME LIBERABIT DE CORPORE MORTIS HVIVS? Exclamatio est gementis sub iugo ac seruitute peccati secundum carnem, & ad libertatem anhelantis. *Infelix*, Græcè ταλαίπωρος & *miser. Liberabit*, ῥύσεται *eripiet*. Corpus mortis vocat corpus mortale, id est morti destinatum per corruptionem quam ex peccato contraxit: sicut vir mortis Hebræa phrasi quis dicitur propter admissum scelus quod dignum sit morte, vt 3 Reg. 2. Potest autem ex Græco verti, & quidem sensu commodiore. *De corpore mortis isto*, id est ex hoc corpore mortali: vt demonstratio sit corporis, non mortis. Cur autem dicat, de hoc corpore mortis, cùm tamen hactenus non de morte sed de peccato fuerit locutus; ea ratio est, quia durāte hac mortalitate manet in corpore lex & seruitus peccati iam dicta. Optat autem ita liberari & eripi de mortali hoc corpore, vt idem aliquando recipiat immortale, atque ab omni corruptione & seruitute peccati liberum; videlicet per resurrectionem. Animaduerte lector, cum omnis scriptura euāgelica & apostolica Christianum hominem beatum pronunciet, vel ob iusticiam præsentem, qua Deo gratus est atque amicus: vel ob spem glorię futuræ; Paulum tamen apostolum se & omnes iustos infelices & miseros clamare; non tam propter corporis mortalitatem & ærumnas forinsecus irruentes, quàm propter legem peccati in membris sæuientem. Ita non pugnat in hoc statu corruptionis, eundem hominem & beatum

Corpus mortis quod dicatur.

Christiani quo sēsu beati simul & infelices.

tum esse & miserum diuersa ratione.

25 GRATIA DEI PER IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM. In hac parte varietas est lectionis. Latini quidem veteres omnes tam in commentariis quam extrà, legũt *Gratia Dei:* solum Hieronymum si excipias, de quo dicemus infrà. Huius autem lectionis sententia clara est: qua se consolatur apostolus, ac sibi ipsi respondet dicens: Gratia Dei, id est gratuita Dei bonitas per Christum liberabit me de hac corruptione. Eandem lectionem agnoscunt ex Græcis Irenæus libro 3 cap. 22, & Origenes in huius loci commentario: si non fallunt eorum interpretes. Porrò Græci codices plerique sic habent: εὐχαριστῶ τῷ θεῷ. *Gratias ago Deo per Iesum* &c. Atque eam lectionem exponunt Chrysostomus ac cæteri Græci Chrysostomo posteriores. Annuit & Syriaca versio. Sensus huius Græcæ lectionis à nobis ita reddi potest: Gratias ago Deo per Iesum Christũ: vel sic potius; Gratias ago Deo, qui per Iesum Christũ Dominũ nostrum me vocauit in spem certam liberationis è corpore hoc mortali. Quem sensum resoluere poteris in hanc planam responsionem redditã interrogationi: *Quis me liberabit* &c? Deus per Iesum Christum Dominum nostrũ liberabit me ex hoc mortali corpore: de quo beneficio promisso & præparato gratias illi ago. A sensu dictæ lectionis non est diuersum quod quidam Græci codices legunt: χάρις δὲ τῷ θεῷ *Gratia autem Deo.* Subauditur enim sit, aut habenda est. Atque his alludere fortasse videantur exemplaria Latina non pauca, quæ scribunt, *Gratia autem Dei:* nisi quod alia antiquitate & integritate præstantiora tantũ *gratia Dei* legunt: quemadmodum & hodie passim in omnibus impressis habetur. Cui lectioni vicinior est illa tertia Græcorum, χάρις τῷ θεῷ *gratia Deo.* Cuius Valla meminit. Et hoc modo nostrum interpretem transtulisse, id est *gratia Deo*: scribarum autem inscitia paulatim o in i mutatum fuisse, quidam non abs re suspicantur. Nam & ita legit Hieronymus quæst. 8 ad Algasiam: ac pro eo postea repetit, *gratias ago Deo.* Quæ si vera est suspicio, iam sensu prorsus conueniet Latina versio cum Græcis. De tota hac varietate vide notationes Fr. Lucæ Brugensis.

IGITVR EGO IPSE MENTE SERVIO LEGI DEI, CARNE AVTEM LEGI PECCATI. Colligit in summam, simulque declarat ea quæ dixit ab illo loco, *Ego autem carnalis sum.* Declarat autem distinctione tum sui, id est mentis & carnis, tum legum contrariarũ, quæ sunt lex Dei & lex peccati: quarum alteri mẽte, alteri carne seruire se dicit. *Ego ipse* Græcè αὐτὸς ἐγὼ, *ipse ego.* Quod à Paulo emphaticè dictum est, ad designandum semetipsum: Ne quis eum sub aliena persona hactenus fuisse locutum suspicaretur: quemadmodum id pluribus ostendit Io. Cassianus collatione 23 cap. 16, & ex eo B. Pererius disput. 20 & 21. Adfert Cassianus similia loca, in quibus seipsum specialiter & cum emphasi signat idem apostolus, vt 2 Cor. 10. *Ipse ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi.* & cap. 12, *Ipse ego non grauaui vos.* & in hac ad Romanos epistola cap. 9, *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Porrò quidam hanc emphasim referunt ad ipsum Paulum vt hominem, ex iudicio rationis agẽtem; ac si dicat: Ego quatenus homo sum, eligens & agens ratione deliberata. Verùm id nõ apparet. Nam ad hoc significandum addidit *mente.* Deinde, quia illud *ego ipse* tam pertinet ad posterius membrum quam ad prius. Atqui emphasim sic expositam, in posteriori membro veritatem non habere perspicuum est. Cæterùm Erasmus vertit, *idem ego*, quod & Hentenius secutus est: ac si dicat apostolus; Ego vnus idemque mente quidem seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Nam & alibi sic loquitur interpres, vt Iacobi 3 *Ex ipso* (id est eodem) ore *procedit benedictio & maledictio.* & Heb. 13, *Iesus Christus heri & hodie: ipse* (id est idem) *& in sæcula.* Sed sciendum hic in Græco non apponi articulum, ὁ αὐτὸς, vt solet dum significatur idem; quemadmodum in locis citatis atque alibi videre est: sed nudè scribit αὐτὸς ἐγὼ; sicut in alijs locis quæ Cassianus annotauit. Itaque maneat quod prius dictum est, idcirco Paulum dixisse *ipse ego*, vt ostenderet ad suam ipsius personam hæc quæ scribit pertinere: quasi dicat; Interim verò dũ adhuc detineor in hoc mortali corpore, dumque plena liberatio mea ad quam suspiro, differtur: ipse ego Paulus mente saltem & ratione seruio legi Dei, licèt carne adhuc seruiam legi peccati. *Hac* igitur *conclusione*, ait Augustinus ser. 6 de verbis apostoli, *demonstrauit apostolus ad hoc se dixisse quæ suprà dixerat, Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: quia non mente operabatur consentiendo, sed carne concupiscendo.*

Ipse ego, Paulina phrasis, quã vim habeat.

SVMMARIVM.

DOcet ijs qui sunt in Christo, nihil damnationis esse reliquum: vt qui damnato per Christum peccato, spiritu Dei agantur, sintq; filij Dei, spem certam habentes gloriæ futuræ: etsi interim adhuc corpore mortales. Deinde magnitudinem charitatis Dei erga suos electos describit: negãs eos vlla vi posse à Dei charitate separari.

CAPVT OCTAVVM.

1 NIHIL ERGO NVNC DAMNATIONIS EST IIS QVI SVNT IN CHRISTO IESV. *Nihil damnationis*, Græcè *nulla damnatio.* Alteram hanc conclusionem infert apostolus ex ijs quæ disseruit capite superiori ab illo loco, *Quod enim operor, non intelligo*, vsque ad finem, & præcipuè ex illis sententijs: *Non quod volo ago, sed quod odi. Non ego operor illud, sed quod habitat in me pec-*

catum. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Ex ijs enim sequitur inuoluntarios esse concupiscentiæ motus in renatis ac iustis; quibus proinde ad pœnam imputari non possint. Ipsum verò peccatum originis supponitur esse remissum in baptismo, ex illis quæ dicta sunt cap. 6. Quod declarat synodus Tridentina sess. 5 canone 5, vbi definiens per gratiam baptismi *tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet*, hanc subijcit probationem: *quia nihil est damnationis ijs qui verè consepulti sunt Christo per baptisma in mortem*. Idque etiam hic significatum est cùm dicitur: *ijs qui sunt in Christo Iesu*, id est insiti Christo, & in eo renati per baptismum. Et vtique ad fideles baptizatos scribitur hæc epistola. Damnationis nomine vel pœna pro peccato inflicta aut infligenda intelligitur, vt passim in scripturis; vel secundum quosdam, metonymicè ipsum peccatum damnatione, id est pœna dignum; quomodo putant etiam accipi 1 Tim. 5, cum dicitur: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*. Sed de illius scripturæ sensu, vbi non κατάκριμα legitur, sed κρίμα, id est *iudicium*, videbimus suo loco. Hic verò vtrumque sensum conijgere licebit, hoc modo: Qui sunt Christo insiti per baptismum, & in eo regenerati, quamuis adhuc carne seruiant legi peccari, iam nullum amplius habent peccatum quantulumcumque; neque propter peccatum vlli pœnæ amplius sunt obnoxij; cuius nimirum pœnæ debitum eos remoretur ab ingressu regni cælestis: vt exponit synodus Tridentina. Quod totum intellige, quantum attinet ad malum illud in carne habitans, id est concupiscentiam, eiusque motus, de quibus dictum est suprà. Siquidem concupiscentiæ reatus baptismo deletus est: motus verò sunt inuoluntarij. Ideoque deinceps nihil illis damnationis est, nisi ex propria actione, proprioq; consensu. Quod significat pars subiuncta.

Damnationis nomine quid significetur.

Renati à peccato & damnatione prorsus liberi.

QVI NON SECVNDVM CARNEM AMBVLANT. Ambulare quid metaphoricè significet in scripturis, dixi superius ad illud cap. 6, *In nouitate vitæ ambulemus*. Igitur ambulare secundum carnem est viuere secundum carnem. Hoc autem quid sit, docet Augustinus lib. 14 de ciuitate Dei cap. 2, ostendens non eos solos philosophos, qui carnis voluptates sectati sunt, vt Epicureos, secundum carnem vixisse; verùm etiam Stoicos, qui summum bonum hominis in animo posuerunt, etiamsi quam maximè sibi à voluptatibus corporeis temperassent. Non enim liberi fuerunt à cæteris vicijs quæ inter opera carnis enumerat apostolus ad Gal. 5, cuiusmodi sunt idolorum seruitus, inimicitiæ, contentiones, æmulationes &c. Carnem igitur apostolus intelligit carnalem concupiscentiam spiritui aduersantem; quę per omne genus viciorum spargitur: ac negat quicquam damnationis reliquum esse baptizatis qui secundum carnem non viuunt, id est concupiscentiæ motibus seu desiderijs non obsequuntur. Alioqui inquantum quis ijs obsequitur aut consentit, in tantum fit reus damnationis, id est pœnæ vel temporalis vel æternæ. In Græco additur *sed secundum spiritum*. Quod tamen neque in Syriaco textu legitur, neque apud veteres Latinos: nec in omnibus est Græcis. Vnde adiecticium videri potest, ex eo quod paulo pòst dicitur: *Qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum*. Pro sensu totius loci præsentis consule hæc Augustini loca; lib. 2 de peccatorum meritis cap. 27 & 28. lib. 2 contra Iulianum cap. 10. lib. 1 contra duas epistolas Pelagianorum cap. 13, & concione 3 super psalmum 118. Ratio sublatæ damnationis sequitur.

Quid ambulare secundum carnem.

2 LEX ENIM SPIRITVS VITÆ IN CHRISTO IESV LIBERAVIT ME A LEGE PECCATI ET MORTIS. Legem spiritus vocat gratiam Christi, qua lex Dei per Spiritum sanctũ scribitur in cordibus nostris. Qui spiritus vitæ, id est viuificus dicitur: (est enim genitiuus epitheti loco) quia vitam tribuit, qua Deo viuimus, & in æternum victuri sumus. Alij vtrũque genitiuum ad legem referunt, ac si dictũ fuisset, lex spiritus & vitæ: quomodo mox ex aduerso nominatur lex peccati & mortis. Et in hunc sensum Theophylactus exponit, & alij nonnulli. Verùm si hoc vellet apostolus, certè copulam addidisset, vt fecit in altera parte. Circa quam tamen notandum, quod in Græco est ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου, tribus modis verti posse: à lege peccati & mortis; vel, à lege, peccato & morte; vel, à lege peccati & morte. Verumtamen harũ versionum prima, quæ nostri est interpretis & omnium ferè aliorum, maximè probabilis est. Hac enim parte duo crimina superiori capite remota à lege decalogi, transfert in fomitẽ, quem paulo antè vocauit legem mẽbrorum, atque adeò legem peccati. Nam de lege decalogi sunt illa capitis superioris: *Lex ergo peccatum est? Absit.* &, *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit.* Quod vtrumque nunc attribuit fomiti, id est concupiscentiæ; legi spiritus vitæ eam opponens, ac legem peccati & mortis appellans. Est enim illa lex peccati, quia ad peccatum mouet incitatque, velut lex quædam, vt antè explicatum est: & lex mortis, quia per se ducit ad mortem. Nam *stipendia peccati mors*, suprà cap. 6. Rursum lex est peccati & mortis, quia *concupiscentia parit peccatum: peccatum verò cum consummatũ fuerit, generat mortem*, Iac. 1. Illud, *in Christo Iesu*, quidam referunt ad vitam, vt significetur vita danda per Christum. Quo sensu dictum erat in fine cap. 6, *Gratia Dei vita æterna in Christo Iesu*. Alij ad subsequens verbum, *liberauit*, sensu, vt apparet, commodiore; quomodo dictum est paulo antè, *Gratia Dei (liberabit me) per Iesum Christum*. Quod autem dicit: *liberauit me à lege peccati & mortis*, hunc sensum habet: Quamuis adhuc carne sim captiuus

Lex spiritus vitæ gratia Christi.

Quæ lex peccati & mortis.

ptiuus ſub lege peccati, eiq́ue ſeruiam; attamen meipſum, ſcilicet vt hominem, à mente ac ratione æſtimandum, gratia Chriſti iam liberauit à lege peccati; ſic vt ea neque mihi dominetur amplius, quia prauis eius motibus non conſentio; neq; mortis reum me teneat, quia reatus eius baptiſmo ſolutus eſt. Mortis nomine, quæ mors æterna intelligitur, reliquæ etiam peccati pœnæ comprehenduntur: vt ſibi reſpondeant mors & damnatio. Hinc enim inferendum eſt iuxta ſenſum prædictum, nihil eſſe damnationis ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu. Nam in eorum perſona de ſe loquitur apoſtolus hæc verba, quemadmodum multa capitis præcedentis.

Mortis nomine omnis peccati pœna comprehenditur.

3 NAM QVOD IMPOSSIBILE ERAT LEGI, IN QVO INFIRMABATVR PER CARNEM. Prior pars ſic habet in Græco τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, id eſt, *Nam impoſſibile legis*. Pro quo Tertullianus lib. de reſurrectione carnis cap. 46. *Quod enim inualidum erat legis.* Sed & apud commentatorem Amb. genitiuus eſt *legis*. Eraſmus hunc locum paraphraſticè ita reddidit: *Etenim quod lex præſtare non poterat ea parte qua imbecillis erat per carnem*. Mens apoſtoli hoc loco eſt, etſi verbis obſcurioribus expreſſa, id nobis præſtitum per gratiam, quod lex præſtare non potuit: Vbi legem intelligit Moſaicam, de qua dixerat cap. 7. *Lex quidem ſancta.* Ac ne legem incuſare videatur, culpam reijcit, vt ſuperiori capite, in carnem, id eſt concupiſcentiam, quæ fomes eſt peccati. Nam quia peccando carnalis factus eſt homo, & per hoc ad bonum quod lex præſcribit, infirmus; ideo gratia Chriſti indiget vt legem impleat. Senſus: Nam quod lex præſtare non potuit, non quidem ſuo vicio, ſed *in quo*, id eſt quatenus ſeu qua ratione *infirmabatur*, hoc eſt imbecillis & impos erat *per carnem*, id eſt quia homines corrupti ſunt & carnales ex peccato primi parentis; ita vt, etſi quædam bona quæ lege præcipiuntur, per naturæ vires agere poſſint; totam tamen legem implere nequeant. Pendet ſententia, verbis ſequentibus complenda: tamerſi putat Toletus ſenſum completum hac parte contineri. Sic enim exponit; *Impoſſibile legis*, id eſt impoſſibilitas implendæ legis ex eo procedebat, quoniam lex infirma erat per carnem ſeu propter carnem. Verùm ad hunc ſenſum aptare verba quæ ſunt in Græco, non ita facilè eſt. Quare priorem expoſitionem quæ multorum eſt, retinendam cenſeo. Particulam *in quo*, Græcè ἐν ᾧ, cauſaliter exponimus: ſic enim & alibi accipitur, vt Heb. 2, *In quo paſſus eſt ipſe tentatus, potens eſt & eis qui tentantur auxiliari.* Et quidem hęc ſignificatio præſenti loco maximè congruit.

Legis infirmitas. Gratia Chriſti neceſſitas.

DEVS FILIVM SVVM MITTENS. Græcè *Deus ſuo ipſius filio miſſo*, quem infrà vocat proprium filium.

IN SIMILITVDINEM CARNIS PECCATI. Græcè ἐν ὁμοιώματι, *in ſimilitudine*, quẽadmodũ & citat Hilarius lib. 10 de Trinitate. Subaudiendum verbum, præſtitit, aut aliquid ſimile; præſtitit (inquam) per ſuam gratiam ex merito Chriſti filij ſui, quod lex per carnem infirma non potuit. Ita plerique. Toletus verò non vult ſubaudiri verbum, ſed duplicem hic introducit Hebraiſmum: alterum vt ſuppleatur *ideo*, alterum quo participium ſit poſitum pro verbo, *mittens* pro *miſit*. Cuius vtriuſque apud Hebræos idiotiſmi profert exempla. Vult igitur hunc eſſe contextum: *Impoſſibile legis* erat ex carne. Ideo miſit *Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum*. Mihi quod ante dixi, partem præcedentem ex iſta pendere, probabilius eſt. Deinde ſi participium hic poſuit pro verbo; cur non idem fecit in verbo *damnauit*, partis ſequentis & coniunctæ: quum coniunctio copulet ſimilia? Satius fortaſſe fuerit agnoſcere pleonaſmum in vocula &; quòd ea etiam alibi interdum redundet apud Paulũ; vt planus ſermo ſit: Deus miſſo filio ſuo in ſimilitudine carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne: atque ita contulit nobis quod lex non potuit, legis ſcilicet impletionem. Notat Auguſtinus ſerm. 6 & 31 de verbis apoſtoli, Paulum non dicere filiũ Dei miſſum eſſe in ſimilitudine carnis, (hoc quippe dogma Manichæorum eſt, Chriſtum non veram carnem, ſed ſpeciem ac ſimilitudinem carnis tantum aſſumſiſſe) ſed *in ſimilitudine carnis peccati*, id eſt habentem ſpeciem carnis peccato obnoxiæ; nempe in eo quia mortalis natus eſt, ac miſerias & mortem paſſus, quæ debentur peccatoribus. Vnde & per æneum ſerpentem à Moyſe erectum Num. 21 præfiguratus eſt: vt qui videretur habere venenum peccati, reuera tamen non haberet. Eadem obſeruatio eſt Græcorum interpretum. Hinc porro colligit idem Auguſtinus ſerm. 31 ſupra citato cap. 8, omnem reliquam carnem eſſe carnem peccati. *Non enim*, inquit, *pro magno commendaretur in Chriſto ſimilitudo carnis peccati, niſi omnis cætera caro eſſet caro peccati.* Vtitur eadem collectione Fulgentius lib. de incarnatione & gratia Chriſti cap. 6.

Chriſtus venit in ſimilitudine carnis peccati: non, vt omnes alij, in carne peccati

ET DE PECCATO DAMNAVIT PECCATVM IN CARNE. Hæc pars difficultatem habet, & variè exponitur. Quidam illud *& de peccato* præcedentibus adiungunt. Sciendum enim id quod in Græco eſt περὶ ἁμαρτίας, etiam verti poſſe, (quomodo Ruffinus in Origene) *pro peccato*, ſiue (quomodo Syrus tranſtulit) *propter peccatum*, ſcilicet abolendum. Sic enim & Petrus loquitur 1 ep. 3. *Chriſtus ſemel pro peccatis mortuus eſt.* Græcè, ὑπὲρ ἁμαρτιῶν. Senſum igitur hunc faciunt: Quod legi erat impoſſibile, Deus miſſo filio ſuo in ſimilitudine carnis peccatricis, idq́ue propter peccatum expugnandum & abolẽdum; damnauit peccatum in carne eiuſdem filij ſui. Iuxta quem ſenſum in tota periodo neque ſupplẽdum erit verbum, vt ſupra fecimus, neque coniunctio & redundare videbitur. Huius expoſitionis meminerunt Theophylactus &

Oecumenius, non admodum tamen probantes: quemadmodum nec mihi probatur. Nam causa filij à patre missi, quam intendit apostolus, ea est quam clarè exprimit verbis sequentibus: *Vt iustificatio legis impleretur in nobis:* quod nimirum præstare, legi fuerat impossibile; vt proinde pars illa περὶ ἁμαρτίας ad causam missionis indicandam nihil conferat. Minus adhuc placet illud cuiusdam glossema, carnem peccati & de peccato interpretantis carnem peccatricem, quæ eadem ex peccatoribus orta sit; ac si dicat apostolus filium Dei similem factum hominibus peccatoribus, qui ijdem ex peccatoribus nati sunt. Non placet, inquam; quia præpositio περὶ nõ admittit huiusmodi interpretationem. Et omnino probabilius est, ad sequentia referẽdam esse partẽ illam, *& de peccato.* Vbi tamen etiam varietas exsistit. Apud Augustinum tres inueniuntur expositiones; quarum prima est, peccati nomine similitudinem carnis peccati significari: quoniam inquit, *rerum similitudines solent earum rerum nominibus nuncupari, quarum similes sunt.* Secunda, Christum ipsum intelligi, qui peccatum dicatur, quia sacrificium fuit pro peccatis oblatum, sicut dicitur 2 Cor. 5, *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Nam sacrificia pro peccatis peccata appellabantur in lege. Tertia, peccatum intelligi Iudæorum. De quo damnauit Deus peccatum, ait Augustinus, quia de peccato eorum qui eum crucifixerunt, factum est vt sanguinem suum in remissionem funderet peccatorum. Has tres expositiones adfert Augustinus lib. 3 cont. 2 epistolas Pelag. cap. 6, primam & secundam serm. 48 de verbis Domini; primam solam quæst. 66 inter 83. Mediam solam serm. 6 de verbis apostoli. Ad tertiam verò propè accedunt & aliorum quædã expositiones: vt illa Leonis serm. 18 de passione Domini. *De peccato damnauit peccatum, id est opus diaboli de opere diaboli soluit.* Sentit enim (vt in sequentibus explicat) Christum dissoluisse peccatum, ex eo quod diabolus ipsum inuasit in quo nullum fuit peccatum. Item Heruæi in commentario, vbi peccatum interpretatur mortem Christi per metonymiam: quia peccati, id est sceleris Iudæorum effectus fuit. Et Pauli Burgensis, peccatum exponentis passionem Christi, quæ magnum fuit peccatum ex parte Iudæorum eam inferentium: sed ex parte Christi patientis, condemnatio fuit & destructio peccati. Verùm huiusmodi expositionibus, quæ Latinorum sunt, rursus haud facilè potest accommodari Græcum περὶ. Quo fit vt nec vllam earum tradant Græci interpretes. Iam nec opus erat addere *in carne*; si peccatum priori loco sumatur pro similitudine carnis peccati, id est pro carne Christi, vt habebat dictarum expositionũ prima. Porrò Græcorum Chrysostomi, Theodoriti & aliorum cõmunis expositio est ista: *De peccato damnauit peccatum*, hoc est: peccati condemnauit peccatum; ipsumque sceleris reum peregit; quod non solum fuisset *supra modum peccans*, augendo præuaricationes in humano genere: vt dictum est capite superiori: verùm præterea manũ misisset in Christum innocentem, & tanquam peccatorem egisset in mortem; vt eam ob causam meritissimè condemnandum fuerit atque è medio tollendum. Nam licèt Deus solo nutu voluntatis abolere potuisset peccatum: conuenientius tamen ei visum fuit, si hac iusticię via procederet ad destruendum regnum peccati. Hæc autem de peccato per prosopopœiam dicuntur, velut de tyranno quopiam & iniusto dominatore: Quo schemate etiam in superioribus de peccato loquens, vsus est apostolus. Sic igitur dicit Deum damnasse peccatum de peccato, sicut Dominus ait Ioan. 16. *Cùm venerit ille (Paracletus) arguet mundum de peccato,* Græcè περὶ ἁμαρτίας. Nec abhorret Latinus sermo: velut cum dicimus aliquem accusatum aut condemnatum de sacrilegio vel homicidio. Hæc Græcorum expositio ita placet, vt eam cæteris anteponendam cum F. Toleto censeam. Condemnauit autem & destruxit peccatum Deus *in carne*, id est per carnem filij sui suspensam & mortificatam in cruce: non quod omnino iam exstinxerit: adhuc enim habitat peccatum in carne renatorum, excitans praua desideria: Sed quia dominium eius abstulit, & reatum soluit; tandem ipsum prorsus aboliturus, quando eos liberabit de corpore mortis huius.

Deus quo sensu de peccato dãnauit peccatum

Deus iusticia sua in destruẽdo regno peccati.

Græcorũ expositio melior.

4 VT IVSTIFICATIO LEGIS IMPLERETVR IN NOBIS. Id est, vt nos legem impleremus, idque faciendo iusti essemus: quia *factores legis iustificabuntur*; supra c. 2. Hoc nimirum est quod dixit esse impossibile legi: & cuius gratia misit Deus filium suum in similitudine carnis peccati. *Iustificatio*, Græcè δικαίωμα, pro iusticia ponitur: quemadmodum & Græcè suprà cap. 5, v. 8 in illis verbis, *per vnius iusticiam*. Apud Augustinum quoque *iusticia* legitur, in expositione propositionũm huius loci. Igitur iustificatio legis est iusticia quam præcipit lex Dei; quamque exercendo, legem Dei implemus. Ex hoc loco manifestè refelluntur qui putant ex solis naturæ viribus totã legem naturæ seu decalogi ab homine præstari posse in hac naturæ corruptione: quando ne quidem scriptæ legis adminiculo id potest corrupta natura: quemadmodum hic docetur. Non minus hic apostoli locus facit aduersus hæreticos, qui negant ab homine per Christi gratiam iustificato legẽ impleri. Nam si non impletur; frustra missus est è cœlo in terram filius Dei: quem vtique ad hoc missum testatur apostolus, *vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Si quæras in quibus nobis; docet te id quod sequitur.

Solis naturæ viribus legem decalogi seruari nõ posse.

Iustificatus per gratiã Christi legem implet.

QVI NON SECVNDVM CARNEM AMBVLAMVS, SED SECVNDVM SPIRITVM. Sensus: Quod fit (nempe vt legem impleamus, & per hoc damnationi non simus obnoxij) dum non carnis desideria sequimur, sed in-

ſtinctum Spiritus ſancti.

5 QVI ENIM SECVNDVM CARNEM SVNT, QVÆ CARNIS SVNT, SAPIVNT. Probat id quod in præcedenti parte ex ſuperioribus intelligi voluit; nempe eos qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum, euaſuros damnationem: alioquin non euaſuros, etiamſi per baptiſmum Chriſto inſiti fuerint. Vim probationis inferius explicabo. Sunt autem eadem apoſtolo, ſecundum carnem ambulare, & ſecũdum carnem eſſe. Item ſecundum ſpiritum ambulare, & ſecundum ſpiritum eſſe. Nam illic homines carnales ſignificantur, hic ſpirituales: niſi quod eſſe habitum importare videatur; ambulare conuerſationem, quæ in actibus conſiſtit. Itaque ſenſus huius partis eſt: Homines carnales ſapiũt, curant, cogitant opera carnis, ijſque afficiuntur & ſtudent, ac toti ſunt in illis. Tale quid enim ſignificat verbũ Græcum φρονῶσι, quod interpres vertit, *ſapiunt*. Rurſus ea quæ carnis ſunt, id eſt opera carnis, intellige ad quæ concupiſcentia carnalis inclinat, id eſt peccata cuiuſcũque generis. Nam omnia ſpiritui contraria ſunt; de quo ſequitur.

Quid ſapere ea quæ carnis ſũt.

QVI VERO SECVNDVM SPIRITVM SVNT, QVÆ SVNT SPIRITVS, SENTIVNT. Interpres de ſuo addidit, *ſentiunt*. Nam in Græco verbum non exprimitur, ſed intelligitur ex membro ſuperiori *ſapiunt* vel *ſentiunt*. Idem enim ſignificatur, vt ſit ſenſus: Homines ſpirituales curant & intenti ſunt in ea opera quæ conſentanea ſunt Spiritui ſancto, & quæ fructus ſpiritus appellantur Gal. 5. Ex quo etiam loco probabile fit, ſpiritum in hac antitheſi carnis & ſpiritus intelligi (quemadmodum expoſui) Spiritum ſanctum, id eſt ſpiritũ Dei non hominis: ſicut & B. Thomas interpretatur; idque ſequentia nos certius docebunt.

Quid ſapere ea quæ ſpiritus ſunt.

6 NAM PRVDENTIA CARNIS, MORS EST. Prudentia, Græcè φρόνημα, verbale nomen ab eo verbo quod iam vertit, *ſapiunt* & *ſentiunt*. Eraſmus *affectum* tranſtulit hic & in ſequentibus. Tertullianus *ſenſum*, lib. de reſurrectione carnis cap. 46. Nonnulli *cogitationem*. Mihi ſignificantius videtur prudentiæ vocabulum, quod & apud veteres legitur, hunc apoſtoli locum citantes, vt Hieronymum in lib. cont. Iouin. c. 22. & Auguſtinum contra Fortunatũ diſp. 2. Nec malè Tertullianus in exhortatione ad caſtitatem c. 10. pro verbali verbũ repoſuit: *Nã ſapere ſecundũ carnem mors eſt*. Et deinceps, *Secundum ſpiritum verò ſapere, vita*. Senſus enim eſt: Sapere, curare, prouidere ea quæ carnis ſunt, mortem adfert, mortem meretur, vtique æternam, de qua dixit cap. 6, Nam *finis illorum* operũ *mors eſt*: & iterum, *Stipendia peccati mors*. Igitur carnis prudentia mors vocatur ab effectu, quia mortifera eſt. Nota ſermonem hic non eſſe de prudentia carnis, vt eſt ſpeciale peccatum; de quo Thomas 2 2, qu. 55 art. 1 & 2, ſed vt per omne genus viciorum diffunditur: quemadmodum ex antedictis eſt manifeſtum. Nam & prudentia ſpiritus, quam illi ſtatim opponit, generalis eſt virtus, omne genus bonorum operum procuratrix.

Carnis prudentia mors. Prudẽtia carnis vitium generale.

Prudẽtia ſpiritus virtus generalis. Prudẽtia ſpiritus vita & pax.

PRVDENTIA AVTEM SPIRITVS, VITA ET PAX. Id eſt: Sapere & curare ea quæ ſunt Spiritus ſancti concupiſcentis aduerſus carnem, parit nobis vitam æternam; iuxta illud loci iam citati: *Finem verò vitam æternam*. Item parit nobis pacem, id eſt omnium bonorum prouentum & tranquillam poſſeſſionem; ſecundum illud cap. 2, *Gloria & honor & pax omni operanti bonum*. Parit autem quia meretur; ſicut de prudentia carnis dictum eſt. Pulchrè verò & accommodatè apoſtolus prudentiæ carnis mortem, & prudentiæ ſpiritus vitam aſſcribit. Nam caro, etiam propriè ſumpta, mortalitatis argumentum eſt; ſpiritus autem, vitæ principium. Nunc argumentationem quæ in prædictis apoſtoli verbis continetur, explicemus. Inſtituit autem probare, vt antè dixi, eos qui ſecundum ſpiritum ambulant, nihil habere damnationis, & proinde victuros: eos verò qui ſecundum carnem ambulant, obnoxios eſſe damnationi mortis. vtrumque probat proprio ſyllogiſmo: poſterius quidem hoc modo; Prudẽtia carnis mors eſt: at qui ſecundum carnem ambulant, ſapiunt quæ carnis ſunt: ergo morientur. Prius autem iſto modo: Prudentia ſpiritus vita eſt & pax; at qui ſecundum ſpiritum ambulant, ſapiunt ea quæ ſunt ſpiritus; ergo vitam conſequentur & pacem. Vtrumque ſyllogiſmum formâ dialecticâ propoſitum vide apud B. Thomam in commentario. Obſcuritatem in contextu Paulino facit cauſalis ſermo: *Nam prudentia carnis* &c. Non enim apparet quidnam probet. Sed facilè tollitur obſcuritas, ſi *nam* per *atqui* interpreteris: aut certè in duabus ſententijs præcedentibus ſuppleas illationem, hoc pacto; *Qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; ideoq; morientur. Qui verò ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt: & proinde viuent*. Tum enim aptiſſimè ſequitur vtriuſque probatio; *Nam prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritus vita*. Cęterùm prudentiam carnis mortem eſſe, confirmat per id quod ſequitur.

Syllogiſmus in Paulina diſputatione explicantur.

7 QVONIAM SAPIENTIA CARNIS INIMICA EST DEO. Græcè, *Propterea quod prudentia carnis inimicitia eſt in Deum*. Idẽ enim in Græco vocabulum φρόνημα repetitur, quod interpres ſuprà vertit prudentiam, nunc ſapientiam. Et quidẽ Hieronymus aduerſus Iouinianum loco ſuprà citato, legit ſemel & iterum: *Prudentia carnis inimicitia eſt in Deum*; vt eſt in Græco. Tertullianus etiam libro de reſur. carnis inimicitiam legit. Accedit his textus Syriacus: imò & veteres noſtræ concordantiæ, quæ ſic habent, *inimicitia eſt in Deum*. Similis ſententia apud Iacobum cap. 4. *Neſcitis quia amicitia huius mundi, inimica eſt Dei?* Græcè, *inimicicia Dei*. Porrò ſenſus huius loci apertus eſt; prudentiam carnis eſſe inimicam Deo, vel inimiciciam aduerſus Deus: quia per eam homo conſtituitur Deo inimicus, vtpote

voluntati ac legi eius contrarius: vt docet ætiologia subiuncta.

LEGI ENIM DEI NON EST SVBIECTA. Græcè οὐχ ὑποτάσσεται, *non subijcitur*. Quomodo etiam apud Hieronymum legitur, & in Latinis quibusdam MSS. Figura sermonis est Hebræis familiaris, qua minus dicitur & plus intelligitur. Nam non tantum non subijcitur legi Dei prudentia carnis, sed etiam repugnat: & propterea est inimicicia in ipsum legislatorem Deum.

Prudẽtia carnis nõ potest subijci legi Dei.

NEC ENIM POTEST. Subaudi, subijci legi Dei: veluti si dicas; vicium virtus esse non potest, nec inclinare ad ea quæ sunt virtutis. Id enim naturæ eius omnino contrarium est. Hinc apostolus intelligendum relinquit, homines quamdiu sapiunt ea quæ carnis sunt, Deo subijci non posse. Quod & significat verbis sequentibus.

8 QVI AVTEM IN CARNE SVNT, DEO PLACERE NON POSSVNT. In carne esse id vocat quod suprà secundum carnem esse: cum alibi in carne esse, viuere, ambulare, sit viuere vita hac mortali, vt 2 Cor. 10. Gal. 2 & Philip. 1. Sensus: Qui carni subditi sunt, sapiendo ea quæ sunt carnis, id est homines carnales, dũ tales sunt, Deo placere non possunt: quia per illam carnis prudentiam Deo constituuntur inimici. Sic è diuerso Ioannes 1 ep. 3, eum qui natus est ex Deo, negat posse peccare. Particulam δὲ, *autem*, quidam per ἄρα, *igitur*, interpretantur: Igitur qui in carne sunt &c. Potest enim hæc pars, vt dixi, velut conclusio ex superioribus inferri.

In carne esse qui dicantur.

9 VOS AVTEM IN CARNE NON ESTIS, SED IN SPIRITV. Baptizatos alloquitur, & sensus est: Vos iam baptizati & per Spiritum sanctum renati, non estis subditi carni, vt sapiatis ea quæ carnis sunt, & secundum carnem ambuletis: sed estis subditi spiritui, vt sapiatis ea quæ spiritus sunt, & secundum spiritum ambuletis. Sicut enim *quod natum est ex carne caro est: ita quod natum est ex spiritu spiritus est*, Ioan. 3. Rectè dicimur (ait Leo sermone 1 de resurrectione Domini) in carne non esse. *si carnales nobis non dominentur affectus: & meritò eius rei deponimus nuncupationem, cuius non sequimur voluntatem.*

SI TAMEN SPIRITVS DEI HABITAT IN VOBIS. Habitat Spiritus sanctus in homine per fidem viuam & charitate formatam, & per opera inde procedentia. Nec solum in anima, verùm etiam in corpore hominis iusti habitare dicitur. Nam & membra nostra templum sunt Spiritus sancti, 1 Cor. 6, nẽpe quatenus animæ imperio quo reguntur, ad pia opera mouentur. Quod nos habemus: *Si tamen*, Græcè est εἴπερ. Pro quo etiam Hieronymus aduersus Iouinianum legit vt nos, *si tamen*. Quanquam alij ex Græco vertere malunt, *siquidem* vel *quandoquidem spiritus Dei habitat in vobis*: vt sermo sit non dubitantis, sed ratiocinantis cum affirmatione, quasi dicat: Quandoquidem iam spiritus Dei in vobis habitat, propterea in spiritu estis. Atque sensum hunc tradit Theophylactus. Sed sciẽdum est etiam infrà cum dicitur: *Si tamẽ compatimur, vt & conglorificemur*, haberi eandem dictionem εἴπερ: vbi conditionalem esse sermonem, satis res ipsa loquitur. Et huiusmodi sensus etiam huic loco optimè quadrat. Nam etsi de Romanis, id est ecclesia Romanorum non dubitabat apostolus, an spiritus Dei in illis habitaret; quos initio salutauit dilectos Dei, vocatos sanctos, & quibus scribit cap. 15. *Certus sum de vobis, quia pleni estis dilectione*: meritò tamen de quibusdam illorum dubitare poterat. Vnde subiungit.

Non solũ animæ renatorum, sed & corpora sunt templa Spiritus sancti.

SI QVIS AVTEM SPIRITVM CHRISTI NON HABET, HIC NON EST EIVS. Id est: si quis vestrum non habet inhabitantem spiritum Christi, aut non agitur spiritu Christi; videlicet ambulando secundum spiritum, & sapiẽdo ea quæ spiritus sunt: hic ad Christum non pertinet; intellige, tanquam viuum eius membrum, & palmes fructuosus in vite; & quia non sic ad Christum pertinet, ideo tandem abscindetur. Insinuat apostolus Christi diuinitatem in eo quod eundem spiritum modò Dei, modò Christi spiritum nominat.

10 SI AVTEM CHRISTVS IN VOBIS EST. Scilicet per spiritum suum. Id est, (vt manifestior sit antithesis cum parte præcedente) si quis spiritum Christi habet.

CORPVS QVIDEM MORTVVM EST PROPTER PECCATVM. *Est*, additum fuit ab interprete. Sensus: Corpus quidem morti obnoxium est, ac mortis necessitati subditum, idque merito peccati. Nam *per peccatum mors intrauit in mundum*, suprà cap. 5. Mortuum corpus vocat, quod paulo pòst mortale: Sed ideo dicit mortuum, quia non tantum tale est vt mori possit: sed quod corruptionem in se habeat, qua perpetuò & ineuitabiliter tendat ad mortem. Vnde & corpus mortis ipsum appellauit superiori cap. Quo pertinet etiam illud vulgatum; *Nascentes morimur*. Ex eo quod dicit, *propter peccatum*, rectè docent Theologi mortem & miserias huius vitę, etiam in hominibus iustis esse pœnas peccati originalis: vt quod perfectè quidem remissum est in baptismo quo ad culpam & pœnam futuri sæculi, qua scilicet homo retardetur ab ingressu regni cœlestis: non tamen quantum ad pœnalitates huius sæculi. De qua re disputatur in 4 sent. dist. 4. Sensus quem huc secundo loco adfert Hugo Victorinus, corpus mortuum, id est mortale esse propter peccatum vitãdum, quia prodest nobis ad humilitatem conseruandam ista mortalitas & infirmitas: etsi verus, non tamen huius est loci.

Corpus nostrum eur mortuum dicatur.

Mors & miseria huius vitæ etiam in iustis pœna sunt peccati originalis.

SPIRITVS VERO VIVIT PROPTER IVSTIFICATIONEM. Græcè δικαιοσύνην iusticiam, quemadmodum & Augustinus legit locis infrà notandis. Et Tertullianus lib. de resur. carnis cap. 46, necnon libro 5 contra Marcionem cap. 14, & alij statim nominandi. Porrò Ioan.

Hen-

Hentenius dum vertit, *ſecundum iuſtitiam*, vt & in parte præcedenti, *ſecundum peccatum*, Oecumenio authori ſuo quem interpretatur, ſeſe accommodat. Is enim διὰ per κατὰ exponit, Chryſoſtomum & Photium ſecutus: vt ſenſus ſit, in ijs quos Chriſtus inhabitat, corpus mortuum eſſe, quantum ad peccatum attinet, quia ſcilicet ei cũ peccato nihil amplius eſt commercij; ſpiritum autem viuere ſeu vitam eſſe, quo ad operationem iuſtitiæ. Verùm illa acceptio præpoſitionis διὰ, Attica eſt, apoſtolis inſolita. Iuxta noſtram verſionem ſenſus eſt: Si Chriſtus in vobis eſt; tunc, etſi corpus veſtrum mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus tamen veſter ſiue mens veſtra viuit vita gratiæ per iuſticiam, quam in ea efficit Chriſti ſpiritus in vobis habitans. Similis eſt ſententia 2 Cor. 4. *Licet is qui foris eſt noſter homo corrumpitur, tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem.* Quem enim ibi vocat hominem interiorem, hic vocat ſpiritum. Cæterùm in Græcis codicibus atque Syriacis, pro *viuit* legitur vita. Cui lectioni inter Latinos ſuffragantur commentator Ambroſ. Tertullianus vtroquè loco iam citato, Hilarius li. 8 de Trinitate, & Auguſtinus paſſim, vt li. 1 de peccatorum meritis cap. 6. in expoſitione quarundam propoſitionum huius epiſtolæ contra Fauſtum lib 24 cap. 2. in expoſitione pſalmi 75, & lib. 4 de Trinitate cap. 3. Sic & in Irenæo legitur lib. 5 cap. 10, necnon in antiquis concordantijs. Iam qui hoc modo legunt, ferè ſpiritum intelligunt non hominis ſed Dei, hoc ſenſu: Si Chriſtus in vobis eſt; igitur ſpiritus eius vita veſtra eſt, id eſt vitam vobis tribuit, ac viuere vos facit per iuſticiam quam in vobis efficit: vt congruat hic locus cum illo Gal. 2. *Viuo iam non ego; ſed viuit in me Chriſtus* Alij tamen, inter quos Caietanus, imò & Oecumenius Græcus, etiam hac lectione retenta malunt intelligi ſpiritum hominis, propter antitheſim corporis & ſpiritus, quam hic facit apoſtolus; & propter illud quod mox ſequitur: *Viuificabit & mortalia corpora veſtra.* Videtur enim hoc velle: Quamuis corpus noſtrum adhuc ſit in morte & corruptione, ſpiritum tamen noſtrum gratia Chriſti iam renouatum viuere per iuſticiam: adeoque eiuſdem Chriſti beneficio ſperandam nobis ipſorum etiam corporum immortalitatem per reſurrectionem à mortuis. Dicitur autem ſpiritus hominis eſſe vita propter iuſticiam; quia non tantum ipſe per iuſticiam viuit; ſed etiam hominem cuius eſt ſpiritus, per eandem iuſticiam viuere facit, tãquam ipſius hominis vita quædam ſpiritualis. Notandum autem in Græco facilem eſſe commutationem inter hæc duo vocabula, ζῆ & ζωὴ, *viuit* & *vita*: vt nonnulla ſuſpicio ſit iã olim in Græcos codices ex huiuſmodi mutatione diuerſam lectionem irrepſiſſe. Nihil tamẽ affirmo, præſertim quia tam codices quam interpretes Græci conſentiunt, Latinis etiam multis ſuffragantibus. Nec mireris verbum ἐστὶ *eſt* omiſſum eſſe: quando nec in priori membro expreſſum erat.

Spiritus vita, quis & quo ſenſu.

11 QVOD SI SPIRITVS EIVS QVI SVSCITAVIT IESVM A MORTVIS, HABITAT IN VOBIS. Totum illud, *ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis*, periphraſis eſt ſpiritus Dei. Quacur vtatur apoſtolus, ſequentia declarabunt. Quod ſequitur *habitat in vobis*, intellige per iuſtitiam, idque perſeueranter.

QVI SVSCITAVIT IESVM CHRISTVM A MORTVIS, VIVIFICABIT ET MORTALIA CORPORA VESTRA. *Ieſum*, hoc loco Græca non legunt, ſed tantummodo *Chriſtum*, vt in priori parte *Ieſum*. *Mortalia* Syriacè mortua: vt intelligas idẽ eſſe hoc loco mortale, quod ſuprà, *mortuum*. Hæc pars ad Deum, non ad ſpiritum Dei refertur, vt ex Græco patet. Viuificabit autem Deus mortalia corpora noſtra, reſuſcitando ea ad vitam immortalem & beatã, exẽplo Chriſti capitis & primogeniti mortuorum. Dico beatam: Nam ad vitam immortalem & miſeram (quã tamen vitæ & immortalitatis nomine vix vſquam dignantur ſcripturæ) reſuſcitabuntur reproborum corpora. Verum illa qualiſcunque eorũ viuificatio nõ aſſcribitur meritis Chriſti; neq; reſurrectionis illorum exẽplar eſt reſurrectio Chriſti. Quod ſatis ſignificat clauſula ſubiuncta.

Reſurrectio Chriſti non eſt exemplar reſurrectionis malorum.

PROPTER INHABITANTEM SPIRITVM EIVS IN VOBIS. Rectius *ſpiritũ ſuũ*, vel vt in Græco, *ſuũ ſpiritũ*: vt ad Deũ Patrẽ ſpiritus referatur, iuxta id quod præceſſit: *Quod ſi ſpiritus eius qui ſuſcitauit* &c. Hanc rationẽ viuificationis corporũ cõſtat in reprobis locum non habere. Innuit apoſtolus hac parte, quod iam antè dixi, Spiritum-ſanctum non ſolùm in mentibus hominum iuſtorum habitare, verũ etiam in corporibus: vt quæ propterea quod templa fuerint Spiritus-ſancti, digna habeantur honore beatæ & glorioſæ reſurrectionis. In Græco codice Complutenſi & alio quodã per Robertum Stephanum annotato, legitur διὰ τὸ ἐνοικοῦντος, *per inhabitantem ſuum ſpiritum in vobis*. Eſt & apud Ambroſium tractatus quidam breuis de Spiritu-ſancto, in quo legitur *per inhabitantem ſpiritũ*, &c. ac ne mendum ſuſpiceris, ſtudiosè vrgetur præpoſitio *per*. Eadem lectio eſt Auguſtini propoſitione 51, ſanè non abijcienda. Nam verũ & bonum ſenſum efficit: tametſi prioris lectionis ſenſum arbitror eſſe magis accommodum huic loco.

Nõ ſolum in mentibus iuſtorum, ſed etiam in corporibus habitat Spiritus ſanctus.

12 ERGO FRATRES DEBITORES SVMVS NON CARNI, VT SECVNDVM CARNEM VIVAMVS. *Debitores ſumus*, id eſt ſeruitutem debemus qui Chriſto iam inſiti ſumus, & Chriſtiani facti per baptiſmum: qua peculiari ratione fratres vos appello. *Non carni*. De carne loquitur vt alibi de peccato; quadam fictione perſonæ dominium & regnum carni affingens. Exponit autem illam ſeruitutem, cùm addit: *vt ſecundum carnem viuamus*, id eſt, vt deſiderijs ac voluntati carnis obſequamur. Hoc enim eſſet carni ſeruire. Relinquit autem ex aduerſo ſubintelligendum; ſed ſpiritui, ſcilicet debi-

tores ſumus, vt ſecundum ſpiritum viuamus. Deinde cohortationem ſuam confirmat antithetis; hinc pœna, inde præmio propoſito, dum ait.

13 SI ENIM SECVNDVM CARNEM VIXERITIS, MORIEMINI. Videlicet morte æterna, nequaquam futuri participes beatæ reſurrectionis, eo quod Spiritum-ſanctum non habueritis in vobis habitantem. *Moriemini*. Græcè, μέλλετε ἀποθνήσκειν, *futurum eſt vt moriamini*, quomodo legit Tertullianus in lib. de reſurrectione carnis. Minus rectè, *incipietis mori*. quod ex alia verſione legit Cyprianus in libro de zelo & liuore.

SI AVTEM SPIRITV FACTA CARNIS MORTIFICAVERITIS, VIVETIS. *Spiritu*, id eſt per Spiritum-ſanctũ, de quo ſtatim ſubiũgit: *Quicunque ſpiritu Dei agũtur*. Inde enim bene probat Auguſtinus Spiritũ-ſanctũ hic intelligi, nõ autem ſpiritum hominis: ſer. 43 de verb. Domini c. 7. *Facta carnis*, Græcè τὰς πράξεις τοῦ σώματος, actiones corporis. Annuit & Syrus interpres. Sed ſenſus idem eſt. Nam actiones corporis hic dicit, nõ omnes eas quæ per corpus exercentur: quum ſupra cap. 6 præceperit dicens: *Exhibete membra veſtra ſeruire iuſticiæ in ſanctificationem*: ſed quas alibi vocat opera carnis, vt Gal. 5. Quibus item reſpondent deſideria ſeu concupiſcentiæ corporis, id eſt carnis, ſuprà cap. 6. Porro carnis opera per Spiritum ſanctum mortificamus, quando ipſo in nobis & nobiſcum operante prauis deſiderijs ad eiuſmodi opera incitantibus non conſentimus ſed reſiſtimus. Sic enim in ſuis initijs atque in primo germine carnis opera velut eliduntur ac necantur. *Viuetis* vita æterna, non ſolum animarum ſed etiam corporum: ad quã vitã propter inhabitantẽ ſpiritũ ſuũ in vobis, Deus ad exẽplum filij ſui vos reſuſcitabit. Admonet Theophylactus obſeruãdũ nõ monere Paulũ, vt corpus mortificemus: id enim homicidiũ foret: ſed opera corporis eaq; praua. Nã quod ad ſubſtantiã corporis attinet, idem apoſtolus Eph. 5 ſic ait: *Nemo carnem ſuã odio habuit, ſed nutrit & fouet eam*. Quod obiter nota propter nonnullos qui immoderatas ſuſcipiunt corporis afflictiones; per quas deinde reddũtur inutiles ad officia pietatis exercẽda.

Facta corporis ſeu carnis quæ dicãtur.

14 QVICVNQVE ENIM SPIRITV DEI AGVNTVR, II SVNT FILII DEI. Senſus: Nam quicunque per baptiſmum renati deinceps ſpiritu Dei aguntur, mortificantes opera carnis, & exercentes opera ſpiritus; ij ſunt filij Dei per adoptionem, quibus à Deo promiſſa atque parata eſt hereditas vitæ æternæ. Probat enim quod dixit, *viuetis*. Aguntur quidem etiam boni catechumeni ſpiritu Dei; nec tamen adhuc filij Dei ſunt, quia nondum renati. Supponit autem apoſtolus eos ad quos ſcribit, eſſe renatos per baptiſmum. Sed docet id non ſatis eſſe, vt ſint filij Dei, niſi deinceps etiam agantur ſpiritu Dei. Porro verbum *aguntur* neque coactionem voluntatis ſignificat, neq; vt hæretici volunt, neceſſitatem, ſed inclinationem paſſiuam, qua nimirũ voluntas efficaciter agitur & inclinatur: quæ tamen non excludat libertatẽ voluntatis, qua homo etiam ipſe agat, & vt ita dicã, ſeipſum agat, & quidem liberè, ad ea opera ad quæ agitur & inclinatur à ſpiritu Dei: videlicet ipſo eodẽ ſpiritu totum hoc vt agat agente. Vnde Auguſtinus ſerm 13 de verbis apoſtoli c. 11, falſum huius loci intellectũ remouens: *Dicit mihi aliquis*, inquit, *ergo agimur & non agimus. Reſpondeo: Imò & agis & ageris: Et tunc benè agis, ſi à bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adiutor eſt. Ipſum nomen adiutoris præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis*. Et mox: *Nemo adiuuatur, ſi ab illo nihil agatur*. Idẽ ſer. 43 de verbis Domini cap. 7. *Agis*, inquit, *ſi agaris: & bene agis, ſi à bono agaris*. Hæcille. Cæterùm adiuuari nos à ſpiritu Dei docet apoſtolus infrà hoc cap. verſu 26.

Bonicatechumeni nõdum filij Dei.

Homo ſic agitur à ſpiritu Dei, vt ipſe etiam agat.

15 NON ENIM ACCEPISTIS SPIRITVM SERVITVTIS ITERVM IN TIMORE. Oſtendit renatos per Chriſtũ, eſſe filios Dei, & proinde, (quod poſtea colligit) heredes vitę æternæ. Id, inquã, oſtẽdit ex eo quia per ſpiritũ quẽ acceperunt, Deũ inuocant vt patrẽ. *In timore*, Græcè εἰς φόβον, ad timorẽ. Auguſtinus lib. de ſpiritu & litera cap. 32 *in timorem* legit. Igitur ſpiritum ſeruitutis in timore, vel ad timorẽ, idem Aug. in expoſitione propoſ. 52 eum ſpiritum intelligit, *qui habebat mortis imperiũ, id eſt diabolum*, vt dicitur Heb. 2. Sub quo (ſicut ibidem ſequitur) *timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti* veteris teſtamenti filij. Probat autem hunc intellectum; quia ſpiritui ſeruitutis opponit apoſtolus ſpiritum adoptionis, dum continuò ſubiungit; *ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis*. Qui cùm intelligatur Spiritus-ſanctus, non poterit Spiritus ſeruitutis illi cõtrarius intelligi niſi ſpiritus malus, id eſt diabolus. Verùm ſanè magis conſonum eſt hiſtoriæ ſacræ, ad quam reſpicit Paulus, vt intelligatur ſpiritus Dei: ſic tamen vt iuxta ſcripturæ conſuetudinem ſpiritus accipiatur metonymicè pro dono cuius autor eſt ſpiritus. Nã Exod. 20 dicit Moyſes ad populum audita lege perterritum ac pauore concuſſum: *Vt probaret vos venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis*. Et Deus ad Moyſen Deut. 5. *Quis det talem eos habere mentem vt timeant me?* Quis autem det niſi Deus? Rectius igitur idem ipſe Auguſtinus ſer. 13 de verbis apoſtoli, & alij poſt eum, per ſpiritum ſeruitutis in timore, ſpiritum timoris accipiunt, id eſt timorẽ diuinitus incuſſum, quo Deus vt iuſtus peccatorũ vindex ita timetur, vt eo timore correpti homines abſtineãt ab externo opere peccati, quod lege Dei prohibitũ eſſe ſciũt. Nã & hic timor etſi filios Dei nõ faciat, numerãdus tamen eſt inter dona Dei; imò & (ſi ita appellare voles) Spiritus-ſancti; non quidem ſanctificantis hominem, (eſt enim effectus legis ac teſtamenti veteris, non noui) ſed tamen cohibentis, ne in apertam prorumpat legis tranſgreſſionem. Porrò ſeruitutis ſpiritus timor ille vocatur, id eſt timor ſeruilis: vel quia à ſeruitute peccati ho-

Spiritus ſeruitutis in timore quis dicatur.

Verior ſententia.

Timor ſeruilis donũ Dei: & quo ſenſu.

minem

minē non liberat, ſed in ea relinquit, vti nonnullis videtur; vel potius, & ſequenti parti congruentius; quia ſic facit hominem abſtinere ab exteriori & manifeſta legis tranſgreſſione, vt tamen latentem in animo peccandi cupiditatem non ſanet. Spiritus ergo ſeruitutis, id eſt ſeruorum, ſeu qualis conuenit ſeruis. Nam eo modo iuſſis parere, & à vetitis abſtinere, ſeruorum eſt; qui tātum ad oculum dominis parent, & imperata faciunt. Atque hoc vocamus ſeruiliter & non liberaliter ſeruire. Non tamen huius illiberalis ſeruitutis author eſt Spiritus ſanctus; ſed timoris, coniunctam habentis huiuſmodi ſeruitutem. Quod ſignificat apoſtolus dicens, *ad timorem*; ſcilicet vt effectum & donum ſpiritus. Vnde magis propriè ſpiritum timoris, quàm ſpiritum ſeruitutis hoc Dei donū appellaueris: tametſi timorē ſeruilem eſſe Dei donū, abſolutè dici poteſt; quomodo fidem informem eſſe Dei donum, abſolutè concedunt & docent Theologi: nēpe qua fides, non autē quatenus informis eſt. Ex his etiam ſoluitur argumentum, quo mouebatur Auguſtinus, vt ſpiritū ſeruitutis in timore, diabolum intelligeret. Nam inter dona poteſt eſſe quædā antitheſis, vt inter timorem & amorem: quorum tamen vnus idemq; Spiritus ſit author & dator, vt Hugo Victorinus annotauit, & agnoſcit ipſe Aug. in ſerm. ſuprà citato. Quo autem ſenſu ſeruitutis ſpiritus dicatur, cùm non ſit author ſeruitutis, iam oſtēdimus. An verò ſpiritus iſte ſeruitutis in timore, ſit idem cum ſpiritu timoris, de quo loquitur apoſtolus 2 Tim. 1, eo loco expendemus. Iam quod hic addit, *iterum*, reſpicit haud dubiè, ſicut antè dixi, ad legiſlationem factam in monte Sinai, quando ingens timor & terror populo immiſſus eſt, Exod. 19 & 20, cuius rurſum meminit Heb. 12. Senſus igitur eſt: Non enim vos renati per Chriſtū in baptiſmo, accepiſtis donum timoris ſeruilis, quod acceperant, quibus olim lex data eſt per Moyſen. Forte etiam dicens *iterum* attendit patres eorum ad quos ſcribit, id eſt Iudæorum. Scribitur enim hæc epiſtola, ſicut initio dictum eſt, ad Romanos fideles promiſcuè, tam Iudæos quàm gentiles. Sciēdum porro, timorem huiuſmodi peccatoribus vtilem eſſe quidē, imò neceſſarium vt iuſtificentur. *Lex* enim *pædagogus ad Chriſtum*, Gal. 3. Et, *qui ſine timore eſt, nō poterit iuſtificari*, Eccleſiaſt. 1. Quocirca S. Baſilius hunc timorem nunc pędagogum, nunc εἰσαγωγικὸν, id eſt introductorium eſſe dicit ad pietatem: illud in commentario Iſaiæ 1, hoc in enarratione pſalmi 32. Sed & B. Auguſt. pædagogum ad caſtum timorem vocat, cōcione 25 ſuper pſalm. 118, & ſaluberrimū appellat in lib. de catechizādis rudibus cap. 5, & quomodo ad charitatem introducendam neceſſarius ſit, ſimilitudine ſetæ linū introducētis declarat, tractatu 9 ſuper primam epiſtolā Ioannis. Veruntamen quia timor iſte per ſe nec ad iuſticiam perducere poteſt, nec charitatem quæ filiorum eſt, introducere; propterea nouo ſpiritu opus eſt, de quo ſequitur.

Timor ſeruilis peccatoribus vtilis, imò neceſſarius ad iuſtificationem.

Sed accepistis spiritvm adoptionis filiorvm. Adoptio filiorum Græcis vno vocabulo compoſito dicitur υἱοθεσία, quam alij ſimpliciter vertunt adoptionem; quod adoptio ferè non ſit niſi filiorum. Sēſus eſt: Sed accepiſtis Spiritum S. infundentē cordibus veſtris charitatem. Vel, (quia ſuprà diximus ſpiritū ſumi pro dono ſpiritus) accepiſtis per Spiritū S. gratiam adoptionis, id eſt charitatē, quæ vos conſtituit adoptiuos Dei filios. Notanda antitheſis inter vocabula, *ſeruitutis* & *filiorum*. Et quia in priori parte expreſſum fuit donum timoris, quod erat ſeruorum; idcirco in hac parte intelligendum eſt donum charitatis, quod filiorum proprium eſt.

In qvo clamamvs: Abba; pater. *In quo*, id eſt per quē ſpiritū in nobis operantem. Significatur enim cauſa mouēs & efficiēs. Vnde Gal. 4 dicitur ipſe ſpiritus miſſus *in corda noſtra* clamare *Abba, pater*. Dum igitur modò nos clamare dicimur, modò ipſe ſpiritus; oſtēditur cooperatio gratiæ & liberi arbitrij, ſic tamen vt à gratia liberū arbitrium moueatur, non contrà. Nos enim quod clamamus, à ſpiritu accipimus; nō ille à nobis. Clamor orationem ſignificat profectā ex magno cordis affectu: vt in pſalmis & alibi. Ita Domin⁹ ad Moyſen orantē Exodi 14. *Quid clamas ad me?* Clamamus autē per ſpiritū, *Abba, pater*: quia filiorū Dei eſt Deū patrem vocare; idque Chriſti filij Dei naturalis exēplo, qui toties in euāgelio, vel orās vel docens, Deū patrē ſuū appellat: Deinde & Chriſti prēcepto, qui nos docuit ſic orare: *Pater noſter qui es in cælis*, Matth. 6. Quæ quidē orādi formula non legitur à quoquam iuſtorum ante Chriſti aduentum vſurpata, ſcilicet vt Deū orans, patrem appellaret, dicendo, Pater meus, aut Pater noſter; ſed reſeruata fuit tempori manifeſtādæ gratiæ. Nec enim hoc facere quiſquā auſus fuit, antequam Chriſtus naturalis Dei filius dignatus nos habere fratres, id iuberet. Inde eſt quod Sacerdos orationē Dominicā in perſona totius populi recitatur⁹, ita prēfatur: Prēceptis ſalutaribus moniti audemus dicere, Pater noſter &c. Nam, vt ait Leo ſerm. 6 de natiuitate Domini: *Omnia dona excedit hoc donū, vt Deus hominem vocet filiū, & homo Deū nominet patrem*. Nō igitur exiſtimandū eſt, vt ex hoc loco Pauli perperam ſuſpicati ſunt quidā, ante Chriſti aduētū nullos fuiſſe Dei filios adoptiuos. Fuerūt enim procul dubio filij Dei ſecūdū adoptionē, quotquot verè iuſti fuerūt. Sed, vt dixi, fiducia nondū illis erat data per Chriſtū, qua Deum orando patrem ſuū vocarent. Vnde nec ſcriptura veteris teſtamenti vocat eos expreſsè filios Dei, niſi forte ſecundum aliam quandam ſignificationem. Paulus verò non negat anterioris ſæculi iuſtos Dei filios fuiſſe; ſed tempus legis diſtinguit à tempore gratiæ, quo ſpiritus adoptionis copioſè effuſus eſt in genus humanum. Ex dictis ſatis intelligitur nomen patris vt hic accipitur, non eſſe propriū primæ

Clamor in ſcripturis orationem vehementem ſignificat.

Deum vocare patrē ſuum, reſeruatum tempori gratiæ.

Iuſti etiā ante Chriſti aduentum filij Dei adoptiui.

perſonæ in Deo, ſed toti Trinitati commune. Nam Deus non dicitur pater filiorũ quos adoptauit, à relatione qua refertur ad filiũ ſuum naturalem, (ſic enim ſolius ſecundæ perſonæ pater eſt) ſed ab ea qua nos reſpicit vt adoptator noſter, & vitæ ſpiritualis, id eſt iuſtitiæ per regenerationem nobis author. Quæ paternitas vtique toti Trinitati communis eſt. Porrò coniunxit apoſtolus duo vocabula rẽ eandem ſignificantia, *Abba, pater:* quorum illud Hebraicum eſt, ſeu potius ex Hebræo Chaldaicũ & Syriacum, אבא: hoc Græcum, πατὴρ. Idem fecit ad Gal. ſcribens cap. 4. Marcus quoque euangelij ſui cap. 14 teſtatur Chriſtũ orantem dixiſſe, *Abba, pater.* Id verò Origenes & commentator Ambroſ. quibus ſuffragãtur Laurẽtius & Stapulẽſis, interpretatiuè dictũ volunt, Abba, quod eſt pater. Nam in Græco, pater, non vocatiui caſus eſt, ſed nominatiui cum articulo, ὁ πατὴρ. Verùm id non conuincit. Frequẽs enim eſt in precationibus, & maximè in pſalmis, nominatiuũ pro vocatiuo poni. Sic & eccleſia Chriſtũ orat, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi.* Certè apud Matth. cap. 11, & apud Lucam cap. 10, vbi Chriſtus patrẽ alloquens deſcribitur, prius vocandi caſu, deinde nominandi cum articulo, nomẽ patris in Græco legimus. Tale eſt quod in pſalmis ὁ θεὸς paſſim vocatiuè ſumitur, ſæpè etiam duplicatum, vt pſalm. 21, 42, 62. Quod ſi Græcum Hebræo hic adieciſſet loco expoſitionis, interpoſuiſſet ὁ ἐστὶ, *quod eſt*, vel ſimile quid, vt fit alibi, velut Marci 7, *Ephpheta, quod eſt adaperire.* Alij proinde dicunt eſſe conduplicationẽ Hebraicã, qua ſignificetur vehemens affectus orantium filiorũ Dei. Sed cũ in oratione quã nobis Dominus præſcripſit, non habeatur iſta cõduplicatio: ſoleatque ea ad emphaſim fieri, repetito prorſus eodem vocabulo, vt, *Domine Domine, Ieruſalem Ieruſalem*; quod hic non fit; (nõ enim ait Abba Abba, vel pater pater, ſed *Abba pater*) idcirco magis veriſimile nobis eſt quod Auguſtinus dicit, apoſtolum coniunxiſſe vocem Hebræam cum Græca, propter Iudæos & gẽtiles; ad ſignificandam videlicet vtriuſque populi in vno angulari lapide Chriſto coniunctionem, tãquam pariter vocatorum ad filiorum Dei adoptionem: præſertim cum ad Romanos fideles, quorum alij Iudæi erant, alij gentiles, hanc epiſtolam ſcriberet. Vnde eſt & illud, *Iudæo primum & Græco*, cap. 1 & 2 huius epiſtolæ. Ita docet Aug. lib. de ſpiritu & litera cap. 32, & ſermone 13 de verbis apoſtoli. Competitque eadẽ ratio in locum ad Gal. 4. Quin & Marcum tale quid ea congeminatione ſpectaſſe crediderim, nõ quod Chriſtus Hebraicè & Græcè locutus fuerit orans patrem; vt vult author commẽtarij Hieronymo aſſcripti in Marcum: quamuis & Auguſt. ita ſentire videtur lib. 3 de cõſenſ. euangel. cap. 4. Sed euãgeliſtam de ſuo addidiſſe, ὁ πατὴρ, *ad intimandum* lectori *ſacramentum eccleſiæ ex Iudæis & gentibus colligendæ:* vt ibidem loquitur Aug⁹.

Abba, pater quare dictum.

Ratio probabilior.

16 IPSE ENIM SPIRITVS TESTIMONIVM REDDIT SPIRITVI NOSTRO, QVOD SVMVS FILII DEI. Docet non temerè nec arrogãter nos qui per Chriſtũ renati ſumus facere, Deũ appellãdo patrẽ: cũ id faciamus freti teſtimonio Spiritus S. Quanquã in Græco non additur particula cauſalis *enim*, vt nec in Syriaco; nec in textu cõmentatoris Ambr. Quibus & mss. codices Latini nõ pauci cõſentiunt. Porro Græca ſic habent: αὐτὸ τὸ πνεῦμα ϛυμμαρτυρεῖ &c. Vbi primũ admoneo non rectè Eraſmum & alios quoſdã eũ ſecutos vertere maluiſſe *idem ſpiritus*, pro eo quod noſter dixit, *ipſe ſpiritus.* Non enim Græcè eſt τὸ αὐτὸ idem, ſed αὐτὸ. Nam ſequẽs τὸ præpoſitiuus articulus eſt vocabuli πνεῦμα. Sic & infrà verſu 26. *Sed ipſe ſpiritus poſtulat.* Vbi & Eraſmus vertit, *ipſe ſpiritus*, quod Græcè eſt αὐτὸ τὸ πνεῦμα. Vide quæ dicta ad illud cap. ſuperioris, *Igitur ego ipſe mẽte*, &c. Fateor tamen in ſenſu non eſſe magnum diſcrimen. Quod ſequitur ϛυμμαρτυρεῖ, propriè ſonat *conteſtificatur*, vt ad verbum ita vertas: *Ipſe ſpiritus conteſtificatur ſpiritui noſtro quod ſumus filij Dei.* Quibus verbis ambiguum eſt, vtrum ſignificetur ſpiritum reddere teſtimoniũ ſpiritui noſtro, id eſt nobis; quod expreſſit vulgata verſio: an verò, iuxta aliorum quorundam verſionem, ſpiritum teſtari vnà cum ſpiritu noſtro: Quod & Græca potius velle videntur: vt ſenſus ſit, teſtimoniũ ſpiritus noſtri confirmari teſtimonio ſpiritus diuini. Prior quidem ſenſus magis receptus eſt, Latinis præſertim: iuxta quẽ verbum cõpoſitum ϛυμμαρτυρεῖ poſitum intelligi debet pro ſimplici μαρτυρεῖ *teſtatur.* Sic enim accipi videtur idẽ vocabulum ſupra cap. 2, vbi nos legimus: *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum*: & rurſus initio cap. ſequentis, *Teſtimoniũ mihi perhibente conſcientia mea.* Attamen alijs placet accipiendum Græcũ verbum propriè, vt ſignificetur adiunctio teſtimonij cũ altero. Nam & cap. 2 & 9 nihil vetat ſic accipi. Nec alibi facilè reperias compoſitũ illud Græcum vſurpari pro ſimplici, vt non aliqua cõiunctio teſtimonij ſignificetur, ſi non cũ alio teſtimonio, ſaltem cũ ſententia ſeu dicto cuiuſcũque, quod more ſcripturæ teſtimoniũ appellatur: vt hoc pacto quiſquis aliquid affirmat, teſtari dicatur. Ita verbum hoc accepetũt Chryſoſtomus ac cæteri poſt eum Græci: Latini quoque recẽtiores, Eraſmus, Caietanus, Toletus. Eſtq; eadem ratio de verbo συνεπιμαρτυρεῖν, quo Paulus vtitur Heb. 2. Iam pro hoc ſenſu notanda ſunt verba præcedentia, quibus dicitur: *In quo clamamus, abba, pater.* Qui enim in oratione Deum inuocat patrem, conſequenter ſe vocat & affirmat Dei filium, idq; facit corde ſeu ſpiritu. *Miſit* enim *Deus ſpiritum filij ſui in corda* noſtra *clamantem, Abba, pater.* Gal. 4. Quoniam igitur & ſpiritus noſter clamat abba pater, atque idipſum in corde ſeu ſpiritu noſtro clamat Spiritus ſanctus: ideo dicit apoſtolus Spiritum S. conteſtificari ſpiritui noſtro, id eſt vnà cum eo teſtari, illo ipſo clamore, quem in ſpiritu noſtro excitat, *quòd ſumus filij Dei.*

Teſtimonium quo ſpiritus teſtificatur nos eſſe filios Dei, quod ſit, & quo modo accipiendũ.

Hoc

Hoc ergo Spiritus ſancti teſtimonium, eodem Chryſoſtomo exponente, clamor ille eſt, quo renati dicunt Deo, *Abba pater*. Sicut enim *nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in Spiritu-ſancto*, 1 Cor. 12, ita nemo poteſt dicere Deo, Abba pater, niſi in Spiritu-ſancto. Verum ſiue ſenſus Pauli ſit Spiritum-ſanctum teſtari ſpiritui noſtro, ſiue vnà cum ſpiritu noſtro, nos eſſe filios Dei; quoniam tamen hoc Spiritus-ſancti teſtimoniũ nõ poteſt nõ eſſe veriſſimũ atque certiſſimum, conſequens videri poteſt, certa & indubitata fide credere nos debere, quod ſimus filij Dei, & proinde à peccatis iuſtificati. Hoc enim argumentum ex iſto loco ſumptum, vel præcipuum eſt, quo ad ſtabiliẽdam fidem, quam vocant ſpecialem, nituntur huius temporis hæretici. Cui quidem eorum obiectioni ferè à catholicis reſpondetur, Spiritum-ſanctum duobus modis aliquid hominibus teſtari: vno modo expreſsè, directè, & ſine vlla obſcuritate. Quomodo teſtificatus eſt per Chriſtum dicentem paralytico & peccatrici: *Remittuntur tibi peccata tua*, Luc. 5 & 7, & per prophetam Dauidi, *Dominus tranſtulit peccatum tuum*, 2 Reg. 12. Atque hoc teſtimoniũ homini certũ & infallibile eſſe. Alio modo teſtificari obſcurè & obliquè, ſcilicet per quædã indicia, quæ tantũ probabilẽ faciãt homini coniecturã. Cuiuſmodi teſtimoniũ adoptionis eſt in baptizatis aut per ſacerdotẽ abſolutis, bonæ volũtatis conſciẽtia, vt quæ eos iã non reprehendat de vllo dãnabili peccato aut affectu peccãdi: tũ fiducia ad Deũ inde nata; ſecundũ illud Ioan. 1 epiſt. 3. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deũ.* Item ſtudiũ honoris Dei tãquã patris: animus propẽſus ad iuuandum proximos, in iis maximè quæ ſunt æternæ ſalutis; libẽter audire & cogitare de rebus ad Deũ & vitã quæ in Deo eſt pertinentibus. Prẽterea trãquillitas & ſerenitas animi cũ interna conſolatione: quæ baptiſmum & reconciliationis ſacramentũ ſincero corde ſuſceptum conſequi ſolent; vti de ſe baptizato confirmat Auguſtinus lib. 9 confeſſionum cap. 4 & 6. Et de recõciliatis, ſynodus Trid. ſeſſ. 14 c. 3. Deniq; clamor, id eſt oratio deuota ad Deũ, qua patrem eũ fiducialiter appellãt, filios eius ſe per ea quæ iã dicta ſunt, agnoſcẽtes. Igitur ſicut per huiuſmodi coniecturas non omnino certa fit homini teſtificatio; ita nec prorſus certò, ſed probabiliter, ex tali teſtimonio nouit ipſe homo ſe eſſe filium Dei: eoq; ſanè probabilius, certiuſq; , quò plures, probabiliores ac certiores fuerint coniecturæ: quarũ tamen nulla ſit infallibilis. Hæc catholicorũ reſponſio bona eſt. Obſtrepit tamen aduerſarius & replicat dicens, vtrumque nobis certiſſimũ eſſe debere, & quod Spiritus ſancti teſtimoniũ quodcunq; & qualecunque verũ ſit, vtpote diuinũ; & quod Spiritus-ſanctus nobis teſtificetur quod ſumus filij Dei. Nã hoc nobis eodẽ ſpiritu dictante, Paulus apoſtolus affirmat. Reſpõdeo, Paulũ nõ dicere quod Spiritus S. teſtimoniũ hoc reddat ſpiritui meo vel tuo, ſed ſpiritui noſtro; aut certè nobis vnà cum ſpiritu noſtro, iuxta Græcorũ expoſitionẽ. Loquitur autẽ in perſona iuſtorum, id eſt eorũ qui verè ſunt filij Dei; quibus Spiritus S. perhibet teſtimonium, non tamen cuiq; de ſe planè certũ, ſed tantum probabile, quod ſint filij Dei. Probabile, inquã, ex indicijs & cõiecturis ſupradictis. Itaq; teſtimoniũ adoptionis diuinæ quod iuſti in ſe ſentiunt, teſtimoniũ eſt Spiritus S, & proinde veriſimum: Quod autem alij qui non ſunt iuſti, ſed eſſe ſe putãt, in ſe percipiũt, non eſt à Spiritu-ſancto, ſed à fallaci cõiectura; ideoq; & ipſum falſum: Illud tamen ex apoſtoli conſtat affirmatione, Spiritum-ſanctũ perhibere iuſtis teſtimoniũ quod ſint filij Dei. Nã ſenſus apoſtoli eſt: Spiritum ſanctũ teſtificari nobis, nõ omnibus qui baptizati & fideles ſumus, ſed iuſtis, quod filij Dei ſimus. At, vt dixi, ipſis iuſtis ſingulis teſtimoniũ illud Spiritus S. non eſt pro certo cognitũ: quia non poſſunt illud certò diſcernere à coniecturis fallacibus. Quo fit vt nec quiſq; eorũ de ſe certus ſit ſe eſſe iuſtũ & Dei filium. Quam ſit autẽ à Pauli ſentẽtia alienũ, quod ex hoc loco ſectarij colligunt, vel vnus ille locus apertè probat, vbi dicit: *Sed neque meipſum iudico; nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum*, 1 Cor. 4. Nam ſi per hoc teſtimonium Spiritus-ſancti Paulus ipſe de ſe certus non erat, vt iudicare ſeipſum poſſet, & dicere ſe iuſtificatum eſſe; quanto minus quilibet alius?

Reſponſio ad obiectionẽ ex hoc loco factã pro fide ſpeciali.

Indicia ſeu coniecturæ, quibus ſe quis agnoſcat filiũ Dei.

Replicatio aduerſarij, & ad eam reſponſio

Nemo certus in hac vita ſe eſſe iuſtum & Dei filium.

17 SI AVTEM FILII, ET HEREDES. Certa collectio. Nam hereditas filijs debetur, nõ ſeruis: Et ad hoc adoptatur quis in filiũ, vt ſit heres. Dicitur autem heres is, cui ius cõpetit ad hereditatem percipiendam. Porro hereditatem hic intellige non patrimonij terreni ſed cæleſtis; nec eam qua filij ſuccedant patri mortuo, vt inter mortales; ſed qua accedant & ſocientur patri ſemper victuro; videlicet regni, bonorumq; eius omnium, abſque eius detrimento futuri perpetuò conſortes. Nam hereditas iſta principaliter Deus ipſe eſt, cui dicitur: *Dominus pars hereditatis meæ*, pſal. 15. Ex hoc loco nequaquã conſequens eſt, vt aduerſarij ratiocinantur, iuſtos bonis ſuis operibus non mereri vitam æternam: quod nimirũ eam vt filij hereditario iure ſint accepturi. Nam optimè cõſiſtunt hæc duo: Percipere vitã ęternam iure hereditario, & percipere ex meritis; præſertim ſi ius hereditarium tantum ex adoptione quis habeat. Quemadmodum enim filius, etſi patris heres, obedire tamen debet præceptis patris, alioqui iure exheredandus; atque ea obedientia nihilominus hereditatem meretur; (vnde de filio iuſsis paternis obſequente, maximè ſi fuerit adoptatus, dici ſolet: Ille dignum ſe præſtat hæreditate) Sic & nos filij Dei per adoptionem facti, eoque iure Dei heredes, præcepta tamen eius, vt filij, ſeruare debemus, & ea obſeruatione per ipſius gratiam nos hereditate dignos reddere; alioqui ius illud amiſſuri.

Hereditas filiorũ Dei quæ ſit.

Vita æterna hereditas ſimul & merces

Igitur qui ſumus adoptionis filij, & hoc titulo heredes; dum præcepta patris ſeruamus, veluti nouo titulo ad priorem accedente, ſine quo tamen prior retineri non poſsit, hereditatem paternam nobis debitam facimus. Etenim ita congruentiſsimè & æquiſsimè diuinitus ordinatum eſt, vt hereditatem illam cæleſtem adoptiui filij non conſequantur, niſi in eo quod renati ſunt & filij Dei facti, ſtudio bonorum operum, quibus & patri obediant, & hereditatem promereantur, perſeuerent. Quamuis enim eſſe poſſit ea filiatio in homine, qui opera nondum habeat: retineri tamen & conſeruari ſine illis non poteſt: atteſtante Ioanne apoſtolo 1 ep. 3. *Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt.* Et iterum: *Qui viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?* Quod & Paulus ſignificat in eo quod hic ſtatim ſubijcit: *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur*, vti mox videbimus. Illud interim obſerua in doctrina apoſtoli, vitam æternam, quam alibi gratiam vocat, iure adoptionis acquiri: vt intelligat aduerſarius, iure debitum cum gratia non pugnare; quãdo & ipſum ius quo quid debetur, ex gratia habetur. Ita nos dicimus merita non pugnare cum gratia, cũ & ipſa merita ex fonte gratiæ promanent.

Quomodo debitum cum gratia non pugnet.

HEREDES QVIDEM DEI, COHEREDES AVTEM CHRISTI. Dei quidem heredes tanquam patris, Chriſti autem coheredes tanquam fratris noſtri. Nam Chriſtus naturalis Dei filius, ſecundum naturam humanam ad eandem hereditatem regni cæleſtis peruênit; Imò conſtitutus eſt à Deo heres vniuerſorum, Heb. 1. Interim vide quantis titulis amplificet apoſtolus dignitatem baptizatorum, quod ſint filij Dei, quod heredes Dei, quod coheredes & proinde fratres Chriſti.

Dignitas baptizatorũ multiplex.

SI TAMEN COMPATIMVR, VT ET CONGLORIFICEMVR. Clarius, *Si tamen cum eo patimur, vt & cum eo glorificemur.* ac ſi dicat: Hereditatis huius & gloriæ cæleſtis quam Chriſtus iam poſſidet, ita demum cum illo conſortes & participes erimus, ſi cum illo atque eius exemplo, vitæ præſentis aduerſitates patienti & forti animo feramus. Nã vt ait S. Leo ſerm. 9 de quadrageſima: *Certa atque ſecura eſt exſpectatio promiſſæ beatitudinis, vbi eſt participatio Dominicæ paſſionis.* Hic verò etiam meritum ſignificari, ſatis liquet. Sicut enim Chriſtus quamuis & filius eſſet & heres; merito ſuæ paſſionis ad gloriam peruênit: ita ſentit apoſtolus, etiam nos, etſi iam filios & heredes, merito patientiæ, qua Chriſto compatimur, gloriæ eius conſortium adipiſci. Porrò ne quẽ terreat præſcripta conditio, *ſi tamen compatimur*; oſtendit verbis ſequẽtibus quam parum exigatur pro re maxima.

18 EXISTIMO ENIM, QVOD NON SVNT CONDIGNÆ PASSIONES HVIVS TEMPORIS AD FVTVRAM GLORIAM, QVÆ REVELABITVR IN NOBIS. *Enim* per autem quidam exponunt: quod non eſt neceſſe. Nam ſuaſio eſt ad patiendum, à magnitudine præmij. *Exiſtimo* Græcè λογίζομαι, id eſt reputo, ratione colligo: nimirum ex collatione paſſionum huius vitæ cum gloria futura. *Non ſunt condignæ*, Græcè, *non ſunt dignæ*: ne quis extra textum Pauli ponderet vocabulum *condignæ*. Eraſmus vertit, *non ſunt pares*. Nec offendat quod quidam veteres legunt, *indignæ ſunt*: vt Ambroſius lib. 1 de interpellatione Iob cap. 1, & Auguſtinus quæſt. 67 inter 83, & lib. 5 de ciuit. Dei cap. 18. Nam idem hoc eſt quod *impares ſunt*: minores ſunt, vt ipſe Ambroſius exponit epiſtola 22. Iam quod ſequitur, *ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*, ita eſt in Græco: *ad futuram gloriam reuelari in nos*. Sed *futuram* conſtruendum cum *reuelari*, vt ſenſus ſit: ad gloriam ſuo tempore reuelandam ſeu manifeſtandam erga vel circa nos, videlicet in aduentu Chriſti ad iudicium. Tertullianus in Scorpiaco cap. 13, & lib. de reſurrectione carnis cap. 40 periodum hanc ita expreſſit: *Repute enim paſſiones huius temporis non eſſe dignas ad gloriam quæ in nos habeat reuelari.* Porrò etiam ex hoc loco meritum bonorum operum oppugnant hæretici. Nam meritum cum mercede comparatum æqualitatem ſeu condignitatem quandam poſtulat. Verum quid hic velit apoſtolus, facilè eſt intelligere ex alio loco qui eſt 2 Cor. 4, vbi ſic ait: *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Igitur ſecundum Apoſtolum non ſunt condignæ ſiue pares ſiue comparabiles huius ſæculi paſſiones ad gloriam futuri ſæculi; quatenus illæ leues ſunt & momentaneæ, cum gloriâ, quæ ſupra modum magna eſt & æterna, comparatæ: Quæ tamen ea gloria dignæ ſunt, eamque promerentur; quatenus illam velut conſtitutam & promiſſam à Deo mercedem nobis operantur & pariunt; quomodo modicum aurum valet equum aut bouem, ex inſtitutione & pacto hominum: cùm ſit alioqui & quantitate & naturæ præſtantia multo minus. Certè negare non poſſunt aduerſarij, quin peccata mereantur pœnam ignis æterni; cùm tamen huius ſæculi voluptates quibus peccatur, nequaquam pares ſint illi pœnæ vel magnitudine vel diuturnitate. Itaque dicimus, etſi paſſiones huius ſæculi, ſi magnitudo earum & duratio ſpectetur, non reſpondeant gloriæ futuræ; virtute tamen & valore (qui in Dei promiſſione fundatur) reſpondere: quomodo ex inſtitutione & pacto quodam naturæ, ſemen arbori reſpondet, eamque virtute continet. Illud quoque conſidera, non dicere apoſtolum, noſtras bonas actiones non eſſe dignas futura gloria: ſed huius ſæculi paſſiones non eſſe dignas ſeu cõdignas ad futuram gloriam. Confert enim, vti dictum eſt, intenſionem ac morã acerbitatis præſentium afflictionum cũ intẽſione ac mora gaudij gloriæ futuræ: Inter quæ certè nulla eſt comparatio. Tale eſt & illud de iuſtis, Sapientiæ 3. *In paucis vexati, in*

Reſpõdetur hæreticis ex hoc loco meritum bonorum operũ oppugnantibus.

Bona iuſtorum opera vitã æternam merentur ex Dei promiſsione.

multis

Alia expositiones minus probatæ.

multis benè disponentur. Quidam sic exponunt apostolum: *Non sunt condignæ*, si in se spectentur, & ex operis natura, nimirum secluſa promissione. Nobis prior expositio magis probatur. Absolutè enim loquitur apostolus de passionibus sanctorum: Et sensum eius declarauimus ex alijs ipsius verbis. Vnde nec Hugo Victorinus mentem apostoli videtur assecutus, quum sensum esse vult, opera sanctorũ *ad tam excellentem gloriam promerendam non* esse *condigna: quia Deus ex suâ gratiâ superaddet plus quàm meruerunt.* Nam etsi Deus non plus superadderet, id est non supra condignũ opera sanctorum remuneraret; verùm tamen maneret ex mente Pauli, satis explicatâ, non esse condignas seu pares huius temporis passiones ad gloriam futuram.

19 NAM EXSPECTATIO CREATVRÆ, REVELATIONEM FILIORVM DEI EXSPECTAT. Quo magis commendet gloriæ futuræ magnitudinem, prosopopœia quadam vtitur: fingens creaturam, id est mundum velut personam magno desiderio exspectantem, dum ea gloria in nobis Dei filijs manifestetur, vt & ipsa gloriæ particeps fiat. Qua re simul innuit quod alibi apertius docet, omnia esse & fieri propter electos; vt 1 Cor. 3 & 2 Tim. 2. Caietanus quidem creaturam hoc loco solam intelligit humanam, id est homines; & (quod postea dicitur) omnem creaturam exponit omnes nationes hominum: Quomodo dictum est: *Prædicate enangelium omni creaturæ:* Marci 16. Qui sensus etiam apud Augustinum est, tum in expositione præsentis loci, tum alibi; vt concione 12 super psalmum 118, libro contra Priscillianistas & Origenistas ad Orosium scripto, cap. 8, & quæst. 67 inter 83. Denique & apud Hugonem quæst. 204. Verum huiusmodi sensus contextui Paulino parum commodè potest aptari. Certè Paulus in hac eadem epistola cap. 1 creaturam generaliter accepit semel & iterum. Imò & hoc ipso capite generaliter eam intelligit cùm dicit: *Neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Græca vox ἀποκαραδοκία, pro qua in nostra versione est, *exspectatio*, non simpliciter exspectationem significat, sed vehementem, anxiam, & vt Erasmus vertit, sollicitam exspectationem; (Hilarius lib. 12 de Trinitate, longinquam exspectationem legit,) imò potius obseruationem & speculationem; dum velut exserto capite quis obseruat; quod speculatorum est. Non enim respondet verbo hic posito ἀπεκδέχεται, *exspectat*, sicut in Latino; sed deriuatum est à verbo ἀποκαραδοκεῖν: quod nõ à corde, vt putant nonnulli, sed à capite dicitur; ac si dicas, ipso capite spectare, quod est prospectare. Consonat & Syriacum verbum, quod interpretantur, oculos intendere, & quasi in specula exspectare. Sensus igitur est: Tota hæc creatura quæ hominum vsibus subseruit, attentissima obseruatione tempus illud exspectat, quo gloria filiorum Dei manifestabitur, id est quo filij Dei glorioſi apparebunt.

Creatura quid hoc loco.

Ἀποκαραδοκία quid significet.

Nunc enim nondum apparuit quid erimus, 1 Io. 3. Ratio tam sollicitæ exspectationis sequitur:

20 VANITATI ENIM CREATVRA SVBIECTA EST. Vanitatem intelligit non eam solum, quæ consistit in instabilitate & mutabilitate rerum huius mundi, de qua dixit Ecclesiastes: *Omnia vanitas*; scilicet ob vicissitudines generationum & corruptionum, quæ varias consequuntur alterationes: sed eã quoque comprehendit qua mundus in deteriorem statum commutatus est: quæ nimirũ inuecta est mundo per peccatũ hominis, cui dictum est: *Terra maledicta in opere tuo*, Genesis 3. Ad quam vanitatem hoc quoque pertinet, quod creatura quæ in vsum hominum venit, magna parte permissa est potestati principis huius mundi. Propter quod & multæ creaturæ consuetudine fidelium benedicuntur, & iuxta apostolũ 1 Tim. 4, sanctificantur *per verbum Dei & orationem*: vt potestas diaboli per eas nocere parati, cohibeatur. De qua vanitate etiã Prudentius hunc locum interpretatur in Hamartigenia, dicens *omnem creaturam subiectam vanis non sponte laboribus, periuro seruire latroni*, id est diabolo. Id expressius alibi docet apostolus, vt ad Ephes. 2 & 6. Quam ob causam diabolus & *princeps mundi huius* vocatur Ioan. 14 & 16, & *Deus huius sæculi* 2 Cor. 4.

Creatura vanitati subiecta, quo sensu.

NON VOLENS. Græcè οὐχ ἑκοῦσα, *non vltronea, non lubens.* Tertull. *inuitè.* Alij, *non sponte.*

SED PROPTER EVM QVI SVBIECIT EAM IN SPE. *Eam* non est in Græco, sed intelligitur. *In spe*, Græcè ἐπ' ἐλπίδι. quod alij vertunt *sub spe*: sensu tamen eodem. Persistit apostolus in prosopopœia creaturæ: quam dicit vanitati subiectam esse, non libenter nec sponte sua, id est non ex inclinatione suę naturæ; cum vnaquæque res naturaliter suam appetat perfectionem, corruptionem autem & defectum fugiat: sed ex ordinatione, velutique præcepto Dei, qui illam, hominis culpa sic exigente, subiecit huic vanitati: non in perpetuum tamen, sed ad tempus, facta ei spe liberationis, de qua sequitur.

21 QVIA ET IPSA CREATVRA LIBERABITVR A SERVITVTE CORRVPTIONIS. Hæret cum eo quod proximè dixit, *in spe*: & (*quia*) pro *quòd*, positum, Græcè ὅτι; vt sit sensus: Subiecit eam vanitati cũ hac spe, quod ipsa quoque aliquando vindicabitur è seruitute corruptionis & mutabilitatis iam dictæ: cui nunc interim subiacere cogitur. Hieronymus exponens prophetam Habacuc cap. hãc 3, creaturæ seruitutem & liberationem extendit ad corpora cælestia, solem & lunam, adducens illud Isaiæ 30. *Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septempliciter.* Quæ eadem Ambrosij sententia est in epistola 21. & 22. & Chrysostomi in commentario. Et nota est Theologorum doctrina, in resurrectione hominum futuram renouationem totius creaturæ: quam significat scriptura 2. Petri 3. Apoc. 21. & Isaiæ 65. nouos cælos & nouam terram promittens. Verum id hoc loco significari non arbitror.

An ad corpora cælestia, seruitus & liberatio extendatur.

Non enim illa corpora vanitati ſubiecta dicimus. Quod verò Ambroſius ibidem etiam ad angelos hominum cuſtodes hanc ſeruitutem ſimul & liberationem extendere videtur; niſi benignè interpreteris, recipi non poteſt. Sed de huiuſmodi cõmentario paulo pòſt plura.

IN LIBERTATEM GLORIÆ FILIORVM DEI. Præpoſitio *in*, Græcè εἰς, variè exponitur. Chryſoſtomus interpretatur *in libertatem*, id eſt propter libertatem. Mundus enim propter hominem eſt; ſed alius mundi ſtatus conuenit peccatoribus, alius Dei filijs iam glorificatis. Alij ſic exponunt: in imitationem & exemplum libertatis. Alij verò ad tempus referunt, hoc ſenſu: Creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis tunc quando filij Dei ſuã aſſequentur perfectam & glorioſam libertatem. Qui ſenſus optimè quadrat contextui. Poteſt etiam hæc pars conſtrui cum illa particula præcedente *in ſpe*, vt tamen etiam tẽpus ſignificetur: ac ſi dicat apoſtolus, Deus creaturam vanitati ſubiecit, facta ei ſpe liberationis in illud tempus quando filij Dei quibus ſubſeruit, ſuam libertatem conſequentur. Ac nihilominus verba intermedia declarant obiectum huius ſpei, id eſt rem ipſam ſperatam, ſicut ea expoſuimus.

Mundus propter hominem conditus.

22 SCIMVS ENIM QVOD OMNIS CREATVRA INGEMISCIT, ET PARTVRIT VSQVE ADHVC. Amplificatio eſt deſiderij iã dicti. *Ingemiſcit & parturit*, Græcè συστενάζει καὶ συνωδίνει, id eſt *congemiſcit & comparturit*, vt legit S. Ambroſius lib. 1 de fide cap. 6. Quanquam ὠδίνειν non propriè ſignificat parturire, ſed dolere in partu, partus doloribus teneri. Igitur hic metaphora eſt à muliere parturiente. Nam quod quidam ſuſpicantur hic olim variaſſe Græcos codices, eo quod in Origenis commentario aliqua varietatis fiat mentio, quodque Latini variè legant hoc verbum, *parturit, comparturit, dolet, condolet*; arbitror inanem eſſe coniecturam, cùm hæc varietas tantum ſit interpretum, qui Græca aliter & aliter Latinè reddiderunt. Nam συνωδίνειν, vt dixi, ſignificat condolere more parturientis. Quod autem in Origenis commentario de variãtibus exemplaribus legitur, Ruffini interpretis additamentum eſt, de Latinis exemplaribus loquentis, vt & alibi ſolet. Certè in Græco non alia varietas reperitur, niſi quod textus Oecumenij ſcholijs inſertus, addit illi verbo genitiuum τῶν τέκνων, vt dicat apoſtolus omnem creaturam cõgemiſcere vnà cum filijs, quemadmodum Hentenius interpretatur. Sed alienum id puto; cùm nec ipſe Oecumenius attingat in commentario. Porro duobus modis hæc pars exponitur. Quidam enim ſubaudiũt pronomen nobis: Omnis creatura nobis congemiſcit, vel nobiſcum ingemiſcit & parturit. Sicut enim nobiſcũ ſubiecta eſt creatura vanitati corruptionis, & nobiſcũ liberationem exſpectat; ita etiam vnà nobiſcum ingemiſcere & parturire dicitur, id eſt in modum parturientis dolere, cum exſpectatione illius temporis, quo ſimul nobiſcum libertatis & gloriæ particeps fiat. Alijs magis placet, compoſitis illis verbis ſignificari gemitum & dolorem communem inter ſe partium creaturæ, propterea quod de nobis ſtatim ſequatur: *Sed & nos ipſi intra nos gemimus*. Cum enim *creatura* hoc loco collectiuum ſit nomen, ſicut mũdus, populus, eique etiam addatur ſignum collectiuum, omnis id eſt tota: appoſitè ei tribuuntur, ſine relatione ad aliud, verba compoſita ex præpoſitione σὺν: quomodo Latinè dicitur, conuenit multitudo, concurrit turba. Quod addit apoſtolus *vſque adhuc*, vel *vſque nunc*, Græcè ἄχρι τοῦ νῦν, ſic intellige: ad hoc vſque tempus & deinceps, donec ſcilicet reueletur gloria filiorum Dei. Refert Auguſtinus quæſt. 67 inter 83, quoſdam hæreticos ex his apoſtoli verbis multa impia & inepta de cæleſtibus ſpiritibus tradidiſſe; ac illud inter cætera, quod omnes angeli, ſublimeſque virtutes in dolore & gemitibus ſint, antequam nos penitus liberemur. Eam verò Origenis doctrinam fuiſſe, non dubium eſt, legenti cõmentarium eius hoc loco, & ea quæ ſcribit lib. 1 de principijs cap. 7 & 8. Tale quid etiam Pelagius innuit in ſuo commentario. Cæterũ quid Auguſtinus ad hunc apoſtoli locum reſpondeat, quia rem fuſius tractat, inde repetat ſtudioſus. Plana breuiſque reſponſio eſt, apoſtolum non de omni prorſus creatura loqui, ſed de ea quæ in miniſterium hominum facta eſt, id eſt corporea; ac præcipuè de mundo hoc inferiori, qui ſedes eſt corruptionum & corruptiuarum mutationũ. Si enim creatura ab apoſtolo dicitur ad diſcrimen hominum, tanquam res quædam vilior & imperfectior, (Vnde & mox ait: *Non ſolum autem illa, ſed & nos*, quanto magis ad diſcrimen angelorum, quorum excellentior eſt quã hominũ natura! Nec tamen illa ipſa creatura ingemiſcere & parturire dicitur, niſi impropriè, propter naturale deſideriũ ſuę perfectionis: vel certè per proſopopœiam, vt iam ante expoſitum eſt. Sanè quamuis aliquod deſiderium noſtræ liberationis, & ſui per eam maioris gaudij futuri, poſſit etiam angelis tribui, quod facit Eraſmus in ſua paraphraſi, quoſdam veteres ſecutus; reuera tamen locus hic angelis conuenire non poteſt, maximè propter illud: *Vanitati creatura ſubiecta eſt*; quod nec putauimus ad cæleſtia corpora referendum.

Falſus huius loci intellectus refellitur.

Omnem creaturã congemiſcere bifariam exponitur

23 NON SOLVM AVTEM ILLA, SED ET NOS IPSI PRIMITIAS SPIRITVS HABENTES; ET IPSI INTRA NOS GEMIMVS. Græcè, *Non ſolum autem, ſed & ipſi primitias ſpiritus habentes, & nos ipſi in nobis ipſis gemimus*, Phraſis apoſtolo Paulo peculiaris, eclipticum illud; *non ſolum autem*, vt ſuprà cap. 5. *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus*. Et infrà capit. 9. *Non ſolum autem, ſed & Rebecca*, &c. Quod ſecundo dicit, *& ipſi* vel *nos ipſi*; repetitio eſt ad maiorem affectus expreſsionem. Quamuis & ſic verti poteſt, *Sed & ipſi qui primitias ſpiritus habent*, id eſt *nos ipſi in nobis ipſis*

gemimus.

gemimus, vt copula ſumatur expoſitiuè. Quæ tamẽ expoſitio eſt adhuc obſcura. Neq; enim liquet quos intelligat, dicens *nos ipſi*. Chryſoſtomus ac cæteri ferè Græci interpretantur dictum in perſona omnium regeneratorum, quos aiũt primitias ſpiritus habere, quia principium aliquod, guſtumq́ue Spiritus-ſancti, velut pignus acceperunt in donis ſibi collatis: interim exſpectantes & anhelantes ad plenitudinem illam ſibi repoſitam in futurum. De ijſdem intellexerunt commentator Ambr. & Auguſtinus lib. 2 de peccatorum meritis capit 7 & 8. Verum quia primitiarum nomine ſignificari ſolent in ſacris literis ea quæ præſtantiora ſunt in aliquo genere: (qua ratione Chriſtus vocatur *primitiæ dormientium*, 1 Corinth. 15, & electi *primitiæ ex hominibus*, Apocal. 14) idcirco videri poteſt primitias ſpiritus intelligi debere præſtantiora & abundantiora Spiritus-ſancti dona. Quamobrem alij ſentiunt Paulum hic loqui in perſona apoſtolorum (quorum ipſe vnus) & aliorum primorũ fidelium, in quos copioſius ac per varia chariſmata fuit effuſa gratia Spiritus-ſancti: vt hic ſit ſenſus: Non ſolum autem hoc fit quod dixi, vel: Non ſolum creatura gemit & dolet vnà cum regeneratis: ſed & peculiariter nos apoſtoli, primiq́ue fideles, etſi magnam ſpiritus abundãtiam perceperimus, vt videri poſſimus iam pleni & beati, quibus non reſtet quod deſideretur; attamẽ etiam nos ipſi grauati corpore mortis huius, intra nos ipſos gemimus. Adfert hunc ſenſum Sedulius; eumq́; diligenter & doctè proſequitur Aquinas: cuius hoc loco commentarius propter alia quædam lectu dignus eſt. Sequuntur item Caietanus & alij quidam recentiores. Vtrumq; verò ſenſum explicant Origenes & Heruæus. Mihi ſanè contextum verborum Pauli propius intuenti non fit probabile, quicquam hic propriè dici in perſona apoſtolorum, vt nec vſquam in tota hac epiſtola. Nam & in præcedentibus huius loci, & in his quæ proximè ſequuntur, ac deinceps vſque ad finem capitis, perſonam regeneratorum, ſaltem electorum, in genere Paulus in ſe ſuſcipit. Quare & hanc partem de ijſdem conuenit intelligi, iuxta ſenſum priori loco datum. Nec ei obſtat proprietas vocabuli primitiarum. Dicuntur enim primitiæ, Græcè ἀπαρχὴ, primi fructus ex aliqua re, ſiue ſint reliquis præſtantiores ſiue nõ. Nam vt ſint præſtantiores, ad rationem primitiarum non pertinet. Qualeſcunque enim eſſent, eo nomine erant optabiles, & offerẽdæ Deo ſecundum legem, quod primi fructus eſſent: quemadmodum & primogenita hominum & pecorum, non quia meliora, ſed quia prima, iubebantur offerri. Comparantur ergo primitiæ ſeu primordia ſpiritus hoc loco ad integrum plenumq́ue prouentum, id eſt ad eam ſpiritus abundantiam quam accepturi ſumus in futuro ſæculo. Quocirca non malè Theodoritus primitias pignus & arrabonem interpretatur: quomodo Paulus ipſe loquitur interdum, vbi Spiritus-ſancti dona quæ dantur in hoc ſæculo, nunc pignus ſpiritus, nunc pignus hereditatis appellat, vt 2 Corinth. 1 & 5, & Epheſ. 1. Qui poſtremus locus cum iſto ſatis conuenit, vt illic inuenies annotatum. Quanquam alia ratione pignus, alia primitias hæc dona vocari, cuiuis docto facilè eſt intelligere. Porro quod apud Amb. commentatorem & Primaſium pro primitijs legitur *receptaculum*, neſcio quid ſecutus ſit interpres qui ita vertit: niſi fortè non ἀπαρχὴν, ſed ὑποδοχὴν legerit in Græco.

Qui primitias ſpiritus habentes.

Quæ dicantur primitiæ.

ADOPTIONEM FILIORVM DEI EXSPECTANTES. *Dei* nec eſt in Græco, nec in Syriaco. Multi quoque Latini codices manuſcripti non habent. Auguſtinus in expoſitione prop. tantum legit; *adoptionem exſpectantes*: tametſi non de alia adoptione quam ea qua in Dei filios adoptamur, apoſtolum loqui conſtat. Cæterum textus Amb. com. hoc loco defectuoſus eſt. Nam adoptione prætermiſſa tantum legit, *ingemiſcimus, exſpectantes redemptionem corporis noſtri*. Nec amplius ipſe commẽtator exponit. Eadem videtur lectio fuiſſe Pelagij & Sedulij, quia nec ipſi in commentarijs adoptionem attingunt. Legunt tamen & exponunt omnes Græci. Hanc igitur adoptionem filiorum adhuc exſpectare dicuntur qui tamen iam per baptiſmum in Dei filios adoptati ſunt; quia qui ius hereditatis nunc habent, poſſeſſionem eius exſpectant: vt in vocabulo adoptionis metonymia ſit; qua cauſa pro effectu ponitur, adoptio pro hereditate: aut certè Hebraiſmus, qualis cum accipitur ſpes pro re ſperata, aut promiſſio pro re promiſſa. Sic adoptio pro re ad quam adoptio facta eſt. Hinc Theophylactus duplicem facit adoptionẽ, vnam huius ſæculi imperfectam, alteram futuri ſæculi perfectam & conſummatam: quomodo ſecundum ſcripturas duplex eſt regeneratio, vna qua renaſcimur ad gratiam per baptiſmum, Ioan. 3, & Tit. 3, altera qua renouamur ad gloriam per reſurrectionem, de qua Dominus ait Matthæi 19. *In regeneratione cum ſederit filius hominis*, &c. Vnde ſequitur appoſitiuè.

Duplex adoptio, quemadmodum duplex regeneratio.

REDEMPTIONEM CORPORIS NOSTRI. Redemptionem corporis dicit, quia beata reſurrectio corpora noſtra nobis reſtituet, non qualia nũc habemus, ſed libera ab omni corruptione mortalitatis & concupiſcentiæ. Quã quidem liberationem vocat *redemptionem*, Græcè ἀπολύτρωσιν: quia libertas illa precio ſanguinis Chriſti nobis comparatur. Solam verò nominat corporis redemptionem, quia animæ electorum quibus nihil reſtat purgandum, etiam ante corporum reſurrectionem ſua fruuntur, eaq́ue perfecta beatitudine. S. Ambroſius in epiſt. 22 redemptionem corporis intelligit eccleſiæ. Verùm ſcriptura non ſolet eccleſiam appellare corpus noſtrum, ſed corpus Chriſti, vt 1 Cor. 12. Epheſ. 1, 4 & 5, & Coloſſ. 1. Videtur autem apoſtolus reſpicere ad id quod dixit ſuperiori cap. *Quis me liberabit*

Cur ſolã nominet redẽptionem corporis.

rabit de corpore mortis huius? vt hic significetur redemptio seu liberatio illic optata. Itaque nonnulli redemptionem corporis interpretantur, id est à corpore, scilicet hoc mortali. Qui quidem sensus eodem redit. Exspectatur enim liberatio à corpore mortis, vt recipiatur corpus immortale. Nescio tamen an ea phrasis exemplum habeat in scriptura sacra: nisi quod Heb. 9 legimus redemptionem præuaricationum, id est à præuaricationibus siue pœnis quæ pro illis debentur. Alioqui sicut hominis & animæ redemptio ea semper intelligitur, qua homo vel anima redimitur: ita & corporum redemptionem intelligi conuenit, qua corpora redimuntur, vt prius expositum est.

24 SPE ENIM SALVI FACTI SVMVS. Manifestum est hanc ætiologiam ac cætera quæ sequũtur, non ad solos apostolos pertinere, sed ad omnes regeneratos. *Salui facti sumus.* Græcè ἐσώθημεν. *Saluati sumus*, vt habet vetus versio. Reponit Erasmus *seruati sumus.* Sed id cur non placeat, intelliges ex ijs quæ dicturi sumus ad illud Philip. 3. *Vnde etiam saluatorem exspectamus*, &c. Sensus est: Nondum reipsa, sed spe sola salui & beati facti sumus: & ideo adhuc gemimus, exspectantes corporum nostrorum redemptionem, & cum ea perfectum beatitudinis statum. Salutem intelligit consummatam. Nam de salute inchoata, quæ huius est sæculi, dicit Ephes. 2, *Gratia estis saluati.* Et Tit. 3. *Secundum suam misericordiam saluos nos fecit.*

Saluum facere melius dicitur quam seruare.

SPES AVTEM QVÆ VIDETVR, NON EST SPES. Sensus: Nulla est spes rei præsentis, quæ iam habetur & possidetur; sed spes tantum est rei futuræ, id est nondum acceptæ: sicut fides rei non visæ: Vt simili ratione dici queat: fides quæ videtur non est fides. Sequitur probatio.

NAM QVOD VIDET QVIS, QVID SPERAT? Græcè, *quid etiam sperat?* Ambrosius in epistola 22, *quid & sperat?* Id est, cur adhuc sperat? ac si dicat; Re quæ sperabatur, obtenta, nulla iam restat causa sperandi. Hic obiter nota cõtra hæreticos qui ex testimonio Spiritus-sancti de quo superius, fidem suam specialem astruere conabantur, eam ex hoc loco manifestè destrui. Siquidem homo peccator & pœnitens inprimis sperare iubetur remissionem peccatorum & adoptionem Dei per Christum. Non ergo credere debet se eam habere: quia, sicut hic docet apostolus, res habita non speratur: præsertim si, quod exigunt sectarij, certo tibi persuadeas te eam habere. Porro sperare non potest sine fide ea quæ ad salutem requiritur: Ergo fides illa non est de venia peccatorum & adoptione iam accepta; sed pœnitentibus parata, & accipienda per sacramenta à Christo Domino ad hoc instituta.

Refutatio fidei specialis ex hoc loco.

25 SI AVTEM QVOD NON VIDEMVS SPERAMVS, PER PATIENTIAM EXSPECTAMVS. Concludit ex dictis: Si, inquit, speramus salutem, spes autem eorum est quæ nondum habẽtur; ergo cum patientia seruitutis ac miseriæ præsentis exspectare debemus adoptionẽ ac libertatem gloriæ filiorum Dei. Græca vox ὑπομονὴ patientiam seu sustinentiam significat cum spe boni futuri: & ita passim vsurpatur in scripturis apostolicis.

26 SIMILITER AVTEM ET SPIRITVS ADIVVAT INFIRMITATEM NOSTRAM. *Similiter*, Græcè ὡσαύτως, *itidem, consimiliter*, vt vertit Erasmus. Adiuuat, Græcè συναντιλαμβάνεται, *subleuat.* Quo verbo Lucas vsus est Euangelij cap. 10, *Dic illi vt me adiuuet, subleuet. Infirmitatem nostram*, Græcè *infirmitates nostras*: tametsi in nonnullis etiam Græcis exstat numerus singularis. Atqui sensus idem est; *Infirmitatem nostram, siue infirmitates nostras*, id est nos vehementer infirmos: vt qui non solum grauamur pondere mortalitatis nostræ; sed præterea laboramus vicio ignorantiæ & concupiscentiæ carnis; quæ nos reddunt ad bonũ valde tardos & imbecilles. Iam cur dicat apostolus *similiter*, aut *consimiliter*, cùm nihil præcedat huic simile quod spiritus facere dicitur; haud satis liquet. Quidam referunt ad id quod proximè præcessit; hoc modo: Spes in aduersis nos adiuuat & patientes reddit. Similiter & spiritus. Origenes existimat apostolum respicere ad gemitus, quorum in superioribus mentio facta est. Dixit enim omnem creaturam ingemiscere. Dixit & eos gemere qui primitias spiritus habent. Nunc addit, ipsum etiam spiritum, qui adiutor noster est, non sine gemitibus, & quidem inenarrabilibus, nos adiuuare: sensu videlicet inferius declarando. Congrueret quidem hæc Origenis speculatio parti sequenti, vbi spiritus postulare pro nobis dicitur cum gemitibus; si illic additum fuisset, *similiter*: sed huic parti, quæ spiritui tantum attribuit adiuuare nostram infirmitatem, videtur aliena. S. Thomas refert ad illud superius: *Viuificabit & mortalia corpora propter inhabitantem spiritum eius in vobis.* Et comparationem sic explicat: *Dictum est quod per Spiritum sanctum viuificabuntur nostra mortalia corpora, quando auferetur à nobis nostra infirmitas: Similiter autem & in statu huius vitæ, in quo adhuc infirmitati subijcimur, spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Sic ille. Alij generaliter comparationem referunt ad beneficia spiritus ante dicta: quæ sunt viuificare mortalia corpora nostra; facere nos Dei filios; & testimonium reddere spiritui nostro, quod simus filij Dei: quibus nunc addit, spiritum adiuuare infirmitatem nostram. Mihi probabilius est ad solum illud postremum de testimonio, Paulum hic respicere, cum allusione verborum συμμαρτυρεῖ, & συναντιλαμβάνεται: tanquam dicat: Sicut spiritus contestificatur spiritui nostro, quod simus filij Dei: sic etiam nos infirmos idem spiritus coadiuuat; vt quæ non videmus, per patientiam exspectemus. Sanè non alium hoc loco spiritum significari quam Spiritum sanctum, id est tertiam in Trinitate personam, communis est

inter-

interpretum tã Græcorum quam Latinorum ſententia. Nam quod dicunt Lyranus & Carthuſianus intelligi poſſe ſpiritũ angelicũ, cuius eſt ex munere ſibi diuinitus intũcto noſtrã adiuuare infirmitatẽ, dæmones coërcendo, & ea quæ ſalutaria ſunt, ſuggerendo; noſtraſq; Deo orationes vehemẽtiſſimis affectibus offerre. pius quidem hic ſenſus eſt, ſed loco non congruens. Porrò Spiritus-ſanctus adiuuat non partem oneris ſuſtinendo, ſed eo modo qui paulo poſt exponetur.

NAM QVID OREMVS, SICVT OPORTET, NESCIMVS. *Nam quid oremus*, Græcè: τὸ γὰρ τί προσευξόμεθα. Quod ita commodè vertas: *Hoc ipſum enim quid oraturi ſimus.* Quod addit, *ſicut oportet*, ad verbũ *oremus* referẽdum potius, quã quod nonnullis placet ad verbũ *neſcimus*; vt duo ſignificẽtur, quæ dicit nos neſcire: quid orando petamus, & quo modo petamus. Eſt igitur hæc declaratio magnæ infirmitatis noſtræ q. d. Adeò ſumus infirmi, vt non ſolum egeamus auxilio ſpiritus ad ea quæ ſcimus agẽda vel toleranda; verũ plerumq; ne ſciamus quidem quid nobis expediat, & proinde quid à Deo petere debeamus: Deinde nec ſciamus, quomodo petere oporteat ea ipſa quæ rectè alioqui petũtur. Quędã enim abſolutè petẽda ſũt, quædã cõditionaliter. Interdũ quoq; peccatur in eo quod vehemẽtius petãtur minora bona, quã maiora, magiſq; neceſſaria: quod accidit ex inordinato rerũ quę deſiderãtur amore. Tractãs hunc locũ Auguſtinus epiſt. 121 de orando Deo c. 14, docet hãc apoſtoli ſentẽtiã potiſſimè locũ habere in afflictionibus ac tẽtationibus, quę poſſunt & prodeſſe & nocere: quo fiat vt ignoremus vtrũ nobis expediat eas adimi, an relinqui. Quomodo Paulus ipſe neſciuit quid oraret ſicut oportet quãdo ter Dominũ rogauit vt auferretur à ſe ſtimulus carnis. Vnde tandẽ audiuit; *Sufficit tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur*, 2 Cor. 12. Idipſum Theophylactus docet exẽplo Moyſi & Ieremiæ, quorum petitiones quaſdam à Deo repulſas legimus, Deut. 3, & Ierem. 14. Eſtq; generalis ſententia S. Thomæ in expoſitione orationis Dominicæ opuſc. 7, dicentis: *Scire quid ſit petendum difficillimum eſt: cum ſit difficillimum ſcire quid ſit deſiderandũ.* Nec malè tamen fideles auferri & auerti à ſe petunt etiam publicis ſupplicationibus, aduerſa quæcũque rẽporalia, licet pleriq; magis Deũ quæramus & colamus in aduerſis quã in proſperis: Nã vt ait Auguſtinus loco memorato, *quia dura, quia moleſta, quia contra ſenſum noſtræ infirmitatis ſunt, vniuerſali humana voluntate vt à nobis hæc auferantur oramus. Sed hoc deuotionis debemus Domino Deo noſtro vt ſi ea nõ abſtulerit, nõ ideo nos ab eo negligi exiſtimemus: ſed potius pia patiẽtia malorum bona ſperemus ampliora. Sic enim virtus in infirmitate perficitur.* Hæc ille.

Multiplex ignorãtia noſtra de ijs quæ petẽda ſunt à Deo.

Scire quid petendum difficile eſt.

SED IPSE SPIRITVS POSTVLAT PRO NOBIS, GEMITIBVS INENARRABILIBVS. *Poſtulat* Græcè *intercedit*. Annotat autẽ Oecumenius Græca voce ſignificari vehemẽtem magnoq; ſtudio factam ſupplicationẽ, Non enim ſimpliciter eſt ἐντυγχάνει *intercedit*, quod infra ſemel & iterum hoc capite legitur; ſed addita præpoſitiune ſignificãte exceſſum, ὑπερεντυγχάνει, quaſi dicat *ſuperintercedit*: niſi malis ea præpoſitione tantũ ſignificari *pro*; quia ſequitur ὑπὲρ ἡμῶν *pro nobis*; quomodo repetita præpoſitione dicimus aliquem egredi è domo, deſcẽdere de monte. Quod nobis eſt veriſimilius. Spiritũ hoc loco Chryſoſtomus eiuſq; ſequaces interpretãtur vel ſpiritũ hominis, quatenus gratiam orationis à Spiritu S. accepit, vel ipſum orationis donum hominibus à Spiritu S. infuſum, quod frequẽs ſit in ſcripturis Spiritus S. dona ſpiritus nomine ſignificari. Nam & ſpiritum precũ legimus apud Zachariam c. 12. Cenſent igitur inter alia dona quæ Spiritus S. in eccleſia primitiua fidelibus diſtribuit, etiã fuiſſe peculiare donum orationis ſeu precationis, quo quidam inſtructi pro vniuerſo populo, qui alioqui ſæpe per ignorantiam inutília poſtularet precabantur; quorum in locum poſtea ſucceſſerit diaconus pro populo ſupplicans. Quanquã hoc in alijs pleriſq; eccleſijs epiſcopi & presbyteri facere conſueuerunt. Ab horũ ſentẽtia non diſſonat S. Ambroſius, qui lib. 3 de Spiritu S. c. 12, ſpiritũ hic interpretatur gratiã ſpiritualẽ. Hos authores ne ipſum Spiritũ S. intelligãt, ea ratio mouet, ne conſequens ex hoc loco videatur ſecundum hæreſim Macedonij, Spiritum-ſanctum eſſe creaturam ac Deo minorem, vtpote orãtem & ſupplicantem Deo pro nobis. Sed cùm in ſuperiori ſententia qua dictũ eſt ſpiritum adiuuare infirmitatem noſtrã, ijdem etiã ſcriptores Spiritum ſanctum intellexerint; hic verò Paulus adiutorium illud ſpiritus exponat & declaret, idq; non ſine emphaſi, dicens, *ipſe ſpiritus*: certè non alius quam idẽ Spiritus ſanctus intelligi poterit. Et ita quidem intellexerunt commentatores Latini, & inter Græcos Origenes, nec nõ Auguſtinus in epiſt. 108 & 121, & lib. 1 & 2 contra Maximinũ: plureſq; alij. Secundum hos Spiritus-ſanctus poſtulare ſeu intercedere pro nobis dicitur, eo quod efficaci ſua in nobis operatione nos orantes ac poſtulantes faciat. Quod dum agit, quodammodo pro nobis intercedit. Similis locus eſt Gal. 4, *Miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba pater.* Nec diſſimile illud Matthæi 10. *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Huc etiã illa referri poſſunt, 1 Timoth. 2. *Qui vult omnes homines ſaluos fieri*, id eſt volũtatem huiuſmodi pijs hominibus inſpirat. Et quod in perſona Sapientiæ diuinę dicitur Eccleſiaſtici 24. *In habitatione ſancta corã ipſo miniſtraui*; hoc eſt, In tabernaculo ſancto ſacerdotes coram Deo miniſtrare feci. Loquitur enim ad hũc modũ frequẽter ſcriptura: ne dubitemus Deũ in nobis omnia bona operari. Hinc etiã intelligitur illã particulã *pro nobis*, nõ ſic accipi, quẽadmodum infrà verſu 34, vbi de Chriſto dicitur, *qui etiã interpellat pro nobis*; & quomodo eã accipi

Quòd ſpiritus poſtulãs pro nobis.

Poſtulat pro nobis Spiritus-ſanctus, & quo ſenſu.

mus

mus in litanijs ſanctorum dicentes, *Orate pro nobis*: ſed hoc ſenſu; pro nobis, id eſt defectum noſtrum ſupplens & adiuuans, dum facit nos poſtulare: vt ita dictum ſit *pro nobis*, quomodo dicit Dominus ad diſcipulos: *Non vos eſtis qui loquimini*. Porro locum iſtum ne quidem apparenter fauere Macedonio, ſi totus inſpiciatur, ex eo liquet, quia ſpiritum dicit poſtulare gemitibus inenarrabilibus. Quod ſi propriè ſumatur, conſequẽs erit non modo creaturam eſſe Spiritum-ſanctum, ſed creaturam paſſibilem ac miſeriæ ſubiectam, & adhuc beatitudine carentem: *quod*, inquit Thomas, *nullus vnquam hæreticus dixit*. Vnde & Eunomianis Arianis ſic illudit Ambroſius loco iam citato: *Niſi fortè gemitus vos ſancti Spiritus audire potuiſtis*. Dicet aliquis: ſi poſtulat Spiritus-ſanctus pro nobis, quia poſtulare nos facit; igitur & Pater pro nobis poſtulat: ſiquidem & ille poſtulare nos facit; cùm ea operatio ſit toti Trinitati communis. At vt dicatur Pater pro nobis poſtulare, piæ aures non ſuſtinent. Reſpondeo: Sicuti Pater non dicitur mitti, (licet ea operatio ad quam perſona aliqua diuina mittitur, vt exempli gratia, ſanctificatio hominis, ſit toti Trinitati cõmunis) propterea quod neceſſe ſit perſonam quæ mittitur, à mittente procedere, vt à qua cum operatione ſimul accipit & naturam: Ita de hac poſtulatione dicendum; quæ quamuis ſignificet effectum in hominibus, quem etiam Pater, imò tota Trinitas operatur; non tamen tota Trinitas poſtulare rectè dicitur: ſed ea tantum perſona quæ accipit ab alia quod faciat homines poſtulantes. Etenim vt mitti, ſic & poſtulare, reſpicit alterum à quo vel accipitur aliquid vel exſpectatur. Quod in Patrem competere non poteſt. An autem ſimili ratione Spiritus-ſanctus dici poſſit aduocatus noſter, quatenus ſcilicet infundendo cordibus noſtris ſua dona, Patri tanquam priori à quo eſſe accipit, gratos nos efficit, quæri poteſt. Ita quidem ſentiunt Auguſtinus tract. 74 in Ioannem, & Gregorius homilia 30 ſuper euangelia. Verùm re bene expenſa non apparet Spiritum-ſanctum in ſcripturis aduocatũ appellari. Nam paracletus à Chriſto dictus eſt potius à dono cõſolationis, quam propter officium patrocinandi. Quod facilè patebit ea loca in quibus paracletus dicitur, vt Ioannis 14 & 15, accuratè conſideranti. Cæterùm Filius Dei ſecũdum naturam aſſumptam propriè aduocatus noſter eſt: ideoque propriè pro nobis poſtulat & interpellat: vti dictum eſt. Præter hæc meminiſſe oportet, ſcripturam de Deo ſæpe loqui anthropopathicè. Qua ratione Paulus affectum quodammodo maternum hic attribuit Spiritui-ſancto, tanquam nos intimè diligenti, dicens eum poſtulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Nam & ſpiritus in Hebræo fœminei generis eſt רוח ruahh. Quæ tamen ſermonis improprietas explicanda eſt vt diximus; quia nimirum nos inhabitans Spiritus-ſanctus gemitus inenarrabiles in nobis excitat. Et quid mirum ſi nũc Spiritui-ſancto gemitum aſſcribit apoſtolus vel anthropopathicè vel metonymicè: cùm paulo antè toti creaturæ gemitum aſſcripſerit metaphoricè? Dicuntur autem gemitus inenarrabiles, ſiue ineffabiles; vel quia procedũt à deſiderio rei ineffabilis, id eſt cęleſtis glorię, vel quoniam ipſi motus cordis, vt proficiſcuntur à Spiritu-ſancto, ſatis enarrari nõ poſſunt, (quæ duæ rationes ſunt apud Aquinatẽ) vel ſecundum alios, quia propter cordis noſtri tenebras ipſis nobis inſcrutabile eſt (& cõſequenter ineffabile) quinam ſint gemitus & orationes noſtræ Deo placitæ ad exaudiendum, ac proinde à Spiritu-ſancto procedentes. Nos enim *quid oremus, ſicut oportet, neſcimus*: vt dictum eſt ſuprà. Quæ poſtrema ratio congruit etiam ſequentibus. Dicens enim ſcrutatorem cordium ſcire, quia ſecundum Deum poſtulat ſpiritus pro ſanctis; vtique ſignificat & nobis corda noſtra eſſe inſcrutabilia; & ideo nos neſcire num & quatenus poſtulationes noſtræ ſint ſecundum Deum & à Spiritu-ſancto.

Obiectioni reſpondetur.

An Spiritus-ſanctus aduocatus noſter.

Gemitus inenarrabiles qui dicantur.

27 QVI AVTEM SCRVTATVR CORDA, SCIT QVID DESIDERET SPIRITVS. Græcè, οἶδε τί τὸ φρόνημα τῦ πνεύματος, *nouit quis ſit ſenſus ſpiritus*. In nonnullis codicibus, οἶδε τὸ φρόνημα. *nouit ſenſum ſpiritus*. Φρόνημα vocabulum idem quod ſupra vertit interpres *prudentiam, ſapientiam, ſenſum*. Auguſtinus in epiſtola de orando Deo, legit, *Quid ſpiritus ſapiat*. Quamuis, inquit apoſtolus, Spiritus-ſancti in nobis gemitus ſint nobis ineffabiles; Deus tamen cordium ſcrutator, optimè nouit ſenſum, affectum, deſiderium Spiritus ſui ſancti gementis in nobis: & ita nouit, vt etiam approbet & exaudiat. Alludere videtur ad ſcripturam Ieremiæ 17, vbi vtrumque dicitur: inſcrutabile eſſe cor hominum, ſcilicet ipſis hominibus; & Deum eſſe cordium ſcrutatorem.

QVIA SECVNDVM DEVM POSTVLAT PRO SANCTIS. *Poſtulat*, Græcè ἐντυγχάνει, *intercedit*. quod inferius vbi Chriſto tribuitur, vertit *interpellat*. Partem illam *pro ſanctis* nonnulli de rebus exponunt hoc modo: pro rebus ſanctis & ſalutaribus à Deo impetrandis. Sed potius eſt vt ad perſonas referatur: & quidem eo intellectu quo ſumus interpretati particulam *pro nobis* in verſu ſuperiore. Porro vocula ὅτι *quia* non cauſaliter accipitur ſed declaratiuè: vt ſenſus ſit, Deum noſſe cogitationem ſpiritus, nempe quod ſecundum Deum poſtulet pro ſanctis, id eſt ipſos ſanctos, Deique filios, ac Deum diligentes (ſic enim mox ipſe exponit) petere faciat ea quæ Deo probantur & placita ſunt ad exaudiendum. Id igitur nũc dicit *ſecundum Deum*, quod ſupra dixerat, *ſicut oportet*, quodque Ioannes dicit in epiſtola, *ſecundum voluntatem eius*, ſcilicet Dei. Ex quibus etiam illud conſequitur, de quo mouet Hugo quæſtionem: Spiritum nihil poſtulare pro ſanctis, quod non obtineat. Nam ſi ſecundum Deum poſtulat, & ſicut oportet:

vtique

Spiritus nihil postulat pro sanctis quod non consequatur.

vtique consequitur in sanctis, quod postulat pro sanctis, iuxta Domini promissionē: *Petite & dabitur vobis.* &, *Omnis qui petit accipit*, Mat 7. Quā & Ioannes repetit 1 epist 3 his verbis, *Quicquid petierimus accipiemus ab eo.* Et cap. 5. *Quodcunque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos.* Vbi loquitur Ioannes de petitione quæ fit pro fratre peccante: ne quis promissionem de ijs tantum rebus interpretetur, quæ ad personam petentis propriè pertinent. Et alioqui consequens videretur Spiritum-sanctum postulantem aliquando non exaudiri. Quod absurdè sonat. Iam nec iste locus contra diuinitatem Spiritus sancti quicquam facit, tanquam spiritus diuersus sit à Deo qui corda scrutatur, & secundum quem postulat. Nam & *spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*, teste eodem apostolo 1 Cor. 2. Sed quoniam hoc loco Spiritū sanctum postulantem inducit quasi cōstitutum ex parte nostra, ideo non ei asscribit, vt alibi sæpe, quæ Dei sunt.

28 SCIMVS AVTEM QVONIAM DILIGENTIBVS DEVM OMNIA COOPERANTVR IN BONVM. *Scimus*, ait glossa, *nos maiores & doctiores, quorum authoritati credendum est.* Locum hunc apostoli vsq; ad finem cap. adducit Augustinus lib. 4 de doctrina Christiana cap. 20, vt eo exemplo doceat non defuisse Paulo eloquentiā, qua posset non solū de paruis submisse, & de modicis temperatè; verū etiam de magnis granditer dicere. Nā tota hac oratione rē magnam agit, scilicet *vt* (quēadmodum ibidem Augustinus loquitur) *huius mundi persecutiones charitate vincantur, spe certa in adiutorio Dei.* Pro verbo *cooperantur* Græcè est συνεργεῖ singularis numeri: Quod tamen etiā pluraliter verti potest, propter suppositum πάντα neutri generis, vt fecit noster interpres. Numero singulari legisse Augustinum, (licet alicubi mutata fuerit à scribis lectio ad vulgatam versionem) apertè constat ex duobus locis, vt de gratia & libero arbitrio cap. 17, & de correp. & gratia cap. 9, quæ numerum pluralem non recipiunt. Sic & Prosper legit sententia 158. Eamque lectionem amplectitur Caietanus. Apud hos suppositum verbi *cooperatur* est *Deus*. Idque, posita hac lectione, tam ex præcedentibus quam ex ijs quæ sequuntur, benè Caietanus probat: quum alioqui videri cuipiam possit de spiritu dictum esse, *cooperatur:* tanquam sensus sit, Spiritum-sanctum facere, vt diligentibus Deum omnia cedant in bonum. Verum, siue Deus siue Spiritus-sanctus cooperari dicatur; incommodum habet ea constructio. Nam (vt taceam quod eā Græca vix admittant) potius dicendum erat Deū aut Spiritum-sanctū diligentibus ipsum omnia operari in bonum, quàm cooperari; cum multa sint hominibus in bonum cedentia, ad quæ ipsi nihil cooperentur, ea maximè de quibus hic agitur. Maneat ergo vulgata lectio *cooperantur:* cui fauent imprimis Græcorum commentarij: deinde etiam Latinorum textus & commentarij, vt Pelagij, Primasij, Sedulij & omnium sequentium: & ante eos Ambrosiastri, qui legit: *omnia procedūt in bonum.* Erasmus & Chrysostomi interpres verterunt; *omnia simul adiumento sunt.* Verum optimè se habet *omnia cooperantur*, id est simul operantur; simul inquam, inter se, non simul cum diligētibus Deū, sed ad eorū vtilitatem & salutē. Est enim datiuus cōmodi; q. d. Omnia concurrunt & conspirāt, parieteque cedūt in bonum eorum qui Deum diligunt. Huiusmodi relationem reciprocam etiam suprà significatam ostendimus, vbi dixit omnem creaturam congemiscere & comparturire. Portò *omnia* dicit quæcunque eis forinsecus accidunt, tam aduersa quam prospera. *Omnia*, ait Theophylactus, *quantumuis ardua videantur & aspera.* Nam de passionibus huius temporis & de patientia in ijs exhibenda, locutus fuerat apostolus in superioribus. Vnde hanc subijcit sententiam, ne despondeant animum, si minus exauditæ videantur preces quas in afflictionibus ad Deum fundunt: sed existiment, si Deū diligunt, omnia, etiam aduersa sibi prouentura ad salutem, videlicet Spiritu sancto causam eorū agente, & secundum Deum postulante pro sanctis. Non ineptè tamen etiam ad alia quæcunque, & ad ipsa peccata, sententiam hanc extendunt glossographus & alij multi post Augustinum. Cuius in libro de correptione & gratia cap. 9, hæc sunt verba: *Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum* (sic enim Augustinum legere iam diximus) *vsque adeo prorsus omnia, vt etiam si qui eorum deuiāt & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum: quia humiliores redeunt atque doctiores.* Hæc ille, de prædestinatis loquens. Sic & Bernardus in enarratione psalmi 90 ser. 2, vbi citans hunc locum ita subiungit: *Nonne cooperatur nobis ille casus in bonum, vnde & humiliores efficimur & cautiores?* Exemplo sunt Petrus & Paulus apostolorum præcipui: quorum alter, quum sese arroganter omnibus antepositisset, dicens: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*, Matth. 26. post lapsum conuersus & interrogatus à Domino; *Diligis me plus his?* nihil ausus præsumere, tantum respondit: *Tu scis Domine, quia amo te*, Ioan. 21. Alter verò cū suprà cęteros ecclesię persecutor fuisset, Gal. 1 & 1 Timoth. 1. postea vocatus à Domino, & plus omnibus laborās, minimū apostolorum, adeoque omnium sanctorum, se nominat, 1 Cor. 15, & Ephes. 3. Iam quomodo peccata præterita cooperētur in bonū etiā illi, qui per pœnitentiam resurgit ad minorem gratiam, ostendit S. Thomas 3 p. quæst. 89 art. 2 ad 1. Quoniam, inquit, *tanto stabilius in gratia permanet, quāto est cautior & humilior.* Addo, omnibus electis omnia quæcunque fecerint peccata, cedere in bonum: quia de omnibus illis Dei beneficio tandem liberati, æternum Deo gratias agent. Similiter autem è diuerso dici potest, reprobis omnia cooperari in malum; non solum aduersa & prospera, verum etiam

Eloquentia Pauli.

Omnia cooperantur electis in bonū, & quo sensu.

Peccata quomodo cedāt electis in bonum, etiā ijs qui ad minorem gratiam resurgunt

Reprobis omnia cooperantur in malum etiã bona quæ fecerunt.

bona opera quæ fecerunt: dum videlicet de ijs ſuperbiunt, ſicque eorum occaſione peiores effecti, grauius etiam puniuntur. Deinde omnia ſua bona cedunt eis in malum, quia de ijs ſua culpa amiſſis æternum dolebunt: & quidem eo magis quo plura fuerint & maiora bona quibus exciderint. Porro *diligentibus Deum* intellige eo modo quo Deus diligendus eſt, ſcilicet ex toto corde. Nec tamen abſoluta ſententia eſt, niſi addatur hoc quod ſequitur.

IIS, QVI SECVNDVM PROPOSITVM VOCATI SVNT SANCTI. In Græco & Syriaco nõ eſt additum *ſancti*, vt nec legitur apud cõmẽtatorẽ Amb. neq; à Pelagio, Primaſio, Sedulio exponitur: licet in horum textũ irrepſerit. Sed nec Auguſtinus agnoſcit, tractãs hãc ſcripturam propoſitione 55, & duobus locis infrà citãdis. *Vocati* in Græco non participiũ eſt, ſed nomẽ verbale, κλητοῖς, de quo diximus ſub initium epiſtolæ. *Propoſitum* quidã intellexerunt ipſorũ hominũ qui vocantur, id eſt bonã eorũ voluntatẽ à Deo præuiſam. Ita non ſolũ commentator Amb. & Theodoritus atq; alij qui prædeſtinationẽ ex meritis præuiſis aſſeruerunt: verũ etiam Chryſoſtomus; quem tamen non ideo ſuſpiceris idem cũ illis de prædeſtinatione ſentire. Nam intelligit quidẽ bonum propoſitũ hominis, non tamen negãs illud ipſum eſſe gratiæ præuenientis effectum (quod alibi ſatis ab eo declaratur) ſed humanæ volũtatis cum gratia vocante cooperationem hic ſignificatam exiſtimat. Alij verò, vt Origenes, Theophylactus, Oecumenius, & inter Latinos Sedulius miſcent propoſitum Dei cum propoſito hominis. Atqui verus & certus ſenſus eſt, quo propoſitum Dei, non hominum, intelligitur: Dei, inquam, propoſitum, id eſt voluntas præuia, prædeſtinatio, ac decretum æternum, Syrè præordinatio: vt ſecundũ propoſitum vocati ſeu vocaticij dicãtur, qui non ex vllis ſuis meritis, ſed ſolo Dei conſilio ac beneplacito, eligentis ab æterno quos voluit, ad ſalutem vocantur. Quę periphraſis eſt prædeſtinatorum. De hac vocatione quæ fit ſecũdum propoſitũ Dei, ſic Auguſtinus lib. 1 retr. cap. 23. *Non enim omnium*, inquit, *qui vocantur, talis eſt vocatio, ſed tantum electorum.* Comprobatur hic intellectus ex alijs locis, vbi de vocatione noſtra loquens apoſtolus, Dei propoſitum expreſſit; velut infrà cap. proximo: *vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret.* Item Epheſ. 1, *Prædeſtinati ſecundum propoſitum eius qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Et 2 Tim. 1, *Qui vocauit nos non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam:* vel vt Græcè, *ſecundum proprium propoſitum.* Qui poſtremus locus non ſolum confirmat hanc noſtram expoſitionem, verum etiam propoſitũ hominum manifeſtè excludit. Hũc cõmentarium tradit, & eo quo dixi modo aduerſus Pelagianos aſtruit Auguſtinus lib. 2 contra 2 epiſt. Pelag. cap. 10, & de corr. & gr. cap. 7. Auguſtino ſubſcribũt Primaſius, Heruæus, Aquinas, Liranus, Caietanus, ac cæteri recentiores. Denique conſtat hic apoſtoli ſenſus ex ijs quæ ſequuntur germanè intellectis: quibus vtique *exponit*, vt ait Auguſtinus, *quid ſit, ſecundum propoſitum.*

Vocatio ſecũdum propoſitũ Dei, non hominũ.

Propoſitũ Dei quid ſit.

29 NAM QVOS PRÆSCIVIT, ET PRÆDESTINAVIT CONFORMES FIERI IMAGINIS FILII SVI. *Fieri* non eſt in Græco, nec Auguſtino legitur. Rectè tamen additum ab interprete, explẽdæ ſententiæ cauſa. Qui prædeſtinationem Dei ſtatuunt ex operibus præuiſis, aut omnino ex aliqua conditione voluntatis humanæ ſuſpendunt, argumentum petere ſolẽt ex hoc loco, videlicet vrgentes id quod dicit apoſtolus, *quos præſciuit*, nẽpe vt aiunt, bene victuros, aut bonis naturalibus bene vſuros, aut oblatæ tali vel tali gratiæ præbituros aſsẽſum. Et huc ſpectare putãt cõmentatorem Ambro. cũ ait: *Iſtos quos præſciuit futuros ſibi deuotos, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſſenda.* Sed hæc verba, & ſi qua ſimilia apud alios leguntur, quãuis apoſtoli mentem non explicent, rectè tamen ſic accipi poſſunt, vt ſignificetur ad vitam æternam tãquam mercedẽ ac præmium homines eligi à Deo propter merita præuiſa; quæ tamen eadẽ ſint illis gratuitò præparata. Sunt alij qui partem illam *quos præſciuit*, ſuppleant ex præcedentibus hoc modo: Quos præſciuit vocatos ſeu vocaticios ſecundũ propoſitum, eos prædeſtinauit, &c. Sic Oecumenius & nonnulli recentiores. Alij inter quos Heruæus & Caietanus, ſupplent ex ſequentibus: Quos præſciuit conformes futuros imagini filij ſui, eos & prædeſtinauit conformes huic imagini fieri. Memorati commentatores verbum *præſciuit* ad nudum referunt intellectum, vt præſcire non aliud ſit, quàm noſſe quippiam priuſquam ſit aut fiat. Alij verò plus in eo verbo conſiderant, vt nimirum ea voce prænotio ſignificetur non ſola nec qualiſcunque, ſed cum voluntate bona atque benigna, quam εὐδοκίαν Græci vocant, noſtri beneplacitum, coniuncta. Quod ſanè ſcripturis apoſtolicis multo magis eſt conſentaneum. Nam quemadmodum ſimplex verbum (ſcire) ſeu (noſſe) iuxta phraſim Hebraicam ſæpenumero in ſcripturis ad affectum ſeu voluntatẽ refertur, vt ſit idem quod approbare, diligere, curare, aut certè ſic agnoſcere vt approbes, diligas & cures; vnde & ſcita pro decretis apud Latinos: Rurſus quemadmodum neſcire ſumitur pro eo quod eſt improbare, odiſſe, non curare, pro ſuo non agnoſcere: Sic & compoſitum verbũ præſcire ſignificat prædiligere, id eſt antè diligere, in bonum præordinare; & præſcientia prædilectionem ac præordinationem in bonum; maximè vbi de electis agitur. Exempla verbi ſimplicis affirmati & negati paſſim obuia ſunt, vt pſal 1. *Nouit Dominus viam iuſtorum.* Ioan 10. *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ.* 2 Timot. 2. *Cognouit Dominus qui ſunt eius.* Matt. 7. *Nunquam noui vos.* & 25. *Neſcio vos.* Nec deſunt exempla verbi præſcire in hac

Prædeſtinatio non gratuita malè ex hoc loco ſtatuitur.

Præſcire quid hoc loco ſignificet.

Scientia & præſcientia approbationis.

ſignifica-

ſignificatione. Nam & infra cap. 11. dicit apoſtol: *Non repulit Deus plebem ſuã quam præſcit*, id eſt, ab æterno dilexit, ac ſuam eſſe voluit ſicut & Toletus exponit; licet hic aliter. Eodemq; ſenſu Petrus præſcientiam accepit. 1. eſt. 1. *Electis aduenis* inquit *ſecundum præſcientiam Dei patris*, id eſt ſecundum benignã eius præordinationem. Quo eodem capite eam Chriſtum vocat præcognitum ante mundi cõſtitutionem, id eſt benigna Dei voluntate ab æterno præordinatum. Neq; enim Chriſti prædeſtinatio poteſt vllo modo fingi ex meritis præuiſis; niſi ſecundum hæreſim Pelagianã. Simile & illud Ieremiæ 1. *Priuſquam te formarem in vtero, noui te*. Porro hic intellectui admodum conuenit abſoluis ſermo. Non enim dicit apoſtolus: quos præſciuit bene victuros, aut aliquid tale: ſed abſolute, *quos præſciuit*, ſicut & cap. 11. *quam præſciuit*. Qui ſermo ſenſum relinquit imperfectum; niſi prænotionem exponas prædilectionẽ. Omitto dicere quomodo verbũ *præſciuit* interpretetur Ambroſius Catharinus. Nã de eius in totum hunc apoſtoli locũ commẽtario opportuniùs aliquid infra dicturi ſumus. Illud addo: ſenſum quem dedimus, facile colligi ex parte præcedenti. Quod enim ibi dixit *propoſitum*, hic repetit verbo *præſciuit*: ac ſi dicat: Nã quos nouit in propoſito ac beneplacito ſuo æterno, eos prædeſtinauit, & cætera. *Prædeſtinauit*, Græcè προώρισε, quod latinè dicas, *præterminauit*, ſeu *prædeterminauit*. i. *præfiniuit*, ſeu *prædefiniuit*, vt alij verterunt. Deriuatur enim hoc verbum ὁρος: quæ vox propriè terminũ ſignificat. Senſus igitur huius loci eſt, Prædeſtinatorũ ſalutẽ nullis aduerſitatibus neq; tẽtationibus impediri poſſe: idq; certo nobis conſtare ex charitate Dei, qua eos ab æterno dilexit: qua etiã facturus ſit, vt omnino ea bona ad quæ prædilecti ſunt ac præordinati, conſequantur. Nã inquit, quos præſciuit, id eſt ab æterno prædilexit, & amicos habere voluit; eoſdem prædeſtinauit conformes ac ſimiles fieri Chriſto filio ipſius, id eſt certo fixoque decreto iam olim & ab æterno ſtatuit ad hoc tam eximium bonum eos aliquando perducere. Hoc ferè modo præſciẽtiam iſtam interpretantur Rickelius, Sasboldus, Pererius & alij neoterici: imò & vetuſtiſſimus Origenes, multa diſſerens in hanc ſententiam; licet alia quædam ſubiungat nõ probanda. De huiuſmodi præſcientia Dei legatur Auguſtinus lib. de dono perſeu. cap. 18. Iuxta hanc igitur acceptionem verbi *præſciuit*, adeo nihil adiuuat hic locus prædeſtinationem ex meritis, vt etiã deſtruat. Rectè tamen *præſcire* etiã hoc modo intellectũ ponitur veluti præcedẽs ipſũ prædeſtinare. Nã dilectio, quæ vocabulo præſcientiæ ſignificatur, ſecundum rationem prior eſt prædeſtinatione: quẽadmodum bene docet S. Thomas 1. p. q. 23. ar. 4. Sed etſi præſcire ſolum actũ intellectus hic ſignificaret; non tamen ex eo ſtatui poſſet prædeſtinatio ex meritorum præſcientia. Nã ſenſus adhuc eſſet ſanus & catholicus, quẽ alij reddunt, huiuſmodi: Quos Deus præuidit futuros conformes filio ſuo per nouitatem vitæ, eoſdem ad illam cõformitatẽ ab æterno prædeſtinauit, vt ſcilicet non ex merito ſuo, ſed ex Dei propoſito tales fierent, quales præuiſi ſũt. Non enim dicit apoſtolus, quia preſciuit, ſed *quos præſciuit*. Nec dubiũ, quin Deus vel maximè prænoſcat ea quæ ipſe facturus eſt: atteſtante Iacobo apoſtolo cũ de gentium cõuerſione loqueretur, Act. 15. *Notum à ſæculo eſt Domino opus ſuum*. Ita Dauid de punitione peccatoris, quã vtiq; Deus facit, pſal. 36. *Dominus proſpicit quod veniet dies eius*. Verũ prior ſenſus haud dubiè melior eſt, & omnino retinẽdus. Porro conformitatẽ imaginis filij Dei ad quã prædeſtinatos dicit, ſimilitudinem intelligit noſtrã cum Chriſto Dei filio; non qualẽcumque, qualis etiam in hac vita per mentis renouationẽ, & inchoatã adoptionẽ habetur, vt quidam intellexerunt: ſed quam in fine ſæculi exſpectamus, id eſt adoptionem filiorum Dei conſummatam: de qua ſupra dixerat, *exſpectantes adoptionem*: quæ nimirum cõſiſtit in glorificatione totius hominis: vt, ſicut dicit 1. Cor. 15. *qualis cæleſtis*, .i. Chriſtus iam glorificatus, *tales* ſint *& cæ eſtes*, videlicet omnes eius electi. Sic enim eam conformitatem idẽ apoſtolus exponit alibi, vt Philip. 3. *Qui reformabit*, ait de Chriſto, *corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*. Et Coloſſ. 3. *Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria*. Sic & Ioannes 1. ep. 3. dicens: *Cum apparuerit, ſimiles ei erimus*. Et eccleſia in oratione qua ſic Deum precatur: *Vt in illius inueniamur forma, in quo tecum eſt noſtra ſubſtantia*. Confirmatur hic ſenſus ex ſequentibus, vbi prædeſtinationis effectus perducit apoſtolus vſque ad hanc quam dixi conformitatem, .i. glorificationem noſtram, dicendo: *Quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit*. Cæterum phraſis illa, qua dicimur futuri conformes imaginis filij Dei, non ſignificat filium Dei eſſe imaginem, cui nos conformandi ſimus: vt appoſitiuè dictum ſit, *imaginis filij*: quomodo multi intellexerunt. Neq; Spiritum ſanctum eſſe imaginem filij: Qui ſenſus eſt Græcorum quorundam, vt Athanaſij in vna & altera epiſtola ad Serapionem, & Baſilij lib. 5. aduerſus Eunomium. Sed ſenſus eſt, nos ita conformandos filio Dei, vt ſimus eius quædam imago. Sic enim etiam 1. Cor. 15. portaturi dicimur imaginem cæleſtis .i. Chriſtum in nobis repræſentaturi tanquã eius imago. Quod futurum eſt in beata reſurrectione, de qua Paulus ibi diſſerit. Ex quo loco etiã Thomas hũc ſenſũ probat in cõmẽtario.

Conformitas imaginis filij Dei quæ dicatur.

Hic locus deſtruit prædeſtinationem ex meritis.

Homines glorificati erũt imago filij Dei.

VT SIT IPSE PRIMOGENITVS IN MVLTIS FRATRIBVS. Significat illam conformitatem de qua locutus eſt, redundare in gloriam Chriſti. Nam ex ea conſequitur quædam dignitas & prærogatiua Chriſti, vt ſit primogenitus inter multos fratres: dum videlicet qui per naturam eſt vnigenitus Dei filius, Deo

nos in filios adoptante ac naturali ipſius filio per gratiam & gloriam conformãte, multos fratres acquirit gloriæ ſuæ cæleſtis coheredes; inter quos omnes ipſe primatum teneat tanquam primogenitus. Etenim Chriſtus Dei filius, genitus quidem eſt vt Deus, ſed primogenitus vt homo Deus; ſcilicet per gratiam vnionis, non per gratiam adoptionis, quã à Chriſto penitus remouemus: damnantes eorum ſententiam, vtpotè iam olim à Patribus damnatam, qui ex hoc loco & alijs ſimilibus oſtendere nitebantur, Chriſtum ſecundum naturam aſſumptam eſſe Dei filium adoptiuum. Quidam interpretantur: *vt ſit*, id eſt vt oſtendatur & agnoſcatur *primogenitus in multis fratribus*. Quem ſenſum non reijcimus. Nam adoptio noſtra tota refertur in gloriam Chriſti, etiam vt homo eſt; In qua natura dictum eſt eum eſſe inter multos fratres primogenitum. Verum vt nihil eſt, quod ad hanc intelligentiam nos cogat: ita prior ſenſus (quem tradunt Aquinas & pleriq́ue alij) ſimplicior eſt.

Gratia adoptionis à Chriſto aliena.

30 QVOS AVTEM PRÆDESTINAVIT, HOS ET VOCAVIT. Gradatione quadam proſequitur effectus diuinæ prædeſtinationis præcipuos, qui ſunt vocatio, iuſtificatio & glorificatio. Dico præcipuos, quia ſunt & alij prædeſtinationis effectus, ijq́ue varij, de quibus egimus in commentario 1. Sent. diſt. 40. Senſus huius partis eſt. Quoſcunque Deus ab æterno prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, hos & vocat in tempore, ea ſcilicet vocatione de qua paulo antè dixit, *qui ſecundum propoſitum vocati ſunt*; Qualis & illa de qua angelus Apoc. 19. *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt*. Hęc enim vocatio ſemper efficax eſt, & electorum propria. Intelligitur autem hoc loco vocatio vel ad fidem, vel generatim ad iuſticiam & ſanctitatem vitæ, & omnino ad ſalutem; iuxta diuerſum intellectum eius quod ſequitur.

Quæ vocatio ſemper efficax.

ET QVOS VOCAVIT, HOS ET IVSTIFICAVIT. Hoc eſt: Quoſcunque prædeſtinatos vocat, ſiue quod idem eſt, quoſcunq́; ſecundum propoſitum vocat ad fidem Chriſti, faciens eos credentes, eoſdem etiam iuſtificat remiſſione peccatorũ ac mentis renouatione. Vel ſic potiùs; Quoſcunq́; prædeſtinatos vocat ad fidẽ & iuſticiã & ſalutem, quæ quidem vocatio fit per miniſteriũ prædicationis euangelicæ; eos non inaniter vocat, quomodo multi vocantur qui non veniunt; ſed eoſdem ipſe etiam iuſtificat, donans fidem, pœnitentiam, remiſſionem peccatorum, ſanctam conuerſationem, & in ea perſeuerantiã. Hæc enim omnia iuſtificationis nomine rectè cõprehendũtur. Vtrouis autem modo exponas, non aduerſatur hic locus ſententiæ Saluatoris: *Multi vocati, pauci electi*. Matt. 20. & 22. Loquitur enim Paulus de vocatione ſecundum propoſitum ſeu prædeſtinationem, vt dictum eſt: Chriſtus verò de vocatione promiſcua, qua multi etiam reprobi vocantur, nunquam venturi.

Duplex vocatio.

QVOS AVTEM IVSTIFICAVIT, ILLOS ET GLORIFICAVIT. In multis codicibus mſſ. non *glorificauit* legitur, *magnificauit*. Ita quoq; legunt Liranus, Aquinas, Heruæus, Lombardus: & author gloſſæ ordinariæ, & Rupert. in Apoc. 21. Et his omnibus antiquior comment. Ambro. Eſtq́ue veriſimile veterem interpretem ita vertiſſe, qui pro eodem habuit glorificare & magnificare: quemadmod. & Matth. 5. vetus trãſlatio habebat: *& magnificent patrem veſtrum qui in cælis eſt*. Sic enim citat eum locum Leo papa ſerm. 8. de Epiphania Domini. Tale eſt quod Cyprianus, vt nos habemus hoc cap. *Si tamen compatimur vt & conglorificemur*, legit *conmagnificemur* lib. 3. teſtimoniorum cap. 16, & alibi. Quin adhuc in vulgata verſione legitur Matth. 15. *Et magnificabant Deum Iſrael*. item Lucæ 4. *Et magnificabatur ab omnibus*. & alibi. Hæc vt alia ſuſpicor ab Hieronymo fuiſſe correcta, ſed correctionẽ non in omnibus codicibus obtinuiſſe. Sanè Græcum δοξάζειν non aliud eſt quam glorificare, nec diuerſa eſt verbi Syri ſignificatio. Senſus apoſtoli: Quoſcunq́; autem prædeſtinatos, ſiue ſecundum propoſitum vocatos iuſtificat, eoſdem etiam ſuo tempore glorificabit, facturus eos conformes filio ſuo glorificato. Chryſoſtomus & Theophylactus glorificationem intelligunt in hoc ſæculo per filiorum adoptionem & donorum largitiones; moti fortaſſe verbo præteriti tẽporis, quaſi iam factum eſſe aut fieri oporteat, quod hic dicitur. Verum ea quæ dicta ſunt in ſuperioribus de noſtra conglorificatione cum Chriſto, de futura gloria in nobis reuelanda, de libertate gloriæ filiorum Dei, & alia huiuſmodi, ſatis euincunt etiam hunc locum non aliter accipi oportere, quam de gloria futuri ſæculi. Vſus eſt autem apoſtolus in tota hac deductione verbis præteriti temporis, vel ob certitudinem infallibilem effectuum à diuina prędeſtinatione manantiũ; quæ certitudo demonſtratur in ſequẽtibus; tametſi iã glorificati rectè etiã intelligi poſsũt in capite Chriſto, veluti membra ad eius conformitatem certiſſimè prouehenda; *Spe enim ſalui facti ſumus*, ſuprà verſu 24. Vel certè ſecundum alios, quia verbum *prædeſtinauit*, ex quo cætera continuo orationis filo contexuit, præteriti temporis erat. Hic iam mihi monendus es lector, ne te fallat Ambro. Catharini commẽtarius, quo ſuperiora ab eo loco, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, & quæ ſequuntur vſque ad finem capitis, multo aliter exponit, quam quiſquam ante eum orthodoxus interpres tradidit: adeoq́ue præter doctrinam à ſanctis Patribus acceptam. Facit enim duos ordines ſeu claſſes eorum qui ſalui fiunt. Quarum in priore ſeu præſtantiore collocat eos quos propriè vocari vult in ſcripturis electos ac prædeſtinatos, itemq́ue oues ac fratres Chriſti: quod Deus eximia quadam amoris

Glorificatio quæ hoc loco intelligatur.

Ambroſij Catharini cõmentarius & doctrina de duabus claſſibus ſaluãdorũ exponitur.

præro-

prærogatiua eos præ cæteris dilexerit atque elegerit, & ad ſalutem æterno ſuo decreto eodemque immobili deſtinarit: quos etiam ſolos Chriſtus Dominus ouium ſuarum & fratrum loco habeat: velut beatam Mariã Virginem, apoſtolos, prophetas, & alios ſanctos inſigniores: quos dicit tot & tãtis gratiæ muneribus à Deo cumulari, tantiſque ad ſalutem præſidijs inſtrui, vt (ſalua etiam arbitrij libertate) nullatenus excidere queãt. In altera claſſe reliquam ponit ſaluandorum multitudinẽ: quos non fixo & immobili decreto, ſed ſub conditione, ſi gratiæ Dei cooperentur, dicit ordinatos à Deo ad ſalutem: dato videlicet ad eam conſequendam auxilio ſufficiente, licet non illo ſuperabundante. Qui proinde excidere poſſint per liberum arbitrium; permanſuri tamen eiuſdem liberi arbitrij cũ Dei gratia, cooperatione. Et hanc claſſem reprobis facit communem, vt quibus æquè gratia detur ad ſalutem ſufficiens, tametſi non ea vſuris, aut certè non vſuris perſeueranter. Atque genus hoc ſaluandorum dicit ordinari ad vitam æternam ex operum præuiſione: priores autem illos non ex operibus, ſed ex ſola & gratuita Dei bonitate. De ijs igitur ſolis interpretatur, quæcunque hoc loco de vocatis ſecundum propoſitum, præſcitis, prędeſtinatis & electis à Paulo dicuntur. Illos enim ſolos vult eſſe vocatos ſecundum propoſitum, id eſt immobile Dei decretum; Solos à Deo præſcitos, id eſt præ alijs ſcitos ſeu cognitos approbationis noticia; Solos quoq; prædeſtinatos, hoc eſt præ alijs deſtinatos ad conformitatem imaginis filij Dei: Sed & ſolos electos, electione videlicet eximia, qua non ſolum præ reprobis, ſed & præ reliquis ſaluandis electi ſint à Deo. His aptat & cętera: quod à Deo potentius vocati, copioſius iuſtificati, ſplendidius glorificati; quod eos accuſare & condemnare nemo præſumat: quod à Dei charitate ſeparare nemo poſſit, eo quod immobiliter prędeſtinati ſint ad gloriam. Quibus denique tanta adſit de futura gloria & præſenti gratia certitudo, vt vnuſquiſque eorum de ſeipſo fidentiſsimè dicere poſsit: *Certus ſum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto.* Hæc illius authoris doctrina eſt, partim in huius & ſequentis capitis commentario, deinde etiam in Epheſ. 5, & 1 Timoth. 2. partim verò in opuſculis quibuſdam de prædeſtinationis argumento conſcriptis ab eo tradita. Quam quidem pluribus refellere non huius eſt loci: nec admodum opus. Fecimus id quantum res tulit, in dictatis ad 1 ſent. diſt. 40. Fecit ante nos Dominicus Sotus in commentarijs huius epiſtolæ. Sed & alij doctiſsimi Theologi, inter quos B. Pererius in præſens caput diſputatione 25, commentum illud Catharini rejiciunt, explodunt, & damnant tanquam nouum, abſurdum, ſacriſque ſcripturis euidenter contrarium, & vt quidã eorũ haud immerito cenſent, hæreticũ. Nam vt ſcripturas prętermittam, quę plurimę ſunt huic abſurdiſsimæ nouitati reclamantes, quid à communi ſenſu fidelium, doctorum pariter & indoctorum, magis alienum, quidve à publicis eccleſiæ precibus magis diſſonũ, quam aut multos aut aliquos fieri ſaluos, qui non fuerint à Deo ad ſalutem electi & prædeſtinati, nec ſcripti in libro vitæ, nec inter oues & fratres Chriſti aliquando numerati? Vnius huc aſſcribam beati Fulgentij verba, ex eius libro de fide ad Petrum diaconum cap. 35, quæ ſic habent: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, omnes quos vaſa miſericordiæ gratuita bonitate Deus fecit, ante conſtitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædeſtinatos à Deo: neque perire poſſe aliquem eorum, quos Deus prædeſtinauit ad regnum cælorum: nec quenquam eorum quos non prædeſtinauit ad vitam, vlla poſſe ratione ſaluari.* Sic ille.

Catharini doctrina ſcripturis euidẽter cõtraria: ideoq; paſſim à Theologis exploſa tanquam erronea.

31 QVID ERGO DICEMVS AD HÆC? Poſt enumerata breuiter electionis noſtræ beneficia, deinceps certitudinem eorum confirmat, oſtendens ea fruſtrari & irrita fieri nullo modo poſſe. Id verò agit crebris erotematis, quibus orationem intendit; mirо artificio, ſi cui perito lubeat animum aduertere. Nam ſingulæ interrogationes peculiarem vim argumenti ſecum adferunt. Senſus huius partis eſt: Cùm tanta ſit Dei pro ſuis electis cura, tamque certa prouidentia, vt quoſcunque prædeſtinauit ad gloriam, eos vocando & iuſtificando, tandem omnino ad illam perducat: quid dicturi ſumus inter paſsiones & aduerſitates huius ſæculi conſtituti, niſi hoc quod ſequitur? *Si Deus pro nobis*, & cætera. Quidam ſic exponunt: *Quid dicemus ad hæc?* Id eſt aduerſus hæc? quaſi dicat, Nihil. Quod etſi Græcus ſermo non refugiat (nam præpoſitio πρὸς accuſatiuo iuncta ſeruit interdum contrarietati) non tamen is ſenſus huic loco facilè poteſt aptari. Nam electis quorum perſonam hic agit Paulus, non conuenit dicere: quid dicemus aduerſus iſta?

SI DEVS PRO NOBIS, QVIS CONTRA NOS? Id eſt, Si Deus ſtat pro nobis, volens omnino implere in nobis æternum ſuum propoſitum iuſtificationis & glorificationis noſtræ: cùm nemo ſit Deo potentior, quis vel hominum vel dæmonum ita contra nos inſurgat, vt ſalutem noſtram impediat? Nullus profectò. Nam ſi electi ſumus, oues Chriſti ſumus, de quibus ipſe Ioannis 10. *Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Ac iterum: *Et nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Dicitur ergo hoc in perſona electorum ſeu prædeſtinatorum, de quibus iam locutus fuerat. Quorum in perſona etiam ſequentia dicuntur. Quatenus ergo quiſque fidelium confidere poteſt ac debet, ſe eſſe è numero electorum; ea ratione ſententiam hanc cum ijs quæ ſequuntur, poteſt ac debet ſibimet applicare.

Quiſque fidelis eõfidere debet ſe eſſe è numero electorum.

32 QVI ETIAM PROPRIO FILIO NON PEPERCIT. Græca non addunt *etiam*. Porrò emphaſim habet, quod ait *proprio filio*, id eſt ei filio quem non habet cum alijs communem, quos vel adoptione, vel temporali quapiam dignatione filios ſuos appellat in ſcripturis: ſed quem proprium habet ac naturalem, & verum, vt Ioannes loquitur 1 ep 5. *Et ſimus in vero filio eius*. Qua ratione etiam è diuerſo Deus Chriſti Domini proprius pater vocatur Ioan. 5. *Non ſolum*, inquit, *ſoluebat ſabbatum, ſed & patrem proprium*, Græcè ἴδιον, *dicebat Deum*. Vrget vtrumque locum B. Ambroſius, vt doceat inter Patrem & Filium in diuinis eſſe connaturalitatem: de Filio lib. 1 de fide cap. 7, de Patre lib. 2 cap. 4. Dicitur autem Pater Filio non peperciſſe, non quod in eo puniendum aliquid eſſet, abſit: ſed quatenus eum licet innocentiſſimum, pro nobis in mortem dedit. Id enim ſequitur.

Proprius filius & proprius pater in diuinis reciprocantur.

SED PRO NOBIS OMNIBVS TRADIDIT ILLVM. *Pro nobis omnibus*, ſcilicet electis. Iam enim conſtat in electorum perſona Paulum hæc dicere. Quo autem ſenſu dici poſſit etiam pro non electis traditus in mortem Chriſtus, diſputant Theologi in 3 ſent. diſt. 19, & bene definiunt pro omnibus traditum, quia paſſio eius & mors ſufficiens erat omnibus omnino redimendis: pro non omnibus, quia redemptionis proprietas penes ſolos eſt electos. Vide Proſperum in reſponſione ad primam obiectionem Vincentianam, & ad nonum capitulum Gallorum. Illud etiam quæri ſolet, quo ſenſu Patet Filium tradidiſſe dicatur in mortẽ: de quo Theologi in 3 ſent. diſtinct. 20. Breuiter autẽ dicimus hoc ſenſu: quia quem ab æterno decreuit ac voluit pro noſtra ſalute paſſurum & moriturum eſſe, eundem in tempore per manus impiorum pati ac mori fecit.

An Chriſtus pro non electis traditus in mortẽ.

Quo ſenſu pater filiũ tradiderit in mortẽ.

QVOMODO NON ETIAM CVM ILLO OMNIA NOBIS DONAVIT? Græcè χαρίσεται *donabit* in futuro: quemadmodum & in Ambroſij commentario legitur. Annuit & Syriaca verſio, *dabit*. Ac ſanè ſi præteritum legimus, id per futurum exponendum erit: aut intelligenda donatio in propoſito & voluntate. Colligit autem apoſtolus argumento à maiori, Deum certiſſimè largiturum nobis, id eſt electis, bona iam enumerata, gratiæ ſcilicet & gloriæ. Qui enim filio ſuo, quo nihil habet carius, non pepercit, ſed pro ſalute noſtra impendit, tradens eum *pro nobis omnibus* in mortem; certè nec cætera dona ad ſalutem neceſſaria, nec ipſam denique ſalutem & gloriam eſt negaturus. De electis interpretatur Auguſtinus lib. 22 de ciuit. Dei cap. 24, & alibi. Quãquam id per ſe clarũ eſt, ex eo maximè quod ſequitur.

33 QVIS ACCVSABIT ADVERSVS ELECTOS DEI? DEVS QVI IVSTIFICAT:

34 QVIS EST QVI CONDEMNET? CHRISTVS IESVS, QVI MORTVVS EST; IMO QVI RESVRREXIT, QVI EST AD DEXTERAM DEI; QVI ETIAM INTERPELLAT PRO NOBIS. Græca & Syra nomen *Ieſu* non addunt. Et in duobus colis ſequentibus æquè vt in tertio copulantem voculam interponunt: *imò qui & reſurrexit; qui & eſt ad dexteram Dei*. Quod & in Latinis quibuſdam codicibus viſitur, & apud commentatorem Ambroſ. Porro huius loci triplex apud interpretes inuenitur expoſitio, iuxta triplicem quam admittit pronunciationem. Vna pronunciatio eſt, ſecundum quam illa pericope, *Deus qui iuſtificat*, ſine interrogatione lecta, rationem contineat reſponſionis negatiuæ ad interrogationem præcedentem: & illa, *Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt*, & cætera; ſimiliter ſe habeat ad interrogationem quæ proximè præceſſit: in hunc videlicet ſenſum; Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Nemo: cum Deus ſit qui iuſtificat. Quis verò eſt qui eos condemnet? Nemo: quandoquidem Chriſtus eſt qui pro eis mortuus ſit & reſurrexerit, & cætera. Secunda pronunciatio ſingulas quatuor pericopas legit interrogatiuè, hoc ſenſu: Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Num Deus accuſabit, qui iuſtificat? q. d. non. Et quis erit qui eos condemnet? Num Chriſtus condemnabit, qui pro eis mortuus eſt, & cætera? q. d. minimè. Tertia pronunciatio perinde vt prima ſecundam pericopen & quartam legit ſine interrogatione, ſed ſecundam à prima abſtractam tertiæ applicat; quartam verò applicandam relinquit erotemati ſequenti; *Quis ergo nos ſeparabit*, & cætera; quẽadmodum ibi videbitur. Huius pronunciationis ſenſus eſt: *Quis accuſabit aduerſus electos Dei?* Cùm enim Deus ſit qui iuſtificat, quis auſit condemnare? Iuxta primã pronũciationem locum hunc exponũt Origenes & Liranus, ſupplentes verbum *eſt* in ijs partibus quas ſine interrogatione proferunt; videlicet, Deus eſt qui iuſtificat, Chriſtus Ieſus eſt qui mortuus eſt & cætera: quod & obſeruandum in tertia pronunciatione. Secunda placuit Auguſtino lib. 3 de doctr. Chr. cap. 3, eandemque volunt in ſuis commẽtarijs Ambroſius & Primaſius. Tertiam reddunt Chryſoſtomus cum ſuis ſequacibus, item Theodoritus & Aquinas; Tum neoterici, Dominicus, Adamus, & Eraſmus tam in annotationibus quam in paraphraſi. Quæ expoſitio reperitur etiam apud Gregorium lib. 7 regiſtri epiſt. 53. Sed & editio Romana pronunciationẽ hanc notis ſuis commonſtrat. Atque ea nobis quoque cum expoſitione ei reſpondẽte, præ duabus alijs probatur; vel idcirco, quod prorſus apparet apoſtolum alluſiſſe ad locũ Iſaiæ 50, vbi in Chriſti perſona, qui caput electorum eſt, dicitur: *Iuxta eſt qui iuſtificat me; Quis contradicet mihi?* Et iterum: *Ecce Dominus Deus auxiliator meus; Quis eſt qui condẽnet me?* Quæ ſententiæ planè exigunt pronunciationem ſimilem cum ea quam tertio loco diximus. Tale eſt etiam illud pſalmi 26. *Dominus illuminatio mea & ſalus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?* Quare

Triplex huius loci expoſitio iuxta triplicẽ pronunciationem.

totus

totus hic locus ſic explicetur; Quis accuſationem inſtituet obiectis criminibus aduerſus eos quos Deus elegit, volens omnino ſaluare? q. d. Nullus id fecerit niſi fruſtra; Nam electio Dei fruſtrari non poteſt. *Deus* eſt *qui iuſtificat*, id eſt à peccatis & ab intentata aduerſarij actione electos ſuos abſoluit; atque adeò ex impijs iuſtos facit. Deo autem abſoluente & iuſtificante, *quis eſt qui condemnet*, id eſt dānationis ſententiam in eos ferat? q. d. nemo, niſi fruſtra. *Chriſtus Ieſus* Dei filius, is eſt qui Patre ipſo tradente *mortuus eſt propter delicta noſtra*, nec tamen in morte remanſit. Vnde ſequitur, *imò qui* etiam *reſurrexit* à mortuis *propter iuſtificationem noſtram*, certa ſpe reſurgendi nobis quoque relicta. *Qui eſt ad dexteram Dei*, id eſt, qui etiam cauſa noſtri conſedit ad dexteram Dei Patris in cælis: tum vt nobis ſpem certam regnandi ſecum oſtenderet; tum propter id quod ſequitur, *qui etiam interpellat pro nobis* apud Patrem, tanquam perpetuus aduocatus & patronus noſter. Nam, vt dicitur Heb. 9. *Ieſus introiuit in cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis*. Monet Caietanus, illud extremum *pro nobis*, referendum eſſe ad ſingula membra præcedentia, *mortuus eſt*, *reſurrexit*, & cætera. Quod & fecimus in data expoſitione. Quanquam alij ad ſolam referunt interpellationem. Cæterùm nonnulli rurſus poſt hanc ſententiam *Chriſtus Ieſus* & cætera, putant repetendum illud: *Quis eſt qui cõdemnet?* Quod non eſt neceſſe. Nam eius loco aliud continuò ſubnectitur, conſimili ſenſu ac tenore ſermonis: vti mox videbimus. Dicitur autem Chriſtus eſſe vel ſedere ad dexteram Dei Patris, non ſitu corporali, quem nefas eſt aſſcribere Deo, qua Deus eſt: ſed hoc ſenſu, quia Chriſtus ſecundum naturam humanam quâ aſcendit in cælum, ſummam inter omnes creaturas obtinet & quietus poſſidet poteſtatem & gloriam in regno Patris, velut ſecundus à Patre: cui alioqui ſecundum naturam diuinam eſt per omnia æqualis. Sumpta eſt autem metaphora à magnis principibus, qui primo ac medio loco ſibi ſeruato, proximos ſibi & à dextris collocant eos quibus ſecundam à ſe poteſtatem aut dignitatem in regno conceſſerint. Vnde filij Zebedęi ſecundum & tertium à Chriſto locum poteſtatis & gloriæ in regno eius ambientes dicebant: *Da nobis vt vnus ad dexteram tuam & alter ad ſiniſtrã tuam ſedeamus in gloria tua*, Marci 10. Sed hac de re ſermo nobis redibit, idemque plenior, quum ventum erit ad loca ſimilia apoſtoli Epheſ. 1, & Heb. 1. Tantum illud adijcio: cum ait, *ad dexteram Dei*, ſatis enim ſignificare, quod hęc Chriſti ſeſſio competat ipſi vt homini, ac ſecundum hominis naturam. Iam quod dicitur Chriſtus ad dexteram Dei collocatus adhuc interpellare ſiue intercedere pro nobis, non ita accipiendum, ac ſi in cælo ſupplicem ſe Patri proſternat, vti fecit in diebus mortalitatis & humilitatis ſuæ: quemadmodum ſatis imperitè docet Origenes hom. 7 ſuper Leuiticum: addens id eum facere non ſine lacrymis & mœrore quo de malis noſtris afficitur. Quem ſenſum ſana fides omnino reſpuit. Neque verò ſinit Pater Filium ſuum iam in gloriam aſſumptum amplius humiliari quoquo modo noſtri cauſa. Sed interpellat pro nobis Chriſtus, quomodo poſt veteres interpretes & Gregorium lib. 22 moral. cap. 13 doctè & breuiter id explicat Thomas in commentario; quatenus humanitatem pro nobis aſſumptam, & myſteria in ea celebrata conſpectui paterno repreſentat, vtique cum deſiderio noſtræ ſalutis. Neque enim negandum eſt, quod ob inuidiam interceſſionis ſanctorum negant hæretici quidam noſtræ ætatis, Chriſtum in cælo verè & propriè Patrem ſuum pro nobis orare. Nam dicta repreſentatio cũ ſalutis noſtræ deſiderio coniuncta, non conſiſtit abſque oratione ſalrem interiore. Quanquam nec vetat quin etiam voce exprimat illud deſiderium, ſed verbis conuenientiſſimis. Tantum humilitas illa ſupplicandi Chriſto iam glorificato indigna, ab eius oratione remouenda eſt, vti remouẽt Gregorius Nazian. oratione 4 de Theologia, & Rupertus lib. 9 de diuinis officijs cap. 3. Verùm hac de re amplius aliquid dicturi ſumus, vbi peruentũ erit ad locum ſimilem Heb. 7.

35 QVIS ERGO SEPARABIT NOS A CHARITATE CHRISTI? *Ergo* non habetur in Græco, Syriaco, Ambroſiano textu, vt nec apud Auguſtinum: nec quidem in omnibus exemplaribus Latinis. *Chriſti*, Græcè *Dei*. Sicque legerunt Origenes, Theophylactus & Oecumenius: tametſi Chryſoſtomum conſtat legiſſe *Chriſti*. Nam ſtudioſè id obſeruat, apoſtolum dixiſſe *Chriſti*, non *Dei*. Tertullianus quoque *Chriſti* legit in Scorpiaco cap. 13. Sic & cæteri Latini. Facitq; pro ea lectione, quod proximè præceſſit: *Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt*, & cætera. Senſus: Cum Chriſtus hæc omnia fecerit & faciat pro nobis; quis iam nos ſeparare & abſtrahere poterit ab eius dilectione; ſiue qua nos eum diligimus, ſiue qua nos ipſe diligit, qui tot & tanta pro nobis fecit? Quod ſi cum Græcis legamus *à charitate Dei*, ſenſus erit: Cùm tanta ſit Dei charitas erga nos, vt hæc omnia fecerit, ac Filium ſuum pro nobis facere voluerit: quis ab ea charitate nos ſeparare poterit, hoc eſt efficere vt Deus nos quorum gratia tam multa fecit, amare deſinat? Hic ſenſus, quo intelligitur charitas ſeu Dei ſeu Chriſti erga nos, à Caietano, Toleto, aliſque doctis interpretibus traditur: eſtque valdè probabilis. Expendit enim Paulus magnitudinem diuini erga nos amoris ex beneficijs nobis impenſis: quo probet quod inſtituerat, nihil obſiſtere poſſe, quo minus certiſſimè peruenturi ſimus ad ſalutem: Sicut & paulo poſt, vbi ait: *propter eum qui dilexit nos*. Alter verò ſenſus quo intelligitur charitas noſtra erga Deum, eget ſupplemento huiuſmodi: Quis nos ſeparabit finaliter à charitate Dei? Nam ad tempus ſæpe contingit electos excidere

Electio Dei non poteſt fruſtrari.

Quo ſenſu Chriſtus adhuc pro nobis interpellet.

Chriſtus ad dexteram Dei ſedet ſecũdum naturã humanam, & quo ſenſu.

Charitas Dei dupliciter intelligi poteſt: & vtra acceptio aptior huic loco.

excidere charitate qua Deum diligunt. Adde quod minus commodus ſermo eſt quo ſeparari quis dicitur â charitate ſiue amore quo alium diligit: quum potius dicendus eſſet illum aliquando à ſe dilectum à ſuo amore ſeparare ac remouere. Denique, nec omnes electi diligunt Deum: Multi enim nondum ſunt; Multi adhuc mali ſunt: Omnes tamen diliguntur à Deo. Loquitur autem apoſtolus, vt ex præcedenti ſententia liquet, in perſona electorum, non autem ſolorum aut omnium iuſtorum, vt nec omnium fidelium. Vnde ex hoc loco minimè conſequens eſt (quod ſectarij volunt) vnumquemque fideliũ certum ac ſecurum eſſe de ſua in bono perſeuerantia. Porrò ſub maſculino *quis*, etiam neutrum, quid, id eſt quæ res intelligi debet. Nam rerum eſt enumeratio ſequens: tametſi res illæ eiuſmodi ſunt quæ ab hominibus inferantur.

Male ex hoc loco ſtatuitur fides ſpecialis.

TRIBVLATIO? AN ANGVSTIA? AN FAMES? AN NVDITAS? AN PERICVLVM? AN PERSECVTIO? AN GLADIVS? In Græco & Syriaco *perſecutio* ponitur tertio loco, quæ in Latinis ſexto, non omnibus tamen. Conueniũt enim cum Græcis commentator Ambroſ. Lombardus, Aquinas, & Liranus, imò & Cyprianus lib. 3 teſtimoniorum cap. 18 & alibi. Apud Primaſium quarto loco collocatur *perſecutio*. Apud Carthuſianum quinto. Tertullianus eam omnino prætermittit. *Tribulatio* ſiue afflictio potiſſimum intelligitur in corpore & rebus externis. *anguſtia* in animo, vel certè in rebus dubijs & perplexis, vbi conſilium humanum deficit. Cætera clara ſunt.

36 SICVT SCRIPTVM EST. Supple, electos pati & paſſuros eſſe. Locus eſt in pſal. 43. Qui quidem pſalmus vel à Dauide, vel quod ex toto eius argumento magis apparet, tempore diſperſionis populi Iudaici ad deos falſos nõ declinantis, à quopiam viro Dei conſcriptus, & pijs Dei cultoribus ad precandum & canẽdum traditus, ſenſu tamen altiore propheticus eſt, & ad perſecutionem eccleſiæ primitiuæ referendus.

QVIA PROPTER TE MORTIFICAMVR TOTA DIE. Vox electorum ad Deum. *Quia* ad ſenſum redundat. *Propter te*, Græcè ἕνεκά σου *cauſa tui*. Senſus: propter confeſſionem tui nominis, & quia tui ſumus cultores, aſſiduè tradimur in mortem, quotidianis obijcimur periculis.

ÆSTIMATI SVMVS SICVT OVES OCCISIONIS. Græcè σφαγῆς *mactationis*: quod & Hebraica vox in pſalmo poſita ſignificat, & Syriaca hoc loco. Senſus: Reputati ſumus & tractamur ab infidelibus & perſecutoribus noſtris, haud ſecus atque oues mactationi deſtinatæ. Ita pro libito & abſque commiſeratione nos ad mortem & ſupplicia trahũt. Hæc vt dixi, maximè competunt in fideles primitiuæ Eccleſiæ.

37 SED IN HIS OMNIBVS SVPERAMVS. Græcè ὑπερνικῶμεν. *ſuperuincimus*: quomodo legũt Tertullianus in Scorpiaco, Cyprianus lib. 3 teſtimoniorum, & epiſt. 26. Item Aug. lib. 22 de ciuit. Dei cap. 23, & de doctr. Chr. lib. 4 cap. 20 & alibi. Nam & Græci commentatores annotant eâ voce plus aliquid quam ſimplicem victoriam ſignificari. Eſt autem ſingulare genus victoriæ electis proprium, non reſiſtendo ſed patiendo & moriendo vincere perſecutorem: idque Chriſti Saluatoris exemplo. Poteſt etiam eo verbo ſignificata intelligi victoriæ facilitas, q. d. Adeo nihil iſtorum quæ dicta ſunt, à charitate Chriſti nos ſeparat; vt è contrario ijs omnibus longè ac facilè ſuperiores ſimus: quia nimirum qui in nobis pugnat, longè fortiſſimus eſt: de quo ſequitur.

Electorũ victoria qualis.

PROPTER EVM QVI DILEXIT NOS. Græcè, διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς, *per eum qui dilexit nos*. Quomodo legit Auguſtinus locis iam citatis, & Proſper lib. 2 de vocatione gentium cap. 15. Quod & Syrus interpres Hebraiſmo expreſſit: *per manum eius qui dilexit nos*. At verò commentator Ambroſ. legit & exponit *propter eum*, id eſt pro eius amore. Tertullianus & Cyprianus, *pro eo*; quod idem eſt. Sed & reliqui interpretes Latini *propter eum* legũt. At ferè expoſitionem duplicant: propter amorem eius, & propter auxilium. Quod poſterius magis genuinũ eſt; vt ſenſus ſit: Excellentem & facilem illam victoriam adipiſcimur, non noſtra virtute, ſed per auxilium ſiue Dei, ſiue Chriſti, qui nos dilexit. Nam in duobus exemplaribus Græcis à R. Stephano annotatis additum erat χριſtοῦ. Chriſti.

38 CERTVS SVM ENIM. *Certus ſum*; Græcè πέπεισμαι, id eſt *perſuaſum habeo*, ſicuti reddit Tertullianus. Cæterùm commentator Amb. & Hieronymus in epiſtola ad Algaſiam q. 9, legunt *confido*. Verùm ſciendum eſt Paulum hoc verbo vti in ſuis epiſtolis ad ſignificãdam fixam & certam animi perſuaſionem de re quapiam: certam dico, ſiue morali duntaxat certitudine, cui falſum ſubeſſe contingat; ſiue ea certitudine quæ fallere nequeat: vt proinde non malè noſter interpres eam vocem paſſim exponat *certus ſum*: licet aliquando vertat *confido*. Prioris modi certitudo ſignificatur iſtis locis, Philip. 1, *Confidens hoc ipſum, quia qui cepit*, & cætera. 2 Timoth. 1, *Certus ſum quod & in te*, videlicet fides habitet non ficta. Heb. 6, *Confidimus de vobis meliora, & viciniora ſaluti*. Et cap. 13, *Confidimus quia bonam conſcientiam habemus*. Neque enim de his apoſtolus habebat certitudinem infallibilem. Denique huius epiſtolæ ca. 15. *Certus ſum de vobis, quia pleni eſtis dilectione*. Poſterioris modi certitudo ſignificata eſt 2 Tim. 1, in illis verbis: *Certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem*. Hoc enim fide tenebat. Et in hac epiſtola cap. 14, *Scio & confido, quia nihil commune per ipſum*. Nam & hoc fidei certitudine tenebat, vt ibi videbitur. Sic & Lucas accepiſſe videtur euangelij ſui cap. 20. vbi nos legimus: *Certi ſunt enim Ioannem prophetam eſſe*. Id enim plebs Iudæorum certiſſimè

Verbum πέπεισμαι duobus modis à Paulo vſurpatũ.

perſuaſum

perſuaſum habebat. Nec mirum, quando etiam actiuum verbum πείθω *ſuadeo* ſic vſurpatur à Paulo, vt certam & indubitatam exigat fidem ab ijs quibus ſe ſuadere dicit: vt Gal. 1. *Modò enim hominibus ſuadeo, an Deo?* Et Act. 26, vbi dicenti Agrippæ regi, *In modico ſuades me Chriſtianum fieri*, reſpondet: *Opto apud Deum & in modico & in magno*. Quin & alijs verbis quæ vel opinionem vel exiſtimationem qualemcunque Græcis ſignificãt, cuiuſmodi ſunt δοκεῖν & λογίζεσθαι; Paulus vtitur etiam in rebus certiſſimè cognitis, vt 1 Cor. 4 & 7, *Puto quod Deus nos apoſtolos nouiſſimos oſtendit*, &c. *Puto quod & ego ſpiritum Dei habeam*. Item Philip. 3. *Ego me non arbitror comprehendiſſe*. Et huius epiſtolæ cap. 3 *Arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*. Et hoc capite, *Exiſtimo quod non ſunt condignæ paſſiones* &c. Porro de certitudine prioris modi locum hũc accepiſſe videntur Græci tractatores, dum eum de vehemente fiducia interpretantur. Atqui S. Auguſtinus certitudinem poſterioris modi intellexit in expoſitione propoſitionis 58. Verba eius ſunt: *Quod autem ait, Certus ſum enim, & non dixit opinor: plena fide tenuit, quod nec mors vlla, nec vitæ temporalis promiſſa, nec cætera ſubſequentia poſſunt credentem à charitate Dei detorquere*. Sic ille. Quæ ferè eſt & aliorum Latinorum expoſitio. Neque tamen propterea quicquam facit hæc Pauli ſententia pro fidè ſpeciali hæreticorum. Nam vt planiſſimè liquet ex ſuperioribus, loquitur ille in perſona, non ſingulorum fidelium, ſed electorum in genere: nempe de quibus dixerat, *Quis accuſabit aduerſus electos Dei?* Veruntamen vnuſquiſque fidelis electorum numero ſeſe adiungere poteſt ac debet, exemplo Pauli; idque tanto maiori fiducia, quanto plura ac maiora percipit in ſe ſigna electionis. Igitur verus ſenſus eſt, *Certus ſum*, id eſt certa fide perſuaſum mihi habeo. Et vt Hieronymus expreſſit in commentario Galat. 1. *Scio quia neque mors*, &c.

Qua certitudo hoc loco ſignificata.

Non facit hic locus pro fide ſpeciali.

QVIA NEQVE MORS, NEQVE VITA. Hoc Græci interpretes ad æternam mortem & vitam referunt: *Etiamſi*, inquit Chryſoſtomus, *æternam mortem minaretur quis, aut vitam infinitam promitteret vt à Chriſto ſepararer, non acquieſcerem*. Quod intelligendum eſt κατ' ἀδύνατον; tum quia vita æterna non eſt ſine Chriſto, tum quia nullus electorum aduerſarius aut æternam vitam promittere, aut æternam mortem comminari poteſt efficaciter; etiamſi vitam æternam intelligas ſine Chriſto. Verùm apoſtolus non loquitur de re impoſſibili; ſed de tentationibus quæ ſolent electis obuenire. Quare rectiùs alij mortem & vitam temporalem intelligunt hoc ſenſu: Neque mors à perſecutore intentata, neque vita promiſſa.

NEQVE ANGELI, NEQVE PRINCIPATVS, NEQVE VIRTVTES. Quidam codices pro virtutibus *poteſtates* legunt, ex alia nimirum tranſlatione Græci vocabuli δυνάμεις: quemadmodum & apud Auguſtinum legitur lib. de patientia cap. 18. Quanquam rectiùs ſe habet *virtutes*. Nam quas in angelis poteſtates Theologi vocant, Græcis ἐξουσίαι dicuntur, vt Eph. 1. Quod autem in nonnullis vtrumq; legitur, *neque poteſtates, neque virtutes*, ſcribis imputandum, qui quæ in diuerſis codicibus ſingula legerant, coniunxerunt. Hac parte ſpiritus aduerſarij, id eſt dæmones ſignificantur, quibus omne ſtudium eſt Chriſti fideles abſtrahere à ſalute. Tametſi quidam ad bonos etiam angelos extendunt per hypotheſim, ſi vellent abſtrahere: quomodo Gal. 1 dicit anathema angelo de cælo, ſi quid annunciet præter id quod ipſe Paulus euangelizauerat. Verùm tentationes impoſſibiles ab hoc loco iam antè excluſimus. Porrò ſub his tribus angelorum ordinibus cæteros omnes (nam ex omnibus ordinibus aliquos cecidiſſe Theologorum ſententia perquam probabilis eſt apud Magiſtrum in 2 ſent. diſt. 6) comprehenſos intellige, q.d. apoſtolus, nullam prorſus dæmonum vim & potentiam electis præualere poſſe. Quomodo autem inter ſe differant angeli, principatus, & virtutes, petẽdum ex ijs quæ diſputantur eodem ſecundo lib. ſent. diſt. 9.

Ex omnibus ordinibus aliquos angelos cecidiſſe, probabile.

NEQVE INSTANTIA, NEQVE FVTVRA. *Inſtantia*, id eſt præſentia, quomodo vertit interpres 1 Cor. 3. Sicque legit Auguſtinus loco prius citato. Intelligit autẽ tam bona quibus allici ſolent homines, quam mala quibus terreri. Præteritorum non meminit, quod illa non impellant animum, niſi quatenus adhuc ſimilia vel ſperantur vel timentur.

NEQVE FORTITVDO. Hæc pars nec in Græco eſt nec in Syriaco: nec apud commentatorem Ambroſ. Sed nec habet hoc membrum cui reſpondeat, vti cætera ferè huius ſententiæ. Quare veriſimile eſt adiecticium eſſe, videlicet ex eo quod dictum eſt, *neque virtutes*; quod in quibuſdam codicibus legitur & olim legebatur ſingulariter, *neque virtus*; in alijs *neque fortitudo*. Quorum illud eſt apud Auguſtinum loco memorato, ac præterea lib. de moribus eccleſiæ cap. 11, lib. 4 de doctrin. Chr. cap. 20, & in expoſitione propoſitionis quam nunc tractamus. Iſtud apud Hieronymum quæſt. 9 ad Algaſiam, & in commentario Gal. 1. Noſtri tamen interpretantur fortitudinem principum huius ſæculi. De tota hac varietate lectionis conſule notationes Franciſci Lucæ.

39 NEQVE ALTITVDO, NEQVE PROFVNDVM. *Profundum* βάθος, id eſt profunditas. Quidam exponunt; Nihil ſublime neque abiectum in hoc ſæculo. Sic enim Oecumenius: *Neque admodum glorioſa, neque valde humilia*. Alij ſic: Nihil eorum quæ in cęlo ſunt ſurſum, aut in terra deorſum. Theodoritus ad ea quæ futuri ſunt ſæculi, refert vtrumque; profundum intelligens gehennam, altitudinem regnum. Sed iam diximus apoſtolum ea nominare quibus ſolent electi in hac vita tentari,

Altitudinis et profundi varię interpretationes.

vt à Christo seperarentur. Magis placet expositio sancti Thomæ: Neque altitudo ex qua quis minaretur præcipitium; sicut factum est Christo, Luc. 4. neque profundum in quo aliquis minaretur demersionem. Tale profundum alibi legimus, vt psal. 68. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia*, & 2 Cor. 11. *Nocte & die in profundo maris fui*. Addit tamen Aquinas etiam alias expositiones.

NEQVE CREATVRA ALIA. Græcè, *Nec vlla creatura alia*. Vniuersali clausula quicquid aliud dici posset, includit.

POTERIT NOS SEPARARE A CHARITATE DEI. Charitatem Dei intellige, vel eam qua nos Deum diligimus, Et tunc supplendũ erit, finaliter, aut quid simile. vel potius eam qua nos Deus diligit: idque eo sensu quem superius dedimus, exponentes illud, *Quis ergo nos separabit à charitate Christi?* Significatur enim vis charitatis illius qua Deus electos suos complectitur, ad præstandum efficaciter ea quæ vult eis donare, & ad remouenda contraria. Summa igitur est, tam potentem & efficacem, tamque certam & immutabilem esse Dei dilectionem, qua nos ad salutem vult prouehere, vt nulla prorsus creatura nos ab ea diuellere possit, faciendo vt ille nos desinat amare, aut certè vt illius amor suo frustretur effectu, id est, nostra salute. Hinc exsurgit certissimum dogma; neminem electorum posse perire.

Vis charitatis diuinæ erga suos electos.

Nemo electorum perire potest.

QVÆ EST IN CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO. Id est, per Iesum Christum tanquam mediatorem & propiciatorem nostrum: qui nobis illam Dei charitatem merito suæ passionis & mortis conciliauit: eademque morte nos redemit. Qua ratione Dominus noster vocatur.

SVMMARIVM.

DOcet promissiones Iudæorum patribus factas ob illorum ruinam non frustrari: sed impleri in spirituali Israele. Deum pro sua voluntate, & non ex operibus, alios eligere ad ostensionẽ suæ bonitatis, alios reprobare ad manifestationem iustitiæ. Quo proinde referendum, quod gentes electa sint ad fidem, Iudæis reprobatis.

CAPVT NONVM.

1 VERITATEM DICO IN CHRISTO, NON MENTIOR. Hactenus de electis, eorumque dignitate quam apud Deum habent, disseruit apostolus, nullo adhuc indicato discrimine gentium & Iudæorum: Nunc vero propius ad detegendum profundum Dei consilium accedens, de reiectione Iudęorum & vocatione gentium agere incipit: eaque occasione mox altissimam ingreditur disputationem de causis electionis ac reprobationis diuinæ. Quare non incommodè noui, id est quarti tomi huius epistolę initium hic facit Theodoritus. Porro, ne quicquam apostolus odio suæ gentis quam infensam habebat dicere videatur, ideoque doctrina quam tradere instituit, suspecta cuipiam habeatur; præfatione Iudæorũ animos præmollit, vtens verbis ad testificandum sui erga illos amoris magnitudinem vehemẽter accommodatis; idque non sine iuramento: mox & ea ordine commemoraturus, quæ ad illius gentis prærogatiuam spectarent. *Veritatem* inquit *dico in Christo, non mẽtior*, id est: Nequis mentiri me suspicetur, rem veram sincerè et ex animo loquor; idque per Christum, seu Christo teste. Iuramentũ enim hic agnoscunt interpretes: vt & in sequentibus.

TESTIMONIVM MIHI PERHIBENTE CONSCIENTIA MEA. Græcè συμμαρτυρούσης μοι &c. id est *contestificante, simul attestante mihi conscientia mea*. Idem compositum verbum supra cap. 2. & 8. Sensus: Ad id quod dico, testem mihi adduco & allego conscientiam meam.

IN SPIRITV SANCTO; id est per Spiritum sanctum, vt eiusdem conscientiæ meæ testem: quomodo hoc intellexit Hieronymus in epistola ad Algasiam quæst. 9. & ad Hedibiam quæst. 10. Porro Græci Theophylactus & Oecumenius obseruant apostolum tres adducere testes eorum quæ dicturus est: Christum, suam ipsius cõscientiam, & Spiritum sanctum: vt triplici testimonio, ac duplici iuramento verba sua confirmet: tametsi potest hoc, *in Spiritu sancto*, sic accipi, vt ea parte significet apostolus, conscientiam suam quam testem adhibet, non errare; videlicet informatam & certificatam à spiritu sancto; quemadmodum id S. Thomas interpretatur. Hic locus, vt & alij similes, ostendunt ob iustam necessitatem licitè & sanctè Christianum hominem iurare posse.

Iuramentum licitum exẽplo Pauli.

2 QVONIAM TRISTICIA MIHI MAGNA EST, ET CONTINVVS DOLOR CORDI MEO. *Quoniam* pro *quòd*. Exponit enim eam rem super qua iuramentum præmisit, id est tristiciam ac dolorem suum de fratribus; vt consequenter intelligas amorem erga eos. *Continuus*, Græcè *inceßabilis*; & ὀδύνη non vulgarẽ significat dolorem, sed qualis est parturientium. Erasmus *cruciatum* vertit. Causam doloris hic non addit. Hugo putat eam esse, *quod prius cum errantibus errans persequebatur ecclesiam*. Quidã alius causam ponit in eo quod sequitur, *Optabam enim* &c. quasi diceret apostolus: Tãti doloris & tristiciæ meę causa est, quod aliquãdo tam grauiter in Christum peccauerim, optans ab eo anathema esse pro fratribus meis Iudæis. Sed hæc nihil ad contextum: posterius etiã ineptum est. Vera doloris causa licet hic non exprimatur, satis tamen intelligitur ex sequentibus, scilicet reiectio & cœcitas populi Iudaici. Igitur hic dolor ex ingẽti amore fratrum, id est Iudæorum nascebatur. Quod declarant verba sequentia.

3 OPTABAM ENIM EGO IPSE ANATHEMA ESSE A CHRISTO PRO FRATRIBVS MEIS

Notandum

Ἀνάθεμα & ἀνάθημα significatione differunt.

Notandum in Græco legi ἀνάθεμα, non ἀνάθημα. Quamuis enim hæc duo deriuentur ab eodem verbo Græco ἀναθεῖναι, significatione tamen diuersa sunt, pro varia significatione verbi. Interdum enim significat reponere siue separare: Vnde dicitur ἀνάθεμα, separatio, & id quod separatur. Interdum attollere, suspẽdere. Hinc ἀνάθημα, suspensio, & id quod suspensum est. Qua ratione donaria quæ templis consecrabantur, ἀναθήματα Græcis dicta sunt, vtpote suspensa in alto ex parietibus & columnis templorum. Quanquam & ad alias res Deo consecratas, vel vsui ministrorum eius deputatas, hoc vocabulum extenditur, non solum apud profanos authores, verum etiam apud interpretes LXX; vt videre est Leuit. vltimo, vbi in hac significatione tertiò repetitur. Hæc admonenda duxi, propter nõnullos etsi magnos authores, qui anathema hoc loco accipiunt in posteriori significatione, dicũtque Paulum hic optare, vt sicut anathemata templis dicata amplius in vsus hominum non veniunt, ita ipse à cõsortio Christi & ecclesiæ fiat alienus. Sed hoc est voces & eorum significata confundere. Nam ἀνάθεμα, quod hic legitur, separationem, vt dixi, propriè significat. Vsurpatur autem in sacris literis pro re separanda ab vsu hominum, non tanquam sacra, sed tanquam exsecrabili, quæ prorsus exterminanda sit. Sed de hoc paulo pòst plenius. Nunc illud quærendum, quo pacto sanctus apostolus dicat optasse se vt esset anathema à Christo pro fratribus, cum nemini licitum sit vllo casu velle suam separationem à Deo; nec ordo charitatis patiatur vt quis suam salutem postponat saluti aliorum.

Quo sensu Paulus optarit esse anathema à Christo pro fratribus.

Caietanus & alij quidam referunt hanc optationem ad tempus quo Paulus adhuc erat in Iudaismo. Neque enim dicit opto, sed *optabam*, vt sit sensus: Ego aliquando in incredulitate & cœcitate mea volui me perdere pro fratribus meis; tunc scilicet quãdo Iesu Christi nomen omni studio persequebar, optans potius tanquam anathema ab eo separari, quam Iudaismum, quem cum fratribus tenebam, relinquere. Sed improbabilis est hic sensus: tum quia Saulus Iesum Nazarenum persequens Christum eum esse negabat, ideoq; verè non optabat à Christo separationem; quo modo verè & propriè non dicitur optare miseriam, qui expetit carnis voluptates, licèt hę miseros reddant homines. Deinde quia præsentem affectum erga Iudæos non bene probaret Paulus ex affectu quem olim erga eos habuisset: vt qui dicere possent eum cum religione etiam affectum mutasse. Proinde rectius alij hæc verba referũt ad tempus quo iam Christianus erat, Iudaismo derelicto. Verum hi quoque variant. Nonnulli enim sic intelligunt. Aliquando prę vehementia amoris, inordinati tamen, vtpote minus adhuc instructus in doctrina Christiana, optabam ipse separari & alienus esse à Christo Iesu & salute quæ per Christum est; dummodo fratres mei Iudæi salui fierent. At certè non est verisimile Paulum ex quo credidit in Christum, ita male institutum fuisse, vt putaret se absolutè posse tale quid optare pro aliorum salute: tametsi optationem huiusmodi licitam & laudabilem censet Hugo Victorinus: Quod nobis nõ videtur: quia mea separatio seu alienatio à Christo, non est nec esse potest ordinabile medium ad salutem aliorum: ideoque nec ad eum finem optabilis est. Porrò S. Hieronymus in epistola ad Algasiam quæst. 9, & in commentario super Zachar. 14, anathema interpretatur eum qui per mortem corporalem separatur ab hominum consortio: quomodo & Christus dicitur factus maledictum, quia ignominiosa morte corpotis affectus est. Itaque sentit apostolum dicere, quod optauerit sanguinem suum fundere, & animam ponere pro salute fratrum; quod quidem maximæ charitatis indicium est, dicente Domino: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animã suam ponat quis pro amicis suis*, Ioan. 15. Sed huic intellectui resistit addita particula *à Christo*. Qui enim martyrium subit pro fratribus, non fit anathema à Christo, sed magis ei coniungitur, iuxta illud eiusdem apostoli; *Cupio dissolui & esse cum Christo*, Philip. 1. Deinde non diceret, *optabam*, sed opto; præsertim quia non tã præteritum affectum quam præsentem declarare volebat, & ardor subeundi martyrij pro fratribus, non in eo refrixerat, quando hæc scribebat, sed cum charitate magis in dies auctus fuerat. Denique nihil singulare iuxtá hunc sensum diceret Paulus, qui pro omnium salute mortem subire erat paratissimus. Quo argumento Chrysostomus eam expositionem oppugnat. Alij alios sensus huc adferunt, quos videre est apud Toletum. Nobis maximè probatur eorum expositio, qui hunc sensum faciunt; Optarem ego ipse, si liceret, & si fieri posset, esse anathema à Christo, id est separatus & alienus à Christo, pro fratribus meis Iudæis. Hæc ipsius Chrysostomi sententia est; quam Theophylactus, & Photij verbis Oecumenius satis clarè explicant: quæ & alijs multis probatur. Secundum quos verbum *optabam*, quod Græcè est ηὐχόμην, non ad præteritum tempus refertur; sed positum est pro *optarim*, vt sit potẽtiale verbum. Sic enim apud Græcos interdum sumitur præteritum imperfectum, etiam non addita consueta vocula ἄν, quam hic subintelligunt authores memorati. Neque enim hic commodè addi potuit: non quidem ante verbum initio sententiæ, cum sit postpositiua particula, sicut γὰρ *enim*. neque post verbum; ob concursum alterius similis particulæ; siquidem durè sonat ηὐχόμην ἂν γάρ. Idcirco omitti debuit. Non dissimilis est vsus præteriti imperfecti, 2 Corint. 11, ὄφελον ἀνείχεσθε, *vtinam sustinebatis*, pro *sustinueretis*. Sic & Latini interdum; vt Augustinus tractatu 50 super Ioannem: *Quando Lazaro inferebatis necem; nunquid Domino auferebatis potestatem?* pro *inferretis, auferretis.*

Sententia maximè probabilis

Iam

Quid apud Paulum anathema.

Iam vt clarius fiat quid apud Paulum sit anathema, non hoc tãtum loco, sed & alibi (nam & aliàs vsurpat, vt 1 Cor. 12 & 16, & Gal. 1, significatione non mutata) sciẽdum id à LXX interpretibus, & consequenter ab apostolis, dictum esse anathema, quod Hebræi vocant חרמה hharma; quod & Hieronymus in sua versione semel & iterum Græca voce exposuit, dicens, *horma id est anathema*, vt Num. 21, & Iudicum 1. Descendit autem à radice חרם hharam, id est *occidit, deleuit, exterminauit*. Igitur Hebræis harmah dicebatur, vel homo vel res quæpiam, quæ cum exsecratione ita funditus delebatur, vt quoad fieri posset, nihil eius reliquum maneret: quomodo iussu Dei destructa & deleta fuit ciuitas Iericho, Iosue 6: & aliæ quædam vrbes Chananæorum à filijs Israel cum voto huiusmodi exterminationis expugnatæ, Num. 21. Id igitur LXX vocarunt anathema. Vnde apud eosdem verbũ ἀναθεματίζειν, anathematizare, id est rem aut personam anathema facere, disperdere, penitus abolere, vt eodem loco Num. & 4 Reg. 19. Item 1 Machab. 5, vbi res explicatur his verbis: *Et anathematizauit eos, & incendit turres eorum igni cum omnibus qui in eis erant*. Dixi quid sit anathema, si nihil addatur: nam cum additur aliquid huiusmodi, à populo, ab ecclesia, *à Christo*; stricte exponendum est secundum determinationem additam. Vnde sicut à populo vel ab ecclesia quis fit anathema, quando ab ea velut membrum emortuum separatur, vt nihilo magis cum ea commune quid habeat, quam si in rerum natura non esset: ita anathema à Christo Paulus eum intelligit, qui à Christi consortio & adoptione & gloria, ac cæteris de quibus egerat cap. superiori, reiectus est, tanquam ad Christum amplius omnino non pertinens. Itaque sensus apostoli est: Quamuis tanta cum Christo & in Christo bona exspectemus, quanta dudum commemorauí; tamen ipse equidem optarem, si per legem & iusticiam Dei liceret, omnibus illis priuari, vt fratres mei Iudæi eadem illa consequantur. Quæ profectò verba sunt immensi amoris erga fratres, eosque sibi inimicos. Ab hoc sensu minimùm recedunt, qui dicunt apostolum hyperbolico sermone voluisse significare magnitudinem sui amoris erga fratres Iudæos. Quam sententiam præ cæteris probat Carthusianus, & satis commodè explicat.

Quid esse anathema à Christo.

QVI SVNT COGNATI MEI SECVNDVM CARNEM. In Græco casus non mutatur: *cognatis meis*, &c. Expositio est eius quod dixit, *pro fratribus meis*. Nam Græco nomine συγγενεῖς significantur qui sunt eiusdem generis. Vnde & sequitur.

QVI SVNT ISRAELITÆ. Nomen Israelitarum honorificum erat, videlicet patronymicum ab Israel, nomine diuinitus impositio patriarchæ ipsorum Iacob. Pergit deinde & alia commemorare spectantia ad illius populi dignitatem.

4 *Israelitarum nomẽ honorabile.*

QVORVM ADOPTIO EST FILIORVM. Cum in Græco sit vna composita dictio υἱοθεσία, id est filiorum adoptio, rectius verbum est (quod in Græco non legitur, sed intelligitur) præponas dicendo: *Quorum est adoptio filiorum*, vel simpliciter *quorum est adoptio*. Siquidem adoptio ferè non est nisi filiorum. Cyprianus nudè legit, *quorum adoptio*; lib. 2 testimoniorum cap. 6. Item Augustinus lib. 3 contra Faustum cap. 3. Et sensus est: Quos Deus velut in filios adoptauit. Non tamen eam intelligit adoptionem, de qua locutus est cap. superiori, quæque noui testamenti filijs propria est. Dicuntur enim hæc de Iudæis reprobis, quorum cœcitatem luget Paulus: Sed adoptionem significat, qua filios Israel, præteritis alijs gentibus, sibi in peculium Deus elegerat. Vnde populum illum vt filium habuit ac fouit, multis ac præclaris in eum collatis beneficijs: Imò filium suũ nominauit, vt Exodi 4, *Filius meus primogenitus Israel*. & iterum, *Dimitte filium meum, vt seruiat mihi*. & Matth. 15, *Non est bonum sumere panem filiorum*. Verum hæc adoptio figura tantum erat & vmbra quædam adoptionis illius excellentis in noua lege præstandæ per Christum naturalem Dei filium, *vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Quamuis & in hac adoptione, secundum promissiones patribus factas, primo loco populus ille à Deo honoratus est; nam vtique primitiæ fidelium ex illo populo fuerunt. Sed vt dixi, ea adoptio non est huius loci.

Quæ adoptio Iudaici populi.

ET GLORIA. Supple ex præcedenti parte; quorum est gloria, scilicet præ cæteris gentibus. *Non* enim *fecit taliter omni nationi*, psalmo 147, idque siue legem spectes à Deo datam; vnde sequitur in eodem psalmi versiculo, *& iudicia sua non manifestauit eis*: siue admiranda Dei opera per Moysen & alios in illo populo exhibita; siue prophetias, siue promissiones, siue protectionẽ singularem. Qua de re psal. 125, *Tunc dicent inter gentes: magnificauit Dominus facere cum eis*. Hæc igitur omnia populum illum inter omnes gentes reddiderunt valde glorioſum & celebrem. Sunt qui gloriam interpretentur arcam testamenti; quæ gloria Domini, & absolutè gloria dicebatur, quod Dei personam in populo habitantem repræsentaret. Vnde 1 Regum 4, quum capta esset arca Domini, dictum est, *Translata est gloria ab Israel*. Sed hic sensus cõtractior est, & vel hac ratione minus acceptabilis, quod iam inde à tempore transmigrationis Babylonicæ, desijsset esse in illo populo arca Domini, 2 Machab. 2. Neque enim vlla historia prodit eam restitutam aliquando fuisse.

Gloria populi Iudaici.

ET TESTAMENTVM. Græcè & Syriacè *testamenta* plurali numero: quemadmodum & legunt Hieronymus quæst. 9 ad Algasiam, & Augustinus lib. 12 contra Faustum cap. 3. Item commentatores Ambrosiaster, Sedulius, Primasius, Heruæus. Meminit etiam Haimo & exponit: eandemque lectionem exhibent co-

dices

Testamẽtorum nomine quid significetur.

dices quidam peruetusti. *Testamenta*, id est pacta, fœdera. Quæ multi Hieronymum & Augustinum locis citatis secuti, interpretantur duo testamenta, vetus & nouum: de quibus Ierem. 31, maximè quod ea Paulus ipse expresserit Galat. 4, & repetat Hebr. 8. Quæ eadem significata putant in epistola ad Ephes. cap. 2, quum eos vocat *hospites testamentorum*. Sed quia nouum testamentum non pertinet ad populum carnalem Iudæorum de quo hic sermo est, sed ad spirituale semen Abrahæ: propterea verisimilius est intelligi pacta particularia cum patribus eorum inita, & sub generali nomine veteris testamenti comprehensa: velut de terra promissionis, ac terrena prosperitate, & aduersus hostes victoria, de sacerdotio, de regno. Quæ omnia Græco vocabulo ab interpretibus LXX vsurpato, διαθῆκαι, id est *testamenta* vocantur. De cuius tamen significatione & vsu quem habet in scripturis, opportunior erit dicendi locus in expositione epistolæ ad Hebr. cap. 9. Sunt qui testamenta exponant hoc loco duas tabulas testamenti, in quibus decalogi præcepta digito Dei scripta fuerunt. Verùm scriptura nusquam tabulas illas testamenta seu fœdera vocat, sed tantum tabulas testamenti seu fœderis, seu pacti; eo quod lex in illis scripta, pacto interueniente data esset à Deo. Deinde tabulæ legis satis continentur in eo quod sequitur.

ET LEGISLATIO. Hoc est, quibus lex à Deo lata fuit. Grandis enim & singularis est prærogatiua, legem habere non ab homine, sed à Deo latam, & per hoc Deum ipsum habere legislatorem. Intelligit autem vniuersam legem quæ per Moysen data est, non partem eius aliquam, vti visum est nonnullis, qui de sola lege iudiciali partem hanc interpretantur; ea ratione moti quod lex decalogi significata fuerit per testamenta, (quem commentarium iam improbauimus) lex autem cærimonialis significetur parte sequenti. Quod nec ipsum verum est. Aliud enim est lex aliqua; aliud, & quidem amplius, res ipsa lege præcepta; cuiusmodi est quod sequitur.

Legislatio totam legem Mosaicam complectitur.

ET OBSEQVIVM. Græcè λατρεία; id est cultus sacer ac diuinus lege cærimoniali præscriptus. Nam Deus in illo populo cultum suum cum sacrificijs ac cæteris cærimoniis instituit atque constituit. Quod non fecit in vlla alia gente. Hieronymus in epistola ad Algasiam *cultum* legit: Cyprianus *famulatum*. Noster *obsequium* vertere solet, vt infrà cap. 12, *Rationabile obsequium vestrum*. Et Ioan. 16, *Arbitrabitur obsequium se præstare Deo*. Quànquam & alias voces Græcas alibi vertit in *obsequium*, vt διακονίαν id est *ministerium*, infrà cap. 15; & ὑπακοὴν, *obedientiam*, 2 Cor. 10; & λειτουργίαν Philip. 2 semel & iterum; vbi nunc oblationem, nunc ministerium publicum significat.

Veri Dei cultus olim in solo populo Iudaico.

Obsequiũ varie acceptum in Vulgata versione.

Ita quatuor Græcas voces, easque diuersæ significationis, reddidit interpres vulgatus vno vocabulo obsequij.

ET PROMISSA. Græcè ἐπαγγελίαι, *promissiones*. Et sensus est: quibus seu cui populo factæ sunt à Deo promissiones. Magnum enim est habere Deum promissorem. Sed quęritur, quæ promissiones? Quidam eas cum testamentis confundunt. Verùm probabilius est ea distingui, vt testamenta seu pacta sint quæ solennibus verbis & stipulatione fiunt; qualia leguntur Genes. 15 & 17, Exod. 24, 4 Reg. 11 & 23, & Ierem. 34. Promissiones verò quæ nihil tale adiunctum habent: cuiusmodi multæ passim occurrunt.

Promissiones à testamentis distinguuntur.

QVORVM PATRES. Subaudi, sunt: id est qui progenitores habent sanctos patriarchas Abraham, Isaac & Iacob. Hos enim per antonomasiam patres nuncupat scriptura.

ET EX QVIBVS EST CHRISTVS SECVNDVM CARNEM. *Et* particula malè sublata à quibusdam. Legitur enim in Græcis & in Latinis ferè omnibus, nec non apud veteres scriptores & interpretes, Irenæum lib. 3 c. 18, Hilarium de Trinitate lib. 8, Hieronymum scribentem ad Algasiam, Augustinum lib. 2 de Trinitate cap. 13, commentatorem Amb. & cæteros. Proinde non est sensus: ex quibus patribus; sed, ex quibus Israelitis ortus est Christus *secundum carnem*. Græcè τὸ κατὰ σάρκα, *quantum ad carnem attinet*. Sentit populum Iudaicum præter alia iam commemorata, sic à Deo fuisse honoratum, vt ex eo Messiam, id est Christum promissum incarnari & nasci voluerit. Qua ratione & Simeon ille iustus Christum vocat gloriam plebis suæ Israel Luc. 2. Huius porrò beneficij magnitudinem auget in immensum personę Christi dignitas; de qua sequitur.

Christus ex Iudæis ortus.

QVI EST SVPER OMNIA DEVS BENEDICTVS IN SECVLA. AMEN. *Super omnia*, Græcè ἐπὶ πάντων, quod verti etiam potest *in omnibus*, vt fecit Erasmus, aut *per omnia*, vt citat Tertullianus aduersus Praxeam cap. 15. Quãquam idem cap. 13 eiusdem libri legit *super omnia*: quemadmodum & Nouatianus lib. de Trinitate cap. 13 & 30, & Ambrosius libro 1 de Spiritu sancto cap. 3. Item Hilarius & Hieronymus antè citati, suffragante etiam Syriaca versione. Quod procul dubio rectius se habet. Atque eo modo vertit ipse Erasmus Eph. 4, vbi præpositionibus hæc tria distinguuntur, *super omnia, per omnia & in omnibus*. Potuit etiam verti, *super omnes*: sicut ibidem à vulgato interprete redditum est; quemadmodum & hic locus legitur apud Augustinum propositione 59, & ab Irenæo citatur lib. 3 cap. 18. Sed vt generalius, ita melius est, *super omnia*: siue referatur ad Deum, siue ad benedictum: id est siue intelligatur Deus super omnia, sicut Hilarius accepit; siue benedictus super omnia. Quod vtrumque in eandem sententiam redit. Nam solus ille qui est super omnia Deus, super omnia

Christus super omnia Deus benedictus.

Arianam hæresim hic locus aperte destruit.

benedictus est; & contrà. Itaque locus hic, vt obseruant omnes ferè orthodoxi commentatores, apertissimè destruit hæresim Arianam, quæ filium etsi Deum negare non audeat, patre tamen minorem facit secundum naturam ab eo acceptam. *Benedictus in secula*, id est laudibus celebrandus in omnem æternitatem, siue vt Tertullianus, *in omne auum*. Addit, *Amen*, pro confirmatione rei tantæ quam dixerat. De qua voce Hebræa vide quæ diximus suprà cap. 1.

6 NON AVTEM QVOD EXCIDERIT VERBVM DEI. Græcè οὐχ οἷον δὲ ὅτι. id ita sonat, *non quale autem quod* &c. potestque sic exponi: Quod dixi me vehementer dolere conditionem fratrum meorum Israelitarum velut reprobatorum à Deo, non tale est vt existimem aut dicere velim, propter eorum incredulitatem & reprobationem excidisse verbum Dei. Quidam putant hoc modo vertendum: *Fieri tamen non potest vt exciderit* & cætera. Quibus non assentior. Non enim hic legitur οἷονπε, quod Græcis vsurpatur pro possibili, sed simpliciter οἷον, quod eum vsum non habet nisi pertarum: nec vsquam, vt arbitror, in sacris literis. Alij rectius, *Non autem velut exciderit*. Quod probat Erasmus in annotationibus. Noster interpres videtur οἷον accepisse tanquam expletiuum, & ornatus aut euphoniæ tantum gratia additum, cuius proinde in transferendo rationem non habuerit. Quod & ab alijs quibusdam factum video. vt planus sensus sit: Non hæc eo dicuntur à me, quòd sentiam excidisse verbum Dei, id est irritas factas esse Dei promissiones & pacta. Non tamen hic respicit ad promissiones & pacta de quibus superius, pertinentia ad carnalem Israel: sed promissiones significat noui testamenti implendas in Israele spirituali, & in spirituali semine Abrahę, per Isaac promissionis filium præfigurato: sicuti consequenter declarat.

NON ENIM OMNES QVI EX ISRAEL SVNT, II SVNT ISRAELITÆ. Græcè: *Non enim omnes qui ex Israel, hi Israel.* Supplendum autem verbum *sunt*, tam in fine quàm in medio. Et sensus est: Non enim omnes qui ex Israel patriarcha secundum carnem orti sunt, ij sunt Israel siue Israelitę, de quibus scriptura loquitur in illis promissionibus, quæ pertinent ad nouum testamentum. Hoc est: promissiones Israeli factæ non spectant ad omnes carnaliter ex Israele progenitos.

Israelitæ.

7 NEQVE QVI SEMEN SVNT ABRAHÆ, OMNES FILII. In Græco & Syriaco non *qui* sed *quia* legitur, astipulantibus etiam vetustis commentatoribus Latinis, Amb. Primasio & Sedulio, deinde Heruæo, denique mss. codicibus permultis; vt facilè mihi persuadeam ita fuisse scriptum ab interprete. Sensus: Nec ideo quia secundum carnem nati sunt ex Abraham, censendi sunt omnes eius filij secundum mentem scripturæ loquentis de filijs Abraham, vbi de promissionibus agitur. Hac enim ratione etiam Ismael & Esau cum vniuersa sua posteritate, censerentur inter filios Abrahæ, & promissionum deberent esse participes. Quod vtique tu Iudæe non admiseris. Quidam illud, *omnes filij*, supplent, non Abrahæ, sed Dei: eo quod mox sequatur: *non qui filij carnis, hi filij Dei*. Verum id non arguit sensum, sed sensus consequentiam. Nam apostolo omnes filij Abrahæ etiam filij Dei sunt.

Filij Abrahæ.

SED IN ISAAC VOCABITVR TIBI SEMEN. Subaudi, dictum est ad Abraham, scilicet Genes. 21. Quidam *in Isaac* exponunt, *per Isaac*, vt significetur semen ex Isaac propagandum. Alij ipsum Isaac intelligunt vocari semen, sermone transitiuo: sed res eodem redit. Nam sensus est: Solum genus Isaac filij tui (à quo genere ipse Isaac non excluditur) erit & vocabitur semen tuum, in quo complebo promissiones tibi pro semine tuo factas. Hoc autem exponit secundum allegoriam verbis sequentibus.

Semen Abrahæ.

8 ID EST: NON QVI FILII CARNIS, HI FILII DEI, SED QVI FILII SVNT PROMISSIONIS, ÆSTIMANTVR IN SEMINE. Græcè, εἰς σπέρμα *in semen*, quemadmodum & Amb. legit. Sensus est: Illa Dei promissio ad Abraham facta, qua sic discreuit inter eius filios, vt Ismaele posthabito atque reiecto, solam posteritatem Isaac vellet vocari semen eius; dicendo, *In Isaac vocabitur tibi semen:* allegoricè nobis significat non habendos esse filios Dei, nec reputandos pro vero semine Abrahæ eos omnes aut solos, qui secundum carnem ex Abraham orti sunt, sed *qui filij sunt promissionis*, id est qui regenerati sunt secundum spiritum per gratiam fidei, idque iuxta promissionem diuinam Abrahæ factam, qua dictum est: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*, Gen. 22. siue illi carnaliter ex Abraham fuerint progeniti, siue non. Fundatur hæc allegoria in eo quod idem apostolus dicit ad Gal. 4, Ismael *secũdum carnem natus* fuit, Isaac *secundum spiritum*, id est, ille sola virtute naturali, iste verò non sine præuio miraculo naturæ facultatem excedente ex matre sterili diuinitus fœcundata, videlicet iuxta promissionem de qua sequitur.

Filij promissionis.

9 PROMISSIONIS ENIM VERBVM HOC EST. Dictum ac secundò repetitum ad Abraham, Genes. 18.

SECVNDVM HOC TEMPVS VENIAM, ET ERIT SARÆ FILIVS. Verba sunt angeli in persona Dei loquentis ad Abraham, sumpta verò ex versione LXX interpretum. Hebræa paulo obscuriora sunt, eundem tamen sensum volunt, istum videlicet: Hoc eodẽ tempore post annum reuolutum, quando reuersus veniam ad te, Sara coniux tua, quanquam sterilis & vetula, filium habebit.

10 NON SOLVM AVTEM ILLA, SED ET REBECCA EX VNO CONCVBITV HABENS ISAAC PATRIS NOSTRI. Græcè ad verbum,

Non

Non ſolum autem, ſed & Rebecca ex vno concubitum habens Iſaac patris noſtri, ſeu potius, *Iſaac patre noſtro*. Ad quem modum vertiſſe noſtrum interpretem ſatis eſt veriſimile. Nam quod ad priorem partem attinet, ſolet eam ſicut in Græco eſt reddere, nullo addito, *Non ſolum autem*: vt ſuprà cap. 5 ſemel & iterum, ac rurſum 2 Cor. 8. Sic & mss. quædam habent hoc loco, & veteres concordantiæ. Quanquam & hîc potuit addidiſſe de ſuo pronomen *illa*, ſicut fecit in capite proximè præcedenti: *Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi*, &c. Nec prætermittendum quod in quibuſdam mss. pro *illa* legitur *illi*, datiuo caſu, videlicet Saræ. Hoc enim præceſſit. Iam quod ad reliqua ſpectat; non pauci codices, ſuffragantibus iterum concordantijs, pro genitiuis ablatiuos habent, *patre noſtro*. Cæterùm procliue fuit librarijs, vt *concubitum* mutarent in *concubitu*, propter caſum præcedentem *ex vno*. Certè ex Græco propter diuerſitatem caſus ſimul & generis, omnino verti non poteſt, *ex vno concubitu habens*. Sic enim legitur, ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα; quod propriè vertas, *ex vno cubile* ſiue *torum habens*. Eſt enim eadem dictio quæ infrà cap. 13 *non in cubilibus*; & Heb. 13, *torus immaculatus*. Sed hic per tropum accipitur pro concubitu vel conceptu. Eſt autem tota oratio imperfecta, quia verbo caret: ideoque ſupplenda. Quidam ſupplent & exponunt hoc modo: Non ſolum autem in duobus filijs Abrahę, quorum alter ex promiſsione natus eſt, alter ſecundum carnem, exhibita nobis eſt figura eorum qui futuri eſſent filij Dei, & qui ab ea dignitate extranei; verum etiam Rebecca ex vno Iſaac patre noſtro conceptis duobus filijs, eiuſdem rei typum ac ſignificationem myſticam nobis exhibuit. Alij ſuppleri putant textui congruentiùs, ad hunc modum: Non ſolum Abrahæ dictum eſt quod pertineat ad myſterium electionis ac reprobationis diuinæ, videlicet illud, *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*, id eſt, in filio promiſſionis: Verùm etiam Rebecca duos filios ex Iſaac patre noſtro conceptos adhuc vtero geſtans, accepit diuinum reſponſum; quo idem myſterium ſignificaretur: Nam, vt ſequitur, *dictum eſt ei: quia maior ſeruiet minori*. Indicant hoc modo ſupplendam Pauli ſententiam Irenæus lib. 4 c. 38, & Auguſtinus in epiſtola 105 ad Sixtum. Porrò non meminit hic promiſſionis apoſtolus, ſicut in exemplo ſuperiori: Nam Rebeccæ filios promiſsio non diſcernebat, vtpote ex eodem patre qui filius fuerat promiſsionis, ac matre ſterili genitos, eodemque partu effuſos; vt ſi promiſſio præceſsiſſet eorum conceptum (quæ nulla legitur in Geneſi) fuiſſet vtrique communis. Sed vrget indiſcretam æqualitatem duorum quoad originem; quorum tamen alter dilectus ſit à Deo; alter odio habitus: vt hac ratione cõmendet gratiam electionis ac prædeſtinationis diuinæ.

Significatio Græci vocabuli κοίτη.

Quod enim ad prius exemplum attinet, excipere potuiſſent Iudæi, meritò reiectum fuiſſe Iſmaëlẽ, quod ex ancilla natus eſſet. Tale quid autem de Eſau dicere non poterant; vt qui totam originem, vt dixi, cum fratre ſuo Iacob habuerit cõmunem; niſi quod ipſe prior natus fuerit; vt hac ratione præferendus fratri potius videretur. Hiſtoria eſt Gen. 25.

11 CVM ENIM NONDVM NATI FVISSENT, AVT ALIQVID BONI EGISSENT AVT MALI. Quod huius loco legitur apud Auguſtinum in expoſitione propoſitionum: *Nondum enim naſcentium neque agentium aliquid boni aut mali*, interpretis inſcitia eſt, quo tunc vſus fuit Auguſtinus. Debuit enim genitiuos, qui in Græco ſunt aoriſti abſolutè poſiti, reddere, quomodo noſter vertit. Non diſsimilis lapſus cap. 2, *cogitationum accuſantium aut etiam defendentium*. Quæ verò ibidem propoſitione 60 & duabus ſequentibus ab Auguſtino dicuntur de electione hominum, non quidem ex operibus, ſed tamen ex fide præuiſa, tanquam fides ipſa ſub electionis beneficio non comprehendatur: quoniam ab authore non ſolum in retractationibus lib. 1 cap. 23, verùm multis etiam alijs in locis correctum eſt, oſtendẽte ipſam etiam fidem eſſe donum Dei: non eſt quod talia nos hic remorentur; præſertim cum facilè ſit ea ex hoc ipſo loco refellere. Dicens enim apoſtolus de pueris; *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent* & cætera, manifeſtè etiam fidem ab eis excludit. Non magis enim credere poterant pueri nondum nati, quam aliud quicquam boni facere. Et rurſum cum ait: *Non ex operibus, ſed ex vocante*; non opera diſtinguit à fide, ſed ea vocationi opponit, ei nimirum quæ eſt ſecundum propoſitum. Alioqui dicendum erat: non ex operibus, ſed ex fide. Porrò ſenſus huius partis eſt: Cùm nondum eſſent in lucem editi, licet iam in vtero concepti, nec proinde quicquam boni malíve egiſſent; adeoque nec per ætatem agere potuiſſent, cuius boni vel mali merito alter eligeretur, vt fieret dominus fratris ſui; alter reprobaretur, vt fratri ſeruiret. Nam quod colluctati fuiſſe leguntur in vtero materno: quia ſine rationis vſu erat illa ſeu lucta ſeu pugna, nec in bonum nec in malum imputari poterat. Deſtruit hic locus Origenis dogma, quo docuit animas in cælo quondam peccaſſe; eaque cauſa pro modo meritorum, partim globis cæleſtibus alligatas, partim in hæc terrena corpora velut ergaſtula relegatas eſſe.

Retractat Auguſtinus erroneam de prædeſtinatione ſententiã.

Origenis dogma refellitur, quodocuit animas in cælo peccaſſe.

(VT SECVNDVM ELECTIONEM PROPOSITVM DEI MANERET). Ex Græco clariùs: *Vt quod eſt ſecundum electionem Dei propoſitum, maneret*. Itaque genitiuus *Dei* inter *electionem* & *propoſitum* collocatus, ad vtrumlibet referri poteſt, tametſi ſenſu non variato. Noſter interpres ad *propoſitum* retulit: quod arbitror

Duplex huius loci expositio.

conuenientius. Exponitur autem hæc pars bifariam. Vno modo; vt propositum quo secundum electionem gratuitam & nõ ex meritis Deus constituerat Iacob honorare, subijciẽdo fratrẽ ipsius seruituti, maneret, hoc est, firmum ac stabile esset. Altero modo; vt mysticè significaretur Dei propositum, quo aliquos prædestinauit ad vitam æternam ex sola & gratuita ipsius electione, absque vllo meritorum respectu, firmum esset atque immobile. Hic posterior sensus probabilior est, propterea quod apostolo propositum Dei passim significet voluntatem Dei prædestinantis homines ad vitam æternam. Et iuxta hunc sensum, ista parenthesi figuram applicat apostolus ad rem figuratam. Porrò mirum est etiam hoc loco Theodoritum (quod capite superiore fecit) referre propositum ad homines. Sic enim scribit; *Cum adhuc vtero gererentur, eorum differentiam prædixit. Prædixit autem cum eorum propositum præsciuisset. Non est enim iniusta electio, sed quæ hominum proposito conuenit.* Hæc ille; planè contra mentem & institutum apostoli. Sed nec illi rectè, qui propositum ad Deum referentes, præscientiam interpretantur; vt alij ex Græcis intellexisse videntur. Nusquam enim propositum præscientiam significat; &, hoc si vellet apostolus, non diceret propositum Dei secundũ electionem, sed electionem secundum eius propositum, id est præscientiam. Orationem huc vsque suspensam absoluit quod sequitur.

Propositũ non significat præscientiam.

12 NON EX OPERIBVS, SED EX VOCANTE DICTVM EST EI;

13 QVIA MAIOR SERVIET MINORI. Oraculum integrum sic habet: *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur: populusq; populum superabit, & maior seruiet minori.* Vbi de populis apparet dictum esse, *maior seruiet minori*. Quod tamen apostolus recte de fratribus dictum assumit, quatenus in illis, vt oraculum significat, erant duo populi. Sensus: Non propter vlla bona opera Iacob, aut mala opera Esau, quæ vt iam dictum est, nulla adhuc erant; sed ex solo arbitrio Dei vocantis & eligentis Iacob præ Esau, dictum est Rebeccæ Dominum consulenti, quod maior seruiturus esset minori; & consequenter minor, id est Iacob, dominium habiturus in maiorem Esau. Quod quidem completum est non in ipsorum personis, sed, vt oraculi verba declarant, in populis qui ex illis orti sunt. Completum inquam tempore Dauidis, qui Idumæos, id est populum ex Esau genitum, sibi ac populo Israëlitico fecit tributarios, 2 Reg. 8. Spiritualiter autem impletur in electis ac reprobis, quia quicquid à reprobis aut circa reprobos agitur, id totum seruit ac proficit saluti & felicitati electorum. Omnia enim propter electos, 2 Timoth. 2. Qua de re locus est insignis apud Augustinum in epistola 157 ad Optatum epiſcopum scripta. Sed aduersus apostoli probationem obijciet aliquis: Rectè quidem eum ostendere, quod non ex operibus seu meritis præcedentibus dictum sit, *quia maior seruiet minori*; eo quod nondum nati nihil boni aut mali agere potuerint: non tamen absolutè, quòd non ex operibus. Potuit enim id dictum esse propter opera futura, & à Deo præuisa. Laborat in hac obiectione soluenda Toletus, difficultatem agnoscens; nec omnino satisfacit. Equidem puto responderi posse, Paulum non intendere hanc consequentiam: Dictum est *cum nondum nati essent*, ergo *non ex operibus, sed ex vocante dictum est* &c. sed tantum illud adferre pro signo istius; vt non tam sit argumentatio, quam diuinę mentis interpretatio; quasi diceret: Idcirco Deus huiusmodi responsum dare voluit matri, quum pueri nondum nati essent, vt per hoc significaret electionem alterius præ altero non esse ex operibus sed ex vocante. Quanquam sciendum, verba apostoli posse etiam aliter distingui; vt illud, *non ex operibus, sed ex vocante*, pertineat ad præcedentem parenthesim, velut explicatio particulæ *secundum electionem*, hoc nimirum sensu: vt propositum Dei quod est secundum ipsius electionem, id est, non ex meritis sed ex vocante, firmum maneret: deinde sequatur, *Dictum est ei* &c. Quæ distinctio, quod & obiectionem allatam dissipet, & maiorem lucem adferat toti sententiæ, mihi non improbatur. Cæterùm mentio fit in oraculo maioris & minoris fratris; vt dum minor maiori præfertur, amplius per hoc commendetur gratia diuinæ electionis: quum alioqui maiori natu potius videretur attribuendus fuisse principatus & dominium in alterum. Atque ita sanè frequenter sese res habet in electione ac reprobatione diuina, vt qui donis naturalibus & humano studio cæteris antecellunt, velut olim philosophi gentiles, à Deo reprobati sint; assumptis ijs quibus natura & humana exercitatio minus contulit. Quod & apostolus docet 1 Cor. 1, illis præsertim verbis: *Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes*, &c. Sapienter eam rem in commendando gratiæ Dei beneficio attenderunt Patres, vt Augustinus lib. 1 de peccatorum meritis & remissione cap. 22, & in fine lib. 1 ad Simplicianum, & Prosper lib. 1 de vocatione gentium cap. 17, & in carmine de ingratis cap. 17 & 18.

Obiectio diluitur.

Alia Verborum apostoli distinctio.

Dei consilium in electione & reprobatione hominũ.

Quomodo impletum, Maior seruiet minori.

SICVT SCRIPTVM EST: IACOB DILEXI, ESAV AVTEM ODIO HABVI. Sensus est: Deum eo responso quo dixit, *maior seruiet minori*, significasse id quod multo post ex eius persona scriptum est à propheta Malachia capite primo, *Nonne*, inquit, *frater erat Esau Iacob; & dilexi Iacob, Esau autem odio habui?* quasi dicat, etsi fratres essent

ſent germani ac gemini, eoque nomine pares, niſi quod Eſau ratione primogenituræ præponendus videretur: ego tamen *Iacob dilexi*, id eſt volui ei in ſua poſteritate benefacere; Eſau autem odio habui, id eſt poſthabui ac rejeci, nolens ſingularia in eius poſteritatem beneficia conferre. Hic ſenſus eſt literalis verborum prophetæ. Quod liquet ex verbis ibidem ſequentibus, quibus proſequitur de Eſau: *Et poſui montes eius in ſolitudinem, & hereditatem eius in dracones deſerti* &c. Iam hinc colligendum relinquit apoſtolus, argumento à figura ad rem in figura ac myſterio ſignificatam, neque electionem hominum ad æternam ſalutem, neque reprobationem eſſe ex vllis operum meritis; ſed Deum ex ſolo ſuæ voluntatis arbitrio, alios eligere ad ſalutem; alios autem reprobare; non quod Deus aliquos damnare velit immeritò: ſed quia ſicut totus effectus prædeſtinationis non cadit ſub merito, ita nec totus effectus reprobationis. Quod enim Deus aliquos permittit cadere in peccatum, cuius merito poſtea damnationem incurrant (quæ quidem permiſſio primus eſt reprobationis effectus) non poteſt eſſe ex eorum merito; quandoquidem primi peccati permiſſionem nullum antecedit peccatum, quo illam mereri poſſent. Ac ſanè de electione ſeu prædeſtinatione quod non ſit ex meritis, clarum eſt ex apoſtoli Pauli doctrina, varijs in locis: præcipuè verò ex ijs quæ diſſerit hoc capite: ſicut ex ſequẽtibus amplius patebit. De reprobatione verò non perinde omnes conſentiunt. Quidam enim dicunt apoſtolum in præſenti doctrina ſupponere maſſam humani generis infectam peccato originali: quam cùm totam Deus ob illius peccati meritum reprobare potuiſſet, ad ſolam referunt Dei voluntatem, quod ex ea alios præ alijs gratuita ſua bonitate ſeparandos, atque ad ſalutem perducendos elegerit, vt proinde electio quidem iſtorum non ſit ex merito; cæterorum autem reprobatio ſit ex merito peccati, quo tota maſſa ponitur infecta. Nec alio ſenſu fatentur aliquos reprobari ſine meritis, quàm quia nulla ratio eſt ex parte hominum, cur alij præ alijs reprobentur, atque in maſſa perditionis relinquantur; eo quod peccatum ſit omnibus commune. Pro qua doctrina adducunt authoritatem B. Auguſtini libro 1 ad Simplicianum quæſtione 2, enchiridij 98, epiſtola 105, atque alibi, docentis reprobationem Dei propterea non eſſe iniuſtam, quia neminem reprobat niſi ex merito peccati. Verùm ſi diligenter expendantur ea quæ de electione & reprobatione tradit apoſtolus hoc capite, prorſus apparebit ex eius ſententia, tam reprobationem quam electionem abſolutè non ex vllis eſſe præuiſis meritis. Primum enim in eo quod dicit, *cum nihil egiſſent aut boni aut mali*, tam excludit actionem malam Eſau odio habiti, quam actionem bonam Iacob dilecti: & conſequenter excludendum relinquit tam malum meritum reprobationis, quàm bonum meritum electionis. Nam alioqui tantummodo dicendum erat, *cum nihil egiſſent boni*, ſi nempe ſolius vel dilectionis Iacob, vel electionis noſtræ meritum excludere voluiſſet. Vnde etiam liquet apoſtolum non ſupponere in hac ſua diſputatione maſſam corruptam peccato. Hæc enim ſuppoſitio pugnat cum verbis apoſtoli iam dictis. Sed nec eam admittunt, aut reprobationem ex meritis intelligi ſinunt, quę deinceps ſequuntur. Nam quæſtioni quam ſtatim ſibi mouet: *Nunquid iniquitas apud Deum?* non reſpondet ideo non eſſe iniquitatem, quia tota maſſa peccato viciata eſt, & omnes digni damnatione; vt gratiæ ſit, inde quoſdam eripere ſaluandos; iuſticiæ, cæteros omnes in ea relinquere damnandos: Sed ita reſpondet, vt tam horum reprobationem, quam illorum electionem referat in ſolam Dei voluntatem; eo tandem dicto curioſum interrogatorem compeſcens. *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Iam illud maximè, quod pro comparatione adfert de figulo, ex eadem maſſa luti faciente aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam, maſſæ corruptæ hypotheſim excludit. Hic enim profectò nihil in maſſa ſupponitur, niſi quod ſit indifferens & formabilis ad vtrumque; qualem vtique eſſe oportet, vt voluntati & vſui ſeruiat hominis figuli. Verùm hæc res tota plenius in ſequentibus explicabitur. In hanc porrò ſententiam acceperunt & interpretati ſunt præſentem apoſtoli de electione & reprobatione doctrinam Petrus Lombardus lib. 1 ſent. diſt. 41 § a & d, nec non in commentario huius loci. Hugo Victorinus in hanc epiſtolam quæſt. 233 & 235. S. Thomas in commentario lectione 3 & 4, atque alibi. Caietanus tam in commentario huius loci, quam primæ partis S. Thomæ quæſt. 23. Liranus in hunc locum. F. Titelmannus in argumento huius ad Romanos epiſtolæ. Pererius quoque in diſputatione 12 huius capitis. Denique ſcholaſtici doctores in Magiſtrum ſcribentes, adeò multi, vt fateatur Thomas Argentinenſis, quamuis diuerſæ opinionis aſſertor, hanc ſententiam eſſe communem, ſicut eam quæ prædeſtinationem ex meritis negat. Sed & Dominicus Sotus in retractationibus quas ſubiunxit operi ſuo in quartum ſentẽtiarum, in hanc ſententiam vt probabiliorem inclinatur, retractans quod in huius loci commẽtario ſecus ſcripſerat. Porrò Cor. Ianſenius tractans illa verba Eccleſiaſtici 41, *Si nati fueritis, in maledictione naſcemini*; ſententiã hanc habuit ita certam, vt errorem vocet *eorum qui propter præuiſa impiorum mala merita, aſſeruerunt quoſdam à Deo reprobari*. Cæteros huius ſententiæ ſuffragatores, ne ſim prolixior, omitto recenſere, quorũ complures citauimus ad diſt. 41 lib. 1 ſentẽtiarum, vbi quæſtionem

Neque electio hominũ, neque reprobatio ex meritis.

Quis primus reprobationis effectus.

Vtrũ apoſtolus in hac diſputatione ſupponat maſſam corruptã.

Probatur reprobationem nõ eſſe ex meritis.

Authores qui doceant reprobationem non eſſe ex meritis.

hanc de merito reprobationis ſatis operosè, Deo iuuante, tractauimus. Inde & cætera ad huius doctrinæ explicationem pertinentia petat qui volet: atque illud inter alia, quomodo ſententia S. Auguſtini reipſa ab hac doctrina non diſcrepet, vt qui reprobationem non accipiat eodem prorſus modo, quo S. Thomas & alij Theologi iam allegati: qui tamen alioqui ſuam doctrinam ex Auguſtini ſcriptis, poſt ſcripturam ſacram, potiſſimum ſtabiliunt. Dicet aliquis, reprobationem à Paulo vocari odium Dei: iniuſtum autem videri ſi Deus aliquem odio habeat, nullis exiſtentibus aut præuiſis eius meritis. Reſpõſio. Paulus ipſam hominum reprobationem non vocat odium Dei, ſed docet eam ſignificatam per odium Dei, de quo ſcriptum eſt, *Eſau odio habui*. Ex quo ſequitur quidem, reprobationem diuinam non malè vocari odium Dei, ſicut eam Auguſtinus, Thomas, & alij interdum vocant; ſed hoc nomen ex mente apoſtoli iam declarata, debet exponi ſenſu negato non affirmato. Nam *inquantum* Deus *quibuſdam non vult hoc bonũ quod eſt vita æterna, dicitur eos odio habere*, ait Thomas 1 parte quæſt. 23 art. 3 ad 1. Quod tamen non ita accipiendum, ac ſi odium tantum ſignificet negationem alicuius actus in Deo: ſed ſic intellige; Deum poſitiuè nolle eis dare bonum memoratum, hoc eſt, velle non dare, vt negatio ſit obiecti, non actus. Alij dicunt, reprobationem rectè vocari odium Dei etiam affirmato ſenſu; non propter primum effectũ, ſed propter poſteriores, maximè poſtremum, qui eſt æterna damnatio. Sed ea ſignificatio odij non cõuenit huic loco. Sic enim odium eſſet ex operibus: quod de odio quo Deus odiſſe dicitur Eſau (in quo fuit typus reproborum) negat hac diſputatione apoſtolus. Maneat igitur ea ſignificatio odij quam diximus. Siquidem & alibi in ſcripturis, odiſſe accipitur pro eo quod eſt poſthabere, negligere, non curare, præ alio contemnere, vt Iudic. 14, *Odiſti me & non diligis*. Luc. 14, *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Ioan. 12, *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*. Et apud hunc apoſtolum Epheſ. 5, *Nemo carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam*. Eandem odij acceptionem eſſe puto in illis verbis Matth. 6, *Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget*. Alius quidam obijcit, meritum odij ſeu reprobationis diuinæ memoratis prophetæ vel apoſtoli verbis ab Eſau nequaquam remoueri: cum idẽ apoſtolus ſcribens ad Hebræos 12, reprobationem Eſau diſertè in mala eius opera referat: *Ne quis*, inquit, *profanus vt Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primitiua. Scitote enim quoniã & poſtea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus eſt*. Sed facilis eſt reſponſio, reprobatum dici eo loco, id eſt reiectum & neglectum à patre Iſaac, cum ab eo benedictionem inſtãtiſſimè flagitaret. Hoc enim ei accidit in pœnã præcedentis peccati, quia ſcilicet tam profanus fuiſſet, vt pulmenti precio venderet ſua primogenita. Hic verò negat eum apoſtolus ex operibus odio habitum, id eſt reprobatum à Deo; quia vt permitteretur incidere in peccata quibus tandem mereretur à paterna benedictione excludi, nullum erat eius meritum, haud magis quam fratris eius Iacob meritum fuit vllum, vt ſimile quid pateretur. Et ita ſanè in eo quod per typum ſignificatur, res ſe habet. Damnationem merentur reprobi peccatis præcedentibus: Qui tamen ſecundum apoſtolum reprobati ſunt non ex operibus, quia quod permittantur cadere in peccata pro quibus damnantur, non eſt ex merito. Notandum obiter, impertinens eſſe huic loco, an Eſau ſit reprobatus ea reprobatione de qua diſſerit apoſtolus: atque adeò non videri improbabile, quod poſt depoſitum fraternum odium, de quo Gen. 33, in vera religione à parẽtibus accepta defunctus ſalutem adeptus ſit. Quod enim hic dicitur Eſau odio habitus à Deo; id ex mente prophetę, de odio ſeu reiectione quoad prærogatiuam temporalis ac terrenæ felicitatis eſſe intelligendum, & non tam in ipſius Eſau perſona, quam in eius poſteritate completum fuiſſe, iam ſuperius oſtendimus. Non hic omittam paucis adjicere, quemadmodum ſententia B. Auguſtini, diſcretionem electorum & reproborum ad ſolum Dei beneplacitum referentis, vt primum per eccleſias fuit diuulgata, multos etiam catholicos offenderit ac turbarit, & à quibuſdam etiam oppugnata fuerit; non ſolum vt dura & inhumana, verũ etiam vt pietati inimica: quod per eam cura & ſtudium, vel à peccatis reſurgendi, vel in bono proficiendi videretur fidelibus ademptum. Quæ de re exſtant epiſtolæ, quas ad ipſum Auguſtinum dederunt è Gallia duo epiſcopi, Proſper Regienſis & Hilarius Arelatenſis. Sed & noſtro ſæculo non defuerunt qui memoratam Auguſtini doctrinam ſcriptis carperent, nonnulli palam etiam inſectarentur: quorum ferè princeps Ambroſius Catharinus in huius loci commentario viginti quinque aduerſus eam argumentis pugnat. Verùm vt benè de Catharino reſpondet B. Pererius in vltima huius capitis diſputatione: eius aduerſus Auguſtinum obiectiones non ſunt nouæ, nec recenter ſiue ab ipſo ſiue ab alijs huius temporis hominibus inuentæ: ſed eædem cum illis quæ viuente etiam tum Auguſtino à Maſſilienſibus, alijſque Gallis aduerſus ipſum allatæ fuerunt. Quæ tamen nihil eum mouerunt, quo minus ſententiam ſuam conſtanter tueretur, & perſeueranter teneret vſque ad mortem; neque ſcandala ſiqua inde naſci videbantur, curanda putaret: optimè perſuaſus ſcandalorum metu non eſſe dimittendam ſanæ doctrinæ veritatem. Satis id docent duo eius libri, de prædeſtinatione ſanctorum, & de dono perſeuerantiæ ad Proſperum & Hilarium

S. Auguſtini ſententia ſecundum rem à ſententia S. Thomæ et aliorum haud diuerſa.

Reprobatio cur odium Dei vocetur.

Odij ſignificatio in ſcripturis.

Alia obiectio refellitur.

Vtrũ Eſau ſit de numero reproborũ

Auguſtini de electione & reprobatione doctrina à quibuſdã oppugnata.

Eam inſectatur Amb. Catharinus

Auguſtini doctrina aduerſus cõtradictores ab ipſo defenſa, & à Proſpero propugnata.

larium reſcripti: quibus etiam omnia Maſſilienſium argumenta, quæ in illorum epiſtolis continebantur, refellit. Cuius deinde cauſam poſt eius obitum B. Proſper ſuſcepit ac defendit: atque ad cætera, ſiqua noua ab aduerſarijs argumenta proferebantur, cum applauſu & approbatione ſanctorum Eccleſiæ pontificum, varijs opuſculis doctè reſpondit. *Beatus quoque Thomas*, ait Pererius, *iſtiuſmodi obiectionibus & offenſionibus & ſcandalis nihil perturbatus aut motus eſt: nec ab Auguſtini ſententia deduci potuit.* Quin ipſemet apoſtolus, qui tantopere cauebat, ne cui ſcandalum daret, hanc tamen doctrinam prædeſtinationis & reprobationis hominum, licet videret offenſioni & ſcandalo fore multis veritatis & diuinæ ſcripturæ ignaris; affirmatè & apertè tradere voluit ijs ſententijs, quas deinceps audiemus.

Eandem conſtāter tenuit S. Thomas.

14 QVID ERGO DICEMVS? NVNQVID INIQVITAS APVD DEVM? ABSIT. *Iniquitas*, Græcè ἀδικία, *iniuſticia*. Quæſtionem ex dictis ſibi facit apoſtolus. Nā ſi Deus ſine præuiſis operum meritis alios eligit, alios reprobat, iniuſtus eſſe videtur; tum quia de æqualibus non æqualiter diſponit; tum quia reprobat aliquos immeritos. Atqui iniuſticiā aſſcribere Deo, impium eſt. Totam hanc obiectionem repellit apoſtolus teſtimonio ſcripturæ ſubiuncto: ac directè quidem in electione Dei probat nihil eſſe iniuſticiæ; cæterùm ex conſequenti idem relinquit intelligendum de reprobatione; vt infrà videbimus.

15 MOYSI ENIM DICIT. Electionem, inquit, plane gratuitam & indebitam oſtendunt verba Dei ad Moyſen Exod. 33. *Si autem indebita eſt electio*, nulla igitur iniuſticia eſt apud Deum, quod non omnes eligat; quum in gratuitis atque indebitis locum habere non poſſit acceptio perſonarum, aut omnino iniqua diſtributio. Verba hæc ſunt.

Ingratuitis locum non habet iniqua diſtributio.

MISEREBOR CVIVS MISEREOR; ET MISERICORDIAM PRÆSTABO CVIVS MISEREBOR. Græca plenius habent: *Miſerebor cuiuſcumque miſereor, & miſerabor, quēcumque miſeror*. Leguntur hæc totidem verbis apud LXX, à quibus ea Paulus accepit. Nā in Hebræo omnia futuri temporis ſunt verba. Sententiam verò Hieronymus interpres ita reddidit: *Miſerebor cui voluero & clemens ero in quem mihi placuerit.* Quæ verſio nobis eſt loco commentarij. Significat enim, Deum miſereri quibuſcumque voluerit, eligendo eos ad ſalutem ex ſolo beneplacito ſuæ voluntatis. Vtroque autem membro prorſus idem ſignificatur; ne quis fruſtra laboret in quærendo diſcrimine inter verbum priori & poſteriori loco poſitum in quacūque lingua; quod facit Caietanus, priori loco intelligens miſericordiam conferentem bona gratuita, poſteriori auferentem mala. Sed hoc fruſtra & ſine fundamento. Nec ſibi conſtat: quum in Exodum ſcribens, prius verbum exponat de interiore miſerationis affectu, poſterius de opere exteriori. Nobis dicere ſufficiat eſſe repetitionem inculcantis rem eandem, pro maiore eius confirmatione. Quod in ſcripturis propheticis eſt frequens. Notandum eſt autem, Deum hæc verba dicentem ad Moyſen, exprimere voluiſſe ſuam quandam inſignem proprietatem: quod nimirum gratuitus ſit benefactor, qui nulla lege ad præſtanda beneficia ſit adſtrictus, ſed ea pro arbitrio tribuat quibus voluerit. Proinde, qui in hac parte exponenda miſcent præuiſionem operū; vt commentator Ambr. & Pelagius, & ſiqui alij, facientes hunc ſenſum; Miſerebor eius, quem dignum fore mea miſericordia præuidero, vtpote ſecuturum meam vocationem, eiúe aſſenſurum: ij Paulum non ſolùm præter ipſius mentem & ſcopum, ſed etiam cōtra ſenſum verborum quem liquido præferunt, interpretantur.

Inſignis Dei proprietas, gratuitū eſſe benefactorem.

16 IGITVR NON VOLENTIS NEQVE CVRRENTIS, SED MISERENTIS EST DEI. Velle ſignificat actum internum. In vocabulo curſus metaphora eſt, qua ſignificatur exterior actio ſeu conuerſatio, cum ſtudio & ſedulitate coniuncta. Vnde ait 1 Cor. 9, *Sic curro non quaſi in incertum.* Et Gal. 3, *Bene currebatis.* Porrò huius loci variæ ſunt expoſitiones apud veteres: Vna, qua dictū hoc accipitur ex perſona aduerſarij, velut rem abſurdam inferentis ex apoſtoli diſputatione; tanquam inde ſequatur inanem eſſe omnem noſtrum conatum, ſi Deus miſeretur cuiuſcumque voluerit. Qua ratione etiam ſequentia vſque ad illud, *O homo tu quis es qui reſpondeas Deo?* exiſtimant æquè dicta eſſe à Paulo, non in ſua, ſed contradicentis perſona. Ita Chryſoſtomus & apud Oecumenium Photius in huius loci commentario: ac rurſum Chryſoſtomus hom. 12 in epiſtolam ad Heb. Item Hieronymus quæſt. 10 ad Hedibiam. Meminit etiam Auguſtinus lib. de prædeſtinatione ſanctorū cap 7. Verùm poſt exortam hæreſim Pelagij, cui patrocinari videbatur eiuſmodi interpretatio (nam & ipſe Pelagius eam ſuis commē tarijs inſeruit) meritò reiecta eſt & improbata; præſertim cum neque cōtextui verborum apoſtoli, niſi admodum violentè, poſſit adaptari; nec ſcopo ſeruiat apoſtolicæ diſputationis, ſed magis repugnet. Eſt igitur alter commentarius, quo accipiuntur quidem hæc verba dicta ex perſona apoſtoli, ſed cum excluſione intellecta in duobus prioribus mē bris; hoc modo: Quod quis bonum velit & operetur, non eſt volentis tantum, neque currentis tantum, ſcilicet hominis, ſed etiam Dei miſerentis. Hunc quoque ſenſum addu cit Chryſoſtomus locis memoratis, ac poſt eum Oecumenius. Indicat etiam Hieronymus lib. 1 dialogi aduerſus Pelagium cap. 2. & clarè expreſſit Gregorius Naziāzenus oratione 31 his verbis: *Non volentis, id eſt non ſolum volentis, nec currentis ſolum, ſed etiam miſerentis Dei.* Similiter ante hos Origenes lib 3 de principijs cap. 1. Qui ſenſus etſi verus ſit,

Curſus metaphoricè quid ſignificet.

non tamen huic loco conuenit. Non enim explicat vllo modo id quod apoſtolus intendit. Nam ſimili ſupplemento conuerti poſſet ſermo: Non eſt miſerentis Dei, ſed volentis & currentis hominis; quia nimirum opus bonum non ſolius eſt Dei, ſed etiam humanæ voluntatis. Quo inter alia argumento iuſtè reijcit hanc expoſitionem Auguſtinus compluribus locis, vt lib. 1 ad Simplicianum qu. 2, enchiridij 32, lib. de gratia & libero arbitrio cap. 7, & in epiſtola 107 ad Vitalem. Eadem ratione etiam B. Thomas iſtum commentarium refellit, quod ſermonem conuerſum, non eſt miſerentis Dei, ſed volentis & currentis; aures piæ non ferant. Adfert autem Auguſtinus citatis iam locis hanc tertiam expoſitionem: Non eſt volentis vt velit, neque currentis vt currat; ſed miſerentis Dei, qui dat homini ipſum velle & currere. quaſi dicat; Nec velle nec operari quiſquam habet à ſeipſo, ſed totum accipit à Deo miſericorditer ipſum per gratiam ſuam præueniente. Quem ſenſum licet non apertè tradant Nazianzenus, Chryſoſtomus & Hieronymus; conſtat tamen partim ex locis eorum citatis, partim ex alijs, ab huius expoſitionis doctrina nequaquam eos receſſiſſe. Quod quidem operoſius probare, non eſt præſentis inſtituti. Quamuis autem hæc Auguſtini interpretatio ſententiam & doctrinam contineat per omnia catholicam; non tamen omni ex parte congruere videtur inſtituto & contextui apoſtolico. Diſputat enim apoſtolus de electione diuina, quã ſuperiori teſtimonio ſcripturæ reiecerat in ſolam Dei miſerentis voluntatem; atque inde concludit dicens: *Igitur neque volentis* &c. Quare non de cauſa boni operis intelligenda eſt hæc concluſio; ſed de ipſa electione hominum ad ſalutem; quẽadmodum bene inter alios interpretatur Caietanus; vt ſit ſenſus: Quod quis ſit electus à Deo, non eſt ex merito bonæ voluntatis, neque ex merito boni operis ſeu conuerſationis præcedentis aut præuiſæ; ſed ex ſolo ac libero beneplacito Dei miſerentis. Ex qua etiam interpretatione liquet, quam prauè detorqueant hanc ſententiam hæretici contra liberum arbitrium. Non enim cauſam boni noſtri operis, ſed meritum diuinæ electionis negat apoſtolus conſtituendum in noſtra voluntate ac noſtro opere. Et alioqui, non ſolum libertas voluntatis, ſed & ipſa voluntas deſtrueretur hoc argumento; quia dicitur, *non volentis*. Quod nec ipſi volunt aduerſarij. Interim vide lector quemadmodum ſanctus Thomas in ſuo commẽtario doceat per hanc apoſtoli ſententiam liberum hominis arbitrium non excludi.

Auguſtini expoſitio melior duabus præcedentibus.

Germana huius loci interpretatio.

Libero hominis arbitrio nihil detrahitur per hanc Pauli doctrinam.

17 DICIT ENIM SCRIPTVRA PHARAONI. Quid hic iam probare velit apoſtolus, haud facilè apparet. Exiſtimant plerique eum quod de electione docuit, idem nunc ex alio ſcripturæ teſtimonio docere de reprobatione; ſcilicet in Deo nullam poſſe notari iniuſticiã, dum aliquos odio habet ſeu reprobat abſque illorum meritis. Sed quonam id docet argumento? Non enim ſequitur; In hoc excitauit Deus Pharaonem, vt oſtendat in eo virtutem ſuam, &c. ergo iuſtè eum ſine meritis reprobauit. Nam reſponderi poſſet, non ſine malo ſuo merito Pharaonem à Deo excitatũ fuiſſe: aut certè, ſi ſine omni merito, non tamen iuſtè factum oſtendi ex eo ſolo quia ad bonum finem ordinatum eſt. Nam ad bonos fines aliquando media mala & iniuſta aſſumuntur. Deinde, ſi hîc probare vellet apoſtolus alteram partem doctrinæ; non vteretur coniunctione cauſali, *dicit enim*, ſed copulatiua, *dicit etiam*. Id enim exigeret contextus ſermonis. Itaque potius dicendum, quemadmodum ſuperius indicaui, in priori teſtimonio, *Miſerebor cuius miſereor* &c. contineri probationem vtriuſque, ſcilicet iuſtæ electionis ſimul & iuſtæ reprobationis: quamuis tã hæc quam illa ad nulla reſpiciat merita eius qui vel reprobatur vel eligitur. Etenim ſi nulla eſt Dei iniuſticia miſericorditer ac gratuitò eligentis aliquos præ alijs, vbi nulla ſunt merita; nulla quoque eiuſdem erit iniuſticia alios non eligentis, ſed permittere volentis vt in peccata labãtur, quorum merito ſint æterna morte puniendi: quod eſt reprobare: quemadmodum luculentè docet S. Thomas 1 par. quæſt. 23 art. 3. Conſequitur ergo per neceſſariam illationem reprobatio ſine meritis iuſta ex electione gratuita. Quare liquet ad vtramque vindicandam ab iniuſticia, valere & ſufficere ſcripturam allegatam. Quorſum ergo, dices, ſubnectit apoſtolus alterum hoc teſtimonium de Pharaone? Reſpondeo: vt hoc exemplo doceat, quod pro arbitrio, ac ſine cuiuſquam iniuria facere Deus poteſt, non tamen id eum facere, niſi ſapientiſſimè & cum ratione: dum videlicet illud ordinat ad finem manifeſtandæ ſuæ potentiæ, ſuíque nominis celebrandi. Itaque, tanquam quæreretur, quænam ſit ratio cur ita faciat Deus; ex ſcriptura rationem adfert. *Dicit enim*, inquit, *ſcriptura Pharaoni*, id eſt, ſcriptura narrat dictum eſſe Pharaoni, ſcilicet à Deo per Moyſen, quando ille pertinaciter negabat ſe populum Dei dimiſſurum. Hiſtoria eſt Exodi 9.

Quid reprobare.

Sapientiſſimè & cũ ratione, quamuis non ex meritis, Deus aliquos reprobat.

QVIA IN HOC IPSVM EXCITAVI TE. In Hebræo *ſtatui te, ſtare te feci*, vel vt Hieronymus vertit, *poſui te*, pro quo LXX tranſtulerũt: *conſeruatus es vſque nunc*. Chaldæus quoque paraphraſtes & Munſterus reddunt, *conſeruaui te*. Sed & hoc loco commentator Amb. legit, *ſeruaui te*; tametſi fatetur alios codices habere *ſuſcitaui te*. Et quidem phraſis illa, *poſui te*, in ſcripturis idem ſignificare videtur, quod, eſſe te feci, produxi te in medium, promoui te ad hoc aut illud. Sonat enim deſtinationem, quæ fit adhibitis medijs aptis & conuenientibus ad finem propoſitum, vt pſalm. 17. *Conſtitues* ſeu *pones me in caput gentiũ*. Ioan. 15, *Elegi vos & poſui vos vt eatis & fructum afferatis*. Et Paulus 1 Theſſ. 3, *Scitis quod in hoc poſiti*

Phraſis illa, excitaui ſeu poſui te, & aliæ ſimiles quid ſignificent.

ſumus,

ſumus. Et cap. 5, *Non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis*. Item Petrus 1 epiſtolæ 2, *Nec credunt, in quod & poſiti ſunt*. Rurſum Deut. 28, *Conſtituet te Dominus in caput, non in caudam*; quamuis illic in Hebræo eſt, *dabit te*: ſed idem ſignificatur; quēadmodum & Iſaiæ 49, *Dedi te in lucem gentium, dedi te in fœdus populi*. Eadem porrò eſt ratio de verbo excitandi ſeu ſuſcitandi, vt Deut. 18, *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum*. & 28, *Suſcitabit te Dominus ſibi in populum ſanctum*. Iudic. 3, *Suſcitauit eis ſaluatorem*. 1 Regum 2, *Suſcitabo mihi ſacerdotem fidelem*. Et alibi ſæpiſſimè. Hæc ad phraſim illuſtrādam adducta ſint. Senſum autem Moyſi & Pauli ſequentia docebunt.

VT OSTENDAM IN TE VIRTVTEM MEAM: ET VT ANNVNCIETVR NOMEN MEVM IN VNIVERSA TERRA. Senſus totius ſententiæ eſt: *In hoc ipſum*, id eſt ad eum finem poſui & excitaui te, ſeruaui atque promoui, videlicet non ſolum permittendo, ſed multa tam intus quam foris operando, ſenſibuſque obijciendo, quæ tibi futura eſſent occaſio maioris contumaciæ ac duriciæ cordis; ad eum finē, inquam, vt in te ſiue circa te potentiā meam diuinam, per multa ſtupenda & horrenda ſigna, exercerem & hominibus manifeſtarem: quo per hæc nomen meum celebraretur vbique terrarum. Quod vtique factum eſſe conſtat, in eo maximè, quod filijs Iſraël per mare rubrum traductis, rex Pharao cum toto Ægyptiorum exercitu in eodem mari ſubmerſus & ſuffocatus eſt: vt in eo præclarè locum habuerit illud ſapientis Prouerb 16, *Omnia propter ſemet ipſum operatus eſt Dominus: impium quoque ad diem malum*. Excitationem illam hoc modo interpretatur, & luculentè exponit ex ſententia B. Auguſtini lib. de gratia & libero arbitrio cap. 20 & 21, S. Thomas in huius loci commentario.

18 ERGO CVIVS VVLT MISERETVR: ET QVEM VVLT INDVRAT. Concludit ex præcedentibus, ac potiſſimum ex illa ſententia qua dixit, *miſerebor cuius miſereor*, &c. Nam ea plenè intellecta, ſicut ante docui, ſequitur vtrumque concluſionis membrum; ſcilicet Deum pro ſola ac libera ſua voluntate ſine reſpectu operum, hos quidem eligere, alios autem reprobare, ſiue vt hic loquitur, indurare. Notandum enim indurationem hoc loco poni pro tota hominis derelictione, comprehenſa etiam prima permiſſione peccati, cuius merito poſtea quis induretur. Siquidem & in priori parte miſericordiam generaliter accipit pro tota congerie effectuum prædeſtinationis, in qua primus gratiæ effectus vel maximè continetur. Sic alibi nomine ſalutis totam hominis reparationem, cuius initium eſt à fide, complectitur, vt ad Tit. 3, *Non ex operibus iuſticiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit*. Quod ſi ſolus ac ſeorſim conſideretur indurationis effectus; non vtique ſine mèrito eſt peccati præcedentis. Vnde & ipſe Pharao nō ſine merito pręcedentium peccatorum, ac nominatim peccati originalis, fuit a Deo derelictus, & ita derelictus, vt tandem indureſceret in malo. Sed ideo dicit apoſtolus, *quem vult indurat*; quod induratio ſiue Pharaonis, ſiue cuiuſquam alterius, in prima ſua velut origine, quæ eſt prima derelictio ſeu peccati permiſſio, non aliam habeat cauſam quam Dei voluntatem. Interpretatur indurationem hoc modo B. Auguſtinus quæſt. 2 ad Simplicianum, dicens ac ſubinde repetens, Deum obdurare, quia non miſeretur: &, quod dicit Paulus, *quem vult indurat*, tale eſſe ac ſi diceretur, *cuius nō vult non miſeretur*. Quomodo autem Deus etiam iuxta poſteriorem reprobationis effectum induret hominem, nec tamen ſit cauſa duriciæ eius, vt ex hoc loco volunt hæretici; ſatis iam liquet ex ijs quæ paulo ante dicta ſunt de Pharaone. Qua de re vide quæ ſcribit Auguſtinus quæſt. 18 ſuper Exodum, & quæ Thomas rurſus in commentario. Nos quoq; de eadem re plenius egimus ad diſt. 40. lib. 1. ſentent. diſſerentes de effectibus reprobationis.

19 DICIS ITAQVE MIHI. Græce & Syriace, *Dices*. Aduerſarium facit obijcientem ſibi hoc quod ſequitur;

QVID ADHVC QVERITVR. Id eſt conqueritur, querulatur. Græcè μέμφεται, quod etiam verti poteſt, iraſcitur, ſuccenſet. Falluntur autem qui verbum hoc aut imperſonaliter exponunt, vt Faber; aut paſſiuè, quēadmodum accipi poſſe putat Laurentius: quamuis vterque veriorem etiam ſententiam non reijcit. Senſus enim planus eſt: At dices mihi, Si Deus quos vult eligit, & quos vult reprobat; cur non contentus facere pro libito quæ vult, etiam conqueritur de hominibus apud prophetas; & iraſcentis more grauia comminatur, quod ad ipſum non conuertantur vt ſalui fiant?

VOLVNTATI ENIM EIVS QVIS RESISTIT? Id eſt reſiſtere poteſt: Malè quidam ex Græco vertendum putant, *quis reſtitit*. Nam Græcum præteritum ἀνθέστηκε vim præſentis habet, perinde vt ſimplex ἕστηκε. Senſus eſt: Quis poteſt fruſtrare diuinam voluntatem, vt nō fiat quod voluit? ac ſi dicat, nemo. Scriptum eſt enim, *Omnia quæcumque voluit fecit*, pſal. 113. & ex Dei perſona, *Omnis voluntas mea fiet*, Iſa. 46. &, *Nō reſiſtet mihi homo*, ibidem 47. Eſt autem ſermo de voluntate Dei abſoluta, quam beneplaciti voluntatem appellant Theologi, quę & propriè voluntas eſt. Huiuſmodi (inquam) eſt Dei voluntas, qua alios eligit alios reprobat. Nam voluntati Dei quæ in præceptis & prohibitionibus conſiſtit, & ſigni voluntas dicitur, reſiſtunt omnes qui peccant. Sequitur apoſtoli reſponſio.

20 O HOMO TV QVIS ES QVI RESPONDEAS DEO? Græcè, μενοῦνγε ὦ ἄνθρωπε. *Atqui ô homo*. Nec enim otioſa eſt illa particula ab interprete omiſſa, ſed intēdit orationem cum repre-

Indurationis vocabulo quid hoc loco ſignificetur.

Indurationis effectus ſeorſum conſideratus, prouenit ex merito peccati præcedentis.

Voluntati Dei abſolutæ nihil eſt quod reſiſtat.

Voluntati Dei præceptiuæ reſiſtūt omnes qui peccant.

reprehenſione aduerſarij. Legitur etiam Lucæ 11, vbi noſter vertit; *Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei* &c. Rurſum pro eo *qui reſpondeas*, in Græco eſt participium ὁ ἀντιποκρινόμενος, id eſt *contra, ſiue ex aduerſo reſpondens*. ac ſi dicat: Tu quis es qui diſputas cum Deo? Hominem te cogita, illum Deum: ita deſines cum illo velle in diſputationem venire, & eius iudicia diſcutere. Non deficit in ſoluenda quæſtione Paulus; tanquam ſe conuertat ad obiurgationem, ratione deſtitutus: quod vel ſtultos vel impios quoſdam dixiſſe refert Auguſtinus enchiridij cap. 99, & quæſt. 68 inter 83. Poterat enim reſpondere Deum iuſtè queri de peccatoribus, quia propriæ voluntatis electione peccant, cùm poſsint non peccare, liberum habentes arbitrium. Sed ſtudium apoſtoli fuit non tam ad obiectionem reſpondere, quam ad cauſam obijciendi. Concluſerat enim; *Ergo cuius vult miſeretur & quem vult indurat:* Vnde nata erat illa aduerſarij obiectio, *Quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis reſiſtit?* Reſpondet itaque de voluntate Dei eligente & reprobante, negans eius rationem ab homine, qui creatura & figmentum Dei eſt, ſcrutandam eſſe: imò ab exemplo figuli oſtendens Deum hoc facere pro libertate ſuæ voluntatis abſque alia ratione; quemadmodum rectè locum hunc Thomas expoſuit. Bene notanda in reſponſione Pauli antitheſis inter hominem & Deũ; id eſt, inter creaturam & creatorem. Nimis enim abſurdum & improbum eſt, creaturam velle aduerſus Deum creatorem ſuum cõtendere, eiuſque facta arguere. Quod vtique facere videtur, qui de Deo dicit: *quid adhuc queritur?* Abſurditatem verò oſtendit ex comparatione figmenti & figuli.

Voluntatis Dei eligentis & reprobantis ratio non eſt quærẽda.

NVNQVID DICIT FIGMENTVM EI QVI SE FINXIT. Græcè: *Num dicet figmentum ei qui finxit*, id eſt figulo.

QVID ME FECISTI SIC? *Sic* non ad modum fingendi, ſed ad qualitatem figmenti pertinet, vt verti poſsit: *cur me tale finxiſti?* Nunquid, ait apoſtolus, vas fictile iure poterit expoſtulare cum figulo, cur ipſum tale aut tale fecerit? ac ſi dicat, Minimè. Hoc propriè ad reprobos accõmodatur. Nam electi non habent quod querãtur aut expoſtulent, ſed vnde gratias agant: Reprobi autem videri poſſunt habere rationẽ aliquam querelæ, ſi ſine meritis reprobantur, non autem ſi ex meritis. Igitur etiam ex hac interrogatione colligitur reprobationem non eſſe ex meritis. Porrò comparationem hanc adducit apoſtolus imitatus prophetas, Iſaiam cap. 45, & Ieremiam cap. 18. licet non æquè ad vtrũque reſpexerit; vt infrà dicemus.

Reprobi non habẽt quod querantur ſine meritis reprobati.

21 AN NON HABET POTESTATEM FIGVLVS LVTI, EX EADEM MASSA FACERE ALIVD QVIDEM VAS IN HONOREM, ALIVD VERO IN CONTVMELIAM? *Contumeliam*, Græcè ἀτιμίαν, id eſt *ignominiam*, quæ honori opponitur. Eſt enim alluſio vocum in Græco εἰς τιμὴν, εἰς ἀτιμίαν. Quod Latinè reddas licet, *ad decus, ad dedecus*. Eſt & metaphora, qua honor & ignominia rebus tribuitur inanimatis. Porrò vas Hebræo more capitur pro inſtrumento, ſiue ſit vas propriè dictum, id eſt cauum, & liquoris receptaculum, ſiue aliud quodlibet. Vnde legimus vaſa mortis & vaſa interfectionis, pro telis mortiferis pſal. 7 & Ezech. 9, & vaſa pſalmi pro inſtrumentis pſallendi pſal. 70. Ita Paulus vas electionis vocatur Act. 9, id eſt organum electũ. Quanquam & Græcum vocabulum σκεῦος latius patet quam ad ea quæ vulgo vaſa vocamus. Comprehendit enim vtenſilia ferè omnis generis. Hinc compoſitum eius ἐποσκευὴ, id eſt ſupellex, ſarcinæ & impedimenta exercitus, etiam mouentia. Sic enim accipitur ea vox apud LXX interpretes Exod. 12, quemadmodum bene declarat Auguſtinus quæſt. 47 ſuper Exodum. Quin & Latino vaſorum nomine interdum tota ſupellex apud Liuium ſignificatur. Cæterùm, vaſa liquoris capacia Græci propriè ἀγγεῖα vocant; cuiuſmodi ſunt vt plurimùm quæ fiunt à figulis. Hæc curioſius fortaſſe, niſi conducerent etiam ad alias ſcripturas intelligendas. Igitur apoſtoli hic ſenſus eſt: Cum figulus ex luto ſua fingẽs opera, liberam habeat poteſtatem fingendi ex eadem maſſa luti aliud quidem vas ſiue opus ad vſum honeſtum, aliud verò ad vſum vilem & inhoneſtum: cur non libertima ſit poteſtas Deo, vt ex eadem maſſa humani generis alios eligat & faciat vaſa ad honorem, alios reprobet, faciatque vaſa ad ignominiam? Faciat, inquam, vaſa ad honorem per effectus ſuæ electionis: & vaſa ad ignominiam per effectus reprobationis. Oſtendit hæc comparatio, quemadmodum in partibus maſſæ luteæ non eſt ratio, cur vel ex hac parte fiat vas in honorem, vel ex illa vas in contumeliam; ita in hominibus, velut partibus vnius maſſæ humani generis, non eſſe rationem cur vel hic eligatur, vel ille reprobetur. Non igitur in hac diſputatione ſupponit apoſtolus maſſam corruptam aut damnatam; licet etiam de ea, ſecundum Auguſtini expoſitionem, habeat veritatem apoſtoli ſententia: ſed intelligit maſſam abſolutè; qualis erat etiam maſſa angelorum, ex qua alij electi ſunt, alij reprobati. Nam ſcriptura paſsim adhibens comparationem luti, quod pro ſuo libito format figulus; de luto loquitur abſolutè, nullum eius vicium ſupponens, ſed ſolam eius naturam conſiderans qua formabile eſt ad omne opus figulinum. Vnde nec ait apoſtolus, figulum ex eadem maſſa aliud facere vas in honorẽ, aliud in ignominia maſſæ relinquere; ſed ex eadem maſſa facere in ignominiam. Neque dixit, figmentum ei qui ſe finxit non dicere; Cur me reliquiſti in maſſa corrupta? *ſed, Cur me fecisti ſic?* id eſt vas ignominioſum & reprobum. Satis igitur apertè ex hac ſimilitudine, quam ſumpſit à figulo & maſſa lutea, facit intelligi, tam electionem quam reprobationem ex

Vas Hebræis pro quouis inſtrumẽto.

Deus figulo comparatus, quod pro arbitrio faciat alia vaſa, in honorẽ, alia in cõtumeliã.

Paulus non ſupponit in hac diſputatione maſſam corruptã.

meritis

meritis non esse. Sed hoc argumentum eludere quidam conantur. Dicunt enim hanc similitudinem à Paulo petitam esse ex Ieremia cap. 18, vbi commemorato exemplo figuli vas ex luto facientis, atque idipsum dissipantis, ac rursus ex eo fingentis aliud quale voluit, Deum introducit ita loquentem: *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel.* Qua in re tamen ad merita tam bona quam mala Deum respicere, docent hæc eius verba subiuncta. *Repentè loquar aduersum gentem, & aduersus regnum, vt eradicem & destruã & dispердam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam; agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei, & subitò loquar de gente & de regno, vt ædificem & plantem illud,* & quæ sequuntur. Vnde consequens esse volũt, etiam Paulum, eadem figuli similitudine vtentem, haudquaquam merita hominum excludere voluisse, sed potius ea ex altero scripturæ loco intelligenda reliquisse. Quibus responsum sit, ex eadem re similitudinem accipi posse ad diuersa significanda: Nam & Christus & diabolus leoni comparantur in scripturis. Nec verum esse quod ad Ieremiæ locum Paulus propriè respiciat: quin potius manifesta est verborum eius allusio ad locum Isaiæ cap. 45, vbi sic legitur: *Væ qui contradicit fictori suo, testa de samijs terræ. Nunquid dicet lutum figulo, Quid facis? &, Opus tuum absque manibus est?* Quæ sanè verba significant, ita Deum pro mero suo beneplacito statuere de rebus humanis in vtramlibet partem, quomodo figulus ex luto facit opus quodcumque voluerit. Quo pertinet etiam quod sequitur: *Væ qui dicit patri, quid generas? & mulieri, quid parturis?* Quod enim meritum hominis, vt parentes eum talem aut talem gignant? Igitur eo adducuntur hæ comparationes ab Isaia propheta, vt per eas ostendat, Deum filios Israel non pro ipsorum arbitrio, sed pro sua voluntate dispensare, quemadmodum sanctus Hieronymus loquitur, eum locum explanans. Ieremias verò ex adducta similitudine figuli, tantum id voluit; Deo tam facilè esse vel aduersa vel prospera gentibus & regnis immittere, quam facilè est figulo opus suum adhuc molle, quassare & reformare. Hic ergo propheta fingendi ac refingendi facilitatem in figulo, considerauit; ille quidlibet effingendi, nullo præuentam merito, voluntatis libertatem. Quam quidem etiam Ecclesiasticus spectauit quando dixit cap. 33. *Quasi lutum figuli in manu ipsius, sic homo in manu illius qui se fecit*: quemadmodum bene docet Iansenius in eius loci commentario. Hoc ipsum autem Paulum apostolum velle in adducta figuli similitudine, tota series disputationis eius declarat.

Obiectio.

Responsio.

22 QVOD SI DEVS VOLENS OSTENDERE IRAM, ET NOTAM FACERE POTENTIAM SVAM. Postquam docuit non aliam esse rationem, cur Deus in particulari hos eligat, illos reprobet, quam liberrimam eius voluntatem: nunc rationem adfert cur in generali Deus alios eligere voluerit, alios reprobare; rationem, inquam, non ex eorum præuisis meritis, sed ex causa finali. Ac reprobationis quidem causam assignat manifestationem tã iusticiæ quam potẽtiæ Dei, qua vindicat peccata; electionis verò causam indicat manifestationem bonitatis eius ac misericordiæ, qua quibusdam & gratiam largitur & gloriam; vt sic tam in reprobis quàm in electis, Deus secundum diuersa sua opera quæ circa illos exercet, glorificetur: vtpote qui omnia finaliter ordinat ac dirigit ad suam gloriam. De hac generali ratione electionis & reprobationis vide quæ scribit B. Thomas doctissimè in huius loci commentario, & in Summa par. 1 quæst. 23 art. 5 ad 3. Verba apostoli exponamus. *Quod si*, inquit, *Deus volens ostendere irã*, id est declarare iusticiam suam vindicatiuam, quæ vtique ostenditur per actus punitionis & vindictæ peccatorum, (Hanc enim iram vocat, anthropopathicè de Deo loquens, more scripturę) *& notam facere potentiã suam*, in puniendis impijs quantumcumque illi magni & potentes fuerint, cuiusmodi sunt reges inter homines, vt Pharao, cuius suprà meminit; quales item angeli secundum naturam, & maximè supremus angelorum: tametsi hoc quidem loco de solis hominibus Paulus loquitur. Adiungit autem hanc causam, id est, ostensionem potentiæ diuinæ, velut causam finalem reprobationis potius quàm electionis: (licet & circa electos suam Deus ostendat potentiam,) eo quod potentia magis declaretur in subactione & punitione malorum, quorum permanet repugnans voluntas; quã in exaltatione bonorum, quorum tandem omnino perfectus erit cum Dei voluntate consensus.

Cur in genere Deus alios eligat, alios reprobet. Reprobationis causa finalis ostensio iusticiæ Dei: electionis verò, manifestatio bonitatis eius. Deus omnia dirigit ad suã gloriam.

SVSTINVIT IN MVLTA PATIENTIA VASA IRÆ APTA IN INTERITVM. Huius pericopes singula pene verba egent explicatione. *Sustinuit* Græcè ἤνεγκεν, id est, *tulit*. Sed vt Latinum *tulit* duobus modis intelligi potest, *attulit*, id est, adduxit; aut *pertulit*, id est sustinuit, tolerauit: ita & Græcum ἤνεγκε; quemadmodum Græci interpretes Theophylactus & Oecumenius annotarunt. Augustinus in expositione huius loci & alibi passim legit *attulit*. Atque hoc significatum verbi Græci attendit Syrus paraphrastes, dum ita reddit hũc locum: *Induxit*, siue *intulit pro magna longanimitate sua iram super vasa iræ*. Vbi videmus paraphrasten aliquid addere de suo, videlicet *iram*, vt sensum perficiat. Idem faciendum significat Oecumenius his verbis: *Quemadmodum in vasa iræ tulit iram, multa primum vsus longanimitate; ita & in vasa misericordiæ tulit benignitatem*. Quanquam, etiamsi legamus *attulit*; non opus videtur huiusmodi supplemento. Potest enim illa pars, *in interitum*, etsi cohæreat cum participio *aptata*, simul etiam referri ad verbum *attulit* siue *adduxit*; vt sen-

sus

sus sit; Deum ad hoc adduxisse vasa iræ ad quod aptata sunt, id est ad perditionem. Veruntamen alter sensus, secundum quem *tulit* idem est quod *pertulit, sustinuit*, multo receptior est. Nam & noster interpres, & ille cuius textum ediderit Amb. commentator, verterunt *sustinuit*. Sed & Augustinus quæst. 68 inter 83 legit ex alia quapiam versione *pertulit*. Græci quoque diserte in hunc sensum exponunt, vt dicatur Deus cum multa patientia toleraſſe vasa iræ, tanto grauius ea tandem puniturus, quãto diutius tolerauerit. Qui sensus vtcumque respondet parti præcedenti. Sustinet enim Deus eos quos scit non corrigendos, vt in eis postea suam iram ac potentiam ostendat. Sed sciendum est Græcum aoristum ἤνεγκα in hac significatione rarius inueniri. Certè in sacris literis legisse non memini, cum huius significationis alia passim legantur ἀνέχεσθαι, φέρειν, ὑπομένειν. Quocirca prior sensus fortè plus habet probabilitatis: præsertim cum & actum diuinæ reprobationis expressius contineat, qui est adducere in interitum, videlicet dimittendo, excœcando, obdurando. Addit autem, *in multa patientia*, Græcè μακροθυμίᾳ, id est lenitate, quam longanimitatem interpres vertit suprà cap. 2, vt ostendat etiam reprobos benignitate ac patientia Dei plerumque inuitari ad pœnitentiam: & proinde reprobationem non obstare, quo minus conuerti possint. Nam reprobatio nihil subtrahit de potentia reprobati, vt ait Thomas 1 parte quæst. 23 art. 3 ad 3. Alludit autem apostolus ad exemplum superius allatum de Pharaone populi Dei oppressore; quem nõ statim Deus occidit; sed prius multis suorum plagis admonitum, tandem in interitum demersit. Tacitè quoque videtur innuere hac parte quandam reprobationis causam finalem à præcedentibus diuersam, etsi non æque principalem. Non solũ enim Deus in reprobis puniendis ostendit iusticiã suam atque potentiam; verùm etiam in iis ad pœnitentiam exspectandis, licet pœnitentiam non acturis, patientiam seu longanimitatem. Porrò reprobos vocat apostolus vasa iræ, & mox electos vasa misericordiæ, respiciens ad superiorem comparationem figuli & vasorũ eius; quatenus scilicet illos reprobat Deus, vt in iis ostendat iram suam; hos autem eligit, vt in eis ostendat suam misericordiam. Quod enim Caietanus & alij nonnulli hic annotant vasa iræ & misericordiæ dici, quod plena sint iræ vel misericordiæ diuinæ, Deo videlicet iram vel misericordiam in ea fundente, tanquam in vasa subiecta: legitur quidẽ aliquid tale etiam apud Augustinum epistola 157 ad Optatum: arbitror tamen esse præter mẽtem apostoli, cui vas in genere significat instrumentum, vt antè dixi. Idque confirmat expositio S. Thomæ, qui vasa iræ interpretatur instrumenta iusticiæ, quibus scilicet Deus vtitur ad ostendendam iram, id est iusticiam vindicatiuam: & similiter vasa misericordiæ, quibus tanquam instrumentis vtitur Deus ad suam misericordiam manifestandam. Sequitur: *apta in interitum*. Apta Græcè aptata Quod & in quibusdam legitur Latinis mss. pro quo commentator Amb. *præparata*. Cæterùm Augustinus passim legit, *quæ perfecta sunt ad perditionem*. Et quidem Græca vox κατηρτισμένα significat interdum perfecta ac suis partibus absoluta siue coagmentata, vt quidam vertit. Verùm ea significatio nõ conuenit huic loco. Sentit enim apostolus iræ vasa parata esse ad exitium, siue apparata, vt vertit Erasmus. Sed quo sensu vasa iræ dicantur aptata, id est, præparata ad interitum, quæritur; cum reprobationis diuinæ causa finalis non sit interitus & damnatio hominum, sed declaratio iusticiæ Dei in eorum damnatione, vti dictum est. Græci tractatores dicunt ea præparata esse ad interitum, non à Deo, sed à seipsis æternam perditionem sibi præparantibus per sua peccata quibus illam merẽtur. Sic etiam exponunt Aquinas & Caietanus. Verùm si phrasim hanc scripturæ expendamus, simulque attendamus ad ea quæ præcedunt & sequuntur, magis videbitur hæc aptatio seu præparatio vasorum iræ in interitum Deo attribui. Nam vasa non à seipsis aptari dicuntur, sed à figulo. Et iam dixerat apostolus ipsum figulum facere non solum quędam vasa in honorem, sed etiam alia in contumeliam. Atque idem de vasis misericordiæ statim subijcit, Deum ea præparasse in gloriam. Dicitur autem Deus vasa iræ præparasse ad interitum, non quia præparauit eis peccata, quibus interitum mererentur, sicut præparauit electis bona opera quibus gloriam consequerentur, eodem Paulo teste Ephes. 2, *Creati in operibus bonis quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus*. Hunc enim sensum hæreticum prudenter excluſit apostolus addendo *in multa patientia*. Nam si Deus ipsa peccata hominibus præpararet, non rectè diceretur erga homines peccatores vti multa patientia. Siquidem patientia tametsi metaphoricè Deo attributa, referri debet ad aliquid Deo inuolitum, quod proinde Deus ipse nec faciat nec faciendum procuret aut præparet. Sed præparasse dicitur iræ vasa ad interitum, quia illis ab æterno præparauit, id est præordinauit atque inferre constituit interitum; sicut vasa misericordiæ præparauit ad gloriam, vti mox dicetur, quia ijs ab æterno præparauit, hoc est præordinauit & dare constituit gloriam; eo tamen discrimine, quod his etiam merita gloriæ præparauit ab æterno, non item illis merita damnationis. Hunc sensum confirmat locus Matth. 25, vbi quemadmodum electis dicitur à mundi constitutione, id est ab æterno præparatum esse regnum, sic & reprobis præparatus esse dicitur ignis æternus, vtrumque scilicet præparatum à Deo. Itaque præparatio hæc in scripturis non effectum aliquem volũtatis Dei, sed ipsam æternam præordinationem significat. Cõmentator Amb.

itidem

Deus reprobos sustinet cũ patientia,

Quo sensu Deus adducat reprobos in interitum

Reprobatio non obstat, quominus reprobi conuerti possint.

Reprobi vasa iræ, & electi vasa misericordiæ, quo sensu.

Quo sensu vasa iræ aptata ad interitum

Præparatio Dei significat æternam eius præordinationem.

itidem ad Deum refert hanc præparationem, ſed eam intelligit quæ fit in tempore. Dicit enim voluntate & longanimitate Dei præparari infideles ad pœnam. *Nam*, inquit, *patientia & longanimitas Dei ipſa eſt quæ ſicut malos præparat ad interitum, ita & bonos præparat ad coronam*. Quod intellige per occaſionem. Verum contextui magis quadrat, quod prius dixi, præparationem ſignificari quæ eſt ab æterno. Porrò quamuis Deus reprobos ad interitum præparauerit ex ipſorum meritis; illud tamen ex meritis non eſt, ſed ex ſola Dei voluntate, quòd eos permittat cadere in peccata, quibus interitum mereamur: quæ quidē permiſsio primus eſt, vt ante dixi, reprobationis effectus, à quo cæteri pēdent. Quē effectum ſi cōprehendamus in eo quod apoſtolus dicit Deū, vt iram ſuam & potentiam oſtenderet, attuliſſe vaſa iræ aptata in interitū: erit & hoc intelligendū abſque meritorum reſpectu; quod volebat comparatio de luto & figulo, quæ proximè ſententiam hanc antecedit.

23 VT OSTENDERET DIVITIAS GLORIÆ SVÆ IN VASA MISERICORDIÆ, QVÆ PRÆPARAVIT IN GLORIAM. Græcè ἵνα γνωρίσῃ, *& vt notas faceret*. Copulantē voculam nonnulli etiam Latinorū addunt, vt cōmentator Amb. & Auguſtinus lib. 2 contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 7, & alibi: licet è diuerſo nōnulla quoque Græca eam non agnoſcāt. Partem hanc alij aliter ad ſuperiora referūt. Quidam enim exiſtimant, quomodo parte præcedenti aſsignata eſt ratio reprobationis in genere, ſcilicet oſtenſio iuſticiæ & potētiæ diuinæ; ita hic ſeorſim, tanquam altero totius ſententiæ membro, adferri rationem electionis, quæ eſt manifeſtatio bonitatis ac miſericordię Dei, ex eo quod prouehit ad gloriā electos. Ita ſentiunt Oecumenius, Aquinas & Caietanus. Secūdū quē intellectum hæc pars cum ſupplemento erit explicanda, vel hoc modo; Item ſi Deus ſuſtinuit cum multa patientia vaſa miſericordiæ, vt in eis oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ. vel iſto modo quem tradit Oecumeniūs; Et ſi Deus tulit, id eſt adduxit vaſa miſericordiæ ad ſalutem, vt in eis oſtenderet &c. At verò plerique ſenſum ex apoſtoli verbis obuium ſequentes, intelligunt hac parte aliam adhuc annecti rationem reprobationis in genere; nempe manifeſtationē diuinæ bonitatis erga vaſa miſericordiæ. Non enim ſatis appareret hæc Dei miſericordia, neque ſatis ab hominibus æſtimaretur, ſi eſſet omnibus cōmunis, nec vlli permitterentur in peccata cadere, pro meritis in æternum puniēdi. Horum quippe comparatione manifeſtatur, ampliuſque commendatur immenſa Dei bonitas erga electos, quēadmodum pulcrè docet Auguſtinus in ſupradicta ad Optatum epiſtola, hunc ipſum apoſtoli locum tractans. Notandum tamen, etiam ſecundum hunc ſenſum indicari hac parte, ſaltem ex conſequenti, rationem electionis iam dictam. Si enim bonitas Dei quam electis exhibet, manifeſtatur ex derelictione & punitione reproborum; quanto magis innoteſcit ex proprio opere, quod eſt electis gratiam & gloriā conferre? Quanquam illud verum, ex comparatione reproborum, tanquam iuxtapoſitione contrarij, beneficium electionis amplius illuſtrari. In vocabulo gloriæ priori loco poſito metonymia eſt, qua nominatur effectus pro cauſa. Maximè enim per opera bonitatis & miſericordiæ Deus glorificatur. Itaque ſenſus eſt: Vt notam celebremque redderet opulentam ac ſuperabundantem bonitatem ſuā quā exercet in vaſa miſericordiæ, id eſt, in electos, quibus gloriam & regnum æternum præparauit. Quædam Græca legunt εἰς δόξαν αὐτῆς *ad gloriam ſuam*, id eſt Dei. Sed veriſimile eſt αὐτῆς adiecticium eſſe. Nam opponit apoſtolus vaſis iræ aptatis ad interitum, vaſa miſericordiæ præparata ad gloriam, vtique ipſorum; ſicut illa aptata ad ipſorum interitum: tametſi vlterius ad Dei gloriam cedat horum vtrumque. Porrò tota ſententia adhuc pendet: quam quidam abſolui putant illa interrogatione quæ poſt multos verſus ſequitur, *Quid ergo dicemus?* videlicet omnia media parentheſi claudentes. Sed mihi non videtur, tum propter hyperbaton nimis longum, tum quod illa interrogatio cum ijs quæ deinde ſequuntur, parum apte reſpondeat huic initio, *Quod ſi Deus* &c. Proinde rectius eſt quod Oecumenius ſuggerit, quodque Sedulius affirmat etiam alijs placuiſſe, vt pendens hæc oratio compleatur repetitione eius quod ſupra dixerat, *O homo tu quis es qui reſpondeas Deo?* quaſi dicat: Si Deus ita voluit; nec temere, ſed ſumma ratione, tam ex parte reproborum quam electorum, ſicut iam explicatum eſt: tu quis es qui Deum arguas, aut cum eo diſputes? Alij ſupplent repetendo ex ea ſententia quæ proximè præceſsit, hæc verba: *An non habet poteſtatem*. Quod mihi certè non minus probabile eſt.

24 QVOS ET VOCAVIT NOS. Docet electis non ſolum contingere gloriam ex electione diuina, ſed & media procurari ad gloriam, cuiuſmodi eſt vocatio ad fidem & gratiā euangelij. Intelligit autem vocationem ſecundum propoſitum; quo epitheto eam ſignauit cap. præcedenti, dicens: *ijs qui ſecundum propoſitum vocati ſunt*. Addit *nos* (licet in Græcis quibuſdam deſideratum) vt in ijs ad quos ſcribit, fiduciam excitet electionis, id eſt, vt ſe reputent inter vaſa miſericordiæ. Ne autem dicēcendo *nos*, videretur de ſolis loqui Iudæis ipſe Iudæus; addit.

NON SOLVM EX IVDÆIS, SED ETIAM EX GENTIBVS. Et quidem magis ex gentibus, quam ex Iudæis, vt probant ſequentia.

25 SICVT IN OSEE DICIT. Græcè addita coniunctione *ſicut & in Oſee dicit*. Sic etiam mss. quædam Latina, & Auguſtinus in expoſitione propoſitionum.

Maximè Deus glorificatur per opera bonitatis & miſericordiæ.

Vocatio ſecundū propoſitū.

Dei bonitas erga electos manifeſtatur etiam per aliorum reprobationem.

VOCABO NON PLEBEM MEAM PLEBEM MEAM; ET NON DILECTAM DILECTAM; ET NON MISERICORDIAM CONSECVTAM, MISERICORDIAM CONSECVTAM. Multi codices mss. post Hieronymũ scribentẽ super Oseę, vbi totum hunc locũ recitat, membrum medium *& non dilectam dilectam*, omittunt; vti nec agnoscunt in suis commentarijs Haimo & Heruæus. At Græca exemplaria cum eiusdem linguæ commentatoribus omnibus, legunt illud quidem, sed tollunt postremum, *& non misericordiam consecutam* &c. Atque his etiam accedunt commentator Amb. & Augustinus hunc locum citans sub finem libri 1. ad Simplicianum, & cõtra Faustum lib. 22. cap. 89. Sciendum autem istam allegati testimonij partem apud ipsum prophetam legi his verbis in fine cap. 2. iuxta B. Hieronymi versionem: *Et miserebor eius quæ fuit absque misericordia: & dicam non populo meo, populus meus es tu.* Cui lectioni etiam LXX consonant tam in exemplaribus quæ hodie exstant, quam in ijs quę olim: nisi quod nupera Romana editio lectionem exhibet alteram, dumtaxat cap. 2. sed cum annotatione quod in cæteris libris legatur, καὶ ἐλεήσω τὴν οὐκ ἐλεημένην, id est, *& miserebor eius quæ non fuerat misericordiam consecuta.* Quamuis enim vt testatur Hieronymus in Osee commentario, quædam exemplaria LXX interpretum legant, *non dilecta*; veriora tamen censet in quibus legitur *non misericordiam consecuta*: maxime quod ea respõdeat Græco verbo ἐλεεῖν *misereri*, per quod ex eadem translatione in cap. 1. nomen illud *absque misericordia*, exponitur. Illud satis cõstare existimo, Paulum non vtrũque scripsisse, sed alterum tantùm; ac sanè probabilius ἠγαπημένην *dilectam*, propter consensum Græcorum codicum. Fortassis enim alludere voluit ad illud superius, *Iacob dilexi*, ἠγάπησα; tametsi Petrus ad eundem Osee locum respiciens 1. epistolæ 2. scripsit οἱ οὐκ ἠλεημένοι *qui non consecuti misericordiam*, videlicet secutus versionem LXX. Quanquã non admodum refert, vtrum ex duobus scripserit Paulus, cum vtroque vocabulo res eadẽ significetur. Nã & vox Hebræa רחם richã, quę est apud prophetã, & quam solã Syriaca huius loci habet editio, significat vtrumq;, & diligere & misereri. Iã quod ad sensum attinet: quia dixerat apostolus Deũ non ex Iudęis solũ, sed etiam ex gentibus vocasse electos; vt hoc posterius probet, adducit memoratum prophetæ testimoniũ. Nam populus decẽ tribuũ qui peculiari nomine dicebatur Israël, de quo secundũ literã propheta loquitur, quoniã ad cultum vitulorũ deflexerat, typũ prætulit gentilis & idololatrici populi; magisque eum postea repræsentauit sua per gentes dispersione: sicut è diuerso populus duarum tribuum qui vocabatur Iuda, quia permansit in vero cultu Dei, typum gessit populi Iudaici, vt à gentilitate distinctus fuit: quam mysticam vtriusque populi, scilicet Israël & Iuda significationem attingit etiam Augustinus hunc prophetæ locum tractans lib. 18 de ciuitate Dei cap. 28. Porro dicitur Deus vocare quipiã non inani nomine, sed rei præstatione, dũ id facit esse quod nominat: quomodo frequenter in prophetis vocare & nominare sumuntur. Itaq; sensus est: Eos qui non erant populus meus, cultu & religione faciam populum meum; & qui non erant à me dilecti, id est, gratiæ donis affecti, faciam dilectos: ita vt vero nomine populus meus, meiq; dilecti vocari possint. Notandum quippe est illud *non dilectam dilectam*, non esse adiectiuũ substantiui *plebem*, cum in Græco hoc sit masculinum, λαὸν *populum*: Sed fœminino genere dixit apostolus, *non dilectam dilectam*, prophetam imitatus, qui nomen illud *Absque misericordia*, seu *Non dilectam*, postea commutandum in oppositam affirmationem, iussus fuerat filiæ sibi natæ imponere; in qua populi prius non dilecti, postea verò diligendi figura exsisteret. Errãdi occasionem sustulisset interpres, si vertisset *Non populum meum populum meum*; præsertim cum vox Græca λαὸς, quæ etiam apud LXX legitur, populum significet potius quàm plebem. Rursus ex sensu dato atq; ex ipsis testimonij verbis liquet, *dilectam* dici hoc loco, non à beneuolentia Dei æterna quæ immutabilis est, sed à beneficẽtia temporali, quæ dilectionis æternæ effectus est. Tunc igitur ex non dilecta cepit dilecta fieri gentilitas, quando gratiæ suæ beneficijs cepit eam Deus præuenire.

Quomodo Deus vocare quipiã dicatur.

In populo decem tribuũ typus gẽtilitũ: in duabus tribubus typus Iudæorum.

26 ET ERIT, IN LOCO VBI DICTVM EST EIS, NON PLEBS MEA VOS; IBI VOCABVNTVR FILII DEI VIVI. Hæc testimonij pars sumpta est ex eiusdem prophetæ cap. 1. & iuxta typicam significationem, de qua paulo antè, sensum hunc habet: *Et erit*, id est hoc quod dicã, aliquando futurũ est. *In ipso loco* vt in Græcia, Italia, Gallia, & vbicũq; morati fuerint dudũ à vero Dei cultu alieni, sic vt vocari possent *Non populus meus*; in eodẽ inquã loco & absq; eo quod locũ mutent, verũ Dei cultum suscipiẽt, ac per hoc erũt & vocabũtur filij Dei viui, seu viuentis, Græcè ζῶντος, id est Dei veri, cuius esse viuere est. Vrget apostolus hoc testimoniũ de loco, ne forte dicat Iudæus gẽtiles quidẽ aliquos ad verũ Dei cultũ trãsituros esse; sed proselytorũ more, qui Iudaismo suscepto vel in Iudęã migrabãt, vel statis temporibus, secundũ legem è suis locis assẽdebant ad tẽplum quod erat Ierosolymis. Hoc igitur apostolus docet, quod Christus Ioan. 4. dicẽs ad Samaritanã mulierẽ: *Veniet hora quãdo neq; in mõte hoc, neq; in Ierosolymis adorabitis patrem.*

27 ISAIAS AVTEM CLAMAT PRO ISRAEL. Græcè ὑπὲρ τοῦ ἰσραὴλ; quod significat, *super Israel*. Et ita vertit Erasmus, tanquam idem quod *de Israel*. Constat tamen Græcam præpositionem genitiuo iunctam frequentissimè *pro* significare, vt capite superiori: *Spiritus postulat pro nobis. Si Deus pro nobis* &c. & hoc capite, *pro fratribus meis*, & alibi pas-

Significatio præpositionis ὑπὲρ.

sim

sim. Quod secutus interpres noster hoc loco vertit *pro Israel.* Quanquam etiam interdum sumitur, vt idem significet quod περὶ, *de*; velut huius epistolæ cap. 1. *Gratias ago Deo meo super*, id est, *de omnibus vobis.* & similiter Eph. 1. & Philip. 1. Vnde eius loco, in simili sermone, alibi ponit περὶ, vt 1 Cor. 1, Col. 1. & in vtraque ad Thessal. cap. 1. Verum vtra significatio conueniat huic loco & quis clamor hic significetur, doloris an gratulationis; statim videbitur.

SI FVERIT NVMERVS FILIORVM ISRAEL, TANQVAM ARENA MARIS; RELIQVIÆ SALVÆ FIENT. Testimonium hoc sumptum ex Isaiæ cap. 10, tametsi non plane ad verbum, ne quidem iuxta versionẽ LXX. Simul enim respexit apostolus ad locum Oseæ 1, vbi dicitur, *numerus filiorum Israel*, pro eo quod apud Isaiam est, *populus tuus Israel.* Est enim sermo prophetę ad regẽ Ezechiam; aut, iuxta alios, ad ipsum Israel. Dubium est autem, vtrum apostolus adducens hoc testimonium cum 28
sequentibus, intendat probare vocationem Iudæorum, sicut superiùs ex Oseę probauit vocationem gentium; an verò spectet potius ad Iudæorum abiectionem. Pro priori sentẽtia facit quod suprà de vocatis loquens dixerat vtrumque, *ex Iudæis & ex gentibus.* Quare & de vtroque subijciẽda videbatur probatio. Deinde, quod iuxta nostram versionem dicit, *pro Israel*, quod vtique non ad abiectionem pertinet, sed potius ad vocationem. At verò posteriorem sententiam probabiliorẽ ostendit conclusio Pauli, quam subijcit post inducta prophetica testimonia. Concludit enim gentes apprehẽdisse iusticiam; Iudæos autem non apprehendisse, sed impegisse in lapidem offensionis. Quę cõclusio manifestè pertinet ad abiectionem Iudæorũ. Quare etsi prophetæ locus vtrũque doceat, & reprobationem multitudinis & vocationem paucorũ ex eodẽ populo; præcipuus tamen apostoli scopus est, ex prophetæ verbis ostendere multitudinis, id est ipsius populi, reprobationẽ: vt sic etiam ex indirecto confirmet quod de vocatione gentium dixerat. Si enim abijciendus est populus Iudaicus, ita vt pauci tantum ex ijs saluentur; consequens est magnificas illas promissiones benedictionis & salutis patribus illorum factas, in alijs, hoc est, in gentili populo implendas esse. Vnde & consequitur in parte præcedenti potius vertendum fuisse *de Israel* quam *pro Israel.* Sic enim & Græcos expositores, Origenẽ, Chrysostomũ ac cæteros intellexisse eam partem, satis apparet ex eorũ cõmentarijs: licet interpretes eorum nõnulli inconsideratè verterint, *pro Israel.* Consequitur etiam clamorem intelligi non gratulãtis, sed dolentis: quomodo frequenter accipitur apud prophetas. Igitur *clamat Isaias*, id est magno doloris affectu loquitur. Nec verò opus erat Paulo, vt id quod dixerat *ex Iudæis*, confirmaret alicuius prophetę testimonio; quandoquidem res erat manifesta. Nam & apostoli & cæteri primi fideles ex Iudæis erant; nec Iudæorum vocationi gentes vnquam contradixerunt. Sed de gentium vocatione Iudæi quæstionem mouebant, vt in Actis apostolorum videre est; quam proinde probari ex prophetis, operæpreciũ erat. Sicut & Iacobus apostolus fecisse legitur Act. 15. Sensus igitur prophetiæ est: Etsi populus secundum carnem ex Israel genitus, iuxta promissionem Abrahæ factam vsque adeo multiplicetur, vt comparari posse videatur cum arena quæ est in littore maris; solæ tamen ex eo reliquiæ, id est pauciſſimi salui erunt. Ex quo intelligendum relinquit apostolus ipsam multitudinẽ populi perituram esse; quemadmodum dicit infra cap. 11. *Cæteri vero excæcati sunt.* Si cui magis placet versio, *pro Israel*; poterit hunc sensum facere: Isaias hoc solum clamat pro Israel, reliquias eius populi saluas fore: cæteroqui denunciat multitudinem perituram. Prosequitur apostolus.

VERBVM ENIM CONSVMMANS ET ABBREVIANS IN ÆQVITATE. *Verbũ*, accusatiui casus, Græcè λόγον. Vitabis ambiguitatẽ si *sermonem* legas: nonnulli *rationem* malunt. Nam & rationem λόγος significat. Sed sanè huic loco non cõuenit, multo minus originali scripturę, ex qua desumptum est hoc testimoniũ. *Consummãs*, Græcè συντελῶν; pro quo Erasmus *perficiens*. Sed, vt ex sensu patebit, melius noster vertit, *consummãs*. Quod sequitur, & *abbreuiãs in æquitate*, Græcè est, *& concidens in iusticia.*

QVIA VERBVM BREVIATVM FACIET DOMINVS SVPER TERRAM. *Breuiatũ*, Græcè *cõcisum.* Citantur hæc à Paulo secũdum editionem LXX, nisi quod apud eos pro ἐπὶ τῆς γῆς *super terram*, legitur ἐν τῇ οἰκουμένῃ ὅλῃ, id est *in toto orbe terrarum.* Cæterũ exponẽda hęc sunt ex Hebręo, vbi sic legimus Hieronymo interpretę: *Consummatio abbreuiata inundabit iusticiam. Consummationem enim & abbreuiationem* (Hebraicè *abbreuiatam*) *Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Cum igitur in Hebræo nulla fiat verbi mentio; non est hic vocabulũ illud peculiariter expendendũ, vt vel de verbo Dei incarnato, vel de verbo legis Mosaicæ, vel de verbo prædicationis euãgelicæ, intelligatur: quibus diuersis modis diuersi *verbum* hoc loco interpretati sunt, de quibus cõsule Toleti cõmentariũ: sed referendũ videtur ad verba prophetæ præcedẽtia, quibus dixerat, ex toto populo reliquias saluas fore; vt hic sit sẽsus. Deus erit cõsummãs & abbreuiãs verbũ in iusticia, vel cum iusticia; id est, Deus quod locutus est faciet, redigẽs Israelẽ quẽ saluaturus sit, ad breuẽ, accisũ & exiguũ numerũ, ita vt penè cõsumatur. Sed tamẽ paucos illos faciẽt iusticiæ donis affluentes, secundum illud eiusdem prophetæ cap. 4, *Omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem; sanctus vocabitur.* Quod impletum fuisse constat in apostolis ac cęteris primitiuæ ecclesiæ fidelibus, quos apostolica scriptura passim sanctos appellat. Quidam sic; *in æquitate*,

Scopus apostoli probare Iudæorũ reprobationem.

Clamor hoc loco non gratulationis sed doloris

Verbum quid hoc loco.

id est in negocio consequendæ iusticiæ, erunt pauciſſimi. Rurſus alij; *in iuſticia*, id eſt iuſtè ſeu iuſto iudicio id facturus eſt Deus. Nam, vt iam antè diximus, non hic intendit apoſtolus probare vocationem aliquorum ad iuſticiam & ſalutem; ſed Iudaici populi reprobationem, ſaluis duntaxat reliquijs. Quocirca conſummationem quoque non perfectionẽ, ſed conſumptionem, cum Vatablo, Forerio & alijs, expoſui: quippe cum agatur de populi interitu. Cum enim res duobus modis cõſummetur, vel dum perficitur, vel dum finitur atque eſſe deſinit: vtriuſque acceptionis horum vocabulorum *conſummare* & *conſummatio*, ſatis obuia ſunt exempla in ſacris literis, vt ea huc adducere non ſit neceſſe. Porrò quod nonnulli verbũ pro re poſitum interpretãtur hoc ſenſu: Deus conſummabit & abbreuiabit verbum, id eſt conſummationem & abbreuiationem faciet, idcirco minus placet quod verbũ pro re Græcè dici ſoleat ῥῆμα nõ λόγ&. Quod facilè in libris Græcis vtriuſque teſtamenti, ſtudioſus lector obſeruabit. Iam verò poſterioris membri: *quia verbum breuiatũ* &c. eadem cum priore ſententia eſt; niſi quod additur Deum id facturum *ſuper terram*, vel in terra, ſcilicet Iſraelitica, in qua erat populus tam numeroſus: vel iuxta LXX *in vniuerſa terra*, quia per totum orbem Iudæi erant diſperſi. Nec aliud vult quod in Hebræo eſt, *in medio totius terræ*. Nam idem hoc eſt ac ſi dicas, in tota terra, videlicet iuxta phraſim ſacrę linguæ peculiarem: de qua vide Hieronymum lib. 5 in Iſaiam cap. 13.

Conſummationis duplex ſignificatio

29 ET SICVT PRÆDIXIT ISAIAS. Eodem pertinet hoc teſtimonium quo ſuperiora. *Prædixit*, Græcè προείρηκεν, quod Eraſmus vertere maluit, *prius dixit*, vt intelligatur eundem prophetam hæc verba dixiſſe ante illa ſuperiùs citata. Habetur enim hæc ſcriptura cap. 1. Et quidem eo modo Græcum verbum accipitur Gal. 1, *Sicut prædiximus*, id eſt antè diximus, & *nunc iterum dico*. Sed nihil vetat prædictionem intelligi conſueto more ſcripturę, nempe propheticã, qua res dicitur antequam fiat. Neq; enim videtur Paulus curaſſe, priúſne an poſterius hæc quam illa ſcripſerit Iſaias.

NISI DOMINVS SABAOTH RELIQVISSET NOBIS SEMEN, SICVT SODOMA FACTI ESSEMVS, ET SICVT GOMORRHA SIMILES FVISSEMVS. Hebręam vocem *ſabaoth* retinuit apoſtolus ex LXX, qui eam paſſim non tranſlatam reliquerunt, vbi Deo aſſcribitur hoc epithetum: aliâs, vt in pſalmis, verterunt, τῶν δυνάμεων, id eſt *virtutum*. Senſus eſt: Et fiet ſicut idem Iſaias prophetauit, dicens: Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis, id eſt populo Iudaico, ſaltem exiguũ ſemẽ, in quo velut reliquijs, promiſſę benedictiones implerentur; penitus eſſemus conſumpti & perditi, ſicut Sodomæi & Gomorrhæi, quorum nullę prorſus exſtãt reliquiæ; nec vlla ex parte illarũ benedictionum fuiſſemus participes. Hinc quoque apparet, per conſummationem ſuperiùs intelligi conſumptionẽ. Cur autẽ Deus vocetur Dominus exercituũ (vt de ea re breuiter aliquid dicamus) hæc ratio eſt: quia infinitã habet angelorũ multitudinẽ ſub imperio ſuo quaſi militãtem, & ad omnia quæ iuſſerit expeditam. Quo pertinẽt duodecim legiones angelorum Chriſto ſi vellet, exhibendi à patre cõtra vim Iudæorũ. Generali nomine horũ exercituum nõnulli etiam malos angelos comprehendunt. Nã & illi Deo ſeruiũt ad ipſius nutum, nolentes volentes. Huc autẽ allegant quod propheta Michæas 3 Reg. 22 vidit *Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris*. Namque eam partem exercitus quę aſſiſtebat ei à ſiniſtris, putant fuiſſe malorum ſpirituũ: quorum vnus Domino interrogãte, *Quis decipiet Achab? egreſſus ſtetit coram Domino, & ait, ego decipiam illum*. Mihi ſanè non probatur ad eũ exercitum, ſiue exercitus, (nã vtroq; numero legitur) quorum Deus ſe Deũ ac Dominum vocat, accenſeri ſpiritus nequã. *Quæ enim ſocietas luci ad tenebras?* 2 Cor. 6. Aut quomodo conflabitur vnus exercitus Dei ex angelis bonis & malis; quorum contrarij ſunt fines & ſtudia? Quod ſi angeli mali cõſtituũt vnum Dei exercitum cum bonis; qui ſunt igitur hoſtes, ad quos debellandos exercitus ille producitur? Seruiunt quidem etiam mali angeli Deo, cui dictum eſt; *Omnia ſeruiunt tibi*, pſal. 118. non tamen vt militiæ eius aſſcripti, ſed vt ſerui mali, reprobi ac damnati, quibus etiam inuitis vtitur omnipotentia Dei ad ſuam gloriam & electorum ſalutem. Nam illa quæ verè dicitur militia cæleſtis exercitus, tota ſine fine hymnum glorię Deo concinit dicens: *ſanctus, ſanctus, ſanctus*, vt teſtantur verba ſacerdotis ad altare Dei. Dicitur autem exercitus cæleſtis aſſiſtere Deo à dextris & à ſiniſtris, tanquam hinc inde regi propinquus, & ad imperia promptus, vt ſolent milites ſuis ducibus aſſiſtere. Ab his enim ſumpta metaphora eſt. Neque ex illo erat exercitu ſpiritus ille mendax, qui operam offerebat ad decipiendum Achab; ſed *egreſſus* de loco ſuo, quicumque is fuerit, Domino obtulit ſeſe ad opera ſibi placita, mendacium & hominis nocumentum: quomodo Satan ille ſancti Iob tentator, filijs Dei coram Domino aſſiſtentibus, adfuiſſe inter eos dicitur, & ſtetiſſe in conſpectu Dei, nequaquam tamen velut vnus illorum. Iob 1 & 2. Sed de eo ſatis. Porrò non obſtat expoſitioni vtriuſque teſtimonij ex Iſaia allati, quam ex mente Pauli iam dedimus; quod fortè ſecundũ literam vterq; locus pertineat ad reliquias Iſraelitici populi ex captiuitate cõgregandas: de quo nõ cõtendimus. Nã illa litera adhuc alium ſenſum cõtinet, allegoricum & ſublimiorem, eundemq; à Spiritu ſancto principaliùs intentum.

Deus cur vocetur Dominus Sabaoth, id eſt exercituum.

An nomine exercituũ Dei, mali angeli comprehendantur.

30 QVID ERGO DICEMVS? Cõcludit ex dictis. Cum, inquit, talia prædixerint prophetæ de gentium vocatione & Iudæorum abiectione; quid dicemus? Nempe hoc quod ſequitur.

QVOD

QVOD GENTES QVÆ NON SECTABANTVR IVSTICIAM, APPREHENDERVNT IVSTICIAM. Hoc eſt: quod gentes quæ erant ſine cultu & lege vnius Dei, ideoque nec iuſticiæ qua quis Deo placeat, aſſequendæ ſtudebant, & vt Syrus loquitur, *non currebant poſt iuſticiam*; aſſecutæ ſunt iuſticiam, peruenerũt ad iuſticiam, iuſtificatæ ſunt.

Gentes ex fide iuſticiã apprehẽderunt.

IVSTICIAM AVTEM QVÆ EX FIDE EST. Id eſt: eam (dico) iuſticiam apprehenderunt quæ ex fide eſt, non quæ ex operibus. Simul indicat eos ipſa fide iuſticiam apprehendiſſe. Nam quaſi quæreretur: Quomodo iuſticiam apprehenderunt, quam non ſectabantur? Reſpondet, *ex fide*: non ſolum quia ex fide iuſticia eſt, ſed etiam quia fide apprehenditur: eo nimirum ſenſu quem expoſuimus ad illud capitis 3. *Arbitramur iuſtificari hominem per fidem*. Eſt autem hæc notatio veræ iuſticiæ, *quæ ex fide eſt*. Nam in ſuperioribus cap. 1, 3 & 4 ſatis docuit non ex operibus ſed ex fide iuſticiam haberi. Vbi etiam patuit, eam præcipuè fidem intelligi qua creditur in Chriſtum propiciatorem, cuius ex meritis tota iuſticia à Deo exſpectanda ſit.

Notatio veræ iuſticiæ, ex fide eſſe.

31 ISRAEL VERO SECTANDO LEGEM IVSTICIÆ, IN LEGEM IVSTICIÆ NON PERVENIT. *Sectando* Græcè & Syriacè *ſectans*, quod etiam in Latinis mss. non paucis legitur. *Peruenit*, Græcè ἔφθασε *præuenit*, quẽadmodũ id vertit noſter interpres 1 Theſſ. 2 iuxta codices emẽdatiores. Quanquam & *peruenit* non malè transferas: vt fecit Eraſmus. Neque enim plus quam peruẽiendi ſignificationem vrgere videntur Græcorum commentarij in ea voce, hoc quidẽ loco: tametſi Caietanus diligenter ponderat præuentionem. Senſus: At contra Iſraël, id eſt populus Iudaicus, qui accepta Dei noticia, legẽ ſibi ab eo datã, qua vera iuſticia præcipitur, ſectabatur, eique ſtudebat implendæ; non peruenit ad eam iuſticiæ legem implendam, vel, non præuenit gentes in implẽda lege iuſticiæ. Quod tamẽ oportuit, quia legem iam olim à Deo acceperat. Obſerua Paulum, cũ de gentibus loquitur, nominare iuſticiam, cum de Iudæis, legem iuſticiæ; quia Iudæis lex data erat, non gentibus. Poterat alioqui ſimpliciter, & ſeruata ad verbum antitheſi cũ mẽbro præcedẽti, dicere, Iudæos qui ſectabãtur iuſticiã, non apprehẽdiſſe iuſticiã. Interim, vide lector, an non ſit hypallage, *in legem iuſticiæ*, hoc eſt in iuſticiam legis, *non peruenit*. ac ſi diceret: Iſraël dũ ſectatur legem iuſticiæ magiſtrã, non tamẽ aſſecutus eſt iuſticiam quã lex docet. Huius autẽ ratio ſequitur.

32 QVARE? QVIA NON EX FIDE, SED QVASI EX OPERIBVS. In Græcis additur νόμου, *legis*; etſi non in omnibus. Senſus eſt: ideo non perueniſſe Iudæos in legem iuſticię, quia non ex fide Chriſti legem iuſticiæ ſectabantur, id eſt legi implẽdæ ſtudebant: ſed ad eam nitebantur per opera; ſcilicet, non ex fide profecta, ſed ex ſola legis cognitione. Ratio magis erit perſpicua, ſi legem iuſticiæ interpreteris iuſticiam legis, ſenſu paulo ante indicato. Dicit autem *quaſi*, vel quoniam eiuſmodi opera videntur ad iuſticiam valere, quum reuera non valeant; vel quia iuſticia ex eiuſmodi operibus comparata, 3 videtur eſſe vera iuſticia, & non eſt. Scito non hic reddi rationem cur reprobati fuerint Iudæi, ſed cur non iuſticiam aſſecuti.

Iudei legis ſectatores quare iuſticiã non aſſecuti.

OFFENDERVNT ENIM IN LAPIDEM OFFENSIONIS. Cauſam ſubijcit eius quod dixit *non ex fide*: quia ſcilicet Chriſtum in quem crederent, vt credendo iuſtificarentur, propter eius humilitatem & carnis infirmitatem non agnouerunt nec receperunt: imò grauiter in eum, velut lapidem humi iacentem, offenderunt, malè & indignè eum tractantes. Metaphora ſumpta ab ijs qui per viam incedentes, in lapides quos non vident, pedibus impingunt. Lapis offenſionis ſiue offendiculi, pro lapide in quẽ offenditur, Hebraiſmus eſt. Huc pertinet quod prædictum erat à Simeone, Chriſtum poſitum eſſe *in ruinã multorum in Iſrael*, Luc. 2. & quod ipſe Chriſtus dixerat, *Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me*, Matt. 11. Verum apoſtolus more ſuo rem confirmat teſtimonio ſcripturæ propheticę.

Iudæi offenderũt in lapidẽ Chriſtum

33 SICVT SCRIPTVM EST: ECCE PONO IN SION LAPIDEM OFFENSIONIS ET PETRAM SCANDALI. Id eſt *offendiculi*. Nam σκάνδαλον offendiculum ſignificat. Teſtimonium conflatum ex duobus locis Iſaiæ prophetæ. Nam prior pars, *Ecce pono in Sion lapidem*, habetur in cap. 28. iſtud verò *lapidem offenſionis & petram ſcãdali*, legitur cap. 8. Quæritur quid differãt lapis offenſionis & petra ſcãdali. Toletus ita diſtinguit, vt lapis offenſionis dicatur paruus quiſpiam lapis, in quem offendunt & impingunt qui per viam ambulãt: petra ſcãdali, ſaxum magnum ſuper hominem cadẽs. Nam vt Græca vox πέτρα nõ quemuis lapidem, ſed rupem ſignificat, ſic & Hebræa צור tſur, paſſim pro rupe vel ſaxo maiore accipitur. Itaque ſentit Chriſtum dici lapidẽ offenſionis, quia in humilitate veniens non fuit à Iudæis agnitus, ſed repulſus; petrã verò ſcandali, quia poſt reſurrectionem & aſſcẽſionem in cælũ, petra factus, cecidit ſuper eos & oppreſſit atq; contriuit, per Romanos adimẽs illis locũ & gentem: idque ſignificatum videri illis verbis Saluatoris, Mat. 21 & Luc. 20, *Super quem ceciderit* lapis iſte, *conteret eum*. Igitur petram ſcandali interpretatur petram caſus ſeu ruinæ, ſed actiua ſignificatione, id eſt petram cadentem ſeu ruentem. Hanc diſtinctionem, quam alibi non legi, Io. Lorinus in commentario ſuper 1 Pet. 2 non probat, vti nec ego probare poſſum: primum quia coacta & inſolita eſt interpretatio, petra ſcandali ſiue offenſionis (vt omnes ex Hebræo vertunt) id eſt petra ruens aut cadens. Nam vbi petra cadens opprimit hominem; ridiculè dixeris petrã in hominem offendiſſe. Neque Simeon Luc. 2 de Chriſto dicẽs: *Ecce poſitus eſt hic in ruinã*, ſignificare voluit impactionẽ aut ruinã Chriſti in quoſdã,

Lapis offenſionis & petra ſcandali, an differant.

ſed ruinam quorundam impingentium in Chriſtum, vt lapidem. Quod vero dominus in euangelio dicit: *Super quem vero ceciderit* &c. non explicat cur dicatur petra ſcandali; ſed potius docet, quàm ille qui fuerat quibuſdam petra ſcandali, non ſit eis contemnendus; vt qui tandem eos, poſteaquam in prægrandem pettam excreuerit, oppreſſurus ſit, ac penitus contriturus. Quanquam apud euangeliſtas, vbi id narratur Chriſtum dixiſſe, non πέτρα, ſed tantum λίθ& id eſt *lapis* legitur. Denique Petrus apoſtolus, cum poſt illa verba de Chriſto dicta *lapis offenſionis & petra ſcandali*, ſubiungit *his qui offendunt verbo*; ſatis apertè ſignificat vna eademque ratione Chriſto vtrumq; tribui; quia videlicet offendentes in verbum euangelij, offenderunt in Chriſtũ quẽ euangeliũ annunciabat. Nec his obſtat ſignificatio vocis Hebraicæ pro qua petram legimus: Magis enim connotat duriciam ac firmitatem, quam magnitudinem. Vnde pro ea nunc ſaxum, nunc ſilicem vertunt. Nec de grandi lapide intelligi poteſt illud Exod. 4. *Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præpucium filij ſui.* Sed & hoc conſtat, vocabula vicinæ ſignificationis, vbi verborum copia quæritur, maxime apud Hebræos, vſurpari pro eodem ſignificato. Quare, quæ omnium fere ſententia eſt, in verbis prophetæ dicimus eſſe eiuſdem rei inculcationem, prophetis familiarem: vt quemadmodum Græca πρόσκομμα & σκάνδαλον, & quæ ex Hebræo vocabula reſpondent, accipiuntur velut ſynonyma; ſic etiam lapis & petra. Senſum igitur dicamus allegati a Paulo teſtimonij *Ecce*, inquit Deus, *ego ponam in Sion*, id eſt in Iudæa, vel in eccleſia, cuius initium ex Sion, hoc eſt ex Ieruſalem metropoli Iudeæ; ponam inquam, *lapidem probatum, angularem, precioſum:* & eundem *lapidem offendiculi*: hoc eſt, Chriſtum ex Iudæis naſciturum, atque inter eos conuerſaturum; in quem ipſi, qui ſibi rectè & inoffenſè videbantur ambulare, tanquam ex lege iuſti, grauiter impacturi ſint & caſuri; non ſine vulnere, videlicet percuſſi ac læſi à lapide in quem impegerint. Dico percuſſi ac læſi; ad exprimendam vim Hebraicæ dictionis priori loco poſitę נגף negeph: quam Pagninus percuſſionem, alij alliſionem vertunt. Senſum quem dedi, confirmat locus Petri 1 epiſtolæ 2, vbi verba prophetæ plenius recitat.

Eiuſdem rei inculcatio prophetis familiaris.

ET OMNIS QVI CREDIT IN EVM, NON CONFVNDETVR. *In eum* Græcè ἐπ' αὐτῷ *in eo*. Et *confundetur* dixit interpres pro *pudefiet*. Hoc rurſum ex eodem 28 capite deſumptum eſt, idque iuxta verſionem LXX; qui, quod in Hebræo eſt *non feſtinabit*, id eſt *non feſtinet*, quomodo Hieronymus vertit tranſtulerunt; οὐ μὴ καταισχυνθῇ, *nequaquam pudefiet*; quemadmodum citat & Petrus: tametſi Paulus hic & ſequenti capite ſcribit ſimplici negatione, οὐ καταισχυνθήσετ, *non pudefiet*. Addidit autem de ſuo ſignum vniuerſale, *omnis*; ne quis dubitaret tam ad gentiles quam ad Iudæos ſententiam eſſe extendendam; ſicut eam ipſe ſtudioſè extendit capite ſequenti. Igitur hic ſenſus eſt: Et omnis, ſiue Iudæus, ſiue gentilis, qui crediderit in illum lapidem, id eſt Chriſtum; videlicet per ipſum à Deo iuſticiam & ſalutem exſpectans; *haudquaquam pudefiet*, hoc eſt exſpectatione ſua non fruſtrabitur: quia ſicut credidit, omnino futurum eſt ei. Vel iuxta textum Hebraicum, *Non feſtinet*, id eſt non ſit impatiens moræ, ſicut illi qui dicebant, *Vbi eſt verbum Domini? veniat*. Ierem. 17. &, *Vbi eſt promiſſio & aduentus eius?* 2 Pet. 3. ſed patienter exſpectet, certiſſimus ita futurum vt credit, etiamſi res in tempus valde longum differatur. Sic Abacuc 2. *Si moram fecerit, exſpecta eum: quia veniens veniet.* Itaque per metalepſin, quod in Hebræo eſt *ne feſtinet*, LXX verterunt *non pudefiet*. Nam ideo feſtinant homines ad rem promiſſam, quia metuunt ne per moram ab ea excludantur atque fruſtrentur. Fruſtratos autem pudor conſequi ſolet. Patet igitur vtramque lectionem in eundem ſenſum conuenire. Sunt qui putent LXX diuerſum verbum legiſſe ab eo quod nunc habetur in Hebræo: id quod Toletus cenſet non eſſe improbabile; cum & aliàs interdum id eis acciderit. Porro loquuntur apoſtolus & propheta de fide coniuncta cum ſpe & fiducia. Quod ſatis inſinuat illud ἐπ' αὐτῷ, *in eo*, vel *ſuper eo*, quod magis ad ſpem ſolet accommodari. Deinde intellige credẽtem obedienter, ſicut declaratũ eſt cap. 1 & 3, & adhuc in ſequentibus declarabitur. Poſtremo quæres quid hæc prophetę ſententia ad Iudæos reprobatos, qui non erant crediturí? De his enim prius loquebatur. Reſpondeo, ſubijci teſtimonium hoc ab apoſtolo ad piorum conſolationem ſimul & exhortationem: ac ſi diceret: Veruntamen *omnis qui credit* &c. Certiſſima enim conſequentia eſt: ſi piè & perſeueranter credis, te non eſſe de numero reproborum.

Confundi pro pudeſcere frequens apud Vulgatũ interpretem

Quæ fides hic intelligatur.

SVMMARIVM.

IVDÆI *ſuam quæ ex lege eſt, iuſticiam ſtatuere volentes, Dei iuſticiam quæ ex fide eſt, & omnibus tam Iudæis quam gentibus propoſita, non ſunt aſſecuti. Fides ex auditu eſt, cuius in omnem terram prædicatio peruenit: Quam repellentibus Iudæis gentes receperunt.*

CAPVT DECIMVM.

1 FRATRES, VOLVNTAS QVIDEM CORDIS MEI ET OBSECRATIO AD DEVM, FIT PRO ILLIS IN SALVTEM. Sicut initio capitis ſuperioris, vbi de reprobatione Iudæorum verba facturus erat apoſtolus, præfatione vſus eſt, qua ſuſpicionem animi male affecti in gentem ſuam, à ſe remoueret;

moueret; ita nunc quoque poſtquam de eorum reprobatione quæ dicenda fuerant, expoſuit, & ſcripturæ ſacræ teſtimonijs confirmauit; ſubijcit ac renouat ſuæ erga eos beneuolentiæ declarationem, affirmans ſe illis ex animo bene cupere, vt pro quorum ſalute Deum inſtanter oret. *Voluntas*, Græcè εὐδοκία, Auguſtino *bona voluntas*: quomodo vocem hanc etiam vulgatus interpres tranſtulit Lucæ 2 & alibi ſæpe. Eraſmus hoc loco *propenſam voluntatem* vertit. Nos vno vocabulo *beneuolentiam* dicere poſſumus. *Obſecratio*, δέησις, id eſt *deprecatio*. *Ad Deum ſit* Græcè ἡ πρὸς τὸν θεὸν, *quæ ad Deum*, ſubaudi *eſt* aut *fit*. Quod ſequitur *pro illis*, Græcè eſt ὑπὲρ τοῦ ἰσραὴλ, *pro Iſrael* vel *ſuper Iſrael*, id eſt cauſa Iſraelis. Quãquã in nõnullis codicibus legitur, ὑπὲρ αὐτῶν, *pro illis*. Tum ſequitur, *eſt in ſalutem*. Itaque particula *pro Iſrael*, vel *pro illis*, tam parti præcedenti quam ſequenti connecti poteſt; tametſi melius præcedenti; vt ſenſus ſit: Propenſa animi mei voluntas & affectio, quam in me ſentio erga gentem meam, & deprecatio qua Deum aſſidue pro illis oro ſpectant ad eorum ſalutem: Quod certum eſt argumentum me eis quam optimè velle. Quæres, quomodo pro illis orare ſe dicat, quos ſciebat à Deo reprobatos. Reſpondeo: orabat non vt omnes ſalui fierent, ſed vt aliqui ex illis, ſcilicet ij quos Deus præordinauerat per orationes ſanctorum eſſe ſaluãdos. Neque enim omnes Iudæi reprobi erant. Ita capite ſequente: *Si quo modo*, inquit, *ad æmulationem prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis.*

Εὐδοκία quid ſignificet.

Paulus quomodo pro Iudæis oret, ſciẽs eſſe reprobatos.

2 TESTIMONIVM ENIM PERHIBEO ILLIS, QVOD ÆMVLATIONEM DEI HABENT, SED NON SECVNDVM SCIENTIAM. Cum dixit *in ſalutem*; ſignificauit eos à ſalute aberrare, quantumuis zelum Dei habeant. Id hac parte nunc probat. *Æmulationem*, Græcè ζῆλον, quo ſignificatur ſtudium vehemens ad rem aliquam. Senſus eſt; Teſtimonium illis perhibeo, planè affirmo, quod magno zelo ac ſtudio ferantur erga Deum & legem eius, voluntatem habentes Deo ſeruiendi iuxta legis eius præſcriptum, &, ſicuti paulo ante dictũ eſt, legem iuſticię ſectantes. Quod eorum ſtudium ſic in genere conſideratum, laudabile eſt. Sed id faciunt non *ſecundum ſcientiam*, Græcè κατ' ἐπίγνωσιν *ſecundum cognitionem*. Hoc eſt: Zelus ille ſeu ſtudium non eſt *regulatum*, vt loquitur Caietanus, *neceſſaria cognitione*. Neſciunt enim quemadmodum Deo ſeruiendum ſit; id eſt, qua via ac ratione quærenda iuſticia qua Deo placeatur. Quo fit vt zelum illum, genere ſuo laudabilem, vicient; dum in particulari errantes, peruerſa via procedunt ad iuſticiam comparandam, Deoque placendum: velut ſi quis furetur, vt faciat eleemoſynas; exiſtimans id Deo gratum eſſe. De hoc zelo Iudæorum etiam Chriſtus ad diſcipulos loquitur dicens: *Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* cauſamque ſubiungens ignorantiam: *quia non nouerunt patrem, neque me.* Ioan. 16. Vnde & hîc apoſtolus, probans illud quod dixerat, *non ſecundum ſcientiam*; ſubiungit.

Ζῆλος ſignificat ſtudium vehemẽs.

Iudæorũ zelus non ſecũdum ſcientiam.

3 IGNORANTES ENIM IVSTICIAM DEI ET SVAM QVÆRENTES STATVERE, IVSTICIÆ DEI NON SVNT SVBIECTI. *Suam* Græcè τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην, *propriam iuſticiam*. Nam & Syrus *iuſticiam* hic repetit. Dei iuſticiam hoc loco vocat apoſtolus, vel quam Deus in nobis efficit, vt paſſim exponit Auguſtinus, vel qua quis verè coram Deo iuſtus eſt: quibus modis expoſitum eſt ſuprà, cap 1 & 3. Non autem, vt ſectarij quidam volunt, qua Deus ipſe iuſtus eſt: quaſi de externa & imputatiua iuſticia loquatur apoſtolus. Quem intellectum diſertè excludit idem Auguſtinus compluribus locis, ac nominatim in lib. 3 contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 7, & lib. de gratia & libero arbitrio cap. 12, & tract. 26 ſuper Ioannem. Quo loco ſic ait, hęc ipſa Pauli verba referens & exponens: *Iuſticia Dei hîc dicitur, non qua iuſtus eſt Deus, ſed quam dat homini Deus, vt iuſtus ſit homo per Deum.* Senſus igitur eſt: Ignorantes iuſticiam illam, quæ hominem verè & coram Deo iuſtum reddit; quę profectò non alia eſt quam cuius Deus in nobis author eſt; & propriam iuſticiam, id eſt eam quæ habetur proprijs viribus ſola legis noticia adiutis, ſtatuere ac tueri conantes; non fuere ſubditi iuſticiæ Dei, nec eius participes facti; quæ quidem ſola vera iuſticia eſt. Dicit autem *ſubditi*, quia huius iuſticiæ nemo fit particeps niſi per humilitatẽ fidei ſe Deo vt authori iuſticiæ, ſubijciat. Porrò nunc alijs verbis id repetit Paulus quod ſuprà dixerat Iſraelem dum ſectatur legem iuſticiæ, in legem iuſticię non peruenijſſe; quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus ad eam contendebat. Eſtque notanda antitheſis hoc loco inter iuſticiam Dei, quam alibi iuſticiam fidei vocat, & iuſticiam propriam, quam alibi iuſticiam legis. Sic enim de ſeipſo Paulus ad Philip. 3. *Et inueniar in illo non habens meam iuſticiam quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſticia in fide.* Illud etiam obſerua non dixiſſe Paulum: & propriam iuſticiam ſtatuentes, ſed *ſtatuere quærentes*, quemadmodum & ſuperius dixerat, *quaſi ex operibus*; quia ſcilicet hæc propria iuſticia non eſt vera iuſticia quæ ſtatui poſſit. Locus hic bene notandus contra Pelagianos, quorum hac in parte fuit idem error cum Iudæis ſuam iuſticiam ſtatuere conantibus, imò deterior. Conſtat enim eos aliquando tribuiſſe ſoli naturæ, quod Iudæi naturæ non tribuebant, niſi cum auxilio legis à Deo datæ.

Quæ iuſticia Dei hoc loco.

Externa & imputatiua iuſticia excluditur.

Antitheſis inter Dei iuſticiam & hominis propriam.

Pelagianorũ idẽ error cum Iudæis, imò deterior.

4 FINIS ENIM LEGIS CHRISTVS AD IVSTICIAM OMNI CREDENTI. Finem Latini ferè intelligunt cauſam finalem: vt Chriſtus dicatur finis legis Moſaicæ, quia tam lex cærimonialis ſignificando & prænunciando, quã lex moralis infirmitatem hominis arguendo, Chriſtum ſaluatorem vt finem & ſcopum

Chriſtus quo ſenſu finis legis.

ſpectabant. Sic etiam Theodoritus Græcus. At verò cæteri Græci,& inter Latinos Hugo Victorinus atque Heruæus finem interpretantur impletionem,conſummationem,perfectionem, vt vertit Eraſmus; & quod apoſtolus infrà cap. 13 vocat plenitudinem, cùm ait,*Plenitudo legis eſt dilectio.* Quam interpretationem Græca vox τέλος magis recipit quã Latina *finis:* quemadmodum è diuerſo finis apud Latinos magis quàm τέλος apud Græcos, ſignificationem habet eius cauſæ cuius gratia quippiam fit. Hoc igitur modo ſenſus eſt: Chriſtum eſſe per quem lex impletur, & vera iuſticia acquiritur; quatenus quiſque in eum credit vt propiciatorem,per quem Deus & peccata remittat, & gratiam bene viuendi præſtet. Hunc ſenſum planè exigunt ſuperiora. Reddit enim apoſtolus rationẽ eius quod dixerat,*ignorantes iuſticiam Dei:* docetque huius ignorantię cauſam eſſe, quia Chriſtum, per quem ſolum lex impletur ad iuſticiam, non agnouerunt, ſed in eum vt lapidem offenſionis impegerunt. Similis ſermo eſt apoſtoli 1 Tim. 1, *Finis præcepti charitas de corde puro*, &c. quo nimirum ſignificat charitate legem impleri. Vide eius loci commẽtarium. Porrò nihil hic locus facit pro ſectarijs docentibus ſolam fidem ſufficere ad iuſticiam, eo quod dicatur, *ad iuſticiam omni credenti.* Nam apoſtolus dum fidem nominat, etiam cætera vult intelligi,quę fides monſtrat agenda: vel quod eodem recidit, fidem intelligit bona voluntate formatam.

Refelluntur qui ſolam fidẽ ad iuſticiam ſufficere docẽt ex hoc loco.

5 MOYSES ENIM SCRIPSIT, QVONIAM IVSTICIAM QVÆ EX LEGE EST, QVI FECERIT HOMO, VIVET IN EA. Scriptura Moyſi ad quam reſpicit,habetur Leuit.18.Græca & Syriaca huius loci ſic habent: *Moyſes enim ſcribit iuſticiam quæ ex lege, quia qui fecerit ea homo,viuet in eis.* Ita legit Chryſoſtomus & cæteri poſt eum Græci commentatores: quibus etiam commentator Ambr. accedit. Sed & Haimo Latinus teſtatur in quibuſdam codicibus haberi, *viuet in eis*. Quod vtique fauet Græcorum lectioni. Atque hoc modo verba Moyſi rurſum apoſtolus citat Gal. 3. Cauſa mutatæ lectionis hoc loco fuiſſe videtur, quod illa pluralia *ea* & *eis* non haberent quo referrentur, cum nomen plurale non præceſſerit. Verum apoſtolus ipſa Moyſi verba ſecundum LXX recitans,vt in Leuitico habentur, plurale nomen προστάγματα *mandata*, ex eodem loco ſubintelligendum reliquit: ſicut & in epiſtola ad Galat. Quanquam vtrouis modo legatur, ad ſenſum non adeò multum intereſt. Quidam ex Græco ſententiam ita reddunt: *Moyſes enim deſcribit iuſticiam quæ eſt ex lege* his verbis: *quod qui fecerit ea homo,viuet per illa*. Eraſmus & alij ſic ordinant: *Moyſes enim ſcribit de iuſticia quæ ex lege eſt, quod homo qui fecerit ea,* ſcilicet mandata legis, *viuet in eis*, vel *per ea*. Quæ ſtructura magis placet: ſequitur enim conſimili ſermone.

6 QVÆ AVTEM EX FIDE EST IVSTICIA, SIC DICIT. Subaudi, de ea. Quæ autem, inquit ex fide iuſticia eſt, de ea ſic loquitur idem Moyſes Deut. 30. *Ne dixeris in corde tuo* &c. Porrò de ſenſu totius ſententiæ maior eſt difficultas. Plerique iuſticiam quæ ex lege eſt,intelligunt eam quæ habetur ex ſola legis cognitione,non ex fide & gratia Chriſti: conſiſtit autem in externa qualicumque obſeruatione præceptorum legis. Eam verò iuſticiam qui fecerit homo, viuet in ea, vt aiunt, vita temporali; quia lex Moyſi non minatur ei mortem,ſed magis promittit bona temporalia:etiamſi legem ſeruet ſolo timore pœnæ; ſicut eam ſeruabant carnales Iudæi. Quem intellectum confirmare videtur antitheſis quam hic facit apoſtolus inter iuſticiam quę ex lege eſt & eam quæ ex fide. Nam & eandem antitheſin obſeruare eſt in eiuſdem apoſtoli verbis quę ſuprà adduximus ex epiſtola ad Philip. 3. Hoc etiam ſenſu videntur accipi poſſe loca ſcripturæ Leuit.18 & Ezech. 20, in quibus dicitur, & ſubinde repetitur de legibus, præceptis atque iudicijs Dei, quod ea faciens homo viuet in eis. Rurſus hunc ſenſum expoſcere videtur alter apoſtoli locus qui eſt ad Gal. 3, vbi ſimiliter ad ſcripturam Leuitici reſpicere videtur: *Lex*,inquit,*non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea,viuet in illis*. Legitur hic ſenſus apud Auguſtinum libro 4 contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 5. Veruntamen alij de vera legis obſeruatione,& conſequenter de vita æterna locum hunc accipiunt,vt ſenſus ſit: Moyſes ſcripſit de iuſticia quæ eſt ex lege obſeruata, eum victurum vera & æterna vita apud Deum, qui fecerit ea quæ lex præcipit. Sed eam iuſticiam qua legem obſeruet, nemo conſequi poterit niſi per fidem in Chriſtum.Hic ſenſus optimè reſpõdet ei quod præcedit:*Finis enim legis Chriſtus,ad iuſticiam omni credenti.* Qua ſententia ſignificatum eſt, legem quæ iuſticiam exigit, non niſi per Chriſtum, ſi in eum credas, impleri ſeu conſummari. Senſum hunc tradunt Chryſoſtomus,& eum ſecuti Theophylactus & Oecumenius. Quin & Auguſtinus eodem loco citato, poſt priorem ſenſum,etiam hunc adducit, ita ſcribens: *Aut ſi altius intelligendum eſt,propter vitam æternam ſcriptum eſſe, qui fecerit ea,viuet in illis* &c. Et infrà: *Verum ergo dicit lex: Qui fecerit ea,viuet in illis. Sed vt faciat ea, & viuat in eis, non lex quæ hoc imperat, ſed fides eſt neceſſaria, quæ hoc impetrat.* Idem verò Auguſtinus in libro de ſpiritu & litera cap. 29 ſolum hunc poſteriorem ſenſum agnoſcit & explicat, his poſt alia verbis: *Opus enim quod qui fecerit, viuet in eo, non fit niſi à iuſtificato. Iuſtificatio autem ex fide impetratur: de qua ſcriptum eſt, Ne dixeris in corde tuo* &c. Adde quod hunc intellectum planè videtur exigere locus Deuter. 30, vbi poſt expreſſum præceptum dilectionis Dei ex toto corde & ex tota anima, ſubditur *vt poſſis viuere:* ac deinde ſequitur illud quod hoc loco Paulus commemorat pro iuſticia fidei: *Mandatum*

Iuſticiam quæ ex lege eſt, quã vocet apoſtolus.

Aliorum ſententia probabilior.

quod

Deum ex toto corde diligere, vera iuſticia eſt. Felicitas etiam temporalis ſub merito iuſticiæ cadit.

quod ego præcipio tibi, non ſupra te eſt, &c. Poſt quæ paucis interpoſitis, iterum dicit: *Vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & cuſtodias mandata illius; & viuas.* Cum igitur Deum ex toto corde diligere vera iuſticia ſit, manifeſtum eſt de vera iuſticia Moyſen loqui; & conſequenter de vita ſiue æterna ſiue temporali, vt præmio veræ iuſticiæ. Siquidem etiam temporalis vita ſeu longæuitas (quũ ita Deo viſum fuerit) illius præmij portio quædam eſt. Vnde præceptum illud legis: *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram*, Exod. 20, repetit cum ſua promiſſione, Paulus in nouo teſtamento, Epheſ. 6. Atque in vniuerſum *pietas* eodem apoſtolo teſte, *ad omnia vtilis eſt, promiſſionẽ habens vitæ quæ nunc eſt & futuræ*, 1 Tim. 4. His accedunt & aliæ ſcripturæ: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Mat. 19. *Hoc fac & viues*, Luc. 10. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*, Mat. 5. *Qui vult vitam diligere & dies videre bonos, coerceat linguam ſuam à malo, & labia ſua ne loquantur dolum*, &c. 1 Pet. 3. Nec quicquam ſanè vetat etiam in Leuitico & apud Ezechielem hoc modo iuſticiam ſeu legis obſeruationem & vitam accipi. Imò valde probabile nobis eſt ita accipi oportere. An verò ſenſum hunc etiam admittat id quod adfertur ex epiſtola ad Galatas, diſcutiendum erit eo loco. Denique verò confirmatur hæc expoſitio; quia iuſticiam, quæ ex ſola legis eſt cognitione, cùm ſit falſa iuſticia, nunquam ſacri ſcriptores commendant; ſed paſſim reijciunt & vituperant, vt Iſaias cap. 64, & Paulus tam hoc loco quam ad Philip. cap. 3. Vbi notandum obiter, non eum abſolutè vituperare iuſticiam ex lege; ſed ſuam iuſticiam ex lege: *meam*, inquit, *iuſticiam quæ ex lege eſt*; quemadmodum & hic dicit, *ſuam quærentes ſtatuere*: quæ ſunt veluti determinationes alienantes. Contrà verò Moyſes & Ezechiel commendant & hortantur ad eam iuſticiam quam apoſtolus hoc loco vocat iuſticiam ex lege: Non ergo per hanc iuſticiam intelligit eam, quam præſtat ſola legis cognitio. Differunt tamen iuſticia ex lege & iuſticia fidei, non vt oppoſitæ iuſticiæ, ſicut paulo antè, iuſticia ſua & iuſticia Dei, ſed vt vna iuſticia diuerſimodè conſiderata. Vocatur enim iuſticia fidei, ratione cauſæ impetrantis; quia non habetur niſi per fidem Chriſti. Vocatur autem iuſticia ex lege, ratione obiecti; quia *factores legis iuſtificabuntur* ſuprà cap. 2. Quod diſcrimen colligi poteſt ex illis verbis capitis ſuperioris: *Iſrael in legem iuſticiæ non peruenit, quia non ex fide*. Nam inde ſequitur, ex fide perueniendum eſſe in legem iuſticiæ. Aut certè differunt, ſecundum alios, vt iuſticia inchoata & continuata: quia iuſticia vera ſumit initium à fide, quam nulla præcedunt opera: continuatur autem & augetur ex eadem fide per opera bona lege præcepta.

Iuſticia quæ ex ſola lege, falſa iuſticia eſt, & in ſcripturis vituperatur

Quomodo differant iuſticia ex lege & iuſticia fidei.

NE DIXERIS IN CORDE TVO: QVIS ASSCENDET IN CÆLVM? ID EST, CHRISTVM DEDVCERE.

7 AVT QVIS DESCENDET IN ABYSSVM? HOC EST CHRISTVM A MORTVIS REVOCARE. Græcè *è mortuis reducere*. Annotant commẽtatores Theophylactus, Oecumenius & alij, Paulum accommodatione quadam ſapienter transferre ad Chriſtum, & ad commendandam fidei iuſticiam, ea quæ Moyſes ad literam dixit de mandato legis nõ longè, id eſt ex remotis & inacceſſis locis, vt de cælo vel vltra mare, petendo; ſed in promptu poſito; propterea quod ipſe illud planis ac diſertis verbis coram populo expoſuiſſet. *Nec* enim *eſt inconueniens*, ait B. Thomas, *ſi quod Moyſes dixit de mandato legis, hoc apoſtolus attribuat Chriſto; quia Chriſtus eſt verbum Dei, in quo ſunt omnia Dei mandata.* Certè etiam alibi nonnunquam ſenſum accommodatum agnoſcere neceſſe eſt in ſcripturis ab apoſtolo citatis: quemadmodum ſuis locis oſtendemus. Itaque non eſt neceſſarium hoc loco, quod quidam operosè faciunt, ſenſum apoſtoli quærere in verbis Moyſi, vt ab eo ſecundum literam prolata ſunt. Eſt autem hic apoſtoli ſenſus: Moyſes de iuſticia fidei, id eſt, de iuſticia per fidem habenda, ſic loquitur: Ne dicas apud temetipſum: *Quis aſcendet in cælum?* ſcilicet ad deducendum inde Chriſtum. Hoc enim dicere, eſt impoſſibile reputare quod Chriſtus deſcenderit de cælo, vt carnẽ aſſumeret pro noſtra ſalute: quomodo naturaliter impoſſibile eſt homini aſſcendere in cælum, atque inde aliquid huc adducere. Neque dicas, Quis deſcendet in profundum? videlicet ad reducendum Chriſtum à mortuis atque ab inferis ad vitam. Nam hoc dicere, eſt impoſsibile reputare quod Chriſtus reuerſus ſit ab inferis, atque à mortuis reſurrexerit: quomodo naturaliter impoſsibile eſt vt quis deſcendat ad inferos, & inde aliquid huc reducat. Cæli nomen vſu ſcripturæ ſacræ non ſolos comprehendit orbes cæleſtes, vt apud philoſophos naturales, verùm etiam elementa inter nos & orbes illos media, quatenus ita ſublimia ſunt & ſupra nos poſita, vt ad ea naturaliter homines aſſcẽdere nequeãt. Vnde paſsim legimus nubes cæli, volucres cæli, pluuiam cæli. Sic accipitur in verbis Moyſi hic citatis; nec aliter hoc loco: licèt verificatio fiat pro cælo beatorum, in quo peculiari ratione Deus eſſe & habitare dicitur. Sciendum quoque in Moyſi verbis, ad quæ Paulus reſpicit, non haberi vocabulum abyſſi, ne quidem apud interpretes LXX: ſed hoc modo legi: *Quis è nobis poterit transfretare mare?* Rectè tamen apoſtolus pro eo dixit: *Quis deſcendet in abyſſum?* quia qui ad mare transfretandum naues intrant, Hebræa phraſi deſcendere in mare dicuntur. Vnde Dauid pſal. 106. *Qui deſcendunt in mare in nauibus.* Et quia maris aquæ profundiſsimæ ſunt, etiam abyſſus in ſcripturis vocantur, velut fundo carentes, vt Exod. 15. *Abyſſi operuerunt eos*, quod paulo pòſt repetit dicens: *Operuit eos*

Senſus accõmodatus in ſcripturis.

Quid Paulo aſcendere in cælum, & deſcendere in abyſſũ.

Cæli nomen in ſcriptura quid ſignificet.

Abyſſus quid in ſcripturis ſignificet.

mare.

mare. Sed quia nomen abyſſi commune eſt etiam profunditati terræ, vt pſal. 70, *De abyſſis terræ iterum reduxiſti me*: idcirco Paulus de reditu ab inferis loquens, abyſſum nominauit. Nam & Ionæ prophetæ proiectio in mare, non ſolum morrem & ſepulturam Chriſti, ſed & eius ad abyſſum terræ, id eſt ad inferos deſcenſum præfigurauit. Porrò ſenſus quem dedimus ſecuti Chryſoſtomum, cui Theophylactus & Oecumenius accedunt, præter quàm quod expeditus eſt, etiam ex ſequentibus accipit probabilitatem, vbi dicitur, *Quia ſi confitearis in ore tuo* &c. vti patebit ex commentario. Hic igitur Pauli locus, vnus ex ijs eſt, quibus illa pars ſymboli apoſtolici, *deſcendit ad inferos*, à quibuſdam hæreticis reiecta, ab alijs perperam expoſita, ſtabilitur iuxta ſenſum obuium ac germanum, & in eccleſia ſemper agnitum & probatum; quo ſignificatum ſit, Chriſtum in cruce mortuum, & corpore poſitum in ſepulcro, ſecundum animam ad inferos, hoc eſt ad infera terræ loca, quibus animæ mortuorum incluſæ tenebantur, deſcendiſſe, quaſdam earum inde liberaturũ. Sunt qui Pauli verba ſic exponant: Ne dicas, Quis aſſcendet in cælum? id eſt: nemo aſſcendet. Hoc enim eſſet Chriſtum ex alto deducere; id eſt negare aſſcẽſionem eius in cælum, & ſeſſionem ad dexteram Patris. Neque dicas; Quis deſcendet in profundum, id eſt, nemo deſcendet. Hoc enim eſſet Chriſtum à mortuis & ab inferis reducere; id eſt negare eius mortem & ad inferos deſcenſum, & conſequenter reſurrectionem eius à mortuis. Verùm hæc expoſitio, quamuis nihilo minus quam ſuperior, Chriſti ad inferos deſcenſum aſtruat; nobis tamen coactior videtur. Nam particula τετέστι, *id eſt*, ſiue *hoc eſt*, non reddition cauſæ, ſed expoſitioni ſeruit: vt in priori ſenſu factum vides. Deinde minus quoque reſpondẽt huic ſenſui quæ ſtatim ſequuntur. Vnde & merito priorem ſenſum, ſecundo loco à ſe allatum, Aquinas prætulit. Obſeruabis autem apoſtolum volentem commendare iuſticiam fidei, primum remouere infidelitatem ei contrariam; qua ſcilicet dubitaret quiſpiam de Chriſti incarnatione aut reſurrectione; ſub quibus cætera de Chriſto myſteria comprehenſa intellige. Deinde verò fidem ipſam exigit dicens.

Deſcenſus Chriſti ad inferos à quibuſdã negatus ſtatuitur.

8 SED QVID DICIT SCRIPTVRA? Græcè & Syriacè tantum legitur, *Sed quid dicit?* vt ſuppleatur *Moyſes* ex ſuperioribus. Sic etiã Latina quædam mss. Et ita citat Auguſtinus lib. de ſpiritu & litera cap. 29.

PROPE EST VERBVM IN ORE TVO ET IN CORDE TVO. Græcè ἐγγύς σε *prope te*: quemadmodum & in Deuteronomio legitur. Dixit hoc Moyſes de mandato legis qua vera iuſticia præcipitur; nimirum ſignificans legẽ ſeu mandatum per diligentem ipſius expoſitionem ſatis inculcatam eſſe populo, vt iam illud & ore recitare, & memoria retinere facilè poſſint. Tantum opus eſſe bona & prõpta voluntate ad illud opere implendum. Paulus verò transfert hoc ipſum ad fidem ſeu verbum fidei qua iuſtificamur. Sequitur enim.

Mandatum legis prope in ore & in corde.

HOC EST VERBVM FIDEI QVOD PRÆDICAMVS. *Hoc eſt*, tale eſt, eiuſmodi eſt. Porrò verbum fidei dicit, vel euangelium quo fides in Chriſtum annunciatur, vel fidem ipſam, ac ſi diceret: Fides quam prædicamus vt neceſſariam ad iuſticiam conſequendam, reuera eſt eiuſmodi, videlicet prope te, in ore & corde. Quod iam declarat verbis ſequentibus.

9 QVIA SI CONFITEARIS IN ORE TVO DOMINVM IESVM. *Confitearis* Græcè ὁμολογήσῃς *confeſſus fueris*, ſicut in parte ſequenti *credideris*. Nam, inquit, ſi ore confeſſus fueris Dominum Ieſum deſcendiſſe de cælis, & hominem factum. Hæc pars opponitur illi dubitationi; *Quis aſcendet in cælum* vt Chriſtum deducat? Quanquam abſolutè poteſt accipi iſta pars, & quidem melius, ni fallor, hoc modo: Si confitearis ore tuo Ieſum eſſe Dominum. Quomodo dicit 1 Cor. 12. *Nemo poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto.* Hunc enim ſenſum expreſſit ea lectio, quam recitant Hilarius lib. 10 de Trinitate, & Auguſtinus in expoſitione huius loci: *quia ſi confeſſus fueris in ore tuo, quia Dominus eſt Ieſus.* Et vtique, ſi Dominus eſt qualem confiteri oportet: igitur de cælo deſcendit. Ad hoc enim deſcẽdit, vt hominem redimeret, & ipſo redemptionis iure Dominus eius eſſet.

ET IN CORDE TVO CREDIDERIS, QVOD DEVS ILLVM SVSCITAVIT A MORTVIS. Opponitur hæc pars alteri dubitationi, *Quis deſcendet in abyſſum*, vt Chriſtum à mortuis reuocet?

SALVVS ERIS. Græcè σωθήσῃ, *ſaluaberis*: id eſt ſalutem conſequeris, velut iam ex fide & confeſſione fidei iuſticiam adeptus, quæ perducit ad ſalutem. Verum vti ſuperius, ita & hic ſub articulis incarnationis & reſurrectionis Chriſti, reliqua fidei myſteria ſubintelligenda ſunt, & illud imprimis, hominem iuſtificari per redemptionem quę eſt in Chriſto Ieſu. Deinde debet hæc apoſtoli ſententia accipi ſicut aliæ ſimiles, quibus docet hominem iuſtificari per fidem: nempe de fide comitata bona voluntate, qua paratus ſit homo facere, quæ per fidem facienda cognouerit: quale eſt quod hoc ipſo loco requirit, ea quæ corde credimus, etiam ore confitenda eſſe. Vnde adhuc ſequitur.

Quæ fides ſalutem præſtet.

10 CORDE ENIM CREDITVR AD IVSTICIAM: ORE AVTEM CONFESSIO FIT AD SALVTEM. *Ad iuſticiam*, id eſt, vt quis iuſtus ſit: *ad ſalutem*, id eſt vt quis ſaluus ſit. Porrò confeſsionem dicit eius quod creditur, de qua dixerat: *quia ſi confitearis* &c. Nam confeſsio peccatorum, quæ & ipſa proficit ad ſalutem, non eſt huius loci. Poſſet quidem fortaſſis in hac bimembri ſententia repetitio eiuſdem intelligi, diuerſis verbis facta, more Hebræo;

qui

qui in prouerbijs & in pſalmis maximè conſpicitur; quandoquidem & oris confeſſio actus eſt fidei, & iuſticiam ſalus conſequitur; ac proinde etiam dici poſſet: corde creditur ad ſalutem; ſicut infra dicitur, *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* Nam & in eo quod proximè præceſſit, confeſſio oris cum fide cordis ita coniungitur, vt vtriq; ſalutis effectus attribuatur. Rectè tamen in vtroque membro peculiare aliquid ab apoſtolo ſignificatum intelligimus, dum fidei iuſticiam aſcribit, confeſſioni ſalutem; iſtuc nimirum, quod fides ad iuſticiam conſequendam prorſus eſt neceſſaria: ſed tamen homo per fidem iuſtificatus, ad ſalutem vitæ eternæ non perueniet, imo nec ipſam ſalutem inchoatam, quæ in iuſticia conſiſtit, tueri poterit ac retinere; niſi quum res poſtulauerit, fidem quam animo tenet, ore confiteatur. Quod quidem imprimis in baptiſmo faciendum erat, quod fidei eſt ſacramentum.

Cur fidei iuſticia, confeſſioni ſalus aſcribatur.

11 DICIT ENIM SCRIPTVRA: OMNIS QVI CREDIT IN ILLVM, NON CONFVNDETVR. *In illum*, Græcè *in eo*, ſcilicet Deo. Per quod ſignificatur fiducia fidei coniuncta, qua animus in exſpectatione ſalutis nititur veritati eius qui promiſit. Iam & hic ſalus attribuitur fidei. Quod enim ait *non confundetur*, ſiue *non pudefiet*, tale eſt ac ſi diceret: ſperatam ſalutem omnino aſſequetur, exſpectatione ſua non fruſtrabitur. Credentem, intelligit obedienter, id eſt cum voluntate faciendi ea quę fides Chriſti præſcribit. Sententia deprompta ex Iſaiæ cap. 28. & pluribus expoſita in fine capitis ſuperioris.

Fides obediens.

12 NON ENIM EST DISTINCTIO IVDÆI ET GRÆCI. Græcè Ιȣδαίȣ τε ἡ ἕλληνος. Quod rectè vertas, vt Eraſmus fecit, *vel Iudæi vel Græci*; ad indifferentiam ſignificandam. Vrget apoſtolus non tam vniuerſale ſignum *omnis*, quod apud Iſaiam non habetur; quàm ipſius ſententiæ propheticæ indefinitam generalitatem, qua nemo à ſalute excluditur, modò credat, ſiue Iudæus ille ſit ſiue Græcus, id eſt gentilis. Species enim nominatiſſima pro toto genere ponitur. Probat autem amplius hanc generalitatem verbis ſubiunctis.

NAM IDEM DOMINVS OMNIVM, DIVES IN OMNES QVI INVOCANT ILLVM. *Dives* Græcè participium πλȣτῶν, id eſt dives exiſtens aut diuitijs abundans, eaſque effundens. Actiuè enim accipitur. Senſus: Conſentaneum ſane eſt, vt neminem credentem & confidentem in ſe, Deus a ſalute repellat, cum ipſe vnus idemq; ſit omnium Dominus iure creationis; vt proinde æquum ſit eum omnes in ſe ſperantes ſaluare: nec deſit poteſtas, cũ affluat diuitijs bonitatis ac miſericordiæ, paratus etiam eas effundere non in Iudæos ſolum, ſed in omnes quicunq; ipſum inuocant toto orbe terrarum. Nam quod etiam velit & ita ſtatuerit; ex ipſius promiſſione per prophetam facta Paulus nunc docet.

Deus neminem in ſe confidẽtem à ſalute repellit.

13 OMNIS ENIM QVICVNQVE INVOCAVERIT NOMEN DOMINI, SALVVS ERIT. Græcè *ſaluabitur*. Teſtimonium ſumptum ex Ioele cap. 2. in quo etiam expreſſio eſt vniuerſalis ſigni. Inuocare nomen Domini, eſt eum cui Dominus ac Deus nomen eſt, orare pro ſalute obtinenda. Sed inuocationem intelligetam hic quam in parte præcedenti, procedentem ex fide iam toties commendata: ne repugnet illud Prouer. 1. *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam.* Ad hanc igitur inuocationem pertinent omnes orationes, quibus à Deo per Chriſtum petuntur ſalutaria bona: velut remiſſio peccatorum, gratia, iuſticia, tentationum victoria, perſeuerantia, vita æterna.

Quid inuocare nomen Domini.

14 QVOMODO ERGO INVOCABVNT IN QVEM NON CREDIDERVNT? Ex inuocatione colligit fidem; vt ſic probet ſuum inſtitutum, quo docebat ex fide iuſticiam eſſe & ſalutem. Locum hunc catholicis obiectant hæretici, quo tollant inuocationem ſanctorum cum Chriſto regnantium. Nam ſi in ſanctos non credimus, ſed in ſolum Deum; concludi videtur ex hac apoſtolica ſentẽtia, ſanctos non eſſe inuocãdos. Sed reſpondetur in hac repetendum eſſe ex præcedenti prophetico teſtimonio, *nomen Domini*: vt plena ſententia ſit, *Quomodo inuocabunt nomen Domini, in quem non crediderunt?* Etenim Dei nomen inuocare nemo poteſt vt oportet, niſi in eum credat. Auſt, quod eodem recidit, exponendus eſt apoſtolus ſecundum materiam ſubiectam, hoc modo: Quomodo inuocabunt tanquam authorem ſalutis, eum in quem non credunt? Quo certe modo ſolum Deum inuocat eccleſia catholica: quod vel ex ipſis eccleſiaſticis litaniis perſpicuè conſtat. Porro nec vocabulum inuocandi ſemper in ſcripturis ad Deum referri, ſed interdum etiam ad homines, nimirum generali ratione, qua ſignificat opem & auxilium alicuius implorare; patet ex alijs ſcripturę locis, vt Iſa. 34, *Regem potius inuocabunt.* Oſee 7, *Ægyptũ inuocabunt, ad Aſſyrios abierunt.* Nec dubium quin etiam apud authores profanos ita generaliter vſurpetur. Hoc igitur modo nos Chriſtiani etiam ſanctos inuocamus: quos & credimus nobis per ſuas ad Deum preces opitulari poſſe.

Sanctorũ inuocatioꝛi locus hic nõ aduerſatur.

Non ſolus Deus inuocatur.

AVT QVOMODO CREDENT EI QVEM NON AVDIERVNT? Græcè: *Quomodo autem credent quem non audierunt?* Fortè vertit interpres: *At quomodo credent.* Occaſione eorum quæ proxime dixerat de ſalute omnibus credentibus & inuocantibus promiſſa; ſubijcit & interſerit quędam de generali prędicatione euangelij per omnes gentes. Si enim beneficium Dei ſtatuentis hominem iuſtificare & ſaluum facere per fidem, propoſitum eſt omnibus tam gẽtilibus quam Iudæis; fidem vero accipere, id eſt credere non poſſunt niſi audiant; nec audire ſi non ſit qui prædicet: conſequens eſt etiam gentibus prędicandum eſſe euangelium; nec offendi debere Iudæos ſi Paulus ac cæteri apoſtoli per ſuam prædica-

tionem

tionem generale Dei beneficium etiam ad gentes propagent. Sensus huius partis est; Quomodo credent in eum de quo non audierunt? ac si dicat, id fieri non posse; saltem iuxta modum ordinarium acquirendæ fidei. Nam Deus sic constituit, vt fidei mysteria discerent homines ab hominibus per auditum corporalem. Vnde Saulum a Domino ad Ananiam, & Cornelium ab angelo ad Petrum missos legimus, de fidei mysterijs instruēdos, Act. 9 & 10. ne facile suspicaremur quempiam absq; hominum ministerio per solam diuinam vel angelicam reuelationem edoceri viam salutis. Cæterum sub auditu lectio quæ visu fit, comprehenditur. Sicut enim per auditum plurimi; ita per lectionem multi crediderunt. Nam ad hoc scripta sunt euangelia, vt legentes credant. *Hæc scripta sunt*, ait Ioannes euangelij sui cap. 20. *vt credatis & credentes vitam habeatis*. Rectè nihilominus ab Augustino, cum de ijs loqueretur qui surdi nascuntur vt audire non possint, dictum est lib. 3. contra Iulianum cap. 4. *Quod vitium ipsam impedit fidem*. Nam surdus natus literas, quibus lectis fidem concipiat, discere nō potest: quia per auditum debet earum significatio dari & accipi. Constat autem apostolo sermonem esse de auditione per sensum exteriorem, qua vox percipitur prædicantis. Nam sequitur.

Non est sine auditu fides.

Auditus vicem lectio quatenus supppleat.

Surditas fidem impedit.

QVOMODO AVTEM AVDIENT SINE PRÆDICANTE? Id est; Quomodo audient de eo in quem credituri sint, si nemo sit qui eis annunciet? ac si dicat, nec id fieri posse. Satis ostendunt hæ duæ interrogationes apostoli, sicut & ijs respondentes duæ propositiones paulo inferius positæ, *fides ex auditu*; &, *auditus autem per verbum Dei*; non omnibus hominibus à Deo dari sufficiens auxilium ad salutem, vt quidam putant. Constat enim plurimos esse, atq; etiam multo plures olim fuisse, præsertim ante Christi aduentum, quibus de fide ad salutem necessaria nihil esset prædicatum. Quos proinde sufficiens auxilium habuisse quo salui fierent, dici non potest: quum, teste apostolo, credere non possint homines, nisi prędicantem ea quæ credenda sunt, audiuerint. Hinc Augustinus lib. de correptione & gratia cap. 7. *Quicunq;* inquit, *ab illa originali damnatione diuinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum euangeliū*. Vnde & Gregorius in ho. 17 super euāgelia, allegoricè tractans illud Luc. 10. *Misit illos in omnem locum quo erat ipse venturus: Prædicatores suos*, inquit, *Dominus sequitur: quia prædicatio præuenit, & tunc ad mentis nostræ habitaculum Dominus venit, quando verba exhortationis præcurrunt*; *atq, per hoc veritas in mente suscipitur*. Hæc ille, significans vtiq; Dominum, quibus decreuit fidem dare, prædicatores, quos audiendo credant, præmittere. Vide etiam Augustinum lib. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 22. & de dono perseuerantiæ cap. 19. Quo loco dicit *paucissimis esse donatum, vt nullo sibi homine prædicante, per ipsum Dominum, vel per angelos cælorum, doctrinam salutis accipiant.*

Prædicatio ad fidem necessaria.

Non omnibus auxiliū dari sufficiens ad salutē.

Deus quibus fidem dare decreuit, prædicatores mittit.

15 QVOMODO VERO PRÆDICABVNT NISI MITTANTVR? Græcè, *nisi missi fuerint*? scilicet à Deo, vel Christo. Multi quidē prædicāt non missi, de quibus apud Ieremiam Dominus, cap. 29: *Non mittebam eos, & ipsi currebant*; & tales habet plurimos sæculum hoc nostrum; sed licitè ac legitimè nemo prædicat nisi legitimè missus. Est autem missio legitima duplex. Altera quidem extraordinaria, quæ fit immediatè à Deo per inspirationem internā: quomodo missus fuit Ioannes Baptista, & alij prophetæ; cuiusmodi tamen missio sine certis argumentis non est agnoscenda. Altera verò ordinaria, quæ fit authoritate eorum qui in terris gerunt vicem Dei. De qua duplici missione consule S. Thomam in commentario huius loci. Notandum est, in Græco verbo ἀποσταλῶσι, id est, missi fuerint, allusionem esse ad nomen apostoli; quod primis euangelij prædicatoribus à Christo missis inditum fuit Lucæ 6. Significat autem verbum Græcum mitti non quocumque modo; sed quomodo mitti solent principum legati cum mandatis.

Legitimè nemo prædicat, nisi legitimè missus. Missio legitima duplex.

Apostoli nomen.

SICVT SCRIPTVM EST: QVAM SPECIOSI PEDES EVANGELIZANTIVM PACEM, EVANGELIZANTIVM BONA? Sensus; De quibus ad prædicandum missis scriptum est à propheta: Quam gratus & iucundus est aduentus eorum qui hominibus hæc tam læta annunciant; pacem & reconciliationem cum Deo, & bona præclara atque eximia, scilicet ad æternam eorum salutem pertinētia! Quod significat pars apud prophetam sequens, & à Paulo omissa, *prædicantium salutem*. Cohæret hæc citatio testimonij prophetici cum erotemate præcedente: quia nisi mittantur, non erunt veri euangelistæ, de quibus dici queat, *Quam specioſi pedes euangelizantium* &c. Speciosos seu pulcros habere pedes Hebræis dicuntur, qui veniunt læta nunciantes: eo quod eorum aduentum (qui pedibus fit) homines libenter videant. Sumpsit hoc testimonium apostolus ex Isaiæ cap. 52, textum Hebraicum propiùs quam LXX interpretum versionem, qualis exstat, secutus. Quod & Hieronymus eum prophetæ locum enarrans testatur, & res ipsa loquitur. Nam Hebræa ad verbum Latinè reddita sic habent: *Quam pulcri super montes pedes euangelizantis, audire facientis pacem, euangelizantis bonū!* Græca verò hæc sunt: ὡς ὡραῖοι ἐπὶ τῶν ὀρέων, ὡς πόδες εὐαγγελιζομένου ἀκοὴν εἰρήνης, ὡς εὐαγγελιζομένου ἀγαθά; nisi quod in nonnullis priori loco legitur εὐαγγελιζομένων pluraliter, & posteriori loco, εὐαγγελιζομένου casu genitiuo. Sed & Latina versio apud Hieronymum in commentarijs Isaiæ sic habet: *Sicut hora super montes, sic pedes euangelizantis auditum pacis, euangelizantis bona*. Cæterùm Leo Castrensis in eius loci cōmentario, textum versionis LXX virorum

Quid Hebræis speciosos habere pedes.

truncum

truncum & lacerum esse contendit; putatque restituendum ex Paulo & Hebraica lectione ad hunc modum: *Sicut hora*, vel, *sicut ver super montes; quam speciosi super montes pedes euangelizantium auditum pacis, euangelizantium bona!* Verum id non est restituere textum, sed diuersas lectiones iungere & confundere. Equidem Leoni in hoc assentior, vicium irrepsisse iam olim in hũc locũ versionis LXX, vt in multos alios. Arbitror autem (vt meam adferam coniecturam) ab eis scriptum esse quomodo Paulus citat, ὡς ὡραῖοι, *quam pulcri, speciosi, decori*; pro eo quod nunc legitur, & veteres etiam aliqui cum Hieronymo legerunt, resectis à tergo tribus vocalibus, ὡς ὥρα. Quod variè exponunt, *sicut hora* seu *tempus*, scilicet opportunum, vt est maturitas frugum aut fructuum: aliter, *sicut pulcritudo:* & si leni spiritu pronuncies, *sicut cura & solicitudo.* quibus modis Hieronymus. Item, *sicut ver* seu *tempus vernum*, quod alijs placet. Hæc enim omnia Græca voce significãtur. Sed quoniam à fonte recedunt, superfluum existimat Hieronymus in ijs explicandis hærere. Qui etiam testatur, omnes alios interpretes similiter ex Hebræo transtulisse; id est, *quam speciosi*; quemadmodum & Eusebius legit lib. 3 demõstrationis euangelicæ cap. 1, non Paulum sed Isaiã testem adducens. Tertullianus verò testimonium prophetæ citans lib. 5 aduersus Marcionem cap. 2 legit: *quam tempestiui*; & cap. 5 referens verba Pauli, *quam maturi pedes.* quoniam & hæc est significatio Græcæ vocis ὡραῖοι: licet Hebræo non respõdeat. Augustinus quoque ex propheta citat, *quam speciosi*, lib. 32 contra Faustum cap. 10, vtique non alia versione tũc vsus, quam LXX. Denique testatur scholiastes Romanus ad textum Latinũ editionis LXX, in nonnullis codicibus haberi ὡς ὡραῖοι. His addo, particulam ὡς secundo & tertio loco positam in verbis prophetæ vt leguntur apud LXX, non posse, quantum mihi videtur, Latinè reddi per *sic*, vt habet Latina 17
versio quæ est in commentarijs Hieronymi, & versiones quædam recentiorum. Nõ enim ὡς ἀνταποδοτὸν est similitudinis, nisi poëtis: pro quo LXX & apostoli semper dicunt οὕτως. Itaque rectius apud Origenem in huius loci commentario Ruffinus ita reddit: *Tanquam hora in montibus, vt pedes euangelizantium auditum pacis, vt euangelizans bona*. Sed quia nihil his vocibus in Hebræo respondet, & in quibusdam codicibus vel altera vel vtraque non habetur, adiecticias suspicari licet. Quæ si tollantur, habebis LXX translationem admodum consentientem cum fonte Hebræo. Porrò simile quid etiam apud Naum prophetam cap. 1 legitur: *Ecce super montes pedes euangelizantis & annunciantis pacem*. Verum ipsa apostoli verba non inde, quod sentit Ambrosiaster, sed ex Isaia deprompta sunt. Eorum verò, si quis requirat, hæc moralis significatio est; Pedes, id est affectus eorum qui euangelium prædicant, pulcros esse debere, hoc est purgatos à sordibus terrenarum cupiditatum; vt eorum more euangelio respondeant, & vita verbo non contradicat.

LXX interpretum lectio restituta ad concordiã Hebraicæ veritatis.

Quomodo pedes euãgelizantium pulcri moraliter.

16 SED NON OMNES OBEDIVNT EVANGELIO. Græcè & Syriacè *obedierunt*. Loquitur enim de Iudæis, vt ex subiunctis liquet, id est, de ijs quibus primùm prædicari oportuit euangelium. Atqui illis iam dudum per Christum & apostolos prædicatum fuerat. Itaque sensus est; At non omnes, imò verò pauci, læta hæc nuncia quæ euangelij nomine significantur, quamuis audita, fide recipiunt. Quo minus autẽ mireris paucos ex illo populo recepisse euangeliũ: neue ex eo suspiceris euangelij veritatem labefactari: docet Paulus subiunctis verbis, hoc ipsum quod nõ essent credituri, ab eorũ prophetis olim prædictũ esse.

ISAIAS ENIM DICIT. Vtique de Iudæis; cap. 53. Nam & Ioannes euangelij sui cap. 12 de Iudæis hoc testimonium adducit.

DOMINE, QVIS CREDIDIT AVDITVI NOSTRO? Vel *auditioni nostræ? Domine* non est in Hebræo, sed additum ex LXX, quemadmodum & apud Ioannem; vt intelligatur esse verba prophetę ad Deũ. Sensus: Domine, quis eorum fidem adhibuit sermonibus quos ex nobis audierũt, quos eis, vt prophetæ tui, prænunciauimus? ac si dicat, perpauci. Potest etiã intelligi dictum ex persona apostolorum, qui Iudæis annunciarunt quæ ab Isaia cæterisque prophetis fuerant prædicta. Probat hunc sensum Origenes, quamuis & priorem non respuat. Auditus pro sermone audito, Hebraismus est: velut Habacuc 3, *Domine audiui auditum tuum*, id est sermonem de te, famam tuam. Et psal. 111 de iusto, *ab auditione mala non timebit*, id est malus rumor non eum perterrefaciet, vtpote bene sibi conscium. Quocirca minus scitè commentator Amb. *auditui nostro*, id est, sermonibus quos ex te audiuimus.

Auditus pro sermone audito.

ERGO FIDES EX AVDITV, AVDITVS AVTEM PER VERBVM CHRISTI. Græcè & Syriacè *per verbum Dei*: nisi quod in nonnullis Græcis habetur vt in Latinis, *per verbũ Christi*: quæ lectio etiam apud Origenem exstat: vt verbum Christi dicatur verbum siue sermo de Christo, id est quo Christus annunciatur. Concludit affirmando quod paulo ante interrogando significauerat. Vnde patet id quod hic dicitur, cum exclusione intelligendum esse hoc modo; Ergo fides nõ est nisi per auditum, saltem ordinariè, vt suprà dictum est. Audiri autem quod credatur non potest, nisi aliquo verbum Dei credendũ annunciante. Loquitur apostolus de fide actuali, de qua dixerat: *quomodo credent ei quem nõ audierunt?* Quanquam & fides habitualis ex auditu est in adultis. Nam vt eam acquirant, debent prius actu per auditum credere. Nullus enim adultus rectè & vtiliter baptizatur nisi credat, dicente Domino: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*. Mar. vltimo;

Fides habitualis an & quomodo per auditum.

& Philippo ad eunuchum cupientem baptizari, *Si credis ex toto corde, licet.* Act. 8. In paruulis autem baptizatis est quidem fides habitualis sine auditu; non tamen sine ministerio hominis baptizantis. Sed & ea ipsa fides nunquam proficiet in illis ad actum fidei, nisi per auditum. Vt enim postea actu credant, instructione aliorum & catechismo opus habent. Quod si paruuli baptizati iamque habitu fideles, postquam adoleuerint, credere non possunt actu sine auditu; quanto magis de infidelibus nihil tale suspicandum est; quod sine externo prædicatore Deus illis mysteria salutis reuelet?

Paruuli baptizati postquam adoleuerint, non credunt nisi per auditum.

18 SED DICO, NVNQVID NON AVDIERVNT? Clarior erit sermo, si verbum *dico* parenthesi claudas: *Sed (inquam) an non audierunt?* Auditionem hanc multi Latinorum referunt ad homines in vniuersum, videlicet gentilibus comprehensis. Iam enim latè propagato euãgelio, multi etiam ex gentibus non poterant excusationẽ prætẽdere quod nõ audiuissent. Hanc igitur excusationẽ dicunt apostolũ hac interrogatione velle excludere, nõ ab omnibus omnino hominibus, sed à multis, etiã gẽtibus. Et quod ita generaliter loquatur, ostẽdi putant ex altera interrogatione tanquã huius aduersatiua, qua paulo pòst dicit; *Sed nunquid Israel nõ cognouit?* At sanè probabilior est Græcorum commentarius, de Iudæis hoc dici, de quibus & præcedens Isaiæ testimonium allatum fuit. Nam de Iudæorum reprobatione Paulo instituta est disputatio; in qua de gentilium incredulitate nulla mentio. Nec diuersum probat interrogatio quæ mox sequitur, *Nunquid Israel non cognouit?* Nam aliud apostolo est audiuisse, aliud cognouisse; quemadmodum ibi declarabitur.

ET QVIDEM IN OMNEM TERRAM EXIVIT SONVS EORVM, ET IN FINES ORBIS TERRÆ VERBA EORVM. *Orbis terræ* Græcè dicitur οἰκουμένη, id est *habitabilis*, siue ea quæ habitatur. Sed & Hebræa vox atque Syriaca orbem habitabilem propriè significat. Versus sumptus ex psalm. 18 iuxta versionem LXX, qui secundum literam scriptus est de prædicatione cæli & cælestium corporum, Dei potentiam, sapientiam & gloriam nobis sua pulcritudine, motu, ordine, effectis annunciantium; sed mystícè refertur ad apostolos in vniuersum mundum missos euangelij prædicandi causa. Connexio cum superioribus hæc est: Vt sit auditus per verbum Dei, ad fidem necessarius; iam missi sunt prædicatores in totum mundum ab eo qui dixit; *Euntes docete omnes gentes*, Mat. 28, &, *Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ*, Mar. 16. Et, *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*, Act. 1. Quod si ita est: quomodo Iudæi non audierunt, etiam qui inter gentes commorantur? Non ergo sentit apostolus omnes omnium sæculorum homines audiuisse; quod constat verum non esse: sed significat, tempore prædinato à Deo prædicatum esse & prædicari euangelium, vt per totum mundum audiatur. Neque rursum vult suo, id est apostolorum tempore permanasse euangelij prædicationem in omnes populos orbis terrarum; sed id iam tum magna parte cœptum fieri, & paulatim impleri. Nam nec hodie completum id omnino videtur: tametsi paucæ nunc restant nationes, ad quas sonus euangelij non aliquando peruenerit, breui fortassis etiam ad eas penetraturus. At neque hunc sensum reddere possumus, quem video quibusdam neotericis placere; dicentibus ideo omnes audiuisse, quia in omnem terram exiuit prædicatio cæli & astrorum ac totius creaturæ, quæ omnibus annunciat creatorem suum, iuxta literalem intellectum psalmi, ex quo verba hæc desumpta sunt. Manifestum est enim non de illa prædicatione loqui Paulum, sed de verbo & euangelio Christi redemptoris ac mediatoris; quod fuit mysterium absconditum à sæculo, neque ex creaturarum contemplatione disci potuit, sed verbo prædicationis euangelicæ debuit annunciari. De quo sanè constat accipi debere locum alterum huic similem, qui est in epistola ad Col. 1. *Quod prædicatum est in vniuersa terra quæ sub cælo est.* Hoc enim de euangelio dicit, quod iam in plurimas quaquauersum nationes, apostolorum prædicatione disseminatum erat; ad plures autem ac remotiores rumore perlatum. Atque hoc sensu fatemur vaticinium psalmi tempore Pauli impletum fuisse. Videntur quidem veterum nonnulli ita loqui, tanquam apostolorum prædicatione in omnes sine exceptione gentes euangelij sermo fuerit perlatus; vt Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius, exponentes illud Mat. 24 *Prædicabitur hoc euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio.* Verum Augustini sententia est, ne suo quidem tempore ad omnes gentes euangelij noticiam peruenisse: tantum abesse, vt apostolorum tempore ad omnes peruenerit. Ita docet in epistola 80 ad Hesychium scripta: necnon lib. de vnitate ecclesiæ cap. 15, & lib. de natura & gratia cap. 2. & ante Augustinum Origenes tract. 28 super Matthæum. Denique in huius loci commentario Heruæus, Caietanus, Sotus, Pererius & alij. Quibus & nos libenter accedimus historiarum euidentia conuicti. Quomodo autem illi sententiæ non aduersetur hic Pauli locus, iam dictum est.

Quo sensu euangelium prædicatũ per vniuersum mũdum.

Cæli enarrant gloriam Dei, quo sensu.

Nondum ad omnes gentes peruenit euangelij prædicatio.

19 SED DICO; NVNQVID ISRAEL NON COGNOVIT? Distingue vt suprà: *Sed (inquam) num Israel non cognouit?* Premit hac interrogatione Israelem, ac peccatũ eius exaggerat, docens non ideo tantum inexcusabilem esse quia audiuit, verum multo magis, quia etiam cognouit: ac si dicat; non tantum audiuit,

Israel non solum audiuit, sed & cognouit, quo sensu.

quod

quod toti orbi commune eſt: ſed & cognouit, id eſt vidit, propè inſpexit, cõtrectauit quod prædicamus: ita vt nihil excuſationis obtendere queat. Viderunt enim Iudæi Chriſtum in carne docentem, & ea omnia facientem ac patientem, quæ de eo prædicta fuerant à prophetis; nec tamen eum receperunt. Hoc eorum peccatum commemorat ipſe Dominus Ioan. 15. *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*, & quæ ſequuntur: vbi & illud addit, *Nunc autem & viderunt & oderunt*. Ecce quomodo Iſrael cognouit. Alij alium huc adferunt ſenſum. Sed quod dixi, conuenit tam cum præcedentibus, quàm cum teſtimonijs ſubiunctis, maximè cum poſtremo, quo dicitur: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem*, &c.

PRIMVS MOYSES DICIT. *Primus*, id eſt prior. Refertur enim ad Iſaiam, vt Moyſe poſteriorem, ex quo mox alterum teſtimonium allaturus eſt. Alij ſic: primus inter cæteros.

EGO AD ÆMVLATIONEM VOS ADDVCAM IN NON GENTEM. Græcè: *æmulari vos faciam in non gente*, ſiue *per non gentem*. Eſt autem in Græco vnum verbum παραζηλώσω, id eſt, æmulari faciam, ad æmulationem prouocabo. De quo plura ad illud capitis ſequentis, *vt illos æmulentur*.

IN GENTEM INSIPIENTEM IN IRAM VOS MITTAM. Græcè, *in gente inſipiente*, ſiue, *per gentem inſipientem iritabo vos*. Auguſtinus quoque legit, *iritabo vos*. Locus eſt Deut. 32 in cantico Moyſi, vbi verſus integer ſic habet: *Ipſi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & iritauerunt in vanitatibus ſuis: & ego prouocabo eos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta iritabo illos*. Ita Hieronymus ex Hebræo. Nec diſſonant LXX, niſi quod pro vanitatibus, ſcripſerunt idola. Mos enim ſcripturæ eſt idola vanitates appellare. Paulus in citando teſtimonio tertiam perſonam mutauit in ſecundam: Sed ea mutatio ſenſui nihil detrahit. Non gentem, infinito nomine, vocat Moyſes gentem contemptibilem & gentis nomine indignam; vtpote, ſicut in altero membro exponit, gentem inſipientem, id eſt ſtultam ac ſtolidam, vt quæ pro Deo lapides & ligna coleret. Sic enim & prior pars verſus in Hebræo legitur; *Ipſi zelare fecerunt me in non Deo*, id eſt colendo id quod non eſt Deus. Simili phraſi dixit Eccleſiaſticus cap. 50, *Tertia non eſt gens*, ſcilicet, *ſtultus populus qui habitat in Sichimis*. Senſus huius loci eſt: Ego gentilem populum, hactenus ob ignorantiam veri Dei merito contemptibilem, & à vobis contemptum, tantis afficiam beneficijs, vt eorum felicitas ad inuidiam & indignationem vos prouocet. Ex quo ſequitur quod dixerat, Iſraelem cognouiſſe bona per euangelium annunciata. Nam inuidere ea alijs non poterat, niſi cognoſceret. Vnde & inuidere Latinis dicitur tanquam intus ac prope videre: quod qui inuident, vt ait Cicero lib. 3. Tuſcul. quæſtionum, nimis intueantur fortunam alterius. Maximè autem inuidere ſolent illi qui felicitatem ſibi præparatam & oblatam atque à ſe neglectam, transferri vident ad alios. Id quod Iudæis contigit. Cæterũ prouocare ad inuidiam & iram dicitur Deus, non quod horum viciorum ipſe ſit author, vt hæretici ſentiunt; ſed quia præſtat ea beneficia, ex quibus alij capiunt inuidendi & iraſcendi occaſionem. Quod ſi inuidia & ira in æmulationem conuertantur, vt Iudæi gentilium exẽplo & felicitate prouocati, in Chriſtum credant (quod intendit apoſtolus ſequenti capite) is affectus bonus eſt & à Deo.

ISAIAS AVTEM AVDET ET DICIT. *Audet*, Græcè ἀποτολμᾷ, pro quo Eraſmus reddit, *poſt hunc audet*, nempe poſt Moyſen, id eſt, ſumpta à Moyſe priore fiduciâ, audet dicere. Nam ἀπὸ *poſt* ſignificat. Verùm rectius interpres noſter & alij verbum compoſitum pro ſimplici accipiunt, vt ſolet Græcis accipi, ſaltem vt ἀπὸ nihil aliud quam vim addat verbo: quaſi dicat apoſtolus; Iſaias autem nihil veritus offenſionem ſui populi, tota fiducia audet dicere hoc quod ſequitur, & apud eum habetur cap. 65. Dicit autem non ex ſua, ſed Dei vel Chriſti perſona.

INVENTVS SVM A NON QVÆRENTIBVS ME. (A) voculam addidit interpres. Præteritum pro futuro poſitum more prophetico, ob rei certitudinem. Senſus: Inuenient me fide ex auditu concepta, qui me non quærebant, ac de me nihil cogitabant, occupati in cultu falſorum deorum; ſcilicet populus gentilis. Vſu ſcripturę quærere Deum dicuntur, qui Deum colere volunt & Deo placere, atque in eo bono proficere, quaſi nondum aſſecuti totum quod cupiunt. Vnde beati non quærunt Deum, ſed habent & poſſident, ita vt ampliùs habere non poſſint. Nobis autem dum in hac vita ſumus, dicitur: *Quærite Dominum & cõfirmamini, quærite faciem eius ſemper*. Pſal. 104.

PALAM APPARVI IIS QVI ME NON INTERROGABANT. Græcè, *manifeſtus factus ſum me nõ interrogãtibus*. Senſus: Conſpicuũ me dedi, cognoſcendũ me ingeſſi, iis quibus nec in mentẽ venit, vt de me interrogarent. velut ſi quis carbones fodiendo quærens, in theſaurum incidat. Apoſtolus ſententiam prophetæ reddidit ordine verborum tranſpoſito: tametſi propius acceſſit ad id quod eſt apud LXX. Nam Hebræa ſic habent: *Quæſitus ſum ijs qui non interrogauerant: inuentus ſum ijs qui non quæſierant me*. LXX verò ſic interpretati ſunt: *Manifeſtus factus ſum me non quærentibus: inuentus ſum me non interrogantibus*. Vbi ſcrupulus occurrit, quomodo dicat Deus ſe quæſitum eſſe, & tamen inuentum à non quærentibus. Antilogiam hanc apparentem tollere voluit

Inuidere Latinis vnde dictum.

Idola & vanitates in ſcripturis.

Gentem non gentẽ quam vocet ſcriptura.

Iudæorũ inuidia aduerſus gentiles.

Quærere Dominũ & ſu Scripturæ qui dicantur.

Quæſtio.

Solutio ex versione B. Hieronymi.

Hieronymus dum ita vertit: *Quæsierunt me qui antè non interrogabant*, ac si sensus esset: Cum antè nulla ipsis esset cura me quærendi, aut de me interrogandi; postea audita verbi prædicatione, tracti per gratiam meam, quęrere me cęperunt. Huc spectat etiam illa quorundam versio, *Quærere me feci.* Alij loco verbi *quæsitus sum*, transtulerũt *obuius factus sũ*, vt Pagninus: vel *expositus sum*, vt Tremellius, adducens similem locum psalmi 111, *Magna opera domini quæsita*, id est exposita *omnibus volentibus ea*, sic vt ea quærere iam non sit opus. Quanquam simpliciter intelligi sic potest: quæsitus sum, id est inuentus sum; vt ex priori posterius significetur per metalepsin. Sic enim ipse propheta seipsum interpretari videtur membro secundo. Atque hæ posteriores expositiones cum eo quod LXX verterunt, adeoque cum sensu Paulino magis conueniunt. Ostendit autem hic locus apostoli, quam verum sit illud à patribus aduersus Pelagianos definitum: Gratiam non dari secundum merita.

Aliorum expositiones.

Gratia nõ datur secũdum merita.

21 AD ISRAEL AVTEM DICIT. *Ad Israel*, Græcè πρὸς τὸν Ἰσραήλ, quod Erasmus vertendum putauit *aduersus Israel.* Nõ enim ad ipsũ Israël diriguntur verba sequentia, sed de eo dicuntur, & contra ipsum faciunt. Sed verius est præpositionẽ πρὸς loco περὶ de positam esse; quemadmodum & alibi, vt in epistola ad Heb. 1, *Et ad angelos quidem dicit*; cum de angelis loquatur versiculus ibi citatus. & eiusdem epistolæ cap. 4, *Ad quem nobis sermo*, id est, de quo. Sic & illud accipiẽdum existimo, quod habetur Mar. 12. & Luc. 20. *Cognouerunt quoniam ad eos parabolam hanc dixerit*, id est de eis; quamuis & illic Erasmus verterit *aduersus eos*, siue *in eos*: quod non est necesse: magisque frequentata est in hac significatione præpositio κατὰ cum genitiuo, quam πρὸς. vt in hac ipsa epistola cap. 8. *Quis contra nos?* Et iterum. *Quis accusabit aduersus electos Dei?* Et cap. 11. *Interpellat Deum aduersum Israel.* ac rursum: *Noli gloriari aduersus ramos.*

TOTA DIE EXPANDI MANVS MEAS AD POPVLVM NON CREDENTEM ET CONTRADICENTEM. Multi codices addunt *mihi*; sed bene submotũ à correctoribus Romanis. Nã nec in Græco legitur, nec in Syriaco; nec apud commentatores, Ambros. Primasium, Sedulium: Multi quoque mss. codices non agnoscunt: Denique nec LXX scripserunt. Addidit quispiam, quod putaret ad sensum deesse. Cæterum in Hebræo nec illud est *& contradicentem.* Ex quo patet etiam hanc partem ab apostolo citari magis ex interpretatione LXX, quam ex Hebræo: tametsi in sensu nullum est dissidium. Sunt autem hæc verba apud eundem prophetam statim post superiora; & hunc habent sensum: Per prædicationem Christi & apostolorum eius, & per crebra miracula ab eis facta, continuè velut expassis ad amplectendum manibus præbui me cognoscendum populo Iudaico; qui tamen persuaderi non potuit vt crederet: (id enim significat Græcũ vocabulum ἀπειθοῦντα, quasi dicas, *impersuasum*) sed semper contradixit ac restitit euangelicæ prędicationi: vt iuxta Simeonis oracului factus sit illis Christus in signum cui contradicatur, Luc. 2. Rursus ex hoc prophetæ testimonio manifestè sequitur, quod apostolus probandum sumpserat, Israelem cognouisse de Christo: quia non solum audiuit de eo, sed etiam vidit prædicantem & mira operantem; vt proinde sit inexcusabilis quod non crediderit; secundum id quod Christus ipse de eis expostulat Ioan. 15, dicens: *Si non veniſſẽ & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* & iterum: *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt & oderunt, & me & Patrem meum.*

Deus ad Iudæos manus suas expandit tota die.

Populus Iudaicus inexcusabilis quod non crediderit.

SVMMARIVM.

Israelitici populi reliquias gratuita Dei electione saluatum iri docet; cæteris excæcatis, ac in eorum locum gentibus assumptis. Quas monet adducta similitudine oleastri & oliuæ, ne glorientur aduersus Iudæos. Fore enim aliquando, vt & illi misericordiam consequantur. Sapientiæ diuinæ profunditatem exclamans admiratur.

CAPVT VNDECIMVM.

1 DICO ERGO: NVNQVID DEVS REPVLIT POPVLVM SVVM? ABSIT. Quamuis testimonia prophetica superius allata manifestè denunciarent reprobationem populi Iudaici; non tamen id suis verbis exprimere voluit apostolus, vt auribus suæ gentis parceret. Sed quia tam aperta de eorum reprobatione erãt prophetarum verba, simul vt ostẽdat promissiones diuinas eidem populo factas haudquaquam excidisse: committere noluit quin ea de re quæstionem moueret. Quam ita explicat, vt Iudæos quam minimè offendat, imò verò etiam consoletur: adductis rationibus quibus doceat in negocio salutis priores esse partes populi Iudaici. Dico, inquit, & quæro occasione testimoniorum quæ ex Moyse & Isaia adduxi: Num igitur Deus repulit populum suum Israeliticum, vt nõ fiat particeps benedictionis promissæ in Christo? Absit hoc; non repulit Deus populũ suũ omnino atque in totum. Quod probat sequentibus verbis ad incommodum deductione: primum ex sua ipsius persona.

Iudaici populi partes in negocio salutis priores.

NAM ET EGO ISRAELITA SVM, EX SEMINE ABRAHAM, DE TRIBV BENIAMIN. Ac si dicat: Si Deus populum suum penitus abiecisset; fateri deberẽ me quoque, qui ex illo sum populo, nõ vt proselytus, sed verè progenitus ex semine Abrahã, atque ex illustri

tribu

tribu Beniamin; reiecticium esse, & alienum à promissione Abrahę facta: eademque ratio de multis alijs Iudæis in Christum credentibus. Vnde subdit generali sententia.

2 NON REPVLIT DEVS PLEBEM SVAM QVAM PRÆSCIVIT. *Plebem*, Græcè λαὸν *populum* vt suprà. Conuenit hæc responsio cum illa cap. 9. *Non quod exciderit verbum Dei. Nõ enim omnes qui ex Israel, ij sunt Israelitæ: neque quia semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen.* Nam illud, *quam præsciuit*, restrictiua determinatio est; vt sit sensus: Non repulit Deus populum suum Israeliticũ qua parte eum præsciuit, seu præcognouit; id est prædilexit, elegit, ac propriè suum esse populũ voluit: in quo beneplacitum est ei ab æterno; secundum illud psal. 149. *Beneplacitum est Domino in populo suo*. ac si clarè dicat apostolus: quem præordinauit ab æterno ad salutẽ. Hoc enim apostolo est præscire, vt ostendimus suprà ad illud cap. 8, *Nam quos præsciuit* &c. Sic & Augustinus interpretatur ac pluribus declarat lib. de dono perseuerantiæ c. 18. Nec secus Aquinas, Liranus, Toletus, & alij. Quam scripturæ phrasim quidam non attendentes, minus rectè referunt verbum *præsciuit* ad beneficia quondam illi populo cumulatè exhibita, velut amoris argumenta. Peius autem illi, qui ex hoc vocabulo statuere nituntur electionem ex operum præuisione, contra illud quod paulo pòst sequitur: *Si gratia iam non ex operibus*: vt ex eius declaratione patebit. Iam etsi maior pars Iudaici populi repulsa sit; noluit tamen apostolus absolutè fateri, Deum repulisse populum suum; tum vt inuidiam duri sermonis declinaret, tùm quia scriptura absoluto sermone id negat psal. 93 dicens: *Quia non repellet Dominus plebẽ suam, & hereditatem suam non derelinquet.* Huc enim apostolum respexisse, verisimile est: ac secundum literam verba aliorsum dicta, suo accommodasse instituto. Leguntur etiam hæc verba: *quoniam non repellet Dominus plebẽ suam* in psalm. 94, duntaxat iuxta vsum psalterij quod Romanum nuncupant. Nam eo loco nec in Hebræo habentur, nec apud LXX, nec in psalterio Gallicano; denique nec in biblijs editionis vulgatæ.

Quid apostolo præscire.

An populus Iudaicus à Deo repulsus.

AN NESCITIS IN ELIA QVID DICIT SCRIPTVRA? *In Elia*, id est, de Elia, vel in gestis Eliæ, quæ scribuntur 3 Reg. 19, vel potius *in Elia*, id est, in persona Eliæ errantis: nõ autem ex persona Spiritus-sancti. Nam falsum aliquid in verbis Eliæ subiunctis continetur.

QVEMADMODVM INTERPELLAT DEVM ADVERSVM ISRAEL? Græca addunt, λέγων *dicens*. An nescitis, inquit, quemadmodum Elias zelo Dei commotus ac cum Deo colloquens, queritur de populo Israel decem tribuũ, atque aduersus eũ postulat vel auxilium, vel vltionem, tanquã totus à Dei cultu ad impietatem delapsus esset; his nimirum verbis, ijsque secundò repetitis.

3 DOMINE, PROPHETAS TVOS OCCIDERVNT, ALTARIA TVA SVFFODERVNT. Græcè *& altaria*. Verba prophetæ mutato ordine refert apostolus. Quod ad historiam attinet, Domini prophetas in regno decem tribuum quotquot reperiri poterant, iussu Iezabel impijssimæ mulieris occisos fuisse, constat ex li. 3 Reg. 19. De suffossis autem altaribus Domini, nihil ibi legitur extra verba Eliæ; quibus sine dubio fides habẽda est. Sed quomodo altaria Domini suffossa, quũ fas nõ esset Domino Deo sacrificiũ offerre, nisi in vno loco quẽ Deus ad hoc delegisset? Qui locus vtique erat Ierosolymæ. Verisimile est Eliã loqui de altaribus quæ passim in excelsis studio quodam pietatis Deo vero erecta fuerãt; maximè postquam decẽ tribus regum suorum tyrannide prohibitæ fuerũt, ne Ierosolymam ascenderent sacrificij causã. Quamuis enim id lege vetitum esset, ac rectè fecerint Ezechias & Iosias reges Iuda, etiam eiusmodi aras euertendo; tamen impium erat eas subuertere odio cultus Dei Israel, vti fecerunt Achab & Iezabel cum suo populo. Tale erat altare quod instaurauit Elias in monte Carmeli, 3 Reg. 18. tametsi de his altaribus aliorum aliæ sunt opiniones; at minus probabiles; quas videre licet apud interpretes historiæ Regum.

Altaria Domini suffossa, quænam intelligãtur.

ET EGO RELICTVS SVM SOLVS. *Solus* Græcè μόνος, quod LXX per superlatiuum expressere, μονώτατος, ac si dicas, omnino solus. Sic enim existimabat Elias, ignarus quantæ latèrent in illo populo cultorum Dei reliquiæ. Sed quæritur, num dicere velit, solus prophetarum, an solus omnium Dei cultorum. Præcedit quidem, *prophetas tuos occiderunt*. & ipse cap. 18 dicit: *ego remansi propheta Domini solus*, vt tantum ad prophetas etiam hæc solitudo referẽda videatur. Verum quod ei respondetur: *Reliqui mihi septem millia virorum* &c. sensum haud dubie exigit generaliorem. Non enim illa septem millia prophetæ erant. Igitur Eliæ querimonia videtur esse huiusmodi: Prophetæ tui interfecti sunt: quibus sublatis cæteri tui cultores horum magisterio & cohortatione destituti, regia authoritate ad cultum Baal attracti sunt; vt proinde ego relictus sim solus. Ita suspicari potuit Elias, quod nullus iam appareret, qui se veri Dei cultorem palàm profiteretur. Ac ne excipias de centum prophetis quos in speluncis absconditos pascebat Abdias dispensator regius, 3. Reg. 18. poterant illi iam deprehensi esse & occisi. Si quis tamen cum Lirano solum interpretetur pene solum, ita vt pauci sint excepti; nihil dicet repugnans historiæ.

Elias quo sensu se solum relictum queratur.

ET QVÆRVNT ANIMAM MEAM. Hebraismus, pro eo quod est, insidiantur vitæ meæ, quærunt me ad perdendum. Hoc dicit de Iezabel & eius consortibus.

Quærere animam alicuius, quid in scriptoris.

4 SED QVID DICIT ILLI DIVINVM RESPONSVM? Pro diuino responso Græcis vna dictio est, quæ oraculum significat, ὁ χρηματισμὸς.

Sensus: Quid Deus oraculo respondit ei?

RELIQVI MIHI SEPTEM MILLIA VIRORVM QVI NON CVRVAVERVNT GENVA ANTE BAAL. Multi codices præpositionem omittunt. Nec enim est in Græco: ac videri potest assumpta ex Latino textu historiæ Regũ. Sic autẽ habent Græca hoc loco, atque etiam (iuxta quosdam codices) in historia memorata apud LXX; ἐυκ ἐκάμψαν γόνυ τῇ Βάαλ. *Non flexerunt genu Baal.* Vbi notandum est articulum fœmineum datiui casus non referri ad *Baal.* Nam Baal masculus erat Tyriorum ac Sidoniorum Deus: & articulum masculinum ei passim LXX præfigunt: & plurale masculinum habet in Hebræo בעלים Behalim. Sed refertur ad aliquid subintellectum, quod Erasmus esse putat εἰκόνι. Vertit enim: *Non flexerunt genu imagini Baal*, id est coram idolo Baal, vt reddit in paraphrasi. Verùm etsi legamus alicubi imagines Baal, vt 4 Reg. 11, sicut & statuas Baal, eiusdem lib. cap. 3. potius tamen statuam, quam LXX στήλην vocant, intelligendam censeo, quàm imaginem. Nam sermo est de vna quapiam insigni statua, nimirum ea quæ in templo Baal collocata fuerat, vt omnes eam adorarent: cuius euersio postea facta iussu Iehu regis Israel, 4 Reg. 10 describitur his verbis: *Et ierunt in ciuitatem templi Baal, & protulerunt statuam de fano Baal, & combusserunt & comminuerunt eam.* Igitur locus præsens sic videretur accipiendus, ac si scriptum esset: τὴν στήλην τυ Βάαλ *statuæ Baal.* Ex quo etiam apparet Baal in Græco genitiuum esse, non datiuum: nisi dicas Baal hic positum pro ipsa statua, idque fœmineo articulo significatum. Quod non est absimile vero, cum & in Hebræo datiuus sit casus, לבעל labahal, *ipsi Baal*; quo tamen nomine statuã siue idolum significari satis declarat expressio cultus externi per signa corporea, genuflexionem & osculum. Porrò codices qui vocabulum *Baal* supprimunt (nam eiusmodi quidam extant etiam mss.) defectiui sunt. Sed nunc sensum oraculi dicamus: Ex hoc populo, ait Dominus Deus, aduersus quem velut totum impium me interpellas, seruaui *mihi ipsi* (Græcè ἐμαυτῷ) septem millia virorum præter mulieres & paruulos, qui non adorauerunt statuam Baal, id est, cultu Baal nõ sunt contaminati. Nã à negatione cultus externi vult intelligi remotũ cultũ internum. Quidã, non malè, septem millia interpretantur multa millia. Nam septem pro multis, frequens est in sacris literis. Rectè quoque annotant Augustinus in lib. de dono perseuerantiæ c. 18. & Chrysostomus in commentario, non dixisse Dominum, relicta sunt, sed *reliqui mihi*, videlicet ad commendandum gratiæ suæ beneficium, ac si dicat: Ego per gratiam meã mihi ipsi eos seruaui, & ne caderent, alijs tam multis cadentibus, effeci, id est, perseuerantiam dedi. Verbis Domini sic explicatis, optimè quadrat illatio sequens: *Sic ergo & in hoc tempore* &c. Scribit Hieronymus in commentario Zachariæ cap. 8, numerum septem millium ad Christianorum nomen pertinere; quia si supputes Græcis numeris ΕΠΤΑΚΙΣ ΧΕΙΛΙΟΥΣ & ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΥΣ, eundem numerum summamque reperies, id est mille nongentos quadraginta vnum. Sed obserua Hieronymum scribere ΧΕΙΛΙΟΥΣ Aeolicè, pro ΧΙΛΙΟΥΣ; alioqui summa non respondebit, sed quinque minus erunt in vocabulo priore. Cæterùm de hac arithmologica speculatione iudicet lector, vt volet.

Septem millia quomodo ad nomen Christianorum pertineãt.

Nomine Baal quid hoc loco significetur.

Vera lectio restituta.

5 SIC ERGO ET IN HOC TEMPORE RELIQVIÆ, SECVNDVM ELECTIONEM GRATIÆ, SALVÆ FACTÆ SVNT. *Saluæ* neque in Græco est neque in Syriaco, nec in omnibus Latinis. Græci quoque commentatores non agnoscunt, nisi quod Origenis commentario videtur Russinus eam vocem admiscuisse. Sed nec Augustinus legit, hanc sententiam citans lib. 2 contra duas epistolas Pelag. cap. 7. de prædestinatione sanctorum cap. 16. & de dono perseu. cap. 18. Denique nec in tract. 86 in Ioannem, iuxta fidem antiqui codicis mss. qui in operibus Augustini castigandis ante annos 35 nobis ad manum fuit è bibliotheca monasterij Gemblacensis. Alijs quidem in locis, tam apud Augustinum quam apud alios patres Latinos reperitur vocabulum *saluæ*; sed, vt verisimile est, ac bene conijcit F. Lucas in suis notationibus, adiectum temerè à scribis, existimantibus sententiam aliter nõ constare. Quod & hoc loco factum est; præsertim accedente recordatione alterius loci, suprà cap. 9 citati ex Isaia: *Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris; reliquiæ saluæ fient.* Atqui Græca huius loci non recipiunt additionem vocabuli *saluæ*; cum saluum facere aut saluum fieri Græcè apud apostolum atque alibi semper dicatur vno verbo σώζειν saluare, & σώζεσθαι saluari, vtroque flexo per modos & tempora. Quod hic non legitur, nec legi potest, nisi auferas verbum γέγονεν. Itaq; meritò Guilliaudus, Sasboldus & Toletus in textu quem suis commẽtarijs adiunxerunt, eam partem omiserunt. Sensui tamen non adeò repugnat ista additio. Nam sensus est: Sicut olim Deus per suam gratiam sibi seruauit septem millia virorum qui non flecterent genua ante Baal, licet id Eliam prophetam Domini lateret; sic & in hoc præsenti tempore (Græcè ἐν τῷ νῦν καιρῷ) videlicet promulgati euangelij, per electionem Dei gratuitam ex populo Iudaico Christum recipere nolente, de quo Ioan. 1, *& sui eum non receperunt*; factæ sunt reliquiæ, id est reliqui sunt, remanserunt, ac seruati sunt multi qui Christum reciperent.

Septem pro multis in scriptura frequens.

Perseuerãtia Dei donum.

6 SI AVTEM GRATIA, IAM NON EX OPERIBVS. *Gratia*, ablatiuus est respondens datiuo Græco χάριτι, ac subaudiendum ex præcedente sententia, *reliquiæ factæ sunt.* Itaque sensus est: Si per gratiam seu gratuitam Dei electionẽ seruatæ sunt reliquiæ quæ in Christum crederent; non igitur ex operibus, id est

ex aliquo

ex aliquo operum merito, id consecutæ sunt, scilicet vt tanquam reliquiæ seruarentur, alijs pereuntibus. Sic interpretatur Augustinus loco memorato libri de dono perseu. Probat autem apostolus eam sequelam necessario argumento, cum addit.

ALIOQVIN GRATIA IAM NON EST GRATIA. *Alioquin* Græcè ἐπεὶ, *quandoquidem*, vt vertit Erasmus. Et sensus est: Nam sequeretur gratiam non esse gratiam, & falsò gratiam vocari. Quanquam clarius idipsum expressit noster interpres per *alioquin*. Id, inquam, sequeretur; quia repugnant gratuitum & debitum. Gratia namque sonat aliquid indebitũ: Meritum autem omne, vt tale, aliquo modo debitum est. Cæterùm abutuntur hoc loco sectarij, Caluinus & alij, ad euertenda bonorum operum merita respectu vitæ æternæ. Si enim, inquiunt, vita æterna datur ex gratia; sicut & suprà dictum est cap. 6, *Gratia Dei vita æterna:* non ergo comparatur ex operum merito. Sic enim gratia non esset gratia, sed debitum. Quibus respondendum est, apostolum loqui non de quibuscumque operibus, sed de ijs quæ gratiam omnem præueniant, & proinde ad solas naturæ vires referenda sint; quomodo de operibus loquebantur Iudæi, suam volentes statuere iusticiam; & quomodo postea Pelagiani, docẽtes gratiam dari secundum merita. Quod si de operibus absolutè loquamur, iam certè non pugnat, dari aliquid ex gratia simul & ex operum merito. Possunt enim ipsa opera, quibus aliquid meremur, esse gratuito donata. Atque ita sanè res se habet in promerenda vita æterna. Nam opera quibus eam meremur, à gratia Dei promanant; nec alia sunt nostra bona merita quã Dei dona; quemadmodum id declarat Synodus Tridentina sess. 6 cap. 16, verbis desumptis ex epistola Cælestini papæ ad episcopos Galliæ cap. 12. Quantum autem ad totam hominis saluationem attinet, quam electio respicit; nihil boni meriti eam præcedit, sed ipsa electionis gratia omnium bonorum operum ac totius renouationis nostrę causa est. Loquitur autem apostolus de gratia electionis, vt ex superioribus constat. Vnde ex hoc loco rectissimè statuitur prædestinatio merè gratuita. Iam quomodo non sit huic doctrinæ contrarium, quod apostolus in superioribus huius epistolæ docuit, iusticiam & salutem nostram esse ex fide, quæ vtique opus quoddam est; ex ijs quę dicta sunt ad illud cap. 3. *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis*, petẽdum relinquo. Sequuntur in Græco textu hæc verba: *Si verò ex operibus, iam non est gratia. Alioquin opus iam non est opus.* Leguntur hæc eadem in commentarijs Græcorum Theophylacti & Oecumenij, nec non in textu Syriaco. An autem ea germana sit apostoli lectio, nihil certum, nec meritò dubitatur. Neque enim apud vllum Latinorum ea verba leguntur, neque in vllis sunt Latinis mss. Imò Græci vetustiores, Origenes, Chrysostomus & Theodoritus in suis commentarijs non attingunt; vt satis probabile sit, additamentum esse Græci cuiuspiã ad textum. Quod & suspicatur Erasmus haud leui ratione motus. *Nam Paulus*, inquit, *non hic agit, an opus sit opus: sed gratiam astruit, quã Iudæi conabantur expellere*. Quocirca Caietano non assentior affirmanti integram hanc sententiam deesse in Latino textu: quum verius existimem simpliciter eam redundare. Sensus autem clarus est ex repugnantia gratiæ & operum, id est meritorum, de qua iam dictum est.

Repugnãt gratuitũ & debitum.

Obiectio sectariorũ cõtra merita bonorũ operum.

Resp̃ōsio.

Quomodo non repugnent, aliquid dari ex gratia, & ex merito.

Non alia sunt nostra bona merita, quam Dei dona.

7 QVID ERGO? supple dicemus. Vel, quid sequitur ex dictis?

QVOD QVÆREBAT ISRAEL, HOC NON EST CONSECVTVS. *Quærebat* Græcè ἐπιζητεῖ *quærit:* nisi quod vnus codex à Roberto notatus legit ἐπεζήτει *quærebat*. Sensus est: Iudæi iusticiam quam quærebant & sectabantur, & adhuc quęrunt, non sunt assecuti; quia non eam quæsierunt nec quærunt quemadmodũ oportet. Quærunt enim ex operibus; cum illa solum habeatur ex gratia. Simili prorsus sententia iam suprà cap. 9 dixerat, quod *Israel sectando legem iusticiæ in legem iusticiæ non peruenit: quia non ex fide, sed quasi ex operibus*. Et c. 10, quod *ignorantes iusticiam Dei, & suam quærentes statuere, iusticiæ Dei non sunt subiecti.*

Electionis gratia causa totius nostræ renouationis.

Prædestinatio merè gratuita.

ELECTIO AVTEM CONSECVTA EST. Hebraismus *electio* pro electis. Sensus: Sed reliquię illius populi, quas per gratiam suam Deus elegit, consecutæ sunt iusticiam, videlicet ex fide. Reliquiarum electionem intelligi liquet ex præcedentibus. Maluit autem dicere electionem quàm electos, vt vim gratuitæ electionis Dei innueret, à qua totum habent electi quod habent, id est, quicquid in eis esse potest boni meriti.

Vis gratuitæ electionis.

CÆTERI VERO EXCÆCATI SVNT. Græcè ἐπωρώθησαν, *indurati sunt*. Ita vertit interpres Ioan. 12, *indurauit cor eorum*. De hoc plenius infrà ad illud, *Cæcitas ex parte contigit in Israel*. Exceptis, inquit, reliquijs cæteri Iudæi non solum deserti sunt; verum etiam sua malicia excæcati, vt clarum lumen veritatis euangelij non videant, imò & indurati, vt videre nolint. Cui sensui bene quadrat testimonium sequens.

8 SICVT SCRIPTVM EST: DEDIT ILLIS DEVS SPIRITVM COMPVNCTIONIS. Hic locus est apud Isaiam cap. 29, iuxta versionem LXX interpretum. Nam vbi nos ex Hebræo legimus, *misceuit vobis Dominus spiritum soporis*, apud LXX legitur, *Potauit vos Dominus spiritu compunctionis*. Igitur spiritum compũctionis, non vt quidam exponunt spiritum doloris & inuidiæ aduersus gentiles in Christum credentes, intelligit apostolus; sed iuxta Græcorũ Chrysostomi, Theophylacti & Oecumenij interpretationem, spiritum stuporis & pertinaciæ; id est animum in malo constantem & obstinatum, vt inde nequeat dimoueri: quẽadmodum quod clauo affixum est, ægrè po-

Spiritus compunctionis quis dicatur.

teſt auelli. Tale quid enim vox Græca κατανύξις ſignificat, pro qua Cyprianus epiſt. 55, quæ eſt ad Cornelium, *tranſpunctionem* legit. Conuenit autem hæc interpretatio cum eo quod eſt in Hebræo, *ſpiritum ſoporis*. Nam & ſopor res tenax eſt, maximè qualem vox Hebræa ſignificat, id eſt, ſomnum arctum & vehementem, cuiuſmodi legitur à Domino immiſſus in Adam Gen. 2, in Abraham Gen. 15, in comites Saul 1 Reg. 26. His enim locis eadē eſt dictio Hebraica תרדמה thardemah, quæ apud Iſaiam: licet LXX non eandem vocem Græcam vbique reddiderint. Nam in Geneſi tranſtulerunt ἔκστασιν, id eſt, mentis exceſſum; in Regum lib. θάμβος, id eſt, ſtuporem; in Iſaia κατανύξιν, vt dixi, id eſt compunctionem: quod & in pſal. 59 legitur, vbi nos habemus: *Potaſti nos vino compunctionis*; etſi non ex eadem dictione Hebraica. Significatur ergo tam ſoporis quam compunctionis vocabulo ſtupor & immobilitas quædam, vt eſt hominis altiſſimo ſomno demerſi, ac nihil ſentientis; aut rei certo loco penitus affixæ. Dedit autem Deus hunc ſpiritum Iudæis, non immittendo animis eorum pertinaciam, ſed gratiam non apponendo, & inſuper pro meritis occaſiones & offendicula ponendo; quemadmodum huiuſmodi ſcripturas intelligendas eſſe oſtendimus ad illud huius epiſtolæ cap. 1. *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.* Porro ſenſum quem dedimus, confirmant ea quæ ſequuntur.

Spiritum pertinaciæ quo ſeſu Deus dare dicatur.

OCVLOS VT NON VIDEANT, ET AVRES VT NON AVDIANT, VSQVE IN HODIERNVM DIEM. Connectit teſtimonium ex diuerſis locis, & quidem eiuſdem prophetæ, iuxta ſententiam omnium ferè expoſitorum. Hanc enim partem ſumptam eſſe volunt ex Iſaiæ cap. 6. quæ tamē anſulam habeat a priori, vbi proximè ſequebatur; *claudet oculos veſtros.* Quanquam non ipſis omnino prophetæ verbis hic citatur. Sic enim apud prophetam & ad ipſum de populo Iudaico loquitur Dominus: *Aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat.* &c. Allegatur idem locus Act. vltimo & Matt. 13, ſed iuxta verſionem LXX verbis nonnihil ab Hebræo diſcrepantem. Ad quam etiam Marcus & Lucas accedunt, idipſum prophetæ teſtimonium breuiter attingentes, ille cap. 4. iſte cap. 8. Cæterum illam clauſulam, *vſque in hodiernum diem*, quæ apud prophetam non legitur, de ſuo Paulum adieciſſe putant, vt ſignificaret id quod prædictum eſt a propheta, iam impletum eſſe, & quotidie impleri. quaſi dicat: Experientia nunc teſtatur ita ſe rem habere. Sed vt demus apoſtolum aliquo modo reſpexiſſe ad memoratum Iſaiæ locū: verioré tamen arbitror Heruæi, qui Anſelmi titulo citari ſolitus, ſententiam à Toleto probatam: Paulum propriè hæc verba deſumpſiſſe ex Moyſe Deut. 29. loquente ad omnem Iſrael; *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens* (Hebraicè *ad intelligendum*) *& oculos videntes* Hebraicè *ad videndum*) *& aures quæ poſſunt audire* (Hebraicè *ad audiendum*) *vſque in præſentem diem.* Hic enim vides adiectam clauſulam quæ apud Iſaiam non apparebat: vt nihil opus ſit eam facere Pauli additamentum. Nec refert quod ad alios Moyſes, ac de alijs Paulus loquantur; quodq; diuerſum diem indicent hodiernum. Nam illi ad quos Moyſes, erant patres iſtorum de quibus Paulus; & ad quos Dominus: *Implete menſuram patrum veſtrorum*, Mat. 23. vt proinde quæ in illos à Moyſe dicta ſunt, appoſitè etiam in iſtos dicantur à Paulo: maximè quod horum etiam typum quendam præferrent illa ſua animi duricia & obſtinatione. Ex ijſdem Moyſi verbis intelligitur non eſſe ſenſum Pauli, Deum dediſſe Iudæis oculos & aures ad hunc finem vt non videant & non audiant: ſed non dediſſe vt oculis viderent, & auribus audirent, id eſt, vt attenderent ad ea quæ viderant & audierāt. Igitur quod de Iudæis dicit apoſtolus, huiuſmodi eſt: Ita à Deo derelicti sūt, vt quod homini ſoporato contingit in corpore, patiātur in animo; ſcilicet vt præ ſtupore nec oculis vtātur ad vidēdū, nec auribus ad audiēdum, ſic vt attendant animis ad myſteria ſalutis per euangelium reuelatę: idq; ex quo tempore Chriſtus aduēnit, vſq; in præſens. Manifeſtè conuincit hic locus, vt & alij ſimiles; ita quoſdam à Deo deſeri, vt auxilium ijs præſto non ſit quo ſe conuertant; ſed ad eam rem nouo diuinæ gratiæ auxilio opus eſſe: de quo idē apoſtolus 2. Tim. 2. *Si quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem.*

Vnde deſumptum præſens teſtimonium.

Verior ſēſentia.

Non omnibus adeſt auxilium quo conuertantur.

9 ET DAVID DICIT; Pſalmo 68.

FIAT MENSA EORVM IN LAQVEVM, ET IN CAPTIONEM, ET IN SCANDALVM, ET IN RETRIBVTIONEM ILLIS. Hic verſus in Hebræo ſic legitur: *Erit menſa eorum coram eis in laqueum, & in retributiones, in offendiculum.* Sic autem apud LXX *Fiat menſa eorum coram eis in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalum*, ſiue *offendiculum.* Ex quo liquet à Paulo additū eſſe quod habet ſecūdo loco, καὶ εἰς θήραν *& in captionē*, ſeu *venationem*; niſi fortè pro laqueo Paulus captionem ſcripſit (nam idem ferè ſignificant) eam vero partem εἰς παγίδα *in laqueum*, ex interpretibus LXX in margine ſcriptam, textui quiſpiam inſeruerit. Porro non eſt diuerſum, quod loco verbi enunciatiui *erit*, Paulus LXX ſecutus ſcripſit imprecandi modo γενηθήτω *fiat.* Nam intentio prophetæ eſt non nudè prædicere hanc pœnam, ſed eam tanquam iuſtam optare & approbare: vtpote cuius ſit ſuam voluntatem diuinæ voluntati ſibi certò cognitæ conformare. Quod ex eo patet, quia propheta mox ab enunciatiuo modo ad imprecatiuum tranſit, in illa parte pſalmi etiam hic citata, *& dorſum eorum ſemper incurua.* Menſam intellige vel ſcripturam ſacram, vel prædicationem euangelij. Nam verbum Dei cibus eſt animæ quam maximè ſalutaris. Quidam referunt ad

Prophetæ non nudè ſed optatiuè pœnas hominum prædicunt.

Menſa nomine ſcripturæ vel euangelij prædicatio ſignificata.

epulum

epulum agni paſchalis: eo quod Iudæi, quum tempore paſchæ conueniſſent Ieroſolymam ad comedendum phaſe, omnes ab exercitu Romano concluſi ac veluti laqueo comprehenſi, miſerè perierint, vt ſcribit Ioſephus lib. 7 de bello Iudaico cap. 17. tanquam in illis tunc impletum ſit, quod hoc verſu prædicitur. Verùm conſtat apoſtolum hoc loco non de ea pœna nec de eo tempore loqui: ſed de ſpirituali pœna cæcitatis & ſurditatis Iudæorum. ac de toto tempore quod Chriſti aduentum ſequitur. Itaque ſenſus eſt; Ob præcedentia peccata in Chriſtum commiſſa, quæ in eodem pſalmo ante hunc verſum recenſentur) meritò hoc patientur exigente Dei iuſticia, vt menſa verbi Dei quam illis Deus parauit, vertatur eis in in laqueum quo capiantur & comprehendantur; & in offendiculum in quod grauiter impingant; id eſt, vertatur eis in perniciem & ruinam: & hoc totum contingat eis in retributionem ſeu iuſtam vindictam, propter ipſorum peccata. Fit autem ſcriptura ſacra in laqueum & ſcandalum omnibus illis, qui contempto eccleſiæ magiſterio priuatum ſuum ſenſum ad eam adferunt. His enim omnibus certus inſtat interitus. Quales non ſolum Iudæi, verum etiã omnes hæretici. Sed & euangelij prædicatio facta fuit Iudæis in ſcandalum: quia in hominem crucifixum credere, & ab eo ſalutem ſperare, quæ ſumma eſt euãgelicæ prædicationis, indignum iudicarunt. Quod hoc loco Chryſoſtomus & eius ſequaces menſam Iudæorum interpretantur delicias eorum. mihi videtur inſtituto Pauli nihilo magis conuenire, quàm quod de menſa agni paſchalis ab alijs adferebatur.

Quibus ſcriptura ſacra fiat in laqueũ & ſcandalum.

10 OBSCVRENTVR OCVLI EORVM NE VIDEANT. Id eſt, mens eorum ſubtractione tui luminis ita obtenebretur, vt recto iudicio priuati claram ac præſentem veritatem non agnoſcant.

ET DORSVM EORVM SEMPER INCVRVA. Quanquam hoc ad literam à propheta dictum videri poſſit de iugo ſeruitutis, quo preſſi ſunt Iudei à tempore excidij Ieroſolimitani (Quibus enim magna onera imponuntur, vt ſerui, incuruato dorſo incedunt:) attamen ex mente Pauli ſpiritualis pœna potius intelligenda eſt, vt ſit ſenſus; Nihil cæleſte ſapiant, ſed animo ac deſiderio ſemper terram ſpectent: res terrenas quærant ac deſiderent; contra quàm veri Chriſtiani, quorum conuerſatio in cælis eſt, dum ea quæ ſurſum, quærunt ac ſapiunt, non quæ ſuper terram, Phil. 3. Col. 3. Simili tropo ſermonis dictum eſt à poëta; *O curuæ in terris animæ & cæleſtium inanes.* Quam verè autem hoc in Iudæorum gentem competat, auaricia & vſutis exercendis infamem, etiã vulgo notum eſt.

Quo ſenſu Iudei incuruati in terrã.

11 DICO ERGO: NVNQVID SIC OFFENDERVNT VT CADERENT? ABSIT. Redit ad id quod initio huius capitis inſtituit: moueréque eorum quæ proximè dicta ſunt occaſione ſimilem quæſtionem cum ea quam illic ſibi fecerat: Num ita Dei iudicio ſint excæcati Iudei, vt prorſus actum ſit de tota natione, nec ſperanda ſit vlla reſtitutio. Reſpondet autem negatiuè, quemadmodum ſupra; dicens, *Abſit.* Particula *ſic* in Græco & Syriaco non habetur. Et illud *vt caderent* bifariam intelligi poteſt. vel vt cauſa finalis ſignificetur, vel vt euentus. Simul obſeruanda metaphora in verbis offendere ſiue impingere, & cadere; quorum illud leuius eſt iſto. Non enim qui impingit, continuò cadit. Intelligit autem apoſtolus offenſionem & caſum non in leuioribus & grauioribus peccatis, ſed offenſionem quidem in parte populi, caſum autem in toto, ac ſine ſpe reparationis. Cenſetur enim populus offendiſſe tantùm, ſi non totus cecidit; maximè ſi caſus ſit reparabilis. Igitur priori modo ſenſus eſt: Iudæos non idcirco permiſſos impingere per hoc quod multi ex eis Chriſtum auerſati ſunt, vt tandem gens tota à iuſticia & ſalute excideret; quaſi Deus illam permiſſionem ordinauerit ad hunc finem: Id enim alienum eſt à Dei bonitate. Sed ordinauit ad eum finem, qui verbis ſtatim ſequentibus explicatur. Poſteriori modo ſenſus eſt: Iudæos non ſic offendiſſe vt penitus caderent; id eſt vt caſus irreparabilis, & omnium vniuerſalis inde ſit ſecuturus. Neque enim omnino populum Iudaicum Deus abiecit, ſed reliquias ſibi inde ſeruauit, ac cæterorum caſu ad tempus vti voluit tanquam occaſione conuerſionis & ſalutis gentium; ſicut in ſequentibus docetur. Hunc poſteriorem ſenſum attendit Latinus interpres, quando de ſuo addidit *ſic*. Nec repugnat Græca coniunctio ἵνα, quod Eraſmus putat. Nam ea licet ordinariè finalem cauſam denotare ſoleat; interdum tamen adhibetur in ſcripturis ſacris ad ſignificandum euentum, vel modum cum euentu: velut huius epiſtolæ cap. 7, *Vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.* Et Lucæ 11, *Vt inquiratur ſanguis omniũ prophetarum* &c. Quod Matthæus c. 23 expreſſit per ὅπως, adeò *vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus* &c. Ita ferè quoties apud euangeliſtas dicitur; *Vt impleretur quod dictum eſt per prophetam: Vt impleantur ſcripturæ* &c. Nec ſolum expoſitores Latini locum hũc ita ſunt interpretati, ſed & Græci Chryſoſtomus & Theophylactus: quemadmodum & illum infrà: *fracti ſunt rami, vt ego inſerar.* Atque hic ſenſus ſufficit inſtituto Pauli. Non enim quærit, an Iudæorum caſus ſit cauſa propter quã Deus permiſerit eos offendere: ſed an omnino ex hac offenſione caſus ille ſit ſecuturus. Quanquam ad vtrumque ſenſum aptari poſſunt quæ ſequuntur; vt in ijs & euentus & cauſa finalis ſignificetur. Porrò B. Auguſtinus in expoſitione præſentis loci, fatetur quidem Iudæos cecidiſſe, de multitudine id intelligens; (Nam & apoſtolus id agnoſcit infrà, cùm dicit: *In eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem*) ſed *non ita deliquerunt*, inquit, *vt caderent*

Offendere & cadere quomodo differant.

Iudæorũ caſus nec vniuerſalis eſt, nec irreparabilis.

derent, id eſt vt tantummodo caderent, quaſi ad pœnam ſuam ſolum: ſed vt hoc ipſum quod ceciderunt, prodeſſet gentibus ad ſalutem.

SED ILLORVM DELICTO SALVS EST GENTIBVS, VT ILLOS ÆMVLENTVR. Reſponſionem ſuam negatiuam declarando proſequitur, oſtendens aliquot rationibus Iudæorum ſalutem quamuis offenderint, non eſſe deſperandam. Quarum hęc eſt prima, ſumpta ab ipſarum gentium ſalute diuinitus ordinata ad bonum Iudæorum. Quæ ratio vt intelligatur, ſciendum eſt verbum *æmulari* hîc poſitum eſſe ab interprete in ſignificatione actiua, pro eo quod eſt prouocare ad æmulationem, quemadmodum & vſurpauit 1 Corinth. 10, *An æmulamur Dominum?* Nam ea Græci verbi παραζηλῶσαι ſignificatio eſt: & in eum ſenſum interpres noſter alibi illud exponit, vt in hoc ipſo capite poſt paucula: *Si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam.* Et capite ſuperiori: *Ego ad æmulationem vos adducam.* Denique & ex Syriaco ſic habemus interpretatum: *ad prouocandum eos ad æmulationem.* Poteſt autē tam Græca quàm Syriaca lectio duobus modis exponi; vt vel ad gentes verbum referatur, vel ad Deum. Ad gentes quidem hoc modo, vt gentes ſalutem adeptæ prouocent ad æmulationem Iudæos. Quod intelligenon ſtudio ſed exemplo. Et hoc voluiſſe videtur noſter interpres, quando Græcum infinitiuum plurali numero vertit, *æmulentur*. Ad Deum autem hoc pacto: vt Deus ad æmulationem gentium prouocet Iudæos. Id voluerunt alij tranſlatores qui ſingularem numerum reddiderunt, *prouocet*, aut *prouocaret*, ſecuti Græcorum commentarios, qui prouocationem hanc Deo videntur aſſcribere; idque rectius, vt exiſtimo. Nam Deo Moyſes aſſcripſit in illo verſu quem præcedenti capite Paulus ex eius cantico citauit: & ex quo præſentem rationem excerpſit. Præterea notandum pro *delicto* Græcè legi παραπτώματι, quod etiam lapſum ſignificat, vt à caſu diſtinguitur. Eſt enim leuius labi quàm cadere. Atque hoc reddiderunt alij interpretes: idemque volunt commentarij Græcorum. Sed & Syriaca dictio lapſum denotat. Pertinet autem hoc ad metaphoram ſuperiorem, vt medium quiddam inter offenſionem & caſum: quo ſignificetur Iudæos non quidem ſic offendiſſe vt caderent; ſic tamen vt laberentur; ne quis offenſionem eorum plus ſatis extenuet. Quanquam ſunt qui παράπτωμα interpretentur offenſam, id eſt impactionē: vt idem ſignificatum ſit hoc nomine, quod prius verbo ἔπταισαν *offenderunt*. Eſtque id contextui Paulino conſentaneum. Igitur ſenſus apoſtoli eſt: Quin potius delicto ſeu lapſu ſiue offenſa Iudęorum vſus eſt Deus ad magnum quoddam bonum, ſcilicet ad vocationem & ſalutem gentium; viciſſim vſurus gentium conuerſione ad ſalutem Iudæorum. Dum enim gentes ad fidem vocat, Iudæos (ſicut per Moyſen prædixit) ad æmulationem prouocat; vt qui videant promiſſa patribus ſuis facta, & à ſe neglecta, transferri ad gentes. Hac igitur æmulatione perciti, velut ex contentione & ipſi Chriſtum ſaluatorem recepturi ſunt; quem prædicantibus apoſtolis recipere noluerant. Ad hunc ſenſum collimant Græca, ab Eraſmo paulo clarius ſic reddita: *Sed per lapſum illorum ſalus contigit gentibus, in hoc vt eos ad æmulandum prouocaret.* Iam quomodo Iudæorū lapſus & infidelitas fuerit occaſio ſalutis gentilium, docent non vno loco Acta apoſtolorum, vbi Iudęis euangelium repellentibus ad gentes tranſiſſe leguntur: nominatim cap. 13 & vltimo. Porrò quāuis æmulatio iam dicta non in omnibus efficiat Iudæis vt euangelio credant (multi enim zelo commoti fuerunt ob fidem gentium, nec eam ſunt imitati, vt Act. 13, 17 & alibi) non tamen exiſtimandum eſt ſolum in fine ſæculi Iudæos hac æmulatione adducendos ad fidem; verumetiam aliàs, Deo miſerante, id contingere & contigiſſe, licet non tanto numero. Certè legimus ante ducentos annos vnius Vincentij Ferrerij viri ſancti concionibus ſupra viginti quinque millia Iudæorum adducta fuiſſe ad Chriſtum. Et ſcimus adhuc Romæ ſingulis annis aliquot Iudæos baptizari. Dicet aliquis: Quid ſi Iudæi Chriſtum recepiſſent: an non contigiſſet ſalus gētibus? Reſpondeo; Contigiſſet vtique, quia pro mūdi ſalute paſſus erat Chriſtus. Verùm nec tam citò perlatum ad eas euangelium fuiſſet; nec eodem ordine quo nunc, ſalus earum fuiſſet procurata.

12 QVOD SI DELICTVM ILLORVM DIVITIÆ SVNT MVNDI. Secunda ratio ſumpta ab eo quod gentibus vtile eſt, & proinde optabile, ac merito à Dei miſericordia ſperandum. Si, inquit, delictum ſiue lapſus Iudęorum per occaſionem ceſſit ac redundauit in ſpirituales mundi diuitias, hoc eſt in ſalutem copioſè præſtitam gentibus toto orbe diffuſis: Sequitur.

ET DIMINVTIO EORVM DIVITIÆ GENTIVM. Id eſt, ſi ceſſit ad multitudinem gentium conuertēdam Iudæorum abiectio, qua factum eſt vt tam pauci ex illis fidem ſuſciperent, cæteris infidelitate excæcatis: Sequitur.

QVANTO MAGIS PLENITVDO EORVM? Supple, diuitiæ gentium erunt? id eſt, quanto magis valebit ad confirmandam & dilatandam in gentibus fidem, conuerſio populi ipſius Iudaici, id eſt maximę multitudinis eorum? Quam conuerſionem futuram in fine ſæculi, infrà docet. Argumentum eſt à minori. Si enim Iudæi credere nolentes occaſionem dederunt multitudinis gentium conuertendæ ad fidem: multo magis conſentaneum eſt, vt ijdem credentes cauſa ſint amplificandæ fidei in gentibus. Hoc enim per ſe eſt, illud per accidens. Iam vlterius collige: Si Deus propter vtilitatem totius mundi, id eſt populi gentilis, permiſit Iudæos labi ac diminui: multo magis eos reſtaurabit & ruinas

eorum

Æmulari pro eo quod eſt ad æmulationem prouocare.

Iudæi etiā ante finē ſæculi ad fidem adducūtur.

Quæſtio.

Reſpōſio.

Delictum pro lapſu poſitum.

Iudæorū delictum diuitiæ mundi.

Deus lapſu Iudæorum vſus ad conuerſionem gentium.

eorum implebit pro mundi vtilitate. Non igitur desperanda nobis est eorum conuersio. Rationem hanc docte & dilucide explicatam habes apud S. Thomam. Cæterum obserua pulcherrimam metaphoram in nomine diuitiarum, quas ad fidei transfert incrementa. Sic Iac. 2, *Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide.*

In nomine diuitiarum metaphora.

13 VOBIS ENIM DICO GENTIBVS; QVAMDIV QVIDEM EGO SVM GENTIVM APOSTOLVS: MINISTERIVM MEVM HONORIFICABO. Pro *quamdiu* Græcè est ἐφ' ὅσον, quod interdum quidem temporis significationem habet, vt Mat. 9, *Quamdiu cum illis est sponsus.* Atque ita accepit Origenes hoc loco. Sic enim interpretatur; quamdiu sum apostolus, id est semper ac fine fine. Quod etiam ad futurum sæculum extendit, non sine erroris suspicione. Verùm vsitatius ad rationem refertur, Latinè *inquantum, quatenus, qua ratione.* Et ita accipiendum hoc loco arguit præsentis temporis verbum δοξάζω *glorifico:* quomodo & Augustinus legit lib. 9 contra Faustum c. 2. pro quo noster interpres futurum reddidit *honorificabo*, quoniam hoc magis quadrabat cum aduerbio *quamdiu:* nisi fortè legit futurum δοξάσω; tametsi ad sensum non multum interest vtrum legas. Est autem hæc tertia ratio à signis, hoc est ab ipsius Pauli conatu in adducendis ad Christum Iudæis. *Quod quidem non faceret*, inquit Thomas hanc rationẽ explicans, *si casum Iudæorum irreparabilem putaret. Vnde suum ipsius studium, quod adhibebat ad cõuersionem Iudæorum, inducit pro signo, quod eorum casus sit reparabilis.* Sic ille. Gentes autem alloquitur Paulus, earum apostolum se nominans, ne dicturus de suo erga Iudæos conuertendos studio, videatur oblitus officij peculiariter sibi demandati in gentes. Vos, inquit, ô gentes, appello. Quandoquidem sum vester apostolus; ministerium hoc meum non desero, sed gnauiter obeo, atque illustre & celebre reddo: quod probat multitudo eorum qui passim ex gentibus mea prædicatione ad fidem conuertuntur. Vocat se gentium apostolum hic & alibi, quia præcipuum eius officium diuinitus iniunctum, erat circa salutem gentium; quemadmodum ex historia Actorum apostolicorum constat. Nec tamen negandum est, etiam missum fuisse vt Iudæis prædicaret. Sic enim dicit de eo Dominus Act. 9. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & filijs Israel.* Vnde patet verum non esse quod quidã hoc loco annotant, Paulum prædicantem Iudæis fecisse opus supererogationis: quasi per hoc suum ministerium quod in gentes acceperat, honorificare se dicat. Qui commentarius legitur apud Hugonem, Heruæum & Aquinatem; sumptusque est ex Ambrosiastro. Nec enim Paulus his verbis significat se prædicasse euangelium Iudæis: (quanquam id sæpe fecerat) sed se prædicantem gentibus, etiam Iudæorum saluti consulere. Hoc enim est quod sequitur.

Paulus quare se dicat gentium apostolum. Paulus etiam ad Iudæos missus.

14 SI QVOMODO AD ÆMVLANDVM PROVOCEM CARNEM MEAM. Quod, inquit, tam diligenter exerceo munus apostolicum inter gentes, non solum id facio pro salute gentiũ, verum etiam Iudæorum: vt scilicet hi zelotypia quadam incitati, dum vident gentes per fidem adiungi Deo patris sui Abraham, & promissiones Abrahæ seminíque eius factas à gentibus occupari; accedant etiam ipsi ad fidem, studeantque cum illis saltem, si non præ illis, benedictionis patribus suis promissæ participes fieri. Carnem suam vocat Iudæos propter cognationem carnis. Quod expressius dixit cap. 9. *Qui sunt cognati mei secundum carnem.* Sic autem loquitur, vt quodam naturæ vinculo obstrictum se significet ad promouendam Iudæorum salutem; de qua subiungit.

ET SALVOS FACIAM ALIQVOS EX ILLIS. Dicit, *aliquos*; sciẽs suo tempore non futurum vt admodum multi ex eis ad salutem adducantur; plenitudine videlicet in aliud tempus reseruata. Illud in his verbis obserua, quamuis humanam salutem totam ab initio fidei vsque ad consummationẽ gloriæ Deus principaliter operetur; ministros tamen euangelij & sacramentorum, etiam suo modo saluos facere homines; nimirum vt viua quædam instrumenta, quibus ad peragendam eorum salutem Deus vtitur. Sic idem apostolus ad Timoth. 1 epistolæ 4. *Hoc enim faciens & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* Et Iacobus in fine suæ epistolæ: *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte.* Et Dominus ipse Mat. 18. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.*

Ministri euangelij & sacramentorũ quomodo saluos homines facere dicãtur.

15 SI ENIM AMISSIO EORVM RECONCILIATIO EST MVNDI; QVÆ ASSVMPTIO, NISI VITA EX MORTVIS? Studium illud suum rursus comprobat ex eo quod vtile futurum sit ipsis gentibus. Probat autem sententia simili cum illa præcedente, *Quod si delictum illorum diuitiæ sunt mundi &c. Amissio* Græcè ἀποβολή, *abiectio*, quam opponit assumptioni. Reiectionem legit Augustinus loco suprà citato. Cæterùm assumptionem intellige non additionem Iudæorum ad gẽtes, vt quidam volunt; sed qua assumendi sunt à Deo, qui prius abiecti erant. Hunc enim intellectum postulat antithesis inter abiectionem & assumptionem. Nec secus accipitur infrà cap. 14, *Deus enim illum assumpsit.* Si, inquit apostolus, Iudæorum abiectio per occasionem valuit ad reconciliationem gentium cum Deo; quid dicemus de assumptione Iudæorum, qua nimirum assumentur à Deo ad gratiam euangelij & ad salutem in fine sæculi; nisi quod ea multo magis sit profutura gentibus ac toti mundo, ad nouitatem vitæ ex morte peccati? Vel simpliciter hoc pacto: Si Iudæorum abiectio cessit mundo ad peccatorum remissionem: quid mundo cõferet eorum assumptio, nisi iustificationem, quæ est vita ex mortuis?

Iudæorũ assumptio qua dicatur.

Solet

Vita ex mortuis apostolo quæ dicatur.

Solet enim apostolus ratione distinguere hęc duo, mori peccatis, & viuere Deo per iustitiam: atque hoc præ illo velut aliquid maius commendare; vti videre est supra cap. 6 per aliquot versus. Quo pertinet etiam illud c. 4. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*. Aliter tamen Græci Origenes, Chrysostomus & Theodoritus quos multi sequuntur. Intelligunt enim vitam ex mortuis, vniuersalem mortuorum resurrectionem, quæ Iudæorum assumptionem est consecutura. Neque enim prius mortui resurgent ad vitam, quam Iudaicus populus receperit fidem Christi. Rursus alij vitam ex mortuis figuratè interpretantur cumulum bonorum, &, vt Oecumenius loquitur, *perfectum integrumq; gaudium, quale erit in perfecta communiõ vita ac resurrectione ex mortuis*. Quę omnes expositiones probabiles sunt. Porrò quam non sit desperanda Iudæorum salus, licet ad tempus amissi & abiecti sint; pergit adhuc docere duabus metaphoris subiũctis. Et hanc ponimus quartam rationem apostoli, sumptam ex qualitate maiorum, vt patebit.

16 QVOD SI DELIBATIO SANCTA EST; ET MASSA. Græcè: *Si autem primitiæ sanctæ; & conspersio*. Nam *massa* nomen est ad multa generale: φύραμα verò Græcum, ac Latinum conspersio, propriè significant farinam aqua temperatam ad pinsendum. Conspersionem legit etiam Hilarius enarrans psalmum 58. Prior itaque hæc metaphora desumitur ab eo quod in lege fiebat: vbi Deo oblatis, & per hoc sanctificatis frumenti primitijs, vt præcipitur Num. 15, quæcumque massa postea fieret ex eo frumento, reputabatur sancta. Sic igitur si patriarchæ, qui sunt velut primitiæ populi Iudaici, sancti fuerunt; etiam populus ipse ex illis progenitus, reputabitur sanctus. Ita Chrysostomus, Oecumenius, Gaignæus & alij; primitias, ęquè vt mox radicem, interpretantes Iudæorum patriarchas. Noster interpres primitias delibationem vocat, quod primitiæ primò delibentur, id est, vt portio quædam exigua desumantur ex reliquo corpore seu frumenti, seu aliarum rerum Deo offerendæ. Nisi forte significare voluit fermentum, quomodo Theophylactus ἀπαρχὴν interpretatus est. At nescio quam rectè; quum vsus loquendi, præsertim scripturæ sacræ, non habeat, vt fermẽto nomen ἀπαρχῆς attribuatur; ac vix soleat fermentum in scripturis habere bonæ rei significationẽ. Fortasse Theophylactus, vt homo Græcus posterioris ætatis, panem fermentatum quo Græci in mysterijs vtuntur, hac sua expositione commendare voluit. Sunt qui delibationem interpretentur id quod ex massa farinacea sumitur ad probandum; & per eam significari putent vel apostolos vel primos fideles; quos ex gente Iudæorum assumptos à Deo dicunt, velut delibationem ex massa. Sed hoc glossema quod Latinorum tantum est, nec Græco textui, nec intentioni Paulinæ existimo conuenire.

Primitiæ populi Iudaici patriarchæ.

Male Theophylactus ἀπαρχὴν fermentũ interpretatur.

ET SI RADIX SANCTA, ET RAMI. Id est: Si patriarchæ, ex quibus velut radice processit arbor Iudaici populi, sancti sunt: ipsa etiam arbor cum ramis suis, id est, populus Iudaïcus sanctus erit. Origenes tam primitias quã radicem, non alium quam Christum vult intelligi: quoniam, inquit, *huic radici omnis qui saluatur, inseritur, & ex hac delibatione sancta omnis massa humani generis sanctificatur*. Sed & hic commentarius recedit à mente apostoli, qui non intendit hoc loco docere, quis sit author sanctificationis tam Iudæis quã gentibus; sed peculiari de Iudæis ratione suadere, quod in negocio sanctificationis non debeãt contemni: videlicet ex eo quod sanctos habuerunt progenitores. Ad quam rem mox etiam adducit similitudinem oliuæ. Porrò ex duabus iam dictis Pauli probationibus quidam hæreticorum docere conati sunt, Christianorum filijs, vt sanctificentur, non esse necessarium baptismi sacramentum: quod eo ipso quo Christianos habent parentes, sancti sint, &, vt aiunt, promissionis ad Abraham factæ participes. Quod argumentum si valeret; multo magis ostenderet omnes Iudæos, vtpote ex sanctissimis patriarchis prognatos, sine exceptione sanctos esse, nec vllo sacramẽto ad sanctificationem indigere. Quod falsissimum esse constat. Quare dicendum est, apostolum vti his comparationibus velut argumento probabili, ad docendum, Iudæos potiori ratione participes fieri posse gratiæ Dei quam gentiles: eo quod nati sint ex patribus quibus factæ sunt promissiones, quique sancti fuerunt & accepti Deo. Cum enim per institutionem plerumque fiat vt posteri teneãt eandem cum suis maioribus religionem & & pietatem; quod & futurum in posteritate Abrahæ per sanctam filiorum eius educationem, Dominus ipse testatus est Gen. 18, consentaneum est Iudaicum populum è sanctis patribus ortum, sanctitatem illam velut quodammodo hereditariam retinere. Sed etsi multi è populo sua malicia à sanctitate maiorum deflexerint; futurum tamen vt facilius ad id quod eis naturale quodammodo est, reuocentur, & fiat quod dicitur Malach. vltimo: *Conuertet cor filiorum ad patres eorum*. Non ergo sanctum vocat Iudaicum populũ Paulus, quod sanctitatem in se habeat; sed quia habet vnde sanctificetur, tanquam massa ex primitijs, & rami ex radice; vt proinde sanctus dici possit in spe & causa probabili, & in quadam præparatione; quam scriptura non rarò sanctificationem vocat. Quæ præparatio & causa est, habere sanctos progenitores. Nam & simili sensu 1 Cor. 7, idem apostolus sanctos vocat filios, propter alterum parentem sanctum, id est Christianum: tametsi is locus etiam aliter intelligi potest, vt ibi videbitur.

Radix Iudaici populi ijdem patriarchæ.

Refellũtur qui ex hoc loco docent Christianorum filijs non esse necessariũ baptismum.

17 QVOD SI ALIQVI EX RAMIS FRACTI SVNT. Græcè *defracti sunt*, scilicet ab arbore.

Iudaicus populus quare sanctus vocetur.

Repri-

Populus Iudaicus oliuæ cõparatus: gentilis oleastro.

Reprimit gloriationem & fastum gentilium aduersus Iudæos, persistens in metaphora radicis, arboris, & ramorum; & Iudaicum quidem populum, quatenus instar arboris surrexerat ex sancta radice maiorum, eamque generis nobilitatem retinebat, oliuam vocat; gentilem verò populum oleastrum, id est oleam siluestrem & infructuosam, quod ortus ex profana radice, scilicet eorum qui verum Deum ignorantes idola coluerant, eorumque instituta sequens, nullum ferret fructum pietatis. Quod si, inquit, aliqui Iudæorum recesserunt à sancta societate sui populi, tanquam rami fracti ab arbore bona, cuiusmodi est oliua.

TV AVTEM CVM OLEASTER ESSES, INSERTVS ES IN ILLIS. Hic rursus sermonẽ ad eos conuertit qui ex gentibus crediderant: hancque suam apostrophen continuat pene vsque ad finem capitis. *Insertus* dixit interpres pro *insitus*. Tu autem, ait apostolus, ô populo gentilis, cum prius esses oleaster, id est populus profanus & infidelis, ex profanis & infidelibus oriundus: nuper insitus es oliuæ *in illis*, id est inter illos, scilicet oliuæ ramos in arbore manentes. Hoc est, per fidem, spem & charitatem adiunctus es & vnitus sanctæ societati eorum qui descenderant ex patriarchis. Nam oues quæ sunt ex gentibus, adducuntur ad ouile electorum ex Iudæis, Ioan. decimo. Quidam ἐν αὐτοῖς interpretantur in truncum, alij in locum ramorum defractorum. Sed vtrumque minus rectè. Nam Græca præpositio non eum vsum habet. Ostendit autem manifestè hic locus, eadem fide, eodẽq; spiritu gratiæ donatos esse vtriusque temporis iustos, & qui Christi aduentum præcesserunt, & qui sequuntur.

Oleaster insitus oliuæ quo modo.

ET SOCIVS RADICIS ET PINGVEDINIS OLIVÆ FACTVS ES. *Socius* Græcè συγκοινωνὸς, *comparticeps*, *consors*. Sensus: Et vnà cum ramis oliuæ naturalibus factus es particeps eiusdem radicis, eiusdemque pinguedinis, quam radix toti arbori subministrat. Hoc est; tanquam & ipse ex patriarchis ortus esses, eandem Dei noticiam ac multiplicem gratiam simul cum Iudæis illorum posteris, velut Iudæorum coheres, ex communi radice suxisti. Hoc nimirum est quod idem apostolus dicit ad Ephes. 3, *gentes esse coheredes & concorporales & comparticipes promissionis*; scilicet vnà cum Iudæis, quorum maioribus promissio de Christo facta fuerat. Admonet Origenes, oliuæ & oleastri similitudinem ab apostolo non eo ordine positam esse, quo apud agricolas habetur. *Illi enim*, inquit, *magis oliuam oleastro inserere, & non oliuæ oleastrum solent: Paulus verò apostolica authoritate ordine commutato, res magis causis, quam causas rebus aptauit*. Sic ille. Quod & ab alijs annotatum inuenio. Nam in vniuersum insitiones fieri solent, quum ex arbore fœcunda surculus inseritur in sterili, non contra; siue fisso ramo insitio fiat, siue terebrato; quod genus inoculationem vocant. Sed de ea re viderint agricolæ. Nihil absurdum si similitudinem quis assumat ab eo quod in natura non eo fit ordine quo ad institutum applicatur. Tale enim est quod gentili populo Paulus dicit: Ita tecum actum est, vt si ex oleastro surculum quis inserat oliuæ, fructum inde vel præter naturam consecuturus. An autem hoc significetur illis verbis infra positis, *& contra naturam insertus es in bonam oliuam*, illic expendemus.

Quomodo dictum à Paulo, oleastrum inseri oliuæ.

18 NOLI GLORIARI ADVERSVS RAMOS. Hic absoluit periodum ceptam ab eo loco, *Quod si aliqui* &c. Quamuis, inquit, illa ad eum modum se habeant; non tamen est quod glorieris aduersus ramos. Nam iniquum & improbum est ramos insiticios iactitare sese contra naturales, ipsique se anteferri velle. Sed quia dicere poterant gentiles se esse ramos & plures & fructuosiores naturalibus; ideo subiungit apostolus aliam rationem fortiorem, qua gloriationem eorum inhibeat.

QVOD SI GLORIARIS; NON TV RADICEM PORTAS, SED RADIX TE. Quod si, inquit, adhuc existimes tibi gloriandum esse contra ramos alios, ob causam modo dictam: illud saltem cogitare debes, quod etiam radix ipsa, (quæ te sustinet, non tu illam) in populo Iudaico est. Nam patriarchæ & prophetæ qui fuerunt ex illo populo, sunt loco radicis oliuæ. Vnde idem apostolus Eph. 2 scribit superædificatos esse gentiles super fundamentum non solum apostolorum, sed etiam prophetarum. Proinde, inquit, sicut ramus habet omnem suam viriditatem & fructum ex radice; ita omnis salus tua referenda est ad illum populum propter eorum maiores; ipso etiam saluatore attestante Ioan. 4, *quod salus ex Iudæis est*.

Salus gẽtilium referẽda ad Iudæos.

19 DICES ERGO. Bene restitutum futurum pro præsenti, *dicis*, quod erat in multis codicibus. Nam Græcè est ἐρεῖς ἂν. Cui consonat textus Syriacus, nec non Latina vetustiora. Coniunctionem *ergo* caue hinc abstrahas & adiungas sequentibus: *ergo fracti* &c. Nam eam collocationem ἂν Græcum minimè recipit.

FRACTI SVNT RAMI VT EGO INSERAR. *Fracti*, Græcè *defracti*. Sensus: Tu populo gentilis fortè ex ijs ipsis quæ dixi, arripies tibi argumentum gloriandi aduersum Iudæos, & dices: fracti sunt ab arbore rami naturales; atque ita factum, vt eorum loco ego inserer. Quapropter haud immeritò gloriabor ramus insiticius inhærens arbori, contra ramos fractos. Potest nihilominus etiam causaliter accipi vocula *vt*, quæ Græcis est ἵνα, quemadmodum accepit Thomas, ita partem hanc exponens: *Fracti sunt rami, vt ego inserar: id est, ad hoc Deus permisit Iudæos à fide excidere, vt ego ad fidem intrarem*. Qui sensus etiam auget gloriationem gentilis aduersus Iudæum.

20 Καλῶς *bene, per se positum quē vsum habeat.*

BENE. Græcè καλῶς, *bene, rectè, pulcrè*; Erasmus supplet, *bene dicis*. Quanquam per se positum, approbantis & laudantis aduerbiū est. Ita Luc. 6, ὅταν καλῶς ὑμᾶς εἴπωσι, *cum bene vobis dixerint*, id est, cum ad quæque verba & facta vestra dixerint, *bene*; quod solent assentatores. Videri cuipiam posset iungendum cum sequentibus; *Bene*, id est meritò *propter incredulitatem fracti sunt*. Verùm sic loquens videretur insultare lapsui Iudæorum; quod hic vnicè cauet. Itaque sensus est: Probo quod dicis, illos fractos, & te insitum esse: imò fractos illos ad hoc vt tu inseraris. Sed, ne vel ob id tibi aduersus eos gloriandum existimes; audi quæ sequuntur.

PROPTER INCREDVLITATEM FRACTI SVNT. *Propter incredulitatem*, Græcè τῇ ἀπιστίᾳ *incredulitate*, quemadmodum & legit Amb. commentator; hoc est, interpretante Ruffino, *per incredulitatem*: vt non tam causa meritoria quam formalis significetur. Nam eo ipso quo credere in Christum noluerunt, ab arbore fidelis & sancti populi reuulsi sunt.

Deus an quidquā alicui debeat.

TV AVTEM FIDE STAS. Malè Erasmus & eum secutus Caietanus putant vertendum fuisse in præterito *stetisti*, vel *constitisti*. Nam Græcum præteritum ἕστηκας significationem habet præsentis. Sicque vertit ipse Erasmus superius cap. 5, *in qua stamus*, Græcè ἑστήκαμεν. Hic quoque formalis ratio significatur; & sensus est: Tu autem non tuo opere, sed per fidem insitus in sacram oliuam, eadem fide adhuc in illa stas, id est manes & consistis: sicut illi contra quos gloriaris, aliquando steterunt. Fidem intellige quam in superioribus huius epistolæ toties commendauit.

Fide stare quid sit.

NOLI ALTVM SAPERE SED TIME. *Altum sapere*, Græcis vnum verbum ὑψηλοφρονεῖν; quod Latini dicunt, tollere spiritus, hoc est de se magnificè sentire. Caueto, inquit, ne superbias, ne animo efferaris propter hoc quia fide stas in oliua: sed time ne aliquando per infidelitatem ab ea excidas, sicut illi exciderunt. Locus apertissimus aduersus hæreticos negantes fidem semel habitam amitti posse. Nam quod eorum quidam timorem hic interpretantur cultum religiosum, planè redarguunt eos verba sequentia; quæ metum excisionis exigunt, ab exemplo Iudæorum, qui per incredulitatem fracti & excisi fuerant.

Fidem semel habitam amitti posse

21 SI ENIM DEVS NATVRALIBVS RAMIS NON PEPERCIT; NE FORTE NEC TIBI PARCAT. Argumentatur à maiori. Nam si Deus, inquit, etiam naturales ramos, id est Iudæos, quibus videbatur plus aliquid deberi, permisit excidere per infidelitatem: fieri potest, adeoque ne fiat metuendum, vt nec tibi parcat, sed te quoque excidere permittat. Metuendum id sane, si non toti populo gentili, certè singulis non solum hominibus, verùm etiam nationibus. Id quod iam dudum multis contigisse videmus ac deploramus. Hæc ratio solidissima est & irrefragabilis, ad comprimendam omnem gloriationem gentilium aduersus Iudæos; nec minus valebit, etiam si non à maiori sed à pari procedat, de quocumque homine gloriante aduersus alterum. Cum enim omne bonum à Deo sit; & ipse nemini quicquam debeat, nisi quantum vult debere per spontaneas promissiones & pacta: tam potest libera sua voluntate permittere casum ac defectionem gentilium, quam permisit Iudæorum; tam casum huius hominis, quam illius. Quòd enim stat quisque, totum ad gratuitam Dei misericordiam referre debet. Igitur ostendit hic locus ne reprobationem quidem esse ex meritis, sed ex sola Dei voluntate.

22 VIDE ERGO BONITATEM ET SEVERITATEM DEI. *Bonitatem* Græcè χρηστότητα *benignitatem*. Significatur enim ea voce facilitas ac promptitudo præstandi beneficia. Sensus: Vt intelligas te nihil habere vnde glorieris aduersum Iudæos, considera bonitatem seu benignitatem gratuitam Dei vocantis atque eligentis, & seueritatem seu rigorem Dei reijcientis ac reprobantis, & misereri nolentis. Quæ duo membra consequēter explicat. Rhetores hoc schema sermonis dialysin vocant.

Bonitas & seueritas Dei.

IN EOS QVIDEM QVI CECIDERVNT SEVERITATEM. *In eos* pendet à dictione, *seueritatem*: Vide inquit Dei seueritatem qua vtitur in Iudæos quos cadere permisit. Quæ permissio ad seueritatem pertinet, tanquam diuinæ reprobationis effectus.

IN TE AVTEM BONITATEM DEI. *In te*, ἐὰν δὲ; *erga te*, quarto casu; sicut dixerat *in eos*: & dependet à vocabulo *bonitatem* seu benignitatem. Nec in Græcis aut Syriacis exprimitur genitiuus *Dei*. Satis enim intelligitur. Vide, inquit, Dei erga te benignitatem: qua scilicet te populum gentilem sine vllis tuis meritis ad euangelij gratiam efficaciter vocauit.

SI PERMANSERIS IN BONITATE. *In bonitate*, non tua, vt quidam exponunt: sed Dei. hoc est in eo ad quod Dei bonitate seu benignitate vocatus es atque adductus; quasi dicat: si perseueraueris in fide & iusticia. Non hoc addit tanquam ex conditione permansionis, id est perseuerantiæ dependeat electio diuina, cum & ipsa perseuerantia sit electionis effectus: sed quia permansio hæc certissimum est ipsius electionis argumentum, ac si diceret: Si non permanseris in eo ad quod Dei bonitate vocatus es, certissimè noueris te non esse in eorum numero ad quos eligentis Dei bonitas pertineat.

Perseuerantia diuinæ electionis effectus.

ALIOQVIN ET TV EXCIDERIS. Id est; Tu qui modo ramus es oliuæ per Dei vocantis bonitatem, si in ea bonitate non permanseris, sed per infidelitatem recesseris; eo ipso excidēris, amputaberis, ac decides ab arbore sanctitatis electæ.

23 SED ET ILLI SI NON PERMANSERINT IN INCREDVLITATE, INSERENTVR. Hoc est: Atque è diuerso Iudæi, si relicta infidelitate

fidem

fidem ſuſceperint; eo ipſo rurſus inſerentur arbori oliuæ. Non enim ſignificatur quod receſſus ab incredulitate præcedat eam inſitionem quæ fit à Deo; ſed loquitur ad hunc modum apoſtolus, vt oſtendat ne primam quidem gratiam Dei mouentis hominem, eſſe ſine cooperatione liberi arbitrij. quemadmodum & ſuperiori membro, quo dixit; *Alioquin*, id eſt, ſi non permanſeris in bonitate, *excideris*; ſignificare voluit nec deſertionem ſeu gratiæ ſubtractionem eſſe ſine motu voluntatis, ſponte ac libere recedentis à bono. Rurſus oſtendit etiam hic locus, hominem ſemel iuſtificatum excidere poſſe à gratia Dei & iuſticia: nec quenquam eſſe certum, quod in ea ſit vſque ad finem permanſurus. Quæ doctrina cùm ſit in verbo Dei conteſtatiſſima; mirum eſt qua fronte ab aduerſarijs oppugnetur.

Gratia Dei mouentis hominẽ, non eſt ſine cooperatione liberi arbitrij: nec eius ſubtractio ſine motu voluntatis ſponte recedẽtis. Iuſtificatum excidere poſſe.

POTENS EST ENIM DEVS ITERVM INSERERE ILLOS. Ne quod dictum eſt, *ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur*, ita tribuatur hominis voluntati, tanquam illius ſit aliquid proprium; apoſtolus hac ſententia totum reuocat ad potentiam & efficaciam gratiæ Dei. Simul innuit, hoc quod dicit Deum poſſe, ab eo ſperandum eſſe: ſicut & alibi Dei potentiam allegat ad ſpem excitandam; vt infrà cap. 16, *Qui potens eſt vos confirmare*, & 2 Cor. 9, *Potens eſt Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Quo magis autem id à Deo ſperetur, argumento ſubiuncto probabile idipſum reddit, ducto videlicet à minori, id eſt, ab ea gratia quam ipſi gentiles experti iam fuerant.

In bono opere nihil voluntati noſtræ proprium.

24 NAM SI TV EX NATVRALI EXCISVS ES OLEASTRO, ET CONTRA NATVRAM INSERTVS ES IN BONAM OLIVAM. *Contrà*, Græcè παρὰ, *præter*. Quanquam non aliud eſt apoſtolo *præter naturam*, quam *contra naturam*; quemadmodum & ſcriptoribus profanis. Portò *contrà naturam* Thomas interpretatur *contra communem curſum naturæ*, addita hac ratione: *non enim conſueuit ramus arboris malæ inſeri in bonam arborem, ſed potius è conuerſo*. Similiter Haimo, Rickelius, alijque nonnulli. At verò plerique, maximè veteres, hoc quod dicitur *contra naturam*, de ſola interpretantur originis contrarietate ſeu diuerſitate, vt ſenſus ſit: Nam ſi tu homo gentilis, exciſus es ex oleaſtro, cuius eras ramus naturalis, vtpote ſecundum carnem ex eius radice propagatus; & tamen contra naturam huius tuæ originis, per Dei potentiam inſitus es in bonam, pulcram & veram oliuam, (id enim ſignificat Græcum nomen compoſitum καλλιέλαιον:) Sequitur.

Præter naturam idẽ quod contra naturam.

QVANTO MAGIS II QVI SECVNDVM NATVRAM, INSERENTVR SVÆ OLIVÆ? Græcè *propriæ oliuæ*. Quanto magis, inquit, per eandem Dei potentiam Iudæi qui *ſecundum naturam* ſunt, id eſt qui ſunt rami naturales oliuæ, iterum eidem ſuæ oliuæ inſerentur, ſic vt inſiti coaleſcant? Hoc enim ſecundum rationem magis conſentaneum videtur: tametſi Deo omnia ſunt æquè facilia. In nonnullis codicibus Græcis abeſt articulus οἱ, & tantum legitur, οὗτοι κατὰ φύσιν &c. Quæ ſi non mendoſa lectio eſt, vertendum eſſet: *quanto magis hi*, ſcilicet Iudæi, *ſecundum naturam inſerentur ſuæ oliuæ?* vt per antitheſin ſibi reſpondeant hæc duo, contra naturam inſeri, & ſecundum naturam inſeri. Idque ſecutus videtur Syrus interpres.

25 NOLO ENIM VOS IGNORARE FRATRES MYSTERIVM HOC. Quod probabile & à Deo ſperandum eſſe docuit ſuperiori argumento, nunc tandem, vt vehementius retundat faſtum gentilium, (nam eos adhuc alloquitur rurſum mutato numero,) docet aliquando verè futurum eſſe, aperiens *myſterium* (Latinè *ſacramentum* vertunt quidam) id eſt, rem eatenus arcanam & paucis cognitam. Aperit autem ob eam cauſam quam continuò ſubiungit. Quod ait, *nolo vos ignorare*, pro eo quod diceret, ſcire vos volo, Paulini moris eſt. Ita loquitur cap. 1 huius epiſtolæ, item 1 Cor. 10 & 12, 2 Cor. 1, & 1 Theſſ. 4. *Nolo*, Græcè quidem ſemper eſt οὐ θέλω, *non volo*; ſed ſenſu eodem. Nam Græcis nolle vno verbo non dicitur: vt nec in alijs linguis extra Latinam. Itaque perinde eſt ac ſi diceret, volo vos non ignorare, id eſt volo vos ſcire. Id verò ſemel annotaſſe ſufficiat.

Myſteriũ de Iudæorũ in fine ſæculi cõuerſione.

Nolle ſolis Latinis vno verbo dicitur.

(VT NON SITIS VOBIS IPSIS SAPIENTES.) Græcè, *apud voſmetipſos prudentes*, quemadmodum interpres ipſe vertit capite ſequenti. Senſus: Hoc dico ad deprimendam arrogantiam veſtram; vt ne inſoleſcatis, placentes vobis ipſis. Ratio phraſeos eſt, quia qui ſibi placent, prudentiam ſibi tribuunt.

QVIA CÆCITAS EX PARTE CONTIGIT IN ISRAEL. Græcè: *quod obduratio ex parte Iſraeli facta eſt*. Nam πώρωσις propriè callum ſignificat, à verbo πωρόω callum obduco: cuius paſſiuum πωροῦμαι callum contraho. Et quia quod callum contrahit, indureſcit; transferuntur hæc in ſcripturis ad cordis duriciem: licet interpretes ferè cæcitatem vertant, eò quod cæcitas & duricia cum de corde dicuntur, ita coniuncta ſint, vt vnum idemque videri poſſint. Ita ſupra hoc eodem capite, *Cæteri verò excæcati ſunt*. Et Marc. 3, *Contriſtatus eſt ſuper cæcitate cordis eorum*. Et Epheſ. 4, *Propter cæcitatem cordis ipſorum*. Verùm Ioannes apertè diſtinguit euangelij ſui cap. duodecimo, & cum eo interpretes omnes, in illis verbis: *Excæcauit* (τετύφλωκεν) *oculos eorum, & indurauit* (πεπώρωκεν) *cor eorum*. Sed quoniam, vt dixi, cæcitas & duricies ad cor tranſlata propè eadem ſunt, quatenus & cordis vocabulum ad vtrumque transferri ſolet, intellectum & voluntatem; idcirco non multum refert, an cæcitatem hic & in ſimilibus vertas, an duriciem: maximè cùm fides, cui

Cæcitas & duricia cordis ſicta coniuncta.

vicium hic ſignificatum opponitur, partim ſit intellectus partim voluntatis: vt norunt theologi. Interpres quo vſus eſt Ambroſ. commentator, vocabulum vtrique commune elegiſſe videtur, quod & de hebetudine mentis & de duricia cordis intelligi poſſit; dum ita vertit: *Quia obtuſio quædam ex parte Iſrael (id eſt Iſraeli) facta eſt.* Iam illud *ex parte*, quidam referunt ad cæcitatem: quaſi ſentiat apoſtolus, Iudæos non ſimpliciter, ſed quodammodo excæcatos eſſe. Qui ſenſus falſus eſt, & ad rem non facit. Quocirca non dubitamus ad Iſraelem referri oportere: vt planus apoſtoli ſenſus ſit: Iſraelem id eſt populum Iſraeliticum non totum excæcatum & obduratum eſſe, ſed partem eius tantum. Contigit autem Iſraeli cæcitas ex parte non exigua vel mediocri, ſed multo maxima: Verùm tacet hoc & diſſimulat apoſtolus, ſui memor inſtituti: ne vel Iudæos offendat, vel gentilibus vllam præbeat anſam efferendi ſeſe aduerſus eos. Porrò non ſolum ex parte, verum nec in perpetuum, ſed ad tempus Iſraeli cæcitatem contigiſſe, docet verbis ſequentibus: quibus iam exponit myſterium.

Quomodo cæcitas ex parte contigerit in Iſrael.

DONEC PLENITVDO GENTIVM INTRARET. Potius *intret*, aut *intrauerit*. Poteſt etiam verti *aduenerit*. Senſus: Donec multitudo gentilis populi ex omnibus mundi partibus, ſecundum prædictiones propheticas, collecta fuerit ad fidem, vel, intrauerit in eccleſiam fidelium. Qui *donec* per *vt* exponunt, hoc ſenſu: Propter hoc permiſit Deus excæcari Iudæos, vt plenitudo gentium fidem reciperet; vocabulum detorquent ad alienum ſignificatum.

26 ET SIC OMNIS ISRAEL SALVVS FIERET. Græcè σωθήσεται, *ſaluabitur*, vel *ſaluus fiet*, vti legit Auguſtinus lib. 20 de ciuit. Dei c. 29, pro quo Syrus interpres, *viuet*. Senſus eſt: Poſtquam plenitudo gentium intrauerit, tunc Iſrael iam non ex parte credet, ex parte non credet, ſicut nunc, ſed omnis, id eſt totus Iſrael fidem CHRISTI ſuſcipiendo ſalutem adipiſcetur: non quod nullus tunc ex illo populo in infidelitate ſit permanſurus; quod ſentire videntur Chryſoſtomus, Aquinas, Caietanus, & Sotus: ſed quia tam multi conuertentur, vt meritò cenſeatur totus populus conuerti: quæ plurium ſententia eſt, eademque multo probabilior. Nam omnem Iſraelem vocat, quam ſuprà plenitudinem eorum. Atqui ſicut plenitudo gentium hoc loco non ſignificat omnes gentiles ſine exceptione; ita nec plenitudo Iudæorum omnes ſine exceptione Iudæos, ſed ex eis quam plurimos, ſicut expoſitum eſt ſuo loco. Quocirca Gregorius papa homil. 12 ſuper Ezechielem, non omnes, ſed multos ex Iudæis qui tunc in infidelitate remanſerint, ad cognitionem veritatis redituros affirmat. Quanta autem iuxta proportionem futura ſit multitudo credentium, & quanta non credentium, id æquè de Iudæis ignotum nobis eſt, atque de gentibus. Et hoc arbitror Origenem velle, quando dicit Deum ſolum nouiſſe, & vnigenitum eius, & ſi qui forte amici eius ſunt ſecretorum eius conſcij: quis ſit iſte omnis Iſrael qui ſaluus fiet, vel quæ ſit iſta plenitudo gentium quæ dicitur intratura. Porrò ſententiam hanc apoſtoli, qua dicit omnem Iſrael ſaluatum iri, ſunt qui interpretentur de toto Iſraele ſpirituali, qui conſtat ex Iudæis & gentilibus electis: quaſi ſenſus ſit, Intrante gentium plenitudine complebitur ſalus totius Iſraelis. Prius enim credidit Iſrael carnalis ex parte aliqua, ſcilicet in apoſtolis & alijs eccleſiæ primitiuæ fidelibus: Deinde per illorum prædicationem credidit gentium multitudo. Et ita ſalus totius Iſraelis ſpiritualis completa eſt. Pro qua interpretatione facere videtur, quod concluſiuè dicitur, *& ſic omnis Iſrael ſaluus fiet*: ac ſi dicat: per hoc quod gentium plenitudo intrabit, fiet vt totus Iſrael ſaluetur. Et quidem ſic intellexiſſe putatur hunc locum Hieronymus in commentario ſuper Iſaiæ cap. 11. Sic enim habet: *Vt nequaquam, iuxta noſtros iudaizantes, in fine ſæculi; cum intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Iſrael ſaluus fiat: ſed hæc omnia in primo intelligamus aduentu.* Similiter exponit author libri de prædeſtinatione & gratia (qui habetur tomo ſeptimo operum ſancti Auguſtini) capite vltimo: nec non Pelagius in huius loci commentario. Inter Græcos autem Cæſarius dialogo quarto apud Gregorium Nazianzenum. Qui omnes ea quæ hic dicuntur, volunt iam olim eſſe completa, & adhuc impleri in gentium conuerſione. At verò pro Iſraele carnali facit totus huius loci contextus; primùm ibi, *quanto magis plenitudo eorum?* vbi ſignificat apoſtolus futurum aliquando vt plenitudo Iudæorum intret, ſicut nunc intrat plenitudo gentium. Quod iterum vult intelligi ijs verbis: *Quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis?* Idem poſtea quum addita conditione dixiſſet, *Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur*: hoc ipſum vt abſolutè fiat, aliquando à Dei bonitate exſpectandum eſſe docet, cùm in eo quod ſubiungit, *Potens eſt enim Deus iterum inſerere illos*; tum verbis ſequentibus, *Nam ſi tu contrà naturam inſertus es in bonam oliuam, quanto magis ij qui ſecundum naturam, inſerentur ſuæ oliuæ?* Denique rem apertè declarat, cum ait: *Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc* &c. Quæ verba non aliter accipi oportere quam de Iſraele ſecundum carnem, non modò probat conſequentia ſermonis, & quia toto hoc capite, atq; etiam ſuperiori, de Iſraele ſecundum carnem, non de alio locutus fuerat; verumetiam

Anomnes Iudæi in fine ſæculi conuertendi.

Quis omnis Iſrael ſaluus futurus, quorundam opinio.

Aliorum ſententia verior, & omnino tenenda.

planè

planè arguit antitheſis quam facit inter hæc duo; nunc *cæcitas ex parte contigit in Iſrael*, tũc *totus Iſrael ſaluus fiet*. Neque enim conſtare poterit ea antitheſis, ſi Iſraelem aliter & aliter accipias. Sed nec myſterium, id eſt rem arcanam hoc quod dicit vocaret, ſi de Iſraele ſpirituali loqueretur. Quis enim fidelis vnquam dubitare potuit, num totus Iſrael ſpiritualis, id eſt omnium electorum numerus, ſit ſalutẽ adepturus? Iam & ſubiunctum teſtimonium prophetæ, & cætera quæ ſequuntur, hunc intellectum de carnali Iſraele tandem miſericordiam conſecuturo, confirmant, vti mox patebit. Accedit penè concors omnium tam Græcorum, quam Latinorum expoſitio in hunc locum, etiam Primaſij, licet is multa ſuperiora aliter interpretetur: atque inſuper Auguſtini compluribus in locis, vt lib. 20 de ciuitate Dei cap. 29. lib. 2 quæſtionum euangelicarum quæſt. 33. ad Dulcitium quæſt. vltima, & ſermone 40 de verbis Domini cap. 5. Item Baſilij ſcribentis in pſal. 32, & Hilarij in pſal 58, & vt alios prætermittam, etiam ipſius Hieronymi qui diuerſum ſentire videbatur. Is enim enarrans illud Hoſee 3. *Dies multos exſpectabis me, non fornicaberis, & non eris viro; Sed & ego exſpectabo te*: ſic poſt multa ſcribit; *Vir quoque ſedet, imò exſpectat adulteræ pœnitentiam: vt poſtquam plenitudo gentium ſubintrauerit, & nouiſſimus crediderit Iſrael (ita vt qui fuerat caput, vertatur in caudã, & cauda vertatur in caput) tunc fiat vnus grex & vnus paſtor.* Deinde ſequentia exponens, quum dixiſſet, poſt paſſionem Domini ſaluatoris vſque in diem præſentem penè quadringenteſimum annum expleri; atque hos eſſe multos dies quibus Iudæi ſunt ſine rege & principe, & ſacrificio & altari; tandem repetens apoſtoli verba, ait: *Hæc eſt cæcitas quæ ex parte accidit Iſraeli, vt ſubintraret plenitudo gentium, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. & multo pòſt tempore reuertentur, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid regem ſuum.* Et ad extremum, cum diceret aliquos Iudæorum vaticinium Hoſeæ referre ad tempus Babylonicæ captiuitatis: *Alij tamen*, inquit, *vt nos, in futurum deferunt tempus; & quæ ſit cauſa tam grandis offenſæ, vt tanto tempore relicti ſint, maximè cum idola non colant, præter interfectionem ſaluatoris aliam non valent inuenire.* Ex his S. Hieronymi verbis liquidò eius ſententia cognoſcitur: quemadmodum & ex altero loco qui eſt in expoſitione Habacuc, ad illud capit. 3, *Ficus enim non florebit*. Vbi citans illa Domini verba quibus maledixit ficui: *Non afferes fructum vſque in ſæculum*, Mat. 21. *Diligenter*, inquit, *conſidera quid dixerit: Non afferes fructum in ſæculum, non ait, vſque in ſæcula ſæculorum. Sed cum ſæculum iſtud pertranſierit, & intrauerit plenitudo gentium: tunc etiam hæc ficus afferet fructus ſuos, & omnis Iſrael ſaluabitur*. Hæc ibi. Quibus ſimilia reperies in eius commentario ſuper dictum locum Matthæi. Cum igitur de Iudaici populi conuerſione aliquando futura Paulum loqui perſpicuum ſit, adeò vt nec ſectarij id negare poſſint; hi tamen in eum ſenſum trahere conantur apoſtoli verba, quo ſignificatum ſit non in fine ſæculi Iudæos CHRISTVM fide recepturos; ſed toto ſæculi decurſu futurum, ac fieri ſubinde, vt aliqui ex illis fidem CHRISTI amplectantur, ſimulque cum gentilibus æmulatione prouocati, euangelicarum promiſſionum participes fiant. Verùm hic ſenſus refellitur bifariam. Primum, quia conuerſio hæc adeò paucorum eſt, vt vix mereantur nomen reliquiarum comparatione totius populi pertinaciter in infidelitate permanentis. At Paulus hic iam non agit de reliquiarum conuerſione, ſed plenitudinis, hoc eſt ipſius populi. Deinde, etiam iſtis obuiat myſterij vocabulum. Nam quomodo myſterium vocat Paulus, quod palàm incipiebat impleri, etiam ante hanc epiſtolam ſcriptam, & in ipſis fidelibus ad quos ſcribebat? qui vtique magna parte Iudæi erant. Certè non magis hodie dici poteſt, Iudaicam nationem conuerti ad CHRISTVM, quam id dici potuit apoſtolorum tempore; imò verò minus. Si igitur tunc populus ipſe, licet paucis ex eo credentibus, erat incredulus & excæcatus; quanto magis exinde toto decurſu temporis vſque ad nos? Quare neceſſe eſt tempus conuerſionis illius populi, quod ſub myſterio Paulus annunciat aliquando venturum, adhuc exſpectari. Quod adeò clarum apparet ex ſerie ſermonis apoſtoli, vt etiam ſectariorum quidam non infimi nominis theologus, Benedictus Aretius, euidentia huius loci conuictus, apertiſſimè fateatur ac doceat in ſuo commentario, generalem futuram Iudæorum in fine mundi conuerſionem, ita vt maior pars eorum tunc viuentium agnitura ſit CHRISTVM ſuum. Quam rem etiam ſubiuncta ad Deum precatione proſequitur. Sed hæc ſatis ſint ad comprobandum veriorem intellectum loci præſentis. Nec verò ad alium ſenſum nos inuitat quod hic dicitur, *Et ſic omnis Iſrael ſaluus fiet*. Nam ſenſus eſt quem dedimus; *Sic*, id eſt tunc demum cum gentium intrauerit plenitudo, futurum vt etiam Iſraelis plenitudo gentium fide prouocata, ſaluetur. Porrò quid ſibi velit Hieronymus verbis in contrarium allegatis, & quo loco aliorum qui in diuerſa ſunt ſententia, authoritas ſit habenda; diximus ad diſtinct. 47 lib. 4 ſententiarum, vbi de Iudaici populi futura in fine ſæculi conuerſione ex profeſſo agebamus.

SICVT SCRIPTVM EST: VENIET EX SION QVI ERIPIAT ET AVERTAT IMPIETATEM A IACOB. Græcè: *veniet ex Sion liberans* (id eſt, ille qui liberat, ſeu liberator) *& auertet impietates à Iacob*. *Impietates* plurali numero le-

Hieronymi de eadem re ſententia.

Alia de eadem re ſectariorũ quorundam opinio refellitur.

Benedictus Aretius hac in parte cũ catholicis ſentit

gunt etiam Prosper lib. 1 de vocatione gentium cap. 13, & Primasius in commentario. Sedulius *iniquitates*. Sumptum est hoc testimonium ex Isaiæ cap. 59 iuxta versionē LXX interpretum: nisi quod apud illos non *ex Sion* legitur, sed ἕνεκα σιών, id est *propter Sion*, quod & Hebraicæ veritati consonum est, quę habet לְצִיּוֹן letsion, *ipsi Sion*. Sic enim etiā Hieronymus transtulit, *cùm venerit Sion* (id est *Sioni*) *redemptor*. Nam quod affirmat Leo Castrensis ex Hebræo verti posse *de Sion*, adducto exemplo ex lib. 2 Regum cap. 15, *Egressus es de loco tuo*, non persuadet: quum Hebræorum doctissimi, ad quos lectorem remitto, illic interpretentur motum ad locum, *migrans* seu *migraturus in locum tuum*. Malim suspicari pro ἕνεκα apud Paulum abbreuiatè scripto ad hunc forte modum, ἐκ α; negligentem librarium transcripsisse ἐκ, omisso α velut superfluo: nisi magis placeat Paulum, qui miscere solet ex varijs locis testimonia, scribentem *ex Sion*, ad alias scripturas respexisse, quæ saluatorem promittunt oriturum ex Sion, vt psal. 13 & 52, & 109. Quod sequitur, *& auertet impietates à Iacob*, Hieronymus ex Hebræo sic reddidit: *& eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob*. Verum Fr. Forerius ita vertit, *& captiuitati transgressionis in Iacob*; eamque versionem in commentario defendit: quod abrasis punctis, quorum interpreti non sit habēda ratio, nihil commodius ex Hebræo reddi possit. Atqui hæc versio sensui planè conuenit cum eo quod hic legimus. Nam redemptor ille captiuitati transgressionis, siue captiuis peccati qui sunt in Iacob, idcirco venturus est, vt eos à iugo peccati liberet. Id autem est auertere impietates à Iacob. Quanquam & id quod Hieronymus transtulit, ad eandem sententiam aptari potest, si sic exponas: redemptorem venturum Sioni, & eis qui in Iacob ab iniquitate redeunt; hoc ipso nimirum, quo ab iniquitate redeunt: vt significetur hanc ab iniquitate reuersionem esse formalem illius redemptionis effectum. Igitur sensus testimonij vt à Paulo citatur, iste est: E gente Iudaica, atque ex ipsa regia stirpe Dauidis (nam Sion erat ciuitas Dauid, ac sedes regni) nascetur liberator ac saluator, scilicet Christus, qui auferat & aboleat peccata populi progeniti ex patriarcha Iacob, qui alio nomine dictus est Israel. Quæ peccatorum illius populi abolitio cum peracta non sit in primo Christi aduentu per ipsius & apostolorum eius prædicationem, (tunc enim solæ reliquiæ seruatæ sunt, cæteri excæcati:) relinquitur, introducta gentium plenitudine, exspectanda.

Paulus testimonia miscere solitus ex varijs locis.

Sion ciuitas Dauid, ac sedes regni Iudaici.

27 ET HOC ILLIS A ME TESTAMENTVM: CVM ABSTVLERO PECCATA EORVM. Vnde sumserit hæc verba Paulus, non conuenit inter omnes. Sunt qui referant ad locum Ierem. 31, vbi Dominus prædicit se facturum cum populo suo nouum fœdus seu testamentum. Cuius promissa consequenter enumerans, illud ponit extremum: *propiciabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Alij sumpta existimant ex ipsius Isaiæ c. 27, vbi sic legitur: *Et iste omnis fructus, vt auferatur peccatum eius*. Verùm eo loco nec fœdus nec testamentum legitur, sed in Hebræo quidem פְּרִי pheri *fructus*, in Græco autem εὐλογία *benedictio* nominatur. Atqui pars ista, *& hoc illis à me testamentum*, totidem verbis iuxta versionem septuaginta legitur eodē apud Isaiam loco quo versus præcedens, ac post eum proximè: vt dubitari non possit inde cū prioribus sumptam esse; quæ multorum est sententia, Græcorum maximè. Cæterum verba sequētia, *cum abstulero peccata eorum*, quoniam nec in Hebręo nec apud LXX leguntur in Isaia, hoc quidem loco: nihil probabilius occurrit, quam vt dicamus apostolum ea vel de suo addidisse, vel potius ex parte præcedenti *auertet impietates à Iacob*, repetiuisse pro clariori intellectu testamenti de quo Dominus loquitur. vt sensus sit: *Et hoc illis* erit *à me testamentum*, hoc fœdus quod cum eis feriam, hæc promissio; quod aboliturus sim peccata eorum: quasi dicat, In eo testamentum hoc implebitur, quòd auferam peccata non aliquorum è populo, sed ipsius populi. Pro eo quod in Hebræo est בְּרִית berith, *fœdus* seu *pactum*, interpretes LXX assiduè verterunt διαθήκην, id est, *testamentum*. De qua Græca voce, eiusque in scripturis vsu & significatione alibi dicemus oportunius; vt Gal. 3 & Heb. 9.

Pro fœdere seu pacto LXX testamentū transtulerunt.

28 SECVNDVM EVANGELIVM QVIDEM INIMICI PROPTER VOS. Subaudi *sunt*. De Iudęis velut in summam colligit ea quæ dixit. Sensus huius partis; Qui Iudæi siue Israëlitæ, quātum attinet ad causam euangelij cui pertinaciter aduersantur, exosi sunt Deo; idque *propter vos*, id est occasione eiusdem euangelij vobis gentilibus prædicati; quæ res eos magis à fide alienauit. Vel, *propter vos*, id est propter vestram salutem, quam Deus operari voluit ex occasione euangelij à Iudæis reiecti: vt proinde eis insultare non debeatis; quando eorum peccatum vobis cessit in tantum bonum. Prior sensus est Chrysostomi & sequacium eius. Posteriorem tradit & pluribus explicat commentator Amb. quem multi sequuntur. Ac reuera magis conuenit hic sensus cum præcedentibus, vbi dixit: *Sed illorum delicto salus est gentibus*; item, *fracti sunt rami vt ego inserar*; & alia huiusmodi. Quanquam quod idem commentator *inimicos* interpretatur actiuè, id est euāgelij persecutores; quemadmodum & Augustinus in epistola 59 ad Paulinum quæst. 6, & lib. de prædestinatione sanctorum cap. 16 inimicitiam exponit qua Christum occiderunt; minus probabile est. Opponit enim apostolus *inimicos dilectis*, vtique à Deo, vt mox videbimus; non autem diligentibus Deum.

Iudæorū peccatum gentibus cessit in bonum.

SECVNDVM ELECTIONEM AVTEM CARISSIMI PROPTER PATRES. *Carissimi* Græcè ἀγαπητοὶ, *cari, dilecti*; vt legit Augustinus. Sen-

sus

sus est: Quod si verò considereretur electio diuina, qua scilicet illum populum, & non solum exiguam populi partem, Deus elegit ad salutem, (quæ vtique electio aliquando implebitur:) hac ratione Deo dilecti sunt; idque propter patres eorum, id est sanctos patriarchas; quos suprà primitiarum & radicis nomine significaui: quorum fides & pietas ita Deo placuit, vt promiserit se Deum fore seminis eorum post eos. Gen. 17 & Deut. 4. Ex hoc commentario patet, inimicos & dilectos non eosdem intelligi, sed in eodem populo diuersos: vt bene docent & declarant Augustinus duobus locis paulo ante citatis, & Prosper lib. 1 de vocatione gentium cap. 10. Posset etiam quod dicitur *inimici* & *carissimi*, referri non ad Deum sed ad Paulum hæc scribentem: tanquam significet, se Iudæos quidem pati inimicos atque infensos quod ad negocium attinet euangelicæ prædicationis, quam illi recipere nolentes etiam gentibus inuidebant, quarum ipse esset apostolus: Cæterùm se eos vehementer diligere, quatenus erant populus electus à Deo; seque paratum eis impendere dilectionis officia propter patres eorum quos Deus dilexerat. Quem sensum tradit Theodoritus. Meminit etiam Primasius. Verùm cum priore sensu magis cohæret, quod proximè sequitur, *Sine pœnitētia* &c. Hic obiter nota familiare esse interpreti vulgato, positiui gradus nomina reddere superlatiuè, in quibusdam dumtaxat vocabulis; passim quidem in istis; *carissimi, dilectissimi*: deinde & in alijs nonnullis; vt *optimum*, quod Græcè est *bonum*, Luc. 8 & 10. Heb. 13. Iac. 1. *pessimum*, *nequissimum*, quod Græcè *malum*, *nequam*. psal. 33. Mat. 12. Act. 18 & 19. Eph. 6. Apoc. 16. *maximum*, quod Græcè *magnum*, psal. 18. Mat. 22. Ioan. 6. Act. 8. Apoc. 2. Item *desideratissimi*, quod Græcè *desiderati*, Philip. 4. Hac de re semel admonendus fuit lector, ne in eiusmodi superlatiuis gradum ponderet extra scripturam originalem; tametsi interpretem non reprehendo, qui secutus videtur in talibus consuetudinem sui temporis. Vnde & ecclesia sic orat; *Deus cuius est totum quod est optimum*, id est *bonum*. Et ipse Hieronymus ita vertit interdum ex Hebræo, vt Prouer. 10. *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est*, Hebraicè *prudens*, *intelligens*: quomodo vertit eiusdem lib. cap. 14. Item Cant. 5. *Inebriamini carissimi*, quod in eodem libro toties interpretatur *dilectum*. Idem in epistola 101 quę est de optimo genere interpretandi, reprehensum se refert à quodam, quod in vertēda Epiphanij epistola ἀγαπητὸν transtulisset *dilectissimum*: nec tamen adfert rationem, cur ita verterit. Quanquam non negauerim in vocabulo ἀγαπητὸς quiddam esse peculiare, cur meritò per superlatiuum reddi possit. Est enim eius significatio vehementior, quam apud Latinos dilecti. Quod & Erasmus testatur in annotatione ad illud Mat. 3. *Hic est filius meus dilectus*. Nec dubium quin sic acceperint interpretes LXX, quando Zach. 12 pro vnigenito, quod in Hebræo est, ἀγαπητὸν verterunt, id est carissimum; vt exponit Hieronymus in eius loci commentario. Non enim vulgariter amantur vnigeniti. Verum non arbitror vbicumque vocabulum hoc in scripturis ponitur, ita semper accipi, vt magnitudo dilectionis significetur; nisi quanta debet esse omnium fidelium inter se. Mos enim erat apostolorum ac veteris ecclesiæ, omnes fideles hoc nomine salutare.

Nomina superlatiua pro positiuis apud interpretem Vulgatū.

Significatio vocabuli ἀγαπητὸς

29 SINE POENITENTIA ENIM SVNT DONA ET VOCATIO DEI. *Sine pœnitentia* Græcè ἀμεταμέλητα, quasi dicas *impœnitibilia*, id est, talia quorum nec possit nec debeat pœnitere eum qui dedit aut promisit. In quibusdam Græcis, teste Pererio, legitur ἀμεταβλητα, id est *immutabilia*. Quod secundum rem idem valet. Ambrosius exponens proëmium euangelij secundum Lucam, citat hoc modo: *Sine conatu sunt donationes* &c. Itaque videtur legisse ἀμέλητα vel ἀμελέτητα, id est immeditata, sine cura & conatu. Quod Pauli instituto nō quadrat, vt duę priores lectiones. Sentit enim electionem Iudæorum firmam atque immobilem permanere, & aliquando complendam esse: quia dona Dei & vocatio quæ ab electione procedunt, mutari non possunt propter hominum peccatā, vt non tandem effectum suum sortiantur. Quidam dona & vocationem per hypallagen exponunt beneficium vocationis. Melius alij distinguunt; dona, promissa intelligentes, id est liberales & gratuitas beneficiorum promissiones; quibus implendis subseruit vocatio. Non loquitur autem de quibuslibet donis seu promissionibus, nec de qualibet vocatione. Nam quædam dona non fuere sine pœnitentia: velut ea promissa quæ conditionem habebant annexam, cuiusmodi erant de fertilitate terræ, de hostium oppressione, de perpetua possessione terræ Chanaan, & similia Hebræis facta, si in Dei cultu permanerent. Hæc enim mutata sunt & reuocata propter non seruatam conditionem; vt de talibus dicere potuerit Deus: Pœnitet me horum promissorū: quo modo dixit: *Pœnitet me quod constituerim Saul regem*, 1 Reg. 15. Similiter autem & vocatio seu iustificatio hominis non prædestinati, sine pœnitentia non est: quoties ita subtrahitur donum iusticiæ semel collatum, vt nunquam postea reddatur. Verùm loquitur apostolus, vt dictum est, de promissis & vocatione quæ ex electione procedunt, id est ijs quæ facta sunt absolutè & sine conditione. Hæc quippe sunt immutabilia; nec fieri potest vt Deus hominum peccatis offensus, id quod semel absolutè promisit, aliquando retractet. Eiusmodi fuere promissiones Abrahę & Dauidi factæ de Christo nascituro: & propheticæ prædictiones de certo tempore quo nasciturus esset. Vnde falluntur Iudæi, dicentes aduentum Messiæ vltrà quam prædictum est differri propter ipsorum peccata. *Nunquid*

Quæ dona Dei sine pœnitentia.

Iudæorū error de Dei promissis.

enim iniquitas *illorum fidem Dei euacuabit?* ſuprà cap. 3. Ita docet hac ſententia Paulus, non obſtante pertinaci infidelitate & alijs peccatis populi Iudaici, certiſſimè ac ſuo tempore futurum, vt Deus impleat promiſſa, ſeruetque teſtamentum ſeu pactum quo pollicitus eſt ſe ablaturum eiuſdem populi peccata.

30 SICVT ENIM ALIQVANDO ET VOS NON CREDIDISTIS DEO. Confirmat à ſimili, Iudæorum ſalutem exſpectãdam à Deo, quamuis nunc interim credere nolint. *Non credidiſtis*, Græcè ἠπειθήκατε, quod ſignificantius redditur, *increduli fuiſtis*. Nam plus eſt incredulum eſſe, quam non credere. Eſt autem hoc loco idem credere Deo, quod credere Deũ, vel in Deum; id eſt, credere Deum eſſe. Nam gentiles ante Chriſti aduẽtum erant *ſine Deo in hoc mundo*, Eph. 2.

Plus eſt incredulũ eſſe, quam non credere.

NVNC AVTEM MISERICORDIAM CONSECVTI ESTIS PROPTER INCREDVLITATEM ILLORVM. Græcè *incredulitate*, id eſt, per incredulitatem. Tale quid etiam ſuprà annotauimus ad illud, *propter incredulitatem fracti ſunt*: tametſi hoc loco non eſt ἀπιστία, ſed ἀπειθεία; quo vocabulo ſignificatur pertinacia non credendi, etiam viſis vel auditis idoneis documentis: ac ſi dicas imperſuaſibilitatem. Quod propriè vicium erat Iudæorum, de quibus ait Dominus: *Nunc autem & viderunt & oderunt*, Ioan. 15. Tribuit tamen hoc apoſtolus etiam gentibus: quia ſaltem de eo quòd ex creatura mundi Deum non cognouerunt, inexcuſabiles erant. Sap. 13. Nota apoſtolum non dicere, *nunc autem credidiſtis*; ſed, *miſericordiam conſecuti eſtis*: vt intelligant, quod crediderunt, eſſe miſericordiæ Dei fidem largientis.

Fides donum Dei.

31 ITA ET ISTI NVNC NON CREDIDERVNT IN VESTRAM MISERICORDIAM. Græcè ἠπείθησαν τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει, id eſt, *increduli fuerunt veſtræ miſericordiæ*. Credere enim noluerunt Iudæi beneficium Dei per Chriſtum ad gentiles pertinere. Nam veſtram miſericordiam intelligit miſericordiam Dei erga vos. Hanc enim Iudæi gentibus inuidebant. Minus rectè Eraſmus ita reddidit: *Increduli facti ſunt ex eo quod vos miſericordiam eſtis adepti*. Non enim ſignificatur cauſa incredulitatis Iudæorum, ſed obiectum; ſicut ſuprà de gentilibus: *Non credidiſtis Deo*. Proinde melius noſter interpres: *non crediderunt in veſtram miſericordiam*. Qui verò partem hanc, *in veſtram miſericordiam*, retrahunt ad ſequentem, eique ſubiungunt hoc pacto: vt & ipſi miſericordiam conſequantur per veſtram miſericordiam, id eſt, prouocati miſericordia vobis impenſa: (quod faciunt Caietanus & Toletus;) ordinem textus perturbant abſque neceſſitate, vti mox patebit.

VT ET IPSI MISERICORDIAM CONSEQVANTVR. *Vt* Græcè ἵνα non ſolum conſecutionem, ſed & cauſam finalem hic denotat: ſicut & in eo quod ſequitur; *vt omnium miſereatur*. Hoc quidem loco cauſam finalem nõ incredulitatis Iudęorum, ſed promiſſionis diuinæ. Senſus igitur totius periodi eſt: Sicut vos gentiles aliquando increduli Deo, licet nullæ vobis factæ eſſent promiſſiones, tamen miſericordiam conſecuti eſtis & adducti ad fidem occaſione incredulitatis Iudæorum: ita viciſsim de Iudæis, quibus factæ ſunt à Deo promiſsiones, exiſtimandum eſt; nempe quod idcirco permiſsi ſunt ad tempus in hanc incredulitatem incidere, qua noluerunt agnoſcere miſericordiam Dei vobis impendendam, id eſt euangelium vobis gentibus eſſe prædicandum; vt & ipſi manifeſtam & inſignem Dei miſericordiam, adducentis eos ad fidem, aliquando experiantur. Hæc eò dicuntur, vt neutri alteris exprobrent; ſed vtrique parem experti miſericordiam, vnanimes vno ore Deum ſalutis authorem collaudent. Porro cum apoſtolus ſine controuerſia de Iudæis ſecundum carnem hæc ſcribat; conſequens eſt, etiam ſuperiùs de Iſraële ſecũdum carnem eum locutum eſſe: & proinde ex toto hoc loco (quod dudum oſtendimus) admodum ſolidè ſtatui traditionem eccleſiaſticam de conuerſione Iudæorum in fine ſæculi. Sequitur iam ratio ſimilitudinis adductæ: quia ſcilicet Deus voluit ſuam miſericordiam in omnibus habere locum.

Iudæos in fine ſæculi conuertẽdos eſſe, eccleſiaſtica traditio eſt.

32 CONCLVSIT ENIM DEVS OMNIA IN INCREDVLITATE, VT OMNIVM MISEREATVR. *Omnia*, Græcè τοὺς πάντας, id eſt, *omnes*, quod & Syrus tranſtulit. Et ita legunt non ſolum Græci commentatores Chryſoſtomus ac cæteri; verùm etiam ſcriptores Latini Hieronymus & Auguſtinus, ille in expoſitione Micheæ cap. 2, & quæſt. 8 ad Algaſiam: iſte lib. 21 de ciuitate Dei cap. 18, & de gratia & libero arbitrio cap. 22. Videtur & Pelagius *omnes* legiſſe; licet textus adiunctus eius commentario neutrum genus habeat. Occaſio mutandæ lectionis eſſe potuit ex ſimili loco ad Galat. 3, vbi tam Græcè quàm Latinè legitur; *concluſit omnia*. Iam illud quod ſequitur, *in incredulitate*, caſu diſcrepat à Græcis, vbi legitur, εἰς ἀπείθειαν, *in incredulitatem*. Quæ etiam multorum ac probatorum codicum Latinorum lectio eſt. Verùm iſtæ varietates facilè ad eundem ſenſum reuocantur; qui eſt huiuſmodi: Miro Dei conſilio procuratam eſſe vtriuſque populi ſalutem, vt prius concluderet & comprehenderet eos omnes velut captiuos ac ſibi obnoxios per incredulitatem, in quam permiſit omnes incidere; & ex qua nullo modo poſſent ſeipſos ſuis viribus eximere: vt ſic locum haberet excellens eius miſericordia, qua vtrumque populum vinculis longæ infidelitatis abſolutum ad fidem vocaret, & per hoc inſigne opus ſuæ miſericordiæ, ſe glorioſum oſtenderet. Ex qua declaratione patet vniuerſale ſignum *omnes* comprehendere vtrumque populum, id eſt vtriuſque populi multitudinem; non autem vtriuſque ſingulos. tametſi verum eſt, omnes & ſingulos

Quo ſenſu omnes cõcluſi in incredulitate.

singulos in incredulitatem lapsuros fuisse, nisi Deus aliquos ex vtroque populo sua misericordia conseruasset. Quod verò dicit, *vt omnium misereatur*, constat ad singulos referri non posse. Hic ad extremum lector obserua, vt connexionem apostolicæ disputationis à principio ad finem intelligas, Paulum hac sententia redire ad id quod initio susceperat demonstrandum, quodque cap. 3 intulerat; omnes & Græcos & Iudæos peccatores esse, nec habere quod glorientur; ideoque gratuita Dei iustificatione, quæ per fidem est, omnes indigere. Sed quod illic ostendit de varijs morum vicijs ac peccatis; id, iam fidei necessitate constituta, concludit de peccato infidelitatis.

33 O ALTITVDO DIVITIARVM SAPIENTIÆ ET SCIENTIÆ DEI. Finem impositurus apostolus toti superiori disputationi qua disseruit de electione & reprobatione diuina, deque Iudæorum derelictione & gentium vocatione; exclamationem insignē epilogi loco subiungit. Qua nimirum docet ac profitetur sese, etsi in genere rationes quasdam adduxerit electionis, reprobationis, vocationis & permissionis diuinæ, non tamen absolutam & perfectam de his Dei operibus doctrinā tradidisse, aut quam tradat nouisse: vt quorum ratio perfectè à nobis comprehendi nequeat. Quare etiam ex hoc loco rectè statuitur, neque prædestinationis causam neque reprobationis esse quærendam ex præuisis hominum meritis: sed in sola Dei voluntate positam esse, in qua omnes operum eius rationes continentur. *Altitudo* profunditatem hic significat: Nam Græcè est βάθος, id est *profunditas*, siue *profundum*, vt legunt Hilarius in enarratione psalm. 129, & Hieronymus super Habac. 3. Deinde, in Græco duæ sunt voculæ copulantes; hoc modo, *diuitiarum & sapientiæ & scientiæ Dei*. Quod & in Syriaco videre est. Et ita legisse Origenem ac cæteros interpretes Græcos, ex ipsorum commentarijs manifestum est. Distinguunt enim & seiunctim expendunt illa tria, altitudinem diuitiarum, & altitudinem sapientiæ, & altitudinem scientiæ: & ita quidem, vt diuitias ad Deum Patrem, sapientiam ad Filium, scientiam ad Spiritum sanctum Origenes referat. Græco textui Tertullianus eatenus annuit, quod inter diuitias & sophiam (sic enim loquitur) cōiunctionem interponit, sed scientiam omittit. Sic enim habet: *O profundum diuitiarum & sophiæ Dei*. Loca sunt lib. 2 aduersus Marcionem cap. 2, & in fine libri aduersus Hermogenem. Verū Græca lectio, vt sincera sit, videri tamen potest iuxta Latinam & vulgatam lectionem exponenda; scilicet vt diuitiæ sapientiam & scientiam respiciant, ac duo posteriores genitiui regantur à primo; prorsus eo modo quo apud eundem apostolum Col. 2, sapientia & scientia ad thesauros referuntur, in his verbis: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*. Certè apud Hilarium loco citato, nec non apud Cyprianum lib. 3 testimoniorum cap. 53, legitur vt nos habemus. Et solet apostolus diuitias Deo asscribens, explicare metaphoram addito genitiuo, velut *bonitatis, patientiæ, longanimitatis, gloriæ, gratiæ*, vt suprà cap. 2 & 9. Ephes. 1, 2, & 3, & Col. 1. Sit igitur hic sensus: O quàm profunda & humanis sensibus imperscrutabilis est copia seu magnitudo tam sapientiæ quam scientiæ Dei. Sapientiam à scientia Caietanus distinguit tanquam speciem à genere, vt sapientiæ nomine significetur illa species cognitionis, qua supremum fit de rebus agendis iudicium, & ordo earum disponitur: quale est illud de tempore & ordine vocationis gentium & conuersionis Iudæorum; scientia verò in genere significet cognitionem. Alij scientiam specialiter accipiunt vt à sapientia distinctam, id est eam quæ versatur circa causas medias, & omnino circa varios effectus diuinæ prouidentiæ: quum sapientia contempletur causam primam atque supremam. Estque hoc magis consentaneum consuetudini scripturæ sacræ, atque ipsius Pauli, qui de sapientia & scientia loqui solet, tanquam de virtutibus distinctis, vt 1 Cor. 12, & Col. 2. Sic etiam Aquinas; sapientiam exponens de diuinis, & scientiam de rebus creatis: tametsi vtraque in Deo simplex & vna noticia est.

Sapientia & scientia quo differant.

QVAM INCOMPREHENSIBILIA SVNT IVDICIA EIVS! Græcè, ἀνεξερεύνητα *inscrutabilia*; quomodo legunt Ambrosius lib. 4 de fide cap. 6, & passim Augustinus. *Ininuentibilia* vocat Tertullianus. Vocem Græcam diligenter vrgent Chrysostomus & Theophylactus. Explicat apostolus id quod dixit de profunditate sapientiæ diuinæ. Nam iudicia Dei quibus de rebus statuit & ordinat, actus sunt sapientiæ eius. Ea inscrutabilia siue incomprehensibilia sunt, & vt Dauid ait psal. 35, *abyssus multa*: quia nullus intellectus creatus, nec angelicus quidem potest ad plenum rationes eorum scrutando comprehendere.

Neque prædestinationis neque reprobationis causa in præuisis hominum meritis.

Iudicia Dei inscrutabilia.

ET INVESTIGABILES VIÆ EIVS. *Inuestigabiles* negatiuè, id est non vestigabiles, imperuestigabiles. Similiter interpres Eph. 3 dixit *inuestigabiles diuitias Christi*. Vtitur & Hieronymus Prouerb. 5. *Vagi sunt gressus eius & inuestigabiles*. Tertullianus *ininuestigabiles* legit. Hic significatur profunditas scientiæ Dei. Nam viæ in scripturis sæpè significant opera, siue actiones & studia. Porrò viæ Dei circa homines, in genere sunt *misericordia & veritas*, psal. 24, id est gratia & iusticia: vtraque circa electos; altera sola circa reprobos. Sensus est: rationes operum Dei non posse à quoquam penitus cognosci. Partem hanc Hieronymus in commentarijs Isaiæ scribit sumptam videri ex eiusdem prophetæ cap. 40, vbi de Deo dicitur: *Nec est inuestigatio sapientiæ* (Hebraicè, *intelligentiæ*) *eius*: quod LXX transtulerunt, οὐδὲ ἐστὶν ἐξέρευσις τῆς φρονήσεως αὐτοῦ, *neque est indagatio prudentiæ eius*, etsi in alijs codicibus legatur, ἐξεύρεσις *inuentio*. Non

Viæ Dei quæ dicantur.

enim

enim sic indagari potest vt inueniatur.

34 QVIS ENIM COGNOVIT SENSVM DOMINI? *Sensum*, Græcè νοῦν, *mentem*. Hæc pars cum ea quæ sequitur, ad verbum desumpta est ex eodem cap. 40 Isaiæ iuxta versionem LXX, quæ ab originali non discrepat, nisi quod pro mente, רוח rvah, *spiritum*, habent Hebræa: & verbum תכן tichchen, pro quo LXX transtulerunt ἔγνω, *cognouit*; alij variè reddiderint; Theodotion & neoterici quidam *parauit*; Hieronymus *adiuuit*, Pagninus *ponderauit*, Forerius *metitus est*, Tremellius *expendit*. Quæ tria postrema non solum propius accedunt ad id quod LXX transtulere *cognouit*, velut metaphorica ad proprium: verum etiam Hebræa voce magis significantur, vt quæ eadem sit cum illa quam Hieronymus ipse versu præcedenti verbo ponderandi reddidit; *& cælos palmo ponderauit?* Qua de re consule Forerium. Nam quod Leo Castrensis opinatur interpretes LXX vertentes ἔγνω, aliud verbum Hebræum ante oculos habuisse, scilicet vna litera auctum, altera diuersum ab eo quod legit Hieronymus: quo significetur *vidit*, seu *cognouit*: quam sit probabile, examinent alij. Nos illud perfugium hoc loco nobis necessarium non putamus. Sensus autem est: neminem perfectè nosse cogitationes & consilia mentis diuinæ. Postulant enim huiusmodi interrogationes responsionem negantem. Habetur hæc eadem sententia 1 Corinth. 2, sed sine eo quod sequitur.

AVT QVIS CONSILIARIVS EIVS FVIT? Non solum ad suggerendum Deo consilium; quomodo intelligitur locus Isaiæ: verùm etiam vt tantummodo particeps esset & conscius omnium eius consiliorum; secundum illud Ierem. 23, *Quis enim adfuit in consilio Domini?*

Consiliorum Dei nemo particeps.

35 AVT QVIS PRIOR DEDIT ILLI, ET RETRIBVETVR EI? *Prior dedit*, Græcè προέδωκεν, *ante dedit*. pro quo S. Ambrosius lib. 4 de fide cap. 6 legisse videtur in Græcis codicibus, προσέδωκεν vel προσέδηκεν, id est *addidit*. Interpretatur enim Paulum id velle, *cui nihil addi potest*. Verùm lectio vulgaris quæ omnium est codicum, cuius ipse etiam Ambrosius meminit, haud dubiè germanior est: eiq; magis appositè responder verbum ἀνταποδοθήσεται, *vicissim reddetur*. Quæritur autem ex quo loco sententiam hanc desumserit apostolus. Nam legitur quidem apud Isaiam paulo post superiora in quibusdam exemplaribus interpretum LXX. Verùm in alijs, ijsque probatis, nominatim Romanis non legitur; vt neque exstat apud commentatores Cyrillum & Procopium: neque recitatur à Iustino allegante locum Isaiæ in dialogo cum Tryphone: vt vehemens suspicio sit illuc ex Paulo adiectam esse, quo præcedentia pertinebant. Verùm Paulus more suo scripturas è diuersis locis connectit. Habetur autem hæc interrogatio apud Iob cap. 41, Deo loquente, iuxta S. Hieronymi ex Hebræo translationem; *Quis ante dedit mihi, vt reddam ei?* Nam eo loco diuersum quid LXX transtulerunt. Sensus autem apostoli est, Neminem vllo suo merito beneficentiam Dei præuenire posse. Siquidem omne bonum hominis meritum, quantumuis exiguum & imperfectum, à præueniente Dei gratia proficiscitur, eiusque beneficium est. Ostendit hac sententia Paulus id quod in superioribus egit, nullum esse locũ iustæ querelæ, si Deus pro arbitrio suæ voluntatis alios eligat, alios reprobet: vt qui nulli quicquam debeat. Vnde sequitur, ab electione seu prædestinatione diuina omnem meriti opinionem esse excludendam; non autem, vt hæretici volunt, absolutè euanescere omne meritum. Nam ipsa bonorum operum merita data nobis sunt à Deo: qui proinde dum ea remunerat, non aliud quam sua dona coronat. Nec omnino potest quisquam Deo dare, quod Deus prior non dederit. *Quid enim habes*, ait idem apostolus, *quod non accepisti?* 1 Cor. 4. Et Dauid in sua ad Deum eucharistica precatione; *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*, 1 Paral. vltimo. Et Augustinus serm. 16 de verbis apostoli cap. 2. *Quid dedimus Deo, quando totum quod sumus, & quod habemus boni, ab illo habemus?* Probat autem hoc quod dixit apostolus, vniuersali sententia.

Dei gratiã nulla merita præueniunt, sed omnia ab ea præueniuntur.

Deus nulli debitor.

Deus opera bona remunerans non aliud quã sua dona coronat.

36 QVONIAM EX IPSO, ET PER IPSVM, ET IN IPSO SVNT OMNIA. *Quod dicit omnia*, ait Thomas in commentario, *est absolutè accipiendum pro omnibus quæ habent verum esse. Peccata autem non habent verum esse; & ideo non est intelligendum de peccatis: quia secũdum Augustinum, peccatum nihil est; & nihil fiunt homines, cum peccant. Quicquid tamen entitatis est in peccato, totum est à Deo.* Sic ille. Dicuntur autem omnia esse *ex ipso*, scilicet Deo, tanquã prima effectrice causa; & *per ipsum*, quatenus per eundem omnia gubernantur & conseruantur: & *in ipso*, vel vt Græcè est, *in ipsum*, quia sic Deus omnia agit & gubernat, vt ea in seipsum tanquam finem ordinet atque dirigat. *Vniuersa enim propter semetipsum operatus est*, Prouerb. 16. Atque ita Basilius exponit ac distinguit hæc tria, in lib. de Spiritu-sancto cap. 5. Quamuis autem tria hæc æquè conueniant tribus in Deitate personis, rectè tamen patres & scholastici doctores appropriatione quadam ea singula singulis accommodãt personis, hoc aut simili modo; Quòd ex patre sint omnia, qua ratione pater est principium sine principio; per filium omnia, quatenus ipse est media persona, per quam quodammodo operatio à patre accepta transmittitur ad Spiritum-sanctum. Et sic in Spiritu-sancto omnia vt in fine; quia Spiritus-sanctus in Trinitate veluti finis est, à quo ad aliam personam non fit progressus. Proinde, qua velut propria ratione Patri asscribitur potentia, Filio sapientia, Spiritui-sancto bonitas; dici potest ex Patre per Filium in Spiritu-sancto esse omnia. Sed ea de re plura & ex professo

Quicquid entitatis etiam in peccato, totum est à Deo. Quomodo omnia ex ipso, per ipsum, in ipso.

apud

apud Magistrum lib. 1 sententiarum dist. 36.

IPSI GLORIA IN SÆCVLA: Nempe sit aut est. Finis enim omnium operum Dei est, vt ipse per illa glorificetur in omnem æternitatem. Quod quoniam omnes velle debemus; adijcit approbationis clausulam.

Finis omnium operum Dei, gloria Dei

AMEN. Id est, ita fiat. Dignum enim & iustum est vt in omnia sæcula glorificetur Deus. De significatione vocabuli *Amen* egimus in expositione primi capitis.

SVMMARIVM.

HOrtatur ad nouitatem vitæ. Docet omnes fideles esse vnum corpus è multis constans membris: quorum multæ & variæ sint operationes. Monet vt intra limites doni à Deo dati quisque se contineat. Excitat ad mutuam dilectionem, & alias pias actiones. Vindictam prohibet: beneficentiam præcipit, etiam erga inimicos.

CAPVT DVODECIMVM.

1 OBSECRO ITAQVE VOS FRATRES PER MISERICORDIAM DEI. Græcè *per miserationes Dei.* Hactenus de fide & gratia iustificationis ac prædestinatione Dei, alijsque eodem pertinentibus disseruit apostolus. Nunc à doctrina fidei transit ad præcepta morum; idque conuenientissimo ordine. Nam prius collocanda sunt rectæ fidei fundamenta, quibus deinde superstruēdum ædificium sanctæ conuersationis & bonorum operum. Ab hoc loco Theodoritus quintum & vltimum facit huius epistolæ tomum. Incipit autem apostolus ab obsecratione, qua Romanos obtestatur per illam Dei erga ipsos misericordiam, quam in superioribus tanto studio commendauit; qua scilicet electi erant à Deo ad salutem. Cuius misericordiæ quia multiplices sunt effectus, ideo plurali numero dixit *miserationes*. *Obsecro* Græcè παρακαλῶ: quod etiam verti potest, *exhortor*. Sed obsecrationem potius intelligi satis ostendit addita obtestatio, *per misericordiam Dei.* Et in eum sensum disertè Chrysostomus exponit.

VT EXHIBEATIS CORPORA VESTRA HOSTIAM VIVENTEM, SANCTAM, DEO PLACENTEM. *Placentem* Græcè εὐάρεστον *beneplacitam*, quod paulo pòst interpres reddit *beneplacens.* Deinde vocabulū *(Deo)* claudit sententiā, *placentem Deo*. Itaq; vel sic accipi potest, vt regatur à participio *placentē*; quod sensit interpres noster, quando cōmutato ordine scripsit *Deo placentem*: vel, vt referatur ad verbū *exhibeatis*: qui sensus plenior est. Et alioqui solet apostolus exprimere id cui nos exhibēdos aut præcipit aut prohibet; velut *Deo, iustitiæ, peccato, immundiciæ & iniquitati*, vt suprà cap. 6. Monet igitur his verbis Romanos, vt corporibus suis sanctè & ad Dei honorem vtantur. Nam per hoc corpora Deo exhibentur, sistuntur & offeruntur, velut hostia viuens & sancta & accepta seu beneplacita. Sicut enim teste B. Augustino lib. 10 de ciuitate Dei cap. 6, *omne opus quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo*, generali ratione *sacrificium est*: ita omnis illa res quæ ad eiusmodi opus à nobis impenditur, sacrificium seu hostia generali nomine dici potest. Tale verò præcipue est corpus nostrum, quo opera pietatis exercemus: Quod proinde dum facimus, exhibemus illud Deo hostiam viuentem &c. quemadmodum eodem loco declarat Augustinus. *Viuentem* dicit ad differentiam hostiarum legalium quæ occidebantur: *vt ne quis putet*, inquit Chrysostomus, *quod præcipiat mactari corpora*, id est interfici, quod est plane illicitum. Etenim martyres quoque in passione mortis exhibent corpora sua hostiam viuētem Deo. Non enim ipsi se occidunt. *Sanctam* dicit, hoc est ab omni immundicia & inquinatione peccati immunem: & per hoc *beneplacitam*, id est acceptam & gratissimam Deo, cui exhiberur. Respicere videtur apostolus ad immundiciæ peccata, quibus corpora sua dehonestabant & contumelijs afficiebant illi contra quos egit cap. 1, à quibus Romanos fideles omnino vult esse alienos. Ita scribit ad Thessalonicenses 1 epistolæ 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra; vt abstineatis vos à fornicatione* &c.

Quomodo corpora nostra Deo exhibeantur hostia.

Quid sacrificium generali nomine.

RATIONABILE OBSEQVIVM VESTRVM. *Obsequium* Græcè λατρείαν. qua voce passim in scripturis significatur cultus religionis, quo scilicet Deus colitur. Vnde clarius ex Græco vertunt alij: *rationalem cultum vestrum*. Sunt enim accusatiui in Græco: Et per appositionem hæret hæc pars cum præcedentibus. Vulgo quidem sic ferè sententiam hanc accipiunt, quasi moneat apostolus pietatis exercitia, cuiusmodi sunt orationes, ieiunia, vigiliæ, fieri cum ratione & modo: ne si sint immoderata, corpori aut sensibus adferant nocumētum. Quomodo etiam Aquinas, Liranus, & Caietanus hunc locum exposuerunt. Sed hic sensus, etsi bonam continet doctrinam; non tamen præsenti loco congruit. Vocat enim apostolus obsequium seu cultum rationalem (τὴν λογικὴν λατρείαν) eum qui in ratione ac mente situs est, id est cultum spiritualē, ad differentiam cultus externi atque corporei, qualis fuerat Iudæorum, consistens in hostiarum carnalium mactatione. Sic apud Petrum *lac rationabile*, 1 epistolæ 2. Sensus est: Exhibete corpora vestra hostiam Deo per bona opera; qui est rationalis cultus vester. Ipsa igitur hostia quam iubemur offerre, corpora nostra sunt: Actus autem quo Deo huiusmodi hostiam offerimus, cultus est rationalis ac spiritualis. Quod attinet ad vocabula nostræ versionis, *rationabile*, & *obsequium*; malè quidam interpretem imperitiæ accusant, qui non solum hoc loco, verùm etiam alibi Græca nomina ad hunc modum transtulerit; vt, quod modo citaui, *lac rationabile*;

Quid obsequium seu cultus rationalis

Obsequiũ est rationabile, vt hic & surpata, & vocabula ecclesiastica

& Ioan. 16, *arbitretur obsequium se præstare Deo*; & huius epistolæ cap. 9, *legislatio & obsequium*. Vsus est enim vocabulis, vt ita dicã, ecclesiasticis; id est suo tempore per ecclesiam in eiusmodi significatione vsitatis. Nam & in canone missæ oblatio sacræ eucharistiæ rationabilis vocatur, id est rationalis. tametsi rationabile pro eo quod ratione præditum est, & apud Quintilianum legitur. Obsequium autem pro cultu vsurparunt Tertullianus in apologetico, Augustinus lib. 10 de ciuitate Dei cap. 4, & ecclesia passim in officio missæ. Sunt qui etiam hoc loco per obsequium rationabile, sacrificium eucharistiæ intelligant, propterea quod in canone missæ, atque in liturgijs Græcorum Basilij & Chrysostomi sic vocetur: Verùm profectò huius loci contextus alium postulat sensum, nẽpe eum quem iam dedimus.

2 ET NOLITE CONFORMARI HVIC SÆCVLO. Pro *conformari* alia vetus versio melius habet *configurari*. Nam Græcè est συσχηματίζεσθε, & ita citat hunc locum Chrysologus ser. 120, & ante eum Cyprianus lib. de exhortatione martyrij cap. 8, & in epistola 77. Sensus est: Cauete ne vita & conuersatione similes efficiamini ijs qui sectantur huius sæculi seu mundi voluptates & commoda, suisque seruiunt cupiditatibus. Sęculum & mundus pro genere humano, maximè qua parte sibi relictum est & terrena sapit, multum vsitata sunt in scriptura noui testamenti: præsertim addito pronomine demonstratiuo, *hoc sæculum*.

Sæculum & mũdus pro genere humano.

SED REFORMAMINI IN NOVITATE SENSVS VESTRI. Græca sic habent: *Sed transformamini renouatione mentis vestræ*. Ita & Cyprianus: *sed transformamini in renouatione sensus*. Hoc est: Studete quotidianæ renouationi mentis vestræ per mortificationem malorum affectuum & cupiditatum: Sicque perficietur in vobis felix illa metamorphosis, qua ex hominibus vetustate corruptis transmutemini magis magisque in nouos homines. Semper enim nobis in hac vita, quantumcumque etiã profecerimus, hac transformatione ac reformatione opus est. Sciendum, hoc loco Græca nonnihil variare. Nam pro verbis συσχηματίζεσθε & μεταμόρφουσθε, quædam exemplaria legunt infinitiuo modo συσχηματίζεσθαι & μεταμορφοῦσθαι, vt pariter cum infinitiuo præcedente παρασῆσαι, dependeant à verbo παρακαλῶ; sitque syntaxis huiusmodi: *Obsecro vos exhibere corpora vestra*, &c. Item *obsecro vos non configurari sæculo huic, sed transformari renouatione* &c. Quanquam hæc varietas sensum non mutat.

Studendũ quotidianæ renouationi mentis.

VT PROBETIS QVÆ SIT VOLVNTAS DEI BONA ET BENEPLACENS ET PERFECTA. *Beneplacens*, εὐάρεστον; *beneplacita*, accepta. Erasmus & alij quidam ex Græco vertunt ad hunc fere modum: *vt probetis quæ sit voluntas Dei, quod bonum & beneplacitum & perfectum*. Atque ita partem hanc legunt Amb. commentator & Sedulius. Item Augustinus lib. 10 de ciuitate Dei cap. 6, lib. 13 confessionum cap. 22, & in epistola 85. Sic etiam legisse Pelagium satis arguit eius commentarius. Imò Ruffinus in commentario Origenis simpliciter affirmat hanc lectionem esse in consuetudine Latinorum. At verò Syriacus textus solam priorem interpretationem admittit: quæ etiam reperitur apud Latinos Cyprianum epistola 77, Hieronymum lib. 1 contra Iouinianum cap. 22, & Primasium in commentario. Sed & Ruffinus eam potius probat loco iam citato. Nec mirum. Nam Græca non aliter commodè reddi possunt. Non enim Græcè est τὸ ἀγαθὸν, *quod bonum*; sicut præcesit τὸ θέλημα, *quæ voluntas*: sed solummodo τὸ ἀγαθὸν, id est *bonum*, vel *illud bonum*. vt rectè verterit quidam: *quæ sit voluntas Dei bona illa, accepta & perfecta*. Certè Græci tractatores Chrysostomus & alij verba Pauli in eum sensum interpretati sunt, quem exigit hæc versio. Qui sensus huiusmodi est: Ad illam reformationem vitæ vestræ hoc pertinet, vt probetis, id est exquiratis ac diligenter scrutemini, quæ sit Dei voluntas bona, beneplacita & perfecta, id est qua non præcipit nisi bona, ac sibi placita & perfecta, hoc est irreprehensibilia: probetis, inquam, eo fine vt illam Dei voluntatem cognitam amplectamini & impleatis. Veruntamen iuxta alteram interpretationem, si cui ea magis placet, sensus non multum dissimilis est. Subiunguntur enim voluntati Dei hæc tria, bonum & beneplacitum & perfectum, tanquam declaratio eorum quæ sub Dei voluntate comprehenduntur. Nam opera bona, Deo placita & perfecta, ea nimirum sunt quę Deus vult, id est præcipit. Nam de voluntate Dei præceptiua, quã Theologi voluntatem signi appellant, apostolum loqui manifestum est, non autem de voluntate absoluta, quam beneplaciti vocãt, vt existimauit Petrus Lombardus lib. 1 sententiarum dist. 45, nec non in huius loci commentario. Non enim iubet apostolus vt probemus aut scrutemur quid absolutè velit Deus, id est quid facturus sit; cum id alibi scriptura diserte prohibeat, vt Ecclesiastici 3, *Altiora te ne quæsieris*: Verùm id iubet quod eodem loco sequitur: *Sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper*: & quod de beato viro canit psalmistes: *In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte*. Et quod rursum ipse Paulus Philip. 4. *Quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcumque iusta*, &c. *hæc cogitate*. Nec pro Lombardo facit nomen beneplaciti quod hic legitur; & quo voluntatem Dei absolutam Theologi significare solent. Aliter enim illi, quam hoc loco Paulus, beneplacitum accipiunt; nempe pro eo quod apud Deum absoluto decreto placitum est vt fiat. Iam quod Caietanus illud *beneplacens*, non ad Deum referri vult, sed ad homines, *quibus omnibus*, vt ait, *Dei voluntas quantum est ex se, grata & suauis est*, satis id refellitur

Epitheta voluntatis Dei, bona, beneplacita, perfecta.

Dei voluntas alia præceptiua, alia absoluta: hæc beneplaciti, illa signi.

Absoluta Dei voluntas nõ est nobis scrutanda, sed ea qua in præcepto consistit.

ex alio

ex alio loco simili eiusdem apostoli Ephes. 5, vbi exprimitur cui beneplacitum : *probantes*, inquit, *quid sit beneplacitum Deo.*

3 DICO ENIM PER GRATIAM QVÆ DATA EST MIHI. Gratiam intelligit muneris apostolici. Nam post generalem admonitionem, specialia daturus præcepta; ne videatur arroganter agere, quod Romanis præcipiat; allegat authoritatem suam apostolicam. Verũ & & id facit modestè, vocans apostolatum suum gratiam, id est munus gratuitò sibi à Deo collatum & cõmissum; simul innuẽs se quod facit, facere ex officij necessitate. Eodẽ pertinet verbum *dico*, id est *præcipio*: sed minus molestè auditur, quam si (præcipio) dixisset. In nõnullis codicibus Græcis additur τῆ θεῆ, *per gratiam Dei*. Sed suspicor huc aliunde asscriptũ, vt ex 1 Cor. 3, vbi legitur: *secundum gratiã Dei quæ data est mihi*. Nam aliàs solet hanc gratiam absolutè nominare, hoc aut simili modo: *gratiam quæ data est mihi*, vt Gal. 2, Eph. 3, & huius epistolæ cap. 15.

Gratia muneris apostolici

Dico pro præcipio.

OMNIBVS QVI SVNT INTER VOS. Id est, omnibus fidelibus qui Romæ estis. Vult enim hæc præcepta ad omnes eos peruenire.

NON PLVS SAPERE QVAM OPORTET SAPERE, SED SAPERE AD SOBRIETATEM. *Sapere* dixit interpres pro eo quod est *existimare, sentire de se*. Id enim significat verbũ Græcũ Φρονεῖν, cuius in eadem lingua cõposita sunt, ὑπερΦρονεῖν *plus sapere*, quasi dicas supersapere; & σωΦρονεῖν, id est *sobriè*, modestè & temperatè *sapere*. His enim omnibus vtitur hic apostolus, non sine iucunda vocum allusione, quę in Latino retineri non potuit. Pro sobrietate temperantiam legit Augustinus in epistola 47. Sed & Ruffinus Origenem interpretans (sua enim verba interserit) *tẽperantiã* mauult, tãetsi fateatur maiores in scripturis diuinis sobrietatẽ interpretatos. Sed de verbo nõ est certandum, cùm de re constet; maximè cũ hic in Græco non sit nomẽ σωΦροσύνη, sed verbum σωΦρονεῖν, de quo iã diximus. Quod verò Hieronymus aduersus Iouinianũ scribẽs lib. 1 cap. 22 dicit malè in Latinis codicibus legi, *sapere ad sobrietatẽ*, & corrigit, *ad pudicitiã*; videtur vir sanctus causæ quam eo loco agebat hoc tribuisse, vt sic exponeret. Nã huius quidẽ loci sensus est: Dico & moneo quemq; vestrum, ne supra modũ de se sentiat, neue plus quam par est sibi tribuat: sed de se sentiat sobriè, tẽperatè, & cũ modestia. Cuius quidem admonitionis occasionem Paulo dederat altercatio quæ Romæ inter fideles Iudæos & Græcos orta fuerat de iustificatione. Nam in ea modestiæ fines excesserant non sine iactãtiæ vicio: sicut ostendimus in argumento epistolæ. Non igitur id vult apostolus hoc præcepto, ne curiosas consectentur aut scrutentur quæstiones; in quem sensum Heruæus illud interpretatus est: sed ne quis de donis Dei plus quam accepit, sibi arroget, nec limites talenti sui prætergrediatur: quomodo, si quis merus grammaticus aut linguarum peritus de controuersijs theologicis censuram vsurpet. Vnde sequitur.

Quid sapere plus quam oportet.

Nemo talenti sui limites prætergrediatur.

ET VNICVIQVE SICVT DEVS DIVISIT MENSVRAM FIDEI. Copula & nec in Græco est, nec in Syriaco; & in multis abest Latinis: Potestque videri sermo sic ordinandus; Sicut vnicuique Deus diuisit &c. Nam alioqui datiuus *vnicuique* non habebit vnde regatur: nisi malis altius referre ad verbum *dico*, quod non est improbabile; vt respõdeat datiuo *omnibus*, pro quo in Græco est singulare παντὶ *omni*; quod hic iam distribuendo repetit ἑκάστῳ *vnicuique*. ac tum supplenda erit oratio resumptione verbi præcedentis: Dico vnicuiq; vestrũ sapere, id est vt sapiat, sicut Deus diuisit seu partitus est ei mensurã fidei; id est, sentiat de se iuxta mensuram ac modum doni in fide sibi collati. Nominat fidem, quod illa cæterorum donorum directrix sit ac moderatrix. Intelligit enim fidem qua Christiani sumus: licet nõnulli fidelitatẽ exponãt; quod nõ probo. Dicit autẽ mensurã; quia Christo Domino excepto, cui spiritus *non ad mensuram datus est* Ioan. 3, nullus est in quẽ omnia dona Deus cõferat: sed vnicuique solũmodo partẽ ex eis, vel maiorẽ vel minorẽ, prout ipsi visum fuerit, admetitur & tribuit. Quam rem deinceps apostolus aptissima similitudine declarat, sumpta nimirum à corpore naturali.

Fides cæterorũ Dei donorum directrix ac moderatrix.

4 SICVT ENIM IN VNO CORPORE MVLTA MEMBRA HABEMVS, OMNIA AVTEM MEMBRA NON EVNDEM ACTVM HABENT. Id est, sicut in humano ac naturali corpore diuersa mẽbra diuersis deputata sunt operationibus.

5 ITA MVLTI VNVM CORPVS SVMVS IN CHRISTO. Hoc est: Ita multi, id est, quotquot sumus fideles, vnum sumus corpus mysticum sub Christo capite, vel *in Christo*, id est in fide Christi.

Omnes fideles vnũ corpus mysticum.

SINGVLI AVTEM ALTER ALTERIVS MEMBRA. *Alter alterius* Græcè ἀλλήλων, quod Erasmus vertit *alij aliorum*. *Alterius* ergo non vt corporis, sed tanquam commembri, vt ita loquar. Nam pars non solũ relationẽ habet ad totũ; verum etiam ad alias partes, sub nomine compartis. Locus igitur sic reddi posset: *Singuli autem alter alteri commembres*. Qua voce vtitur Augustinus libro contra mendacium cap. 2. Per hoc autem significare vult apostolus vnumquodque membrum ecclesiæ non sibi soli, sed etiam alijs operari debere: quemadmodum fit in corpore naturali.

6 HABENTES AVTEM DONATIONES SECVNDVM GRATIAM QVÆ DATA EST NOBIS, DIFFERENTES. Quidam *habentes* exponunt *habemus*, vt sit Hebraismus, quo participium pro verbo poni solet. Sed id nulla necessitate: cum optimè cohæreat hoc participium cũ præcedente verbo *sumus*. Declarat autem his verbis apostolus comparationis superioris illam partem; *non eundem actum habent*; commemorans operationum in mystico corpore diuersitatem: simul addens illam esse à Deo, sic sua dona per ecclesiam dispensante.

Vnumquodque membrũ Ecclesiæ non sibi soli, sed etiã alijs operari debet. Deus variè sua charismata per ecclesiam dispensat.

Sensus: Habentes dona diuersa & varia, provt vnicuique nostrũ per gratiã suam largitus est Deus. Nã donationes Græcè χαρίσματα sunt, id est dona gratuita: cũ alioqui donatio significet actũ donandi. Huiusmodi dona ad aliorum vtilitatẽ concessa Dominus in euangelio parabolicè vocat talenta, Mat. 25. De his rursum apostolus 1 Cor. 12, cum de distributionibus gratiarum ageret: *Vnicuique*, inquit, *datur manifestatio spiritus ad vtilitatẽ*. Et Petrus 1 epistolæ 4, *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes; sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*. Idem præcipit hoc loco Paulus, dum subiuncta aliquot donorum seu talentorum enumeratione, sigillatim quomodo ijs vtendum sit cõmonstrat.

Prophetia quid hoc loco significet.

SIVE PROPHETIAM, SECVNDVM RATIONEM FIDEI. *Rationem* Græcè ἀναλογίαν, quam vocant proportionem: Ciceroni conuenientia dicitur. Prophetiam quidam propriè accipiunt, quæ prædicuntur futura. Alij donum interpretandi & exponendi scripturas. Verisimile est generaliter intelligi donum reuelationis secretorum, patens ad vtrũque genus iam dictum. Sic enim accipitur 1 Cor. 12 & 14, quemadmodum illis locis docebimus. Sic & in illa sententia Prouerb. 29, *Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus*. Est autem apostoli sermo eclipticus ac supplemento egens; quod idem in sequentibus sit repetendum. Nec aliud suppleas cõmodius, quam ex præcedentibus verbum *dico*: vt ad hunc modum exponas; Siue habentes prophetiæ donum; quod qui habet, dico vt expendat illud, eoq; vtatur secundum rationem seu congruẽtiam fidei; id est, sic vt sequatur rectæ fidei dictamen, & diligenter caueat, ne quid vel prænũciet, quantumuis sibi videatur præditus spiritu prophetico; vel pro scripturæ interpretatione adferat, quod à regula fidei discrepet, aut ad fidei morumque ædificationem nihil conferat. Hinc idem apostolus 1 Thess. 5 vult etiam prophetias probari & explorari, vt solum *quod bonum est* ac sanæ doctrinæ consentaneum, teneatur. Non est sensus, distribui cuique donum prophetiæ pro magnitudine fidei quam habet: vt nonnulli partem hanc exponunt. Constat enim id simpliciter non esse verum. Multi quippe magnam fidem habẽt, dono prophetiæ penitus destituti. Neque nunc docere vult apostolus quomodo hæc charismata acquirantur, sed quomodo sit ijs vtendum. Maximè verò locum habere debet hæc admonitio in scripturis allegoricè interpretãdis: quod eo in genere nimium sibi permittere quidam soleant, vt olim abbas Ioachim & alij.

Quomodo prophetia tradenda secundũ rationem fidei.

Prophetiæ & doctrinæ charismata distincta.

SIVE MINISTERIVM, IN MINISTRANDO. Græcè *in ministerio*. Est enim eiusdem vocabuli repetitio. Sensus autem est: Siue habẽtes gratiã alicuius ministerij ecclesiastici in quocunque gradu & ordine, vt sunt episcopatus, presbyterium, diaconatus &c. Cuiusmodi gratiam qui habet, illi dico, non sibi placeat, sed cum modestia & cura ad aliorum vtilitatem exsequatur creditum sibi ministerium, sciens se vocatum ad opus, non ad honorem. Quidam ad diaconos restringunt propter Græcam vocem διακονίαν. Sed hæc ratio non vrget. Passim enim generaliter accipitur ea vox pro ministerio. Et in ecclesia *diuisiones ministrationum* seu *ministeriorum* agnoscit ipse Paulus 1 Cor. 12, de quibus eo loco plura.

Ministerij ecclesiastici gradus diuersi.

SIVE QVI DOCET, IN DOCTRINA. Hoc est: Si quis habet gratiam docendi, id est ea quæ nouit, aptis & conuenientibus verbis explicãdi, alijsque tradendi, vtatur ea facultate ad docendum alios. Nonnulli donum hoc faciunt speciem prophetiæ, tanquam ea tam latè pateat, vt etiã gratiam docendi sub se cõprehendat: quod non est apostolicæ scripturæ cõsentaneum. Nam nõ solum hoc loco recẽsentur tanquam charismata seu donationes inter se diuersæ, verũ etiam alibi apud Paulũ, vt 1 Corinth. 12. *Posuit Deus in ecclesia primum apostolos, secundò prophetas, tertiò doctores*. Et iterum: *Nunquid omnes prophetæ? nunquid omnes doctores?* & cap. 14, *Aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina*. Sic & Eph. 4 prophetas à pastoribus & doctoribus distinguit. Et apud Lucam Act. 13, *Erant in ecclesia quæ erat Antiochiæ, prophetæ & doctores*. Quanquam fatemur prophetas plerumque etiam docẽdi & exhortandi gratia præditos fuisse. Quod Paulus significat 1 Cor. 14 dicens: *Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem & consolationem*.

QVI EXHORTATVR, IN EXHORTANDO. Græcè: *Siue qui exhortatur, in exhortatione*. Sic & Chrysologus legit. Et ita melius rẽspondet ad superiora, *in ministerio, in doctrina*: & ad sequentia, *in simplicitate, in solicitudine, in hilaritate*. Sensus: Si quis vestrum accepit à Deo gratiam exhortãdi, id est animum auditoris oratione sua excitandi & commouẽdi ad actiones pietatis; vtatur ea gratia, ac sedulò exhortationibus incumbat. Constat autem diuersa esse dona docendi & exhortandi, eaque non raro à se mutuo separata. Verti etiam ex Græco potest; *Siue qui consolatur, in consolatione*. Atque in eum sensum Theophylactus interpretatur. Sunt enim in ecclesia qui singulari gratia polleant consolandi afflictos & infirmos. Verùm Chrysostomus de exhortatione intellexit, appositè citans huius doni exemplum ex Act. decimo tertio, vbi Barnabæ & Paulo dicitur: *Si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite*: vbi Græcè παρακλήσεως, idem verbale nomen quod hoc loco. Syrus quoque interpres *exhortationem* reddidit. Quanquam nihil verat vtrumque simul intelligi. Nam vt eodem vocabulo significantur, ita ferè coniuncta sunt hæc duo dona.

QVI TRIBVIT, IN SIMPLICITATE. Videtur hoc intelligendum de ijs qui præfecti erãt ærario ecclesiæ, ac publicis eleemosynis in pauperes distribuendis: quales fuere septem

diaconi

diaconi Act. 6, quales etiam Paulus & Barnabas Act. 11. Adhuc enim sermo est de peculiaribus donis & officijs: & ad istum modum Chrysostomus & alij partem hanc interpretantur, vt sensus sit: Is cui incumbit officium dispensandi facultates ecclesiæ & collectas fidelium, distribuat eas cum simplicitate, id est bona fide, sine personarum acceptione, ac sine respectu proprij commodi. Id enim esset in eiusmodi opere cor duplicare, dum aliud prætenditur, aliud intenditur. Eam in dando simplicitatem Iacobus apostolus Deo asscribit cap. 1 dicens: *Postulet à Deo, qui dat omnibus* ἁπλῶς, *simpliciter*, pro quo nos habemus *affluenter*. Eandem Paulus commẽdat 2 Corinth. 8 & 9. Gaignæus *in simplicitate* exponit ingenuè, liberè, non quasi coactè. Verùm id potius est *in hilaritate*, quod statim sequitur.

In simplicitate tribuere quid sit.

QVI PRÆEST, IN SOLICITVDINE. Græcè ἐν σπουδῇ, *in studio*, seu *diligentia*: quam exstimulare solet solicitudo. Sensus: Cui præfectura aliorum commissa est, is non sese efferat, sed diligenter ac solicitè suo muneri incumbat, tanquam Deo rationem redditurus: cogitetque se præpositum alijs, non sui sed illorum causa. Simile præceptum Ecclesiastici 32. *Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis, quasi vnus ex ipsis. Cura illorum habe* &c.

QVI MISERETVR, IN HILARITATE. Communis interpretum sententia est, apostolum hic transire à præcepto bene vtendi donis spiritualibus, ad præcepta omnibus communia. Nã ad omnes pertinet misereri, non solũ interiore misericordiæ affectu; verũ etiam, si facultas adsit, externo opere & effectu; cuiusmodi est egenti dare panẽ, vestem, pecuniam. Quod qui facit, iubetur cum hilaritate facere, quẽadmodum & Sapiẽs præcipit: *In omni dato hilarem fac vultũ tuum*, Ecclesiastici 35. *Hilarem* enim *datorem diligit Deus* 2 Cor. 9. Alijs placet etiã hac parte speciale quoddã charisma siue officiũ significari: vt misereri dicatur is qui ab ecclesia curãdis miseris, potissimum ægrotis, præfectus est, ijsque præbet obsequia: velut etiã hodie fit in nosocomijs. Huic enim operi misericordiæ valde cõuenit hilaritas: vt quos morbus affligit & cõtristat, ex alacritate & prõptitudine eorũ à quibus iuuãtur, capiãt consolationẽ. Qui sensus haudquaquam improbabilis est. Habet enim hoc præceptum similẽ formam cum præcedentibus. Nam quæ sequuntur, vt omnibus communia sunt, ita forma à septem superioribus differunt.

Hilaritas in curatione miserorũ necessaria.

9 DILECTIO SINE SIMVLATIONE. Græcè ἀνυπόκριτος, id est *simulationis expers*. subaudi, sit. q. d. Proximus diligatur sincerè & ex animo, non simulatè. Nam dilectio simulata nõ est dilectio. Sic alibi fidem exigit ἀνυπόκριτον *non fictam*, vt 1 Tim. 1. Nam & fides ficta non est fides. Ne autem proximus diligatur in malo, quæ est mundana & pernicioſa dilectio; subiungit duo sequentia præcepta.

Dilectio simulata non est dilectio.

OBEDIENTES MALVM, ADHÆRENTES BONO. Malũ & bonũ neutri generis sunt. Itaque dilucidius ita vertes; *Odientes id quod malũ est, adhærentes ei quod bonum est*. Malũ intellige viciũ, peccatum: bonum honestatẽ, iusticiam. *Odientes*, Græcè non est μισοῦντες, quod est simpliciter, *odientes*; sed ἀποστυγοῦντες, id est *auersantes*, odio habentes cum horrore. In hac parte & sequentibus supplendum est verbum præceptiuum, estote, vel sitis.

10 CHARITATE FRATERNITATIS INVICEM DILIGENTES. Sic omnino legendũ ex castigatione Romana, pro eo quod multos codices occuperat, *charitatẽ fraternitatis*. Nã Græcè datiuus est, nobis reddendus per ablatiuũ τῇ φιλαδελφίᾳ, id est *charitate fraterna*. Nec in Græco participij est ἀγαπῶντες *diligentes*, vt ab eo regi possit accusatiuus τὴν φιλαδελφίαν, pro quo suspiceris datiuũ irrepsisse; sed nomẽ φιλόστοργοι, vt si Latinè dicas affectuosi: quod accusatiuũ regere nõ potest. Accedit præter Græcorũ omniũ lectionem, quod etiã apud Latinos scriptores ablatiuus legitur *charitate*, vel *amore*, & pro *diligentes*, nomen *affectuosi*, vel *benigni*. Ita Tertullianus lib. 5 cõtra Marcionẽ cap. 14, *Amore fraternitatis inuicem affectuosi*. & commentator Amb. *fraternitatis amore inuicem benigni*. Quo fere modo & cæteros expositores Latinos legisse, vt Pelagium, Primasium, Sedulium, & Haimonẽ, probant eorum commentarij. Chrysologus quoque legit *inuicem benigni*, licet priora verba prætermittat. His & illud accedit quod pro *inuicẽ* Græcè est εἰς ἀλλήλους, id est *ad vos inuicem*, quod cũ participio *diligentes* non cohæret: vt taceam conformitatem huius sententiæ cũ tribus subsequentibus, quæ simili casu inchoãtur, *honore, solicitudine, spiritu*. Nec pro accusatiuo facit illud 1 Petri 2, *fraternitatem diligite*. Nam eo loco Græca prorsus sunt diuersa, licet sententia sit similis. Igitur huius loci sensus percommodè dilucideque, vt alia expositione nõ sit opus, ex Græco reddi potest hoc modo: Amore fraterno alius ad alium amanter affecti. Ratio, quia estis inuicem membra, non tantum vt homines, sed vt fideles, ac peculiariter hoc nomine fratres.

11 HONORE INVICEM PRÆVENIENTES. Græcè προηγούμενοι *præcedentes*. Quanquam optimè transtulit interpres, *præuenientes*: vt intelligatur Paulũ loqui de honore actiuo, nõ passiuo. Nã alioqui præcedit honore, qui prius aut magis honoratur: Præuenit autẽ, qui anteuertit, id est qui prius honorat. Intellige, quãtum in te est. Non enim vterque alterũ præuenire potest, nisi voluntate & studio. Ratio præcepti; quia per hoc prouocatur & fouetur mutua dilectio, quam proxima sententia commẽdauerat. Erasmus honorem hoc loco vult intelligi subsidium, sed minus rectè. Nam apostolus simili sententia alibi sese explicat, nempe cum dicit Philipp. 2, *In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes*. *Quod quidem fit*, ait Thomas hoc loco, *dum quis suum*

Quid honore alijs præuenire

defectum considerat, & bonum proximi. Sed nos ea de re plura Deo fauente dicturi sumus in memorati loci commentario.

SOLICITVDINE NON PIGRI. *Solicitudine.* Græcè τῇ σπουδῇ *studio*, vt suprà versu 8. Sensus: Non grauatim, sed diligenter & promptè, atque ex animo facientes officium, præsertim quo iuuandus est proximus.

SPIRITV FERVENTES. Hoc est, impetu quodam animi succensi ad exsequendum ea quæ vestræ sunt functionis & officij. Sic enim eritis studio non pigri. Potest etiam exponi de Spiritu sancto; quo velut igne feruentes, nullum charitatis officium erga proximos refugiamus: vt referatur ad omnia præcepta superiora. Basilius in regulis breuioribus responsione 259, *Spiritu feruens est*, inquit, *qui ardenti studio, & inexplebili cupiditate, & assidua diligẽtia, voluntatẽ Dei facit in charitate Christi.*

Tempori seruientes an vera lectio.

DOMINO SERVIENTES. Græci codices plerique qui nunc exstant habent, *Tempori seruientes.* Et hoc modo legit inter Latinos Amb. commentator; eamque lectionem, altera reiecta velut huic loco incongrua, studiosè defendit. Meminit eiusdem Hieronymus in epistola ad Marcellam numero 102, sed sic vt improbet. Agens enim aduersus quosdã suos reprehensores; *Illi legant*, inquit, *tempori seruiẽtes, nos legamus, Domino seruientes.* Meminit & Ruffinus in Origenis commentario, suis loquens verbis: quãquam nec ipse probat; licet affirmet ita in nonnullis Latinorum exẽplaribus haberi. Porrò simpliciter eam lectionẽ annotat glossa interlinealis: ordinaria verò etiam exponit, tacẽs de altera. Sed & antiquissima mss. (quemadmodum refert in suis notationibus F. Lucas) quæ libris argumenta capitũ præfigunt, huius epistolæ quadragesimũ octauũ caput *De tempori inseruiendo* inscribũt: nimirũ quod retinuerint capitum argumẽta, ei Latinorum editioni quæ ante nostrã fuit, accommodata. Petrus Lombardus in suo cõmentario posuit & exposuit vtramque lectionem, sic vt neutram alteri præferat. Cæterùm lectioni nostrorum codicum suffragatur Syriacus textus: atque in eandem consentiunt Græci tractatores Chrysostomus, Theodoritus, Theophylactus & Oecumenius, & Latini omnes, Ambrosio quem dixi, excepto; qui tamen agnoscit in Græco haberi *Domino seruientes.* Nec desunt hodie Græci codices, inter quos Regius ex Complutensi, qui hanc lectionem exhibeant. Nã Robertus Stephanus quatuor præterea codices huius lectionis annotauit. Diuersitas nata videtur ex affinitate Græcorum vocabulorum κυρίῳ & καιρῷ, maximè si forte, qui scribarum mos est, abbreuiatè scriptum fuerit, κῷ. Nec planè constat vtra lectio sit potior ac germanior. Nostra quidem sensum habet apertum; vt in omni actione & officio quod proximis impendimus, non quæ nostra sunt quæramus, sed Domino seruiamus, eiusque honori studeamus. Vnde non incongruẽter (quo in diuersum argumento mouentur alij) præceptum hoc subiungitur præcedentibus. Altera quoque lectio sentẽtiam habet nec putidam, vt quibusdam videtur, nec apostolo indignam; modo Christianè, sicut oportet, exponatur. Ad quod proferuntur eiusdem apostoli tanquam similia præcepta alijs in locis, vt Eph. 5, & Col. 4, vbi monet vt tempus redimamus. Vnde dicunt, ex mente Pauli eos tempori seruire, qui temporis occasione vtuntur ad id quod melius est, ac sedulò cauent, ne negocijs minus vtilibus sese occupantes, temporis ad Deo seruiẽdum concessi iacturam faciant. Quanquã id aliter exponit dictus Amb. Sic enim scribit: *Quoniam dixerat, spiritu feruentes; ne hoc sic acciperent, vt passim & importunè verba religionis ingererent tẽpore inimico, per quod fortè scandalũ excitarent: statim subiecit, tempori seruientes, vt modestè & cum honestate, aptis locis & personis, & apto tempore, religionis fidem loquerentur.* Ita scriptor ille (cui & glossa concinit, & Lõbardus) haud absurdè. Nam & Salomon dicit *tempus* esse *tacendi, & tempus loquendi*; Ecclesiastæ 3. Et Amos propheta cap. 5, *Prudens*, inquit, *in tempore illo tacebit, quia tempus malũ est.* Porrò Desiderius in paraphrasi idipsum paulò aliter exponit, ita scribens: *Ne reluctemini malis; sed tempori seruite, rebus præsentibus vosmetipsos accommodantes; & si quid inciderit incõmodorum, vel declinantes, si liceat commodè, vel tolerantes.* Sic ille, sensu nequaquã alieno, si cui placeat hæc lectio. Nam & ea quæ sequũtur: *spe gaudentes, in tribulatione patientes*, ad eũ sensum satis probè respondent. Verùm quia tempori seruire non est phrasis apostolica, nec omnino in scripturis vsitata; nec idem sonare videntur redimere tempus (de quo suis locis agemus) & seruire tempori: idcirco mihi hæc lectio, quamuis alioqui bonas recipiat expositiones, non admodum arridet: præsertim quum altera (quam habere nos crediderim ex emendatione S. Hieronymi) loquatur id quod passim inculcant scripturæ, vt Domino Deo seruiamus. Quod & ipse Paulus alibi præcipit, dicens: *Christo Domino seruite*, Coloss. 3. Vnde & huius epistolæ cap. 14 seruitutem hanc commendans ait: *Qui in hoc seruit Christo, placet Deo*; sicut & contrà de quibusdam dicit capite decimo sexto, *Huiusce modi Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri.* Ex quibus locis Paulinis etiam id colligo, Dominum hic intelligi Christum, de quo Ephes. 4, *Vnus Dominus.* Est enim moris apostolici Christum, vt redemptorem nostrum, vocabulo Domini peculiariter honorare. Cùm igitur apostolus de multis officijs & actionibus Christianis præcepta dedisset; hic iam præcipit, vt in omnibus illis seruiamus gloriæ Christi Domini nostri, cum spe certissima cælestis remunerationis ab eo percipiẽdæ. Hinc aptè subiungitur.

Quid seruire Domino.

Quid tẽpori seruire.

Vulgata eodem cum lectio probabilior.

SPE GAVDENTES. Spem intelligit futuræ retributionis. Ea namque animum 12

Chri-

Christianum fouet, & alacritatem suggerit, & gaudio quodam perfundit in omni opere pietatis: Tum verò mirificè consolatur, & fortem reddit in afflictionibus huius vitæ. vnde sequitur.

IN TRIBVLATIONE PATIENTES. Spe nimirum animati. Nam nisi animus spe præmiorũ fulciretur, in afflictionibus quas pro Christo patitur (de his enim sermo est) durare non posset. Quo sensu autem è diuerso, patientia mediâ probatione spem operetur, secundum eundem apostolum cap. 5 huius epistolæ; eo loco explicatum inuenies.

ORATIONI INSTANTES. Alij vertunt, *in oratione perdurãtes*. Nam Græcum verbum προσκαρτερῦντες significat assiduitatem cũ perseuerantia. Sic Act. 1, *Omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione*. Non solum ergo hortatur vt in precibus ad Deum fundendis assidui sint, verùm vt id etiam perseuerantes faciant. Hoc ipsum est quod Dominus præcipit Lucæ 18. *Quoniam oportet semper orare, & non deficere*. Comprehenduntur igitur hoc præcepto duæ tresue conditiones ad orationem requisitæ, vt sit frequens, vt studiosa, & vt perseuerans.

Conditiones ad orationẽ necessariæ.

NECESSITATIBVS SANCTORVM COMMVNICANTES. Id est, fratrum seu Christianorum indigentiæ de vestris facultatibus subuenite, res vestras fratribus inopia laborantibus cõmunes facite. Necessitas enim, Græcè χρεία, pro egestate ac rei familiaris angustia, poni consueuit. Ita 1 Ioan. 3. *Si quis viderit fratrem suum necesse habere*, Græcè χρείαν ἔχοντα. Nec sensu discrepat ea versio quæ est in Latino commentario Origenis: *Vsibus sanctorum cõmunicantes*. Nam vsibus, intellige necessarijs. Qua ratione Christiani vocentur sancti, dictum est sub initium huius epistolæ. Porrò sciendum hoc loco pro *necessitatibus* in Amb. commentario legi *memorijs*, quemadmodum & citant hunc locum Optatus lib. 2 contra Donatistas, & Chrysologus serm. 120. Et his multo posterior Gregorius tertius in epistola ad optimates & populum Germaniæ scripta. Alludit etiam Augustinus serm. 49 de verbis Domini cap. vltimo, sic alloquens plebem catholicam: *Communicatis membris apostolorum, communicatis memorijs sanctorum martyrum diffusorum per orbem terrarum*. Quin ea lectio vsque hodie visitur in missali Mediolanensis ecclesiæ, quod Ambrosianum vocant, typis excuso anno 1548 pagina 113. Sic & Hilarium legisse constat ex libro quem scripsit in Constantium Augustum. His enim verbis inter alia eum alloquitur: *Apostolus communicare nos sanctorum memorijs docuit. Tu eos damnare coegisti*. Imò Ruffinus in Origenis commentario testatur hanc lectionem magis quam alteram haberi in Latinis exemplaribus, & tam ipse eodem loco, quam Pelagius atque Sedulius in suis commentariolis vtramque exponunt: tametsi Ruffinus eam censet veriorem, quæ Græcorum erat codicum. Quod & nos arbitramur; quandoquidem eam (vnum Ambrosiastrum cum Sedulio si demas) concorditer in textu habeant & exponant, quotquot tam Latinè quam Græcè in hanc epistolam commentatos nouimus: astipulante etiam Syriaca versione: nec in vllo vel Latino vel Græco exemplari epistolarum Pauli, quod hodie exstet, diuersa lectio reperiatur. Existimo sanè & istud quoque lectionis dissidium olim accidisse ex vicinitate Græcarum vocum χρείαις & μνείαις: cumque Latinos codices amplius quam Græcos peruasisset, opera S. Hieronymi vulgatam editionem emendantis, sublatum fuisse, vt deinceps non *memorijs*, sed *necessitatibus* legeretur. Nam & cõsentanea valde est hæc lectio præceptis eiusdem apostoli, quæ in alijs epistolis habentur; quibus passim sub nomine communionis seu communicationis, rerum temporalium in pauperes elargitionem commendat, vt Galat. 6, *Communicet is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis*. Philip. 4, *Bene fecistis communicantes tribulationi meæ*. 1 Timoth. 6, *Diuitibus huius sæculi præcipe, facilè tribuere, communicare*. Heb. 13, *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci*. Item 2 Cor. 8, & 9. vbi similiter huiuscemodi communicationis fit mentio, & eius quidem quæ fit in sanctos necessitatem patientes; vt vel ex eo loco clarè discamus, quid sit necessitatibus sanctorum communicare, quemadmodum & ex 1 Cor. vlt. Denique ex hac ipsa ad Romanos epist. cap. 15, vbi illa verba, *collationem facere in pauperes sanctorum*, perspicuè commõstrant præsentis loci intellectum. Iam quod ad diuersam lectionem attinet; eam duobus modis exponunt. Prior sensus est: Sanctorum qui vel defuncti sunt, vel adhuc supersunt, iugiter habendam esse memoriam, vt tam doctrinã quam mores eorum imitando, cum eis communicemus. Ita non solum commentatores ante nominati Ruffinus, Amb. ac cæteri, verùm etiam Hilarius & Optatus; qui sententiam ad sanctos patres vita functos eorumq; doctrinam & decreta, expresè referunt. Alter sensus: Memoriam habendam esse sanctorum pauperum, seu priuata communicatione bonorum temporaliũ, siue in collectis solemnibus, quæ in pauperes fieri solent. Adiungunt hanc expositionem superiori Ruffinus & Amb. sed quæ ad priorem lectionem multo aptius accommodetur, eamque proinde magis confirmet. Cæterùm Turrianus lib. 4 defensionis epistolarum pontificiarum cap. 14, etsi propensior in posteriorem lectionem, pro qua etiam adfert testimonia veterum scriptorum; ambas tamen ad hunc modum cõponi posse putat, vt sensus sit; ita nos memores esse debere eorum qui sanctè mortui sunt, sed cum leuibus quibusdam maculis, vt eorum necessitates, id est pœnas quibus detinentur, orationibus nostris & eleëmosynis subleuemus. Sensus quidem

Quid cõmunicare necessitatibus sanctorum.

Alia lectio, memorijs sãctorum, examinatur.

Diuersæ lectionis expositio.

Vulgata lectio Gerior.

catholicus & pius; ſed qui non videtur eſſe huius loci. Porrò lectioni priori, & ſenſui quē ante dedimus, bene reſpondet, tanquam affine, præceptum ſequens.

HOSPITALITATEM SECTANTES. Græcè διώκοντες *perſequentes*. idem verbum quod in præcepto proximè ſequēti; ſed hic acceptum in bonam partem, ideoque bene redditum, *ſectantes*, quemadmodum & 1 Cor. 14. *Sectamini charitatem*. Senſus enim eſt: Hoſpitalitati cum primis ſtudete: ſedulo eam exercentes erga Chriſtianos hoſpitio egentes, ne videlicet aut exponātur iniurijs cæli, aut malorum hominum, aut diuertere cogantur apud infideles. Quam poſteriorem rationem indicat Ioannes apoſtolus in epiſtola ad Caium. Neque enim ad eā hoſpitalitatem propriè hortatur, quæ magnificentiæ pars eſt, & non niſi à locupletibus exerceri poteſt: ſed ad eā quæ eſt inter opera miſericordiæ, de qua Chriſtus in fine ſæculi dicturus eſt; *Hoſpes eram & collegiſtis me*, Matth. 25. De eadem apoſtolus Heb. 13. *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci*.

Quæ hoſpitalitas in ſcripturis cōmendata.

BENEDICITE PERSEQVENTIBVS VOS. *Benedicite* Gr. εὐλογεῖτε. Quod verbū, perinde vt Latinum benedicere, pene proprium eſt ſacris & eccleſiaſticis ſcriptoribus. Significat autem interdum quidem laudare cum gratiarum actione, interdum verò bene optare, bene precari; interdum etiam benefacere, vt quoties Deꝰ legitur benedicere creaturis ſuis. Sicut enim eius dicere facere eſt; ita eius benedicere benefacere eſt: vt qui alium nō habeat à quo precando aut optādo quicquam exſpectet. Hoc ſane loco benedicere non aliud eſt quam bene precari, bene velle & optare. Dixi vocabulum hoc tam Græcum quam Latinum ſcriptoribus eccleſiaſticis penè propriū eſſe. Nam εὐλογεῖν pro laudare etiam apud Ariſtophanem legitur in Equitibus: quemadmodum & benedicere in eodem ſignificato, apud Ouidium lib. 5. Triſtium elegia 3. hoc verſu: *Nec tibi ceſſaret doctus benedicere lector*. & apud Tullium in oratione pro Seſtio: *Cui benedixit vnquam bono?* Hinc benedicta pro verbis ad laudem & gratiam compoſitis; quibus opponuntur maledicta, hoc eſt contumeliæ & probra. Terentius in Phormione: *Benedictis ſi certaſſet, audiſſet bene*. Cæterum benedicere pro eo quod eſt bene precari, quomodo in hoc ſcripturæ loco & multis alijs ſumitur; ita proprium eſt authoribus ſacris, vt apud profanos arbitrer nuſquam reperiri. Senſus igitur apoſtoli eſt: Bene precamini, & orate Deum pro ijs qui vobis mortem aut damna moliuntur inferre, vel etiam inferunt; quales potiſſimum erant perſecutores Chriſtianæ religionis. Eſt autem hoc non conſilij tantum, ſed præcepti; quod inter alia præcepta Chriſtus legiſlator noſter ſtatuit Mat. 5, dicens: *Ego dico vobis: diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos; & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos; vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt*. De cuius præcepti intellectu conſulantur commentarij in Magiſtrum lib. 3 diſt. 30. Miror autem Eraſmum hoc loco ita dormitaſſe, vt verteret; *Bene loquamini de ijs qui vos infectantur*; cūm bene loqui de aliquo ſit eum laudare: Ipſe verò fateatur in annotationibus, benedicere pro laudare hoc loco accipi non poſſe. Certè pars ſequens ex antitheſi clarè oſtendit, quid hic apoſtolo ſit benedicere.

14 *Verbum benedicere pene proprium ſcriptoribus ſacris: & quæ eius ſignificationes.*

Benedicere perſequentibus non conſilij ſed præcepti.

BENEDICITE ET NOLITE MALEDICERE. Græcè μὴ κατᾶρᾶσθε, *ne exſecramini*. Senſus: Bene, inquam, precamini eis, nō male. Quod intellige, vindicandi ſtudio vel affectu; ſicut paulo pòſt declarat, dicens: *Nulli malum pro malo reddentes*. Eſtque ratio manifeſta; quia vindicare & punire ſcelera, ſolius Dei eſt; & poteſtatis ab eo conſtitutæ. Quanquam nec abſolutè malis hominibus mala precari licet; quia contra charitatem eſt, niſi ſint eiuſmodi mala quæ illis in bonum ceſſura ſint, vt flagella temporalia quibus ad Deum reuocentur; aut niſi zelo & approbatione iuſticiæ diuinæ id fiat aduerſus eos quos certò aut probabiliter conſtet in malicia perſeueraturos. Quomodo legimus aliquando ſanctos prophetas & apoſtolos, ac nominatim Paulum ipſum, vt Act. 23, & 2 Tim. 4, mala quædam impijs imprecatos fuiſſe. Neque enim id fecerunt quo ſuas iniurias vlciſcerentur, ſed quod vltionem diuinæ iuſticiæ, quam malis ac deploratis hominibus impendere videbāt, approbando, optarent in eos exerceri. Qua de re vide S. Thomam 22 quæſt. 25 ar. 6 ad 3, & quæſt. 83 ar. 8 ad 1.

An malis maledicere aliquādo liceat.

15 GAVDERE CVM GAVDENTIBVS; FLERE CVM FLENTIBVS. Sic legendum, mss. omnibus editioni Romanæ ſuffragantibus: non autem imperandi modo, *gaudete, flete*, vt in quibuſdā impreſſis codicibus habetur. Nā in Græco infinitiui ſunt χαίρειν, κλαίειν: exponēdi tamē per imperatiuos; niſi ſupplēdū putes verbum, oportet, vel dico & admoneo, vel ſimile quid. Thomas in vtraque parte ſupplet, debetis. Interponunt autem Græca coniunctionem: *& flere*. Monet apoſtolus, vt, quod exigit membrorum eiuſdem corporis ſocialis communio, bona ac mala aliorum, id eſt proſpera & aduerſa, velut noſtra reputemus, atque ijs vt proprijs afficiamur, lætantes de bonis, dolentes de malis. *Si enim patitur vnū membrum, compatiuntur omnia membra; & ſi gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra*, 1 Cor. 12.

IDIPSVM INVICEM SENTIENTES. Quidam interpretantur his verbis ab apoſtolo præcipi concordiam & conſenſum animorum; ſicut 1 Cor. 1, cum ait, *vt idipſum dicatis omnes*. Sed hunc ſenſum Græca vix admittunt. Sic enim habent: τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες, *idem erga vos mutuo ſentientes*. Magis placet ſenſus quem tradunt Chryſoſtomus, Theophylactus & Oecumenius, qui eſt huiuſmodi; Sitis eodem animo alius erga alium affecti: nec quia quiſquam opibus, honoribus, genere aut

Quid, idipſum inuicem ſēſtire.

potentia

potentia præstat alijs; ideo meliorem se vel alium arbitretur ijs quibus illa non adsunt: Sed hoc solum in vnoquoque consideret, quod Christianus est, quod membrum eiusdem corporis, quod vocatus ad eãdem spem gloriæ futuræ. Ita fiet vt non facilè quis animo efferatur supra alium, sed erga omnes humiliter & æquabiliter se gerat. Cui sensui cõgruit quod sequitur.

16 NON ALTA SAPIENTES, SED HVMILIBVS CONSENTIENTES. *Sapientes*, rursum Græcè φρονοῦντες, quod modò verterat, *sentientes*. Nec aliud est hoc loco, alta sapere, quam quod etiam superiori capite prohibuit, dicens: *Noli altum sapere*. Tantum separat hic voces, quas illic vno verbo composuit, ὑψηλὰ φρονεῖν. Cæterùm pro participio *consentientes*, Græcè est συναπαγόμενοι, id est *obsecundantes*, accommodantes vos; &, quod minus Latinè dici solet, condescendentes: licet in quibusdam codicibus sit συνεπαγόμενοι, *simul ducentes* vel *ducti*, id est vnà conuersantes. Quod penè idem est cũ priore. Proinde sensus est: Non vobisipsis placentes, tanquam cæteris maiores; non arroganter de vobis sentientes; sed humilibus, id est abiectæ sortis hominibus, quales sunt pauperes, ignobiles, atque alij mundo despecti, vos benignè accommodantes; nec dedignantes cum talibus, & omnino cum minoribus conuersari. Sic ferè Græci interpretes. Latini verò plerique illud *humilibus* accipiunt in neutro genere: quo magis constet ei antithesis cum nomine *alta*: sitque idem *humilibus consentientes*, quod humilia sapiẽtes, id est humiliter ac demissè de se sentientes, iuxta illud Dauidicum: *Si non humiliter sentiebam* ps. 130. Qui sensus præferendus videretur, si non obstaret verbum συναπάγεσθε: quod magis ad personam refertur.

Quid alta sapere.

Quid humilibus cõsentire.

NOLITE ESSE PRVDENTES APVD VOSMETIPSOS. Præceptum idem cum eo quod gentilibus ad fidem conuersis edixit capite præcedenti, vbi nos legebamus, *vt non sitis vobisipsis sapientes*. Igitur *apud vosmetipsos*, id est vestra ipsorum opinione, & quod Hebræa phrasi dicitur, in oculis vestris. Videtur enim apostolus, hoc præceptum inculcans, respicere ad scripturas quibus illud continetur, vt Isa. 5. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes*. & Prouerb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. Et iterum: *Ne sis sapiẽs apud temetipsum*. Hebraicè, *in oculis tuis*. Itaque sensus apostoli est: In rebus agendis nè vobismetipsis placeatis velut prudentes, qui alieno consilio, monitis, instructione nõ egeatis. Hoc vicium è superbia nascitur, à qua dehortatus est parte præcedenti.

Prudẽtes apud semetipsos qui dicantur.

17 NVLLI MALVM PRO MALO REDDENTES. Vindictam prohibet; cuius proprium est malum pro malo reddere, malum scilicet pœnæ pro malo culpæ. Datur hoc præceptum cuique homini priuato. Nam qui publica fungitur potestate, *Dei minister est, vindex in iram ei qui malum agit*: vt dicitur sequenti capite. Est autem præceptum planè euangelicum, quod pluribus verbis exposuit Dominus Matth. 5 & alibi.

Quid malum pro malo reddere, & quibus prohibitum.

PROVIDENTES BONA NON TANTVM CORAM DEO, SED ETIAM CORAM OMNIBVS HOMINIBVS. Sic legunt omnes Latini. At in Græco tantum est, *prouidentes bona coram omnibus hominibus*; vt Caietanus audeat dicere, sex dictiones esse superfluas. Certè nec plus legitur apud commentatores Græcos Origenem, Chrysostomum, Theodoritum & cæteros. Quæ si vera est lectio; fatendũ erit, (quod mihi satis est verisimile) reliquum à quopiam additum fuisse ex simili, sed pleniori sententia, quæ habetur 2 Cor. 8. *Prouidemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*. Vbi Paulus sine dubio respexit ad sententiam Salomonis Prouerb. 3. secundum LXX. *Proinde bona coram Domino & hominibus*. Adfertur quidem huc pro Latinis codicibus ex Basilio locus, qui est in regulis breuioribus responsione 28. vbi citat hæc verba: *Prouidentes bona non solum coram Deo, sed etiã corã hominibus*. Verũ vnde ea desumpserit, nõ indicat. Imo quia non dicit, *coram omnibus hominibus*, sicut hic legitur; videri potest alterũ locum potius attendisse, qui habet, *coram hominibus*. aut certè, vt fit, alterum miscuisse cũ altero. *Prouidentes* Græcè προνοούμενοι, quod alij vertunt *procurantes*, Erasmus *prouidè parãtes*. Sensus nostræ lectionis est: Quæ bona & honesta sunt, agite & procurate cum ea prouidentia & circumspectione, vt non tantum Deo probentur in conscientijs vestris, sed etiam hominibus accepta sint; ita sanè vt nulli scandalum pariant. Nam alioqui nec simpliciter bona erunt, nec Deo probata. Sic intellecta sententia conuenit cum illis: *Luceat lux vestra corã hominibus*, Matth. 5. &, *Ab omni specie mala abstinete vos*, 1 Thess. 5. Porrò Græci suæ lectionis hunc faciunt commentarium: Nõ sufficiat vobis malum pro malo nõ reddere; sed etiam bona prouidete, id est, studete benefacere, ac bene consulere omnibus hominibus, quamuis etiam inimicis, ac de vobis malè meritis. Sic illi. Verum equidem existimo Græcæ lectionis sensum non esse diuersum ab eo quem prius dedimus: scilicet opera bona prouidè agenda esse, vt ijs cõspectis ædificentur proximi, nullus offendatur. Cùm enim hic locus similis sit illi quem citauimus ex epistola 2 ad Corinthios; consentaneum est, vt eodem sensu accipiatur. Atqui illius loci sensus non est ambiguus, vt ibi videbis.

Quid prouidere bona corã hominibus.

18 SI FIERI POTEST, QVOD EX VOBIS EST, CVM OMNIBVS HOMINIBVS PACEM HABENTES. Græcè εἰρηνεύοντες *pacem colentes*, *in pace viuentes*. Particulam, *si fieri potest* Erasmus & Caietanus adiungendam putant superiori sententiæ. Mouet Erasmum quod pars sequẽs suum habeat τὸ ἐν ὑμῖν, *quod*, seu *quantum in vobis est*. Caietanum verò, quoniam & id quod præcedit, prouidere *bona coram omnibus*

bus hominibus, obſeruatu difficile eſt. Alij plerique omnes ſequentibus aſtruunt: eāque lectionē videre eſt apud Hilariū in enarratione pſal. 132, & apud Gregorium lib. 8. epiſt. 45. Atque id melius arbitror. Nam prior pars abſolute legitur 2. Cor. 8. Neque enim præcipit quod ab alijs hominibus dependeat, ſed quod à nobis. At verò pacem habere cum omnibus hominibus, non eſt in nobis ſitum. Quid ſi enim alij nolint? Idcirco non ſolum difficile eſt, verum etiam, vt ſunt multorum hominum improbi mores, impoſſibile; adeo vt nec ipſe Paulus qui hæc præcipit, potuerit cum omnibus hominibus pacem habere. Merito igitur apoſtolus duas addidit clauſulas, generalitatem huius præcepti limitantes: *Si fieri poteſt*, nempe ſalua iuſtitia, pietate ac veritate; &, *quod in vobis eſt*, ne videlicet à vobis atque ex veſtra parte præbeatur vlla diſſenſionis occaſio: ſed contra ſtudioſè curetis ea quæ pacem conſeruent ac promoueāt, cuiuſmodi imprimis eſt quod ſequitur.

Pacem cū omnibus habere, impoſſibile eſt.

19 NON VOSMETIPSOS DEFENDENTES CARISSIMI. Non defenſionem hic prohibet, qua quis verbo factóue ſibi cauet ab iniuria. Neq; enim damnare poteſt, quod ipſe toties feciſſe legitur in Actis apoſtolorum. Vnde & ait 2. Tim. 4, *In prima mea defenſione nemo mihi adfuit.* Thomas quidem & Liranus defenſionem intelligunt, ſed exponunt hoc præceptum de præparatione animi. Verum id præter mentem apoſtoli. Nam vindictam prohibet, ſicut paulo ante dicens: *nulli malum pro malo reddentes.* Quanquam Caietanus diſtinguit, dicens illic prohiberi retaliationem ſub ratione odij, hic ſub ratione vindictæ. Sed, hac omiſſa ſubtilitate, magis placet, iuxta omnes interpretes & ipſum Aquinatem, etiam illic eſſe prohibitionem vindictæ. Id verò nunc repetit; vt alia deinceps addat eodem pertinentia, ad rem difficilem efficacius perſuadendam. Propter quod etiam adiecit illud, *cariſſimi*, Græcè ἀγαπητοί *dilecti*, ſcilicet, vt hac blanda appellatione magis moueat. Cæterùm interpres *defendentes* dixit pro *vindicantes, vlciſcentes*. Eſt enim in Græco ἐκδικοῦντες participium eiuſdem verbi, à quo deductum nomen ἐκδίκησις, quod ſtatim poſt vertit *vindictam*. Sic & alibi defendere ſumitur in vulgata verſione, vt Iudith 1, *Iurauit Nabuchodonoſor quod defenderet ſe.* & cap. 9, *in defenſionem alienigenarum*. Sic olim in pſal. 8 legebatur, *vt deſtruas inimicum & defenſorem*, videlicet ex pſalterio Romano: vbi nunc ex Gallicano melius *vltorem* legit eccleſia. Sed & hodie in officio eccleſiaſtico canitur ex Apoc. 6, *Vſquequo Domine non defendis ſanguinem noſtrum*, hoc eſt, *vindicas*; vt nunc verſio noſtra habet ex emendatione, quantum exiſtimo, S. Hieronymi: quem veriſimile eſt etiam hoc loco pro *defendentes* poſuiſſe *vindicantes*, quod apud Sedulium & Chryſologum legitur; aut *vlciſcentes*, quod apud ipſum Hieronymum lib. 3 apologiæ aduerſus Ruffinum; ſed per inolitam prioris lectionis conſuetudinem (vt in alijs contigit), quod bene poſitum erat, excidiſſe. Cæterum apparet circa tempora noſtri interpretis defendere pro vindicare vſurpatum fuiſſe etiam à doctis. Nam & Cyprianum inuenimus ita locutum in fine lib. de patientia: *Nec defendi*, inquit, *ante Dominum ſerui irreligioſa feſtinatione properemus*, hoc eſt vindicari. Imo & Tertullianum: qui verba Dei ſtatim à Paulo citanda ſic effert Latine, lib. 2 contra Marcionem ca. 18, *Mihi defenſam, & ego defendam*. Dicit apoſtolus *vosmetipſos*, Græcè ἑαυτοὺς, id eſt, quiſq; ſeipſum. vt oſtendat ſe loqui de priuata iniuriarum vltione, non de ea quæ publica ſit authoritate, & ob bonum publicum.

Defendere pro vindicare apud interpretem vulgatū.

Defenſa, id eſt defenſio pro vindicta.

SED DATE LOCVM IRÆ. Iram Dei intelligit: vt ſenſus ſit, Vltionem permittite diuino iudicio: patiēter exſpectate, dum Deus iuſtus iudex vlciſcatur iniurias vobis illatas. Quod opus Deo proprium, vos ei præripere & quaſi præoccupare non debetis. Hoc eſt quod dicit *date locum*, id eſt ſinite vt locum habeat. Hunc ſenſum tradunt Lombardus & Aquinas ſecuti commentatorem Amb. & Græcos. Legitur & apud Auguſtinum in expoſitione pſal. 78. Sunt alij qui iram hominis ſignificari putent, eius ſcilicet qui facit iniuriam; aut verius iram pro homine irato per tropum accipiant, hoc ſenſu: Cedite ijs qui vobis iraſcuntur & vos oderunt, patienter ferendo eorum iniurias, aut etiam ſubducendo vos ex eorum oculis loci mutatione. Quo vtroq; modo præceptum hoc exponit Baſilius in regulis breuioribus reſponſione 244. At ſolo poſteriori Ambroſius lib. 1 officiorum cap. 21, vbi cedendum iræ docet exemplo patriarchæ Iacob, qui fratri indignanti pie ceſſit, atq; in longinquam regionem diſceſſit, non ante reuerſus quam fratrem mitigatum putaret. Quanquam idem Ambroſius lib. de Ioſeph patriarcha cap. 13, de ira hominis iniuria affecti interpretatur, hoc modo: *Date locum iræ, hoc eſt, declinemus eam ne nos illa corripiat.* Verum quod primò dixi, magis conuenit cum phraſi ſcripturæ. Sic enim & Petrus de Chriſto ſcribit 1 epiſtolæ 2. *Tradebat iudicanti iuſtè*, ſecundum Græcam lectionem, ſcilicet Deo. Deniq; huic intellectui conſonat omnino quod ſequitur.

Quid, dare locum iræ.

SCRIPTVM EST ENIM, MIHI VINDICTA, EGO RETRIBVAM, DICIT DOMINVS. Multi codices *vindictam* legunt accuſandi caſu minus bene. Nam Græcè tam hoc loco quam ad Heb. 10, vbi eadem ſententia citatur, *vindicta* legitur caſu nominandi: quemadmodum & textus habet Amb. commentatoris, & Hieronymus allegat loco ſuprà citato. Scriptura eſt in cant. Moyſi Deut. 32, vbi nos ex Hieronymi interpretatione legimus, *mea eſt vltio, & ego retribuam.* Cæterùm adducit eam ſcripturam Paulus ſecūdum Hebraicam veritatem; in qua ad verbum habetur: *Mihi vindicta &*

retributio.

retributio. Nam LXX paulò ſecus habent, *In die vindictæ retribuã.* Addit apoſtolus de ſuo, *dicit Dominus*; vt intelligatur ex cuius perſona proferantur ea verba. Senſus eſt: Ad me ſpectat officium vlciſcendi iniurias, qui ſum iudex omnium hominum; Ego *Deus vltionũ*, pſal. 93. Atque hoc meum officium exſequar, quando mihi videbitur. Exſequitur autem Deus non ſolum per ſe, ſed etiã per eos quos adminiſtros ſuæ iuſticiæ in terra conſtituit; quemadmodum luculentè docetur cap. ſequenti. Perfecta tamen exſecutio ſolius eſt omnipotentis & omnia ſcientis Dei.

Dei officiũ vlciſci iniurias: quodexſequitur per ſe & per ſuos miniſtros.

20 SED SI ESVRIERIT INIMICVS TVVS, CIBA ILLVM; SI SITIT, POTVM DA ILLI. Græcè: *Si igitur eſurit* &c. tametſi in nonnullis eſt ἀλλ' ἐὰν *ſed ſi.* Locus hic deſumptus eſt ex Salomone Prouerb. 25, ſcriptuſque totidem verbis quibus eum LXX reddiderunt. Quanquam & in Hebræo ſententiam habet prorſus eandem. Senſus huius partis: Quin tu contrà potius, confer in eum qui te læſerit, beneficia, quibus videris eum indigere. Nam nomine cibi & potus (Hebraicè panis & aquæ) etiam cætera neceſſaria ſubintelligenda veniunt. Neque verò præceptum hoc obligat in ſola neceſsitate extrema, quomodo nõnulli illud exponunt: ſed quoties & quandocumque recta ratio dictat proximo neceſsitatem patienti ſubueniendum eſſe. Annotãt quidã Græco verbo ψωμίζε, pro quo *ciba* vertit interpres, inſinuari cibationem ſeu paſtionem non quãlibet, ſed indulgentem ac beneuolam. Eſt enim ψωμίζειν cum panis aut quiduis eſculentum in fruſtula diuiſum porrigitur, aut etiam in os cuipiam inſeritur, vt infantibus fieri ſolet. Mihi veriſimilius eſt interpretes LXX ſpeciem pro genere poſuiſſe in transferenda voce Hebræa, quæ ſimpliciter cibare ſignificat. Id tamen animo beneuolo faciendum, vti cætera miſericordiæ opera, nulli dubium eſt.

Nomine panis & aquæ cætera vitæ neceſſaria ſubintelliguntur.

HOC ENIM FACIENS, CARBONES IGNIS CONGERES SVPER CAPVT EIVS. *Carbones ignis* Hebræa phraſi pro carbonibus ignitis, viuis, ardentibus. Cyprianus lib. 3 teſtimoniorum ad Quirinum cap. 1, citat hoc modo, *Carbones viuos ſuperfundes in caput eius*: tametſi in Hebræo pro duobus vnum eſt vocabulum. Sic enim legitur; *quia prunas tu accipis*, vel vt alij interpretantur, *incendis ſuper caput eius*. Eſt autem ſermo figuratus: poteſtque bifariam exponi, vel in malum vel in bonum. In malũ ſenſus ſatis obuius eſt, huiuſmodi. Ita fiet vt cumuletur & creſcat ei pœna apud Deum. ac ſi dicat apoſtolus: Id ſi feceris, reddes eum grauiori vindictæ obnoxium in iudicio Dei: velut ſi coacerues ardentes carbones ſuper caput eius. Quod intellige, niſi reſipiſcat. Ita Chryſoſtomus, Theodoritus & Theophylactus, & apud Oecumenium Photius ſcripturam hanc exponunt; & inter neotericos Iacobus Stapulenſis, ac alij nonnulli. Sed & Hieronymus lib. 1 dialogi contra Pelagianos capite 9 fatetur pleroſque ſic exiſtimare, vti mox videbimus. At verò in bonum exponitur hoc pacto: Si id feceris, tandem ac paulatim accumulatis in eum beneficijs, velut cõgeſtis carbonibus, excitabis in eo pœnitentiæ dolorẽ; ſimulque eum ſuccendes ad te redamandum: vt iam pro inimico habeas amicũ. Solet enim per ignem amor ſignificari. Senſum huiuſmodi, quòd magis ædificet, magiſque Chriſtianam ſapiat doctrinam, qua iubemur inimicorum ſalutem quærere, multi amplectuntur, & priori præferunt: inprimis Hieronymus, cuius hæc verba ſunt in loco iam citato: *Carbones ignis*, inquit, *congregabis ſuper caput eius, non in maledictum & condemnationem, vt plerique exiſtimant; ſed in correctionem & pœnitudinem: vt ſuperatus beneficijs, excoctus feruore charitatis inimicus eſſe deſiſtat.* Quem ſenſum idem Hieronymus in epiſtola ſcripta ad Hedibiam quæſt. 1 pluribus etiam verbis proſequitur. Auguſtinus quoque paſsim in bonum interpretatur; maximè attendens in carbonibus ardentibus ſignificationem doloris pœnitentiæ, quo vritur & ſanatur animus inimici, dum reddi ſibi videt bonũ pro malo. Loca ſunt in expoſitione præſentis propoſitionis, & in enarratione pſal. 78, & in fine ſermonis de quatuor quæſtionibus, qui eſt 26 de diuerſis. ac denique lib. 3 de doctrina Chriſtiana cap. 16, vbi ſic habet: *Hoc cum poſſit dupliciter intelligi, vno modo ad nocendum, altero ad præſtandum: ad beneficentiam te potius charitas reuocet: vt intelligas carbones ignis eſſe vrentes pœnitentiæ gemitus, quibus ſuperbia ſanatur eius, qui dolet ſe inimicum fuiſſe hominis, à quo eius miſeriæ ſubuenitur.* Nam vt idẽ doctor ſcribit in lib de catechizandis rudibus cap. 4. *Nulla eſt maior ad amorem inuitatio, quam præuenire amando. Et nimis durus eſt animus, qui dilectionem ſi nolebat impendere, nolit rependere.* Similiter in bonum exponunt, priori ſenſu reiecto vel poſthabito, Primaſius alijque Latini in huius loci commentario; nec non author expoſitionis in pſal. 93, quæ eſt inter opera Hieronymi, atque ipſius nominẽ citatur ab Auguſtino epiſtola 111. ac rurſus in pſ. 119 expoſitione ſecunda. Item Cæſarius in homilia 4, quæ habetur inter ſermones Auguſtini de tempore numero 168. Beda quoq; & poſt eum Ianſenius in commẽtarijs ſuper Prouerbia Salomonis. Sunt verò & alij, qui nudè & ſine delectu proponant vtrumque ſenſum, & qui in malum ſonat, & qui in bonum, vt Origenes, commentator Amb. Pelagius, Sedulius & Gaignæus. Quibus adde Eucherium in quæſtionibus noui teſtamenti. Ac ſane non deſunt argumenta quę priorem illum ſenſum probabilem reddant. Primum quia congruit cum eo quod præcedit, de vindicta iniuriarũ Deo relinquenda, *Mihi vindicta, ego retribuã.* Deinde ſuadet ipſa phraſis qua vtitur apoſtolus. Nam & alibi velut pſal. 17 & 134, carbones ignis, pœnas & ſupplicia peccatoribus à Deo irroganda ſignificant: cum è diuerſo carbones pro charitate aut pœnitentiæ dolore,

Carbones ignis congerere ſuper caput inimici, bifariam exponitur, vel in malum, vel in bonum.

Per ignẽ amor ſignificatur.

Carbones ignis pro vindicta.

nuſquam

nusquam legamus. Quin totam hanc locutionem, qua carbones ignis congeri & comburi dicuntur super caput peccatoris, in significationem vindictæ posuit liber 4 Esdræ cap. vltimo. Qui licet apocryphus sit, tamen ad intelligendam phrasim aliquam scripturæ vtilis esse potest. Denique, nequaquam à scripturis alienum est, iustos aduersus impios, à quibus persecutionem passi fuerint, expetere & exspectare vindictam à Deo tanquam iusto omnium iudice; & de ea, vbi contigerit, tanquam de opere iusticiæ diuinæ gaudere. *Lætabitur* enim *iustus cum viderit vindictam*, psal. 57. Quo pertinent alia multa quæ in psalmis & alibi leguntur, de imploratione diuini iudicij contra malos. Certè ipse Dominus in euangelio: *An*, inquit, *Deus non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte?* Luc. 18. Clamorem autem huiusmodi legimus in Apoc. 6, *Vsquequo Domine non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de ijs qui habitãt in terra?* Sed & ipsius Pauli iuxta veram lectionem imprecatio est in quendam 2 Tim. 4, *Reddat illi Dominus secundum opera eius.* Vnde & hoc loco non dicit; iram Dei precibus auertite ab inimico vestro, sed, *date locum iræ, scriptum est enim* &c. Neque hæc aduersantur charitati & Christi præcepto, quo iubemur orare pro persequentibus nos. Sancti enim quorum ordinata est charitas, vtrumque faciunt: dum & orant Deum pro conuersione impiorum, & nihilominus vindicari eorum peccata desiderant, nisi pœnitentiam agant. Siquidem *iustum est apud Deum*, ait apostolus ad Thess. 2 epistolæ 1, *retribuere tribulationem ijs qui vos tribulant.* Quam Dei iusticiam amant & exerceri desiderant illi, quorum voluntas voluntati diuinæ conformis est. Non ergo qui priorem tradunt expositionem, sentiunt eo fine benefaciendum inimico, vt cumuletur ei vindicta apud Deum: quod non esset bene facere, sed malè; (Hunc enim sensum in suis commentarijs disertè excludunt:) verum simpliciter esse benefaciendum illi quamuis inimico; nec tamen eum nostro beneficio euasurum iustam vltionem, si perseueret in malicia; sed futurũ, vt sic etiam grauiores in iudicio Dei pœnas luat, quod nec affectus beneficijs, ab odio & nocendi voluntate destiterit. Hæc enim dicuntur ad consolandum & animandum fideles in afflictionibus & persecutionibus quas iniustè patiuntur. Vnde Cyprianus in epistola ad Demetrianum, de ijsdem loquens: *Patientes*, inquit, *facit de secutura vltione securitas.* Huius autem ratio est, quia animus bene ordinatus vult fieri vindictam iniuriarum tam suarum quam alienarum, vbi non est pœnitentia. Est enim hoc legis æternæ, vt omne malum culpæ per malum pœnæ redigatur ad ordinem iusticiæ. Sciendum est apud Salomonem hæc addi verba prioribus: *Et Dominus reddet tibi.* pro quo LXX, *Dominus autem retribuet tibi bona.* Quod ipsum adiuuat sensum priorem: ac si dicat sapiens: Illum iusta sequetur vindicta, quia tibi nocuit: tu quia beneficus in eum fuisti, mercedem à Deo recipies.

Iusti aduersus impios vindictã expetunt & exspectant à Deo.

Vindictã petere quo modo non sit contrarium charitati & Christi præcepto.

Lex æterna dictat vt omne malũ culpæ per malum pœnæ redigatur ad ordinẽ iusticiæ.

21 NOLI VINCI A MALO, SED VINCE IN BONO MALVM. Elegans antimetabole, qua velut epilogo claudit exhortationem superiorem de non vlciscendis iniurijs. *Malum* Græcè τὸ κακὸν neutri generis, id est maliciam seu maleficium: quemadmodum & bonum pro bonitate, id est beneficio accipit. Facere videtur hæc sententia pro ijs qui superiora verba in bonam partem interpretantur, quasi dicat apostolus: Ne tantum valeat inimici tui malignitas, vt vindictam de eo expetas, & per hoc fias illi similis, id est malus: Sic enim ab eius malicia vincereris. Nam (vt docet Thomas 2 2 quæst 108 art. 1) vincitur à malo, qui vult peccare in alium, quia ille peccauit in ipsum. Sed tu contrà, vince eius maliciam officijs charitatis, vt ex malo bonus fiat, & ex inimico amicus. Verumtamen nec secundum alteram expositionem incommodus est huius partis nexus cum præcedentibus: si dicamus apostolum hic non explicare, quid sit carbones ignis congerere super caput inimici, nec omnino ad eam posteriorem sententiæ partem respicere, sed ad priorem qua dixerat: *Si esurierit inimicus tuus* &c. & ad illud: *Non vosmetipsos defendentes.* Est enim hæc, vt dixi, conclusio quædam doctrinæ superioris de non vlciscendis inimicis. Et sensus est: Noli vinci à malicia inimici tui, vt teipsum vlcisci velis, non exspectata Dei vindicta; sed vince eius maliciam tua beneficentia. Quod non tantum fit dum inimicus à malicia conuertitur; sed quotiescumque beneficium illi præstatur: inquantum scilicet non obstante eius malicia virtus beneficentiæ sua constanter exercet opera; imò & occasione maliciæ alienæ fit auctior atque illustrior.

Quid vincere à malo.

Quid vincere in bono malũ.

SVMMARIVM.

Magistratibus parẽdum, vt Dei ministris. Reddenda omnibus debita. Proximus diligendus. Quod qui facit legem implet. Abiectis operibus tenebrarum induenda sunt arma lucis: adeoq; ipse CHRISTVS.

CAPVT XIII.

OMNIS ANIMA POTESTATIBVS SVBLIMIORIBVS SVBDITA SIT. Ne apud principes huius sæculi & magistratus locorum malè audiret Christiana religio, si qui fortè Christiani legibus illorum & edictis minus obtemperarent, ac rursum ne ipsi fideles religionis priuilegio sese exemptos ab obedientia potestatis sæcularis existimarent (quæ opinio non solum falsa est & erronea; verùm etiam rempublicam vehementer perturbat:) diligenter eis apo-

Cur apostoli fidelibus studiosè commẽdarint obedientiam magistratuũ.

stoli

ſtoli commendabant & inculcabãt hoc obedientiæ præceptum. Quam ob cauſam & Petrus 1 epiſtolæ 2 ſolicitus fuit idipſum fideles admonere. Veriſimile eſt autem id apoſtolos feciſſe potiſſimum propter eos qui crediderant ex Iudæis. Nam de populo Iudaico cõſtat ex hiſtoria euangelica & Actuum apoſtolicorum, nec non ex Ioſepho & Suetonio, quod ad rebellandum Romanis ſemper fuerit procliuis, & tributa pendere detrectarit; eo prætextu quod eſſet populus Dei, quem liberum ab huiuſmodi ſeruitute hominum, præſertim infidelium eſſe oporteret. Inde nata apud eos Herodis magni tempore ſecta Galilæorum auctore Iuda quodam Galilæo, de quo Gamaliel Act. 5 meminit: cuius profeſſio erat non debere Iudæos tributum pẽdere alienigenis: nec quenquam præter vnum Deum, Dominum appellare. De qua ſecta vide quæ ſcribit Ioſephus lib. 20 antiquitatum Iudaicarum cap. 2, & de bello Iudaico lib. 7 cap. 29. Quoniam igitur, vt ait Hieronymus in commentario epiſtolæ ad Titum, *Iudæ Galilæi per illud tempus dogma adhuc vigebat, & habebat plurimos ſectatores:* idcirco docet apoſtolus *principatibus & poteſtatibus credentes debere eſſe ſubiectos.* Accedere potuit & hæc ratio præcepti iſtius inculcandi, quam adfert Cardinalis Baronius in ſuis Annalibus, ſub finem anni à Chriſto nato primi: quod Chriſtus & apoſtoli eius plerique Galilæi fuerint: vt proinde neceſſe fuerit apoſtolis, ſuſpicionem illius ſectæ quæ Galilæorum vocabatur, contrarijs præceptis verbo & ſcripto diuulgatis, à ſe depellere. Quod autem ad Iudæos potiſſimum reſpiciant in huiuſmodi præceptis apoſtoli, non leuis eſt coniectura, tum ex eo quod Paulus idem præceptum repetat in epiſtola ad Tit. cap. 3, vbi iam ſuperius cap. 1 eorum qui de circumciſione erant inobediẽtiam grauiter notauerat: Tum quia Petrus ſuam epiſtolam in qua idipſum præcipit, equè vt Iacobus, ſcripſit ad Iudæos in diſperſione poſitos. Quod interpres vertit *ſublimioribus*, Græcè eſt ὑπερεχούσις *ſupereminentibus, præcellentibus*; & ita reddidit loco Petri memorato, *Siue regi, quaſi præcellenti. Anima* pro homine, ſynecdoche eſt Hebræis vſitatiſſima. Poteſtates concretiuè dixit pro ijs qui poteſtatẽ præditi ſunt. Ita namque manifeſtè ſumitur in epiſtola ad Titum: *Admone illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe.* Sic ad Eph. 6, *aduerſus principes & poteſtates.* Et ne parum Latinè id dici putes, ita Suetonius de Claudio Cæſare: *Iuriſdictionem de fideicommiſſis in perpetuum, atque etiam per prouincias poteſtatibus demandauit.* Igitur hoc loco poteſtates ſublimiores ſunt homines authoritate publica præditi; ſiue reges, ſiue prouinciarum præſides, ſiue quarumcumque vrbium ac locorum magiſtratus. Non vult autem hoc præcepto Paulus, omnem prorſus hominem, nemine excepto, debere ſubiectum eſſe poteſtati ſæculari; in quem ſenſum, contra pontificum & cleri eccleſiaſtici exemptionem, peruersè locus hic à quibuſdam accipitur; Sic enim ipſos etiam reges & principes hoc præceptũ comprehenderet. Sed præcipit vt omnes fideles principibus ac magiſtratibus ſub quibus conſtituti ſunt, pareant in ijs quæ ad illorum poteſtatem pertinent. Eſt enim accommoda diſtributio. Quocirca non eſt conſequens, ſi Petrus ac cæteri apoſtoli tunc parere debebant ſæculari poteſtati; nunc quoque pontifices & clerum vniuerſum ad idem teneri. Nam poſteaquam principes huius ſæculi facti ſunt Chriſtiani, & per hoc eccleſiæ filij; iuſta ratione placuit, vt ipſa eccleſia in ijs qui præſunt, ab illorum, vt filiorum ſuorum, poteſtate eximeretur. Quo fit vt eccleſiarũ præfecti iam ſub illis non ſint conſtituti; nec proinde ad eos apoſtolicum hoc præceptum pertineat. Quamuis autem tantum de poteſtate ſæculari Paulus agat hoc loco: ſicut eum intellexerunt omnes veteres commentatores tam Græci quam Latini, nec non Auguſtinus in epiſt. 54, quæ eſt ad Macedonium; quod & contextus ſermonis & gladij ac tributorum mentio ſatis indicat: veruntamen idem plane de poteſtate eccleſiaſtica ſentiendum eſt; de qua non minus, imò verò magis atque perfectius habet veritatem ratio ſubiuncta.

NON EST ENIM POTESTAS NISI A DEO. Poteſtatis nomine ſuperioritas ipſa qua quis alij vel alijs regendis præfectus eſt, hoc loco intelligitur; vt eſt regum, principum, magiſtratuum; item epiſcoporum, parentum, dominorum. Poteſtas autem vſurpata, cuiuſmodi eſt tyrannorum & latronum, non eſt abſolutè poteſtas nec ſuperioritas; ſicut & leges inutiles ac malæ non ſunt leges: tametſi & hoc genus poteſtatis ſuo modo à Deo ſit; & illi præſentem ſententiam interdum accommodet Auguſtinus, docens eam poteſtatem qua dæmones & mali homines affligunt & vexant bonos, datam illis eſſe à Deo. *Neque enim*, inquit, *habet in eos quiſquam vllam poteſtatem, niſi cui data fuerit deſuper. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo ſiue iubente, ſiue ſinente.* Sic ille lib. 22 contra Fauſtum cap. 75. Similiter accommodat lib. de natura boni cap. 32, & in enarratione pſal. 32 concione 2, ac alibi. Cuius quidem doctrinæ explicatio pertinet ad vltimam diſtinctionem lib. 2 ſententiarũ. Eſt autem omnis poteſtas, id eſt ſuperioritas, à Deo inſtituta tanquam neceſſaria ad ordinem & pacem humanæ conuerſationis. Quæ poteſtas cùm ſit duplex, ſæcularis & eccleſiaſtica: ſæcularis quidem poteſtas mediatè eſt à Deo, per homines qui inſtinctu legis naturæ ſibi præficiunt eos à quibus in commune regantur. Hic enim inſtinctus à Deo eſt: vt propterea verè & propriè dicatur, hanc poteſtatem non eſſe niſi à Deo: ſicut & ab Eccleſiaſtico dictum eſt cap. 17, quod Deus *in vnamquamque gentem præpoſuit rectorem.* Eccleſiaſtica verò poteſtas à Deo inſtituta eſt immediatè: quia Chriſtus ipſe ſuos apoſtolos, & impri-

mis

Iudæi ad rebellandum principibus externis procliues.

Secta Galilæorum quæ fuerit.

Petrus & Iacobus ſuas epiſtolas ad Iudæos ſcripſerunt

Anima pro homine.

Poteſtates pro magiſtratibus.

Exemptio cleri non repugnat apoſtoli præcepto.

Chriſtiani principes eccleſiæ filij.

Poteſtas vſurpata non eſt poteſtas.

Duplex poteſtas, ſæcularis & eccleſiaſtica: vtraque à Deo, ſed differẽter.

mis Petrum eiuſque ſucceſſores eccleſiæ ſuæ rectores conſtituit. Ex quo diſcrimine liquet, eccleſiaſticæ poteſtati non minus, ſed magis ac potius quàm ſæculari, obedientiam à fidelibus deberi; quemadmodum pulcrè ratiocinatur & colligit S. Baſilius in lib. de conſtitutionibus monachorum cap. 23. Quod verò Græci commentatores annotant non dixiſſe apoſtolum, omnes principes inſtitutos eſſe à Deo, ſed ipſam poteſtatem; eo quod etſi poteſtas à Deo ſit, non tamen Deus ſit author, vt exempli cauſa, Nero, Domitianus aut Diocletianus principatum gerat: ne contrarium videatur apertis ſcripturis, quæ docent etiam malos principes, non aliunde quam à Deo principandi poteſtatem habere; exponẽdum reor, vel de mala adeptione poteſtatis, vel de malo eius vſu. De quo debet intelligi, quod apud Oſee propheram cap. 8 dicit Dominus: *Ipſi regnauerunt & non ex me: principes exſtiterunt, & non cognoui.* Rectius autem S. Thomas in commentario hæc omnia doctè & accuratè diſtinguit, poteſtatem ipſam, modum adipiſcendi poteſtatem, & vſum poteſtatis: docens quid horum & quatenus à Deo ſit, quid & quatenus à Deo non ſit. Ad quem te lector ſtudioſe remitto. Certè de ipſis principibus poteſtate præditis agit ſententia ſequens.

An omnes principes à Deo.

QVÆ AVTEM SVNT, A DEO ORDINATÆ SVNT. Quod in multis codicibus legebatur, *ordinata ſunt*, neutro genere; merito correctũ à Romanis, repoſito fœminino *ordinatæ ſunt*. Sic enim habent meliores codices mss. Nec aliter verti potuit ex Græco, vbi plenius ſic legitur: αἱ δὲ ἔσαι ἐξουσίαι, ὑπὸ θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν. Id eſt: *quæ autem ſunt*, ſiue *exiſtunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt*. Nec ſecus habet Syriaca tranſlatio. Senſus igitur eſt: Quæcumque ſunt poteſtates, id eſt quicumque ſunt homines poteſtate præditi, vt principes ac magiſtratus, ij ſunt ordinati atque inſtituti, & vt Petrus loquitur 1 epiſt. 2, miſſi à Deo, dante poteſtatem & volente, vt eis tanquam ſuis in ea poteſtate vicarijs obediatur: quomodo ſi rex quiſpiam det prouinciæ aut ciuitati vicarium gubernatorem ſuis mandatis inſtructum. Falluntur autem qui illud *à Deo*, conſtruunt cum parte præcedenti: quaſi ſenſus ſit, poteſtates quæcumque à Deo ſunt, ordinatas eſſe. Quod etſi verum, non tamen hic ſignificatum eſt. Tãtum dicit apoſtolus omnes poteſtates eſſe ordinatas à Deo. Igitur hæc ſententia à ſuperiore qua dixit, *Non eſt poteſtas niſi à Deo*, ferè non alio differt, quam quod illic abſtractè de poteſtate loquatur apoſtolus; hic ſenſu concretiuo. Cuius argumentum eſt quod vtatur plurali numero; quemadmodum & ibi, *Omnis anima poteſtatibus* &c. Sed propterea de poteſtatibus, id eſt principibus repetere voluit, quod abſtractiuè de poteſtate dixerat; ne quis excuſaret & diceret, ſe poteſtatẽ quidem ipſam venerari, ſed ea fungentes malos eſſe, proindeque indignos quibus obediatur. Quam excuſationem apoſtolus hac parte excluſit, affirmans ipſos principes à Deo cum poteſtate inſtitutos eſſe.

Poteſtates id eſt principes omnes ordinati à Deo.

2 ITAQVE QVI RESISTIT POTESTATI, DEI ORDINATIONI RESISTIT. Pro verbo *reſiſtit* ſecundo loco legendum putat Caietanus *reſtitit*, & mox pro *reſiſtunt*, *reſtiterunt*. ſed imperitè, ſecutus malum interpretem. Vbi & Eraſmus lapſus eſt. Nam quod Græcè eſt ἀνθέστηκεν & ἀνθεστηκότες, ſignificationem habet præſentis temporis, perinde vt ſimplex ἔστηκεν. De quo vide quæ dicta ſunt ad illud cap. 11, *Tu autem fide ſtas*. Cõcludit apoſtolus ex præcedentibus, eum qui poteſtati, atque ipſis poteſtatibus, id eſt principibus poteſtate fungẽtibus reſiſtit, ordinationi diuinę, adeoque ipſi Deo reſiſtere, à quo ordinatæ ſunt poteſtates. Collectio formam habet ſyllogiſmi: Poteſtates ordinatæ ſunt à Deo: iſte poteſtati reſiſtit, igitur Dei ordinationi reſiſtit. Porrò reſiſtunt poteſtati, quicumque reſiſtunt, id eſt obedire nolunt legi ſiue edicto quod à poteſtate procedit. Nam ſicut ipſa poteſtas, ſic & proprius eius effectus, id eſt lex & præceptum à Deo eſt. Qua etiam ratione Dei præceptum vocari poteſt: licet diſtinctionis ac doctrinæ gratia dicantur Dei præcepta, quæ Deum ipſum habent legiſlatorem, id eſt à Deo profecta ſunt immediatè. Docet ergo hic locus in Deum peccare, quicumque legem tranſgreditur humanam, à quacunque poteſtate, modò legitima, poſitam; vt etiam in poteſtate ciuili locum habeat, quod de eccleſiaſtica dictũ eſt: *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit*. Luc. 10. Sed ea res amplius patebit ex ſequentibus. Cæterùm iniuſtis legibus, quoniam à legitima poteſtate ſeu poteſtatis vſu non procedunt, aut non obedire, aut etiam aduerſus earum vim ſeſe tueri, non eſt poteſtati reſiſtere. Quanquam id vel ob metum maioris mali, vel ne ſcandalum detur infirmis, ſæpè non expedit.

Qui poteſtati reſiſtere dicantur.

Humana poteſtatis præcepta quadam ratione præcepta Dei.

Iniuſta leges non obligant.

QVI AVTEM RESISTVNT, IPSI SIBI DAMNATIONEM ACQVIRVNT. *Ipſi ſibi* &c. Græcè, ἑαυτοῖς κρίμα λήψονται, *ſibi ipſis iudicium accipiẽt*. vtique iudicium damnationis ac ſupplicij, quomodo frequenter in ſacris literis iudiciũ ſumitur. Itaque ſenſus eſt, eos qui poteſtati reſiſtunt, ſibiipſis damnationem ſeu pœnam iuſtè inferendam accerſere, eamque pro merito ſuæ inobedientiæ recepturos eſſe. Sic ad Gal. 5. *Qui conturbat vos, portabit iudicium*. Dãnationem verò intelligit apoſtolus vel æternam à Deo inferendam in futuro ſæculo; quia dixerat, *Dei ordinationi reſiſtit*. Quem ſenſum tradunt commentator Ambroſ. Heruæus & Caietanus; atque etiam Auguſtinus in epiſtola 54. Ex quo commentario ſequitur, eos mortaliter peccare qui reſiſtunt poteſtati. Id quod verum eſt de ijs qui præcepto per inobedientiam ſeſe opponunt. Alioqui contra leges humanas, ſicut & contra diuinas, contingit peccari tantum venialiter. Quo ſi extendatur hic locus, nomine damnationis cõprehendetur etiam pœna temporalis infli-

Quæ dãnatio, quam incurrunt qui reſiſtunt poteſtati.

genda

genda à Deo. Qua generali ſignificatione capiebatur ſuprà cap. 8 in illis verbis, *Nihil ergo nunc damnationis eſt ijs qui ſunt in Chriſto.* Vel damnationem intelligit pœnam à poteſtate cui reſiſtitur inferendam. Quæ pœna non niſi temporalis eſt; de qua dicebat ille, *Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es*, Luc. 23. Ita ſenſus eſt: Qui reſiſtunt poteſtati, prouocant eam aduerſum ſe, vt ab ea ſecundum leges puniantur. Quæ tacita eſt fidelium admonitio, ne dent occaſionem principibus aduerſum ſe durius agendi. Senſum hunc excluſo priori tradit Haimo in commentario. S. Thomas vtrumq; ſenſum refert, vt bonum. Coniungunt autem ambos ſimul, Chryſoſtomus eiuſque ſequaces, duplex intelligentes iudicium: quod qui poteſtati reſiſtunt, à Deo puniendi ſint & ab hominibus. Pro poſteriori ſenſu multum faciunt verba apoſtoli ſubſequentia.

3 NAM PRINCIPES NON SVNT TIMORI BONI OPERIS SED MALI. Græcè, *non ſunt timor bonorum operum ſed malorum.* Interpres ſenſum conatus eſt exprimere, quem clarius & plenius ita reddas; Nam principes (vt quidem tales ſunt) non ſunt timendi bene agentibus, ſed malè: non intentant pœnas & ſupplicia bonis, ſed malis. Dico, vt tales, id eſt inquantū principes ſunt, & ab ordine ſuæ poteſtatis à Deo acceptæ non recedunt: Nam profectò, quo tempore hæc ſcripſit apoſtolus, quidam principes vſum poteſtatis ſuæ peruertentes, terrori erant bonis Chriſti fidelibus, in quibus bonum opus, id eſt Chriſti cultum edictis & ſupplicijs perſequebantur.

Principes vt tales, bonis non timendi, ſed malis.

VIS AVTEM NON TIMERE POTESTATEM? Suggerit conſilium quo fiat vt non timeant poteſtatem, id eſt eos qui poteſtate fungūtur. Timorem intellige ſupplicij. Nam timorem illum, qui alio nomine reuerentia vocatur, omnis ſubditus ſuo debet ſuperiori. Vnde de eo paulo pòſt dicit, *Cui timorem, timorem.* Nominat apoſtolus poteſtatem; quia quod ad ipſam poteſtatem attinet eiuſque legitimum vſum, boni non habent cauſam timendi. Secus de ijs qui poteſtate malè vtuntur, vt antè dictum eſt.

Quis timor poteſtati debitus.

BONVM FAC, ET HABEBIS LAVDEM EX ILLA. Id eſt: iuſticiam cole, & legibus obtempera. Sic fiet vt laudem referas ex poteſtate: vel quia ad poteſtatem pertinet non ſolum ſupplicijs afficere malos, verùm etiam præmijs honorare bonos; vel ſaltem, vt Caietanus exponit, malorum comparatione. *Dum enim mala opera puniuntur, laudantur bona. Nā ipſa punitio malorum, laus eſt bonorum.* Priori intellectui conuenit quod dicit Petrus 1 epiſtolę 2, principes eſſe datos *ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Notat Auguſtinus ſer. 94 de tempore cap. 5, Paulum non dixiſſe *ab illa*, ſed *ex illa*. *Aut enim iuſtè agis*, inquit, *& iuſta poteſtas laudabit te, aut iuſtè agẽtem, etiámſi poteſtas iniuſta damnet, Deus iuſtus coronabit. Ac per hoc, ſiue damnet, ſiue abſoluat, habebis laudem ex illa.* Tale quid annotat etiam ſerm. 111 de diuerſis cap. 13, & in expoſitione præſentis loci: ac poſt eum Beda, trāſcriptis illius verbis partim in huius loci collectanea, partim in commentarium prioris epiſtolæ Petri ad locum iam citatum capitis ſecundi. Verùm Græci interpretes nihil eiuſmodi obſeruant: & qui ex Græco vertunt, pro eodem habent, *ex illa* & *ab illa* laudem habere. Conſiderat enim apoſtolus non tam eos qui poteſtatem tenent, vt dixi, quam in his poteſtatem ipſam, vt à Deo eſt inſtituta; qua continet ac diſponit ordine congruenti res humanas per homines etiam malos: quamuis & per eoſdem interdum affligi ſinat bonos: vtique ad eorum ſalutem. Quod vtrumq; Petrus complexus eſt his verbis 1 epiſt. 3, *Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? Sed & ſi quid patimini propter iuſticiam; beati.*

Quid laudem habere ex poteſtate.

4 DEI ENIM MINISTER EST TIBI IN BONVM. Referri poteſt hoc vel ad principem vel ad poteſtatem. Vtrumque enim præceſſit. Si ad poteſtatem, quod magis apparet; vertendū eſſet, *Dei enim miniſtra* &c. Atque ita legit Tertullianus in Scorpiaco cap. 14. Etenim ad vtrumque genus commune vocabulum eſt διάκονος, & in fœminino legitur vltimo capite huius epiſtolæ. Senſus tamen vnus & idem eſt: Poteſtas, id eſt qui poteſtate fungitur à Deo inſtituta, princeps ſcilicet aut magiſtratus, eo ipſo Dei miniſter eſt ac Deo ſubſeruit, in bonum tuum; ſcilicet vt & iuſtè ac tranquillè viuas: imò laudem etiā ac præmia conſequaris, ſi non ab hominibus, certè à Deo cuius ille miniſter eſt. Obſerua probationem à rei definitione; quam paulo pòſt complet dicens: *Dei enim miniſter eſt vindex* &c. Rectè enim definias magiſtratum, publicum eſſe miniſtrum Dei in bonum ei qui bonum agit, vindicem autem in iram, ei qui malum facit.

Quid magiſtratus.

SI AVTEM MALVM FECERIS, TIME. Dicens *time*, non præcipit ſed denunciat. Cùm enim dixiſſet: *Vis non timere poteſtatem? bonum fac:* nunc declarat quid exſpectandum ſit ei qui conſilium illud contempſerit. ac ſi dicat: Si verò quid mali cōmiſeris, vt furtum, adulterium, homicidium; eſt quod timeas. Vnde ſequitur.

NON ENIM SINE CAVSA GLADIVM PORTAT *Sine cauſa*, Græcè εἰκῆ *fruſtra*. Dicitur autem id fruſtra quod non habet vſum. Itaque ſenſus eſt: Princeps ſiue poteſtas non fruſtra gladium geſtat; ſed vt eo vtatur, vt eum ſtringat in malefactores. Nomine gladij comprehende etiam cætera publicæ poteſtatis inſtrumenta ad puniēdos legum violatores, vti ſunt carceres, ignes, patibula &c. Quorum vſum oſtendunt verba ſequentia.

DEI ENIM MINISTER EST. Vel *miniſtra eſt*, vt ad poteſtatē referatur, quēadmodū ſuprà.

VINDEX IN IRAM EI QVI MALVM AGIT. Gladium, inquit, geſtat ſiue poteſtas ſiue princeps, tanquam Dei miniſter, à

quo gladium accepit, vt sit *vindex in iram*, id est, vt eius vice ac nomine iusticiam exerceat vindicatiuam in puniendis ijs qui malum agunt, vel pacem publicam turbantes, vel honestatem vitæ communis lædentes. Ad hoc enim instituta est potestas sæcularis, vt & pacem publicam conseruet, & vitæ communis honestatem tueatur.

Potestas sæcularis ad quid instituta.

5 IDEO NECESSITATE SVBDITI ESTOTE. Quidam codices habent *necessitati*: sed plures ac meliores, *necessitate*. quod editio Romana probauit. Ita namque etiam legunt Augustinus, Pelagius, Primasius, Heruæus, Rickelius: tametsi neutrum legitur apud Ambrosiastrũ, sed hoc solum, *Ideoq; subditi estote*. Quæ lectio sine dubio defectuosa est. Porrò Græca sic habent: διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθε, *Ideo necessitas subdi*. Cuius paraphrasim Syrus interpres hãc dedit: *Et propter hoc necessitas nobis vt subdamur*. Nonnulli tamen Græci codices permodico ab alijs discrimine Latinæ lectioni respondent, & quidem vtrilibet, ita legentes: διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθε. Cæterùm tam Latinæ quam Græcæ lectionis idem sensus est: Propter hoc, inquit, quia princeps seu magistratus Dei minister est in vlciscendis malefactis; oportet vos ei subditos esse, id est legibus & edictis eius obtemperare: oportet, inquã, necessitate præcepti. Atque huius necessitatis rationem rursus explicat, hæc addens.

Principũ legibus obtemperandum necessariò

NON SOLVM PROPTER IRAM; SED ETIAM PROPTER CONSCIENTIAM. Græci conscientiam hic intelligunt beneficiorum quæ populo à principibus publicam pacem & quietem tuentibus proueniunt. Et huc referunt id quod subiungitur; *Ideo enim & tributa præstatis*, scilicet in testimonium beneficiorum quæ ab illis accipitis. Verùm si respiciamus ad id quod proximè præcessit, & ex quo pericopen hanc totam infert apostolus, illud inquam: *Dei enim minister est* &c. nec non ad consuetam significationẽ vocabuli conscientiæ (neque enim vsquam in scripturis sic accipitur, quomodo Græci interpretantur) multo certè probabilior, imò vera omnino deprehẽdetur aliorum expositio, scilicet oportere nos principibus subditos esse, *non solum propter iram*, id est pœnam euadẽdam quam leges minantur, de qua iam dixerat, *vindex in iram Dei qui malum agit; sed etiam* & maximè *propter cõscientiam*, id est, quia animus noster lege naturali ac diuina informatus hoc nobis dictat & loquitur, principibus obediendum esse tanquam Dei ministris & vicarijs; ac proinde nos in Deum peccare si minus illorum dictis & imperatis audientes fuerimus. Ex hoc loco sic intellecto (qui sensus est omnium ferè Latinorum, idemque planus & obuius) manifestè sequitur omnem legem & omne præceptum, quod proficiscitur ab humana legitima potestate, siue politica de qua nunc agitur, siue ecclesiastica, subditos obligare in cõscientia, id est coram Deo, & non tantum in foro, vt loquũtur, exteriori. Id enim esset propter iram & non propter conscientiam subditum esse. Sanè contraria huic doctrina, scilicet esse aliqua præcepta legitimæ potestatis, quæ conscientiam subditorum non teneãt obstrictam, non modò falsa est & à sensu scripturarum aliena; verùm etiam noxia & pietati inimica; quippe quę homines reddat hypocritas, & quod alibi vituperat apostolus, ad oculum & non ex animo seruientes, Eph. 6. Col. 3.

Quid propter conscientiam subditum esse oportere.

Leges & præcepta humana omnia subditos obligant in conscientia.

6 IDEO ENIM ET TRIBVTA PRÆSTATIS. Græcè τελεῖτε, *penditis. soluitis.* Hanc partẽ quo referant Græci tractatores, & quomodo interpretentur, iam dictum est. At verò secundum Latinos, quod est longè probabilius, nouum hic argumentum adfert apostolus, quo doceat principibus parendum esse. Nã solutio tributorum subiectionis est professio. Notæ probationis indicium est copulatiua coniunctio causali postposita.

Solutio tributorũ subiectionis est professio.

MINISTRI ENIM DEI SVNT, IN HOC IPSVM SERVIENTES. *Seruientes*, Græcè προσκαρτεροῦντες, *instantes, incumbentes* cum assiduitate. Hoc enim significat vox Græca, qua eadẽ vsus est superiori capite: *Orationi instantes*. Eadẽ vis est Syriacæ dictionis hoc loco. Cæterũ Augustinus lib. 4 de doctrina Christiana cap. 20 legit, *In hoc ipso perseuerantes*. Sensus est: Iure pẽditis tributa principibus. Sunt enim ministri Dei in cõseruãda vobis pace & honestate publica; & in hoc ipsum ministeriũ, in hanc curã assiduè & toti incumbũt, toti vobis & vestris commodis seruiunt. Loquitur de principibus vt tales sunt: quod iam ante admonui.

7 REDDITE ERGO OMNIBVS DEBITA. *Omnibus*, id est tam principibus, quàm alijs quibuscumque. Transit enim ad doctrinam generalem, qua præcipit non solum principibus ac magistratibus huius sæculi; sed omnibus omnino tã ecclesiasticis quã sæcularibus, tam priuatis hominibus quàm publica potestate fungentibus, debita cuiuscumque generis esse reddenda. Quod est iusticiæ præceptũ.

CVI TRIBVTVM, TRIBVTVM; CVI VECTIGAL, VECTIGAL. Id est, Cui debetis tributũ, ei reddite tributum. Cui vectigal debetis, ei vectigal reddite, soluite. Hæc autem debita sunt principibus, vt dictum est. Inter tributum & vectigal, Græcè φόρος & τέλος, ita grammatici distinguunt, quod illud pro regione seu prædijs, hoc pro mercibus exportandis importandisue pendatur.

Tributũ & vectigal, quo differant.

CVI TIMOREM, TIMOREM. Iis nempe qui præsunt. Timorem intelligit reuerentiam. Hæc enim est debitum quoddam, quod omnis subditus debet suo rectori. Ita præcipit Eph. 5, *Vxor timeat virum suum*. Et cap. 6, *Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore*. Timorem verò supplicij propriè subditus superiori suo nõ debet, sed magis sibiipsi; vt per huiusmodi timorem refrænetur à peccando. Ex quibus patet hanc partem non esse contrariam illi quod dixerat; *Vis non timere potestatem? bonum fac*. quod de timore

Quis timor debitus superiori.

ſupplicij diximus accipiendum. Caietanus hæc aliter conciliare conatur, de eodem timore intelligens vtrumque. Sed eius ſolutio coactior eſt, nec ſatis accommodata menti Paulinæ. Quapropter & aliâ adhibet ab hac noſtra non multum diuerſam: ſcilicet vt hic locus accipiatur de timore offenſæ.

Quibus honoris debitum reddendũ

CVI HONOREM, HONOREM. Videlicet omnibus quidem, ſecundum id quod dictum eſt capite præcedenti, *Honore inuicem præuenientes*; ſed maximè principibus ac præfectis: in quibus agnoſcere & venerari debemus excellentiam poteſtatis, quam Deus eis cõtulit, & qua funguntur vt Dei vicarij: licet ipſi fortè moribus ſint improbi. Quum enim propter hanc poteſtatem honorantur, Deus in eis honoratur: ſicut è contrario, dum illi contemnuntur, Deus contemnitur. Hinc Moyſes ad filios Iſrael: *Non contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum*; Exod. 16. Et Dominus ad Samuelem: *Non te abiecerunt ſed me, ne regnem ſuper eos.* 1 Reg. 8. Porrò cũ apoſtoli in hoc loco doctrina, ſicut dixi, ſit generalis; nihil vetat hic etiam contineri præceptum de honorarijs epiſcoporum & presbyterorum, quos ſi bene præſint, duplici honore dignos haberi vult, 1 Tim. 5.

8

NEMINI QVICQVAM DEBEATIS NISI VT INVICEM DILIGATIS. Græcè εἰ μὴ τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους, *niſi hoc* quod eſt *diligere inuicẽ*; id eſt, niſi dilectionem mutuam. Et *debeatis* Græcè ὀφείλετε *debete*. quod & *debetis* verti poteſt, etſi incongruenter hoc loco. Sub nomine debiti percommodè tranſitum facit apoſtolus ad commendandum genetale præceptum dilectionis, tanquam debiti cuiuſdam perpetui. Senſus eſt: Reddite cuique quod debetis, ſic vt non amplius debeatis, vno debito charitatis excepto. Quod debitũ reddere quidẽ vos iubeo: ſed ita vt ſciatis vos ſemper huius debiti (quod eſt inuicem diligere) manere debitores. Nã cętera debita tributum, vectigal, cõmodatum, mutuum, depoſitum ita reddũtur, vt cum dederis, iã liber ſis à debito: quod propriè eſt ſoluere debitũ: at mutuæ dilectionis officiũ, quantumcũque fuerit impẽſum, ſemper adhuc debetur: ac proinde redditur quidem hoc debitũ, ſed nunquã ſoluitur; quippe manente ſemper obligatione, quæ nos eius perpetuos facit debitores, vt loquitur Auguſtinus epiſt. 135, illud adijciens, quod *eã tanto magis debemus, quãto amplius impenderimus.* Teſtatur idipſum Fulgentius in ſermone cui titulus de charitate: in quo hęc apoſtoli verba latè pertractat. Exſtat eiuſdẽ Auguſtini breuis ſed inſignis ad Cæleſtinũ diaconum epiſtola num. 62, qua ſententiam hanc apoſtolicam verſat, docta & quæ tota charitatẽ ſpiret, explicatione. Dicet aliquis non ſolũ amorẽ, verum etiam honorem omnibus, & timorẽ ſuperioribus ſemper deberi. Reſpondet Dionyſius Carthuſianus nomine dilectionis cõprehendi etiam aliarum virtutũ officia erga proximos; quæ omnia à charitate diriguntur, ac reuera non debentur, niſi quantũ dictat charitas ſemper omnibus debita.

Charitatis debitũ nũquam perſoluitur, ſed ſemper manet.

QVI ENIM DILIGIT PROXIMVM, LEGEM IMPLEVIT. *Proximum*, Græcè τὸν ἕτερον *alterũ*. Et ita citat Auguſtinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 17. Ex quo intelligitur quã generalis ſit proximi ſignificatio in præcepto dilectionis proximi; ita nimirum vt ſignificetur omnis alter homo, ſiue amicus ſit ſiue inimicus; ſiue propinquus ſiue extraneus; ſiue fidelis ſiue infidelis. Quod etiam ex ſpecialibus præceptis ad proximi dilectionem ſpectantibus, quorum hic aliqua ſubijcit apoſtolus, euidenti argumento colligitur. Nam ſi vel vnus quiſpiam homo proximi appellatione non comprehenderetur; non peccaret contra præceptum diligendi proximi, qui rem eius furaretur, aut eum occideret, aut falſum teſtimonium aduerſus eum diceret: quod repugnat doctrinæ huius loci. Denique vt intelligas Paulo eundem eſſe proximum & alterum: quem hoc loco vocat ἕτερον, *alterum*, paulò inferius ſemel & iterum vocat τὸν πλησίον *proximum*. Nam quod Faber annotat alterum latius patere quàm proximum; quia Deus alter à nobis ſit, non tamen proximus noſter: alienum id eſſe conſtat à mente Pauli, qui verbis conſequentibus referens ſola præcepta dilectionis proximi, ſatis declarat, quẽ hic alterum intelligat. Ita Iacobus apoſtolus epiſtolæ ſuæ cap. 4, *Tu quis es qui iudicas proximum?* Græcè τὸν ἕτερον. Igitur hortatur apoſtolus tam Iudæos quam Græcos ad mutuam dilectionem, propoſito ingenti fructu huius operis quem ſine eo conſequi non poſſent: qui eſt legis impletio; de qua tam grauis inter illos exſtiterat altercatio. *Qui enim*, inquit, *diligit proximum*, ſupple ex euangelio & ex ipſo mox apoſtolo, *ſicut ſeipſum*; *legem impleuit*, poſtquam id fecerit. Vel *impleuit*, pro implet, id eſt perficit. Cum qua ſententia Paulina pulcrè conſonat illud quod Ioannem apoſtolum dixiſſe memorat Hieronymus in commentario epiſtolæ ad Galatas cap. 6. Cum enim ætate iam decrepitus non poſſet longiorem ad diſcipulos facere ſermonem; hoc tantum per ſingulas collectas dicebat, *Filioli diligite alterutrum*. Qua de re monitus à diſcipulis, tædio affectis quod ſemper eadem audirent, & rogantibus, quare ſemper hoc loqueretur: reſpondit ſententiam ſe dignam; *Quia præceptum Domini eſt; & ſi ſolum fiat, ſufficit*. Nempe hoc idem eſt quod Paulus dicit: *legem impleuit*. Porrò legem implere & perficere is dicitur, qui totam legem opere præſtat: adeò vt ne vnum quidem legis præceptum tranſgrediatur. *Qui enim offendit in vno, factus eſt omnium reus.* Iac. 2. Quæritur ergo, quomodo qui diligit proximum legem impleat, id eſt totam obſeruet, cùm non ſola debiti erga proximum officij præcepta lex contineat, ſed etiam, & imprimis, erga Deum? Vnde & diligendi Dei maximum & primum

Proximi nomen quã latè pateat.

Idẽ Paulo proximus & alter.

Qui diligit proximum, implet legem

Quæſtio.

Reſpõſio.

Legẽ implere quis dicatur.

Quæſtio.

mandatum à Christo vocatur Mat. 22. Secũdum autem diligendi proximi, simile illi. *In quibus duobus mandatis*, inquit, *vniuersa lex pendet & propheta*. Caietanus respondet apostolum loqui *de lege relata ad homines*. *Quoniam*, inquit, *tractat de debitis homini. Cuius signum* esse vult, *quòd* non adferat nisi *præcepta debitorum hominibus*, cũ de dilectione & cultu Dei iam superius, hoc est præcedenti capite, docuisset. Quæ Caietani responsio etiam alijs quibusdam non immerito probatur. Subiungit tamen ipse & aliam solutionem; idcirco rectè dictum quòd qui proximum diligit legem impleuit, quia dilectio Dei in dilectione proximi includitur, velut causa in effectu. Quæ eadem est responsio S. Thomæ in commentario, consentanea verbis S. Augustini dicentis in epistola 95 scripta ad Innocẽtium papam: *quoniam nisi diligat Deum, nemo diligit seipsum*. Neque enim vera dilectione quisquã diligit proximum, nisi quem in Deo & propter Deum diligit. Vnde necesse est vt ipsum Deum principaliter & summè diligat. Quod item declaratur hac ratione: quia nemo diligit proximum sicut seipsum, nisi seipsum diligat. Seipsum autem nemo diligit vt oportet, nisi summum suum bonum quod est Deus, diligat eo modo quo diligi debet, id est, vt summum ac super omnia.

Nam, Non adulterabis, Non occides, Non fvraberis, Non falsvm testimonivm dices. Græcè τὸ γὰρ, οὐ μοιχεύσεις &c. *Nam hoc, Non adulterabis*. Erasmus, *Siquidem illa, Non mœchaberis* &c. Futura modi indicatiui pro imperatiuis Hebræo more posuit apostolus, sicut habentur in ipsa lege. Probat enim id quod dixerat, enumeratione præceptorũ decalogi, quibus ordinatur homo ad proximũ. Et hæc quidem quæ recenset, negatiua sunt prohibẽtia ab iniurijs proximo inferẽdis: sed quæ omnia tamen impleri nequeãt, nisi per veram dilectionem. Breuiter hęc præcepta explicemus. Adulter est, non solum qui alienum torum violat, siue coniugatus, siue solutus, seu vir seu mulier: verum etiam qui coniugatus cùm sit, cum muliere soluta commiscetur: quamuis hoc adulterij genus legibus apud ethnicos puniri non soleat. Homicida est, quisquis absque iusta authoritate hominem, siue nocentem siue innoxium interficit. Furatur, quisquis alienum inuito domino aut accipit aut detinet; siue clam siue palã ac per vim id faciat. Falsus testis est, quicumque sciens falsum dicit testimonium, præsertim in iudicio, & in nocumentum proximi. Quod postremum lex expressit addens: *contra proximum tuum*. Cur apostolus ordinem mutauerit, qui est in decalogo Exod 20, & Deut. 5, vbi præceptum *Non occides*, anteponitur præcepto, *Non mœchaberis*: ratio non occurrit, nisi forte propterea adulterium posuit in capite, quod de eo fugiendo vel imprimis Romanos putauerit admonendos. Nam peccata carnalia, quæ omnia ad hanc prohibitionem reuocantur, Romæ & alibi inter gentiles quàm maximè regnabant.

Non concvpisces. Neque vxorem, neque rem proximi tui. Nam vno verbo complexus est duo postrema decalogi præcepta; quorum alterum inhibet concupiscentiam vxoris alienæ ad concubitum: alterum concupiscentiam rei alienæ ad possidendum.

Et si qvod est alivd mandatvm. Vt primum secundæ tabulæ, *Honora patrem & matrem*; quod solum in secunda tabula affirmatiuum est. Hoc autem ideo fortasse non expressit, quia satis cõtinetur in eo quod iam antè dixerat: *Cui honorem, honorem*. Dicit autem, *Si quod est aliud* &c. non quasi de eo dubitet vir legis peritissimus, sed vt supponens rem notam; ac si dicat: Et quodcumque est aliud mandatum. Ita Dominus Malach. 1, *Si pater ego sum, vbi est honor meus?* Et ipse Paulus alibi: *Et si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur*, 1 Tim. 1.

In hoc verbo instavratvr, Diliges proximvm tvvm sicvt teipsvm. Cũ hoc loco prorsus idem est, etsi breuius expressum, quod scribit ad Gal. 5, *Omnis lex in vno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut teipsum*. *Instauratur*, Græcè ἀνακεφαλαιοῦται, *recapitulatur*; vt legit Augustinus epistola 29, id est summatim comprehenditur, huc velut ad caput, summam, compendium, redigitur ac reuocatur: ad hunc, inquam, sermonem, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Nam in Græco repetitur, ἐν τῷ, ἀγαπήσεις; quod Erasmus vertit; *nempe, Diliges*. Habetur hoc præceptum Leuit. 19, & à Christo cum insigni commendatione repetitur in euangelio, Mat. 22 & Marci 12. Nam quod Hieronymus in Leuitico vertit: *Diliges amicum tuum sicut teipsum*; nihil diuersum significare voluit. Sunt quidem in Hebræo vocabula diuersa עָמִית *omith*, & רֵעָה *rehe*, quorum alterum Hieronymus vertit proximum, alterum amicum; sed in eodem capite Leuitici, & alibi, passim vsurpantur vt synonyma: quod etiam ex ipsa Hieronymi versione facilè est ostendere; pro eadem voce רֵעָה *rehe*, nunc amicũ nunc proximum reddẽtis. Siquidem & LXX interpretes vtrumque vocabulum non aliter transtulerũt quam τὸν πλησίον id est proximũ. Quem tamen etiam amicum vocare liceat, non qui amet, sed qui ametur aut amari debeat. Quo sensu dictum est à Christo Ioan. 15, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Quanquã alij pro amico socium malunt, apto sanè ad rem præsentem vocabulo. Nam vt ait Augustinus epistola 52, de hoc ipso dilectionis præcepto differens: *proximus hoc loco non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est; in qua socij sunt omnes homines. Nam si pecuniæ ratio socios facit; quanto magis ratio naturæ, non negociandi sed nascendi lege communis?* Sic ille. Porrò quid sit proximum sicut seipsum diligere, satis ostendunt duo generalia legis

naturæ

Respõsio.

Aliæ responsio.

Nec seipsum nec proximũ quis bene diligit, nisi Deum diligat.

9

Quis adulter.

Quis homicida.

Quis fur.

Quis falsus testis.

Duo non concupiscẽdi præcepta.

Præceptũ diligendi proximũ, totius legis cõpendium est.

Quo sensu omnis proximus amicus.

Quid proximum diligere ſicut ſeipſum.

naturæ præcepta, itidem in ſcripturis expreſſa; alterum affirmatiuum Matth 7, *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*: alterum negatiuum Tob. 4, *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu alteri facias*. Ex quibus intelligitur ea parte *ſicut teipſum*, non exigi dilectionis æqualitatem; non enim dicit quantum teipſum: ſed ſimilitudinem & formam ſecundum quam proximus à nobis diligẽdus ſit, & officia dilectionis ei impendenda. ſic nimirum, vt dilectio noſtri propoſita nobis ſit tanquam typus, exemplum & regula dilectionis proximi. *Senſus huius præcepti ad literã eſt*, ait Caietanus: *vt diligas proximum eo modo quo diligis teipſum, hoc eſt amore amicitiæ, quod eſt velle illi bonum honeſtum, vtile, delectabile, propter illum, non propter te: ſicut vis tibiipſi hæc bona propter teipſum*.

10 DILECTIO PROXIMI MALVM NON OPERATVR. Declaratio eſt eius quod dixerat, omnia prædicta mãdata cõcludi in vno præcepto dilectionis proximi. Nam *dilectio proximi malum non operatur*, id eſt non incitat ad malum aliquod inferendum proximo; imò nec patitur ei malum inferri: ſed vbi poteſt, procurat ei bona ſicut ſibiipſi. Notandum eſt enim apoſtolum minus dicendo plus ſignificare voluiſſe. Nonnulli codices Latini cum Græcis fermè omnibus eorumque interpretibus (nam ſola nobiſcum facit editio Complutenſis) legunt *proximo*, caſu dandi; quibus & Syriaca verſio fauet: vt regatur datiuus ille à verbo *operatur*. Cæterùm vtraque lectio proba eſt, & in eundem recurrit ſenſum.

Dilectio plenitudo legis, & quo ſenſu.

PLENITVDO ERGO LEGIS EST DILECTIO. Plenitudo Græcè πλήρωμα, id eſt *impletio*, cõplementum, conſummatio, & vt ita dicam, totalis obſeruatio. Poteſt autem iſtud vel ſecundum ſuperiora limitari ad dilectionẽ proximi hoc ſenſu: Legis impletio qua parte nos ordinat ad proximum, habetur per dilectionem proximi. & ſic concluſio erit ex illa propoſitione interim probata, *Qui diligit proximum, legem impleuit*: Vel generaliter accipi poteſt de totius legis impletione, deque dilectione tam Dei quam proximi; vt ſenſus ſit: Si, vt oſtenſum eſt, dilectio proximi implet legem, quoad officia debita proximo; igitur dilectio ſimpliciter, implet legem ſimpliciter & quoad omnia. Quod eſt argumẽtum à proportione. Voco dilectionem ſimpliciter, qua vnumquodque diligitur, id eſt tam Deus quã proximus, quomodo diligi debet. Eſt autem ſententia præcisè & cum excluſione accipiẽda. Sentit enim apoſtolus ſic per dilectionem impleri legem, vt ſine ea impleri non poſſit, ſecundum id quod dicit Ioannes 1 epiſt. 3. *Qui non diligit manet in morte*. Eſtque ea B. Auguſtini doctrina multis locis: adeò vt in enarratione pſal. 89 tractans illud extremum; *& opus manuum noſtrarum dirige*, pronunciet, *quod omnia bona opera noſtra vnum opus eſt charitatis*. Nam, vt ait Gregorius in homilia 27 ſuper euangelia; *Omne mandatum de ſola dilectione eſt; & omnia vnum præceptum ſunt: quia quicquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur.* Portò diſcimus ex hoc loco, legem Dei in hac vita à nobis impleri poſſe; quod negant hæretici; cum vtique negare non poſſint multos eſſe qui proximum diligant. Ex quo ſecundum apoſtolum euidens & certa conſequẽtia eſt, eos legem implere.

Sine dilectione lex impleri nõ poteſt.

Lex Dei poteſt in hac vita à nobis impleri.

11 ET HOC SCIENTES TEMPVS, QVIA HORA EST IAM NOS DE SOMNO SVRGERE. Verbũ *eſt* de ſuo ſupplet interpres. *Surgere* Græcè ἐγερθῆναι, id eſt *excitari, expergiſci*. Pronomen *hoc* non poteſt referri ad *tempus*, quia genus non conuenit: ſed referendum ad ſuperiorem admonitionem de implendo præcepto mutuę dilectionis. Eſtque etiam hic ſupplendum verbum, vt ſit ſenſus: Et hoc quod dixi de mutua dilectione exercenda, vel ob id agere debemus, quod ſciamus iam tempus eſſe & horam qua euigilemus è ſomno peccati. Hunc enim ſomnum intelligi oſtendit quod ſequitur de abijciendis operibus tenebrarum. Et locus alter 1 Cor. 15. *Euigilate iuſti, & nolite peccare*. Notandum autem apoſtolo non fuiſſe ſatis vt diceret tempus eſſe, Græcè καιρὸν, id eſt tempus opportunum: ſed addidiſſe quod iam hora ſit, id eſt tempus quam maximè opportunum, idemque breue: vt proinde quod agendum eſt, iam non vltra differri debeat.

Somnus peccati.

NVNC ENIM PROPIOR EST NOSTRA SALVS, QVAM CVM CREDIDIMVS. *Propior* Græcè ἐγγύτερον *propius*, aduerbium. Poteſtque ſic verti: *Nunc enim propius nobis adeſt ſalus*: vt genitiuus ἡμῶν ab aduerbio regatur iuxta Græcam ſyntaxin, non à nomine ἡ σωτηρία, tametſi poteſt ab vtrolibet. Salus, inquit, futuræ glorię quam exſpectamus, nunc vicinior nobis eſt, poſtquã in fide Chriſti magna pars vitæ nobis peracta eſt: quam tunc erat quando primum credere cepimus, quando baptizati ſumus, & per baptiſmum numero fidelium aggregati. Quocirca tanto maiori nunc opus eſt vigilantia, quanto magis tempus quo ſalutem exſpectamus, appropinquare nouimus. Hoc dicit, quod in fidei primordijs, vti poſt Chryſoſtomum annotant Theophylactus & Oecumenius, feruentiores & ad opera bona alacriores fuiſſent fideles; temporis autem progreſſu refriguiſſent: quos monet vt ſpiritum illum priorem alacritatis & feruoris in ſe reſuſcitent, adeoque vehementius incendant.

Feruentiores ad opera bona nouis fideles.

12 NOX PRÆCESSIT. Græcè προέκοψεν, id eſt *proceſſit, progreſſa eſt*. Et in eum ſenſum enarrant hunc locum Græci cõmentatores Chryſoſtomus & Theophylactus. Item *proceſſit* apud Auguſtinum legitur epiſtola 80. Ruffinus etiam in interpretando Origene vertit, *nox promouit*, id eſt proceſſit. Apud Hieronymum lib. 1 aduerſus Iouinianum cap. 22, & in epiſtola ad Nepotianum, ambigua lectio eſt variantibus exemplaribus. Sed nec omnino conſtat quomodo noſter interpres verterit;

cum prochue ſit oſcitati librario literam pro litera ſcribere. Pro noſtra tamen lectione facit codicum mss. conſenſus, quodque etiam apud veteres Latinos idem verbum aut aliud ferè ſynonymum habeatur. Nam Cyprianus ſermone de zelo & liuore legit, *nox tranſiuit.* Hieronymus in cap. 26 Matthæi, *nox præterijt.* Commentator Ambroſij titulo, *nox præceſſit.* Nec aliter ipſe Ambroſius lib. 5 de ſacramentis cap. 4, & ſer. 52. Quo poſteriore loco verba eius ſunt: *Præceſſit nox, non ſequitur.* Vbi ſubiungens, *non ſequitur*, ſatis declarat ſe legiſſe *præceſſit*, non *proceſſit*. Denique Syriaca verſio ſic habet: *Nox nunc præterijt.* Quanquam iſta verba *præterijt, tranſiuit*, etiam ad alteram lectionem accõmodari facilè poſſunt. Quod enim longè proceſſit vt penè receſſerit, id iam præterijſſe etiam vulgo dicimus. Hoc igitur eſt quod dicit apoſtolus: Nox huius ſæculi plena tenebris errorum & peccatorum longè iam progreſſa eſt, ad finem properat, ac fermè iam præterijt.

Nox huius ſæculi ad finem tendit.

DIES AVTEM APPROPINQVAVIT. Id eſt, Tempus exſpectatæ ſalutis & gloriæ, quod eſt perpetua dies ſine nocte, expers errorum & peccatorum, iam prope acceſſit, propinquum eſt, inſtat, non longè abeſt. Id enim ſignificat verbum præteriti temporis ἤγγικεν *appropinquauit*: quemadmodum & in euangelio, quoties auditur illud, *Appropinquauit regnum cælorum*, vt Matth. 3 & 4. Non enim ſignificatur iam adeſſe, ſed vicinum eſſe, paulo poſt adfuturum. Ita quoque de mundi conſummatione & aduẽtũ Domini loquũtur Petrus 1 ep. 4, & Iacobus cap. 5. *Omnium finis appropinquauit. Aduentus Domini appropinquauit.* Iam & hic ſenſus arguit in membro præcedenti potius vertendum fuiſſe *proceſſit* quam *præceſſit.* Huius loci Paulini peculiarem commentarium adfert Eraſmus tam in paraphraſi, quàm in annotationibus. Noctem enim interpretatur tempus legis Moſaicæ, quo veritas erat velata: Diem verò, tempus gratiæ per Chriſtũ reuelatæ. Eodem pertinere vult ea quæ præcedunt, *Nunc enim propior eſt noſtra ſalus.* vt ſenſus ſit: Poſteaquam Chriſtus iam aduẽnit, propinquiores ſumus ſaluti, quàm eramus olim ſub Moyſe. Nunc enim omnibus illuceſcit euangelium, quod olim ſub vmbris tãtum & figuris cognitum, credebamus aliquando exhibendum. Sic enim intelligit illud, *quàm cum credidimus*, ſcilicet olim ſub Moyſe nos Iudæi. Commentarium hunc refert Adamus, & non improbat. Toletus etiam rationes adfert quibus probet. Mihi certè nimis coactum videtur, fidem aſſcribere ſtatui legis Moſaicæ: quod Paulus nuſquam facit. Nec dicendum fuiſſet, *dies appropinquauit*, id eſt vicinus eſt: ſed iam dudum illuxit. Quocirca magis placet prior expoſitio, quæ eodẽ Adamo teſte, ferè omnium eſt interpretũ.

Significatio Verbi appropinquauit.

Eraſmi commentarius in hunc locũ improbabilis.

ABIICIAMVS ERGO OPERA TENEBRARVM ET INDVAMVR ARMA LVCIS. Quoniam, inquit, nox finem accipit, & dies illuceſcit; abijcienda ſunt nobis opera noctis & tenebrarum, id eſt peccata quæ lucem fugiũt: *quia qui malè agit, odit lucem*, Ioan. 3, & aſſumẽda ſunt arma lucis, id eſt bona opera, quæ clara die ſine pudore poſſunt oſtendi. Ea vocat arma, quia non ſolum tegunt vt veſtimenta, verùm etiam tanquam arma defendunt ac tutum reddũt hominem aduerſus impugnationes diaboli; ſimul vt ſubmoneat vitam Chriſtianam eſſe militiam quandam ſpiritualem.

Opera tenebrarũ peccata. Arma lucis bona opera.

13 SICVT IN DIE HONESTE AMBVLEMVS. *Sicut* Græcè ὡς *vt, tanquam.* proinde ne diuidas, quemadmodum nõnulli, *ſic vt.* Senſus: Quoniam dies iam affulget, quæ luce ſua omnia detegit, honeſtè, cõpoſitè, &, vt legit Cyprianus loco paulo ante citato, *decenter* ambulãdum, conuerſandum nobis eſt, more eorum qui illuceſcente die veſtes ſumũt honeſtiores: .j. ea opera exercẽda quæ lucẽ nõ reformidẽt.

Quid honeſtè ambulare.

NON IN COMESSATIONIBVS ET EBRIETATIBVS. Repete verbum, *ambulemus.* Enumerat aliquot opera tenebrarum quæ dixerat abijcienda; ſcilicet ea de quibus amplius neceſſarium putauit admonendos eſſe Romanos. Abeſt in Græco tribus hiſce membris præpoſitio *in*, tametſi non incommodè addita ab interprete. Comeſſationes dicuntur cõuiuia ſeu potius ſympoſia, repotia, epulę, quę fiunt nulla neceſſitatis aut honeſtatis ratione poſtulante, ſed tãtum voluptatis & gulæ cauſa. Amb. in commentario & poſt eum Beda ſcribens in illud Luc. 14. *Cum facis prandium aut cœnam, comeſſationes* definiunt *luxuriosa conuiuia*, quæ ſic aguntur, *vt neminem pudeat inhoneſtè aliquid dicere aut facere*: dum ſcilicet, *ad hoc conuenitur, vt fœda illic gerantur, & copiâ vini incitetur libidinis diuerſa voluptas.* Sed ea definitio plus exigit quam velit Paulus. Inuoluit enim impudicitias, quas ille à comeſſationibus diſtinguit, & collocat in ſequenti membro: quemadmodum & videre eſt Galat. 5, ebrietates & comeſſationes in catalogo operum carnis ſeorſum à peccatis impudicitiæ commemorari: nec non à Petro 1 epiſt. 4. tametſi veriſſimum eſt hoc gulæ vicio quam maximè homines ad libidines inflammari, præſertim vbi ad ebrietatem progreditur, hoc eſt, *ad ſuperfluitatem potus extra menſuram rationis hominem ponentis*, vt loquitur Thomas in commentario, docens ebrietatem propterea *ſuo genere peccatum mortale eſſe*, quod qui ſciens inebriatur, videatur *præferre delectationem vini integritati rationis.* Sed & ea definitio fortaſſe contractior eſt quàm pro ſignificatione quam habet ebrietatis vicium in ſcriptura ſacra: ſecundum quam potius, ni fallor, ebrietates interpretabimur vinolentias, etſi non vſque ad deliquium rationis procedãt. Qua de re plenius acturi ſumus ad illud 1 Corint. 5, *aut ebrioſus.*

Comeſſationes quæ dicantur.

Ebrietas ſuo genere peccatum mortale.

Quæ dicãtur ebrietates.

NON IN CVBILIBVS ET IMPVDICITIIS. Secundum expoſitio eſt prioris. Vnde Syrus vertit: *non in cubili immundo.* Nã quod Aqui-

nas

Cubilia quæ vocet apostolus.

nas cubilia interpretatur, vel superfluam dormitionem vel apparatum luxuriæ, rem profecto non attigit. Etenim Paulus honesto vocabulo rem inhonestam significare voluit. *Impudicitijs* Græcè ἀσελγείαις, Tertulliano *libidinibus*, in fine libri de ieiunijs. Similiter Hentenio. Nomen est comprehendens omne genus turpium voluptatum.

Quid cõtentio.

NON IN CONTENTIONE ET ÆMVLATIONE. Contentio est concertatio pro gloria & honoribus adipiscendis, cui semper coniũcta est æmulatio, id est inuidentia boni alieni. De triplici isto viciorum genere, eorumque curatione, vide quæ scribit Augustinus doctè & grauiter in epistola 64, quæ est ad Aurelium episcopum Carthaginensem.

14 SED INDVIMINI DOMINVM IESVM CHRISTVM. Quidam codices *induite*, quod idem valet. Metaphora frequens apud apostolum, & ab Hebræis accepta, qua Christum, nouũ hominem, & virtutes Christianas, misericordiam, benignitatem, humilitatẽ, modestiam, patientiam induere dicimur, vt Gal. 3, Eph. 4 & 6, Col. 3, & 1 Thess. 5. Nec dissimile illud 1 Cor. 15, induere incorruptionem & immortalitatem. Qua locutione sunt qui copiã tanquam rei vndique circumfusæ significari putent, velut illo versiculo psal. 64, *Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumẽto.* vbi in Hebræo est: *Induerunt se campi pecore: & valles operuerunt se frumento.* Quibus verbis abundantiam significari testatur verbum *abũdabunt*, quod LXX reddiderũt, metaphoram explicantes. Quo referri possunt, quæ in Iudam proditorem scripta sunt psal. 108, *Induit maledictionem sicut vestimentum.* Et: *Fiat ei vestimentum quo operitur, & sicut zona qua semper præcingitur.* Et infrà de Iudæis: *Induantur qui detrahunt mihi pudore, & operiantur sicut diploide confusione sua.* Adfertur & illud Apoc. 19 quod de sponsa agni dicitur: *Datum est illi vt cooperiat se byssino splendenti & candido, quæ iustificationes sunt sanctorum.* Igitur existimant ex sententia Pauli eos induere Christum, qui virtutibus Christianis acquirendis ita studẽt, vt ijs quasi totos sese cooperiant: quemadmodum & vsu linguæ Latinæ hominem flagitijs coopertum dicimus eum qui totus flagitiosus est. Alij tamen ea phrasi non plus significatum putant, quam assumptionem qua fiat vt quid arctè sit homini coniunctum: quomodo vestis qua quis sese induit, arctè ei coniuncta est, & per totum diem adhæret: vt Christum induere dicantur qui Christum sibi assumunt & applicant, seque ei conformant, adeoque Christum in se quodammodo repræsentant, imitatione virtutum eius ac bonarum actionum, quæ in illo velut capite perfectissimè refulserunt. Hunc enim sensum cætera loca ex apostolo citata, præsertim ex eius epistola ad Colossenses, vbi virtutes aliquot nobis induendas abiectis vicijs contrarijs, ordine recenset, exigere videtur. At siue priore modo siue posteriore exponas, liquet quam nihil faciat hic locus pro iusticia quam commenti sunt noui hæretici, imputatiua & externa. Notandum est autem respicere Paulum ad id quod dixit, *dies autem appropinquauit.* Qua scilicet appropinquante solent homines honestè se induere. Ex quo monet vt assumamus indumentum honestatis ipsum Christum, id est virtutes Christi. Et quoniam loquitur de die salutis, quæ eadem erit dies æternitatis, cui nox nulla succedet; consequẽter intelligi vult, ita Christum nobis induendum esse, vt nunquam deinceps exuatur.

Induendi metaphora quid significet.

Induere Christum quid sit, secũdum quosdam.

Aliorum sententia probabilior.

ET CARNIS CVRAM NE FECERITIS IN DESIDERIIS. *Curam* Græcè πρόνοιαν *prouidentiam. In desiderijs* Græce *ad desideria*, seu *concupiscentias.* Non simpliciter prohibet curam seu prouidentiam carnis, id est corporis, cũ ipse alibi dicat; *Nemo carnem suam vnquam odio habuit, sed nutrit & fouet eam*, Eph. 5. Verũ prohibet ne carnis curam agamus *in desiderijs*, id est ad satisfaciendum concupiscentijs & voluptatibus carnis. Quod faciunt qui prætextu curandi corporis delicias & voluptates sibi indulgent.

Curam carnis agere, quatenus liceat.

SVMMARIVM.

QVI in fide probè instructi sciunt nullum cibum immundum esse, infirmos in fide suscipiant: nec alij alios iudicent, Christum iudicem omnes habituri. Firmi infirmos ne scandalizent, sed fide sua apud Deum contenti sint. Quod non est ex fide, peccatum est.

CAPVT XIIII.

1 INFIRMVM AVTEM IN FIDE ASSVMITE. Huius capitis doctrina propriè ad Iudęos pertinet, vt diximus in argumento epistolæ. Nam qui ex Iudęis erant fideles, ægrè adduci poterant vt pro christiana libertate qua per Christum inter alia liberati erant ab onere legis Mosaicæ, vescerentur cibis lege vetitis, à quibus semper abstinuissent: vtq; dierum discrimina lege præscripta & à maioribus accepta, negligerent. Ægrè, dico, propterea quod vel in fide parum firmi essent ac prouecti, vel ab antiqua & inolita consuetudine sese reuocari molestè ferrent. Quod nihilominus etiam ad infirmitatem fidei pertinebat. Imò probabile est infirmos de quibus apostolus, in ea pleroſque opinione fuisse, vt existimarent cibos à quibus lex prohibebat, per se suaque natura immundos esse, & ob eam causam lege prohibitos: maximè quod eos immundos identidem lex appellet. Indicat hoc Paulus infrà, quum è contrario dicit se scire & persuasum esse, *quia nihil commune per seipsum.* Quæ res illic pluribus à nobis explicabitur. Nec ideo tamen illi mortaliter peccabant, tanquam *mediante creatura culpam in Deum refunderent*, quod aduersus hanc rationem obijcit Hugo Victorinus. Cum enim

Infirmos in fide quos vocet apostolus.

Infirmorum excusatio à peccato mortali.

infirmi essent fide, nec subtiles ingenio; non videbant eam consecutionem quam Hugo facit; vt in multis alijs contingit affirmari aliquid, ex quo sequantur absurda, quæ assertor antecedentis nunquam concesserit. At verò qui in fide erant firmiores, indifferenter & promiscuè quibuslibet cibis vtebantur, scientes legem mortuam esse, *& nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur*, 1 Tim. 4. Porrò vtraque pars in alteram peccabat. Nam qui abstinebant, edentes iudicabant velut legis ac paternæ consuetudinis violatores: Hi contrà, despiciebant illos vt infirmiores; nec habebant rationem salutis eorum. Imo scandalum præbebant, exemplo suo prouocantes eos ad comedendum contra conscientiam ea quæ lege erant vetita. Huic dissidio cum periculo fratrum coniũcto, Paulus curationem adhibens corripit vtrosque: ac docet sublatũ quidem esse discrimen ciborum ac dierum lege præscriptum, nec quicquam esse per se immundum: sed ea libertate & scientia prudenter ac sine scandalo fratrum vtendum esse. Quo in argumento immoratur vsque ad finem capitis. Dixi doctrinam hanc peculiariter ad Iudæos dirigi. Nam ad gentiles extendi non potest: vt quibus simpliciter non licebat obseruare legalia, ne quidem propter infirmos Iudæos. Quod puto satis esse manifestum ex epistola ad Galatas. Quare nec ad id faciendum vllo modo exhortandi erant. Adde quod apostolus vult, vt non manducans manducantem non iudicet, scilicet tanquam legis aut moris patrij violatorem. Quod profecto nihil ad gentilem, cui lex data non fuerat. Quare nec propterea firmior dicendus erat. Itaque placere non potest quod expositores quidam manducantes hic intelligunt gentiles: quamuis & Hieronymus inueniatur ita sensisse lib. 2 contra Iouinianum cap. 11. Ex quibus apparet etiam illos sensum apostoli minus assecutos esse, qui præsentem eius doctrinam cum ea quam de idolothytis tradit 1 Cor. 8 & 10, ita confundunt, vt etiam hunc locum ad immolaticios cibos aut referant aut extendant. Nam esum idolothytorũ non Iudæis, apud quos id fuisset intolerabile, sed solis gentilibus, extra scandali periculũ, permittit. Cur autem secum ipse non pugnet apostolus, qui hic tolerati vult Iudæos ciborum adhuc discrimina seruantes: alibi verò in hoc genus Iudæorum tanquam in hæreticos acriter inuehitur, vt ad Tit. 1, dicemus post pauca ad illud: *Vnusquisque in suo sensu abundet*. Nunc ad Pauli verba veniamus, quæ in Græco sic habent: *Eum qui infirmatur fide, assumite*. Ex quo satis intelligitur illud, *fide* referendum esse ad *infirmum*, quod Græcè participium est præsentis temporis; non ad verbum *assumite*. Nam & infrà sic absolutè loquitur: *Deus enim illum assumpsit*. Item sequẽti capite, *Propter quod suscipite inuicem*. Et vtique, de qua loquatur infirmitate, additiuncula quapiam erat significandum. Igitur sensus est: Vos qui firmiores estis in fide, eum qui fide infirmus est, id est de beneficio Christi ac libertate per eum adepta nondum satis instructus ac persuasus, vt ea vti audeat; denique nec scientiam habens, quod nihil per se sit immundum: assumite, id est ad conuersationem vobis adiungite, & habete vt fratrem; nec repellite tanquam alienum à Christo, quin potius vt infirmum & cura egentem fouete.

Tam abstinentes quã edẽtes qua ratione peccauerint.

Discrimẽ ciborum, dierumq; lege Mosaica præscriptum, à Christo sublatũ.

Ad solos Iudæos præsens apostoli disputatio dirigitur.

Quid assumere Paulo.

NON IN DISCEPTATIONIBVS COGITATIONVM. Græcè μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν. Quod Erasmus vertit: *non ad dijudicationes disceptationum*. Rectius ita vertas: *non ad certamina disputationum*. Nam verbum διακρίνεσθαι inter alia significat certare verbis, altercari. vt in epistola Iudæ, vbi duo verba, quorum hic deriuata nomina habentur, itidem cõiuncta legimus: *Cum Michael archangelus cum diabolo διακρινόμενος διελέγετο, certans disputaret*. Non est autem hic repetendum verbum *assumite*: nisi fortè demutata paululum eius significatione. Alioquin huic parti non conuenit. Nam in bonam partem accipitur assumere, prout iam explicatum est; quemadmodum & infrà, locis iam citatis: vbi in Græco semper idẽ est verbum προσλαμβάνεσθε. Proinde vel supplenda vel exponenda erit oratio in hunc modum: Infirmum assumite: non autem prouocate ad certamen disputandi. Nolo, inquit, cum eo, sub prætextu doctrinæ euangelicæ, contendatis. Quãuis enim ignoret & erret opinione; tamen adhuc tolerãdus est, nec importunis disceptationibus inquietandus, ne fortè offensus resiliat ab incepto.

Infirmi non exagitandi disputationibus, sed tolerandi.

2 ALIVS ENIM CREDIT SE MANDVCARE OMNIA. Rem velut exemplo ob oculos ponit, hinc firmum statuens, inde infirmum: vt vtrumque sui moneat officij. Græcè: *Hic quidem credit edere omnia*, id est credit ac persuasum habet se posse, sibi licitum esse, quibuslibet vti cibis. Et rectè ita credit. Similis locutio est Gen. 3. *De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur*, id est vesci nobis licet. Et Luc. 1, *Virum non cognosco*, id est cognoscere mihi non licet. Porrò manducare propriè quidem est cibum dentibus conficere. Sed interpres sui sæculi consuetudinem secutus, id passim vsurpat pro comedere, vesci.

De idolothytis hic non agit apostolus.

Manducare pro edere, interpreti familiare.

QVI AVTEM INFIRMVS EST, OLVS MANDVCET. Græcè λάχανα ἐσθίει, *olera manducat, comedit*: quemadmodum & citat Clemens Alexandrinus initio lib. 6 stromatum. Ita veteres Latini, vt Tertullianus lib. de ieiunijs cap. 15, *olera vescitur*, Græco nimirum casu retento. Hieronymus scribens in Ecclesiastæ 2, *oleribus vescitur*. Idem lib. 2 aduersus Iouinianum & in commentarijs Isaiæ 1, *olera manducat*. Quæ eadem lectio est commentatoris Amb. nec non ipsius Ambrosij in expositione psal 36. Syriacè, *olus manducat*; quod etiam in nonnullis est mss. Latinis. Sensus: Qui autem infirmus est fide, comedit olus, vel quid simile, quod lege Mosaica constat non esse

prohi-

Cur olus nominet apostolus.

prohibitum, abstinens à prohibitis. Speciatim olus nominat, quo significatur omnis herba satiua quæ in vsu cibario est: eo quod nihil herbarum lege vetitum fuerit. Quidam sic: Olus manducat à carne penitus abstinens, ne fortè incidat in carnem immolaticiam. Sed iam ostendimus hic de immolaticijs non agi. Cæterùm Hieronymus alicubi præceptiuè legit, accommodans sententiam suo instituto, vt epistola 10 ad Furiam cap. 4. *Nihil*, inquit, *ita scias conducere Christianis adolescentibus vt esum olerum. Vnde apostolus, Qui infirmus est, olera manducet; ardoráq; corporum frigidioribus epulis temperandus est.* At sanè modus præceptiuus haud conuenit huic loco: Nondum enim docet aut præcipit apostolus; sed factum ponit. Iam autem sequuntur præcipientis verba.

3 Is qvi mandvcat, non mandvcantem non spernat. Hoc est: Qui firmus in fide vescitur quibuslibet, eum qui ob fidei infirmitatem abstinet à quibusdam, *non spernat*, id est non præ se contemnat tanquam fortis imbecillem. Sic nonnulli. Sed rectius alij: *non spernat*, id est non habeat vilem eius salutem, scandalum ei ponendo, dum exemplo suo facit eum comedere contra conscientiam. Sic & Satyricus loquitur: *Nec tu pueri contemseris annos.* Et huic sensui conueniunt quæ infrà dicuntur de scandalo, nominatim illud, *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Et iterum, *Noli propter escam destruere opus Dei.* Quod enim hic dixit *spernere*, illic dicit *perdere, destruere*. Est hoc loco verbum Græcum ἐξουθενείτω, id est pro nihilo reputet, Tertullianus, *nullificet*. Idemque verbum infrà repetitur. Verè enim fratrem nullificat, qui exemplo perdit.

Quid spernere non manducantē.

Iudicare pro condemnare.

Et qvi non mandvcat, mandvcantem non ivdicet. Id est, non condemnet tanquam legis transgressorem, aut immundo cibo se contaminantem.

Deus enim illvm assvmsit. Illum, scilicet manducātem, assumsit in seruum & cultorem suum; & proinde non est ab alio iudicandus. Qui sensus patet ex sequentibus. Non dicit non esse iudicandum, ò quod non peccaret. Hoc enim nondum erat infirmo persuasum: vt qui putaret illicitum esse quibuslibet vesci. Quapropter argumento vtitur generaliori, quod explicatur verbis sequētibus: *Tu quis es* &c. Quidam hoc quod dicit, *Deus enim illum assumsit*, referunt ad non manducātem, quem dixerat non esse spernendum. Cuius optima ratio est, quia Deus illum assumsit, id est non spreuit, non abiecit, sed in curā suam suscepit. Quare nec tibi spernendus est; sed assumēdus; sicut initio monuit, *Infirmum in fide, assumite.* vt hæc ætiologia similis sit illi, quæ est capite sequenti, *Suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit vos.* Quod si placet; dicendum esset singulas rationes singulis esse reddendas sententijs transpositis ad hūc modum: *Qui manducat, non manducantem non spernat. Deus enim illum assumsit. Et qui non mā-ducat, manducantem non iudicet. Tu* enim *quis es qui iudicas alienum seruum?* Expositio non improbanda.

Aliorum non improbabilis expositio.

4 Tv qvis es qvi ivdicas alienvm servvm? Græcè οἰκέτην, id est, *famulum domesticum*. Est enim allusio ad hominem alienæ familiæ curiosum, & quæ in ea aguntur iudicātem. ac si dicat: etiamsi peccaret edēdo (quod tibi non liquet) non tamen à te iudicandus & condemnandus esset, sed domino suo relinquendus, vt ille de facto famuli sui inquireret & iudicaret. Augustinus in expositione huius propositionis, colligit ex ea doctrinam generalē: *vt in his rebus quæ possunt & bono animo fieri & malo, iudicium Deo dimittamus, nec audeamus de alterius corde quod non videmus, ferre sententiam.* Porrò Chrysostomus & Theophylactus hac parte putant obiurgari manducantem, id est firmiorem in fide, quod infirmum iudicet tanquam malè agentem. Nam ad infirmum pertinere videtur quod sequitur: *Domino suo stat aut cadit.* Verùm longè probabilius est apostolum hic all◉qui nō manducantem: de quo iam exposui. Is enim peccabat iudicando, sicut manducans spernendo: vt patet ex superioribus. Vnde & postea compellans vtrumque dicit: *Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum?* videlicet singula referens ad singulos: iudicare ad non manducātem, spernere ad manducantem. Quod ergo nunc sequitur.

Doctrina generalis de factis aliorū nō iudicādis.

Domino svo stat avt cadit. Græcè *proprio domino*. Hoc de manducante dicitur, & hunc habet sensum: Non tuum est eum iudicare quasi peccantem edendo quæ tu putas immunda. Habet dominum ac iudicem suū Deum, siue Christum: à quo absoluetur, si bene agat, vel condemnabitur, si male. Hoc enim est domino suo stare aut cadere, à domino suo absoluendum esse aut condemnandum. Alij *stat aut cadit domino suo*, sic interpretantur: Bene agit aut malè, commodo aut detrimento domini sui. Sed prior sensus germanior est. Sunt enim hæc vocabula stare, cadere, fori iudicialis. Et alioqui nec ratio valeret. Non enim si absque meo detrimento quis malè agit, ideo mihi non est iudicandus. Iam & id quod sequitur, sensum exigit quem dixi.

Seruus domino suo stat aut cadit: & quo sensu.

Stabit avtem. *Stabit* Græcè σταθήσεται *statuetur*, stabilietur. tametsi bene vertit interpres, *stabit*. Est autem verbum fiduciæ, quo veluti corrigit præcedens disiunctum *stat aut cadit*: ac si dicat: Imo tibi affirmo, quod non cadet, non condemnabitur iudice domino suo, sed stabit, id est absoluetur. De hoc loco vide Augustinum lib. de corrept. & gratia cap. 12.

Potens est enim Deus statvere illvm. *Statuere*, id est efficere vt stet, sensu iam dicto. Quamuis, inquit, homines in fide non satis instructi eum iudicent, id est condemnent: tamen Deus potens est eum absoluere

& ſuo iudicio iuſtificare: quod & faciet. Hac parte ſatis ſignificat apoſtolus quo ſenſu dixerit ſeruum domino ſuo ſtare aut cadere. Manducans enim ex fide, & per hoc bene faciens; quantum quidem ad hoc attinet, non erat erigendus à domino ſuo vt ſtaret; ſed abſoluendus à falſo crimine violatæ legis aut immundiciæ ex cibo contractæ, quod ei infirmus imponebat.

NAM ALIVS IVDICAT DIEM INTER DIEM. Quemadmodum de cibis, ita & de diebus diſceptatio erat inter fideles ex Iudaiſmo conuerſos. Sicut enim diſcretio ciborum erat lege Moſaica conſtituta, vt alij mundi eſſent, alij immundi; ſic & dierum, quorum alij ſeruiles erant, alij non ſeruiles, vt maximè ſabbatum. De diebus igitur agit nunc apoſtolus. Græcè legitur hæc pars abſque cauſali vocula: ὃς μὲν κρίνει ἡμέραν παρ' ἡμέραν. *Hic quidem iudicat diem ad*, vel *iuxta diem*. Pro quo Hieronymus in Iouinianum ſcribens, legit, *pluſquã diem*, Syrus vertit *præ die*. Quæ omnia præpoſitione παρὰ poſſunt ſignificari. Nam quod habet verbo qua vtitur Auguſtinus, *iudicat alternos dies*, minus huic loco poteſt accommodari. Cuius ſenſus eſt huiuſmodi: Qui fide adhuc infirmus eſt, diem cum die comparat, & inter eos diſcernit; dierum facit diſcrimen, alium præ alio eligens, dum ſabbatha, neomenias & alia feſta ſecundum legem obſeruat: intellige, quantum extra ſacrificij locum obſeruari poterant.

Diem inter diem iudicare, quid ſit.

ALIVS AVTEM IVDICAT OMNEM DIEM. Id eſt: Qui firmior in fide eſt & nouit ſublatum eſſe per Chriſtum, Moſaicum illud diſcrimen dierum, peræquè æſtimat omnem diem: inter dies nec iudicio nec opere diſcernit. Nõ ſolum autem ciborum, ſed & dierum diſcrimina fuiſſe Iudaizantibus in obſeruatione, conſtat ex epiſtolis ad Gal. 4 & Col. 2. Cæterùm ex data iam interpretatione totius huius loci, quæ, quod ad ſummam rei pertinet, omnium cõmentatorum eſt, atque ex ipſius apoſtoli ſcopo, liquet, quam prauè ea quę hic dicuntur, detorqueant hæretici contra certorum dierum ieiunia, quorundam ciborum abſtinentias, ac feſtorum dierum obſeruationem, lege vel conſuetudine in eccleſia præſcriptam: cum vtique conſtet apoſtolum loqui de diſcrimine ciborum ac dierum obſeruato ab ijs qui ex Iudæis Chriſtiani facti, legi Moſaicæ ac priſtinis obſeruantijs adhuc tenacius inhærerent. Nam quod ad eccleſiæ leges attinet; dubium eſſe non debet, quin illę vt iuſtam habent obligandi rationem pro tempore nouæ legis, ita verè & in conſcientia filios eccleſiæ obligatos teneant.

Quid iudicare omnẽ diẽ.

Contra ieiunia & abſtinentias & ſolemnitates eccleſiaſticas prauè detorquetur hic locus.

Eccleſiæ leges obligant in conſcientia.

VNVSQVISQVE IN SVO SENSV ABVNDET. *In ſuo ſenſu*, Græcè ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ, id eſt in propria mente. Et pro verbo *abundet* legitur πληροφορείσθω. De cuius ſignificatione plura dicemus infrà. Porrò ſententiam plerique non ſolum Latini, verùm etiam Chryſoſtomus & eius ſequaces ita exponunt: Quiſque ſuo ſenſui permittatur; & iuxta hoc quod iudicat ſinatur agere. Liceat vnicuique ſuæ mentis iudicio frui: &, vt habet textus Amb. commentatoris, *ſuo quiſque conſilio remittatur*. Quo ſenſu etiam ab Hieronymo citatur in epiſtola ad Auguſtinum numero 94. Ad hunc verò modum intellecta ſententia multi abuſi ſunt ad ſtatuendam religionis in republica libertatem: qua ſcilicet vnuſquiſque liberè & impunè permittatur credere quod voluerit. Nam id vocant abundare in ſuo ſenſu. Quidam vt his reſpondeant, dictum apoſtoli reſtringunt ad actiones adiaphoras, cuiuſmodi erat illo tempore apud Iudæos fideles delectus ciborum legis. Nam qui diſcernebant inter cibos atque inter dies, id facere poterant, non ex errore, ſed recta opinione de talibus imbuti, ſuamque hanc obſeruationem ad bonum aliquem finem referentes, velut ad hoc vt carnem ſuam caſtigarent, Deum placarent, rebus diuinis vacarent. Hæc reſponſio non placet. Nam manifeſtum eſt apoſtolum aſſcribere errorem ei qui diſcernit: quia vocat eum infirmum in fide, & dicit eum ſcandalizari & contriſtari alio non diſcernente. Proinde reſpondendum, imprimis apoſtolum loqui nõ de quacumque materia religionis, ſed de re præſenti, id eſt de dierum & ciborum diſcrimine ſecundum legem Moſaicam & morem paternum obſeruando vel non obſeruando. Nec enim de quæſtione iuſtificationis, vtrùm ex lege ſit an ex fide, dixiſſet: *Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*, ac de alijs eiuſmodi. De quibus grauiter Theophylactus, Chryſoſtomum ſecutus: *Quando ſermo eſt*, inquit, *de dogmatibus vel doctrina; non oportet nos proprio ſenſu abundare, ſed quæ accepimus firmiter tueri; etiãſi vel angelus è cælis aliud prædicaret*. Præterea dicimus cum Chryſoſtomo, non id velle Paulũ, infirmos illos ſimpliciter animi ſui iudicio permittendos eſſe, tanquam in re vel indifferenti vel leuicula; ſed temporis maturitatem exſpectandam. Non enim ſtatim ac ſimul auocandos eſſe (quod fieri non poteſt) à ſuis conſuetis obſeruationibus; ne forte turbati retrocedant ac deſerant fidem ſuſceptam: ſed ad tempus tolerandos, atque paulatim inſtruendos plenius. Quod & factum eſt opera apoſtolorum, non Romæ tantum & per loca gentilium, verùm etiam Ieroſolymis: vbi ſicut Act. 21 legitur, ex Iudæis plurimi in Chriſtum crediderant; qui tamen omnes erant æmulatores legis. Tolerabantur autem ad tempus, cum ob rationem memoratam, tum ob reuerentiam Moſaicæ legis, vtque ſynagoga cũ honore ſepeliretur. Quæ etiam cauſa fuit vt & ipſi apoſtoli, & inter hos Paulus, infirmis fratribus ſeſe accommodantes, vbi locus & tempus poſtulabant, legalia adhuc obſeruarent: etſi certiſſimi ſe ad ea non teneri. Quod autem ad eos attinet qui pertinaciter retinere volebant ciborum mundorum atque immundorum diſcrimina; quique ſuum hoc dogma paſſim inter fideles diſſeminabant;

Quid, & numquẽque in ſuo ſẽſu abũdare: & quã malè à quibuſdam intellectum.

An apoſtoli ſententia reſtringẽda ad actiones adiaphoras.

In quibus non permiſſum proprio ſenſu abundare.

Quatenus ſuo iudicio permittendi infirmi.

non

non de eis diceret apostolus: *Unusquisque in suo sensu abundet:* quippe quos alibi tanquam seductores & errorum magistros acriter insectatur; vt in epistola ad Tit. 1. cui & præcipit, dicens: *Increpa illos durè, vt sani sint in fide.* Cur autem & Galatas ad instituta Iudaica delapsos idem apostolus tanta verborum asperitate castiget, vt dicat eos translatos in aliud euangelium; vt vocet insensatos & fascinatos; vtque propter illam legalem dierum obseruationem dicat eis, *Timeo ne forte sine causa laborauerim in vobis*, Gal. 1. 3. 4, ea ratio est, quia Galatæ gentiles erant, quibus vt iugum Mosaicæ legis, quam nunquam acceperant, imponeretur, nullo modo ferendum erat: ne lex conniuentibus apostolis etiam ad gentes propagata, putaretur ad salutem esse necessaria; quod pseudapostoli Galatis persuadere nitebantur. At infirmi qui hoc loco tolerari iubentur inter Romanos, Iudæi erant, in obseruatione legis patrum suorum à cunalibus educati. Iam verò pro meliori intelligentia Paulinæ sententiæ paulo pressiùs expendenda nobis est significatio verbi Græci, pro quo nos legimus *abundet*. Budæus quidem in cõmentario linguæ Græcæ verbum πληροφορῆσθαι vult idem esse quod compertum habeo, certissimè noui. Et Erasmus in annotatione super præfatione euãgelij secundum Lucam, πληροφορεῖν exponit plenam facere fidem. Et huius verbalia πληροφορίαν certam fidem, quę fit argumentis aut re exhibita; & πληροφόρημα, quod nos vulgo dicimus certificationẽ. Huc primum allegatur illud huius epistolæ cap. 4, *plenissimè sciens*, Græcè πληροφορηθεὶς. Itẽ quod in memorata præfatiuncula legitur, *quæ in nobis completæ sunt rerum*, Græcè τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων. Quod ita vertit Origenis interpres (Ruffinum arbitror) *quæ in nobis manifestissimè sunt cognita, comperta, ostensa: quod* tamen, inquit, *vno verbo Latinus sermo non explicat*. Erasmus autem ita reddidit: *quæ inter nos certissimæ fidei sunt*. Adferuntur & alia loca quæ mox citabimus. Hanc porrò Græcæ vocis significationem nonnulli persuasi veram ac genuinam esse, censent eam scribendam in tertia syllaba per ω, πληροφωρεῖν, πληροφωρεῖσθαι & cætera: videlicet ἀπὸ τοῦ φωρᾶν, quod est comperire, deprehendere. Sed hos falli perspicuum est. Nusquam enim verbum illud (de deriuatis eadem ratio) nisi cum ο paruo tertiæ syllabæ legitur apud authores. Deinde si à verbo φωρᾶν deduceretur, scribendum esset πληροφωρᾶν eadem terminatione: quod æquè alienum est à scriptoribus. Adde quod non vbique congruit illa significatio plenę ac certę cognitionis, vt 2 Tim. 4, *Ministerium tuum imple*. Et iterum, *vt per me prædicatio impleretur*. Quocirca magis hic assentior Ioanni Hasselano & Francisco Riberæ, quorum ille in commentario huius loci, quem ms. apud me habeo: iste verò exponẽs illud Heb. 6, *ad expletionem spei vsque in finem:* docent non plus significare verbum πληροφορεῖν, quàm plenitudinem ferre siue adferre, id est vno vocabulo, implere: quemadmodũ & πληροφορεῖσθαι plenitudinem habẽre, id est, impleri, abundare, & πληροφορίαν plenitudinem, abundantiam. Componuntur enim hæc à verbo φέρειν ferre, sicut multa alia similis formæ, vt δωροφορεῖν dona ferre, κυφορεῖν veterum ferre, ὁπλοφορεῖν arma ferre, ῥαβδοφορεῖν virgam ferre. Sic ergo πληροφορεῖν plenitudinem adferre. Cuius autem plenitudinem; id ex re subiecta qua de sermo habetur, intelligẽdum. Nam interdum quidem cognitionis ac fidei, interdum spei; nonnunquam officij, vel cuiuspiam eiusmodi, plenitudo significatur. Cognitionis, vt huius epistolæ cap. 4, *plenissime sciens*, & Col. 2, *In omnes diuitias plenitudinis intellectus*. Fidei, vt Heb. 10, *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei*. Spei, vt Heb. 6, *Ad expletionem spei vsque in finem*. Officij, vt 1 Thess. 1, *In plenitudine multa sicut scitis quales fuerimus in vobis*. Item in duobus locis 2 Tim. 4 paulo ante citatis. Denique rerum actarum vt Luc. 1, *Quæ in nobis completæ sunt rerum*. (sic enim & Hieronymus legit in procœmio commentarij super Matthæum) id est quæ apud nos in Iudæa actæ sunt, & vsque ad finem perductæ. Nam res Christi saluatoris in terra gestæ, complentur & finiuntur eius assẽsione in cælum: in qua & Lucas euãgelium suum concludit. Sensum verò quem Ruffinus & Erasmus illuc intulerunt, minus congruere, sentiet qui mentem euangelistæ eo loco propius introspexerit: vt non hoc etiã dicã, nullius Græci scriptoris testimonio doceri, quod πεπληροφορημένα dicantur ea quorum plena facta est fides. Vsi sunt & LXX interpretes verbo passiuo Ecclesiastæ 8. Qui locus apud Hieronymum Latinè sic legitur: *Quia non est contradictio facientibus malum cito: ideo repletum est (ἐπληροφορήθη) cor filiorum hominum in eis, vt faciant malum*. Vbi certè nõ aliud in verbo Græco quàm quod Latinè redditum est, intelligi oportere, patet ex Hebræo. Sic enim ad verbum habet: *Idcirco plenum est cor filiorum hominis in eis ad faciendum malum*, id est, pleno & toto corde dedunt se malis agendis. Quod sua versione sic expressit Hieronymus: *Absque timore vllo filij hominum perpetrant mala*. Declaratur autem ex loco simili Gen. 6, vbi scribit Moyses vidisse Deũ, quod *cuncta cogitatio cordis* hominum *intenta esset ad malum*. Vt igitur ad nostrum institutum redeamus: quod Paulus Græcus hoc loco dicit, ita sonat: *Vnusquisque in propria mẽte plenitudinem habeat*. Sed quæritur quam aut cuius rei plenitudinem? Multi ex quibus ante, referunt ad libertatem opinandi seu iudicandi. quasi dicat apostolus: Cuique plenè ac planè liberum sit mentis suæ iudicium. Cuius commentarij sanum intellectum itidem suprà dedimus. Alij verò plenitudinem intelligunt persuasionis; hoc sensu: Vnusquisque in mente sua plenè persuasus sit, licere sibi id quod facit; nihil faciat repugnante aut dubitante

Cur Galatæ non permissi obseruare legalia.

Expenditur significatio verbi Græci πληροφορῆσθαι

Sententia verior, eadẽq; pluribus explicata.

Apostolicæ sententiæ germanus intellectus.

tante conſcientia, ne peccet. Quem ſenſum volunt aliorum quorundam verſiones, vt Eraſmi: *Vnicuique ſua mens ſatisfaciat*. Fabri, *Vnuſquiſque in ſua mente ſatisfaciat*. Hentenij, *Vnuſquiſque propriæ menti ſatisfaciat*. Huc ſpectat etiam Syriaca tranſlatio Latinè reddita ad hunc modum: *Vnuſquiſque in ſcientia* ſeu *cognitione animæ ſuæ confirmetur*. Huic expoſitioni probabilitatem conciliant quæ infrà dicuntur, vbi perſuaſionem eiuſmodi vocat fidem; docetque peccatum eſſe, quicquid ex fide non fit. Cum qua vtique ſententia valdè congruit, quod, iuxta expoſitionem iam datam, hic præcipitur, vt *vnuſquiſque in ſenſu ſuo abundet*, plenitudinem habeat, id eſt in animo ſuo plenè perſuaſus ſit, ſibi licere quod agit: alioqui peccaturus, eo quod agat contra conſcientiam. Eſt igitur hæc inſtructio tam diſcernentis quàm non diſcernentis; quæ ad hoc ſaltem valeat, vt neuter peccet ſciens. Neque enim diſcernentem omnino à peccato liberat. Porrò quæ ſequuntur, doctrinam continent eo pertinentem, vt vterque ab altero vel ſpernendo vel iudicando deinceps abſtineat.

6 QVI SAPIT DIEM, DOMINO SAPIT. *Domino*, intellige Chriſto: ſimiliter in ſequentibus, *Domino manducat, Domino non manducat, Domini ſumus*. Hunc enim intellectum poſtulat id quod pro ratione ſubiungit; *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur*. Et quidem paſſim in epiſtolis apoſtolicis Domini vocabulo Chriſtus ſignificatur: vt qui ſit omnium noſtrûm Dominus, noſque ſeruos ſuos fecerit iure redemptionis. Addunt Græci Syriáque codices: *Et qui non ſapit diem, Domino non ſapit*. Quod & Græci interpretes Chryſoſtomus & poſteriores exponunt. Verùm apud Origenem non legitur, nec apud quemcumque Latinorum. Nec temerè ſuſpicatur Eraſmus à quopiam additam hanc partem, vt eſſet negatio quæ præcedenti affirmationi reſponderet. Sapere diem, quod Eraſmus vertit *curare diem*, Græcè Φρονεῖν τὴν ἡμέραν, eſt, diei habere rationem, diem obſeruando diſcernere: rametſi putat Caietanus nullum exſtare verbum Latinum quod huic Græco propriè reſpondeat. Certè eiuſmodi eſt, quod in bonam partem accipi ſoleat; vt ad extenuationem infirmitatis fratrum videatur hic à Paulo vſurpatum. Senſus: Qui ita ſapit vt diſcernat diem à die, dum alium diem præ alio ſecundum legem obſeruat; id facit ad honorem Chriſti Domini, vtpote Chriſtianus, qui didicerit & nouerit omnia quæ facit, in nomine Domini Ieſu Chriſti facienda eſſe, Col. 3. Vel certè ad honorem Chriſti Domini id facit, quem vt Deum, etiam Moſaicæ legis agnoſcit ac veneratur authorem. Et qui ita ſapit vt non diſcernat dies, ſed indifferenter habeat omnem diem: id quoque facit ad honorem Chriſti, vtens libertate euangelica ſibi per Chriſtum conceſſa. Sentit apoſtolus ita vtrũque de altero exiſtimare debere; quòd nimirum ad Chriſti Domini faciant honorem, id ipſum quod faciunt: etiamſi in altero, id eſt, ſapiente diem, zelus ſit non ſecundum ſcientiam: ideoque factum eius peccato non careat.

Chriſtus noſter Dominus iure redemptionis.

Quid ſapere diem, aut non ſapere.

Omnia in nomine Domini Ieſu facienda.

ET QVI MANDVCAT, DOMINO MANDVCAT. Id eſt, qui ſine delectu veſcitur quibuſlibet, exiſtimandus tibi eſt id facere ad Domini gloriam. Tacitè ſignificat, id quod paulò poſt apertius docet, quicquid agimus, agere nos debere non nobis, ſed Domino. Vnde Zach. 7 reprehenduntur Iudæi quod ſibi non Domino ieiunaſſent, comediſſent atque bibiſſent.

GRATIAS ENIM AGIT DEO. Scilicet manducaturus; iuxta illud eiuſdem apoſtoli 1 Timot. 4, *Nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem*. Adeoque ex euangelio manifeſtum eſt, Chriſtum ſolere cum gratiarum actione, cibum ac potum benedicere, priuſquam ſumeret aut ſumendum daret, Mat. 15 & 26. Mar. 8 & 14. Luc. 22 & Ioan. 6. Quod & habet perpetua fidelium conſuetudo. Gratias, inquam, agit Deo pro largitate eius & beneficentia, qua cibos creauit & dedit in vſum hominum. Quæ gratiarum actio manducantis, argumentum eſſe debet non manducanti, illum Domino manducare, id eſt ad honorem Chriſti Domini, cui gratias agit.

Cibus & potus benedicẽdus exemplo Chriſti.

ET QVI NON MANDVCAT, DOMINO NON MANDVCAT. Qui abſtinet, inquit, à cibis lege vetitis, licet id ex infirmitate fidei faciat, tu tamen exiſtima id eum, quia Chriſto nomen dedit, propter honorem Chriſti Domini ſui facere. Præcipit vt proximorum facta in meliorem partem interpretemur, & id in eis cõſideremus quod bonum eſt. Sic enim ſolemus aliorum errata excuſare, dicentes, fecit bona intentione. Pulcrè S. Bernardus ſermone 40 ſuper Cantica: *Etiamſi*, inquit, *perperam actum quid deprehendas, nec ſic iudices proximum, magis autem excuſa. Excuſa intentionem, ſi opus non potes: puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum*, & quæ ſequuntur. Neque hoc diceret apoſtolus, ſi abſtinentia eiuſmodi, licèt ex imbecillitate fidei profecta, non poſſet ad Domini gloriam referri. Qua ratione multa quæ in eccleſia à ſimplicioribus vtriuſque ſexus aguntur in cultu Dei, & veneratione ſanctorum eius: etſi cenſuram alicuius ſuperſtitionis apud ſeueros Theologos omnino effugere nequeant; excuſari tamen poterunt, atque à fide & intentione qua ad Dei gloriam referuntur, etiam commendari. Denique ex his probabilis fit eorum ſententia qui dicunt hominem poſſe eodem actu peccare & benefacere, ſi ad diuerſa reſpiciatur. Quod manifeſtius apparet in ijs qui, quia parcè ſeminant, parcè & metent, 2 Cor. 9.

Quomodo proximorum facta in meliorẽ partem interpretanda.

Hominẽ poſſe eodẽ actu peccare & benefacere.

ET GRATIAS AGIT DEO. Nimirum pro cibis lege conceſſis quibus vtitur. Non dixit apoſtolus ſicut de manducante, *Gratias enim*

agit

agit Deo. Nam illic gratiarum actio, veluti dictum est, argumento erat, manducantem Domino manducare. Qui verò non manducat, in eo quod non manducat, non agit Deo gratias de cibis concessis, sed in eo quod quibusdam vtitur, licet ab alijs abstineat. Nec necesse est hanc gratiarum actionem, quod nõnulli faciunt, ad donum abstinentiæ referri: præsertim quod hæc abstinentia non virtutis erat sed infirmitatis. Locum hunc de manducante & non manducante Oecumenius refert ad ieiunia spontanea; vt manducans dicatur non ieiunans; non manducans verò ieiunans. Sed hoc præter mẽtem apostoli; qui non manducare tribuit ei qui fide infirmus est, putans aliquem cibum esse communem, id est immundum; vt infrà dicitur. Porrò si quis indicta ecclesiæ ieiunia nulla necessitate soluit non in eius excusationem dici poterit, *Qui manducat, Domino manducat*; sed is tanquam manifestus ecclesiasticę legis transgressor increpandus est & puniendus.

Qui violat indicta ecclesiæ ieiunia, non sunt excusandi, sed increpandi & puniendi.

7 NEMO ENIM NOSTRVM SIBI VIVIT: ET NEMO SIBI MORITVR. Loquitur ex persona cuiusque boni fidelis, qualem quisque alium existimare debet, nisi diuersum constet. Quomodo etiam accipiendum quod sequitur.

8 SIVE ENIM VIVIMVS DOMINO VIVIMTS, SIVE MORIMVR DOMINO MORIMVR. Sensus huius loci est: Nemo nostrum viuit propter se, id est ad suam ipsius gloriam aut commodum, tanquam finem suæ vitæ; sed ad gloriam Domini, cuius est seruus: & nemo nostrum eligit mori propter se, sed propter Dominum: iuxta quod de seipso dicit idem apostolus Philip. 1, *Magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam siue per mortem*. Probat superiora argumento à toto ad partem. Nam si boni fideles ad Dei gloriam referant totam suam vitam, adeoque & mortem: igitur & in eo quòd manducant, & quòd non manducant, Dei ac Domini gloriam spectare censendi sunt.

Christianus omnia ad gloriam Christi Domini agere debet.

SIVE ERGO VIVIMVS, SIVE MORIMVR, DOMINI SVMVS. *Domini* casu gignendi. Id est, Christo Domino addicti sumus, tanquam serui: vtpote qui vitam & mortem & omnia nostra ad illius (vt ita dicam) commodum, id est, honorem referamus. Quod est eorum qui bene seruiunt. Infert autem hoc Paulus ex eo quod proximè præcedit. Nam ideo Domino viuimus & Domino morimur, quia Domini sumus. Nec tantum vult dicere nos Domini esse dum viuimus hac vita mortali; & Domini esse in ipsa morte, qua vitam hanc amittimus: verũ etiam & maximè post mortem in sæculo futuro: quemadmodum patet ex subiuncta confirmatione, qua non morientes sed mortuos nominat.

9 IN HOC ENIM CHRISTVS MORTVVS EST ET RESVRREXIT, VT ET MORTVORVM ET VIVORVM DOMINETVR. In hac parte varietas est lectionis. Primùm multa Latina mss. coniunctionem quæ in posteriori membro geminata est, etiam congeminant in priori: *& mortuus est, & resurrexit*. Quod & decorem addit dictioni, & Græcis codicibus consonat. Qui quidem sic habent: *In hoc enim Christus & mortuus fuit & resurrexit & reuixit, vt & mortuorum & viuentium dominetur*. Nisi, quod in nonnullis pro ἀνέζησεν *reuixit*, legitur ἔζησεν *vixit*, quemadmodum & habent Græca Chrysostomi, Theophylacti & Oecumenij commentaria. Verbum *vixit* etiã apud Amb. habetur, sed primo loco positum: *Et vixit, & mortuus est & resurrexit*. Quæ eadem fermè lectio est Irenæi lib. 3 cap. 20. & Augustini de moribus Manichęorũ cap. 14. Syrus idipsum in medio collocauit: *Mortuus est & vixit & surrexit*. Origenes, vt ex eius commentario planè constat, tantum legit: *Mortuus est & vixit*. Iam & veterum codicum Latinorum quidam non contemnendi pro *resurrexit* habent *reuixit*. Quod & legitur in epistola 1 Anacleti papæ: vt meritò suspectum haberi possit verbum *resurrexit* occupati loci alieni: quum ad alterum explicãdum fortè in margine adscriptum fuisset. Nã & Chrisostomi Græca quædam exemplaria verbum ἀνέζη non agnoscunt. Itaque sic arbitror; alteram harum esse lectionem germanam, *Et mortuus est & reuixit*. vel, *& mortuus est & vixit*. Nam harũ vtrique, præsertim posteriori aptius respondet quod sequitur, *vt & mortuorum & viuorum* (Græcè, ζώντων, *viuentium*) *dominetur*. ac si dicat apostolus: Quomodo mortuus est Christus vt mortuorum dominetur; ita rursum vixit, vt dominetur viuentium. Priori quidem lectioni simile est illud Luc. 15, *Frater tuus hic mortuus erat & reuixit*. Posterior autem, cui dixi partem subiunctam aptius respondere, Hebraismum redolet; *vixit*, id est vitã accepit siue recepit: sicuti passim, *possedit*, id est acquisiuit, possessionem accepit; quemadmodum & capite superiori, *credidimus*, id est fidem suscepimus. Ita dictum est Apoc. 20 de animabus martyrum: *Et vixerunt, & regnauerunt cum Christo*, id est vitam beatam acceperunt. Et mox de alijs: *Cæteri mortuorum non vixerunt, donec* &c. id est vitam non receperunt. Quo secundo loco, perinde vt in priore, noster interpres haud dubiè legit in Græco ἔζησαν: quod & Aretæ textus habet, & Cõplutensis editio: licet in alijs pleriſque codicibus, hac parte mihi suspectis, ἀνέζησαν legatur. Hãc certè lectionem præsentis loci maximè probat exacti iudicij vir F. Lucas: ad cuius notationẽ te remitto. Porrò confirmat apostolus illationẽ superiorẽ, docens quãobrẽ nos & viuẽtes & moriẽtes, siue mortuos, Domini esse dixerit: & proinde omnia facere Domino, id est Christo. Id docet ex iurè redẽptionis. Nam Christus morte sua nos redimẽs, seruos sibi fecit: factusque est omnium nostrum Dominus. Insinuatur hac sententia, Christum, quamuis sit Dominus omnium hominũ, peculiari tamen ratione esse Dominũ bonorũ & fideliũ.

Lectio germana huius loci.

Hebraismus in verbis Vixit, possedit, credidit.

Christus iure redẽptionis Dominus noster, nosq; eius serui.

Hos enim non ſolum ſibi ſubiecit (quod & malis ac reprobis, ipſiſque dæmonibus cõmune eſt) verùm etiam redimendo, ſibi ſeruos, id eſt ſeruientes & obedientes fecit; nec ſolum pro tempore vitæ præſentis, cuius fines excedere non poſſunt ſeruitutes humanæ; ſed etiam, multoque perfectius, pro ſæculo futuro & nunquam terminando; de quo ſcriptum eſt Apoc. 22, *Et ſerui eius ſeruient illi*, vtique beata ſeruitute. Nam ſequitur: *& regnabunt in ſæcula ſæculorum.* Addit apoſtolus, *& reſurrexit*, ſeu potiùs *& vixit*, ſcilicet poſt mortem; non quod reſurgens ad vitam Chriſtus nos redemerit; ſed quod illius reſurrectio fuerit idea quædam & exemplar noſtræ reſurrectionis, qua reſuſcitandi ſumus ad vitam æternam & beatam: Ex quo futurum ſit, vt ipſe perfectè mortuorum & viuorum dominetur. Vel, ſecundum alios; quia niſi reuixiſſet, dominari non poterat. Non enim dominaretur Chriſtus homo, niſi eſſet homo. Ponit autem viuos poſt mortuos, vt oſtendat ſententiam ſuam maximè veritatem habere de ijs qui viuunt poſt mortem. Quæret aliquis cur apoſtolus dicens Chriſtum dominaturum etiam mortuis; non contradicat ipſi Chriſto dicenti, *Non eſt Deus mortuorum ſed viuentium*, Mat. 22. Reſponſio. Aliud eſt vocari Deum mortuorum: aliud eſſe Dominum mortuorum. Nam multa ſunt quorum Dominus eſt Deus: quorum tamen Deum ſe vocari nolit. Deinde mortui in verbis Chriſti intelliguntur omnino mortui & non reſurrecturi; quomodo de mortuis hominibus ſentiebant Sadducęi: Paulus verò de mortuis loquitur ſpe certiſſima victuris, quales Abraham, Iſaac & Iacob.

Reſurrectio Chriſti idea quædam noſtræ reſurrectionis.

Quæſtio.

Reſponſio

10 TV AVTEM QVID IVDICAS FRATREM TVVM? Compellat hac parte non manducantem, id eſt eum qui fide infirmus eſt, vt patet ex ſupradictis. Sequenti autem parte manducantem alloquitur.

AVT TV QVARE SPERNIS FRATREM TVVM? Græcè *aut etiam tu*. quaſi dicat: ſed nec tu quamuis fide firmior, reprehenſione cares, quod infirmi fratris tui rationem non habeas, ac ſalutem eius curare non videaris, vt qui manducando ſcandalum ei præbeas. *Spernis* Græcè ἐξουθενεῖς *pro nihilo habes*. Nam qui fratri ſcandalum ponit, ita agit ac ſi ſalutem eius nihili penderet. Quoniam autem in confeſſo erat fratrem non eſſe ſpernendum, id eſt ſcandalizandum: idcirco omiſſa eius probatione, ſolum id quod priori loco dixit, probandum ſuſcipit; nempe fratrem non eſſe à nobis iudicandum, etiamſi fortè delinquat. Poſtea quidem etiam de ſcandalo repetit ſermonem: verũ id agit non tam docens quàm obiurgans. Porrò non iudicandum eſſe, docet ex eo quod Chriſtus eſt omniũ noſtrũ iudex.

Spernit fratrẽ qui ſcãdalum ei ponit.

OMNES ENIM STABIMVS ANTE TRIBVNAL CHRISTI. *Stabimus*, Græcè παραστησόμεθα *ſtatuemur, ſiſtemur.* Omnes, inquit, ſiſtendi ſumus ad tribunal Chriſti, nimirum ab eo tanquam omnium Domino iudicandi. Tribunal enim iudiciariam poteſtatem ſignificat. Omnes intellige ſine exceptione: tum quia ratio generalis eſt, nullam admittẽs exceptionem; videlicet vniuerſale Chriſti dominiũ in omnes homines; Tum quia teſtimonium propheticum quo ſententiam ſuam mox confirmat apoſtolus, omnes ſine exceptione homines comprehendit. Stabunt igitur à Chriſto iudicandi etiam illi quibus dixit Matth. 19, *Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Nam ſeſſuri & iudicaturi dicuntur, non quod iudicandi non ſint: ſed quia tantæ perfectionis omnibus apparebunt, vt ſi humano more de iudicijs loquamur, merita eorũ non videãtur examini ſubijcienda ad hoc vt præmium eis decernatur, ſicut illorũ qui tantum erunt mediocres meritis: ſed ipſi potius ob inſignem ſanctitatem digni habeantur, qui iudici appropinquent, eique aſſideant, ac de alijs etiam ſententiam ferant. Hoc eſt quod dici ſolet, omnes iudicãdos eſſe iudicio retributionis, ſed nõ omnes iudicio diſcuſſionis. De qua re vide quæ diſputari ſolent ad diſt. 47 lib. 4 ſententiarum.

Omnes ſine exceptione iudicandi à Chriſto.

Quomodo aliqui ſeſſuri & iudicaturi cũ Chriſto dicantur.

Omnes iudicandi iudicio retributionis, non diſcuſſionis.

SCRIPTVM EST ENIM. Confirmat teſtimonio ſcripturæ, quæ eſt apud Iſaiam cap. 45.

11 VIVO EGO DICIT DOMINVS. *Viuo ego*, Hebraicè, *In me* vel *per me iuraui.* LXX *per meipſum iuro*. Quod ſequitur, *dicit Dominus*, aut de ſuo Paulus addidit ad ſignificandum cuius ex perſona hæc dicantur: aut repetiuit ex ſuperioribus eiuſdem capitis apud prophetam, verſu 18. Porrò ſenſus conuenit, eſtq; huiuſmodi: Memetipſum, ait Dominus, ac vitam meam teſtor, verum eſſe hoc quod affirmo. Sicut enim iurandi formula erat in populo Dei, *viuit Dominus*; quod erat iurare per Deum viuentem, ſiue per vitam Dei: ita Deus in ſcripturis introducitur iurans his verbis, *Viuo ego*: vt Num. 14. Iſa. 49. Ezech. 14 & alibi. Hoc autẽ eſt Deo, iurare per ſemetipſum viuentem. Cæterùm an propriè Deo competat iurare, expendemus in commentario epiſtolæ ad Hebræos cap. 6.

Iurandi formula apud Hebræos, Viuit Dominus.

Viuo ego, iuramentum Dei.

QVONIAM MIHI FLECTETVR OMNE GENV, ET OMNIS LINGVA CONFITEBITVR DEO. *Flectetur*, Græcè κάμψει *flectet*, quod etiam legitur in Latinis quibuſdam. Sed ſenſus eſt: Flectet ſe, id eſt flectetur; Hebraicè *curuabitur*. Quod in quibuſdam codicibus Græcis, poſt *omne genu*, ſequitur, *cæleſtium, terreſtrium & infernorum*, aſſiticium eſt ex epiſtola ad Philip. 2, vbi cætera ſimilia verba leguntur. Neque verò apud Iſaiam, cuius hic citatur teſtimonium, tale quid legitur. Apud eundem non eſt *confitebitur*, ſed *iurabit*, non addita voce *Deo*: nam repetendum eſt *mihi* ex priori membro. LXX verò addiderunt. Sic enim habent: Καὶ ὀμεῖται πᾶσα γλῶσσα τὸν θεὸν, *& iurabit omnis lingua Deum*, vt appareat Paulum (quod annotant nonnulli) dixiſſe *Deo*, pro *Deum*. Adducit autem

hoc

Christi dominiũ in omnes homines, bonos ac malos.

hoc ex propheta teſtimonium, vt oſtendat Chriſti dominium in omnes homines bonos ac malos. Quod inchoatur quidem à primo eius aduentu, ſed perficitur in extremo iudicio, vbi ſiſtentur omnes ad eius tribunal, & implebitur illud, *Ponam inimicos tuos ſcabellum pedũ tuorum.* Pſal. 109. Eſt igitur ſenſus: Mihi tãquã domino ac iudici ſuo omnes cuiuſcunque gentis & linguæ homines ſubijcientur ac ſubſternent ſeſe; Dominum ac Deum ſuum, per quem ſolum iurandum ſit, me confitentes: boni quidem voluntariè; mali verò vel inuiti. In perſona Chriſti Domini hæc dici, manifeſtè declarat locus ſimilis Philip. 2. *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus.* Vnde etiam intelligitur, non bonorum tantum, ſed & malorum hominum, imò & dæmonum genua Chriſto Domino curuanda eſſe. Nam & dæmonum iudex Chriſtus à patre conſtitutus eſt; ipſis etiam confitentibus in euangelio, ac dicentibus ad eum, *Veniſti huc ante tempus torquere nos?* Matth. 8. Obſerua contra Arianos Chriſtum hic expreſsè ab apoſtolo vocari Deum. Iam enim conſtat ex præcedentibus de Chriſto ſermonem eſſe. Sic in eo quod ſequitur.

Chriſtus Deus.

12 ITAQVE VNVSQVISQVE NOSTRVM PRO SE RATIONEM REDDET DEO. Sequitur hoc ex præcedentibus. Nam idcirco omnes ſiſtendi ſumus ad tribunal Chriſti, vtquiſque pro ſe reſpondeat, ac rationem reddat. *Pro ſe*, Græcè περὶ ἑαυτῦ *de ſeipſo*, id eſt de factis proprijs, non de alienis. Quod intellige, niſi quatenus aliorum vita ad noſtram curam pertinet; & aliorum peccata ex officij noſtri negligentia proueniunt. Hâc enim ratione dicitur Heb. 13 de præpoſitis: *Ipſi enim pernigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Porrò rationem Deo reddere eſt Dei iudicium ſubire de ijs quæ bene aut malè quis egit. Sumpta metaphora ab ijs qui de bonis alienis à ſe diſpẽſatis rationem dominis eorum reddunt. Sic autem & alibi loquitur ſcriptura, vt Matth. 12 & 1 Pet. 4. Quod autem hic dicit, idem alijs verbis ac diuerſa metaphora dicit Galat. 6, *Vnuſquiſque onus ſuum portabit.*

De factis proprijs, non de alienis reddenda ratio.

Quid rationẽ reddere Deo.

13 NON ERGO AMPLIVS INVICEM IVDICEMVS. Græcè: *Non amplius igitur alius alium iudicemus.* Nam pro, *inuicem*, legitur ἀλλήλους; qua voce non ſolum ſignificantur qui mutuo ſiue reciprocè quippiam agunt, ſed quorum alius erga alium, etſi non vices referentem; quomodo manifeſtè ſumitur Eph. 5, *Subiecti inuicem.* Non igitur ex vocula *inuicem* conſequens eſt tam firmum quam infirmum argui ab apoſtolo temerarij iudicij. Veruntamen quia generalis eſt concluſio, ne quiſquam alium iudicet, quam infert ex eo quod omnes vnum iudicem habemus Chriſtum: rectè intelligitur etiam firmiorem fratrem hac ſententia perſtringi, tanquam iniquum iudicem aduerſus fratrem infirmum. Nam quomodo non eum aliquo modo iudicabat, quem ſpernebat: & de quo non illud potius ſuſpicabatur, *Qui non manducat, Domino non manducat?* Sanè etiam ex parte ſubſequenti, *Sed hoc iudicate magis* &c. ſatis apparet ab hac generali admonitione firmiores excludi non debere. Notabis obiter iudicium propriè eſſe earum rerum quæ per ſe non ſatis patent. Vnde eſt quod abſolutè Dominus nobis prohibet, *Nolite iudicare* Matth. 7. Nam in re manifeſta non opus eſt iudicio, quo nimirum diſcernatur ac dijudicetur qualis ſit. Hinc in extremo iudicio quidam dicuntur non iudicandi, quod manifeſtam adferant cauſam ſuæ condemnationis; vt infideles, teſtante Domino Ioan. 3, *Qui non credit, iam iudicatus eſt*, id eſt portat ſecũ iudicium ſuum: *quia non credidit.*

Quomodo firmior infirmum iudicauerit.

Iudicium propriè de re non liquida.

Quomodo quidam non iudicandi.

SED HOC IVDICATE MAGIS. Quoniam præcedens concluſio generaliter omnes fideles à iudicandis fratribus repellebat, etiam firmiores ac doctiores, quibus potioti ratione iudicandi poteſtas alioqui concedenda videbatur; ac ſi dixiſſet, Nulli deinceps iudicent alios, ac ne firmi quidẽ infirmos: idcirco nunc ad firmiores ſermone conuerſo, docet quod iudicium eis permittat, atque adeò commendet. Repetit enim idem iudicandi verbũ, ſed alio ſenſu: quaſi dicat; Si omnino libet iudicare, exercete vos in hoc genere iudicij, id eſt, hoc ſtatuite apud vos firmo animi iudicio ac propoſito; hanc adhibete cautelam.

NE PONATIS OFFENDICVLVM FRATRI VEL SCANDALVM. Hoc eſt, ne libertate veſtra abutentes dum paſſim quibuſlibet cibis vtimini, præbeatis offendiculum fratri infirmo. Nam duplex erat illi periculum: vel ne fratrem edentem iudicaret; vel certè ne exẽplo prouocatus, contra conſcientiam ederet ea quæ lex prohibebat. Addunt & tertium, idque cæteris grauius: ne frater offenſus ea Chriſtianorum licentia, ſuſceptam ſemel religionem deſereret, & ad Iudaiſmum totus relaberetur. Sed de hoc tacet apoſtolus. Poteſt hic locus ita verti: *Ne ponatur offendiculum* &c. quomodo vertit Eraſmus. Nam Græcè eſt τὸ μὴ πθέναι, *non ponere.* Sed in eundem ſenſum redit vtrumque. Porrò *ſcandalum* Græcum vocabulum eſt, quo ſignificatur omne id quod prolapſionis & ruinæ cauſam adfert; Latinè vno verbo offendiculum. Igitur inter offendiculum, Græcè πρόσκομμα, & ſcandalum, non opus eſt hoc loco diſtinguere, quod à quibuſdam factum video; ſed variè & parum ſolidè: quemadmodum nec diſtinguendum inter lapidem offenſionis & petram ſcandali ſuprà cap. 9, & 1 Pet. 2. Nam huiuſmodi repetitio quæ fit ad inculcationem eiuſdem rei, ſcripturis familiaris eſt, maximè propheticis, ad quas libenter alludunt apoſtoli.

Multiplex periculũ fratri infirmo ex facto firmioris.

Scandalũ quid ſignificet.

Non differt ab offendiculo.

14 SCIO ET CONFIDO IN DOMINO IESV. *Confido*, Græcè πέπεισμαι, idem verbum quod ſuprà cap. 8 vertit interpres, *certus ſum*: de cuius verbi ſignificatione ſufficiant quæ ibi

diximus. Sanè & hoc loco magis ad mentem Pauli vertisset, *certus sum* vel *persuasum habeo*, quæ propria est Græci verbi significatio: quibus modis verterunt Faber, Erasmus, Hentenius & alij. Quippe rem certam ac fide tenendam hic affirmat apostolus. Quare & Chrysostomus hoc verbum exposuit alio verbo Græco πληροφορεῖμαι, id est *plenitudinem habeo*, scilicet persuasionis, plenissimè persuasus sum. De quo satis dictum in superioribus. Dicit autem, *scio*; quia de eo loquitur, quod etiam naturali lumine rationis cognosci potest. Docet enim ratio naturalis omnem creaturam Dei bonam esse; nec eius vsu spiritualiter hominem coinquinari posse, nisi voluntatis iniquitas malè vtentis accesserit. Eadem ratione scientiam nominat, vbi de immolaticijs differit, 1 Cor. 8. *De ijs*, inquit, *quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus.* Et iterum, *Sed non in omnibus est scientia.* Sensus igitur est: Indubitatè scio, natura docente; & pro certo teneo, sic institutus & edoctus à Domino Iesu; vel, sic institutus in religione Christi.

Eandem rem sciebat et credebat apostolus.

QVIA NIHIL COMMVNE PER IPSVM. Græcè δι' ἑαυτοῦ. Sic enim habent omnes codices annotati à R. Stephano: nisi quod regij libri ex editione Complutensi legunt contractè δι' αὐτοῦ cum notula densi spiritus: quod tantundem valet; id est, *per seipsum*, pronomine reciproco. Quod proinde non potest ad Christum referri; quo *ipsum* referunt commentator Amb. & eum secuti Pelagius & Sedulius, alijque Latini posteriores. At verisimile est interpretes qui verterunt *per ipsum*, legisse δι' αὐτοῦ, vel tenui vel certè nullo spiritu annotato. Nam & Græci Theodoritus & Oecumenius ita legerunt. Quorum posterior tres adfert huius loci expositiones. *Per ipsum id est iuxta legem euangelicam.* Nam νόμος (id est lex) Græcis masculinum est. Sic autem & Theodoritus exponit. Vel, *per ipsum, hoc est per se, ex natura*, vel, *per ipsum, nempe Deum.* Atqui media expositio magis postulat, vt legatur δι' ἑαυτοῦ, vel δι' αὐτοῦ, quemadmodum legerunt Chrysostomus & Theophylactus; nec non Origenes, vt ex eius commentario colligitur. Eidem lectioni vult textus Syriacus, qui habet *ex seipso*. Inter Latinos quoque *per seipsum* legunt Hieronymus lib. 2 contra Iouinianum cap. 11, & Augustinus lib. de moribus Manichæorum capit. 14 semel & iterum. Commune vocat apostolus immundum: non tam idiotismo linguæ Hebrææ (nam in libris sacris Hebraicè scriptis non exstat ea phrasis) quam posteriorum Iudæorum consuetudine; quibus id quod vel lege vel maiorum traditione immundum erat, commune dicebatur, quia in vsu communi esset cæterarum gentium: sibi verò solis, vt populo Dei, declaratum immundum, ideoque sub pollutionis reatu vitandum: vt commune Iudæis penè idem fuerit, quod Latinis profanum. Quam istius vocabuli rationem tradit Hieronymus exponens Matt. cap. 15, licet alij metaphoram putent acceptam à rebus quæ quod communes sint & à multis tractentur, facilè sordes contrahunt. Tale igitur est quod apostolus dicit: Quod ad me attinet, certa scientia & fide teneo nihil esse immundum (cuius scilicet vsus immundum ac deteriorem reddat hominem) *per seipsum*, id est ex sua natura: nihil, inquam, non solum in cibis, sed nec in tota Dei creatura; secundum illud 1 Tim. 4, *Omnis creatura Dei bona est.* Sic particulam *per seipsum* interpretantur Origenes, Chrysostomus & Theophylactus, & ex parte Oecumenius, vt vidimus: atque inter Latinos Heruæus, non obstante lectione *per ipsum*; & alij ex recentioribus. Neque verò id inconuenienter huic loco. Quamuis enim agat apostolus de ijs qui cibos quosdam refugiebant velut secundum legem immundos, ac propterea videri possit ad rem non pertinere, si illis dicatur nihil per se & natura immundum esse: (id enim aduersus hunc commentarium obijcitur) sciendum tamen est Iudæos plerosque qui legis & cærimoniarum verum vsum ignorabant, & signa pro rebus amplectebantur, prohibitionem certorum ciborum non ad significationem retulisse, sed magis (quod consequens videbatur) ad illorum naturam; quasi prohibiti fuerint, quia immundi: non immundi, quia prohibiti: cum res contrario modo se habeat. Nam ideirco solũ quædam legaliter immunda sunt, quia prohibita: ad significandum nobis ea quæ in vita ac moribus sunt fugienda; quẽadmodum docet Augustinus lib. 6 contra Faustũ Manichæum cap. 7, & alibi. Hanc verò quam dixi Iudæorum persuasionem fuisse, manifestè probat locus ad Tit. cap. 1, vbi eos qui de circũcisione erant vult redargui, quod in creaturis Dei aliquid immundum dicerent, eamque doctrinam refert ad mandata hominũ: vtique loquens de eo quod immundum est per se, sicut & loquitur 1 Tim. 4, *Abstinentes à cibis quos Deus creauit* &c. Hinc igitur apparet ratio, cur multi qui ex Iudæis in Christũm crediderant, adeò tenaciter inhæserint obseruatijs ciborum. Eas enim non tam ad legẽ cærimonialẽ, quam ad moralẽ ac naturalẽ referebant: æquè vt ipsum decalogum. Cui rei insuper argumento est, quod Iudæi gentiles reputabant immũdos ex vsu ciborũ lege Mosaica vetitorum: non tamen existimabant eos in legẽ peccare, quã sciebãt illis non esse datam. Quare consequẽs est vt immũdos eos iudicauerint ex ipsorũ quibus vtebantur ciborum natura, tanquã per se immũdi essent. Denique postulat hunc intellectũ antithesis, quã facit apostolus inter id quod est cõmune per se, & quod commune est vtentium opinione. Hãc enim antithesim complet hoc quod sequitur.

Nihil immundum per seipsũ, & ex natura sua.

Iudæorũ error circa cibos lege prohibitos.

Immundum cur Iudæis cõmune dicatur.

Cur Iudæi gentiles immũdos reputauerint.

NISI EI QVI EXISTIMAT QVID COMMVNE ESSE, ILLI COMMVNE EST. Verbum *est* non exprimitur in Græco, sed intelligitur.

Nihil,

Nihil, inquit, eſt immundum per ſe, ſed tantum illi immundum eſt aliquid, qui exiſtimat id immundum eſſe: non quod hominis exiſtimatio propriè rem faciat ipſi immundam; ſed quia taliter exiſtimantis conſcientia eum obligat ad abſtinendum, perinde ac ſi res per ſe immunda atque illicita eſſet. Quam rem doctè declarat S. Thomas in commentario. Simile illud Tit. 1, *Omnia munda mundis; Coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum*; quia nimirum eorum errans conſcientia non ſinebat quicquam eorum de quibus ibi loquitur apoſtolus, ipſis eſſe mundum. Porrò *niſi* pro ſed tantum, Hebraiſmus eſt, iſque frequens in ſcripturis. Exceptiuè ſumi nō poteſt hoc loco, quia ſententia præcedens, *nihil commune per ſeipſum*, vniuersè & abſolutè vera eſt, exceptionem non admittens.

Errantis conſciētia obligat eū ad non agendum quod iudicat malum.

Quomodo infidelibus nihil mūdum.

15 Si enim propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Græci codices paucis exceptis legunt εἰ δὲ, *Si verò propter cibum*, &c. annuente etiam Syriaca verſione. Non enim hic redditur ratio ſuperioris ſententiæ; ſed tacita remouetur obiectio, qua dicere quis poſſet, Si nihil eſt immundum per ſe; cur igitur, lege per Chriſtum nunc abrogata, non permittor ſemper vti quolibet cibo? Reſpondet apoſtolus ex lege charitatis; quæ dictat etiam à licitis abſtinendum, ne proximus infirmior contriſtetur aut ſcandalizetur. Si, inquit, vides fratrem tuum, id eſt proximum tuum Chriſtianum, propter cibū quo veſceris, conturbatum iri; & vel peccaturum temerario aduerſum te iudicio, vel tuo exemplo prouocandum ad edendum contra cōſcientiam; nec tamen abſtines: iam non conuerſaris cum fratre ſecundum charitatem, id eſt ſecundum charitatis regulam & dictamen; quia ſalutem eius negligis, imò ipſum perdis. Nam ſequitur.

Abſtinēdū etiam à licitis propter fratrem infirmum

Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Exaggeratio eſt peccati eius qui comedit cum ſcandalo fratris; addito argumento efficaciſſimo ab exemplo Chriſti. *Perdere* intelligunt quidam propter apoſtaſiæ periculum. Verùm apoſtolus toto hoc capite non vrget niſi illa duo, quæ modò dixi, iudicium & exemplum. Sēſus eſt: Non habeas fratrem tuum tam vilem, vt eum edulio tuo perdas, quem tanti fecit Chriſtus, vt pro eo mortem oppetere non dubitarit. Perdas, inquam, daturus occaſionem vel temerè iudicandi te, vel infeliciter imitandi. Sic & 1 Cor 8. *Et peribit in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt*. Ex vtroque loco probant, Chriſtum etiam pro reprobis mortuum eſſe, videlicet quoad ſufficientiam precij, quod Patri moriens obtulit. Alij locum vtrumque exponunt de fratre electo, quem quantum in ſe eſt, perdit qui ei peccandi occaſionem ingerit. Mihi verisimilius eſt apoſtolum abſolutè quidem loqui de perditione fratris; pro quo tamen mortuus ſit Chriſtus, non ob ſolam generalitatem precij ſufficientis, ſed quod fructum mortis ac redemptionis Chriſti verè perceperit, vtpote baptizatus ac iuſtificatus; licet hunc fructum perimat qui eum ſcandalizat.

Perdit fratrē qui eum ſcādalizat.

Quomodo Chriſtus mortuus pro eo qui perit.

16 Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Græcè *veſtrum bonum*, quod in nonnullis etiam Latinis legitur: Quanquam ad ſenſum non refert, noſtrum an veſtrum legas. Hoc bonum non vno modo exponunt interpretes. Chryſoſtomus intelligit fidem, aut futuram præmiorum ſpem, aut perfectā pietatem. De quibus malè loquitur frater qui ſcandalizatur. Non diſſimiliter Origenes, qui religionem Chriſtianam ſignificari vult; à qua alienatur infirmus, nec à maledictis abſtinēs, dum per eam prouocari ſe videt ad cibos promiſcuos. Hoc tamē alij ad infideles referunt; ac ſi ſenſus ſit: Ne committite vt malè audiat euangelium ſeu religio Chriſtiana apud eos qui foris ſunt, propter acerbas contentiones quas habetis inter vos de cibis edendis aut non edendis. Sed quia neque hoc loco neque in ſuperioribus vlla infidelium mentio eſt, vt ad eos commodè referri poſſit hæc blaſphemia boni noſtri: magis placet, quæ complurium ſententia eſt, vt referatur ad fratrem infirmum: quod volunt priores expoſitiones; ita tamen vt cum Heruæo & Aquinate & alijs recentioribus ſentiam per bonum noſtrū rectius intelligi beneficium libertatis per Chriſtum nobis conceſſæ, qua à ſeruitute legalium obſeruationum exempti ſumus. (nam in perſona Iudæorum fidelium loquitur.) vt ſenſus ſit: Hæc libertas noſtra veſcendi quibuſlibet cibis, non ſit obnoxia maledictis infirmorum fratrum, ſugillantium eam tanquā licentiam carnis, &, vt Thomas loquitur, indulgentiam gulæ. Senſum hunc bene probat Toletus ex altero loco ſimili 1 Cor. 10, *Vt quid libertas mea iudicatur ab aliena conſcientia? Si ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo quod gratias ago?* Vbi de fratre infirmo iudicante eum qui veſcebatur idolothyto, ſermonem eſſe, contextus ipſe docet.

Per bonū noſtrum quid intelligatur.

Libertas quibuſlibet veſcēdi per Chriſtum conceſſa.

17 Non est enim regnum Dei esca et potus. Occupatio eſt. Nam quia dicere poterant fratres firmiores ſe vti debere ſua libertate, propterea quod participes facti eſſent regni Dei & Chriſti, quo ſublata ſit ſeruitus legis: docet apoſtolus in quibus rebus principaliter regnum Dei conſiſtat; ac non ſolū refellit huiuſmodi obiectionem ex parte regni Dei ſumptam, verùm etiam in ipſos obijcientes eam retorquet, vti mox patebit. Regnum Dei non ſolū hic intelligitur quo Deus regnat aut regnaturus eſt in beatis patriæ cæleſtis: ſed generaliter, illud quo regnare dicitur Deus in hominibus, tanquam in populo ſibi beneplacito. Quod fit per ea bona nobis collata, quæ ſtatim recenſebit. Fit autem imperfectè quidem in hoc ſæculo; perfectè verò in futuro. Quod Dei regnum etiam in oratione Dominica ſignificatū eſt, qua dicimus:

Regnum Dei quod hic dicatur.

Regnum Dei non est cibus & potus.

Adueniat regnum tuum. Hoc igitur Dei regnum non est cibus & potus, id est non consistit in cibo & potu, neque in libertate his indifferenter ac promiscuè vescendi; licet huiusmodi libertatem secundariò annexam habeat: qua tamen vtendum sit salua lege charitatis; quæ ad substantiam regni Dei pertinet. Eandem sententiam alijs verbis expressit apostolus 1 Cor. 8, dicens: *Esca nos non commendat Deo. Neque enim si manducauerimus, abundabimus: neque si non manducauerimus, deficiemus.* Porrò nō caret allusionis gratia Græcus sermo βρῶσις ἢ πόσις: cum alioqui vocabulo βρώματος vtatur tā suprà quā infrà. Quod verò interpres nunc escam nunc cibum vertit, in Græco nihil est diuersum.

In quibus regnum Dei principaliter consistat.

SED IVSTICIA ET PAX ET GAVDIVM IN SPIRITV SANCTO. Sed, inquit, regnum Dei, quo scilicet Deus in nobis regnat, principaliter consistit in iusticia qua lex Dei obseruatur: & in pace, id est pacifica & tranquilla cōuersatione cum proximis; & in gaudio non carnali sed spirituali, quod ex iusticia & pace nascitur. Hoc est enim gaudium in Spiritu sancto. Sub his tribus cæteras Christianas virtutes intelligit; quas plenius enumerat, & fructum spiritus vocat Gal. 5, vbi charitatem in capite posuit, ac deinde gaudium & pacem ac cætera attexuit. Iam si regnum Dei in iusticia & pace & gaudio spirituali consistit; non debet quisquam Christianus vti sua libertate vescendi quibuslibet, cum scandalo & contristatione fratris infirmi, cumque Dei iniuria cuius seruus contemnitur & opus destruitur: sed magis abstinere, charitate suadente, quæ principatum obtinet in regno Dei. Hanc Pauli sententiam qua regnum Dei negat esse escam & potum, torquet hæreticus aduersus abstinentiam ciborum ab ecclesia præscriptam: quasi senserit apostolus, vesci aut non vesci quolibet cibo, rem esse prorsus adiaphoram, ac nihil conferre ad iusticiam & salutem. Cui primum respondeo, sententiam apostoli non dirigi ad abstinentem, sed solum ad edentem. Vnde nec dixit regnum Dei non esse abstinentiam cibi & potus, sed cibum & potum: quemadmodum & ad Cor. scribens ac simile versans argumentum dicit, *Esca nos non commendat Deo*. Quin potius vtrobique vult vt abstineatur à cibis ob salutem fratris; hîc, ab immundis legaliter: illîc, ab immolaticijs. Deinde plenior responsio est, certorum ciborum abstinentiam, etsi per se non conducat ad veram pietatem; conducere tamen vt præcipitur ab ecclesia, & vt assumi debet à filijs ecclesiæ quibus præcipitur. Et quidem in huiusmodi abstinentia, si bene consideremus, inuenimus hæc tria, iusticiam, pacem & gaudium Spiritus sancti. Iusticiam, quia per eiusmodi abstinentiam Deo pro peccatis in eum commissis satisfacimus; quod est opus iusticiæ. Pacem, quia per eam subiugamus carnem spiritui; quod pertinet ad veram pacem interiorem: quæ in hoc sita est, vt spiritus Deo, spiritui autem pars animæ inferior subiecta sit. Gaudium Spiritus-sancti, quia per abstinentiam cibi & potus mens redditur alacrior ad contemplandum diuina. Quæ contemplatio verum & solidum & summum præstat gaudium rationali creaturæ.

Paulo nō aduersatur abstinentia ciborum ab ecclesia præscripta

Quatenus abstinentia ciborum cōducat ad pietatem. Iusticia, pax & gaudium in abstinentia ciborum Christiana.

18 QVI ENIM IN HOC SERVIT CHRISTO; PLACET DEO, ET PROBATVS EST HOMINIBVS. *In hoc*, Græcè *in his*, vt ad tria superiora referatur, iusticiam, pacem & gaudium Spiritus-sancti. Nec desunt tamen codices qui legant ἐν τούτῳ *in hoc*. quemadmodum & Origenem legisse constat, qui interpretatur *in hoc, id est in Spiritu sancto*. Nam hoc proximè præcesserat. *Placet*, Græcè εὐάρεστος *beneplacitus, acceptus*; nec additur, sed intelligitur verbum *est*. Sensus: Qui non contendit de cibis, sed in eo quod dixi, id est in virtutibus quas recensui, studet Christo seruire; acceptus est Deo & hominibus. Deo, quia per illas virtutes promouet in se regnum Dei; hominibus, quia pacem conseruat.

Quis acceptus Deo & hominibus.

19 ITAQVE QVÆ PACIS SVNT SECTEMVR, ET QVÆ ÆDIFICATIONIS SVNT IN INVICEM, CVSTODIAMVS. Verbum *custodiamus* Græca non addunt, vt nec Syriaca. Sed nec Augustinus agnoscit, qui totum hunc locum citat lib. de moribus Manichæorum cap. 14. Multa quoque Latina mss. non habent. Nec opus vt addatur: cum vtrique membro commune sit verbum *sectemur*. Illud *in inuicem*, (seu potius, *inuicem* absque *in* præposito; vt habebat codex Laudensis, & veteres concordantiæ) cohæret cum ædificatione, vt ex Græco liquet; ac verti poterat, *ædificationis mutuæ*. Sensus est: Itaque sectemur ea quæ pertinent ad pacem inter nos conseruandam, & quæ ad mutuam ædificationem; videlicet præbentes inuicem bona exempla, quibus ædificentur & confirmentur proximi in fide & pietate. Pacem opponit disceptationibus seu concertationibus, quas inter se habebant; ædificationem, scandalo de quo superius egerat. Nam scandalum destructio proximi est. Vnde sequitur.

Scandalum destructio proximi.

20 NOLI PROPTER ESCAM DESTRVERE OPVS DEI. *Destruere* Græcè καταλύειν, *dissoluere*, Tertulliano, *soluere*. *Opus Dei* quidam interpretantur ea bona quæ superius commemorauit, iusticiam, pacem & gaudium Spiritus sancti. Alij fidem & pietatem in fratribus infirmis inchoatam. Verùm rectiùs opus Dei intelligas ipsum fratrem inquantum frater, id est Christianus est, fide & pietate iam imbutus, rectius, inquam, & ad Pauli mentem accommodatius: tum quia simili sententia suprà dixerat: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est*; id est fratrem infirmum: tum quia ædificare & destruere siue dissoluere, ad idem

Opus Dei homo Christianus, & qua ratione.

referri

referri debent. Quare cum ædificatio respiciat ad proximum; referenda est ad eundem destructio. Proinde sensus est: Summopere tibi cauendum, ne propter cibum, rem indifferentem, dissoluas, destruas & perdas opus & ædificium Dei, id est fratrem, quem Deus fecit fidelem. Hinc discę, quemque Christianum, inquantum bonus est & bene viuit, opus & creaturam esse Dei, iuxta illud Ephes. 2, *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis*. Qui locus seruit ad præsentis loci intelligentiam. Idem enim est opus Dei & factura Dei. Minus conuenit per opus Dei intelligi templum spirituale, quæ Chrysostomi est expositio: nisi templum cogites, non quatenus habitaculum est Dei, sed quatenus ædificatum est à Deo.

Omnia munda.

OMNIA QVIDEM SVNT MVNDA. Et hoc idem est cum eo quod suprà dixit, *Nihil esse commune per seipsum*. Est autem occupatio seu concessio: quod autem sequitur, exceptionis est.

Qui mũdo cibo malè vtitur, seipsũ reddit immundũ.

SED MALVM EST HOMINI, QVI PER OFFENDICVLVM MANDVCAT. *Malum*, id est peccatum est homini, id quod per se mundum est, edere *per offendiculum*, id est cum offendiculo & destructione proximi. Qui enim sic manducat, is re bona malè vtitur, & malè vtendo seipsum reddit immundum. Similiter autem, quamuis omnia munda sint; malum est homini qui per inobedientiam manducat. Quod faciunt qui comedunt contra prohibitionem ecclesiæ. Posset malum referri etiam ad cibos; hoc modo: Omnia quidem munda sunt, sed quod per se mundum est, malum est homini per offendiculum manducanti. quemadmodum suprà dixit: *Nihil commune per se: sed commune est ei qui existimat quid commune esse*. Verùm vt malum potius interpretemur peccatum, antithesis vrget inter malum & bonum. Nam de bono oppositio sequitur.

Abstinẽtia à licitis metu scandali, necessitatis est, non consilij.

21 BONVM EST NON MANDVCARE CARNEM ET NON BIBERE VINVM; NEQVE IN QVO FRATER TVVS OFFENDITVR, AVT SCANDALIZATVR, AVT INFIRMATVR. *Carnem*, Græcè *carnes*. Docet ad vitandum scandalum & offensionem fratris, non solum ab ijs quæ lege prohibita fuerant, abstinendum esse, verùm etiam à non prohibitis: vt omnino à carnibus & vino. Id quod 1 Cor. 8 huiusmodi sententia expressit: *Si esca scandalizat fratrem meum; non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*. Neque solum sentit gratum fore Deo si quis id faciat; sed necessarium, si quo casu fratris infirmi salus hoc postularet, provt alibi dicit, *quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos*, Act. 20. De qua re vide doctè disputantem Thomam 2 2 quæst. 43 art. 6, 7, 8. Pro verbo *offenditur*, meliores codices, inter quos Laudensis, habent *offendit*: quod & in textu legitur commentatoris Amb. Græcum quoque verbum προσκόπτει significat *impingit*: quod Latinius dicitur *offendit*, quã *offenditur*. Sic enim Latinè loquimur, offendit in lapidẽ, in murum. Illud *neque in quo frater tuus* &c. duobus modis suppleri potest. Neque quicquam aliud edere aut bibere. Vel, (quod magis placet) neque quicquam aliud facere. *In quo frater tuus offendit*, id est per quod frater tuus scandalizatur. Posterius enim expositio prioris est. Quomodo autem scandalizetur, patet ex ante dictis. Cæterùm infirmari dicitur in facto nostro frater iam infirmus, dum infirmitas fidei eius latens in animo, occasione facti nostri foris ostenditur, vel etiam augetur; adeò vt periculum sit ne fidem prorsus amittat, atque ex infirmo fide, mortuus fiat.

Quomodo frater infirmus ex facto nostro infirmari dicatur.

22 TV FIDEM HABES? Rursus occupatio: quã alij interrogatiuè legunt, alij sine interrogatione. Vtrique tamen in eundem sensum. Dices mihi, inquit, te fidem habere qua credas, ac certò persuasum habeas omnia esse munda; ac legem cessare per Christum; proindeque licitum tibi esse vesci quibuslibet: atque eam fidem te velle profiteri libero ciborum vsu. Sequitur responsio.

Fidem celare, vbi confessio eius exigitur, non licet.

PENES TEMETIPSVM HABE CORAM DEO. Id est: Sufficiat tibi quod fidem rectam de cibis habeas apud teipsum in animo, & coram Deo qui videt in occulto; vt non eam prodas cum offendiculo fratris. Non enim sentit apostolus licitum esse cuique fidem corde premere, ore autem & factis contrarium ostendere; vel etiam dissimulare ac tacere, vbi confessio fidei exigitur: sed vult vt non imprudẽter, intempestiuè ac temerè fidem nostram aut verbo profiteamur aut facto prodamus; vt apud eos quibus illa fidei manifestatio, siue propter eorum infirmitatem, siue etiam propter maliciam, offensioni sit futura, sine compensatione boni cuiuspiam melioris. Sicut enim in alijs plerisque rebus veritas non semper propalanda est, sed interdum prudenter reticenda; nunquam autem neganda: sic & in mysterijs fidei. Hinc & illi meritò reprehenduntur qui ad fidem profitendam vltro sese persecutoribus ingerunt. Quod ne fiat, plebem suam admonet Cyprianus in ea epistola quam postremam scripsit martyrio vicinus: *Apprehensus*, inquit, *& traditus loqui debet: siquidem in nobis Dominus positis in illa hora loquatur; qui nos confiteri magis voluit quam profiteri*. Profitetur enim qui vltro & palã enunciat: confitetur qui loquitur interrogatus. Discrimen etiam Ciceroni agnitum in oratione pro Cecinna. Porrò mentem Pauli minus assecuti sunt qui particulam *penes temetipsum*, seiunctam à verbo sequenti *habe*, coniungunt præcedenti *habes*.

Fides non temerè prodẽda.

Confiteri magisquã profiteri nos voluit Christus.

BEATVS QVI NON IVDICAT SEMETIPSVM IN EO QVOD PROBAT. Transit ad instructionem fratris infirmi, qui exemplo, fortè etiam gula prouocatus edebat suillam aut quid

Quomodo beatus qui seipsũ non iudicat: & in quibus verum.

aliud lege prohibitum contra conscientiam: sicque edendo peccabat. Beatus est, inquit, id est bene cum illo agitur, quia non peccat, qui seipsum non iudicat, id est, quem propria conscientia non condemnat in eo quod agẽdum eligit. Nam verbo probandi hic significari videtur electio, seu maiis vltimum iudicium practicum, quale circa suam actionem habet etiam ille qui contra conscientiã agit. Ita sequenti capite: *Probauerunt Macedonia & Achaia collationem aliquam facere:* id est iam statuerunt, concluserunt id agendum. Sentẽtia Pauli, quemadmodum bene admonet S. Thomas, veritatem habet in rebus simpliciter licitis, quale est tempore gratiæ suillã aut leporinam edere: non in rebus diuina aut humana lege vetitis. In his enim non excusatur à peccato, si quis seipsum non iudicet. Aut certè formaliter accipiendum, quod beatus dicitur qui semetipsum non iudicat; id est, inquantum seipsum non iudicat. Scio hanc partem multos interpretari velut directam ad fratrem firmiorem, cui dixerat, *Tu fidem habes* &c. quorum expositiones (valde enim variant) apud Toletum videre est. Mihi certè coactiores videntur. Atqui nostra expositio, quam eandem tradunt Aquinas, Rickelius & Sasboldus, plana est, & ad instruendum infirmum (qui Pauli scopus est) accommodatissima. Et huic intellectui bene tanquam alterum sententiæ membrum, respondet quod sequitur.

23 QVI AVTEM DISCERNIT, SI MANDVCAVERIT, DAMNATVS EST. *Qui discernit*, Græcè, ὁ διακρινόμενος. Erasmus & Hentenius, *qui diiudicat*. vt sensus apostoli sit: Qui adhuc diiudicat inter cibos, vt vel lege vel natura alios reputet mundos, alios immundos; si cibum suo iudicio immundum ederit, peccat, & pœnæ obnoxius fit. Ita ferè Latini interpretes. Alij vertunt, *qui hæsitat, ambigit, secum disceptat*. Quæ versio nobis probatur. Nam verbum medium διακρίνεσθαι passim in scripturis apostolicis, hæsitare ac disceptare significat: vt Matth. 21 & Mar. 11, *Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis*. Act. 10 & 11, *Nihil dubitans, hæsitãs*. Iac. 1, *Postulet in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat* &c. Et huius epistolæ cap. 4, *Non hæsitauit diffidentia*. Quo accedit & illud apostoli Iudæ: *Cum Michael archangelus cum diabolo disputans*, siue *disceptans altercaretur*. Nunquam verò sumitur pro discernere aut diiudicare: sed vbi hæc significatio occurrit, in Græco verbum actiuum est διακρίνειν, vt Matth. 16, *Faciem cæli diiudicare nostis*. Act 15, *Nihil discreuit inter nos & illos*. 1 Cor. 4, *Quis te discernit?* & cap. 11, *Non diiudicans corpus Domini*. & iterum, *Quod si nosmetipsos diiudicaremus* &c. & cap. 14, *Cæteri diiudicent*. Est igitur sensus secundum Græcos interpretes: Eum qui adhuc ita infirmus est, vt non statuat sibi licitum esse cibum propositum, sed hæsiret vtrum edere sibi liceat an non; si comedat, damnatum esse. Fauet item Syriaca versio: *qui diuisus est*, id est dubius, anceps. Ostendit autem hic locus, id quod tradunt Theologi; eum qui facit de quo dubitat an sit peccatum, peccare. Quod nec Tullius ignorauit, qui libro 1 Officiorum dicit nihil agendum, quod dubites æquum sit an iniquum. Porrò nomen damnationis in scripturis generale est, ac sæpè extenditur ad pœnam temporalem, interdum etiam ad pœnam venialis peccati, vt Matth. 12, *Ex verbis tuis condemnaberis*, vbi de verbis ociosis sermo erat. Vnde ex hoc loco non sequitur omnem eum peccare mortaliter, & obnoxium fieri gehennæ, qui manducat, aut quid aliud agit cõtra conscientiam. Si enim conscientiã habet peccati mortalis, peccat mortaliter; si venialis, venialiter. Hic generalis intellectus patet etiam ex probatione statim sequente, *omne quod non est ex fide peccatum est*. Itaque damnationem intelligit, quæ peccato respondet in genere: tametsi magis respicere videtur ad mortale Nam suprà dixit: *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est*. & 1 Cor. 8, *Peribit in tua scientia frater propter quem Christus mortuus est*. Sequitur ratio sententiæ.

Dubia cõscientia quid facere, peccatum est

Damnationis nomen in scripturis generale.

Contra conscientiã agens quomodo peccet.

Discernere quis dicatur.

Melior interpretatio.

QVIA NON EX FIDE. Subaudi *manducat*. Et sensus est: quia non edit cum ea animi persuasione qua credat sibi licitum hoc esse. Nondum enim eo profecerat, vt vel legem ad se iam nihil pertinere crederet, vel omnes cibos pro mundis haberet: ex quo illa animi fluctuatio procedebat de edendo aut non edendo cibos per legem immundos. Ita fidem hic accipi facilè colligitur ex superioribus: vt ex eo quod paulo antè dixit, *Tu fidem habes*. & quod multo superius: *Alius enim credit se manducare omnia*. Quibus locis planum est fidei nomine significari persuasionem & assensum animi determinatum in alteram partem: siue assensus ille sit certitudinis diuinæ, siue tantum humanæ, siue vtriusque simul. Vnde & hanc fidem suprà miscuit cum scientia, cum ait, *Scio & confido quia nihil commune* &c.

Fides hoc loco quid significet.

OMNE AVTEM QVOD NON EST EX FIDE, PECCATVM EST. Hanc sententiam quidam generaliter interpretati sũt de fide qua Christiani sumus, & à qua fideles vocamur: tanquam sensus sit, omne illud opus esse peccatum quod non procedit ab eiusmodi fide. Ex quo deinde tanquam consequens esse volũt, omnia infidelium opera esse peccata. Sic Origenes in commentario, disertè ex his apostoli verbis omnia infidelium opera peccati condemnans: licet ambigat nonnihil, an idem de hæreticorum operibus dicendum sit. Pro eadem expositione & doctrina allegatur Augustinus lib. 4 contra Iulianum cap. 3, vbi ex professo de operibus infidelium agens, ex hoc apostoli loco concludit omnia, inquantum ex fide non sunt, esse peccata. Ad eundem sensum aliàs quoque locum hunc adducit, vt lib. de gratia Christi cap. 26. lib. 1 de adulterinis coniugijs cap. 18. epistola 105 ad Sixtũ,

Vtrum omnia infidelium opera sint peccata.

143 ad Iulianam. Sic & Prosper lib. 3 de vita contemplatiua cap. 1. contra collatorem capit. 22 & 28, & in epistola ad Ruffinum; itemque Fulgentius lib. 2 de remissione peccatorum cap. 1. Nos, quod ad opera infidelium attinet, vtrùm omnia peccata sint, nec ne; & quo sensu possit intelligi id dictum à patribus Augustino, Prospero & Fulgentio, discutiendum remittimus ad distinct. 41 lib. 2 sententiarum; & ad commentarium B. Pererij in hunc locum, vbi per quinque disputationes eam controuersiam tractat & absoluit. Certè præsenti loco sensus illorum quos dixi, congruere non videtur. Neque enim agit apostolus aduersus infideles qui fide Christiana carebant, sed de infirmis in fide loquitur; id est de ijs qui nondum in fide satis instructi erant, vt crederent discrimina ciborum lege Mosaica præscripta, non iam esse obseruatu necessaria, nihilque in cibis per se esse immundum. Itaque fides hic accipitur, quomodo proximè & in superioribus ostendimus eam accipi; videlicet secundum materiam subiectam, vt sit persuasio qua quis credit aut existimat aliquid sibi licitum. Hanc fidem de cibis legaliter immundis habebant firmi, nō infirmi. Nam soli firmo dicitur, *Tu fidem habes*; quemadmodum & de fidelibus loquens idem apostolus ait 1 Cor. 8, *Non in omnibus est scientia.* Sensus igitur est: Omne quod quis agit non persuasus id sibi licere, sed vel illicitum putans, vel dubitans vtrum liceat; peccatum est. Ita fidem acceperunt in hac sententia Chrysostomus ac cæteri post eum omnes Græci interpretes. Inter Latinos verò commentator Amb. & Hugo Victorinus; &, vt de alijs taceam, etiam patres concilij Lateranensis sub Innocentio 3 can. 41, qui sic habet: *Quoniam omne quod non est ex fide peccatū est; synodali iudicio definimus, vt nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica quam ciuilis* &c. Rectè autem eiusmodi persuasio Græco nomine πίστις, id est fides vocatur. Nam πίστις dicitur ἀπὸ τοῦ πείθεσθαι persuasum esse. Et hanc fidem nihil prohibet esse in hominibus à fide Christi alienis. Vnde liquet ex hac sententia ritè intellecta, non esse consequens, omne quod agit infidelis, esse peccatum. Est autem apostoli probatio syllogistica, continens argumentum à genere ad speciem: Quicumque agit non ex fide, peccat & damnatus est; Qui manducat discernens seu dubitans, agit non ex fide: peccat igitur & damnatus est. Nonnulli volentes fidem Christianis propriā intelligi, interpretantur, *non ex fide*, id est contra fidem: & probationem instituunt hoc pacto; Quicquid fit contra fidem seu fidei regulam, peccatum est: atqui sumptio cibi quē putes immundum, fit contra fidei regulam dictantem nihil agendum esse contra conscientiam; igitur ea peccatum est. Verum contorta est hæc probatio. Deinde nec agebatur in præcedentibus de fide qua creditur nihil agendum contra conscientiam; sed de ea qua creditur in cibis nihil esse immundum, & per hoc illicitum. Rursus alij, fidem Christianam subiectæ materiæ applicantes, hoc modo Paulum exponunt: Qui discernit, & tamen manducat, peccat: quia non id agit ex fide Christiana qua edocti sumus inter alia, nullum cibum esse immundū. Quicquid autem non est ex fide, id est, quicquid fit in cibo sumendo sine tali fide, peccatum est; quia semper tunc cibus sumitur contra conscientiam. Sed hæc expositio generalem apostoli sententiam nimium restringit: ac præterea verum non est, omnem cibi sumptionem quæ fit absque tali fide propriè dicta seu Christiana, peccarum esse. Sufficit enim moralis æstimatio liciti tam fidelibus quam infidelibus, vt in cibo sumendo, sicut & in alijs actionibus, contra conscientiam non peccent. Nec aliam persuasionem apostolus hoc capite in eo qui infirmus est, vt ad non peccandum (si manducet) necessariam exigit. Alias expositiones huius apostolicæ sententiæ à diuersis allatas, prætereo: quas nosse qui volet, legat vltimam Pererij in hūc locum disputationem; vbi septem enumerat: quarum postremam, quæ eadem est cum nostra, solam vt germanam verborum apostoli interpretationem, suo calculo probat. Hæc satis de extrema pericope huius capitis. Post quam in Græco apud Chrysostomum, cæterosque Græcos posteriores, sequuntur & ab ijsdem exponuntur hæc verba; *Ei autem qui potens est vos confirmare iuxta euangeliū meum*, & cætera: quæ in nostra vulgata editione, & apud omnes Latinos interpretes, imò & apud Origenem, atque in Græcis codicibus qui apud nos in manibus versantur, nec non in textu Syriaco, habentur adiecta pro coronide ad finem epistolæ, provt ibi videbimus. Idque rectius sanè & opportunius, vt arbitror, quàm vt hîc collocentur. Nam initium sequentis capitis quædam continuatio est argumenti superioris de susciendis infirmis. Vnde verisimile non est apostolum hic in medio sermone verba illa doxologiæ interposuisse; quæ magis totam aliquam disputationem vel exhortationem claudere soleant. Quare & Erasmus censet ea verba huc non pertinere. Scio R. Stephanū affirmare quòd ea repererit hoc loco in omnibus antigraphis Græcis, videlicet suis. Sed illa ab alijs aliarum regionum exemplaribus hac in parte dissidere non est dubium. Certè etiam regia nostra, quæ sunt è Complutensibus expressa, nobiscum faciunt. Denique nec ipse Robertus probat vt illis verbis hic locus detur. Quænam verò ea transponendi fuerit occasio, dicemus suo loco.

Quo sensu id dictum à patribus

Persuasio qua quis æstimat aliquid sibi licitū, fides vocatur.

Quicquid agitur improbāte vel dubitante cōscientia, peccatum est.

Syllogismus Pauli.

Alia expositio reijcitur

Quæ æstimatio liciti sufficiat, vt nō peccet quis contra cōscientiam.

Verba aliūde huc asscripta à Græcis.

Græcorū codicum varietas.

SVMMARIVM.

MOnet vt firmi ferant infirmos. Hortatur ad concordiam. Christum ostendit Iudæis promissum & redditum: gentibus ex misericor-

dia

dia annunciatum. Fructum exponit euangelij sui in gentibus. Venturum ad ipsos se pollicetur; simul atque collectam pauperibus sanctorum destinatam pertulerit Hierosolymam.

CAPVT XV.

1. DEBEMVS AVTEM NOS FIRMIORES IMBECILLITATES INFIRMORVM SVSTINERE. Post institutionem infirmorum redit apostolus ad monendos sui officij firmiores, docēs breuiter quem affectum gerere erga infirmos, & quomodo cum eis conuersari debeant. Est autem doctrina generalis: ad quam à speciali transitum facit, exhortans omnes tam Iudæos quàm gentiles ad mutuam supportationem, pacem & concordiam: vt patebit ex sequentibus. Idque sensit ille qui hic initium fecit noui capitis. Græca sic habent. *Debemus autem nos potentes infirmitates impotentium portare*. Potentes seu validos vocat firmiores in fide: impotentes autem siue inualidos, quos superiori capite dixit infirmos in fide. Horum supportatur infirmitas à firmis, quando ab ijs infirmi tolerantur, nec eis imprudenter contradicitur: quando vitatur eorum scandalum; denique quum vbi opportunū est, instruuntur, vt & ipsi confirmentur in fide cæterisque virtutibus. Annotat Caietanus apostolū non dixisse; benefacimus imbecillitates infirmorum sustinendo: sed, *debemus* id facere: videlicet ad significandum, hoc quod dicit, omnino pertinere ad debitum fraternæ charitatis.

Quibus modis ferēda fratrū infirmitas.

ET NON NOBIS PLACERE. *Nobis* Græcè ἑαυτοῖς, *nobis ipsis*. Non debemus, inquit, placere nobis ipsis in fide & scientia nostra, aut in alio quocumque bono, quod præ alijs habere videmur: ita nimirum vt consideratione nostri boni proximum illo bono carentem despiciamus, & salutis eius curam negligamus, vt solent homines sibi placentes. Est enim metalepsis, qua ex priori posterius intelligendum datur. Quædam versio sic habet: *& non nobis ipsis indulgere*. Quod sensu penè idem est.

Placere sibi ipsis qui dicātur.

2. VNVSQVISQVE VESTRVM PROXIMO SVO PLACEAT IN BONVM, AD ÆDIFICATIONEM. Variant Græci codices. Nam alij legunt ἕκαστος γὰρ, *Vnusquisque enim*: alij ἕκαστος δὲ, *Vnusquisque autem*. Plurimi verò Latinis consentientes, neutram addunt coniunctionem. Rursus alij legunt ἡμῶν *nostrum*. alij, sed pauciores ὑμῶν *vestrum*. Nam & Latina quædam exemplaria mss. *nostrum* exhibent, quibus & Syriacus textus & Augustinus hunc locum recitans in lib. de moribus Manichæorum capit. 14 consentiunt: eaque lectio respondet parti præcedēti, in qua prima persona expressa fuerat. Sensus autem est: Vnusquisque studeat placere proximo; id est, obsecundet ac morem gerat proximo, proximi commoda procuret. Quod ne carnaliter & malè intelligatur, quasi moneat apostolus obsequendum esse cupiditatibus proximorum: addit *in bonum, ad ædificationem*, id est, ad promouēdum verum eius bonum, quod est fides, iusticia, salus æterna. Quod dum fit; proximus ipse ædificari dicitur.

Quomodo placendū proximo.

3. ETENIM CHRISTVS NON SIBI PLACVIT. *Sibi*, Græcè ἑαυτῷ *sibi ipsi*. Exemplo Christi Domini hortatur ad id quod dixit; ne nobis ipsis placeamus. At dices, quomodo non sibi ipsi placuit Christus, in quo nihil erat quod posset displicere, & in quo per omnia beneplacitum erat Patri? Sed, vt modò diximus, apostolo dicuntur sibi placere, qui acquiescunt in bono suo, non soliciti vt & alijs bene sit: quemadmodum faciebant quos reprehendit capite superiori, qui in sua, quam de ciborum indifferentia & legalium cessatione habebant, scientia ac fide, ita conquiescebant, sicque ea vtebantur, vt aliorum scandala non vitarent, nec omninò infirmitates eorum sustinerent. Hoc modo Christus non sibi placuit. Non enim sibi ipsi indulsit; non ita bono suo contentus fuit, quamuis ipse esset optimus & beatissimus; vt non etiam curaret aliorum salutem. *Nam propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis*; passus, crucifixus & mortuus est. Hoc est quod in euangelio dicit: *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*, Et iterum: *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*. Ioan. 5 & 6.

Christus quo sensu non sibi placuit.

SED SICVT SCRIPTVM EST. Sermo imperfectus; quem ita suppleas ex eo quod præcessit: Sed nobis placuit in bonū. vel ex initio capitis; Infirmitates nostras sustinuit. Sic enim scriptum est Isaiæ 53, *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*. Atque hoc apertissimum testimonium adferre potuit apostolus: Verum ad docendum aliquid quod latebat, voluit Spiritus-sanctus adduci scripturam minus apertam, quæ habetur in Psalm. 68.

IMPROPERIA IMPROPERANTIVM TIBI CECIDERVNT SVPER ME. Græcè *inciderunt in me*. Verba sunt Christi ad Patrem; quorum sensus est secundum aliquos; Opprobria seu conuicia eorum qui tibi exprobrauerunt aut conuiciati sunt, dictis aut factis glorię tuæ derogantes, ita accepi, vt si in me iactata fuissent: per quod ostendi me totum seruire tuæ gloriæ. Secundum alios; Sic ob ea indolui, vt pro illis tanquam meis ipsius peccatis, ad placandam iram tuam in eos qui hæc admittebant, me humiliauerim vsque ad mortem crucis: exsoluens quæ non rapui: (sicut in eodē psalmo dicitur) qua in re declaraui quanta mihi cura fuerit salutis eorum. Posterior hæc explicatio videtur esse ex mēte apostoli: quia propius facit ad institutum eius declarandum. Sunt & aliæ expositiones, quas huc adferunt Liranus & Burgensis; sed parum commodæ: secundum quas dicendum potius erat; Im-

Improperia Dei quo sensu tulerit Christus.

properia

properia improperantium mihi ceciderunt ſuper te. Quas proinde prætermitto, petendas à ſuis authoribus, ſi quis requirat.

4 QVÆCVNQVE ENIM SCRIPTA SVNT AD NOSTRAM DOCTRINAM SCRIPTA SVNT. Oſtendit ſe verſiculum pſalmi, etſi in perſona Chriſti pronunciatum, non malè ad inſtructionem eorum quibus ſcribit, adduxiſſe. *Scripta ſunt*, Græcè vtroque loco προεγράφη, *præſcripta ſunt*, vel, *ante ſcripta ſunt*, vt legit Auguſtinus lib. 13 contra Fauſtum cap. vlt. & epiſtola 137. Loquitur apoſtolus de ijs quæ olim ſcripta fuerant ex diuina inſpiratione, id eſt de tota ſcriptura veteris teſtamenti. Doctrinam quoque intellige qua inſtruimur ad pietatem & ſalutem æternam. Quæ doctrina diuinis ſcripturis propria eſt. Igitur hac ſententia declaratur proprius vſus ſcripturæ ſacræ: quem & alibi pluribus verbis explicat idem apoſtolus, vt 2 Tim. 4, *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum* &c. Redarguuntur autem huiuſmodi ſententijs, primùm veteres hæretici qui vetus teſtamentum rejecerunt: deinde quicumque in ſcripturis ſacris aliquid contineri putant inutile, aut ſuperuacaneum, aut omnino nihil ad pietatem conducens.

Scripturæ ſacræ vtilitas.

Errores quorũdã circa ſcripturam ſacram.

VT PER PATIENTIAM, ET CONSOLATIONEM SCRIPTVRARVM, SPEM HABEAMVS. Declarat illud, *ad noſtram doctrinam*. non omnes quidem partes vtilitatis, quæ ex ſcriptura ſacra colligi queat, recenſens; ſed finem annotans præcipuum. Pro conſolatione, commentator Amb. legit *exhortationem*. Vox enim Græca παράκλησις vtrumque ſignificat: Sed huic loco magis conuenit conſolatio, quia patientiæ adiungitur. Senſus eſt: Vt exhibentes in aduerſis patientiam ad quam ſcripturæ paſſim hortantur, & ex ijſdem conſolationem accipientes, nimirum futura & æterna bona promittentibus; ſpem habeamus eorũ bonorum, atque in ea ſpe roboremur. Hortantur autem ad patientiam, & conſolationem ſuggerunt ſcripturæ, non ſolum monitis, ſed etiam propoſitis ob oculos exemplis eorum qui Deo placuerunt, maximè Chriſti Domini. Hunc ſcripturarum vſum non ignorauit Ionathas ſummus ſacerdos, quando, vt legitur 1 Machab. 12, ſcripſit in epiſtola ad Spartiatas, ſibi & ſuis inter tot aduerſa ſanctos libros quos in manibus habebant, eſſe ſolatio. Iam illud obſerua, quomodo tria quæ hic nominat apoſtolus, patientiam, conſolationem & ſpem, mox ad Deum authorem ita referat, vt his velut epithetis in obliquo caſu aſſcriptis, Dei nomen exornet; appellans Deum patientiæ & conſolationis, & poſt aliquot verſus, Deum ſpei.

Per patiẽtiam & conſolationẽ ſcripturarũ, ſpes noſtra confirmatur.

Deus patiẽtiæ & cõſolationis & ſpei noſtræ author.

5 DEVS AVTEM PATIENTIÆ ET SOLATII DET VOBIS IDIPSVM SAPERE IN ALTERVTRVM SECVNDVM IESVM CHRISTVM. Cõprecatio eſt exhortatoria ad mutuam pacem & concordiam. *Solatij* Græcè παρακλήσεως, quod modo verterat *conſolationem*. *In alterutrum*, ἐν ἀλλήλοις, quod Latinius vertas, *inuicẽ*, *mutuo*. Senſus eſt; Deus patientiæ & ſanctæ conſolationis author, det vobis vt ſublatis diſſidijs & altercationibus, quas habetis inter vos, ſiue de iuſtificatione, ſiue de ciborum ac dierum obſeruatione, idem inter vos mutuo ſentiatis, idque *ſecundum Ieſum Chriſtum*, hoc eſt ſecundum doctrinam quam Chriſtus docuit, vel quam tradit religio Chriſtiana. Quod addidit ad excludendam conſenſionem in doctrina falſa; qualis erat, iuſtificari hominem ex operibus legis; cibos aliquos eſſe immundos.

6 VT VNANIMES VNO ORE HONORIFICETIS DEVM ET PATREM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. *Vnanimes* Græcè ὁμοθυμαδὸν, *vnanimiter*. *Honorificetis* Græcè δοξάζητε, *glorificetis*. Significat acceptiorem fore Deo laudem ipſorum, ſi ſint animis inter ſe concordes. Sic enim futurum, vt velut ab vno omnium ore laus & glorificatio Dei procedat. Hoc admonet tum propter firmos & infirmos, de quibus ſuprà: tum verò propter Iudæos & gentiles, de quibus conſequenter agit. Quos omnes vult, poſitis diſſenſionibus, vno animo & vno ore Deum glorificare. Illud, *Domini noſtri Ieſu Chriſti*, quidam ad vtrumque referunt, *Deum & Patrem*, Deum hominis, Patrem Verbi, intelligentes. Quo ſenſu Chriſtus Ioan. 20 dicit ſe aſcendere ad Patrem ſuum & ad Deum ſuum. Alijs magis placet Deum hic poni abſolutè; & ad ſolum Patrem referendos eſſe genitiuos ſubſequentes. Nam Ieſu Chriſti Deum dicere non eſt moris apoſtolici.

Deus à nobis vno animo & ore glorificandus.

7 PROPTER QVOD SVSCIPITE INVICEM. Græcè, *Ideo aſſumite vos inuicem*. Eſt enim idem in Græco verbum προσλαμβάνεσθε, quod ſemel & iterum habuimus capite ſuperiori. Senſus: Alius alium ſibi adiungat, firmus infirmum, doctus rudem, gentilis Iudæum & contrà: foueatque eum & ſupportet ac inſtruat, & vt ſemel dicam, ſalutem eius fraterna ſollicitudine curet. Repetitio eſt, & inculcatio eius quod iam ante monuerat; idque rurſus exemplo Chriſti.

Inuicem ſuſcipere quid ſit.

SICVT ET CHRISTVS SVSCEPIT VOS, IN HONOREM DEI. Græcè, *aſſumſit nos in gloriam Dei*. licet in quibuſdam legatur ὑμᾶς, *vos*: vt facilis eſt in his vocibus permutatio. Senſus: Quemadmodum & Chriſtus nos ſibi adiunxit, ſalutis noſtræ curam habuit; adeò vt ſuo ſanguine redemptos, fratres ſuos ac Dei filios effecerit. Quod ſequitur, *in honorem* ſeu *gloriam Dei*. commentator Amb. conſtruit cum priori membro, *ſuſcipite inuicem*. alij cum proximo: alij cum vtroque; vt ſenſus ſit; Sicut Chriſtus nos aſſumſit, vt per hoc Dei gloriam & honorem promoueret: ita vos quoque inuicem aſſumite, vt in vnitate & concordia veſtra Deus glorificetur. Poteſt & hic eſſe ſenſus: Aſſumite inuicem in curam ſalutis: ſicut Chriſtus nos aſſumpſit in hereditatem gloriæ cæleſtis, ad quam ipſe

Chriſtus quomodo nos ſuſceperit.

ſecundum humanam naturam à Deo aſſumptus eſt. Quibuſdam videtur hũc ſermonem ſpectare peculiariter ad Iudæos; ac ſi Paulus Iudęus illis dicat: Non debemus auerſari gentiles, nec eis inuidere participationem euangelij Chriſti; ſed vt gratiæ eius conſortes, aſſumendi à nobis ſunt: quemadmodum & Chriſtus nos Iudæos, ad quos miſſus fuit, aſſumſit in ſpem participandæ ſuæ gloriæ. Et ad hunc ſenſum aptant ea quæ ſequuntur. Mihi probabilius eſt exhortationem eſſe cõmunem vtriſque; & ita quidem vt intentio Pauli magis dirigatur ad gentiles: vt patebit ex ſequentibus.

8 DICO ENIM CHRISTVM IESVM MINISTRVM FVISSE CIRCVMCISIONIS PROPTER VERITATEM DEI. Græcè: *Dico autem Ieſum Chriſtum miniſtrum* (διάκονον) *factum fuiſſe circumciſionis ſuper veritate Dei.* quemadmodum infrà, *ſuper miſericordia*. Quanquam pro δὲ nonnulli codices habent γὰρ, *enim*. Tacitè ſignificat Iudæorum infirmitatem (vt quorum plerique legalibus adhuc nimium addicti eſſent) tolerandam eſſe & ſupportandam à gentilibus, qui ea parte erant in fide inſtructiores & firmiores, vtpote contraria opinione non præoccupati: atque omnino docere vult, quemadmodum Auguſtinus annotat, gentes humiliter gerere ſe debere in negocio euangelij; nec inſultare Iudęis, quod Chriſtum minus prompte receperint; quod & docuit ſuprà cap. 11. Id verò nunc ſuadet, oſtendendo quæ fuerit Iudaici populi prærogatiua; vt ad quem propriè ſpectarent promiſſiones patribus factæ de Chriſto; cuiuſmodi nullæ promiſſiones factæ eſſent populo gentili. Illud eſt, inquit, quod dico, Ieſum Chriſtum miniſtraſſe euangeliũ Iudæis (quos nomine circumciſionis deſignat) per ſemetipſum illis euangelium prædicando; idq; pro veritate ſeu fide Dei præſtanda, id eſt, vt Dei fidem ſeruaret. Aut quod dicit Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, ſic intellige; miniſtrum fuiſſe Dei Patris ad circumciſionem, id eſt Iudæos. Sic enim & Dei fuit apoſtolus, ad Iudæos, non ad gentes: *Non ſum*, inquit, *miſſus niſi ad oues quæ perierũt domus Iſrael.* Matth. 15. Sic & Petro aſſcribitur apoſtolatus circumciſionis, Gal. 2, quia nimirũ Chriſti fuit apoſtolus ad circumciſionem. Explicare videtur huiuſmodi phraſim ipſe Paulus infrà: vbi vocat ſe miniſtrum Ieſu Chriſti ad gentes. Porrò veritatem ſeu fidem Dei quam dixerat, exponit per hoc quod ſequitur.

Iudaici populi prærogatiua.

Chriſtus miniſter circumciſionis, quo ſenſu.

AD CONFIRMANDAS PROMISSIONES PATRVM. Id eſt, ad implendas promiſſiones à Deo patribus eorum factas; Abrahæ, Dauidi ac cæteris. Confirmatur enim promiſſio, dum exhibetur res promiſſa.

Chriſtus impleuit promiſſiones Iudæis factas à Deo.

9 GENTES AVTEM SVPER MISERICORDIA HONORARE DEVM. Græcè δοξάσαι *glorificare:* quemadmodum & legit Auguſtinus. Repetendum eſt hic verbum, *dico*, & ſupplendus infinitiuus, *debere*; vt ſenſus ſit: Gentes verò, quibus nulla facta promiſſio eſt, dico debere Deum glorificare & laudibus celebrare, pro miſericordia ſibi præſtita. Miſericordiam opponit promiſſioni, quæ parit aliquod debitũ. Nam qui promiſit, tenetur ad præſtandum. Alioqui, ſicut bene dicit Aquinas, etiam ipſa promiſſio miſericordia eſt. Igitur vtrobique miſericordia: ſed Iudæis promiſſa, gentibus non promiſſa, ſed tantum à prophetis prædicta. Non ergo minores Deo gratias (vt Heruæus exiſtimare videtur) debent Iudæi, quàm gentiles, quòd ex promiſſo fuerit illis debitũ hoc beneficium: Imò verò maiores hac parte gratias debent; quod Deus illis Chriſtum ſaluatorem gratuitò promittere dignatus eſt. Porrò prædictam à prophetis fuiſſe miſericordiam præſtandam gentibus; probat apoſtolus ſequentibus teſtimonijs: maximè propter Iudæos, quibus difficile erat perſuadere, gentes vocandas eſſe ad participationem beneficiorum Meſſiæ, ſibi, non gentibus promiſſi. Plura ad hanc rem teſtimonia qui volet, legat Proſperum lib. 2 de vocatione gentium cap. 18.

Gentibus miſericordia præ Iudæis facta, quo ſenſu.

Vtri maiores Deo gratias debeant, Iudæi an gentiles.

SICVT SCRIPTVM EST. Pſal. 17, qui idem totus legitur 2 Reg. 22. & continet manifeſtum vaticinium inexſpectatæ vocationis gentium.

PROPTEREA CONFITEBOR TIBI IN GENTIBVS DOMINE. In Græcis codicibus non additur *Domine*, niſi in paucis. Additum ſuſpicor ex pſalmo. *Propterea*, Græcè διὰ τοῦτο, *propter hoc*, nempe quod in pſalmo præcedit; vbi Chriſtus Patrem alloquens inter alia dixerat: *Conſtitues me in caput gentium. Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.* Item, *Qui ſubdis populos ſub me.* Ergo *propter hoc confitebor tibi*, id eſt laudabo te laude diuina. Significatur enim confeſſio laudis. Addo, laude diuina; quia confeſſio vt laudem ſignificat, non legitur in ſcripturis facta homini, ſed ſoli Deo. Cuius eam arbitror rationem, quia confeſſio ſiue laudis, ſiue fidei, ſiue peccatorum, ſiue quæcumque alia, confeſſio veritatis eſt, id ſignificante ipſo nomine confeſsionis. Vnde Ioannes de Ioanne, *Confeſsus eſt, & non negauit.* Atqui in prædicandis Dei virtutibus, vt bonitate, ſapientia, veritate, potentia, non poteſt laudator modum veritatis excedere: quoniam immenſæ ſunt, & omnem laudem ſuperant. In aliorum virtutibus poteſt; ac nimium ſæpè contingit vt excedat. Quare meritò ſolâ laus Dei nomen confeſsionis vt proprium in ſcripturis ſibi vendicat: vt confiteri Deo non aliud ſit quam infinitam Dei excellentiam cum laude agnoſcere. Addit propheta, *in gentibus*, id eſt ſecundum quoſdam, pro gentibus, pro gentium conuerſione quam per me facturus es. Secundum alios, *in gentibus*, id eſt inter gentes, & per eccleſiam gentium: videlicet ore omnium te laudantium ob gentium conuerſionem. Thomas ſic exponit: *Confitebor tibi in gentibus*, id eſt *faciam vt tibi gentes confiteantur.*

Confeſſio laudis propriè Deo debita.

Quomodo Chriſtus in gẽtibus Deo confiteatur.

Sic

Sic enim & Auguſtinus in pſalmi enarratione: *Tibi per me confitebuntur gentes*. Quod alij breuiter *in gentibus*, id eſt gentium voce. Hæc enim ferè eodem redeunt.

Quid pſallere.

ET NOMINI TVO CANTABO. Græcè ψαλῶ *pſallam*. Quo verbo propriè ſignificatur cantus qui fit ſonitu fidium: & in ſcripturis ad ſolum Deum refertur. *Pſallam nomini tuo*, id eſt cantu, non vocis tantum, ſed & inſtrumentis arte factis, celebrabo diuinum nomen tuum, vt tu Deus glorificeris. Hoc quoque Chriſtus ſe facturum dicit in gentibus; quia per totam gentium eccleſiam id nunc facit in ſuis membris.

10 ET ITERVM DICIT. Subaudi ſcriptura.

LÆTAMINI GENTES CVM PLEBE EIVS. Græcè *cum populo eius*. Teſtimonium hoc alij aliò referunt. S. Thomas refert ad locum Iſaiæ 66, vbi legitur; *Lætamini cum Ieruſalem, & exſultate in ea omnes qui diligitis eam. Gaudete cum ea* &c. Liranus ad illud eiuſdem prophetæ capite 35, *Lætabitur deſerta & inuia, & exſultabit ſolitudo*. Sunt qui Paulum reſpicere putent ad verſum pſal. 66. *Lætentur & exſultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis*. Caietanus ſimpliciter ignorare ſe fatetur vnde deſumptum ſit. Atqui reperitur totidem verbis in cantico Moyſi, Deuter. 32, iuxta verſionem LXX. vbi nos ex Hebræo legimus: *Laudate gentes populum eius*. Et eum locum indicant Sedulius, Haimo, Heruæus, Carthuſianus & Burgenſis à replicatore malè reprehenſus: & ante hos omnes Origenes. Senſus autem quem vult Paulus, eſt huiuſmodi: Vos gentes, cum ex æquo factæ ſitis participes beneficiorum Chriſti cum populo Dei, id eſt cum Iudæis, etſi communes cum eis promiſſiones non acceperitis: agite cum eis commune gaudium, & vnà collaudate Deũ. Quod ſi fortè non ad literam hoc ſignificatum eſt illis verbis cantici (de quo non conuenit inter interpretes) mỹſtico tamen ac ſublimiori ſenſu in ijs contineri non eſt negandum. Certè ad huiuſmodi laudem & lætitiam gentes non inuitarentur, niſi futuræ eiuſdem boni participes.

Gentes ex æquo participes euangelij cũ Iudæis.

11 ET ITERVM: LAVDATE OMMES GENTES DOMINVM: ET MAGNIFICATE EVM OMNES POPVLI. Verſus eſt pſalmi 116 notiſſimus; qui tam Hebraicè quàm Græcè legitur hoc ordine verborum: *Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi*. Nam inter αἰνεῖτε & ἐπαινέσατε vix eſt diſcrimẽ, vt nec inter voces Hebræas ijs reſpondentes; niſi quod poſterius addere aliquid videtur ad ſignificatum prioris. Inter gentes & populos quidam hic diſtinguunt, ſicut in ſuperiori teſtimonio: quod populi ſint Iudæi in duodecim tribus diuiſi; gentium nomine cæteri populi comprehendantur. Sed obſtat ſequens verſus: *Quoniam confirmata eſt ſuper nos* (id eſt populum Iudaicum) *miſericordia eius: & veritas Domini manet in æternum*. Inuitantur ergo omnes gentes & populi ad laudandum Deum pro miſericordia confirmata, & veritate exhibita populo Iſraelitico. Non inuitarentur autem (ſicut de ſuperiori teſtimonio dictum eſt) niſi participes eorundem beneficiorum futuræ. Nec participes eſſe poſſent promiſſionis ſpem non habentes; niſi miſericorditer vocatæ. Eſt igitur & hoc apertum vaticinium vocationis omnium gentium, eiuſque prorſus indebitæ: vt maneat illud; *gentes ſuper miſericordia honorare Deum*.

Per gẽtes & populos idem intelligũtur.

12 ET RVRSVS ISAIAS AIT. Quod ait *rurſus*, non ſignificat Iſaiam aliquid etiam eorum quæ hactenus citata ſunt dixiſſe: quomodo nonnulli hoc intellexerunt: ſed indicat aliud poſt ſuperiora teſtimonium hic allegari, ſiue teſtis idem ſit ſiue diuerſus. Habetur autem apud Iſaiam cap. 11.

ERIT; RADIX IESSE ET QVI EXSVRGET REGERE GENTES, IN EVM GENTES SPERABVNT. *In eum*, Græcè ἐπ' αὐτῷ, *in eo*, conſentientibus Latinis quibuſdam mss. Hoc quoque teſtimonium ab interpretibus LXX acceptum eſt, apud quos ad verbum ſic legitur: *Et erit in die illa: Radix Ieſſe, & qui exſurgit principari gentibus, in eum gentes ſperabunt*. Igitur verbum *erit*, per ſe accipiendum; quemadmodum apud Ioelem cap. 2. *Et erit: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit*. Porrò quidam in eo quod dicitur, *radix Ieſſe*, ſcripturæ originalis ignorantia, *Ieſſe* caſu recto accipiunt: radix qui eſt Ieſſe: alij datiuum faciunt, cohærentem verbo *erit*, vt ſit ſenſus: *Erit radix Ieſſe*, id eſt Ieſſe habebit radicem, nempe prolem Dauid. Verùm conſtat genitiuum eſſe, τῆ ἰεσσὲ: Diciturq; Chriſtus radix Ieſſe, vel metonymicè tanquam aliquid pullulans ex ea radice; vel ſecundum Forerium in commentarijs Iſaiæ, quod Hebræa vox שרש *ſcareſch*, quæ aliàs radicem notat, hic abuſiuè capiatur pro ſurculo qui ſurgit ex radice; nempe vt idem ſit *radix Ieſſe*, quod paulo ſuperius apud prophetam *flos* ſiue *ſurculus de radice eius*. Quanquam magis apparet radicem ſic vſurpari apud Hebræos, ſicut γένος apud Græcos, & genus apud Latinos: vt & principem generis ſignificet, & eos qui ab illo ſunt orti. Radix enim alibi per genus exponitur. Nam Chriſtus qui Apocal. 5 ſimili locutione *radix Dauid* appellatur, eiuſdem lib. cap. 22 cum epexegeſi *radicem & genus Dauid* ſeipſum nominat. Iam in eo quod ſequitur, καὶ ὁ ἀνιστάμενος *& qui exſurgit*, præſens loco futuri prophetico more poſitum eſt, *& qui exſurget*, vt noſtri codices habent. Id multi de reſurrectione Chriſti ex mortuis interpretati ſunt, vt poſt alios Caietanus. Nam & Græcum verbum ἀνιστάναι pro varia acceptione præpoſitæ vocis ἀνὰ, nunc ſurſum ſe erigere, quod eſt ſurgere,

Quo ſenſu Chriſtus radix Ieſſe.

Itẽ Chriſtus radix Dauid.

nunc reſurgere ſignificat. Hinc ἀνάστασις νεκρῶν *reſurrectio mortuorum* paſſim in ſcripturis apoſtolicis. Verùm vt prior verbi ſignificatio frequentior eſt, etiam in ſcripturis; ita melius quoque reſpondet ei quod eſt in Hebræo textu: à quo nec cætera Græcæ lectionis ſenſu diſſonant. Sic enim habet: *Et erit in die illa: Radix Ieſſe, quæ ſtat in ſignũ populorum: eam gentes quærent*, ſeu *requirent*. pro quo Hieronymus vertit, *deprecabuntur*. Senſus autem eſt huiuſmodi: Hoc quod dico, aliquando futurum eſt. Radix Ieſſe, id eſt Chriſtus oriũdus ex ſtirpe Ieſſe patris Dauid ſecundum carnem, idem ipſe qui exſurget & ſtabit, futurus inſtar ſigni in altum erecti, ad quod vndique populi confluant: exſurget, inquam, vt gentibus imperet, ſitque earum princeps: ille eſt quem gentes ſuæ vocationis gratiam agnoſcentes requirent, in quem ſperabunt, adeoque deprecaturæ ſunt: tantum abeſt vt eius imperium & principatum ſint recuſaturæ.

13 DEVS AVTEM SPEI REPLEAT VOS OMNI GAVDIO ET PACE IN CREDENDO. Totam exhortationem ſuperiorem iterum precatione concludit. Deum ſpei dicit, quomodo ſuprà Deum patientiæ & ſolatij, ſcilicet authorem. Hic autem ſpem nominat, vel quia ſuperius patientiæ & conſolationi ſpem adiunxerat, dicens: *vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus*; Vel propter hoc quod proximè dixit: *in eum gentes ſperabunt*; vt oſtendat & ipſum ſperare muneris eſſe diuini. Gaudium & pacem intelligit quemadmodum capite præcedenti, vbi dixerat regnum Dei eſſe iuſticiam & pacem & gaudium in Spiritu-ſancto. Omne gaudium, Hebræa phraſi, eſt perfectum ac plenum gaudium, velut Iaco. 1, *Omne gaudium exiſtimate fratres* &c. Addit autem, *in credendo*, qua ratione ſuprà precatus fuerat vt idipſum ſaperent *ſecundum Ieſum Chriſtum*. Nam vera pax & concordia non eſt in errore, ſed in vera fide atque doctrina. Alij Hebraiſmum eſſe volunt, *in credendo*; id eſt per fidem: quaſi dicat: quæ bona acquiruntur fide bene excitata & exercitata. Cui ſenſui fauet Chryſoſtomi commentarius.

Deus ſpei dicitur.

Vera pax non eſt in errore, ſed in veritate.

VT ABVNDETIS IN SPE ET VIRTVTE SPIRITVS-SANCTI. Græcè *in ſpe*, *in virtute*: quemadmodum & in Latinis quibuſdam tam ere quam manu ſcriptis legitur. Quibus & Syra conſentit editio. Senſus autem eſt: Vt ſpes in vobis augeatur magis ac magis, augeſcente nimirum cauſa ſperandi, quæ eſt gaudium, pax & mutua charitas: ſpes, inquam, augeatur per virtutem, id eſt efficacem operationem Spiritus-ſancti.

14 CERTVS SVM AVTEM FRATRES MEI ET EGO IPSE DE VOBIS, QVONIAM ET IPSI PLENI ESTIS DILECTIONE. Hactenus in doctrina & exhortatione verſatus eſt Paulus. Quæ ſequuntur vſque ad finem capitis, partim excuſationem continent, partim ſuæ perſonæ, ſuique miniſterij commendationem. Primùm igitur ne correptionem & inſtructionem ſibi adhibitam moleſtè ferant Romani, quod inter eos eſſent alij docti, alij doctrinæ opinione ſibi placentes; excuſatione vtitur cum laude eorum coniuncta: quum dicit nec apud illos deeſſe qui ſimile officium præſtare poſſint. Neque enim quod hic eis attribuit, ad omnes eos & ſingulos referendum eſt. *Certus ſum*, Græcè πέπεισμαι, *perſuaſum habeo*. De qua Græca voce, deque certitudine per eam ſignificata, vide quæ diximus ſuprà cap. 8 ad illud, *Certus ſum quia neque mors* &c. Hoc quidem loco ſignificatur ea certitudo, quæ ex conſtanti rumore & ſermone hominum fide dignorum habetur. Atque id eſt quod dicit, *& ego ipſe*, nempe libenter credens ea quæ de vobis ex alijs audio. Illud *& ipſi* copulat cum eo qui loquitur: non in eo quod eſt plenum eſſe dilectione, ſed in eo quod ſequitur; poſſe monere alterutrum, ac ſi dicat: Sicut ego vos admonui, ſic & vos ipſi alius alium admonere poteſtis, vt poté pleni dilectione; quæ imprimis in admonente eſt neceſſaria. Pro *dilectione* Græcè eſt ἀγαθωσύνης *bonitate*, pro qua videtur interpres legiſſe ἀγάπης, aut vt Eraſmus ſuſpicatur, ἀγαπωσύνης: quod tamen vix eſt in vſu. Quanquam res eodem redit. Bonitas enim intelligenda eſt, qua vtendum ſit in admonendis fratribus. Dicit autem plenos dilectione ſeu bonitate; non quod in ea iam perfecti eſſent, vt plus capere non poſſent; quæ non eſt huius ſed futuri ſæculi perfectio: Sed propter multitudinem bonorum operum erga fratres; quomodo Dorcas illa plena bonis operibus fuiſſe perhibetur, Act. 9. Reſpicit enim apoſtolus ad opera dilectionis, non ad charitatis habitualis incrementum: tametſi hoc ex illis ferè conſequens eſt.

Vtitur excuſatione Paulus apud Romanos.

Dilectio in admonente neceſſaria.

Habitus charitatis augetur per opera.

REPLETI OMNI SCIENTIA. Loquitur de ſcientia ſeu cognitione neceſſaria ad mutuam inſtructionem in fide. Sic autem dicit omnem ſcientiam, quomodo paulo antè omne gaudium. Eſtque duplex auxeſis, & in verbo *repleti*, & in dictione *omni*: quaſi dicat, multum repleti eſtis ſcientia.

ITA VT POSSITIS ALTERVTRVM MONERE. Græcè, *Potentes etiam alterutrum admonere*. Sed participium bene reſoluit interpres. Quidam Græci codices pro ἀλλήλους *alterutrum*, id eſt alius alium, habent ἄλλους *alios*: vti legit & exponit Theophylactus; legiſſe etiam Theodoritum, conſtat ex eius interpretatione. Verum noſtræ lectioni ſuffragatur interpres Amb. pro *alterutrum* legens *inuicem*. Et inter Græcos Oecumenius, imò & Chryſoſtomus iuxta quoſdam codices. Eraſmus quoque noſtram magis probat lectionem, haud immeritò. Nam conſentanea eſt apoſtolicæ phraſi pluribus locis.

15 AVDACIVS AVTEM SCRIPSI VOBIS FRATRES EX PARTE. Ciuilis admodum eſt hæc excuſatio. Quamuis, inquit, non neſcirem eſſe inter vos qui hæc præſtare poſſint: ipſe tamen audaciam ſumſi ad vos ſcribendi. Rationes cur id fecerit, ſtatim ſubiungit. *Audacius ex parte*, id eſt aliquantulo audacius, paulo liberius. Minuit enim hîc comparatiuus ſuum poſitiuum.

Comparatiuus minuens ſuum poſitiuum.

TANQVAM IN MEMORIAM VOS REDVCENS. Hæc vna ratio eſt excuſans audaciam. Græcè ſic legitur: ὡς ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς. Quod plerique rectè vertunt verbum verbo reddentes: *tanquam commonefaciens vos*; licet alij, *ſubmonefaciens* malint. Scripſi, inquit, non tam vt docerem vos quæ neſcitis, quam vt commonefacerem aut ſubmonerem, & in memoriam vobis reuocarem, tanquam ſcientibus. Poteſt & huc referri illud *ex parte*; hoc ſenſu: Non omnia quæ in hac epiſtola vos docui, ignorabatis: ſed bonam eorum partem vobis tanquam ſcientibus ad memoriam reducere volui. Quod annotat Caietanus apoſtolum dixiſſe *tanquam*, quòd ad ſimilitudinem commemorantis ſcripſerit, non autem verè commemorando, ſed docendo; parum probabile eſt: nec conuenit cum eo quod præfatus eſt de eorum ſcientia.

Ratio præcipua cur Paulus ad Romanos ſcripſerit.

PROPTER GRATIAM QVÆ DATA EST MIHI A DEO. Hæc præcipua ratio eſt cur ad Romanos ſcribere non fuerit veritus. Refertur enim non ad proxima, ſed ad illud: *audacius ſcripſi*. Porrò gratiam dicit apoſtolici muneris. Non temere, inquit, feci, ſed vt ſatisfacerem officio diuinitus mihi delegato. Gratiam hanc expreſſius declarat verbis ſequentibus.

Gratia munus apoſtolicum.

16 VT SIM MINISTER IESV CHRISTI IN GENTIBVS. Græcè, εἰς τὰ ἔθνη *in gentes*, vel *ad gentes*, ſcilicet docendas. Vnde & magiſtrum gentium ſe vocat 2 Tim. 1. Non ſignificat miniſterium ſuum limitatum fuiſſe, vt ſolis gentibus euangelium Chriſti prædicaret: alioqui, Iudæos hac ipſa epiſtola multifariam docens, etiam nominatim eos compellando, ſui mandati limites fuiſſet prætergreſſus: Sed miniſtrum Chriſti ſe dicit ad gentes, quemadmodum & ad Gal. 2 ſcribit *creditum* ſibi fuiſſe *euangelium præputij*, quòd voluntas Chriſti mittentis eſſet, vt præcipuè gentibus euangelizaret, fructumque in ijs faceret. *Miniſter* Græcè non διάκονος, ſed λειτουργός. Quod nomen propriè publicum miniſtrum, præſertim ſacrorum, ſignificat, id eſt ſacerdotem. Nam de ſe velut ſacerdote metaphoricôs, quod ad opus attinet euangelij prædicandi, loquitur apoſtolus: ſimul innuens Chriſtum eſſe Deum, vt cuius ſacerdotem ſe profiteatur. Ad eandem metaphoram pertinet quod ſequitur.

Paulus miniſter Chriſti ad gentes, quo ſenſu.

SANCTIFICANS EVANGELIVM DEI. Id eſt, adminiſtrans euangelium à Deo miſſum hominibus, eoque miniſterio velut ſacerdotio fungens. Id enim ſignificat vox Græca ἱερουργῶν *ſacris operans*, rem ſacram faciens. Auguſtinus legit *conſecrans*, in huius loci propoſitione. Cum autem ſermo Pauli ſit, vt dixi, metaphoricus: ineptè Caluinus hinc arripit anſam ſugillandi ſacerdotium propriè dictum nouæ legis, quod oblationibus quotidianis per totam eccleſiam exercetur; quaſi non aliud in eccleſia ſacerdotium agnoſcat apoſtolus, quam quod in prædicatione verbi Dei conſiſtat. quod nequaquam conſequens eſt: niſi & veteris legis ſacerdotium hac ratione tollatur, quòd in prophetis & pſalmis paſſim legamus ſacrificia metaphorica, velut iuſticiæ, miſericordiæ, laudis, contriti cordis, vt Deo accepta commendari.

Sacerdotiũ propriè dictũ in nouã legẽ.

VT FIAT OBLATIO GENTIVM ACCEPTA. Græcè εὐπρόσδεκτος, *bene accepta*. Perſiſtit in allegoria miniſterij ſacerdotalis: & gentes facit ipſam hoſtiam Deo offerendam in hoc miniſterio. Nam oblationem gentium tranſitiuè dixit, pro oblatione & hoſtia quæ ſunt ipſæ gentes. Fit autem acceptabilis & grata Deo per fidem, qua credunt euangelio.

Gẽtes hoſtia à Paulo oblata Deo.

ET SANCTIFICATA IN SPIRITV SANCTO. *Et* ſuperfluum eſt. Multi quippe Latini codices, Auguſtino quoque ſuffragante non habent; nulli Græci: ac ſenſui officit. Eſt enim ſenſus: ita demum acceptam fore oblationem gentium Deo, ſi fuerit ſanctificata per Spiritum-ſanctum, tanquam authorem omnis ſanctitatis. Alluſio eſt ad ritum veteris ſacerdotij, quo hoſtiæ Deo offerendæ ſanctificationibus quibuſdam externis præparabantur ac mundabantur, vt acceptabile eſſet ſacrificium. Ita ſignificat apoſtolus gentes prius immundas, per fidem operante Spiritu-ſancto mundatas & ſanctificatas, à ſe velut ſacerdote, gratam & acceptabilem offerri hoſtiam Deo. *Sanctificans* & *ſanctificata*, diuerſorum verborum participia ſunt in Græco, ac diuerſæ ſignificationis: prout iam vtrumque nobis explicatum eſt.

17 HABEO IGITVR GLORIAM IN CHRISTO IESV AD DEVM. Nunc quædam ſubijcit ad apoſtolatus ſui commendationem pertinentia, quibus confirmet iure ſe potuiſſe liberius ad Romanos ſcribere. *Gloriam*, Græcè κάυχησιν *gloriationem*. *Ad Deum*, τὰ πρὸς θεόν, ſubaudi κατὰ, more Græco; id eſt ſecundum ea, vel in ijs, quæ ad Deum ſunt. Senſus enim eſt: Cum munus tam præclarum mihi creditum ſit, atque id à me exerceatur non ſine fructu conuerſionis gentium, (quod inſinuabant verba præcedentia) habeo certè quod glorier, & quidem in his quæ ad Deum pertinent, id eſt, in rebus diuinis, non humanis; ſacris, non profanis; idque non in me, qui ex me-ipſo nihil poſſum, ſed *in Chriſto Ieſu*, id eſt, per Chriſtum Ieſum. Significat bonum ſucceſſum euange-

Gloriatio Pauli in Chriſto.

lij, atque eum totum accepto fert meritis Christi.

18 NON ENIM AVDEO ALIQVID LOQVI EORVM QVÆ PER ME NON EFFICIT CHRISTVS IN OBEDIENTIAM GENTIVM. *Audeo* Græcè τολμήσω, *audebo* vel *ausim*, quod vulgo dicimus *præsumam*. *Efficit* Græcè & Syriacè *effecit*, quod & in vetustis quibusdam Latinis legitur. Remouet à se suspicionem inanis & falsæ gloriationis; simulque ex obliquo taxat vanitatem pseud apostolorum, qui in alienis laboribus gloriabantur. Aduersus quos apertiùs & ex instituto agit in 2 ad Corint. epistola capite decimo. Non sum, inquit, tam vanus & gloriæ cupidus, vt ausim atque in animum inducam commemorare aliquid à me factum, quod verè Christus per me non effecerit; vel expressius è Græco, operatus fuerit; id est quod reuera non sit factum: Sed ea tantum loquor quæ per me Christus effecit *in* vel *ad obedientiam gentium*, id est vt gentes obediant euangelio. Qua parte non finem solummodo, sed effectum indicat sui ministerij, scilicet gentium conuersionem. Dicit autem *per me Christus*, modestiæ causa, totum quod fecit & profecit, attribuens Deo per Christum: vti bene post Chrysostomum Oecumenius annotauit.

Obedientia gẽtiũ finis & effectus Paulinæ prædicationis.

VERBO ET FACTIS. Græcè, *sermone & opere*; quomodo transtulit interpres Lucæ vltimo, *potens in opere & sermone*. Igitur verbum intelligitur euangelicæ prædicationis: opus autem in patrandis miraculis: quemadmodum explicatur parte sequenti.

19 IN VIRTVTE SIGNORVM ET PRODIGIORVM. Id est per potentiam declaratam signis & prodigijs. Dependet hæc pars, vt præcedens, ab eo quod dixit, *per me Christus effecit*. Inter signa & prodigia distinguit Theophylactus, quod signa dicantur miracula quæ possint etiam fieri per naturam, licet non ita repentè, nec eo modo; vt febres curari: quod miraculum est si verbo vel tactu solo fiat. Prodigia verò quæ nullo modo fieri possunt per naturam; vt cæcum illuminari, mortuum suscitari. Eodem fermè redit quod alij signa dicunt esse minora miracula, prodigia maiora. Verum huiusmodi discrimen scripturæ nusquam indicant, sed signa & prodigia promiscuè vocant, quæcumque supra naturam fiunt aut fieri videntur. Itaque verisimilius est hæc duo non distingui, nisi ratione; quod signa dicantur: quia per ea, vt res nouas & insolitas, semper diuinitus aliquid hominibus significatur. Fiunt enim ad docendum homines aliquam diuinam veritatem. Prodigia verò, Græcè τέρατα, quod admirationem & stuporem excitent.

Signa & prodigia quo differant.

IN VIRTVTE SPIRITVS-SANCTI. Græcè & Syriacè *spiritus Dei*. Hæc pars trifariam exponi potest. Græci coniungunt cum membro præcedenti, vt subaudiatur, factorum; id est, quæ signa & prodigia facta sunt, non dæmonum præstigijs, sed virtute Spiritus-sancti per me operantis. Alij distinguunt à parte proxima, & referunt ad *obedientiam gentium*, quæ est opus Spiritus-sancti. Quæ tamen expositio coactior videtur. Tertiò potest intelligi de charismatis Spiritus-sancti, vt sunt dona linguarum, prophetiæ, discretionis spirituum, interpretationis sermonum, & cætera quæ enumerantur 1 Cor. 12. Hæc enim peculiariter asscribi solent Spiritui-sancto. Et hoc genus etiam alibi commemorat apostolus inter ea argumenta quibus veritas euangelij confirmatur. Loca annotatimus suprà ad illud cap. 1, *secundum Spiritum sanctificationis*.

Charismata propriè attributa Spiritui-sancto.

ITA VT AB IERVSALEM PER CIRCVITVM VSQVE AD ILLYRICVM REPLEVERIM EVANGELIVM CHRISTI. *Per circuitum*, Græcè ἐν κύκλῳ, *& in circuitu*. Significat se longè latèque euangelium propagasse, videlicet ab Hierosolyma vsque ad Illyricum, quæ est extrema pars Macedoniæ versus Septentrionem, hodie Sclauonia nuncupata: neque id recta solum via inter ea duo loca; sed quaquauersum per adiacentes hinc inde regiones. Nec intelligas eum suæ prædicationis initium fecisse ab Hierosolyma; (constat enim ex historia Actorum 9 prius ac statim à sua conuersione eum prædicasse Damasci; &, ex epistola ad Galatas primo, demum post tres inde annos, Hierosolymam venisse) sed Hierosolymam & Illyricum velut terminos nominare, intra quos euangelium ipso prædicante cucurrit. Quam multa verò & quæ loca Paulus à tempore suæ conuersionis vsque ad tempus scriptæ huius epistolæ peragrauerit, euangelizans Christum; ex Actis eius à Luca descriptis discere licet: necnon ex ijs quæ in vniuersum de Pauli peregrinatione diximus in prolegomenis. Illud explicandum, quo sensu Paulus dicat se repleuisse euangelium Christi per ea loca; cum res magis postularet vt diceret se ipsa loca euangelio repleuisse: & in hunc sensum multi exponunt, vt per antiptosin dixerit *euangelium* pro *euangelio*. Sed si id vellet, addidisset, omnia loca, aut quid simile. Quidam hoc modo supplent: ita vt repleuerim euangelium hominibus credentibus: quasi fingat apostolus euangelium vt rete quoddam quo homines velut pisces captos concluserit. Alij Paulum interpretantur impleuisse, id est plenè annunciasse euangelium. Rursus alij impleuisse euangelium, hoc est munus euangelij prædicandi sibi demandatum. Porrò Theophylactus repletum à Paulo euangelium intelligit, quod verbum prædicationis non fuerit ei inane & ociosum, id est inefficax, sed multo cum fructu coniunctum. Est qui Paulum exponat

Illyricum hodie Sclauonia.

Quo sensu Paulus euangeliũ repleuerit.

euangelium

euangelium impleuiſſe per ea loca, quia ſupplendo diffudit: *Caperant enim*, inquit, *alij priores: ſed ipſe longius ſparſit*. Quod mihi non videtur ijs quæ proximè ſequuntur, *non vbi nominatus eſt Chriſtus* &c. ſatis cõſentaneum. Alij denique Paulum impleuiſſe dicunt, id eſt dilataſſe euangelium Chriſti, famamque eius ac noticiam extẽdiſſe. Quæ enim implentur, ea dilatantur & extenduntur. Quæ quidem expoſitio nobis maximè probatur. Eſt enim peculiaris ſcripturæ phraſis, replere pro diffundere, extendere, propagare: quamuis à paucis animaduerſa. Qua vſus eſt nepos Ieſu filij Sirach, haud dubiè ſecutus Hebræum fontem, Eccleſiaſtici cap. 24 ita ſcribens: *Qui implet quaſi Phiſon, ſapientiam.* Et iterum: *Qui adimplet quaſi Euphrates, ſenſum*; Græcè σύνεσιν *intelligentiam*. Vbi verbum implendi in eam ſignificationem quam dixi, doctè exponit Ianſenius. Et Græca quidem nonnulla priori loco ſic habent; *Qui implet quaſi Phiſon omnia ſapientia ſua:* Sed ad hunc modum mutauit quiſpiam, cui ſermo mancus & inconcinnus videbatur. Nam Romani codices, & alij quos vidi, non aliter habent quam quod reddidit noſter interpres. Simile eſt in illa ad Salomonem apoſtropha eiuſdem libri cap. 47. *Repleſti in comparationibus ænigmata:* (quamuis & ibi Græci codices diſſideant) Nam ſequitur: *Ad inſulas diuulgatum eſt longè nomen tuum*. Ad eandem phraſin pertinere videtur etiam illud 2 ad Tim. 4. *Vt per me prædicatio impleatur: & audiant omnes gentes*. De quo dicemus ſuo loco.

Expoſitio præcaterus probãda.

Quid implere ſapientiam & intelligẽtiam.

20 SIC AVTEM PRÆDICAVI EVANGELIVM HOC. Græcè, *Sic autem ſtudens ſiue annitens euangelizare*. Eſt enim in Græco participium φιλοτιμούμενον, quod propriè ſignificat eum qui per ambitionem agit quippiam aut aſſequi contendit. Verùm eo Paulus abutitur in bonam partem, ſignificans quanto ſtudio conatus fuerit exſequi munus ſuum apoſtolicum euangelizandi. Syriacè; *ſollicitè curans euangelizare:* nempe provt ſequitur.

NON VBI NOMINATVS EST CHRISTVS. Id eſt: non ijs in locis, quibus Chriſtus iam erat annunciatus: ad quæ prædicatio euangelij iam peruenerat.

NE SVPER ALIENVM FVNDAMENTVM ÆDIFICAREM. Fundamentum intelligit fidei Chriſtianæ. Alienum vocat quatenus ab alio apoſtolo vel prædicatore iactum eſt. Nam ipſum in ſe diuerſum eſſe non poteſt. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*, 1 Cor. 3. Ædificaſſet ergo Paulus ſuper alienum fundamentum, ſicut hic loquitur, ſi euangelium prædicaſſet apud eos, quibus iam ab alijs fuerat prædicatum. Non eſt autem ſenſus Paulum ſtudioſè cauiſſe, ne vſquam prædicaret vbi Chriſtus fuerat annunciatus. Nam Damaſci prædicauit, vbi iam ante Chriſtiani erant, quos volebat vinctos perducere Hieroſolymam, Act. 9. Romanis quoque Petri prædicatione conuerſis, nunc ſcripto, poſtea verbo Chriſtum euangelizat. Verùm hæc egit, non tam vt apoſtolus cuius eſt fundare & plantare; quam vt rigator, confirmator & conſolator; quemadmodum ipſe proteſtatus eſt ſub initium huius epiſtolæ: magiſque in tranſitu & per occaſionem, quam ex propoſito; ſicut dicit in ſequentibus, ſe Romam pertranſiturum, vt in Hiſpaniam proficiſcatur, vbi nullum adhuc fidei fundamentum poſitum erat. Ergo dicendo *ne*, vel vt in Græco, ἵνα μὴ, *vt ne ſuper alienum fundamentum ædificarem*, explicat vt dixi, munus apoſtolicum, quod erat euangelium annunciare infidelibus, & nouas ſubinde eccleſias fundare: quibus deinde præficerentur epiſcopi. Vnde dicit 1 Corint. 3, *Ego plantaui, Apollo rigauit*. Et iterum: *Fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat*. Itaque ſenſus eſt expoſitiuus, non cauſalis. Sic euangelium prædicaui per ea loca, vt non ſuperædificauerim ſuper alieno fundamento. Hoc enim apoſtolorum eſt. Forſan autem etiam hic pſeud-apoſtolos æmulos ſuos perſtringere voluit: qui ſuper alienum fundamentum malè ædificantes, tamen apoſtoli videri volebant.

Fundamentum alienum quodnam vocet.

Paulus quomodo non ſuper alienum fundamentum ædificauerit.

SED SICVT SCRIPTVM EST. Subaudi; ſic prædicaui, vel prædicare conatus ſum.

21 QVIBVS NON EST ANNVNCIATVM DE EO, VIDEBVNT: ET QVI NON AVDIERVNT, INTELLIGENT. Locus eſt apud Iſaiam cap. 52, in quo gentium vocatio multis ac diſertis verbis deſcribitur. Citat autem & hoc teſtimonium apoſtolus ſecundum verſionem LXX interpretum; qui verba præterita *viderunt* & *intellexerunt*, pro quo Hieronymus *contemplati ſunt*, mutauerunt in futura; nimirum intelligentes hanc eſſe prophetiam futuri, non narrationem rei præteritæ. Quod autem in quibuſdam exemplaribus editionis LXX loco περὶ αὐτὸ *de eo*, legitur περὶ αὐτῶν *de eis*, non ſolum diſſonat ab hac Paulina citatione: verùm etiam contextui prophetico minus bene congruit. Nam de vno homine, id eſt Chriſto, erat ſermo proximè præcedens. Quanquam in Hebræo neutrum legitur. Sic enim habet: *Quod non narratum eſt eis viderũt: & quod non audierunt intellexerunt*. Additum tamen *de eo*, ſenſum adiuuat; qui eſt huiuſmodi: Gentes quibus antea nihil de Chriſto fuerat annunciatum, videbunt eum per fidem, apoſtolis prædicantibus: & qui de eo nihil audierant, intelligent, id eſt mentis aſſenſu recipient eum, & vt Syrus vertit, *acquieſcent*, vtique per obedientiam fidei. Hoc propheticum teſtimonium, quod generatim de gentibus loquitur, quibus de Chriſto ſaluatore venturo nihil fuerat à prophetis annunciatum; Paulus ſpecialiter accommodat ſuo inſtituto, referens illud

Præterita pro futuris apud prophetas.

Propheta teſtimoniũ Paulus ſuo accõmodat inſtituto.

ad eas gentes, ad quas aliorum apoſtolorum prædicatio nondum peruenerat.

22 PROPTER QVOD ET IMPEDIEBAR PLVRIMVM VENIRE AD VOS. *Plurimum* Græcè τὰ πολλὰ: quod poteſt etiam verti *ſæpenumero:* Et in eum ſenſum exponunt Græca ſcholia. Dum, inquit, aſſiduè occupor in prædicando Chriſti euangelio apud eos quibus hactenus non eſt annunciatum; præpeditus ſum ab eo quod ſæpè deſideraui & in animo habui, vt ad vos venirem.

Pars huic loco ſuperflua.

ET PROHIBITVS SVM VSQVE ADHVC. Iſta pars in multis & melioribus Latinis codicibus nō legitur, vt nec in Græcis eſt, nec in Syriaco. At neque veterū commentarij agnoſcunt. Pelagius etiam expreſsè remouet, quū dicit apoſtolum illis verbis: *propter quod & impediebar plurimum* &c. exponere id quod in capite epiſtolæ dixerat: *Sed prohibitus ſum vſque adhuc*. Eſtque ſimilis annotatio apud Theophylactum. Ex quibus ſatis apparet, ex eo loco huc aſſcriptum eſſe à quopiam, tanquàm pertinens ad eiuſdem impedimenti excuſationem, ſicut illic annotauimus.

23 NVNC VERO VLTERIVS LOCVM NON HABENS IN HIS REGIONIBVS. Græcè, *non amplius locum habens.* Regiones intelligit Achaiā & Macedoniam. Eas enim paulo pòſt nominat; & in Achaia erat Corinthus, vbi hāc ſcribit epiſtolam.

CVPIDITATEM AVTEM HABENS VENIENDI AD VOS EX MVLTIS IAM PRÆCEDENTIBVS ANNIS. In Græco & Syriaco tantum eſt, *à multis annis*. Senſus: Nunc verò cum per has regiones ita propagauerim euangelium, vt in ijs amplius locum non habeam ab euangelio vacuum; ideoque neceſſitas mihi non ſit hic remanēdi; cumque præter hæc magno teneat deſiderio iam à multis annis ad vos proficiſcendi, voſque inuiſendi. Pendentem ſententiam abſoluunt quæ ſequuntur.

Pauli deſiderium viſendi Romanos.

24 CVM IN HISPANIAM PROFICISCI CEPERO, SPERO QVOD PRÆTERIENS VIDEAM VOS. Plus eſt in Græco. Sic enim habet: *Quādocunque iero*, id eſt, cum primum iter inſtituero *in Hiſpaniam, veniam ad vos. Spero enim tranſiens videre vos*, id eſt, ſpero me in tranſitu vos inuiſurum. Quod in Græco eſt ὡς ἐὰν, alij vertunt *ſi quando*; tanquam hæſitanter apoſtolus loquatur de conſilio ſuo adeundi Hiſpaniam, & conſequenter de ſalutandis in tranſitu Romanis. Qui ſermo nec Romanos excitare poterat in ſpem videndi Pauli; nec congruit ſequentibus, vbi affirmat ſe per eos in Hiſpaniam profecturum. Quare melius eſt, *quandocumque* ſeu *cum primum*. Quod & noſter interpres voluit. Quæ tamen interpretatio melius quadrabit ſi legamus, vti legit Faber, ὡς ἄν, idque vſurpatum pro ὅταν ſiue ὅτε ἄν, id eſt *quando, quandocumque*.

ET A VOBIS DEDVCAR ILLVC. Pendet conſtructio à parte præcedenti, vt patet ex Græco. Spero, inquit, fore vt iſtac iter faciens videam vos, & illuc, id eſt in Hiſpaniam, à vobis deducat. Deducere Græcè προπεμπειν, eſt honoris cauſa ducere & proſequi abeuntem, ſubminiſtratis etiam ſi ſit opus, rebus ad iter agendum neceſſarijs. Quam huius verbi ſignificationem manifeſtè declarat, quod ſcribit Ioannes apoſtolus in epiſtola ad Caium de fratribus itinerantibus; *Quos* inquit, *benefacies deducens digne Deo. Pro nomine enim eius profecti ſunt, nihil accipientes à gentibus. Nos ergo debemus ſuſcipere huiuſmodi.* Sic deducere frequēter accipitur in Actis apoſtolorum. Quod apud Amb. commentatorem pro *deducar* legitur *præmittar*, imperitia fuit interpretis. Cui ſimile illud in noſtra verſione Tit. 3, *Zenam legiſperitum & Apollo ſolicitè præmitte*, Græcè προπεμψον deducito, *vt nihil illis deſit.*

Deducere eſt honoris cauſa proſequi diſcedentem.

SI VOBIS PRIMVM EX PARTE FRVITVS FVERO. Græcè ἐμπλησθῶ, *impletus* ſiue *expletus fuero*. Senſus eſt: Vbi prius aliquot dies apud vos commoratus, conſuetudine veſtri deſiderium meum aliquatenus explenero. Significat ſe ex illorum colloquio magnum gaudiū & voluptatem accepturum. Dicens autem *ex parte*, oſtendit deſiderij ſui magnitudinem, quod paucorum dierum aſpectu & ſermone nequeat plenè ſatiari. Quoniam autem in Græco non eſt verbum quod frui propriè ſignificet; nihil opus hoc loco quærere aut diſputare: quomodo rectè dicatur homo homine frui. Locus erit opportunior ad illud epiſtolæ ad Philemonem: *Ego te fruar in Domino*.

Recténe homo homine fruatur.

25 NVNC IGITVR PROFICISCAR IN IERVSALEM MINISTRARE SANCTIS. Græcè, *Nunc autem proficiſcor in Ieruſalem miniſtrans ſanctis.* Syra quoque legunt *autem*, non *igitur*. Senſus eſt: Nunc Hieroſolymam iter inſtituo, occupatus in negocio mihi iniuncto, vt ſanctis, id eſt fratribus qui ſunt Hieroſolymis & inopia laborant, eleemoſynam procurem, adferamque. Non enim vult dicere Paulus ſe Hieroſolymam proficiſci miniſtraturum ſanctis, quod noſtra verſio ſonat: ſed iam occupatum eſſe in hoc miniſterio. Nec enim miniſterium vocat ſolam pecuniæ collectæ in pauperes erogationem: ſed eo nomine comprehendit, vt dixi, totum pecuniæ colligendæ, perferendæ & tradendæ negocium. Quod etiam alibi miniſterium vocat, vt 1 Cor. 16, & 2 Cor. 8 & 9. Pertinet eodem quod Act. 6 viduæ Græcorum, ſiue, vt ita dicam, *Græciſtarum* (ἑλληνιστῶν) leguntur deſpectæ fuiſſe in miniſterio quotidiano; id eſt, neglectæ & poſthabitæ in diſpenſatione quotidiana rerum neceſſariarum. Porrò qua ratione fideles ab apoſtolo ſancti vocentur, etſi non omnes ſancti ſint; diximus ſub initium huius epiſtolæ.

Quid miniſtrare ſanctis.

26 PROBAVERVNT ENIM MACEDONIA ET ACHAIA COLLATIONEM ALIQVAM FACERE IN PAVPERES SANCTORVM, QVI SVNT IN IERVSALEM. *Collationem*, Græcè κοινωνίαν cōmunionem ſiue *communicationem*; quomodo vocem hanc alibi vertit interpres, vt 1 Cor. 10, 2 Cor. 8, &c. Digreditur apoſtolus nonnihil

occaſione

occasione eius quod dixit, *ministrare sanctis.* Non enim voluit sine laude prætermittere eos, qui ad subsidium illud sanctorum contulerant. Quos tamen non ita laudat, vt non etiam debitores collati muneris esse doceat. Hoc autem exemplo tacitè Romanos exstimulat ad similem beneficentiam erga fratres egenos, præsertim euangelij ministros, exercendam. Sensus: Nam placuit ac visum est ecclesijs Macedonię & Achaię eleëmosynam aliquam facere seu conferre (quod fit communicatione facultatum) in pauperes qui sunt inter fideles Hierusalem habitantes; vel, in pauperes sanctos; vt sit locutio transitiua pro intransitiua. Quanquam quod prius dixi, melius est. Quod autem nominat Macedoniam & Achaiam (quæ magnarum regionum nomina sunt) pro ecclesijs Macedoniæ & Achaiæ, facit ad rei de qua loquitur, amplificationem. Indicat enim fidelium & ecclesiarum per eas regiones tantam esse multitudinem, vt quod illi probauerint, ipsæ prouinciæ probasse videantur. Ex hoc loco satis liquet epistolam hanc scriptam esse post vtrãque ad Corinthios. Nam secundâ ad Corinthios scriptâ Paulus adhuc solicitat apud eos tanquam Achaiæ primarios, vt exemplo ecclesiarum Macedoniæ collectam instituant. Non enim hic agitur, vt à quibusdam hic annotatum est, de collatione cuius meminit Lucas Acto. 11 & 12, quæ fuit longè anterior: sed de alia posteriore, de qua Act. 24 Paulus ipse sic loquitur: *Post annos autem plures eleemosynas facturus in gentem meam veni.* Ad quã etiam pertinet illa commendatio de qua dicit ad Gal. 2, *Tantum vt pauperum memores essemus.* Siquidem prior illa collecta sub Claudio Cæsare facta fuit, idque à fratribus Iudæis per Syriam habitantibus, & missa (quod Lucas testatur) *ad seniores per manus Barnabæ & Pauli.* Hæc autem imperante Nerone, conferentibus ad eam præcipuè gentilibus à Paulo conuersis per Macedoniam & Achaiã, atque etiam Galatiam: (Hæc enim ab ipso nominatur 1 Cor. 16) procurantibus autem seu ministrantibus Paulo & Sila: quemadmodum ostendemus ad eum locum 2 Cor. 8, *Sed & ordinatus est ab ecclesiis comes peregrinationis nostræ.* Porrò de cantã paupertatis sanctorum apud Iudæos fratrum, quænam ea fuerit; exponemus ad locum suprà citatum epistolæ ad Galatas.

Collatio seu cõmunicatio in pauperes.

Hæc epistola scripta post vtrãque ad Corinthios.

De qua collatione Paulus hic agat.

27 PLACVIT ENIM EIS. Idem in Græco verbum quod modò verterat *probauerunt.* Id autem repetit, vt aliud addat. ac si dicat, *placuit*, inquam, *eis.*

ET DEBITORES SVNT EORVM. Benè, ait, ac iustè placuit eis ita facere; quia *debitores sunt illorum*, nempe sanctorum agẽtium Hierosolymis. Debitores autem non solo debito charitatis ac misericordiæ, verum etiam quodam debito iusticiæ. Sequitur enim.

NAM SI SPIRITVALIVM EORVM PARTICIPES FACTI SVNT GENTILES. Græcè, *Nam si spiritualibus eorum communicauerunt*, id est, *participes factæ sunt gentes.* Respondet enim hoc verbum ἐκοινώνησαν illi nomini κοινωνίαν *communionem* in versu superiori.

DEBENT ET IN CARNALIBVS MINISTRARE ILLIS. Pro *ministrare*, rursus in Græco verbum est sacris ministerijs peculiare, λειτουργῆσαι. Per quod innuit hanc carnalium subministrationem quæ redditur administrantibus spiritualia, sacram quãdam esse oblationem, vt quæ Deo fiat in suis ministris: quemadmodum olim offerebantur Deo primitiæ ac decimæ in alimenta Leuitarum. Nam si, inquit, gentiles perceperunt à fidelibus Iudæis qui sunt Hierosolymis, bona spiritualia, hoc est ad vitam spiritualem pertinentia, qualis est tota euangelica doctrina: debent vtique viciſſim illis subministrare & offerre carnalia seu corporalia; quibus nimirum vita corporalis sustentatur. Hoc enim iusticia postulat: quemadmodum idem apostolus docet ac validis argumentis demonstrat 1 Cor. 9. Sed quæres, quomodo dicat gentiles participasse de bonis spiritualibus eorum qui Hierosolymis & in Iudæa habitabant; cum non illi, sed alij ipsis annunciassent euangelium. Respondeo, cum optima ratione Paulum id dicere, propterea quod gentiles à Iudæis ex illa sancta societate pauperum qui Hierosolymis & in Iudæa erant, missis ac profectis, euãgelium accepissent. Vnde non solum debitores erant ijs qui missi fuerant, vt Paulo, Silæ, Barnabæ; sed & illis à quibus missi, tanquam societati cuius erant membra. Qua ratione etiam hodie sustentatio debetur à populo, non vni aut alteri euangelistæ: sed & fratribus eiusdem monasterij seu congregationis ex qua illi mittuntur. Lege quæ scribit S. Thomas in commentario, & in 2 2 quæst. 187 art. 4. Huc vsque digressio.

Ministrãtibus spiritualia vicissim debẽtur temporalia ex iusticia.

Quæstio.

Responsio.

28 HOC IGITVR CVM CONSVMMAVERO, ET ASSIGNAVERO EIS FRVCTVM HVNC. *Cum assignauero*, Græcè σφραγισάμενος, id est, *cum obsignauero, cõsignauero.* Quanquam rectè se habet *assignauero*, si assignare interpreteris signatum adferre & tradere: quomodo solet reddi pecunia. Sic loquitur Paulus significans se collectam à gentilibus pecuniam perferre nolle nisi obsignatam: ne quis suspicaretur eum in rem suam aliquid inde vsurpasse. Studiosè enim semper cauit, ne quam siniſtri rumoris occasionem cuiquam vel Iudæo vel gentili præberet. Fructũ verò appellat eleemosynam, quia res erat bona & vtilis, quæ prouenerat ex ipsius plantatione & cultura: sicut ait, *Ego plantaui* 1 Cor. 3. ac si nunc diceret: Ecce apporto sanctis pauperibus fructum ex mea arbore quam colui. Neque verò solum vtilis erat accipientibus, sed & ipsis à quibus prouenerat, id est largientibus: illis quidem ad temporalem vitæ sustentationẽ: his autem ad incrementum iusticiæ, meritũque vitæ æternæ: quemadmodum pluribus explicat ipse Paulus 2 Cor. 9. Nam fructum

Assignare quid.

Cur Paulus pecuniam non nisi obsignatam perferre voluerit.

Eleemosyna quomodo fructus eũtis.

referri potiſsimum ad largientes, ex alio ſimili loco docetur. Sic enim ait ad Philip. 4. *Non quia quæro datum, ſed requiro fructũ abundantem in ratione veſtra.* Atque ita fructum exponunt Chryſoſtomus, Theophylactus & Oecumenius.

PER VOS PROFICISCAR IN HISPANIAM. Græcè, *diſcedam per vos in Hiſpaniam.* Senſus totius periodi: Hoc igitur, quod dixi me facturum, ſimul atque perfecero, & fratribus qui Hieroſolymis ſunt, obſignatam tradidero pecuniam, inde ad vos ibo, per vos abiturus in Hiſpaniam; id eſt id facere propono ac ſpero. Sic enim ſuprà dixerat; *Spero quod præteriens videam vos.* Verum igitur dixit, licet euentus, Deo aliter diſponente, propoſito non reſponderit. Nec audiendus Hugo Victorinus dicens: quamuis mentitus non fuerit apoſtolus, *verba tamen quæ dicebat, falſum ſignificaſſe.* Neque enim verba ſignificant falſum, quæ verum habent ſenſum: vt de verbis Pauli iam declaratum eſt, vero ſenſu fuiſſe ab eo dicta; quemadmodum & Thomas bene explicat in commentario. Porrò nõ id factum eſſe quod Paulus animo conceperat, ex hiſtoria actorum eius à Luca deſcripta cap. 21 & ſequentibus, perſpicuum eſt. Nam vt Hieroſolymam venit, cõcitato aduerſum ſe Iudæorum tumultu comprehenſus eſt, & captiuus Romam miſſus, inibique biennio detentus. Quæ prima fuit eius captiuitas Romana. An autem ex ea liberatus (nam poſt illud bienniũ vixit adhuc nouem circiter annos) aliquando Hiſpaniam adierit, dubitari poteſt. Affirmat enim id Epiphanius, aduerſus Carpocratitarum hæreſin differens. Sed ex qua veteri hiſtoria comprobari id poſſit, nondum reperi; nec admodum vero ſimile eſt ita eſſe. Non enim legitur Paulus in Hiſpania vllam fundaſſe eccleſiam. Quod certè feciſſet more ſuo, ac cæterorum apoſtolorum, qui nullas regiones adijſſe leguntur, in quibus eccleſias non conſtituerent: ita videlicet eos dirigente Spiritu ſancto: qui & Paulo prohibuit ne in Aſia & Bithynia verbum loqueretur Act. 16, quando nondum volebat ijs in regionibus eccleſias congregari. Ac ſanè quid magnum fuerit in Hiſpania Paulum fuiſſe, ſi nulla in ea Chriſtianæ fidei veſtigia reliquit? Verùm quoniam & alijs diuerſum ſentientibus, ſua non deſunt argumenta: (nam in vtramque partem teſtes & rationes adferunt Baronius tomo 1 Annalium eccleſiaſticorũ ad an. Domini 61, & Peterius in diſputationibus huius loci) nos de ea re tota liberum lectori iudicium relinquimus.

Verũ dixit Paulus, licet euentus non fuerit ſecutus.

An Paulus aliquando venerit in Hiſpaniã, dubitatur

29 SCIO AVTEM QVONIAM VENIENS AD VOS, IN ABVNDANTIA BENEDICTIONIS EVANGELII CHRISTI VENIAM. In pleriſque codicibus aberat vox *euangelij*; vt nec legitur apud commentatores Latinos. Sed eam reſtituerunt Romani correctores ex vetuſtis exemplaribus. Siquidem in Græcis atque etiam Syriacis ita legitur: *in plenitudine benedictionis euangelij Chriſti veniam.* Plenitudo benedictionis, Hebraiſmus eſt, iſque duplex. Significat enim plenam & abundantem benedictionem, id eſt fructum atque prouentum, tanquam effectum benedictionis, hoc eſt, beneficentiæ diuinæ. Senſum verò hunc reddũt: Scio me quum ad vos venero, cum amplo & copioſo fructu fidei veſtræ, prouenturo ex euangelio Chriſti venturum. Scio meum aduentum vobis allaturum magna incrementa fidei veſtræ & donorum Spiritus ſancti. Scire ſe dicit, non certitudine fidei vel euidentiæ, ſed fiduciæ, quam valde bonam de illis conceperat, ex præcedente eorum fide & obedientia. Porrò Chryſoſtomus exponit hoc modo: Scio me quum venero, vos inuenturũ repletos omnibus donis ſpiritualibus. Qui ſenſus plus habet modeſtiæ; & congruit cum eo quod ſuprà dixit: ſe certum eſſe de Romanis quod pleni ſint dilectione ſeu bonitate & omni ſcientia. Sunt & aliorum aliæ expoſitiones; ſed eas vt parũ probabiles omitto.

Quid plenitudo benedictionis.

30 OBSECRO ERGO VOS FRATRES PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM. Rogat cum obteſtatione, vt pro ſe & ſucceſſu euangelij ac miniſterij ſui Deum orent.

Rogat Paulus cũ obteſtatione Romanos, vt pro ſe Deũ orent.

ET PER CHARITATEM SANCTI SPIRITVS. In Græco & Syriaco & Latinis quibuſdam abeſt *ſancti*. Charitatem ſpiritus vocat, quæ authorem habet Spiritum ſanctum. Nã charitatem intelligere videtur eorum ad quos ſcribit; qua videlicet Paulum ac cætera Chriſti membra diligebant: tametſi nonnulli de charitate quæ eſt ipſe Spiritus ſanctus, interpretentur.

VT ADIVVETIS ME IN ORATIONIBVS VESTRIS PRO ME AD DEVM. *Veſtris* multi Latini codices non addunt: vt nec in Græco legitur. Porrò Græcum verbum συναγωνίσασθαι non ſignificat quomodocumque adiuuare, ſed concertare, id eſt pugnantem & laborantem adiuuare. Vnde ſequitur de aduerſarijs.

31 VT LIBERER AB INFIDELIBVS QVI SVNT IN IVDÆA. *Qui ſunt* in Græco non eſt, & pro *infidelibus* participium eſt ἀπειθούντων; quo ſignificantur qui ſuaſionem non admittunt. Vno verbo *increduli* aut *imperſuaſi* dici poſſũt. Syrus *contumaces* vocat. Tales erant infideles Iudæi, pertinaciter reſiſtentes euangelio. Senſus: Vt poſtquam in Iudæam venero, liberer ab incredulis qui in ea ſunt, vt in manus eorum non incidam. Sciebat enim apoſtolus ſe in Iudæa periclitaturum, vt qui Iudæis propter euangelium ad gentes tranſlatum, vehementer eſſet exoſus. Quid autem ei acciderit proficiſcenti in Iudæam, ac deinceps in ipſa Iudæa: Lucas itineris eius ſocius luculenter exponit Act. 20 cap. & in alijs ſequentibus. In quo capite 20 legitur factas ei fuiſſe inſidias à Iudæis nauigaturo in Syriam: videlicet, arbitror, non ſolum vt ipſum interciperent & occiderent; verùm etiam vt pecuniam quam à gentilibus collectam deferebat Hie-

Periclitatur Paulus à Iudæis infidelibus.

roſolymam,

rosolymam auferrent. Neque enim res latere poterat quæ publicè per ecclesias gerebatur.

ET OBSEQVII MEI OBLATIO ACCEPTA FIAT IN IERVSALEM SANCTIS. Multi mss. codices hoc modo & ordine legũt: *Et obsequij mei oblatio in Hierosolymã accepta fiat sãctis.* Græca sic habent, καὶ ἵνα ἡ διακονία μου ἡ εἰς Ἰερουσαλήμ &c. *Et vt ministerij meũ quod est in Hierosolymam, acceptum fiat sanctis.* Syriacè: *Et ministerium quod defero sanctis in Ierusalem, bene suscipiatur.* Quanquam apud Chrysostomum & Theophylactum illud *in Ierusalem* non apparet. Et alioqui satis ex superioribus intelligitur. Reliqua pertinẽtia ad variam lectionem huius loci, videbis in notatione F. Lucæ. Nam de sensu satis conuenit, qui huiusmodi est: Orate etiam vt hoc meum ministerium quo fungor in perferenda Hierosolymam eleemosyna, sanctis pauperibus qui in ea sunt, acceptum ac gratum sit, eosque lætificet. Quod futurum erat, si larga esset eleemosyna, si salua perferretur, nec propter personam Pauli deferentis displiceret. Erat enim Paulus etiam fidelibus Iudæis suspectus, tanquam Mosaicæ legis aduersarius, vt liquet ex Acto. cap. 21. Cæterùm libet hoc loco annotare & quærere: Si Paulus implorat orationes Romanorum fidelium pro se ad Deum; cur non vicissim ac similiter Romani implorent orationes Pauli? Et si Pauli viuentis in hac carne mortali, cur non etiam hac mortalitate exuti, & regnantis cum Christo? Quod si in primo nulla est Christi mediatoris iniuria; certè nec in vltimo. Argumentum validissimum aduersus sectarios ecclesiam catholicam calumniantes, quod inuocando sanctos vt Deũ pro nobis orent, vni mediatori Christo iniuriam faciat. Et quidem Paulus frequens est in huiusmodi petitione, vt Ephes. 6. Colos. 4. 1 Thess. 5. 2 Thess. 3. Heb. 13, & ad Philemonem.

Paulus etiam fidelibus Iudæis suspectus propter legalia.

Sanctorũ inuocatio probatur, & ab hæreticorum calumnia defenditur ex hoc loco.

32 VT VENIAM AD VOS IN GAVDIO. *Vt* euentum significat. Sensus enim est: Ita fiet vt cum gaudio veniam ad vos.

PER VOLVNTATEM DEI. Hoc addit, quia piorum fidelium est omnia bona à Dei voluntate exspectare, & in omnibus à nutu prouidentiæ Dei pendere: quemadmodum docet Iacobus suæ epistolæ cap. 4.

Piorũ est omnia bona à Deo exspectare, & in omnibus ab eius prouidentia pẽdere

ET REFRIGERER VOBISCVM. Corrigendi codices in quibus *vt* pro & legebatur. Græcè & συναναπαύσωμαι, ad verbum, & *conrequiescam vobis*, id est, vnà vobiscum refocillet, quietem aliquam & recreationem apud vos capiam post labores & pericula.

33 DEVS AVTEM PACIS SIT CVM OMNIBVS VOBIS. AMEN. Optat eis pacem à Deo pacis authore, videlicet respiciens ad contentiones quæ inter eos fuerant; tam de iustificatione inter Iudæos & gentiles, quam de legalium obseruatione Iudæis ipsis inter se.

Deus pacis.

SVMMARIVM.

COmmendat Romanis Phœben ecclesiæ ministram. Varias deinde subijcit salutationes. Monet cauendum ab ijs qui ferunt dissensiones prater doctrinam traditam. Denique gratiam Dei illis precatur, cum subiuncta doxologia.

CAPVT XVI.

1 COMMENDO AVTEM VOBIS PHOEBEN SOROREM NOSTRAM. Hoc vltimum caput pene totum salutationibus occupatur. Incipit autem à commendatione Phœbes, cui perferendam Paulus hanc tradit epistolam. Sororem vocat, non quo significet vxorem suam aliquãdo fuisse, quam nunc habeat sororis loco: qui commentarius explodendus est: (Non enim dicit sororem meam sed *nostram*: & si meam diceret, haud vlla ratio esset vxorium aliquid hic suspicandi) sed sororem religione, id est Christianam: quomodo fideles omnes sese mutuo fratres & sorores appellabant.

Fideles omnes apostolo vocãtur fratres & sorores.

QVÆ EST IN MINISTERIO ECCLESIÆ QVÆ EST IN CENCHRIS. Rectius *Cenchreis*. Est enim trisyllabum, Græcè Κεγχρεαῖς. Porrò Cenchreæ (quarum etiam mentio fit Act. 18) portus erat & statio naualis Corinthiorum, instar oppidi, ad sinum Saronicum: de quo Plinius lib. 4 naturalis historiæ cap. 4. *Quæ est in ministerio*, Græcè ἔσαν διάκονον, *quæ est ministra ecclesiæ* &c. non quòd in ecclesia sacro diaconatus officio functæ fuerint aliquãdo mulieres, quibus nec loqui in ecclesijs permissum est, 1 Cor. 14. Sed ministra ecclesiæ Cenchreensis vocatur, vel quia Cenchreis habitans solita esset suscipere & fouere ministros verbi Dei; vel potius, vt censet Chrysostomus, quia deputata erat alicui ministerio spectanti ad ecclesiam, quod tamen per fœminam obiri posset, aut oporteret. Erant enim olim quæ appellabantur diaconissæ; non altari seruientes, sed alijs quibusdam ecclesiæ ministerijs addictæ. Ea ministeria quæ fuerint, discere licet ex ijs quæ scribunt Ignatius in epistola ad Antiochenses, & Epiphanius in hæresi Collyridianorum, ac rursus in extremo capite totius operis aduersus hæreses: denique ex ijs quæ habentur libro 2 constitutionum apostol. cap. 26. & lib. 3 cap. 15 & 19.

Cenchreæ quis locus

Diaconissa in primitiua ecclesia.

2 VT EAM SVSCIPIATIS IN DOMINO DIGNE SANCTIS. *In Domino*, id est, propter Dominum, cui illa seruit in suo ministerio: vt & in illa locum habeat quod Dominus dicit ad suos discipulos Matth. 10, *Qui recipit vos, me recipit*. Conuenit huic sensui quod additur, *dignè sanctis*; id est, ita vt decet suscipi sanctos, hoc est fideles fratres ac sorores, præsertim laborantes in Domino. Simili sermone Ioannes apostolus Caium monet vt peregrinos

fratres

fratres deducat *dignè Deo*, id est quomodo decet deduci cultores & ministros Dei.

ET ASSISTATIS EI IN QVOCVMQVE NEGOCIO VESTRI INDIGVERIT. Assistere siue adesse alicui, est operam ei suam accommodare, eum adiuuare.

ETENIM IPSA QVOQVE ASTITIT MVLTIS, ET MIHI IPSI. Græcè: *Nam & ipsa astitrix multorum fuit, & mei-ipsius.* Habet enim emphasim, simul & cõmendationem auget nomen προστάτις *astitrix, adiutrix.* Sic nãque non ab vno aut altero actu dicitur, sed à frequentia & assiduitate. Ostẽdit igitur æquum esse vt ei in negocijs subueniatur, quæ ipsa multorũ & ipsius Pauli adiutrix & procuratrix fuerit. Quidam de hospitio præbito interpretantur: Verùm significatio vocabuli generalis est. Sequuntur salutationes: in quibus obseruare est insignem humanitatem Pauli, qui tã multus & officiosus fuerit in salutando.

Προστάτις *astitrix cur Phœbe dicatur.*

Pauli humanitas in salutando.

3 SALVTATE PRISCAM ET AQVILAM. De his agit Lucas Act. 18. vbi Prisca diminutiuo, ceu blandiore vocabulo Priscilla nominatur; quẽadmodum & hic legitur in plerisq; Græcis codicibus, & apud Chrysostomum. Erant autem, vt ex eo loco constat, Prisca & Aquila coniuges, ambo Iudæi (licet Aquila Ponticus genere) scenofactoriam artẽ exercentes, & in religione Christiana non vulgariter instituti; vt qui Paulo vsi fuissent magistro domestico. Vnde, sicut eodem capite Actorum legitur, Apollo Alexandrino, viro in scripturis potenti, sed minus plenè viam Domini edocto, diligentius atque exactius eam exposuerunt. Et tunc quidem edicto Claudij Cæsaris Roma cum cæteris Iudæis eiecti Corinthũ venerant: Verũ Claudio mortuo, tum ipsis, tum alijs Iudæis in vrbem redeundi facta est potestas. Nã de eorum reditu vel hæc ipsa epistola satis testatur, secundo post extinctum Claudiũ anno Romam missa ad fideles magna parte Iudæos. Qua de re consule Baronium in annalibus ecclesiasticis. Cur autẽ hoc loco & Act. 18 semel & iterũ, ac rursum 2 ad Tim. 4, Prisca prior viro nominetur, hanc rationem adfert Liranus, *quia prius credidit, & ordo gratiæ præponendus est ordini naturæ.* Et ante Liranũ glossa interlinealis Act. 18, *Fides mutauit ordinem: Vnde non est masculus vel fœmina.* Alij alias adferunt rationes. Certè, vt hoc ordine nominentur, non est perpetuum. Nã 1 Cor. 16 viri nomen priori loco scribitur: vt verisimile sit idcirco mulieris nomen interdum præponi, quod notior ac nominatior esset apud fideles, siue propter egregiũ studiũ euangelij promouendi, quod indicat Chrysostomus homilia 10 super epistolam 2 ad Tim. siue propter aliam causam quæ nos lateat.

Eadem Prisca & Priscilla.

Laus Priscillæ & Aquilæ.

Cur Priscilla prior viro nominata.

ADIVTORES MEOS IN CHRISTO IESV. *Adiutores* Græcè συνεργοὺς, id est *cooperatores.* Quanquã & Erasmus adiutores vertendũ putauit. Quidã, teste Oecumenio, retulerũt istud ad cõmune opificiũ texendi tabernacula; de quo narrat Lucas in Actis. Sed nõ propter hoc vocaret eos cooperarios suos in Christo. Sic igitur Priscam & Aquilam adiutores suos in Christo nuncupat, sicut in sequentibus Vrbanum & Timotheum, & in epistolis ad Philip. 4 & ad Colos. 4, alios quosdam suos vocat adiutores, vtique *in Christo Iesu*, id est, in ijs quæ ad fidem Iesu Christi prouehendam pertinent. Cuius item rei testificatio est in prædicto Actorum loco.

Adiutores in Christo qui dicãtur.

4 (QVI PRO ANIMA MEA SVAS CERVICES SVPPOSVERVNT. Græcè numero singulari τράχηλον, *cervicem*). Sensus: qui pro mea vita tuenda semetipsos obiecerunt periculo. Metaphora sumpta ab ijs qui ceruice vel humero sustinent onus alioqui ruiturum: nisi potius ab ijs qui suam ceruicem aut iugulum resecandum præbent pro alio. Videtur apostolus respicere ad illud suum periculũ, quod in eodem cap. 18 Act. describitur: quando in ipsum Corinthi agentem vno animo insurrexerunt Iudæi, pertrahentes eum ad tribunal Gallionis proconsulis, & vt rerum nouarum authorem accusantes. Potest etiam referri ad historiam cap. 19, quando periclitatus fuit Ephesi ab argentarijs. Nam Priscam & Aquilam per id tempus etiam Ephesum deuenisse constat ex capite præcedenti.

Quid ceruicẽ supponere pro anima alterius. Pericula Pauli.

QVIBVS NON SOLVS EGO GRATIAS AGO, SED ET CVNCTÆ ECCLESIÆ GENTIVM.) Hoc addit, vel quia beneficium conseruatæ vitæ ipsius, tanquam communis magistri gentium, pertinebat ad omnes gentium ecclesias; vel propter hospitalitatem passim omnibus exhibitam; vel in genere, propter euangelij in gentes propagandi sedulam cooperationem. Quæ postrema ratio præ cæteris placet.

5 ET DOMESTICAM ECCLESIAM EORVM. Pendet à verbo *salutate.* Græcè, *& eam quæ in domo eorum est ecclesiam*, id est familiã Christianam. Priuatam familiam ecclesiam vocat, quod ex fidelibus constaret. Nam ecclesiæ nomen vsu apostolorum generaliter significabat omnem fidelium quamuis exiguam & priuatam vel vnius tantum domus congregationem; iuxta quod Dominus ait Matth. 18, *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Porrò domesticæ ecclesiæ horum coniugum Aquilæ & Priscillæ iam antè meminerat Paulus in 1 ad Cor. 16, vt appareat familiam fuisse admodum Christo deuotam. Sic & alibi loquitur; vt ad Philemonem: *Et ecclesiæ quæ in domo tua est.* Et Col. 4, *Salutate Nympham, & quæ in domo eius est ecclesiam.* Ad quæ loca amplius aliquid de hac appellatione dicturi sumus. Hic verò priusquam ad cæteras salutationes progrediamur: necessariò mihi monendus es lector, eos ferè omnes qui in hoc capite à Paulo nominantur aut salutantes aut salutandi (de viris loquor) à Dorotheo in sua synopsi recenseri inter septuaginta discipulos Christi: vt Aquilam, de quo iam dictum est: & Epænetum, de quo mox sequitur. Item Andronicũ, Ampliatum, Vrbanum & cæteros. Verùm

Priuata fidelium familia ecclesia dicta.

Synopsis de 70 Christi discipulis falsò inscripta S. Dorotheo.

Falsitatis arguitur eadem synopsis.

author illius synopseos, quisquis fuit (Nam Dorotheum Tyrium presbyterum & martyrem, cui inscribitur, authorem non esse, cum Baronio Cardinale, alijsque viris doctissimis, planè sentio) rem egit insulsam prorsus ac ridiculam, dum numerum LXX discipulorum conficit temerè collectis vndequaque nominibus Christi fidelium, ijs præcipuè quæ vel in Actis vel in epistolis apostolicis leguntur expressa: etiam eorum de quibus aut constet, aut plusquam probabile sit, quod Christum in carne non viderint: vt sunt Titus, Timotheus, Lucas, Philemon, Clemens atque alij. Quorum certè Titus gentilis erat & incircumcisus, Timotheus adolescens, circumcisus à Paulo senescente; vt Christo versante in terris vix puer esse potuerit: Lucas attestante Hieronymo in catalogo, euangelium sicut audierat scripsit, non sicut viderat. Philemon à Paulo Christi noticiam accepit: Clemens à Petro. Quale igitur figmentum est, istos inter LXX Christi discipulos recensere? Idem author vt numerum compleat, septem diaconos huc aggregat; in his Nicolaum aduenam Antiochenum, impurę sectæ principem. Adijcit Demam, Phygellum, Hermogenem Pauli desertores. Denique Cepham quem Paulus reprehendit Gal. 2, & Cæsarem, de quo scribit ad Philippenses in fine epistolæ dicens; *Salutant vos qui de Cæsaris domo sunt*, in hoc numero reponit: cum vtique Cephas ille non alius sit quam Petrus: nec Cæsar iste alius quã Romanus imperator. Taceo quod etiam Iacobum fratrem Domini his annumerat: quod tres Marcos facit: quod Silam & Siluanum pro duobus recenset. Illud ferendum non est, quod nimia absurditate Priscã & Euodiam fœminas, quarum Paulus meminit, in viros transformat, & episcopatũ vtrique attribuit. Nam ne de alijs authorẽ hunc loqui putes (Sunt enim Priscus & Euodus in ecclesiastica historia; ille, Christi, sicut fertur, discipulus, hic Petri in Antiochena sede successor) apertè declarat de ijs se loqui, quorum apud Paulum mentio est; qui profecto non alij sunt quam mulieres, quas dixi. Sed hæc satis ad commonendum lectorem, ne, quod quibusdam accidit, authoritate memorati libelli deceptus, de ijs quorum in hoc capite nomina leguntur, aliquid opinetur à veritate alienum. Multo namque satius est simpliciter ignorare qui fuerint, quam istiusmodi de eis commenta commentarijs infercire.

SALVTATE EPÆNETVM DILECTVM MIHI. Græcè *dilectum meum*, quomodo interpres inferius vertit, *Stachyn dilectum meum*. *Magnum est*, ait Theophylactus, *quempiam esse Pauli dilectum, qui cum iudicio, non ad gratiam, neque ex affectu, amare nouit.*

QVI EST PRIMITIVVS ASIÆ IN CHRISTO. *Primitiuus*, Græcè ἀπαρχὴ *primitiæ*. Nec in Græco legitur *Asiæ* sed *Achaiæ*, consentientibus Græcorum Chrysostomi ac posteriorum commentarijs, nec non versione Syriaca. Verùm Latini codices & expositores constanter legunt *Asiæ*. Et ita se legisse declarat Hieronymus scribens in caput Ezech. 43. Ita quoque Origenes non solum in commentarijs, sed etiam homilia 11 super Numeros. Suspicio est, in Græcis codicibus accidisse mutationem ex altero loco qui est 1 Cor. 16, vbi quidam Achaiæ primitiæ vocantur. Cæterùm, siue Asiæ siue Achaiæ primitias, id est primitiuos fructus *in Christo* (vel *in Christum*, vt habent complures Græci codices) Epænetum vocat apostolus, vel quòd inter fideles eius regionis præcipuus esset maximeque insignis, vt nonnulli exponunt; vel potius quod tempore primus aut ex primis esset illius regionis qui in Christum crediderant. Sic enim & alter locus qui est ad Corinthios, multò melius accipitur. Vide quæ de vocabulo primitiarum, & eius in scripturis vsu, diximus superius ad illud cap. 8, *primitias Spiritus habentes*. Si legendum *Asiæ*: constat intelligi debere Asiam minorem in qua erat Ephesus.

Primitiuus Asiæ Epaenetus quo sensu.

6 SALVTATE MARIAM QVÆ MVLTVM LABORAVIT IN VOBIS. *Mariam* Græcè μαριὰμ, ex Hebræo indeclinabile: quemadmodum & scribitur interdum hoc nomen apud euangelistas; vt Matth. 1 & 13, Lucæ 1 & 2. Quare sicut ex Abraham Latina terminatione fit Abrahamus: ita ex Mariam Mariama fieri posset, nisi aliter vsus esset authoribus, etiã euãgelistis omnibus, quibus passim scribitur & declinatur μαρίᾳ μαρίας &c. ideo fortè vt Romanum aliquid sonaret hoc nomen: vti factum in nonnullis alijs. Qua de re diximus aliquid in prolegomenis, vbi de nomine Pauli agebatur. *In vobis*; alij codices *in nobis*. Græcè, εἰς ἡμᾶς *in nos*, vel *erga nos*, id est, me meosque comites. tametsi nec desunt etiam Græca, quibus legatur *in vos*. Porrò quis hic labor vel quod opus fuerit, non exprimit apostolus; quanquam credendum est tale fuisse quod ad euangelij negocium promouendum pertineret. Quænam item fuerit hæc Maria, non constat; etsi recentiores quidam suspicantur eandem esse cum Maria Cassobolita; ad quã exstat epistola beati martyris Ignatij. Quam enim Paulus ita commendat, vt testetur eam erga sanctum apostolum, eiusque cooperarios multum laborasse; putant meritò credi eam esse, quam Ignatius ad ipsam scribens vocat Deo dignam, & fœminarum sapientissimam: ac rursus in epistola ad Heronem diaconum, eruditissimam, ac specimen piarum fœminarum. Non solum enim nomen, sed & locus conuenit, nec tempus repugnat. Scribit enim Ignatius eam Romæ apud Anacletum (aliâs Cletum) papam fuisse, eum scilicet qui Clementem, vt ait, successorem habuit. Cui tempori satis congruit, vt eadem fuerit: eãque opinionem etiam Toletus probabilem censet. Rem tamen expendant studiosi.

Mariam Hebraicè, Maria Græcè & Latinè.

An hæc Mariæ Cassobelita.

7 SALVTATE ANDRONICVM ET IVNIAM. Ita meliores codices, non *Iuliam*, quod nomen infrà legitur. Nam & Græca & Syra *Iu-*

niam

niam habent hoc loco. Dubium autem, sitne viri nomen Iunias, an fœminæ Iunia. Theophylactus fœminam intelligit. At multo sanè verisimilius est (quod plerique sentiunt) viri nomen esse; propter illud quod sequitur, *qui sunt nobiles in apostolis.*

Iunias an Iunia.

COGNATOS ET CONCAPTIVOS MEOS. Vtrique nomini *μου meos*, additur in Græco. Cognatos suos, id est eiusdem secum generis eos vocat (vt multi exponunt) quia Iudæi erant, quemadmodum suprà cap. 9 de Iudæis in vniuersum dixit, *qui sunt cognati mei secundum carnem*. Et sic cum loqui, vt Iudæorũ qui Romæ erant gratiam sibi cõciliet. Verũ quia multi Romæ erant Iudæi Christiani, & proinde hac generali ratione Paulo cognati; idcirco putant alij cognatos hic dici magis propriè, vt qui fuerint Paulo contribules, id est de tribu Benjamin; aut fortè etiam propiore sanguinis vinculo coniuncti. Porrò concaptiuos intellige, quod aliquãdo cõmunia cum Paulo vincula pro Christo passi fuissent. Vbi tamen aut quoã factũ sit, ignoratur.

Cognatos suos quos vocet Paulus.

QVI SVNT NOBILES IN APOSTOLIS. *Nobiles*, Græcè ἐπίσημοι *insignes. In apostolis*, id est inter apostolos: non autem, vt quidam exponunt, iudicio apostolorum. Largè sumit apostoli nomen: vt comprehendit omnes eos qui euangelium Christi infidelibus annunciant. Quo in genere apparet hos duos non segniter laborasse, etiam cum Paulo, cui fuere captiuitatis socij. De vocabulo apostoli, ad quos extendatur, vide quæ diximus ad illud primi capitis: *vocatus apostolus.*

Apostoli nomen largè sũptum.

QVI ET ANTE ME FVERVNT IN CHRISTO. Hoc est: qui priores me in Christum crediderunt, Christiani fuerunt. Nam esse in Christo, est esse Christianum. Notanda Pauli modestia, qui sic laudat alios, vt semetipsum deprimere videatur. Origenes ex eo quod hi viri dicuntur nobiles in apostolis, & ante Paulũ in Christo fuisse; coniecturam sumit eos ex numero fuisse LXXII Christi discipulorum. Atque id multi sequuntur. Verum hoc si esset; non de illis hoc tantum diceret Paulus, *qui ante me fuerunt in Christo*; sed aliquid honorabilius: qui Dominum viderunt in carne, qui ab eo vocati ad discipulatum, & cum eo conuersati. Vel illud, quod de alijs quibusdam Philip. 4, *quorum nomina scripta sunt in libro vitæ*. Nam Christus hoc illis LXXII dixit: *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælis*, Luc. 10.

Paulimodestia.

An hi duo ex 70 discipulis.

8 SALVTATE AMPLIATVM DILECTISSIMVM MIHI IN DOMINO. Græcè, *Ampliam dilectum meum*; licet Ruffinus Origenis interpres *Ampliatum scripsit*, Latinos, vti reor, codices secutus: quanquam & textus Ambros. *Ampliam* legit. Addit Paulus *in Domino*, nempe Christo, vt Christianam declaret dilectionem.

9 SALVTATE VRBANVM ADIVTOREM NOSTRVM IN CHRISTO IESV. *Iesu* Græci codices non addunt: nec omnes Latini. *Adiutorem* rursus Græcè *cooperarium*. Vocat autem adiutorem seu cooperarium *in Christo*, sicut expositum est superius, hoc est in ijs quæ ad fidem Christi propagandam pertinent.

ET STACHYN DILECTVM MEVM. Hic Stachys à beato Andrea apostolo primus Byzantinæ ciuitatis episcopus ordinatus est: vt legitur in martyrologio Romano pridie calendas Nouembris. Quo etiam loco scribitur Ampliatum & Vrbanũ, & (qui paulo pòst sequitur) Narcissum ob euangelium Christi à Iudæis & gentilibus cæsos fuisse.

Stachys primus Byzantij episcopus.

10 SALVTATE APELLEN PROBVM IN CHRISTO. *Probum in Christo*, id est probatum Christi discipulum. Nam Græca vox δόκιμον probatum & sincerum significat. Probatum intelligit Origenes per tribulationes. Nam *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem*. suprà cap. 5. Idem Origenes addubitat, num hic sit Apollo Alexandrinus, cuius in Actis apostolorum & in priore ad Corinthios epistola mẽtio fit. Sed non est reuera cur dubitetur. Nam Apollo non versabatur Romæ; & si eum salutare vellet Paulus, maioribus ornaret titulis, vt virum qualem nouerat, & qualis Act. 18 describitur.

Apelles non idem qui Apollo.

11 SALVTATE EOS QVI SVNT EX ARISTOBVLI DOMO. *Domo*, id est familia. Plurimi codices, etiam mss. omittunt (*domo*) ad exemplum Græci textus, vbi sic legitur: ἀσπάσασθε τοὺς ἐκ τῶν ἀριστοβούλου. Quod ita verti potest, *Salutate eos qui sunt ex Aristobuli domesticis* seu *familiaribus*; atque ipsum imprimis (quod intelligitur) Aristobulũ. Sicut & mox, ipsum Narcissum. Nam quod ex hac forma salutandi colligunt Latini quidam, ipsos Aristobulum & Narcissum eo tempore domo absentes fuisse, ideoque non ipsos sed eorum domesticos ab apostolo salutari: mihi non videtur consequens, Græci sermonis idiotismum consideranti. Nec propter aliquanti temporis absentiam in salutatione prætermittendi erant illi, quorum domestici salutabantur. Hunc Aristobulum solitum congregare fideles in suam domum, id est fidelium conuentus facere, significat Amb. commentator, dum eum vocat congregatorem fratrum in Christo. Eiusdem tanquam apostolorum discipuli & martyris dies natalis in Rom. martyrologio notatur ad idus Martij. Quo etiam loco Baronius annotat ex Græcorum menologio, missum fuisse Aristobulum ad Britannos euangelij prædicandi causa. Multosque alios ad eandem rem testes adducit Guilielmus Cambdenus Britanniæ suæ pag. 40.

Aristobulus Britãnis euangelium prædicauit.

SALVTATE HERODIONEM COGNATVM MEVM. Cognatum intellige vt suprà; vel gentilem Pauli, id est Iudæum, vel potius sanguine coniunctiorem.

SALVTATE EOS QVI SVNT EX NARCISSI DOMO. Id est, Narcissum cum suis domesticis. Hic omnes codices Latini exprimunt *domo*, cùm Græcè legatur vt in versu præceden ti. Narcissum hunc quidam eundem faciunt

cum

Narciſſus hic an idē cū Narciſſo Claudij liberto

cum Narciſſo potentiſſimo liberto Claudij imperatoris, penes quem illo regnante, quod Sueronius, Tacitus ac Dio teſtantur, ſumma rerum erat. Sed hanc opinionem ex ratione temporum Baronius refellit ad annū Domini 58. Quod autem refert Ambroſiaſter, Narciſſum de quo Paulus, presbyterum fuiſſe, *qui peregrinando* ſuis exhortationibus firmabat credentes; ex eo natum videri poteſt, quia putatur domo abfuiſſe Narciſſus, quando Paulus hæc ſcribebat.

QVI SVNT IN DOMINO. Id eſt, eos qui in Chriſtum Dominum credunt. Hoc addit, quòd fortaſſe nondum omnes Narciſſi domeſtici fidem Chriſti recepiſſent. Nec erat cur infideles per epiſtolam, ad ſolos fideles ſcriptam, ſalutaret.

12 SALVTATE TRYPHÆNAM ET TRYPHOSAM, QVÆ LABORANT IN DOMINO. Id eſt, quæ collaborant euangelio Chriſti Domini, nimirum eo labore qui ſexui illi conueniat. Tryphęna & Tryphoſa mulieres fuere nobiles Iconienſes, quas Paulus Iconij ad Chriſtū cónuertit; vt memoratur in actis Theclæ virginis fidelioribus.

SALVTATE PERSIDEM CARISSIMAM. Græcè τὴν ἀγαπητὴν *dilectam*.

QVÆ MVLTVM LABORAVIT IN DOMINO. Videlicet eodem laboris ac miniſterij genere cum fœminis ſuperioribus. Hanc tamen impenſius laudat, quia *dilectam* vocat, & *multum* laboraſſe dicit. Vtens autem verbo præteriti temporis *laborauit*, reſpicere videtur ad labores quoſdam peculiares & graues, quos eccleſiæ cauſa Perſis ſubiuerat. Quod æquè dixerim de Maria, de qua ſimiliter eſt locutus, ſuprà, v. 6.

13 SALVTATE RVFVM ELECTVM IN DOMINO. *Electum in Domino* vocat, vel quod pietate eſſet inſignis inter Chriſti Domini fideles; vel generali ratione, qua cunctos fideles apoſtolus ſanctos & electos vocare conſueuit. Quanquam prior ratio pluribus placet. Huius Rufi natalis annotatur in Rom. martyrologio ad 11 calend. Decembris. An autem idem ſit cum Rufo, cuius patrem Marcus refert fuiſſe Simonem Cyrenæum, crucis Chriſti baiulum, quæritur à nonnullis. Certè ſi Rufus ille apud Marcum & frater eius Alexander fuere diſcipuli Chriſti de LXX, quod plerique ſentiunt; non eſt veriſimile hunc Rufum, quem Paulus tantum appellat electum in Domino, cum illo eundem eſſe. Nam LXX diſcipuli paſſim apoſtoli ſalutabantur. Et hoc nomine Paulus eos comprehendit 1 Cor. 15 dicens; *deinde apoſtolis omnibus*; quemadmodum illic oſtendemus. Adde, quod iſte Rufus, hæc Paulo ſcribente, matrē adhuc habet ſuperſtitem, eāque Romæ agentem, vt patet ex verbis ſequentibus. Vnde & ipſum Romanum fuiſſe veriſimile eſt: cum Rufus ille euangelicus patre natus fuerit Cyrenæo.

Rufus cur electus dicatur.

An idem cum Rufo Simonis Cyrenæi filio.

ET MATREM EIVS ET MEAM. Cauſa honoris eam quæ Rufi ſecundum carnem mater erat, etiam ſuam matrem nuncupat. Ex quo colligitur fuiſſe venerabilem fœminam, ac de re Chriſtiana bene meritam.

14 SALVTATE ASYNCRITVM, PHLEGONTEM. Hi duo, ſimul cum Herodione ſupradicto, tanquam apoſtolorum diſcipuli recitantur in martyrologio Romano, ad diem 6 Idus Aprilis.

HERMAM, PATROBAM, HERMEN. Hermas iſte, ſicut de eo loquitur Rom. martyrogium, *dignè ſemetipſum ſacrificans, acceptabiliſq; Deo hoſtia factus, virtutibus clarus cœleſtia regna petiuit*. Hunc eſſe authorem libri qui Paſtor inſcribitur, putat Origenes in huius loci commentario. Quam opinionem referunt, ipſi nihil affirmantes, Euſebius lib. 3 hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 3, & Hieronymus in catalogo. Ruffinus ſub nomine Hermatis eundem librum citat in expoſitione ſymboli. Sunt qui Hermen ſiue Hermetem, qui poſt Patrobam nominatur, authorem illius libri faciant: Sed plures Hermam appellant, id eſt, eum qui priori loco ſcribitur; idque etiam Pamelius probat in annotatione ſuper Ruffini dictam expoſitionem. Siquidem & ipſe author libri non ſemel Hermam ſe nominat. Sed tamen his in vniuerſum obſtare videtur, quod in libro pontificali, vbi de Pio primo agitur qui fuit à Petro vndecimus, ſcriptum habetur, ſub ipſius epiſcopatu fratrem eius Hermetem ſcripſiſſe librum, in quo mandatum continetur allatum ab Angelo Domini, cum veniret ad eum in habitu paſtoris, vt ſanctum paſcha die Dominica celebraretur. Cuius rei ipſe etiam Pius in ſua prima epiſtola decretali mentionem facit. Et ne hæc dubiæ fidei fortè cuiquam videantur; etiam Tertullianus in fine lib. 3 Carminum in Marcionē, idipſum confirmat hoc verſu: *Poſt hunc deinde Pius, Hermas cui germine frater, Angelicus paſtor*, &c. Ex quibus apparet non ab iſtorum alterutro, qui hic ſalutantur, ſed multis annis pòſt, ab alio quodam ſiue Herma, ſiue Hermete, qui frater Pij pontificis fuerit, librum Paſtoris conſcriptum eſſe: niſi quis dicat (quod ſuggerit Baronius in annalibus ad annum Domini 159) diuerſos eſſe libros à diuerſis authoribus editos, quorum poſterior exciderit. Nam certè qui nunc exſtat, ſub Clemente ſcriptus videtur: Huic enim iubetur author librum ſeu libri partem mittere. Tum nec vſquam in eo fit mentio paſchatis celebrandi die Dominica. Cæterùm, quod ad librum attinet; etſi doctrinam reuera non inutilem contineat, & ex eo teſtimonia veteres interdum proferant, adeoque publicè legi quondam ſolitus ſit apud quaſdam Græcorum eccleſias; vt teſtantur Origenes, Euſebius & Hieronymus: inter ſacras tamen & canonicas ſcripturas non habendum conſtat, ſed potius inter apocryphas; quemadmodum de eo iam olim cenſuit Gelaſius

Quis author libri qui Paſtor inſcribitur.

Liber Paſtoris quo loco habendus.

Rom. pontifex in decreto de scripturis canonicis & apocryphis. Sequuntur Patrobas & Hermes; pro quo Mercurium vertit Erasmus. Hoc enim Græco nomine Mercurius appellatur. Sed cum Hermes sit etiam apud Latinos nomen proprium; non erat cur in Mercurium (quo nomine mercatorum & furum Deus Latinis propriè vocatus est) mutaretur.

Pro Hermete Mercurium scripsit Erasmus, non benè.

ET QVI CVM EIS SVNT FRATRES. Id est, Christianos eorum domesticos.

15 SALVTATE PHILOLOGVM ET IVLIAM. Incertum, *Iuliam* virum dicat an fœminam. Origenes fœminam intelligit, ac suspicatur Philologi coniugem fuisse: & eos qui sequuntur, horum familiares. Hunc Philologum cum Patroba, vt sancti Pauli discipulos, coniungit martyrologium Rom. pridie nonas Nouembris.

NEREVM ET SOROREM EIVS. De his nihil exstat: nisi fortè sit ille Nereus qui cum fratre Achilleo à sancto Petro baptizatus, cum eodem martyrium subijt. Quorum diem natalem agit ecclesia Romana quarto idus Maij.

ET OLYMPIADEM. In Græco & Syriaco legitur, *Olympán*, vltima apud Græcos circumflexa. Quod argumento est viri nomen esse, quod recto casu dicitur Olympas. Atque hunc vnà cum Herodione martyrium pertulisse sub Nerone, testatur ex Metaphraste Baronius in annalibus ad annum Domini 69.

ET OMNES QVI CVM EIS SVNT SANCTOS. Græcè hoc ordine: *& qui cum eis sunt, omnes sanctos*. Sanctos vocat quos paulo ante fratres; idque à vera sanctitate; quoniam etsi fortè non omnes quos salutari valt, tales sint, id est verè sancti: communitas tamen ipsa sanctorum est. Qua de re vide quæ diximus ad cap. 1 huius epistolæ. Annotat ex Chrysostomo Theophylactus Paulum in hac epistola tam multos salutasse, quam in nulla alia; causamque addunt, quia nondum viderat ipse Romanos.

Christiani sancti.

16 SALVTATE INVICEM IN OSCVLO SANCTO. Consuetudo erat antiquis, quam Augustinus quæst. 87 in Genesin etiam suo tempore quibusdam locis fuisse testatur, vt propinquos & amicos aduenientes salutaturi osculo exciperent. Qui mos etiam hodie apud multos seruatur. Est enim osculum amoris symbolum, à quo & nomen habet Græcis φίλημα. Sed quia amor quidam carnalis est; & rursum alius simulatus: hinc dicit apostolus, *in osculo sancto*, id est cum osculo quale decet sanctos, quodque symbolum sit amoris casti, synceri, spiritualis ac diuini, quam charitatem vocamus. Sanctum igitur osculum dicitur non solum ad discrimen osculi dolosi, quale fuit quod Ioab portexit Amasæ 2 Reg. 20. & Iudas proditor Christo, Matth. 26. vel osculi impudici, quale est turpiter amantium; sed cuiuscumque carnalis osculi: quale quodcumque non à Christiana charitate procedit. *Ex hoc sermone*, inquit Origenes, *mos ecclesijs traditus est, vt post orationes osculo se inuicem suscipiant fratres.* Imò nonnulli probabile existimant Paulum vtentem hac forma sermonis, (vtitur enim & aliâs, vt in vtraque epistola ad Corinthios capite vltimo, & 1 Thess. 5. vtitur & Petrus 1 epistolæ 5) loqui de osculo pacis, quod tempore sacrificij exhibetur ante mysteriorum perceptionem. Vide quæ Baronius hac de re scribit in annalibus, ad annum Domini 45. Porrò quibus omnino ex causis honestè sibi mutuo fideles impendant osculum corporale; docet aliquot causarum enumeratione scriptor libri de amicicia cap. 6, qui habetur inter opera B. Augustini tomo 4. Quæri potest hoc loco, cur Paulus in salutandis fratribus qui Romæ erant tam officiosus, non etiam Petrum collegam & coapostolum suum salutet, vtique vel primo loco salutandum, si Petrus iam tum Romæ cathedram posuerat, vti tradunt catholici scriptores. Hoc enim, inter alia, argumentum est eorum qui Petrum negant episcopum Romanum fuisse. Quibus respondeo, Petri salutationem à Paulo omissam esse, non quia Petrus non erat Romanus episcopus, sed quia tunc Romæ non erat quando scribebatur hæc epistola. Pulsus enim Roma Petrus edicto Claudij Cæsaris vnà cum cæteris Iudæis, necdum illuc redierat, occupatus videlicet in propagando longius ac latius euangelio. Nec verò Paulus ignorabat Petrum versari in officio suo apostolico, sicut & ipse versabatur; ideoque non vno loco consistere: sed partim ad eos quibus nondum annunciatus erat Christus, euangelij sonum prædicando transmittere, partim eos qui crediderant reuisendo, in fide confirmare. Sanè si Petrus eo tempore Romæ fuisset; non vtique prætermisisset pro sua authoritate & munere apostolico, dissidium componere, quod inter fideles Iudæos & gentiles ortum fuerat, & errorem de iusticia legis & operum, mentibus eorum penitus eximere. Sed nec Paulus sibi sumsisset operam scribendi ad Romanos, qui præsentem haberent suum apostolum & doctorem, præsertim tanti nominis virum. Quæres cur saltem Petrus ipse si absens erat, ad suos Romanos inter se dissidentes non scripserit? Propterea, credo, quod res ad eum procul agentem non esset perlata. *Nisi dicere velimus*, ait Baronius, hanc epistolam *pro sua defensione Paulum scripsisse, quòd de abrogatis legalibus sibi negocium factum esset.* Plenius hac de re idem author in annalibus ad annum Domini 58.

Consuetudo salutandi cũ osculo.

Osculum amoris symbolũ.

Osculum sanctum quod dicatur.

Osculum pacis in mysterijs.

Honesta causa osculandi.

Cur Petrus à Paulo non salutatus in hac epistola.

Cur Petrus ad Romanos non scripserit.

SALVTANT VOS OMNES ECCLESIÆ CHRISTI. *Omnes*. Græca non addunt; exceptis paucis, in quibus postponitur, *ecclesiæ omnes Christi*. Intelligit autem ecclesias apud quas versabatur. Hoc exemplo Pauli, recte & sine mendacio in epistolis ad amicos, asscribimus

salu-

Mos ascribendi salutatores absentes haud improbandus.

salutatores eos quos non conuenerimus, dicentes, Salutat te ille vel ille: modo tales sint, qui verè ijs ad quos scribitur, optent & perferri cupiant salutem: quales haud dubiè erant ecclesiæ Christi, quæ Paulo non dederant peculiare mandatum salutandi Romanos; sed quarum tamen ille charitatem & affectum nouerat, quo Romanis bene & feliciter esse volebant. Sic ad Corinthios scribit primæ epistolæ vltimo: *Salutant vos ecclesiæ Asiæ.*

17 ROGO AVTEM VOS FRATRES. Rogo Græcè παρακαλῶ, quod etiam hortari & consolari significat. Consolari non conuenit huic loco. Chrysostomus παρακλεῖσθαι, id est admonitionem siue exhortationem esse dicit: tametsi rectè noster interpres & alij quidam verterunt *rogo, obsecrò.*

VT OBSERVETIS EOS QVI DISSENSIONES ET OFFENDICVLA PRÆTER DOCTRINAM QVAM VOS DIDICISTIS, FACIVNT. *Vt obseruetis*, Græcè σκοπεῖν quod alij vertunt, *vt consideretis*. alij *vt speculemini*, Augustinus legit, *vt intendatis in eos*. Sed sensus omnium idem est. Obsecro vos, inquit, & adhortor vt vigilanter obseruetis, etiam cum inquisitione, si qui dissensiones seu dissidia opinionū inter vos suscitant, contra doctrinā quā initio accepistis ac didicistis à Petro apostolo & alijs quos habuistis euangelij ministros: & per hoc pariunt offendicula, Græcè σκάνδαλα: videlicet multos peruersæ suæ doctrinæ blandicijs attrahētes in ruinā. Illud *præter doctrinam* &c, propriè referimus ad dissensiones: ex quibus deinde nata sunt sequi scandala: quemadmodum & Chrysostomus eiusq; sequaces exponūt. *Præter*, id est contrā, quomodo vertit alibi Græcam præpositionem παρά; vt huius epistolæ cap. 1 & 11 *contra naturam*, & cap. 4, *cōtra spem*. Nec secus interpretandum illud Gal. 1, *Præter id quod accepistis*. De quo latius suo loco. Notabis apostolum non dicere præter scripturā sacram. Nā ea cum sit multis locis obscura, facilè detorquetur in alienā & falsam sentētiā: Sed ait, *præter doctrinā quam didicistis*, id est, vt dixi, contra doctrinā vobis initio traditā. Facit igitur hic locus imprimis pro traditionibus non scriptis; facit etiā pro obseruandis, & vt Theophylactus loquitur, inquirendis diligenter hæreticis, tanquam hominibus noxijs & Christianæ reipublicæ pernicioſis. Innuit præterea his verbis apostolus plebē Christianam aliquo modo, id est ex generalibus quibusdam principijs discernere posse doctrinā veram à falsa; vt si ab apostolis & eorū successoribus tradita sit & accepta; secundum illud 1 Ioan. 4, *Qui nouit Deum audit nos: qui non est ex Deo non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris. In hoc*, id est in eo quod est audire vel non audire pastores ecclesiæ, eorumque doctrinā recipere vel non recipere. Porrò rationē cur dissensionum doctrinæ authores apostolus obseruari velit, ipse subiungit.

Præter prò contra positum.

Locus prò traditionibus non scriptis.

Hæretici obseruandi & inquirendi.

Doctrina vera à falsa discretio quomodo pertineat ad plebē.

ET DECLINATE AB ILLIS. Ac si dicat: ideo obseruate, vt ab ijs declinetis, id est eorū consortium fugiatis. Nō dicit, disputate cū eis vt cōuertantur: sed vult eos vitari. Quod & Ioānes præcipit in 2 epistola: *Si quis*, inquiēs, *venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert; nolite recipere eum in domū*. Ratio manifesta, quia noxia valde & pernicioſa fidelibus est eorum consuetudo. Nam, vt alibi dicit apostolus, *sermo eorum vt cancer serpit* 2 Tim. 2. & vt hoc loco statim subiungit, *per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium*.

Hæretici vitandi: non cum eis disputandum.

18 HVIVSCEMODI ENIM CHRISTO DOMINO NOSTRO NON SERVIVNT. *Christo Domino nostro*, Græcè, *Domino Iesu Christo*. Qui tales sunt, inquit, ij sua doctrina non seruiunt gloriæ Christi, quamuis ita videri velint.

SED SVO VENTRI. Id est, quærūt vnde lautè viuant, & gulam expleant. Ventris mancipia sunt. Iudaizantes denotantur, præsertim illi quos 2 Cor. 11 pseudapostolos appellat: de quibus ibidem; *Si quis deuorat*. Et Philip. 3. *Quorum Deus venter est*. Et qui *ventres pigri* vocantur ad Tit. 1. Hæc enim ad eosdem pertinere de quibus hic agitur, censet Augustinus. Ac de ijsdem Theophylactus & Oecumenius exponunt. Quamuis enim omnibus hæreticis sit communis superbia: præter hoc tamen aliorum hæreticorum alia vicia sunt. Iudaizantes autem peculiariter vt gulæ deditos notare solet Paulus.

Iudaizantes Ventricolæ.

Omnibus hæreticis cōmunis superbia.

ET PER DVLCES SERMONES ET BENEDICTIONES SEDVCVNT CORDA INNOCENTIVM. Græcè numero singulari, ἐ διὰ τῆς χρηστολογίας, καὶ εὐλογίας &c. *& per blandiloquentiam & benedictionem*. tametsi Syrus quoque pluralē numerum reddidit. Εὐλογίαν alij vertunt *assentationem*, minus rectè. Nam εὐλογία, *benedictio*, vocabulum medium est, cōprehendens nō solum laudes, verūm etiam faustas imprecationes; licet hic in malam partem accipiatur. Vide quæ de ea voce diximus suprà ad illud cap. 12, *Benedicite persequentibus vos*. Innocentes, Græcè ἀκάκους, vocat simplices & incautos; qui facilè decipiūtur. Hæc quoq; pars apprimè quadrat in pseudapostolos illos Iudæos, propter quos ait 2 Cor. 11, *Timeo ne sicut serpens Heuam seduxit astutia sua: ita corrūpantur sensus vestri*, &c. Atqui in nullos magis hæc eadem competunt, quam in hæreticos nostri sæculi, qui per blandiloquentiam, assentationes, magnifica promissa, perque specioſa nomina verbi Dei, puræ doctrinæ & securitatis conscientiæ, decipiunt simplices & imperitos.

Benedictio vocabulum mediū est.

Innocentes in scriptura vocantur simplices.

Hæreticorū nostri temporis blandiloquia.

19 VESTRA ENIM OBEDIENTIA IN OMNEM LOCVM DIVVLGATA EST. Quod hic legitur, *in omnem locum diuulgata est*, Græcè tantum est, *ad omnes peruenit*. Sed interpres exponere voluit, *ad omnes*, id est, *in omnem locum*. Sensus enim est: Nam vestra quidem obedientia qua promptissimè recepistis euangelium Christi vobis annunciatum, latissimè quaquauersum diuulgata est, etiam ad remotiora loca.

Romanorum obedientia in omnem locum diuulgata.

Hac laudatione præmollit admonitionem sequentem, qua cautos vult reddere Romanos, ne seducantur ab ijs quos superioribus verbis descripsit. Obedientiam modo iam explicato passim vsurpat apostolus; vt huius epistolæ cap. 1. 10 & 15, & 2 Cor. 9.

GAVDEO IGITVR IN VOBIS. *In vobis*, Græcè τὸ ἐφ' ὑμῖν. Latinè dici potest: *quod vos attinet.* Propter quod, inquit, & gaudeo sanè de vobis, ac vestri causa. Nam illa vestra fidei promptitudo tam peruulgata meritò magni gaudij materiam mihi præbet. Iam sequitur admonitio.

SED VOLO VOS SAPIENTES ESSE IN BONO, ET SIMPLICES IN MALO. Græcè: *Volo autem vos sapientes quidem esse ad bonum, simplices autem ad malum.* Sensus est: Sed volo, & ad hoc vos adhortor, vt sitis sapientes quidem & intelligẽtes rerum bonarum, scilicet vt eas quẽadmodum oportet faciatis: (Significatur enim noticia practica quæ prudentiã requirit.) Ad mala verò simplices & innoxij, id est rerũ malarum agendarum imperiti: quomodo Christus dicitur nescisse peccatum 2 Cor. 5. *Simplices* Erasmus vertit *sinceros.* Nã id etiam significat Græca vox ἀκέραιος, id est integros, incorruptos. ac si dicat apostolus: Seruate vos puros & integros ab admittẽdo quod malũ est, ac nominatim ab omni corruptela doctrinæ quã suggerunt falsi magistri: quos monui vobis obseruandos esse. Verùm magis placet *simplices.* Non enim dicit apostolus, à malo, quod dicendum erat, si significaret *sinceros, incorruptos*; sed, *ad malum.* Sic & Dominus admonet Matth. 10 dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices* (ἀκέραιοι) *sicut columbæ.* Nã & Erasmus eo loco vertit *simplices*, quod est innoxij, scilicet more placidorum animalium non habentiũ cornua quibus offendant aut noceant. Inde enim sumpta translatio Græci vocabuli ἀκέραιοι, quasi dicas, *sine cornibus.* In quẽ sensum etiam Græci commentatores hũc apostoli locum exponunt. Estque simile præceptum apud eundem 1 Cor. 14. *Nolite pueri effici sensibus, sed malicia paruuli estote:* vt sint ijdem *simplices ad malum*, & *malicia paruuli.*

Sapientes ad bonũ, & simplices ad malum nos esse vult Paulus.

20 DEVS AVTEM PACIS CONTERAT SATANAM SVB PEDIBVS VESTRIS VELOCITER. Græcè, *conteret Satanam sub pedes vestros in breui.* Latina quoque nonnulla mss. & in his Laudense exẽplar, suffragãte etiam Primasio, & iuxta codices antiquiores Amb. commentatore, legunt enunciatiuè *conteret.* Quibus & Syriaca versio consentit. Igitur verba sunt vel bene precantis, sicut & Theodoritus intellexit, vel bene sperantis. Deus, inquit, pacis author, satanam per ministros suos errorũ magistros calcaneo vestro insidiantem, hoc est ad lapsum & defectionem à recta fide solicitantem, breui conterat sub pedibus vestris, id est citò victoriam de eo vobis tribuat, exstinctis penitus inter vos opinionum dissidijs. Quod ipsum etiam breui facturum confido. Alludit apostolus ad illud Gen. 3 dictũ serpẽti: *Ipsa conteret caput tuum*, vel secundũ Græcos codices *ipse conteret*, Hebraicè, *ipsum conteret*: nempe semen mulieris. Quem scripturæ locum, etsi proprièpertinẽtem ad Christum, generaliter de fidelibus acceperunt Hieronymus in libro quæstionũ Hebraicarũ super Genesin, & Chrysostomus in eundẽ librũ ho. 18. Quidam satanam interpretantur omnem spiritum aduersantem credentibus, siue dæmonem siue hominem. Nam satan aduersarium in genere significat. Ita post Origenem Sedulius. Sed ipsum diabolum intelligi, id est serpentem antiquum, per se suosque ministros semen mulieris persequentẽ, & calcaneo eius insidiantem, satis apparet ex dictis.

Quid Satanã conterere sub pedibus.

GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI VOBISCVM. Gratiam à Deo per Christum precatur Romanis: vt & satanæ insidijs euadant superiores, & in omni bono proficiant. Nam gratiæ nomine fauorem & beneficentiam intelligit, ad omnia quæ sunt pietatis & saluris. Est autem hæc velut hypographe epistolæ, qua valedicit: quam & infrà repetet, interim alia quædam additurus.

Gratiæ nomine quid significetur.

21 SALVTAT VOS TIMOTHEVS ADIVTOR MEVS. Humanitatis Paulinæ est non solum multos salutare, verùm etiam alios salutatores sibi in epistola nominatim adiungere. Nã suprà tantum generatim dixerat, *Salutant vos omnes ecclesiæ Christi.* Nominat autem primo loco Timotheum adiuterem, Græcè cooperarium suum, vtique in negocio propagandi euangelij, nempe illum ad quem duæ exstant ipsius epistolæ: cuius & alibi sæpe cum laude meminit. Porrò *salutat* Græcè est ἀσπάζονται *salutant.* Comprehẽduntur enim etiam sequentes.

Humanitas apostoli Pauli.

ET LVCIVS. Hunc eundẽ esse cũ Luca euãgelista sentit Origenes, nõ abs ratione: vt etiã plerique docti sententiæ eius subscribãt. Nam Lucam cum alijs qui hic nominantur, adfuisse Paulo per id ferè tẽpus quo hæc epistola scripta fuit, Acta apostolorum declarant cap. 20, vbi loquitur aliquoties in prima persona. Lucam autem Lucium vocat, nomine ad vsum Romanum inflexo; maximè quod ad Romanos scriberet: qua ratione Silã quoque Siluanum alibi vocat. Est quidem Act. 13 mẽtio cuiusdam Lucij Cyrenensis, qui erat inter prophetas & doctores ecclesiæ Antiochenæ; sed ab hoc diuersus. Non enim ille legitur vsquã Paulum comitatus fuisse, aut egisse Corinthi; vnde scribitur hæc epistola.

Lucius idem qui Lucas.

Silas idẽ qui Siluanus.

ET IASON ET SOSIPATER COGNATI MEI. Iasonis meminit Lucas Act. 17. Quem apparet Thessalonicẽsem fuisse. Nam illic domum habebat, in qua quum hospitio Paulũ & Silam excepisset, Iudæorum violentũ impetũ & accusationẽ sustinuit. De quo Iasone Paulum hic loqui pleriq; sẽtiũt. Nec verò est cur dubitetur. Diuersus est autẽ ab illo siue Iasone, siue potius Mnasõne Cyprio antiquo discipulo, apud quẽ Paulus cũ Luca cęteriſq; comitibus hospitaturus erat Hierosolymæ, quẽadmodũ

Iason Thessalonicensis hospes Pauli.

idem

idem Lucas refert Act. 21. Nam illi nomen fuisse Mnasôni, non Iásoni, Græcus textus & Syriacus, nec non Latini codices emendatiores, & Romana castigatio, fidem nobis faciunt. Est autem verisimile Iasonem hûc proprio & Hebræo nomine (Hebræus enim erat, Pauli cognatus) vocatum fuisse Iesum. Nã præter-quàm quod Iudæi, quibus cum Græcis & Romanis erat conuersandum, nomina sua flexu quodam (vt paulo antè dixi) ad illorum vsum accommodabant: erat Iudæis Christianis ratio peculiaris, cur nomen Iesu, si quis illud haberet à parentibus impositum, minimè sibi retinendum putarent, videlicet ob reuerentiam Christi Saluatoris, cuius nomẽ meritò, Christianis omnibus etiam vsque in hodiernum diem, religione quadã, est incommunicabile. Mutabant igitur illud nomẽ in aliquod vicinũ, quale est Iason, maximè secundum sonum Græcis vocabulis genuinum. Nec quidem id sine exẽplo antiquiore. Nam & ante Saluatoris aduentum, idipsum Græcorum gratia factum fuisse, constat ex Iosepho, qui lib. 12 Iudaicarum antiquitatũ ca. 6, loquens de Iasone qui 2 Machab. 4 legitur per ambitionem adeptus pontificatum: *Iesus*, inquit, *Iasonem se vocari maluit*. Vide etiam quæ dicturi sumus ad illud Col. 4. *Et Iesus qui dicitur Iustus*. Porrò Sosipater idem est cum eo qui à Luca Act. 20 Sopater contracto nomine vocatur, patria Berrhœẽsis. Nam eundem esse, post Origenem omnes ferè consentiunt: ac res ipsa loquitur. Nam præter nomen, etiam tempus & locus scriptæ epistolæ conueniunt. Qui verò eundem faciunt cum Sopatro, ad quem exstat Dionysij epistola, nihil adferunt rationis: & bene eos refellit Ioannes Lorinus in commentario Act. 20. Cognatos autem suos vocat apostolus Iasonem & Sosipatrum vnà cum Lucio: non quod eos in euangelio genuisset, vt vult Origenes in huius loci commentatio, sed carne cognatos, id est, quod eiusdem secum gentis vel etiam tribus essent aut familiæ; quemadmodum de alijs antea dictum est. Timotheum his vt cognatum, non opus est adiungi, quamuis ex matre Iudæa natum. Nam illi peculiare dedit epitheton, *adiutor meus*.

Iason Hebræo nomine Iesus.

Nomen Iesu fidelibus venerabile & incõmunicabile.

Sosipater idem qui Sopater.

22 SALVTO VOS EGO TERTIVS QVI SCRIPSI EPISTOLAM IN DOMINO. Hoc quod addit, *in Domino*, referendum ad verbum *saluto*, licet & sic possit exponi; *qui scripsi epistolam* ad gloriam Christi. Caietanus additum putat *in Domino*, ad excludẽdum precium scriptionis. Pro Tertio Terentius legitur in commẽtario Theoduli Cœlessyriæ presbyteri: Sed vt arbitror viciosè. Nam constans est Græcorũ & Latinorum codicum lectio Τέρτιος, *Tertius*. Iacobus Faber accipit hæc verba in persona Pauli, dicitque eum se appellare Tertiũ, id est tertio loco salutãtem. Nam, inquit, *primum locum dedit Timotheo, secundum consanguineis suis Lucio, Iasoni, & Sosipatro; tertiũ sibi.* Verũ hac ratione non tertium se diceret, sed quintum. Nã quatuor præcedunt. Et si omnino tertius esset salutator, iuxta supputationẽ Fabri: non τέρτιον se scriberet, sed τρίτον, id est tertium. Τέρτιος igitur haud dubiè proprium est nomen: quẽadmodum & Κόαρτος, *Quartus*, quem paulo pòst nominat: quamuis & ibi de numero Faber aliquid cõminiscitur, vt sibi constet. Rectè commentator Amb. *Tertius nomine non numero*. Cuius nimirũ velut amanuẽsis opera Paulus fuerat vsus in hac epistola scribenda. Is ergo dicit: *Saluto vos ego Tertius qui scripsi epistolam*, scilicet Paulo dictãte; qui & hoc scribi voluit: vt proinde hæc verba nõ minus diuina sint quã cætera. Nã quod ex Diodoro Tarsensi episcopo refert Sixtus Senensis lib. 2 bibliothecæ sanctæ, hunc Tertium, *cum esset parum sermone peritus, nec satis in scribendo exercitatus, epistolam quæ propter multitudinem ac sublimitatem quæstionum, cæteris Pauli epistolis obscurior est, longè reddidisse obscurissimam, dum sensus & cogitationes Pauli elocutionibus interdum confusis, & inabsolutis sententijs, ac transposita nonnunquam ordinis serie conatus est explicare*: hoc inquã, nulli docto theologo potest verisimile videri. Quis enim credat Paulũ tam sublimis ac diuinæ materiæ dispositionẽ permisisse notario, nec loquẽdi nec scribẽdi satis perito? Certè Lucã habebat ad manũ, comitem fidissimũ, ac Græci sermonis haudquaquã ignarum, cuius opera poterat vti, si alieno magis quã suo charactere scribere vellet. Nulla sit igitur dubitatio, quin Paulus epistolæ dictator fuerit, ac Tertius nõ aliud quam scriba, qui verba dictantis exceperit: quamuis eum & Pauli fuisse discipulum procliue est existimare; & postea factum episcopum Iconiensem tradant nonnulli.

Fabri de Tertio sententia reiecta.

Tertius Pauli in hac epistola scribenda amanuensis.

Diodori de Tertio Pauli scribu cõmentum explosum.

Paulus huius epistolæ dictator: Tertius scriptor.

23 SALVTAT VOS CAIVS HOSPES MEVS. Hospitem suum dicit apud quem hospitabatur. Hic Corinthius erat, quem à se baptizatũ fuisse testatur 1 Cor. 1. vt ex hoc etiã loco non leuis sit coniectura, Corinthi scriptã esse hãc epistolam. An autem hic Caius idem cum eo sit ad quẽ Ioãnes apostolus tertiam suam epistolam scribit, haud omnino constat. Certè etiã illi egregiã laudem hospitalitatis Ioannes tribuit, vt eundem esse satis probabile sit. Et ita sentit Beda in suo martyrologio ad quartũ nonas Octobris. Meminit & Lucas Caij duobus locis Actorum apostolorũ, scilicet ca. 19, vbi Macedonẽ vocat, & cum Aristarcho coniungit; & cap. 20, vbi Derbæum appellat, & ab Aristarcho Thessalonicẽsi seiungit. Ex quo apparet esse diuersos tam inter se, quam ab isto Corinthio: nisi de posteriore dicamus patria Derbæum fuisse, habitatione Corinthiũ. Nam alioqui sanè si locum & tempus attẽdas scriptæ huius epistolæ, videbitur idem esse. *Fertur*, inquit Origenes, *traditione maiorum, quod hic Caius fuerit episcopus Thessalonicensis ecclesiæ*. Sed id potius in Caium Macedonem cõpetere existimem. Quod ad orthographiã attinet huius nominis, scribendũ est *Caius*, nõ

Caius hospes Pauli, Corinthius, & à Paulo baptizatus.

Caius nõ Gaius scribendum.

Gaius, quamuis Græcè sit γάϊος; vt benè docet Antonius Nebrissensis in sua quinquagena cap. 21. Est enim origine Latinum, cuius primam literam Græci causa mollioris soni in gamma mutarunt. Plura de eo vocabulo Lorinus in Acta, cap. 19.

ET VNIVERSA ECCLESIA. Meliores codices tam scripti quã excusi habẽt *& vniuersa ecclesia*. Et ita legitur apud Amb. & Primasium, nimirum genitiuo singulari. Nam Græcè est, *& τῆς ἐκκλησίας ὅλης, & ecclesiæ totius*. Ad eundem modum Syriacè. Nec opus erat nunc asscribere salutationem ab vna ecclesia, quando iam antè scripserat: *Salutant vos omnes ecclesiæ*. Magna commẽdatio Caij quod non solum Paulo præberet hospitium; sed totam ecclesiam, id est Christianos passim aduentantes, domo & mensa exciperet.

Cõmendatio Caij ab hospitalitate.

SALVTAT VOS ERASTVS ARCARIVS CIVITATIS. *Arcarius* Græcè οἰκόνομος. Erasmus quæstorem ærarium vertit: alij curatorem vel procuratorem: Rursus alij, retenta Græca voce, œconomum. Ac ferè interpretantur eum cuius esset publicam administrare pecuniam: siue solus in ciuitate id muneris obiret, siue cum alijs. Ciuitatẽ verò intelligũt Corinthũ, propter id quod scribit apostolus 2 Tim. 4, *Erastus remansit Corinthi*. Ex quo rursus argumentum sumunt, Corinthi scriptam esse hãc epistolã. Atqui Pelagius arcariũ vocari censet *ex arcario* (sic enim loquitur) id est quod aliquãdo arcarius fuisset: quomodo Dauid accepisse dicitur Abigail vxorẽ Nabal 2 Reg. 2, hoc est, quæ fuerat eius vxor. Cui cõmẽtario fauet quod Act. 19 dicitur Paulus cũ esset in Asia, misisse *in Macedoniã duos ex ministrantibus sibi Timotheum & Erastum*. Neque enim Erastus, si quęstor adhuc erat Corinthi, quę est Achaię ciuitas, versari poterat in Asia, & vacare Pauli negocijs, & ab eo mitti quo ille vellet. Hic postea Philippensium fuit episcopus, & martyrio vitam finiuit: vt ferunt martyrologia ad septimum calendas Augusti.

Erasmi quo sensu ciuitatis arcarius.

ET QVARTVS FRATER. Ex nomine nonnulla coniectura est, hunc Tertij qui scripsit epistolam, fratrem dici secundum carnem. Quidam fratrem Erasti volũt. Sed non addidit eius, quod additum oportebat. Neque verò probabile est Pauli fratrem fuisse: neque fratrem, id est Christianum, peculiariter hunc apostolus scriberet: cum id esset omnibus commune, quos hic nominauit. Habemus & Secundum Pauli comitem per idem tempus, eumque Thessalonicensem, Act. 19. An fortè tres fratres fuere Paulo adhærentes, Secũdus, Tertius & Quartus? Quarti natalis, tanquam apostolorum discipuli, notatur in martyrologijs tertio nonas Nouembris.

An fratres Secũdus, Tertius, & Quartus.

24 GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CVM OMNIBVS VOBIS. AMEN. Semel hoc dixit; sed interpositis quibusdam nunc repetit: quomodo scribere solemus: *Iterum vale*. Cæterũ perpetuus apostoli Pauli mos est, huiusmodi formula precatoria diuinæ gratiæ, in epistolis vti loco valedictionis: id quod per singulas videre est, etiã in ea quæ scripta est ad Hebræos. Et huius sui moris meminit in fine 2 epistolæ ad Thess. his verbis: *Salutatio mea manu Pauli; quod est signum in omni epistola: ita scribo, Gratia Domini nostri* &c. De quo latius illic acturi sumus. Sciendũ est autẽ hanc clausulã imprecationis gratiæ, in omnibus alijs epistolis extremã esse; vt etiã est huius epistolæ versus vltimus in textu Syriaco; nec non in Græcorũ cõmentarijs, apud quos verba quæ hic proximè sequuntur, *Ei autem qui potens est* & cætera vsque ad finem epistolæ, leguntur in fine ca. 14, ibidẽque ab illis exponuntur; quẽadmodũ illic à nobis annotatum est. Vbi & Origenẽ excepimus, qui ea verba legit quidẽ & exponit hoc loco: fatetur tamen in nõnullis codicibus haberi proximè subiuncta verbis extremis cap. 14. Sanè quod huc non pertineat videri cuipiã potest ex eo, quod vt in cæteris omnibus epistolis videmus, ita & in hac, post clausulã memoratam nihil prorsus sequi debeat. Verùm quia tam Græci codices qui apud nos sunt, quã Latini omnes in fine epistolæ legunt hæc verba, magis verisimile est apostolo ad Romanos scribenti singulare aliquid diuino instinctu accidisse, vt postquam epistolã alienа manu scriptã de more cõclusisset: ipse sui erga ipsos affectus testificãdi causa, quædam adhuc velut pro appendice voluerit asscribere sua manu. Quod Romanis gratum fore sciebat.

Formula valedictionis Paulo in epistolis perpetua.

25 EI AVTEM QVI POTENS EST VOS CONFIRMARE. Refert Origenes Marcionem hæreticum hæc apostoli verba cum sequentibus de hac epistola penitus abstulisse: neq; solum hæc, sed & ab eo loco vbi scriptum est, *Omne quod non est ex fide peccatum est*; vsque ad finẽ cuncta defecuisse. Quæ fortasse causa fuit, cur in huius & præcedentis partis collocatione, quondã ita vt dictum est, variauerint exẽplaria Græca. Porrò cõtinet hæc sententia laudatiõnẽ Dei insignem, cum gratiarum actione, pro beneficio vocationis gẽtium ad salutem: Digna proinde qua totam epistolã, in qua de eo beneficio præcipuè disputatum est, terminaret. *Ei*, inquit, *qui potens est vos confirmare*, siue stabilire, scilicet in fide susceptа. Quod dicit propter multos adhuc in fide debiles, de quibus in superioribus. Dicens autem, *qui potens est*, significare vult id omnino à Deo sperandũ & exspectandũ esse. Quod & alibi hac locutione significat, ex potentia suadens effectum sperandum; dumtaxat in his quæ sperare iubemur; Vt huius eiusdẽ epistolæ cap. 11. *Potens est enim Deus iterũ inserere illos*. & c. 14, *Potens est enim Deus statuere illum*. & 2 Cor. 9, *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis*. & Heb. 2, *Potens est & eis qui tentantur auxiliari*.

Hæc epistola à Marcione hæretico truncata.

Opera bona sunt effectus potentiæ Dei.

IVXTA EVANGELIVM MEVM ET PRÆDICATIONEM IESV CHRISTI. *Et*, expositiuè dixit; vt sit sensus; Qui potest vos confirmare in fide; qua nimirum adhęreatis doctrinæ euan-

gelij

Euãgeliũ Pauli quod dicatur.

gelij mei, quo vobis prædicaui Iesum Christum. Suum ergo vocat euangelium, id est à se prædicatum.

SECVNDVM REVELATIONEM MYSTERII TEMPORIBVS ÆTERNIS TACITI. Sensus: Qua euangelij prædicatione reuelatur & manifestatur mysterium omnibus retro sæculis mũdo occultatum, & paucis cognitum. Nam tẽpora æterna Græcè χρόνοις αἰωνίοις dicit vniuersum tempus quod præcessit: quæ interpres alibi vocat *tempora sæcularia*, vt 2 Tim. 1 & Tit. 1. Atque ea versio magis congruit. Nam æterna tempora propriè sunt interminata. Mysteriũ autem intelligit salutis humanæ per Christũ. Sensum hũc explicant quæ sequũtur.

Tempora aterna siue sæcularia quæ vocet Paulus.

26 QVOD NVNC PATEFACTVM EST. Græcè, *manifestati autem nunc*, scilicet per apostolorum prædicationem.

PER SCRIPTVRAS PROPHETARVM. Græcè, *perq; scripturas propheticas*: vt referatur ad sequentia. Nam cum participio *cogniti* construi debet, vt infrà videbimus. Quod autem dicit *per scripturas propheticas*, supple, expositas & intellectas.

SECVNDVM PRÆCEPTVM ÆTERNI DEI. Id est ex mãdato seu delegatione æterni Dei, facta videlicet apostolis. Tacitè commendat officij sui dignitatem à magnitudine delegantis, quẽ proprio vocat epitheto, æternũ Deũ.

Paulus æterni Dei legatus.

AD OBEDITIONEM FIDEI. Id est: vt fides prompta voluntate suscipiatur.

IN CVNCTIS GENTIBVS COGNITI. Græcè: *in omnes gentes notificati* seu *patefacti*. Ex quo liquet illud, *in cunctis gentibus*, non esse construendum cum parte proxima, *ad obeditionem fidei*; quasi sensus sit, vt omnes gẽtes obediant fidei, aut, vt obediatur fidei per omnes gentes; quomodo multi Latinorũ construunt & exponunt: sed connecti debere cum participio *cogniti*. Refertur autem *cogniti*, vt dictũ est, ad genitiuum *mysterij*, qui præcessit. Neque verò in Græco, vbi retinentur genitiui, vllum est hyperbaton; sicut apparet in Latino, propter casum in media sententia mutatum, addito relatiuo *quod*: cum extrema dicantur casu genitiuo. Quidam obscuritati mederi voluerunt includẽdo notulis parentheticis verba media, *quod nunc*, vsque ad *fidei*: Sed id prẽter sententiã authoris. Quare ex Græco simplicius & clarius verteris ad verbum, hoc modo: *Secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, manifestati verò nunc; perq; scripturas propheticas secundum præceptum æterni Dei ad obedientiam fidei, in omnes gentes patefacti.* Significat apostolus, mysterium salutis humanæ per Christum adipiscendæ, quondam occultum & mundo incognitum, tandem euãgelij prędicatione per apostolos Dei nuncios, ex scripturis prophetarum qui omnes Christo & euangelio eius testimonium perhibent, vt fide suscipiatur, latè per gentes esse manifestatum.

Mysteriũ Christi quondam occultum per apostolos mũdo publicatum.

27 SOLI SAPIENTI DEO. Referendum ad initium totius sententiæ, *Ei autem qui potens est.* Deus dicitur solus sapiens, quomodo Christus dixit: *Nemo bonus nisi solus Deus*, Luc. 18, nimirum ex se, & per essentiam. Nam creatura non nisi participatiuè bona & sapiens esse potest. Loquitur quidem apostolus de Patre: quia addit, *per Iesum Christum*. Sed vocat eũ solum sapientem vt Deus est; non vt vna persona ex tribus.

Solus Deus sapiens, & quo sensu.

PER IESVM CHRISTVM. Non est sensus, Deum esse sapientem per Iesum Christũ, aut Patrem per Filium: qui sermo non est admittendus: sed hæc pars hypostigmate seiungenda est à præcedente. Et quidem nonnulli subaudiunt, gratias agamus: Sicque superiorem sententiam alioqui pendentem absoluunt, vt id quod sequitur, *cui honor* &c. ad *Iesum Christum* referatur. Verum melius, & ex mente Pauli, absoluitur parte sequenti.

CVI HONOR ET GLORIA IN SÆCVLA SÆCVLORVM. AMEN. Quidam codices non addunt *cui*; iuxta quos nihil erat supplendum. Sic enim probè cohæret hæc pars cum tota precedenti sententia. Verùm plerique omnes codices tam Græci quàm Latini habent additum; & qui non habent, de eo causa perspicuitatis ablato suspecti sunt. Itaque Græci expositores annotant illud *cui* superfluum esse ad sensum, ac repetitionis causa dumtaxat assumptum. Nam & similem locum obseruare est in epistola ad Eph. 3. Istis Augustinus accedit ita scribens lib. 3 contra Maximinum c. 13. *Quod verò additum est cui, vt diceretur, cui gloria; cùm sufficeret, si dictum esset, ei autem gloria: inusitatam nostræ linguæ indicat locutionem, non sensum quem requiramus, vel de quo ambigamus, insinuat.* Tale quid etiam glossator annotauit. *Si*, inquit, *auferas cui, absoluta est lectio*. Et hi omnes illud *per Iesum Christum*, huic extremæ parti coniunguntur: atque eo pacto sensum reddunt planiorem; quo nimirum significetur Deo per Christum gloriam attribuendam esse. Denique notandum in Græcis codicibus & multis Latinis mss. nec non apud Augustinum loco iam citato, tantum legi, *Cui gloria in sæcula* &c. Dictio *honor* addita fortassis ex 1 Tim. 1. *Regi sæculorum immortali* &c. qui locus notior, eo quod frequentetur in precibus canonicis. *Sæcula sæculorum* vocat apostolus sæcula proprio nomine æterna, &, vt Augustinus exponit, continuata sæcula, id est nunquàm terminanda; tametsi in Græco non additur *sæculorum*. Porrò in Græcis codicibus subscribuntur epistolæ hæc verba; *Ad Romanos scripta fuit* (epistola) *è Corintho* (delata) *per Phœben ministram Cenchreensis ecclesiæ*. Sed non est putandum ea verba partem esse scripturæ sacræ; sed à quopiam Græco authore postea addita, velut subnotationẽ loci vnde, & personæ per quam, missa sit epistola. Quod & in cæteris omnibus Pauli epistolis factum; exceptis ijs quas dedit ad Galatas, ad Thessalonicenses, ad Timotheum & ad Titum; quæ solum loci nomen asscriptum habent.

Pleonasmus in sacris literis.

Deo honor & gloria per Christum

Finis epistolæ ad Romanos.

IN EPISTOLAM PRIMAM

BEATI PAVLI APOSTOLI AD CORINTHIOS COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.



DVAS ad Corinthios epistolas, easq; prolixas, & multiplici doctrina refertas scripsit apostolus Paulus: quod eis ipse primus Christum annunciasset, &, vt loquitur in priori epistola cap. 4, in Christo Iesu per euangelium eos genuisset. Qua ratione filios suos charissimos, seq; eorum patrē, eodem loco vocat. Nonnulli, inter quos author commentarij Ambrosio attributi, putant hanc non esse primam epistolam quam ad Corinthios Paulus scripserit; eo quòd in hac meminerit prioris cuiusdam epistolæ ad eos datæ. Sic enim ait cap. 5. *Scripsi vobis in epistola.* Sed hoc recténe opinentur an secus, videbimus quum ad eū locum peruentum erit. Prior hæc epistola non vnum, sed multa ac varia continet argumenta; provt multa erant de quibus vel admonendi Corinthij apostolo videbantur, vel ipsi ab eo instrui cupiebant. Nam ipsos per literas super quibusdam dubijs inter ipsos exortis, Paulum apostolū suum consuluisse, liquet ex illo septimi capitis initio; *De quibus autem scripsistis mihi.* Sunt autem ista summariè quæ tractantur in hac epistola, & hoc ordine. Primum, ac penè ab exordio, Corinthios increpat quod factiones inter se haberent ex studijs erga magistros. Cuius rei mox causam aperit, quod sæcularem sapientiam immodicè sectarentur; quibus ipse è diuerso commendat humilitatem crucis Christi, docens eius mysteria sæculo esse incognita; ac reuocat à comparandis & iudicandis euāgelij ministris. Deinde eos reprehendit quod hominem incestuosum & excommunicatione dignum, in suo consortio & in ecclesia tolerarent: quem & Satanæ tradendum iudicat. Tertio culpat quod iudicijs inter se contenderent, idq; apud iudices infideles. Quarto taxat quorundam impudicitiam: matrimonium commendat, eiusq; leges præscribit; cui

tamen

tamen virginitatis ac perpetuæ continentiæ ſtudium anteponit. Quintò de carnium idolis immolatarum eſu eos inſtruit. Sextò digreditur ad vtilem ac neceſſariam ſui commendationem, commemorans quemadmodum gratis ac nullo ſtipendio Corinthijs euangelium prædicauerit: cum iuxta Domini conſtitutionem ex euangelio viuere potuiſſet. Septimò generatim eos ad perſeuerantiam vitæ Chriſtianæ hortatur; admonens quæ vicia fugere debeant: inde ſtylum reflectit ad argumentum de immolaticijs. Octauò docet honeſtatem ſeruandam in conuentibus eccleſiæ: ne mulieres aperto capite orent. Nonò quod ab eis peccatum erat in celebratione cœnæ dominicæ, corrigit: rememorata myſteriorum S. Euchariſtiæ inſtitutione. Decimò diſſerit de donis ſpiritualibus; exhortans exemplo membrorum corporis humani, vt ſuum quiſque donum conferat in vſum communem: præcipuè verò omnes ſtudeãt charitati tanquam dono omnium excellentiſſimo. Vndecimò præcipit vt donis prophetiæ ac linguarum vtantur ordinatè. Duodecimò reſurrectionem corporum à quibuſdam negatam, multis argumentis aſtruit: & qualitatem eius ac modum deſcribit. Poſtremò de colligendis in fratres pauperes eleëmoſynis eos admonet. Atque hæc de materia totius epiſtolæ ſatis. Eam ſcriptam eſſe Philippis Macedoniæ quidam opinantur: & ita habet hypographe in Græcis codicibus epiſtolæ ſubiuncta. Sed multo veriſimilius eſt, quod Oecumenius ſentit, Epheſi ſcriptam eſſe; quemadmodum & habet argumentum quod paſſim in Latinis epiſtolę præmittitur. Dicit enim apoſtolus vltimo capite, ſe permãſurum Epheſi. Meminit etiam Aquilæ & Priſcillæ, velut ſecum eodem loco morantiũ, dũ ab illis ſalutẽ Corinthijs aſſcribit. Illos autem Epheſi habitaſſe teſtatur Lucas Act. 18, & ſatis intelligitur ex hiſtoriæ continuatione c. 19, circa quod tempus ſcripta eſt hæc epiſtola. Certè Philippis aliquando verſatos eſſe nuſquam legitur. Sed & ex eo quod dicit; *Salutant vos eccleſiæ Aſiæ*, planè intelligitur in Aſia, vbi Epheſus erat; hanc epiſtolam ab eo ſcriptam eſſe. Nam quod in Macedonia non ſit ſcripta, ſatis arguunt hæc vltimi capitis verba; *Veniam autem ad vos cum Macedoniam pertranſiero. Nam Macedoniam pertranſibo*. Conſtat etiam ſcriptam eſſe ante epiſtolam ad Romanos. Nam huius epiſtolæ capite vltimo dubiè loquitur, velut adhuc deliberans de ſua profectione in Ieruſalem. Dicit enim; *Quod ſi dignum fuerit, vt & ego eam, mecum ibunt*. In ea verò quam ſcribit ad Romanos, de profectione iam conſtitutum habet, vti declarant illa verba cap. 15, *Nunc igitur proficiſcor in Ieruſalem, miniſtrare*, ſeu *miniſtrans, ſanctis*. Quod verò attinet ad eos quibus ſcribitur hæc epiſtola: vtrùm ad Corinthios qui ex gentilibus erant, tantummodo ſcripta ſit; an etiam ad Iudæos Corinthi morantes & Chriſto initiatos, dubitauerit aliquis, propter illud quod dicit cap. 12, *Scitis quoniam cum gentes eſſetis, ad ſimulacra muta prout ducebamini euntes*. Verùm procul dubio ſua inſcriptione cõplectitur etiam Iudæos, tanquam eiuſdem Corinthiorum eccleſiæ fideles: quemadmodum & epiſtola ad Romanos, & cæteræ omnes ad eccleſias gentilium miſſæ, fideles vtriuſque populi ſuis inſcriptionibus com-

prehendunt.

prehendunt. Nã vt vnus erat in ſingulis ciuitatibus epiſcopus; ſic & vna eccleſia ex omnibus eiuſdem loci fidelibus collecta: licet eſſe potuerint in eadem ciuitate diſtinctæ, vt ita dicam, parochiæ. Habebant enim Iudæi Chriſtiani ſuas ſynagogas, in quibus & Moyſes legeretur, & Chriſti myſteria peragerentur: vt indicant apoſtoli Iacobi verba Act. 15. Quamuis fatendum, Iudæos gentilibus tam Corinthi quàm in alijs quæ per gentes erant eccleſijs, fuiſſe multo pauciores. Vnde frequenter ita fideles ad quos ſcribit, alloquitur Paulus, ac ſi ſoli gentiles eſſent. Quod vtique eum feciſſe credendum eſt in loco memorato. Nam alioqui in eo quod ſcribit cap. 1, quoſdam Corinthiorum dicere; *Ego Cephæ:* Iudæos potiſſimum notat, quorum Cephas, id eſt Petrus erat quodammodo peculiaris apoſtolus. Alicubi quoque in perſona loquitur Iudęorum, videlicet tanquam Iudæus Iudęos alloquens; vt cap. 10, cum dicit: *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt*, &c. Non enim ſic loqueretur, niſi inter eos ad quos ſcribit, aliqui Iudæi fuiſſent. Sed ad expoſitionem epiſtolæ veniamus.

SVMMARIVM CAPITIS PRIMI.

DEo gratias agit de varijs donis in Corinthios collatis: Hortatur vt idem ſapiãt ac ſchiſmata vitent. Exponit conſilium Dei, volentis per humilitatem crucis, quæ Iudæis eſt ſcandalum, gentibus ſtultitia; non autem per ſapientiam verbi, ſaluos facere credentes.

CAPVT I.

1 PAVLVS VOCATVS APOSTOLVS IESV CHRISTI. Ne videatur ad munus apoſtolicum ſemetipſum ingeſſiſſe, vt qui ex numero duodecim apoſtolorũ quos Chriſtus elegerat, non eſſet; vocatum ſeu voeaticium (κλητὸν) ſe dicit apoſtolum, id eſt vocatione apoſtolum; quod ad apoſtolatũ vocatus fuerit non minus quam cæteri, licet modo diſſimili. Hunc autem titulum quo ſe vocat apoſtolum Ieſu Chriſti, cum ad alios, tum maximè ad Corinthios ſcribens, iure prætendere potuit; quod apoſtolatu functus apud eos fundamenta fidei Chriſtianæ collocaſſet: vt propriè Corinthiorum apoſtolum dicere ſe poſſet. Vide quæ de his vocibus, *vocatus, apoſtolus*, diximus in commentario epiſtolæ ad Romanos. Porrò vocatum apoſtolum ſe confirmat per hoc quod ſequitur.

Paulus quo ſenſu vocatus apoſtolus.

PER VOLVNTATEM DEI. Hoceſt, iuſſu, decreto ac beneplacito Dei. Similiter in pleriſque exordijs aliarum epiſtolarum ſcribit: ne putes, quod hic annotant quidam, ſpeciatim propter pſeudapoſtolos, qui ipſius authoritatem apud Corinthios deprimebant, addi. iſſe eum hoc loco, *per voluntatem Dei.* Quomodo autem Dei voluntate vocatus fuerit ad apoſtolatum, docet liber Actorum cap. 9 & 13.

ET SOSTHENES FRATER. Hic princeps ſynagogæ fuerat apud Corinthios: qui deinde Pauli prædicatione *conuerſus ad Chriſtum, & ante Gallionem proconſulem acriter verberatus, præclaro initio fidei ſuæ primordia conſecrauit*; vt de eo loquitur martyrologium Romanum ad quartum calendas Decembris; hiſtoria ex Actorum cap. 18 deſumpta. Videtur autem factus ex archiſynagogo Pauli comes: vt quẽ Corintho Epheſũ, vbi hęc epiſtola ſcribitur, ſecutus fuerit. Eum igitur tanquam virum inſignem, ſibi collegam inducit in inſcriptione epiſtolæ: & fratrem vocat, ſiue quia Chriſtianum, ſiue quod eum ſibi adhiberet in epiſtola ſcribenda. Fortaſſis enim Paulo dictante à Soſthene tãquam viro ſcribendi perito, exarata eſt hæc epiſtola.

Soſthenes quis fuerit.

2 ECCLESIÆ DEI QVÆ EST CORINTHI. Supplendum, ſcribunt, aut quid ſimile.

SANCTIFICATIS IN CHRISTO IESV. Quã dixit eccleſiam Dei, quadam ſua proprietate deſignat, dicens: *ſanctificatis in Chriſto Ieſu*, id eſt, per Ieſum Chriſtum ab omni peccato emundatis, videlicet in baptiſmo.

VOCATIS SANCTIS. Id eſt, ad ſanctitatem vocatis à Deo, nimirum efficaci vocatione. Nam quod dixit, *in Chriſto Ieſu*, meritum ſanctificationis ſignificauit: Quod autem dicit, *vocatis*, efficientiam denotat vocantis gratiæ Dei. Quomodo verò Corinthios ſanctificatos dicat, & ſanctos appellet: inter quos erant non pauci magnis peccatis contaminati, quẽadmodum hæc ipſa epiſtola teſtatur: ex ijs quæ diximus in commentario epiſtolæ ad Romanos cap. 1, vbi ſunt hæc eadem verba, ſatis intelligi poteſt.

Sanctitas eccleſiæ proprietas.

CVM OMNIBVS QVI INVOCANT NOMEN

DOMINI

DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Inuocant nomen Domini Iesu Christi, qui eum cui nomen est Dominus Iesus Christus, orant pro obtinenda salute. Vide quæ dicta sunt ad illud Rom. 10 ex Ioële sumtum, *Omnis quicũque inuocauerit nomẽ Domini, saluus erit.* Quod cum ad Christi personam hoc loco referat apostolus: consequens est Christum esse Dominum, de quo id à Ioële propheta dictum fuit: ac proinde Deum esse. Nam Dominus apud Ioëlem est יהוה *Iehouah.* Porrò manifestè apparet apostolum velle hanc epistolam ad omnes perferri Christianos, vtpote valituram ad institutionem totius ecclesiæ. Vnde adhuc sequitur.

Christus Deus.

IN OMNI LOCO IPSORVM ET NOSTRO. Græcè ἀυτῶντε ἐ ἡμῶν, id est *tam ipsorũ quam nostro.* Quanquam non vno modo hæc pars exponitur. Chrysostomus quidem sentit Paulum hoc exordio epistolæ salutare non solos Corinthios; sed quotquot vbique sunt fideles. Quorum omnium locum etiam suum esse dicit: quod omnium vna sit ecclesia; videlicet haud dissimili sermonis schemate quo dixit Rom. 16, *Salutate Rufum, & matrem eius & meam.* Quem commentarium ex Chrysostomo repetũt Theophylactus & Oecumenius. At verò commentator Amb. videtur *ipsorum* referre ad loca gentium; *nostro*, ad Iudæorum. Sic enim annotat: *Cum Iudæis veris iungit & gẽtes: quia salus ex Iudæis est*, &c. Thomas Caietanus illud *ipsorum* reducit altius, scilicet ad Corinthios: dicitque Paulum ea parte, *cum omnibus* &c. salutationem extendere *ad omnes Christianos*, non absolutè, sed *morantes*, vt ait, *in districtu Corinthiorum, quam nũc diœcesim dicimus:* idque significari per illud, *In omni loco ipsorum*, seu potius *eorum.* Addidisse autem *& nostro*, quod omnis fidelium Corinthiorũ locus etiam suus esset; *non solum propter vnitatem charitatis, sed etiam propter extensionem iurisdictionis apostolicæ.* Est & quartus cõmentarius Photij apud Oecumenium, cuius & Theophylactus meminit; vt illud, *ipsorum & nostro* non construatur cum *loco*, sed cũ præcedente genitiuo *Domini*, Latinis mutato *nostro* in *nostri*, vt rursus respõdeat. Nam sic quoque verti potest ex Græco; vt ordo verborum & sensus sit: cum omnibus in quocumque loco inuocantibus nomen Domini nostri Iesu Christi; Domini, inquam, ipsorum & nostri. Verùm hæc expositio, sicut & illa Caietani, non parum coacta videtur. Magis probabiles duæ priores, maximè Chrysostomi. Conferatur autem hic locus cum eo quod dicit 1 Timot. 2, *Volo viros orare in omni loco*; & ex collatione intelligetur non quemlibet locum significari, sed eum qui deputatus sit conuentibus & orationibus publicis; quales ecclesiæ gentium & synagogæ Iudæorum: vt hinc etiã aliqua probabilitas accedat cõmentario Ambrosiano.

Paulus omnes salutat fideles: & corũ omniũ locũ, suum esse dicit.

3 GRATIA VOBIS ET PAX A DEO PATRE NOSTRO ET DOMINO IESV CHRISTO. Subaudi, multiplicetur. Hæc verba accuratè exposita sunt à nobis in epistola ad Rom. 1, vbi prorsus eadem leguntur.

4 GRATIAS AGO DEO MEO SEMPER PRO VOBIS. Dicta salutatione, incipit à gratiarum actione in Deum. Nam is demum meretur accipere noua quæ petit, qui de acceptis largitori Deo gratias agit. Porrò *semper*, quod alibi dicit *sine intermissione*, significat magnã frequentiam & assiduitatem. *Pro vobis*, Græcè περὶ ὑμῶν, *de vobis*, quod Rom. 1 dixit ὑπὲρ ὑμῶν. Sensus est; propter bona vobis collata. Quod explicat verbis sequentibus.

Vis gratiarum actionis.

IN GRATIA DEI. Alij vertunt *de* vel *super gratia Dei*, id est, propter gratiam Dei. Significatur enim materia gratiarum actionis. Est autem Hebraismus quo antecedens repetitur loco relatiui, *Dei* id est ipsius: velut Gen. 19, *Dominus pluit à Domino.* Nomen gratiæ complectitur omne donum gratuitum ordinatũ ad salutem, vel propriam habentis, vel communem fidelium.

Gratiæ nomen hoc loco quid significet.

QVÆ DATA EST VOBIS IN CHRISTO IESV. Id est, per Christum Iesum. Nullum enim bonum salutare datur à Deo hominibus, nisi per meritum Iesu Christi.

5 QVOD IN OMNIBVS DIVITES FACTI ESTIS IN ILLO. Græcè ad verbum, *quod in omni ditati estis in ipso*, id est per ipsum. Quod rursus ad Christum refertur. Caietanus *in omni* exponit, *in vniuerso*: quo significetur non singulos ditatos, sed vniuersum corpus Corinthiorum ditatum esse abundantia gratiarum. Sensus ingeniosus magis quàm germanus. Alij vertunt & exponunt, *in omni re*, scilicet ad salutem spectante. Et hunc sensum voluisse videtur noster interpres, dum mutato numero vertit *in omnibus*, quod Græcè est ἐν πασιν. Quæ versio etiam Erasmo placuit. Sunt alij qui malunt vertendum *omnino, planè*, quomodo sumitur 2 Cor. 7, *In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negocio.* Alij exponunt *variè, multifariam.* Sic enim accipitur eiusdem epistolæ cap. 4, *In omnibus tribulationem patimur.* Quanquam idem ferè significatur, siue dicas *omnino*, siue *multipliciter*, siue *in omnibus*, & *per omnia.* Nam distributiuè interdum à Paulo accipi certum est, vt 2 Cor. 6, *In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros.* Sequitur enim: *in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus* &c. Quo sensu etiam Latinè aliquando vsurpatum est illud *in omni.* Nam Marcellinum comitem in prima collatione Catholicorum cum Donatistis habita reperio dixisse: *In omni, petitioni vestræ satisfactum est*; id est per omnia, & omni ex parte. Et hic sensus optimè quadrat loco præsenti. Nam quod dixit *in omni*, vel *in omnibus*; iam distribuit, cum subiungit.

Corinthij in omnibus ditati, quo sensu.

IN OMNI VERBO ET IN OMNI SCIENTIA. Pro *verbo* sermonem malunt alij. Sic enim ipse noster interpres reddit 2 Cor. 8, *abundatis fide & sermone & scientia.* Significat apostolus Corinthios ditatos vtroque dono, &

cognio-

Sermo scientiæ in quo consistat.

cognoscendi diuina,& eadem aptè eloquendi. In quibus coniunctis consistit sermo scientiæ,de quo infrà cap.12. Quod enim sermonem quidam contrahunt ad donum linguarum, non probo. Nusquam enim λόγος pro dono linguarum accipitur in scriptura. Nec verò donum linguarum ita magni faciebat Paulus, vt illud hic primo loco commemoraret,quod infrà cap. 12 in vltimis ponit, & cap. 14 multum deprimit. Falluntur & illi qui Hebraismum annotant in *verbo*, quasi idem sit quod re seu opere. Nam verbũ pro re,Græcis non dicitur λόγος quod hic legitur, sed ῥῆμα, vt Matth. 4, *In omni verbo quod procedit de ore Dei.* Luc. 2, *Videamus hoc verbum quod factum est.* Act. 10, *Scitis quod factum est verbum.* Cæterùm intellige Corinthios omni verbo & omni scientia ditatos ab apostolo dici, verè quidem: sed iuxta modum & conditionem huius vitæ, & præsentis status ipsorum, qui adhuc erant recentes in fide. Porrò diuites factos seu ditatos Corinthios dixit, non sine allusione ad diuitias eorum temporales: vt per hoc ad spirituales ac veras diuitias consectandas, eorum animos magis accenderet.

6 SICVT TESTIMONIVM CHRISTI CONFIRMATVM EST IN VOBIS. *Sicut* καθὼς. quod clarius vertas, *quemadmodum*, id est quibus modis aut rebus, nempe sermone & scientia, quibus ditati estis. Et sensus est: Huiusmodi donis, velut certo firmoque testimonio, cognoscitur vos esse fideles ac seruos Christi, eiusque spiritum accepisse. Sic ferè expositores Græci. Nam & Galatas simili modo probat apostolus Spiritum-sanctum accepisse, quod Deus in illis virtutes operaretur,Gal.3. Estque argumentum ab effectu. Quod in nõnullis codicibus Græcis loco dictionis μαρτύριον *testimonium*,legitur κήρυγμα *præconium* seu *prædicatio*, suppositum arbitramur à quopiam,quì μαρτύριον sic putauerit interpretandum.

Charismata testimonia veræ fidei.

7 ITA VT NIHIL VOBIS DESIT IN VLLA GRATIA. Vel magis expresè è Græco, *ita vt vos non destituamini in vllo dono*. Nã in Græco χάρισμα est,non χάρις, vt suprà semel & iterum. De quibus autem donis seu charismatis loquatur,ex cap.12,13 & 14discendum est.Inde enim liquet vtrumque genus comprehendi,& eorum quæ gratis data, & quæ gratum facientia vocantur. Referenda est autem hæc pars ad illud superius, *Quod in omnibus diuites facti estis*.&c. Quocirca quidam verba media,*sicut testimonium* &c. signis parentheticis includunt.Quæres quomodo in omnibus ditatos affirmet Corinthios apostolus;sic vt nihil illis gratiæ deesset; quos hac epistola & sequenti de tam multis adhuc instruit; deque tam multis & grauibus reprehendit: quibus etiam huius epistolæ cap. 4 ironicè dicit, *Iam saturati estis,iam diuites facti estis* &c. vtique negans eos saturatos esse, & diuites factos. Quippe & alibi inopiam bonorum spiritualium eis asscribit, vt in 2 epistola cap. 4 dicens: *Vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* Respondeo, Corinthios in omnibus ditatos fuisse ex mente Pauli, non quod omnes omnia haberent: sed quia iuxta quendam modum huius vitæ, vt suprà dixi,in ipso corpore omnia erant: sicut ipse explicat cap.12, docens in ecclesia perinde vt in corpore humano diuersas ac diuisas esse gratias, operationes, officia, pro membrorum varietate. Cum quo bene consistit vt fuerint inter Corinthios multi inopes bonorum spiritualium;haud secus atque in emporio quopiam, vt erat Corinthus, multæ quidem sunt diuitiæ,non tamen apud omnes,sed apud pauciores,per quos illæpossint ac debeant in alios distribui. Quo fit vt pauperes petant loca diuitum, & cupiant eorum esse vicini. Iam licet schismatæ & dissensiones etiam essent inter Corinthios, de quo primo vicio tanquam primam curam postulante,statim à principio eos admonet: non tamen illis deerat gratia vnitatis & concordiæ. Erat enim hæc in eorum cordibus qui dicebant: *Ego sum Christi.* Non dissimiliter Augustinus respondet epistola 59 ad Paulinum quæst. 6. *Scripturæ mos est*,inquit,*ita loqui de parte, tanquam de toto: sicut Corinthios in primis epistolæ suæ partibus ita laudat,tanquam omnes tales sint: cum essent laudabiles quidam eorum*. Notandum præterea, Paulum non dicere eos in omnibus esse perfectos;& nullam eis deesse perfectionem gratiæ:sed in omnibus diuites esse, & nullam eis gratiam deesse. Nam etsi numero donorum diuites erant & abundabant:tamen in eis nõdum erant perfecti; ne quidem ea perfectione quam multi assequuntur in hac vita. Sed vt ad eam paulatim proficerent, exhortandi erant.

Quo sensu Corinthij in omnibus ditati.

Corinthij in omnibus diuites, non tamen in omnibus perfecti.

EXSPECTANTIBVS REVELATIONEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Hanc reuelationem seu manifestationem Christi aliàs aduentum eius vocat; quo nimirum fiet vt Christus in sua gloria palam ab omnibus cõspiciatur, ad eiusdem gloriæ consortium assumpturus omnes electos. Itaque non nuda significatur exspectatio, sed ea quæ ad spem pertinet Christianam.

8 QVI ET CONFIRMABIT VOS VSQVE IN FINEM SINE CRIMINE. *Qui* quamuis rectè referatur ad id quod proximè præcedit,id est ad Christum: potius tamen si tota series orationis expendatur, referendum videbitur ad Deum Patrem,significatum versu 4, *Gratias ago Deo meo* &c. Cæterùm hæc pars duo promittit: firmitatem in acceptis Dei donis, & perseuerantiam qua in illis conseruentur vsque ad finem vitæ: vel potius (quod vult pars sequens) vsque ad aduentum Christi futurũ in fine sæculi: quamuis hoc ex illo sequatur. Non dicit autem sine peccato. Nam sine peccato nec iusti viuunt, quantumuis in iustitia prouecti: Sed *sine crimine*, Græcè vno vocabulo, ἀνεγκλήτους, id est, *inculpatos*, vel, si

Iusti sine crimine viuunt, non sine peccato.

ita

ita dicere liceat, *incriminabiles*. Crimen autem de grauioribus peccatis intelligitur. Vnde & Syrus vertit *sine accusationibus:* quod accusationes de grauioribus institui soleant. Eius autem loco Paulus 1 Thess. 5 scripsit ἀμέμπτως, *sine querela*. Porrò locus iste bifariam intelligi potest. Vno modo, vt sint verba bonæ fiduciæ, quam de Corinthijs animo conceperat, quòd Deus illos confirmaturus sit vsque in finem: quemadmodum & ad Philippenses scribit cap. 1, *Confidens hoc ipsum, quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diē Christi Iesu, sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis.* Iuxta hunc sensum rursus hic meminerimus, loqui Paulum non de singulis qui erant in ecclesia Corinthiorum: sed de corpore, in quo erant alij alijs meliores ac firmiores: quanquam & de vnoquoque sperandum erat, provt materiam bonæ spei quisque in se ostendebat. Altero modo; vt sint verba simpliciter asseuerantis, non de omnibus Corinthijs fidelibus, sed de electis qui inter eos erant, & propter quos hunc scribendi & docendi laborem suscipiebat: sicut ait 2 Tim. 2, *Omnia sustineo propter electos*. Hunc commentarium valde probabilem facit, quod statim sequitur: *fidelis Deus per quem vocati estis* &c. Sic enim & alibi promissionem salutis ac perseuerantiæ, quæ propriè electos respicit, confirmat allegata fide & veritate Dei; velut 1 Thess. 5. *Fidelis est qui vocauit vos, qui etiam faciet.* & 2 Thess. 3, *Fidelis Dominus est, qui confirmabit vos & custodiet à malo.* & Heb. 10, *Fidelis est qui repromisit*. Quibus scripturis & illa accedat huius epistolæ cap. 10, *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tētari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentū.* De qua scriptura suo loco plenius. An autem priori sensui faueat id quod adferebatur ex epistola ad Philippenses: intelligetur ex ipsius loci commentario. Mouet quæstionem Caietanus, quomodo dicat apostolus *sine crimine:* quum multi sint electi, quibus iustificatis donum firmitatis, vt non aliquando & ad tempus excidant à gratia Dei, non detur; vti constat de Dauide, Petro & alijs. Respōdet illud, *sine crimine* referendum esse ad tempus aduentus Christi, significatum verbis sequentibus: vt sensus sit; confirmabit vos vsque in finem, sic vt reddat & constituat criminis expertes in die aduentus Christi. Quæ responsio probari videtur ex simili loco qui est Coloss. 1, *Exhibere vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles* (Græcè ἀνεγκλήτους, quod hic vertit *sine crimine*) *coram ipso*; id est, in aduentu eius. Sed cum secundum scripturas, esse sine crimine passim tribuatur iustis in hac vita, & non solum in vita futura; vbi non modo sine crimine, sed protsus sine peccato omnes erūt: (Loca sunt Luc. 1, 1 Tim. 3 & 5, Tit. 1 &c.) nihil sanè prohibet quo minus hunc locum sic intelligamus; apostolum sentire quod Deus Corinthios confirmaturus sit vsque in finem sine crimine, sic vt vel non labantur in crimen aliquod, vel lapsi resurgant. Quamuis enim electorum multi labantur interdum: est tamē omnibus eis commune & proprium perseuerantiæ donum; quo nimirum fit vt finaliter non excidant. Atque eo sensu omnes sine crimine conseruantur vsque in finem. Et huic intellectui fauet similis sermo 1 Tim. 6, *Vt serues mandatum sine macula, irreprehensibile, vsque in aduentum Christi.* Vbi manifestum est *irreprehensibile* referri ad tempus huius vitæ protensum vsque ad Christi aduentum.

Duplex huius loci sensus.

Alter sensus melior, de electis.

Quæstio.

Responsio Caietani.

Alia responsio verior.

IN DIE ADVENTVS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. *Aduentus* non est in Græco. Tantum enim legitur, *in die Domini* &c. Videtur autem *in die* positum pro *in diem*, vel *ad diem*. Sic enim tota sententia clarior efficitur. Nam confirmatio fidelium vsque in finem sine crimine, præparatio eorum est ad diem quo vēturus est Dominus ad iudicium. Hunc enim extremi iudicij diem sæpe scriptura diem Domini vocat. Habes & alibi *in die* pro *in diem*, vt Rom. 2. *In die iræ.* & Iac. 5, *In die occisionis.* Item, *In aduentu Domini*, pro, *in aduentum Domini*, 1 Thess. 3 & 5.

Dies Domini quid dicatur.

9 FIDELIS DEVS; PER QVEM VOCATI ESTIS IN SOCIETATEM FILII EIVS IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI. Probatio est eius quod dixit, *Qui & confirmabit vos vsque in finem* &c. Estque argumentum à fide & veritate Dei. Quod quidem, iuxta priorem sensum partis præcedentis, sic explicari potest: Verax est Deus in suis promissis; à quo proinde salutem & gloriam in die Domini certissimè exspectare debetis: si, quod de vobis confido, perseueraueritis vsque in finem sine crimine, in eo ad quod vocati estis. Sic enim Deus promisit per filium suum: *Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit*; Matth. 10 & 24. Verūm quia nō dixit; qui glorificabit vos: sed, *qui & confirmabit vos vsque in finem*. vbi ipsa perseuerantia continetur, & à Deo danda significatur: idcirco recurrendum est ad posteriorem sensum qui erat de electis; & in eo quod ait, *vocati estis*, intelligenda vocatio non quæcumque, sed ea quæ est secundum propositum, id est electionem Dei; de qua dicit Rom. 8, *Quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & glorificauit.* Igitur ad hunc modum argumentatur apostolus: Deus fidelis est & verax: Promisit autem vobis electis suis firmitatem & perseuerantiam vsque in finem; ergo *confirmabit vos* &c. Assumptionem probat illa pars, *per quem vocati estis*, scilicet vocatione secundum propositum, *in societatem filij eius*. Nam propositum illud in se perseuerantiæ promissionem includit. *Societatem*, Græcè κοινωνίαν *communionem.* Interpres nunc *communicationem*, nunc *societatem* vertere solet. Nam & Erasmus etsi hoc loco mauult *consortium:* alibi tamen, vt Gal. 2 & 1 Ioan. 1 *societatem* trāstulit. Sed cum Latinum vocabulum anceps sit ad cœtum sociorum, id est, homines in vnā societatem collectos, & ad socialem eorum

Huius partis duplex expositio.

Omnes secundum propositū vocati saluantur.

Societatis nomine quid significetur

inter se coniunctionem: potius huic loco cõuenit posteriori significatio; quam & Græca dictio magis exposcit. Non enim Græci cœtũ aut collegium hominum κοινωνίαν vocare solent; sed eorũ inter se communionẽ: id quod propriè ea vox sonat. Atque isto modo accipitur, vbicumque in scripturis hoc nomen legimus: ac nominatim 1 Ioan. 1, vbi de eadem hac nostra cum Deo Patre & Filio eius societate, sermo est. Quanquam ex huiusmodi societate, velut causa, consurgit ille hominum cœtus, qui etiam societas vocatur. Quod ergo dicit apostolus, *per quem vocati estis* &c. tale est: Cuius Dei Patris beneplacito vocati estis in communionem, societatem & amicitiam Iesu Christi filij eius: nimirum effecti participes meritorum eius, & facti membra corporis, cuius ipse est caput; id est ecclesiæ. Denique facti fratres eius, habentes eundem patrem Deum. Vnde Deus nunc Christi, nunc noster pater passim in epistolis Pauli vocatur.

10 OBSECRO AVTEM VOS FRATRES. Hactenus laudauit Corinthios; quò nunc molliori gradu transeat ad eorum reprehensionẽ. Quam tamen rursum ne offendat, auspicatur ab obsecratione. Potest quidem etiã ex Græco verti, *exhortor vos*, vt nonnulli interpretati sunt: sed magis huic loco conuenit, *obsecro*; quemadmodum & Erasmus vertit. Nam obsecrationi seruit quod sequitur.

Obtestatio per nomen Domini Saluatoris.

PER NOMEN DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Obsecrat, imò obtestatur per nomen Saluatoris, tanquam sacrosanctum, & super omnia venerabile. Nam quod quidam putant, non aliud hic significari quam si dixisset, per Dominum nostrum Iesum Christũ, videlicet absque respectu nominis; non adeò verisimile est. Nam in obtestationibus etiam nomina ponderantur: velut si Iudæus quẽpiã obtestetur per nomen Dei πεταγράμματον.

VT IDIPSVM DICATIS OMNES. *Idipsum*, Græcè τὸ αὐτὸ *idem*. Quod interpres passim vertit, *idipsum*. Sensus: vt sitis inter vos cõcordes, vt idem sentiatis. A posteriori prius vult intelligi. Nam animorum consensum sequitur concordia sermonis.

Schismata quæ dicantur.

ET NON SINT IN VOBIS SCHISMATA. Σχίσματα sunt scissiones, dissensiones, dissidia factionum instar. Græcum vocabulum reti nuit interpres, vt receptum apud Latinos. Nec tamen intelligit apostolus ea schismata, quibus receditur ab vnitate ecclesiæ catholicæ; quod qui faciunt, schismatici propriè vocari solent: sed quasdam velut sectas intra ecclesiam; vt dũ alij alijs student magistris, aut patronis, eorumque nominibus gloriantur: quemadmodum paulo pòst ipse declarat.

SITIS AVTEM PERFECTI. Perfectionem intellige qualis est corporis integri, & constantis ex omnibus membris inter se bene cõpositis. Id enim significat Græcum participiũ κατηρτισμένοι, quod alij vertunt *compacti*. Cyprianus legit *compositi*, lib. de vnitate ecclesiæ, & lib. 3 testimoniorum cap. 86. Erasmus trãstulit *integrum corpus*. Repetit apostolus idem vocabulum 2 Cor. vltimo, vbi rursum noster interpres, *perfecti estote*.

IN EODEM SENSV ET IN EADEM SENTENTIA. *Sensu*, Græcè νοΐ; *mente*. Cæterùm in multis quidem Latinis pro *sententia* legitur *scientia*: Sed *sententia* est in emendatioribus, suffragante editione Romana. Nam & apud Cyprianum, vtroque loco iam dicto, sic legitur; & in epistola quadam Caroli Magni scripta ad episcopos Hispaniæ: quam reperies apud Baronium in annalibus ad annum Domini 794. Nec enim Græcè est vt superius versu 5, γνώσει, nisi in paucis exemplaribus, quibus haud magna fides: sed γνώμῃ. Denique sunt Latini codices quibus legitur, *eadem mente, & eadem sententia*. Sensus apostoli: Sed vt sitis perfecti, tanquam corpus integrum & bene compositum; eadem mente, eademque voluntate præditi. Nam inter mentem & sententiam (licet hæc quidam confundant) ita distinguendum videtur, quòd mens in cognitione versetur; sententia quid agendum sit statuat. Vnde & γνώμη pro consilio ponitur infrà c. 7, *Consilium autem do*. Atque in eo perficitur amicicia, quod est idem velle & nolle.

11 SIGNIFICATVM EST ENIM MIHI DE VOBIS, FRATRES MEI, AB IIS QVI SVNT CHLOES. Causam aperit generalis exhortationis quam præmisit. Chloën nonnulli nomen loci esse volunt, vt oppidi aut vici. Rectius alij fœminæ nomen interpretantur: vt est apud Horatium in Odis. Nam locum aliquem hoc nomine appellatum fuisse nusquam legitur. Adde quod sermo Græcus ὑπὸ τῶν Χλόης, non admittit expositionem de loco. Nam dicendum esset, ὑπὸ τῶν ἐν Χλόῃ, quod bene obseruauit Erasmus. Est autem hæc locutio penè similis illi Rom. vltimo, *qui sunt ex Aristobuli, ex Narcissi*, scilicet domo vel familia. Sic enim & hoc loco domesticos seu familiares Chloës, Christianæ mulieris apud Corinthios notæ, vult intelligi. Exprimit autem nomen; vt declaret se non incerto rumore, sed à certis hominibus ac fide dignis, hæc quę scribit, accepisse. simul innuit tale esse de quo potius ab ipsis Corinthiorum presbyteris admoneri vel consuli debuisset; sicut ab eis consultus fuerat de negocijs coniugij, infrà ca. 7. Erat enim res non minoris momenti; nimirum spectans ad schismata.

Chloë nõ loci sed fœminæ nomen.

QVIA CONTENTIONES SVNT INTER VOS. Contentiones sunt verborum concertationes, vbi quisque vult superare. Quæ contentiones, & de quibus rebus inter illos fuerint, sequentia declarant.

Contentiones quæ dicantur.

12 HOC AVTEM DICO QVOD VNVSQVISQVE VESTRVM DICIT. Græcè, *Dico autem istud quod* &c. *Quod* determinatiuè capitur, pro quo particulam causalem *quia* reddere solet interpres; non autem relatiuè, tanquam sensus sit: Hoc quod vos dicitis dico

& repeto per miméſim. Nam Græcè non eſt ὅ, ſed ὅπ, quod pro relatiuo Paulus non ſolet vſurpare. Pendet autem à verbo, *ſignificatum eſt mihi*; quemadmodum & ὅτι præcedens; *quia contentiones* &c. Dilucidus erit ſermo ſi ſic efferas: Significatum eſt mihi contentiones eſſe inter vos: id eſt, vt apertè dicam, vnũquemque veſtrum dicere, &c. Quod dicit *vnuſquiſque veſtrum*; intellige, nõ omnes eadẽ, ſed alius aliud; eorum nempe quæ ſequuntur.

EGO QVIDEM SVM PAVLI; EGO AVTEM APOLLO: EGO VERO CEPHÆ. Sermo ſupplendus hoc aut ſimili modo: Ego ſum Pauli diſcipulus, ſectator, tanquam melioris magiſtri; & ſic de alijs. Cepham non dubiũ eſt Petrum intelligi, cui dicitur Ioan. 1, *Tu vocaberis Cephas*, id eſt *Petrus*, vt euangeliſta interpretatur. Ac veriſimile eſt Iudæos fuiſſe qui dicebãt; *Ego Cephæ*: videlicet Petro ſtudentes tanquã apoſtolo circumciſionis. Ob hanc enim cauſam non dicit *Petri*, ſed *Cephæ*, vocabulo vtens Hebræo-ſyro. *Apollo*, Græcè ἀπολλῶ, genitiui caſus eſt, tertiæ declinationis Attico more, à nominatiuo ἀπολλώς, vt ſcribitur infrà cap. 3 & Act. 18. Id admonendum fuit propter quoſdam qui nomen hoc inflectunt, vt profanum illud Dei gentilis nomen, Apollo, Apollinis; quum apud Græcos tam nomen quam declinatio diuerſa ſit. Porrò contentionis de qua hic agitur, occaſionem quidam hanc adferunt; quod cum Apollo eſſet vir eloquens, vt memorato Actorum loco dicitur; Paulus autem ſermone imperitus, vt ipſe de ſe fatetur 2 Cor. 11. vterque verò Corinthijs prædicaſſet Chriſtum; Paulus prior, Apollo poſterior: alij quidem illorum, Pauli diſcipulos ſe dicerent, eoque magiſtro tanquam reuera doctiore, & primo apoſtolo ſuo, gloriarentur, imperitia ſermonis eius nihil offenſi; præſertim qui per eius prædicationem crediderant: alij verò magiſtrum ſuum Apollo iactarent, eloquentiam hominis extollentes, ideoque eius comparatione Paulum deprimentes. Atque hinc factũ vt acrius vtrique inter ſe contenderent, dum quique ſtudioſè ſuum magiſtrum præferunt. At verò Græci expoſitores, cum quibus ſentiunt commentator Amb. & alij Latinorum non pauci, exiſtimant apoſtolum fingere perſonas: & ſub honeſtis nominibus eorum qui rectè & ſincerè Chriſtum prædicabant, quales vtique erant Paulus, Apollo, Cephas; tacitè Corinthios taxare, quod inter ſe ſectas haberent quorundam capitum, quæ, parcens pudori Corinthiorum, nominare noluerit; ſiue philoſophorum, contra quos agit hoc & ſequenti capite; ſiue pſeudapoſtolorum, in quos latius inuehitur in 2 epiſtola cap. 10, 11 & 12. Tanquam hoc velit apoſtolus: Si reprehenſibile eſt, per contentionem dicere ſe eſſe Pauli, vel Apollo, vel Cephæ; multo magis eſſe dignum reprehenſione, quod nominibus philoſophorum aut falſorum apoſtolorum, quidam ſeſe iactitant. Hunc intellectũ probant ex eo quod apoſtolus infrà cap. 4 dicit: *Hæc autem tranſfiguraui in me & Apollo, propter vos; vt in nobis diſcatis* &c. Nec idcirco mendacium erit in verbis Pauli, qui aliud pro alio dixerit. Nã vti reſpondet Hugo Victorinus, ſenſus eſſe poterit: *Hoc quod dico, ſimile eſt illi, quod vnuſquiſque veſtrũ dicit.* Quod apud vos fit, tale eſt ac ſi alius diceret, *Ego ſum Pauli:* alius, *Ego Apollo* &c. Verũ fortaſsis vtraque expoſitio coniũgẽda eſt, vt plenè percipiamus apoſtoli mentẽ. Nam ex ijs quæ ſcribit cap. 3, planè liquet etiã Pauli & Apollo & Cephæ nominibus alios & alios Corinthiorũ contentiosè gloriatos fuiſſe. Quin idipſum ſatis etiã apparet ex ijs quæ ſubijcit hoc loco: dum negat ſe quenquam baptizaſſe, ne quis diceret ſe in nomine Pauli baptizatum eſſe. In quo argumento ſoluendo fruſtra laborare mihi videtur Caietanus. Sed cur etiam Cephæ, id eſt Petri meminerit Paulus, cùm ille Corinthi non legatur euangeliũ prædicaſſe; quæri poteſt. Exiſtimat Cardinalis Baronius in annalibus ad an. Domini 57, eos qui ſe dicebant eſſe Cephæ, perinde vt qui Chriſti, non id contentionis ſtudio dixiſſe, ſed potius ad hoc vt contentiõnem illam & ſciſſuram eccleſiæ declinarent, rem ad ſuum principium reduxiſſe; dicendo ſe eſſe diſcipulos Petri, velut totius eccleſiæ ſupremi poſt Chriſtum paſtoris & capitis: quomodo qui dicebant ſe eſſe Chriſti, partes reuocabant ad caput & paſtorem eccleſiæ primarium. Sed hæc opinio refellitur ex apoſtoli verbis, quibus ſatis declarat tam eos qui dicebant ſe eſſe Cephæ, reprehenſibiles eſſe, quàm qui Pauli vel Apollo nominibus gloriabantur. Primùm quia diſtinguit dicentes, *Ego Cephæ, ego autem Chriſti*, velut inter ſe diuiſos. Nam ſecundum dictam opinionem non erant diſtinguendi (vtpote animo & ſententia concordes) qui ſe dicerent eſſe Cephæ, & qui Chriſti. Deinde quia ſubijcit: *Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Hoc enim æquè dici poterat de Petro. Poſtremò quia ſub finem 3 cap. vbi ſuam adhortationem qua prædictæ contentioni mederi voluit, concludit, rurſus apertè Cepham annumerat illis hominibus in quibus non ſit gloriandum. *Nemo*, inquit, *glorietur in hominibus. Omnia enim veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas.* Sanè tertium hoc membrum, *ego vero Cephæ*, ſimiliter vt primum & ſecundum cum vituperatione referri ab apoſtolo; ſententia eſt omnium commentatorum, ac præter hos Auguſtini; cuius in lib. de vnico baptiſmo cap. 5, hæc ſunt verba: *Temporibus apoſtolorum, qui dicebant, Ego quidem ſum Pauli, ego autẽ Apollo, ego autem Cephæ; quamuis non per impiorum, ſed ſanctorum nomina, ipſi tamen impia ſchiſmata faciebant.* Idem ſermone 13 de verbis Domini: *Volentes homines*, inquit, *ædificari ſuper homines, dicebant: Ego quidem ſum Pauli:*

Cephas idem qui Petrus.

Apollo malè inflectunt quidam.

Quæ cauſa contentionis Corinthiorũ de magiſtris.

Corinthij nominibus Pauli, Apollo & Cephæ gloriati.

Quæſtio de Petro.

Reprehẽſi qui dicebant, Ego ſum Cephæ.

Ad quæstionẽ responsio.

ego autem Apollo: ego verò Cephæ ipse est Petrus. Et alij qui nolebant ædificari super Petrum, sed super petram: ego autem sum Christi &c. Dicendum igitur quosdam è Corinthijs Petri nomine se iactitasse, vel quod ab eo baptizati essent, vel potius quod eo prædicante, non quidem Corinthi, sed alibi fidem Christi suscepissent: præsertim qui erant ex circumcisione; eo quod Petrum colerent vt peculiarem suum apostolum; sicut ante dixi. tametsi credibile est siue Iudæos, siue alios eo propensius Petri nomine gloriatos fuisse, quod scirent quanta esset illius dignitas & eminentia supra cæteros apostolos. Nec verò quia Cepham, id est Petrum non primo, sed tertio loco Paulus nominauit, idcirco putandus est primatus eius prærogatiuam non agnouisse: quomodo nec Christi dignitatem diminuit, quem vltimum posuit. Siquidem gradatim ascendit ad maiores; se-ipsum, vt in re odiosa, primum nominans, id est reuera infimo ponens loco, Christum supremo, & huic proximum Petrum: id quod à Græcis expositoribus diligenter est annotatum. Itaque hic enumerationis ordo magis profectò valet ad stabiliendum Petri principatum, quàm ad labefactandum. Nam quod etiam Apollo iuxta hunc ordinem sibi anteposuit, modestiæ eius fuit. Sed iam vlterius circa hunc apostoli locum, vbi Corinthios occasione magistrorum diuisos reprehendit, quærat aliquis: an perinde reprehendendi sint qui hodie dicunt, Ego sum Thomæ Aquinatis, ego Ioannis Scoti, ego N. aut N. Rursum qui dicunt, Ego sum Franciſci, ego Dominici, ego Benedicti. Nam huiusmodi voces omnino similes esse istis, Ego sum Pauli, Apollo, Cephæ; & pari censura cum ijs damnandas, contendunt non solum aduersarij nostri hæretici, verum etiam Erasmus & Iacobus Stapulensis. Quibus ita respondeo: priores reprehendendos non esse, si tantum hoc sentiunt, se hunc aut illum insignem doctorem scholasticum sequi, tanquam præceptorem, ducem ac monstratorem doctrinæ sacræ; quantum pertinet ad methodum, sententias & principia quædam quæ probabiliter disputari possunt: non sic autem, vt eius sententijs per omnia sibi statuant ac mordicus inhærendum, atque eum nusquam aberrasse credant: neque pugnaciter pro placitis eius certent, tanquam iurati in verba magistri: sed agnitæ libenter cedant veritati, imo etiam maiori probabilitati, secluso omni studio partium & specie factionum. Nam alioqui certè tales iustam reprehensionem haud quaquam effugerent, similiter vt hoc loco Corinthij. Posteriores quoque reprehendi non debere, dum eiusmodi verbis non aliud significetur quam sese sui quemque patriarchæ pium viuendi institutum sectari, & regulam profiteri; dumque in hac institutorum & quasi familiarum diuersitate, Christianam charitatem colant, & omnes in vnam Christi religionem & familiam conuenire, & ad eundem scopum tendere debere, cogitent. Neq; etiam puerili contentione patronum patrono aut institutum instituto præferre studeant: aut ex patroni præcellẽtia, vel instituti perfectione, plus aliquid sibi præ cæteris arrogent. In his enim non professiones; sed offensiones & vicia damnanda sunt; & ab omni specie mala abstinendum.

Cur Petrus tertio loco nominatus.

Vtrùm reprehẽdẽdi qui se Thomistas aut Scotistas vocant. Item qui dicũt, Ego sum Frãciſci; ego Dominici. Responsio de priorib.

Responsio de posterioribus.

EGO AVTEM CHRISTI. Putat Caietanus etiam hoc dicentes à Paulo reprehendi, propterea quod Christum caput vnius factionis statuerent. Sed constans est aliorum interpretum tam Græcorum quam Latinorum sentẽtia, Paulum hoc addidisse velut bene & Christianè dictũ; ac doluisse quod non omnes hoc idẽ dicerent. Erat enim hæc vox vnitatis, non schismatis. Nã Christus erat omnium caput. Et hunc sensum confirmant ea quæ scribuntur cap. 3, præsertim illud extremum: *Vos autẽ Christi, Christus autem Dei.* Verum est tamen quod admonent Græci, Christum videri in parte collocatum à dicentibus, *Ego sum Christi:* sed vicio aliorum, dum ab illis dicitur, *Ego sum Pauli, Apollo, Cephæ.* Iam deinceps tribus rationibus interrogando propositis, schismata Corinthiorum destruit.

Bene dictum ego Christi.

13 DIVISVS EST CHRISTVS? Non enunciatiuè hoc legẽdum, vt quosdã fecisse meminit Theodorit. quẽadmodũ & exponit Oecumenius: sed interrogatiuè. Et quidẽ interrogandi notam μὴ *nunquid*, præpositã habent codices quidam Græci. Sensus est; Nũ Christi corpus dissectum est in partes? ac si dicat, vt solet; *Absit.* Nam ne quidem corpus eius mortale & passibile, quũ pateretur, vllius mẽbri vel abscissionem vel cõfractionẽ subijt; vt impleretur quod scriptũ est, *Os non comminuetis ex eo.* Exo. 12, Ioa. 19. Quare nec in corpore eius mystico quod est ecclesia, scissiones & sectas facere debetis. Nã & hoc esset Christũ diuidere.

Christus corpus indiuisum.

NVNQVID PAVLVS CRVCIFIXVS EST PRO VOBIS? Quasi dicat: Nunquid Paulus sua passione vos redemit? Minimè. solius enim hoc Christi est, qui solus noster est redẽptor. Quare nec Petrus, quãuis postea crucis supplicium passus, pro nobis crucifixus dici potest; eo nimirum sensu quem hîc intendit apostolus: tametsi illius passio sicut & Pauli & aliorum martyrũ nobis valeat, non solum ad exemplũ, verum etiã ad aliquã pœnæ rẽporalis pro peccatis debitæ relaxationẽ; siue per solã charitatis communionem id fiat, siue per potestatẽ ecclesiæ datam à Christo. Sed eiusmodi pœnarum relaxatio, quamuis tota nitatur merito Christi crucifixi; non tamen absoluta est hominum redemptio. De qua videlicet Augustinus tract. 84 in Ioan. *Etsi*, inquit, *fratres pro fratribus moriantur; tamen in fraternorũ peccatorum remissionem nullius sanguis martyris funditur: quod fecit Christus pro nobis.* Quod ipsum & Leo pontifex testatur non vno loco,

An Petrus pro nobis crucifixus.

vt in

vt in epistola 83 & 97, ac rursum sermone 12 de passione Domini. Sed de ea re plenior tractatus est in 4 sent. dist. 20. Sensus argumenti Paulini sic explicatè reddi potest. Quum constet, nec Paulum, nec Apollo, nec Cephã pro vobis crucifixum esse, sed Christum solum: tamen illæ voces vestræ, *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ*, alijs dicentibus, *ego Christi*, ita sonant, ac si non solus Christus pro vobis mortuus esset: sed pro alijs Paulus, pro alijs Apollo, pro alijs Cephas, denique pro alijs Christus. Porrò seipsum nominat Paulus, ait Theophylactus, *vt ne videatur ex inuidia, aliorum nominũ mentionẽ fecisse.*

AVT IN NOMINE PAVLI BAPTIZATI ESTIS? *In nomine*, Græcè εἰς τὸ ὄνομα, *in nomẽ*. quemadmodum & legitur Matth. cap. vltimo, vbi forma baptismi significata est. Quod tamen interpretes ferè vertunt, *in nomine*, tã hoc loco & apud Matthæum, quàm alibi. Nam & interdum sic legitur, ἐπὶ τῷ ὀνόματι *in nomine*, etiã vbi de baptismo agitur, vt Act. 2. Sensum verò huius partis ita reddunt quidã: Aut nunquid virtute ac merito Pauli baptizati estis? id est, remissionem peccatorum in baptismo consecuti? quasi dicat, Minimè. Nam & hoc Christo proprium est. Vnde toties in Actis apostolorum legimus aliquos in nomine Christi baptizatos fuisse, vt cap. 2, 8, 10, 19. Qua vtique locutione non forma verborum inter baptizandum adhibita, significata est, vt quibusdam visum fuit: sed potius authoritas, virtus ac meritum eius, cuius in nomine baptizati dicuntur. Alij sic exponũt: Nũ per baptismũ in nomẽ meũ ascripti estis, vt Pauliani diceremini, tanquã accepto Pauli baptismo? Nã quid aliud sibi volunt qui dicunt, *Ego sum Pauli?* Hic sensus est in Græcorum commentarijs; & Græco textui, atque ijs quæ sequuntur accommodatior. Quod verò Latini quidam inter quos Caietanus, exponunt *in nomine Pauli*, id est expresso & inuocato inter baptizandum Pauli nomine: quasi dictum esset à baptizantibus, ego te baptizo in nomine Pauli: facilè refellitur ex illa parte sequenti; *Ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis.* vbi illud *in nomine meo* non potest ad istum modum exponi. Id quod ipse etiam Caietanus animaduertit: Vnde coactus est aliter illic quam hoc loco, eandem phrasin interpretari; quum alioqui nihil esset necesse.

14 GRATIAS AGO DEO. Quidam codices addunt *meo*: quibus annuit editio Syriaca: Sed in Græcis non legitur, vt nec in Latinis probatioribus.

QVOD NEMINEM VESTRVM BAPTIZAVI. Gratias de hoc agit: non quia malum erat baptizasse; sed quoniam esse poterat, ac verisimiliter futurum erat occasio mali. Et quidem Deo gratias agit, cuius prouidentia factum sit, vt hoc, quod est Paulum non baptizasse Corinthios, cesserit ad eorum bonum, id est ad euitationem peccati, quo iactarent se in Pauli nomen baptizatos esse; aut tanquam per baptismum in eius nomen ascripti, dicerent: *Ego sum Pauli.*

NISI CRISPVM ET CAIVM. Crispus apud Corinthios Iudæorum archisynagogus fuerat: quem Paulo prædicante credidisse Domino cum omni domo sua, scribit Lucas Act 18. Sunt qui Crispum cum Sosthene quem initio epistolæ nominauit, eundem faciant: quoniam & ille Corinthi princeps synagogæ fuisse refertur à Luca Act. 18, tánquam vnus sit & idem. Sed verius est diuersos fuisse. Quod & Lorinus sentit, & alij complures qui scripserunt in Acta apostolorum. Nec enim ratio erat cũr in breui interuallo scripturæ, tam Lucas loco memorato, quàm Paulus hoc capite, eundem hominem diuersis appellarent nominibus. Martyrologia quoque diuersos eis assignant dies. Sed quomodo, inquies, vterque archisynagogus in eadem ciuitate? Respondeo cum Lorino: Aut Sosthenes Crispo successit: aut in eadem ciuitate plures erant synagogæ: (nam Hierosolymæ multas fuisse constat ex Act. 6, & ex ijs quæ refert Carolus Sigonius lib. 2 de rep. Hebræorũ c. 8) aut alibi synagogæ præfecturã Crispus aliquãdo gesserat. tametsi istorum modorũ primus maximè placet: vt Crispo, quia Christianus erat factus, exauthorato Sosthenes successor datus sit: qui & ipse nõ multo pòst exẽplum Crispi fuerit secutus. Porrò Caius hospes erat Pauli, vt ipse testatur Rom. vltimo. De quo plura vide in eius loci commentario. Quare non sine ratione est, quod hos duos ipse Paulus, suis manibus baptizauerit. Sequitur ratio gratiarum actionis.

Crispus archisynagogus à Sosthene archisynagogo diuersus.

Quæstionis solutio

Caius hospes Pauli

15 NE QVIS DICAT QVOD IN NOMINE MEO BAPTIZATI ESTIS. Græcè, *quod in nomen meum baptizaui.* Legit etiam Augustinus *baptizaui*, lib. 3 contra Cresconium cap. 11. Tertullianus quoque lib. de pudicitia cap. 14 sic legit: *Ne qui dicat quod in nomine meo tinxerim.* tametsi in nonnullis etiam Græcis reperiatur ἐβαπτίσθητε *baptizati estis*, & in alijs ἐβαπτίσθη *baptizatus est*. Sed hæc sensum non variant. Est autem duplex huius loci sensus. Multi quidem sic exponũt: Ne quis vestram in baptismo sanctificationem asscribat virtuti ac merito meo: quasi pro merito baptizantis se habeat effectus baptismi. Ita ferè Latini, secuti Augustinum disputantem aduersus Donatistas, qui docebant effectum baptismi dependere à sanctitate baptizantis. Aliter, & Græcæ lectioni congruentius exponitur, hoc modo: Ne quis me calumnietur, & dicat, quod vos baptizãdo transscripserim in nomen meũ, ac de me Paulianos vocari voluerim, tanquã meo baptismo sanctificatos.

Quid in nomine suo baptizare.

16 BAPTIZAVI AVTÉM ET STEPHANÆ DOMVM. *Stephane* masculinum à nominatiuo Stephanas, vt manifestum est ex Græca declinatione. *Domum*, id est familiam. Cum autem familiæ nomine etiam pueri & infantes cõprehendantur, argumento valde probabili:

Baptismus infantũ probatur ex hoc loco.

colligunt ex hoc loco scriptores catholici, simul & ex Act. 16, vbi custos carceris cum omni domo sua baptizatus legitur, etiam infantes baptizatos fuisse; & proinde rectè eos ecclesiæ catholicæ more baptizari, vt Christo incorporentur: cùm profectò negari nequeat eos salutis quæ in Christo est, esse capaces. Porrò Stephanas quis fuerit non constat, nisi quod Theophylactus scribit fuisse virũ apud Corinthios magnum & celebrem; idque satis apparet ex vltimo capite huius epistolæ, vbi de eodem Stephana mentio fit honorifica, semel & iterum: deque domo eius dicitur quod sint primitiæ Achaiæ.

Stephanas quis fuerit.

CÆTERVM NESCIO SI QVEM ALIVM BAPTIZAVERIM. *Si*, pro *an*, *num*. Latinius ergo: *Præterea haud scio, num quem alium baptizauerim*. Id intellige vel in vniuersum, vel ex vobis, id est Corinthijs. De his enim ad quos scribit, propriè loqui videtur. Nec verisimile est à Paulo neminẽ toto orbe præter paucissimos Corinthios quos hic excipit, baptizatũ fuisse. Crediderim sanè etiam custodem illum carceris, de quo modò dicebam, fuisse baptizatum à Paulo: vbi præter ipsum & Silam, qui domum eius totam baptizaret, nullus aderat. Quæret aliquis: si Paulus propè neminem Corinthiorum baptizauit, atque inde consecutum est, vt nemo diceret se in nomine Pauli baptizatum: quomodo igitur iam ante dixit, quosdam dicere: ego sum Pauli? Verùm id dicebant, non quod à Paulo baptizati, sed quod ab eo fidem & euãgelium edocti essent. Qua etiam ratione dicebant alij, *Ego Apollo, ego Cephæ*. Nam nec Petrus per se baptizabat, vt mox ostendemus. Itaque gloriabantur in magistris fidei; sed magis adhuc gloriaturi, si ab eis etiam baptizati fuissent.

Quæstio.

Respõsio.

17 NON ENIM MISIT ME CHRISTVS BAPTIZARE, SED EVANGELIZARE. Occupatio est: tanquam diceret quis Paulo: Quomodo gaudes te non baptizasse, cùm id sit tui muneris? Respondet se non esse missum ad baptizandum, sed ad euangelizandum. At quæres: Si Christus apostolum Paulum non misit vt baptizaret; qua igitur authoritate baptizauit? Ipse enim hic fatetur se nonnullos baptizasse; quod sanè nemini licet, nisi qui ad hoc missus fuerit. Respondeo, Christũ quando Paulum per reuelationem apostolum fecit, non ei iniunxisse ministerium baptizãdi, sed prædicandi euangelium; id est, apostolatum ei commisisse: Cui tamen officio consequenter etiam baptizandi potestas erat adiuncta, tanquam officium secundarium. Vnde quod dicit, *Non misit me Christus baptizare*, sic intellige: Non principaliter ad hoc me misit; ea non est primaria pars legationis meæ. Genus locutionis est quale illud, *Misericordiam volo & non sacrificium*: id est, misericordiam potius ac principalius requiro, quam sacrificium. Porrò docet nos hic locus, cum duo sint episcopi seu pastoris officia, prædicare verbum Dei, & sacramenta administrare; maius ac principalius, idemque magis arduum ac necessarium, esse verbi diuini prædicandi officium: In quo proinde studiosius oporteat eũ versari. Hinc etiam ostenditur in eo quod dictum est apostolis; *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, Matth. 28. duo quidem significari officia pastorum ecclesiæ, doctrinam & sacramentorum administrationem; sed illud isto tum principalius, tum etiam laboriosius. Nam, vt ait Augustinus lib. 3 contra literas Petiliani cap. 56. *Perfectè baptizare etiam minus docti possunt: perfectè autem euangelizare, multo difficilioris & rarioris est operis.* Iam quod apostolis à Christo mandatum fuit, etiã Paulo, tacitè saltem, mandatum oportet intelligi; vt qui nihil minus habuerit à cæteris apostolis 2 Cor. 12. Fecit ergo vtrumque; sed alterum per alios, à quibus id facilè fieri poterat: ipse in eo quod maius ac difficilius erat, totus occupatus. Vnde & Act. 19 Ephesios illos, qui tantum nouerant baptisma Ioannis, plenius à se institutos, non tamen per se baptizauit. Imposuit autem ipse eis manus; quia id ab alijs fieri non poterat. Sic & Petrus Act. 10. Cornelium & familiam eius fidem Christi à se edoctos baptizari iussit, non ipse baptizauit. Idque adeò Christi Domini exemplo, qui per se docuit, non autem per se baptizauit, sed per discipulos suos, Ioan. 4. Quo suo exemplo docere voluit, eos qui ad verbi ministerium apti sunt, in eo munere præcipuè versari debere; & sacramentorum administrationem, vbi res postulat, alijs per quos fieri potest cõmittere; ne ipsi à potiore officij sui parte impediantur: præsertim episcopos, vt minora discant aliis demandare, quo ipsi ad maiora per se exsequenda sint magis expediti. Quanquam etiam ob id non per se baptizabant apostoli, ne schismatum occasiones præberent, alijs dicentibus, Ego sum Petri; alijs, Ego Pauli &c. quandoquidem etiam non ab illis baptizati, talia dixerint. Quod verò de baptizandi ministerio dicit Paulus, & cum eo dicere potest quiuis episcopus: id & de alijs similibus dicere eum posse arbitror: exempli gratia: Non misit me Dominus exorcizare, sed euangelizare. Nescio enim cur quidam magni sese tantopere occupent ac fatigent in exorcizandis dæmoniacis: cum id cuilibet simplici presbytero committi possit: quando nec quidem presbyterorum illud proprium officium est, sicut est baptizandi: sed eorum qui presbyteris ordine minores sunt, & suo nomine exorcistæ vocantur: multoque melius sit vnam animam prędicatione verbi diuini è diaboli potestate eripere, quã multorũ obsessa corpora ab illius vexatione liberare.

Christus per se docuit: non per se baptizauit.

Quo sensu Paulus nõ ad baptizandũ missus.

Duo pastorũ officia, quorũ alterũ alteri principalius.

Sicut baptizandi, sic & exorcizandi ministeriũ ab episcopo delegãdum alijs: quo expeditius vacet ministerio verbi.

NON IN SAPIENTIA VERBI. Transit latenter ad aliud caput reprehensionis, eorum scilicet qui vel in prædicando euangelio affectabant eloquentiam & sapientiam sæcularem, vel eam à suis prædicatoribus ac magistris requirebant. *Verbi* Græcè λόγου. Qua voce & verbum & ratio significatur. Putatque

S. Thomas

Quid Paulo verbum siue sermo

S. Thomas hoc loco conuenientius intelligi posse sapientiam verbi, id est humanæ rationis: *quoniam*, inquit, *ea quæ sunt fidei, humanam rationem excedunt*. Alij tam Græci quam Latini verbum, id est sermonem, intelligunt: idque rectius. Sic enim à Paulo assiduè sumitur, cum alibi passim, tũ præcipuè in hac præsenti disputatione. Iam enim dixerat eos diuites factos *in omni verbo & in omni scientia*. Et hîc de sermone mox subijcit: *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est*. Nec aliter capite sequenti. Nam etsi his in locis nunc sermonem nunc verbum audiamus, in Græco tamen non aliud est quam λόγος. Dicit ergo Paulus, se missum à Christo non ad baptizandum, sed ad prædicandum euangelium: nec id tamen *in sapientia verbi*, id est, exquisito & doctrinis sæcularibus instructo sermone. Hoc est quod repetit initio proximi capitis, se venisse *non in sublimitate sermonis aut sapientiæ*. Vtrumque enim à se remouet, & sermonis apparatum, & sapientiæ sæcularis ostensionẽ. Hunc sensum exprimere volens Erasmus ita vertit: *non erudito sermone*.

Quid sapientia verbi.

VT NON EVACVETVR CRVX CHRISTI. *Euacuetur*, Græcè κενωθῇ *inanis reddatur*. Cyprianus *inanis fiat*, lib. 3 testimoniorum ca. 69. Sensus; Ne laude suæ virtutis ac potentiæ defraudetur crux Christi. Nam si cum sapientia verbi missi fuissent ad prædicandum apostoli; iam non virtuti crucis, id est diuinæ potentiæ quę per crucifixi meritum operatur, ascripsissent homines conuersionem gentium ad fidem, sed eloquentiæ & sapientiæ humanæ: Corinthij maximè, qui sæculari sapientiæ cũ eloquentia coniunctæ, plurimum tribuebant.

Quomodo per sapientiã verbi euacuetur crux Christi.

18 VERBVM ENIM CRVCIS PEREVNTIBVS QVIDEM STVLTICIA EST. Obijcere quis poterat: euangelium, id est verbum crucis contemptui futurum apud auditores, ideoque sine fructu, si ita nudè & absque ornamentis humani sermonis ac sapientiæ prædicetur. Concedit hoc Paulus quantum ad reprobos attinet: sed non quantum ad electos: penes quos redemptionis proprietas est. Vt proinde nulla ex parte frustretur Dei propositũ, quantumuis humiliter prædicetur crux Christi: sed magis appareat & illustrior reddatur eius virtus in fide omnium electorum. Sensus huius partis: Verbum crucis, id est, sermo de cruce, prædicatio Christi crucifixi, ab ijs qui pereũt & non sunt à Deo electi ad salutem, reputatur velut res stulta & ridicula; videlicet ratione rei prædicatæ, id est crucis & crucifixi; quem infrà dicit gentibus esse stulticiã. Quid enim stultius secundum sensum carnalem, quam salutem exspectare ab homine crucifixo? Et ita sapiebant, qui insultabant ei dicentes: *Alios saluos fecit: seipsum non potest saluum facere*, Matth. 27.

Verbum crucis stulticia pereuntibus.

IIS AVTEM QVI SALVI FIVNT, ID EST, NOBIS, DEI VIRTVS EST. In Græco non interponitur, *id est*. Sed addidit vel interpres, vel alius quispiam explicandæ sententiæ causa. At nobis, inquit, qui saluamur (sic enim in Græco est) eadem prædicatio crucis, vtique ratione rei prædicatæ, instrumentum est virtutis ac potentiæ Dei; dum per crucem, quauis humiliter prædicatam, Deus potenter operatur nostram conuersionem & salutem. Loquitur in persona electorum. Nec enim alij sunt qui salui fiunt, quàm electi: vt nec alij qui pereunt quam reprobi. Consimili modo dixit euangelium esse virtutem Dei, *in salutem omni credenti*, Rom. 1.

Verbum crucis Dei virtus, & quibus.

19 SCRIPTVM EST ENIM. Testimonio prophetico docet excludendam sapientiam sæcularem à prædicatione euangelij.

PERDAM SAPIENTIAM SAPIENTIVM, ET PRVDENTIAM PRVDENTIVM REPROBABO. Græcè: *& intelligentiam intelligentium reprobabo*, siue *reijciam*. Hieronymus legit, *& intellectũ prudentium reprobabo*. in commentarijs Isa. 33. Habetur autem hoc testimonium apud Isaiã cap. 29 iuxta versionem LXX, nisi quod apud apud eos non est *reprobabo*, sed *abscondam*: quemadmodum & in Hebræo, vbi Hieronymo interprete sic legitur: *Peribit sapientia à sapientibus eius*, scilicet populi Iudaici; *& intellectus prudentium eius abscondetur*. Cæterùm mutatio quam vel Paulus vel LXX fecerunt, nihil adimit de sensus integritate, sed magis eum explicat. Nam vtique Deus id facturus erat, quod futurum propheta prædicit. Interim nota Paulum referre ad vniuersum genus sapientiæ sæcularis, id quod propheta propriè de sapientia Iudæorum, id est Scribarum & Pharisæorum, dixit. Sensus est: Perdam, inquit Deus, id est abijciam vt contemptibilẽ (nam *perdam* exponit apostolus per *reprobabo*) sapientiam & intelligentiam siue prudentiam eorum qui secundum sæculum sapientes & prudentes sunt; ita vt ea ad negocium euangelij & promouendæ salutis hominum vti nolim: ne vt suprà dictum est, euacuetur crux Christi.

Sapientia sæcularis reprobata à Deo.

20 VBI SAPIENS? VBI SCRIBA? VBI CONQVISITOR HVIVS SÆCVLI? *Scriba* Græcè γραμματεύς. Tertulliano *literator*, li. de idololatria cap. 10. *Conquisitor* συζητητής, Laurentio & Erasmo *disputator*. Nam συζητεῖν etiam interpreti nostro disputare est, vt Act. 6 & alibi. Hæc Pauli potius verba sunt quam prophetæ: quibus tamen ille ad similem ciusdẽ prophetæ locum respicit, qui est cap. 33, quo loco vulgata versio sic habet: *Vbi est literatus? vbi legis verba ponderans? vbi doctor parvulorum?* At in Hebræo sic ad verbum legitur: *Vbi scriba? vbi ponderator*, siue *librator*? *vbi numerans turres?* Quod LXX sic reddiderunt: *Vbi sunt grammatici? vbi sunt consiliantes? vbi est numerans eos qui nutriunt?* Paulus verò præter alia mutauit ordinem, & scribam sapiẽti postposuit. De hac varietate consule Forerium & alios qui commentati sunt in Isaiam. Theophylactus & Oecumenius sapientem interpretantur philosophum gentilium, scribam

Quis sapiens; quis scriba; quis conquisitor huius sæculi.

doctorem Iudæorum. His enim nominibus apud vtrumque populum appellabantur. Cõquisitorem autem seu disputatorem sæculi huius vocat apostolus, non eum qui disputat de hoc sæculo, rerumque humanarum studiosus indagatot est, vt quidam exponunt: sed disputatorem sæcularem seu mundanum; qui videlicet humana tantum ratione & naturali ingenio de rebus quibuslibet inquirit & disputat. Cuiusmodi fuere qui dicti sunt philosophi. Non malè quidam genitiuum *huius sæculi* putant etiam ad duo priora nomina referri debere, id est ad sapientem & scribam. Nam de sapientia quidem id exprimit, dum statim nominat *sapientiam huius mundi*, & capite sequenti *sapientiam huius sæculi*. Sentit igitur apostolus ad prædicandum euangeliũ & mundum fide Christi imbuendũ non fuisse missos aut adhibitos sapientes huius sæculi: quin potius eos cum sua sapientia abiectos & repudiatos esse à Deo. Nam id significat illa per interrogationes insultatio, *vbi sapiens*, &c. Merito autem abiecta est sapientia mundi; non solum ne extenuaretur virtus crucis; verum etiam quia multis erat erroribus & vanitatibus permixta; &, quoad personas, superbiæ plena, ideoque prædicationi crucis contraria.

Cur abiecta à Deo mundi sapientia.

NONNE STVLTAM FECIT DEVS SAPIENTIAM HVIVS MVNDI? Rursus hoc erotemate sapientiam sæcularem traducit vt inutilem & stultam. ac si dicat: Palàm est sapientiam mũdi huius esse reprobatam à Deo. *Stultam fecit* Græcè vno verbo ἐμώρανεν *infatuauit*, vt legit Tertullianus cõtra Marcionẽ, id est inanem ostendit & contemptibilem reddidit, non dignatus vti eius adminiculo ad persuadendam hominibus veritatem euangelij. Neque enim vllus sapientum huius sæculi vocatus fuit à Christo ad euangelium prædicandum. Theophylactus exponit infatuatam mundi sapientiam, id est stulticiæ conuictã; eo quod non potuerit inuenire verum. Vtrique sensui congruit ratio subiuncta.

Nullus sapiẽtum huius sæculi vocatus ad prædicãdum euangeliũ

21 NAM QVIA IN DEI SAPIENTIA NON COGNOVIT MVNDVS PER SAPIENTIAM DEVM. *Nam quia*, Græcè ἐπειδὴ γὰρ *postquam enim*. Quanquam etiam rectè habet quod noster interpres vertit. Dei sapientiam nõnulli Christum interpretantur: quo prædicante carnales homines Deum Patrem noluerunt agnoscere. Mouet eos quod paulo pòst Christus vocatur Dei sapientia. Sed hic sensus præsenti instituto non videtur conuenire. Quocirca rectius alij Dei sapientiam intelligunt relucentem in opificio mundi; metonymicè tamen acceptam pro ipso mundi opificio, omnibus ad contemplandum exposito.

Dei sapiẽtia opificiũ mũdi.

PLACVIT DEO PER STVLTICIAM PRÆDICATIONIS SALVOS FACERE CREDENTES. *Placuit Deo*, Græcè εὐδόκησεν ὁ θεὸς. Pro quo Tertullianus *boni duxit Deus*, lib. 5 cõtra Marcionem cap. 5. Sic enim ille etiam alibi loquitur, vt obseruauit ad dictum locum Pamelius. Sed rectè noster interpres *placuit Deo*. quod aliàs *complacuit*, aliàs *beneplacitum est* dicere solet. *Stulticiam prædicationis* alij Hebraismũ exponentes vertunt, *stultam prædicationem*. Sensus totius periodi: Quandoquidem vel postquam mundus, id est humanum genus, per sapientiam mundi, id est suam, qua contemplatus est creaturas, earumque rationes perscrutatus, nõ cognouit Deum in opere illo suo sapientissimè condito (quod vocat Dei sapientiam) & per hoc mundi sapientia nihil cõtulit hominibus ad salutem; benigno consilio visum est Deo, per crucis prædicationem, siue per crucem ipsam, rem in specie stultam & contemptibilem, hominibus prædicatam, operari salutem eorum qui huiusmodi prædicationi crederent. Rationem cur ita Deo placuerit, assignat Leo pontifex sermone 19 de passione Domini: *vt mirabilior fieret constantia fidei ex difficultate credendi*. Sed hæc ratio subordinanda est rationi principaliori, quam ipse Paulus adfert inferius: *vt non glorietur omnis caro in conspectu Dei*. Cæterùm bene post Hugonem Caietanus obseruat apostolum non dixisse, non cognouit aliquis, *sed non cognouit mundus*. Nam ipse fatetur ac docet philosophos ex creaturis Deum agnouisse, Rom. 1. Verùm illi, sicut ibidem dicitur, nec Deum glorificauerunt, nec veritatem cognitam mundo propalarũt; sed eam in iniusticia detinuerunt. Vnde & illa qualiscumque Dei noticia, tam ipsis cognoscentibus, quàm mundo, ad salutem inanis effecta est.

Salus per crucem, eiusq; humile prædicationẽ.

Pauci per sapientiã mũdi Deũ cognouerũt: nullũ glorificauerunt.

22 QVONIAM ET IVDÆI SIGNA PETVNT. Græcè, *quandoquidẽ & Iudæi signũ petũt*, seu *postulant*. Legitur autem *signum*, numero singulari, dumtaxat in codicibus qui hodie exstãt. Nam apud Chrysostomum, Theophylactum & Oecumenium plurale est *signa*: quemadmodum & apud Tertullianum. Commendat apostolus virtutem euangelicæ prædicationis tam Iudæis quam gentibus despectæ. Siquidem, inquit, & Iudæi signis olim assueti, signa, id est miracula exigunt; quibus velut diuinis testimonijs (inde enim signa dicta) adducantur ad credendum; talia maximè qualia Moyses in Ægypto & in deserto exhibuit. Vnde Luc. 12 leguntur signum aliquod cælitus à Christo postulasse. Quibus & Christus alibi dicit, *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis*, Ioan. 4. Iam antè enim dixerant ei: *Quod signũ ostendis nobis, quia hæc facis?* Ioan. 2. Non tamen reprehendit apostolus, si quis ex iusta causa signum petat, quo vel sua vel aliorum fides, alioqui infirmior, roboretur. Siquidem Abrahã signum petijt & accepit. Gen. 15. & Gedeon Iudic. 6. & Ezechias 4 Reg. 20: Verum post Moysen & prophetas adhuc nolle credere, nisi signo viso, Iudaicum est.

Iudæi signis assueti signa petunt.

Signũ petere non semper malum.

ET GRÆCI SAPIENTIAM QVÆRVNT. Græcos, tanquam gentilium præcipuos, nominat. Et Græci, inquit, solam sectantes rationem naturalem, requirunt humanam sapientiam;

id est

id est philosophicis rationibus doctè & disertè propositis persuaderi volunt: &, si quid ratione assequi nequeant, quale est mysterium crucis; non recipiunt, sed explodunt atque irridենt. quemadmodum Paulo cõtigit Christum prædicanti apud Athenienses philosophos Act. 17. Vnde & à Festo præside audiuit, *Insanis Paule*, Act. 26.

23 NOS AVTEM PRÆDICAMVS CHRISTVM CRVCIFIXVM. Intellige ex superioribus, *non in sapientia verbi*, & ex sequenti capite, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, & ex epistolæ 2 cap. 10, *in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Opponit enim apostolus prædicationẽ Christi crucifixi sapientiæ sæculari. Quamuis autẽ multi signis ac miraculis adducti fuerint ad fidem crucifixi: multo tamen plures sine miraculis crediderunt. Quod sanè melius & perfectius est. Atque in ea re euidentius declarata est virtus crucis. Dicit autem multitudinis numero, *Nos prædicamus*; vt secũ alios veros euangelij ministros comprehendat.

Multi per miracula, plures sine miraculis in Christum crediderunt.

Christus crucifixus Iudæis scãdalum.

IVDÆIS QVIDEM SCANDALVM. Christus crucifixus Iudæis scandalum, id est offendiculũ fuit, & vt propheta loquitur, *lapis offensionis & petra scandali*, in quem grauiter impingerent: quia crucis opprobrium eos turbauit & impediuit, ne hominem illum pro Messia reciperent. quemadmodum adducto Isaiæ testimonio docet apostolus Rom. 9.

Idem gentibus stultitia.

GENTIBVS AVTEM STVLTITIAM. *Gentibus ἔθνεσι Græcis.* Sed eo nomine gentiles generatim cõprehendit, saltẽ cultiores, minusq; barbaros, potissimũ Romanos: quibus omnibus, æstimatione humanæ sapiẽtiæ quã sectabãtur, mera stultitia erat hominẽ crucifixũ aut prædicare aut credere mundi saluatorẽ. Græcorũ nomine cæteros etiam gentiles à Paulo cõprehẽdi, docẽt alia loca, vt Rom. 10, *Non enim est distinctio Iudæi & Græci.* & Gal. 3, *Non est Iudæus neque Græcus.* Quæres an non etiam Iudæis stultitia fuerit Christus crucifixus; Fuit sanè. Siquidem generaliter dictum est suprà, *verbum crucis pereuntibus stultitiã esse.* Sed præter hoc, Iudæis peculiariter scandalum fuit, quibus Christus promissus fuerat & exspectatus; nec tamen receptus, ob causam quã modò diximus.

Idem Iudæis stultitia.

24 IPSIS AVTEM VOCATIS IVDÆIS ATQVE GRÆCIS. *Ipsis* Erasmus minus rectè *ijsdem*. Non enim Græcè est τοῖς αὐτοῖς, quemadmodũ suprà, *vt idem* (τὸ αὐτὸ) *dicatis omnes.* Sed sine articulo αὐτοῖς, quod non aliud est quam *ipsis*. Vide quæ diximus ad illud Rom. 7. *Igitur ego ipse mente seruio* &c. *Vocatis*, Græcè, τοῖς κλητοῖς *vocaticijs*. Et sensus est: Iis verò qui diuina prædestinatione vocati sunt ad fidem, siue Iudæi illi sint siue Græci, id est gentiles, vt dictum est.

Christus crucifixus electis Dei virtus & sapientia.

CHRISTVM DEI VIRTVTEM ET DEI SAPIENTIAM. Dei virtutem siue potentiam dicit Christum, propter Iudæos qui signa postulabant, in quibus ostenditur potentia: Dei sapientiam, propter gentiles qui sapientiã quærebant. tametsi vtrisque vtrumque factus est Christus, & virtus & sapientia Dei; quia per Christum crucifixum virtus & sapientia Dei in electorum salute procuranda declaratur & agnoscitur: Virtus quidem, id est potẽtia, qua eripuit eos è potestate diaboli, qui in euangelio vocatur *fortis armatus* Luc. 11. Sapientia verò, quam ostendit in eo quod per humilitatem & crucem & mortem Christi Filij sui, electos redemit. Fuit enim ille redemptionis modus *sanandæ nostræ miseriæ* conuenientissimus: quẽadmodum testatur Augustinus lib. 13 de Trinitate cap. 10. conuenientissimus, inquam, ob multas rationes, quas ex eodẽ Augustini loco & ex alijs, tradunt Doctores ad dist. 20 lib. 3 Sententiarum. Iuxta hunc sensum, quẽ etiam verba proximè sequentia, & alia quæ in fine capitis habentur, confirmant; Christus Dei virtus & sapientia vocatur secundum naturam assumptam, in qua passus & mortuus est.

25 QVIA QVOD STVLTVM EST DEI, SAPIENTIVS EST HOMINIBVS. Græcè: *Quia stultum Dei* &c. id est stulticia Dei sapientior est hominibus. Videtur enim Græco more concretũ neutrum vsurpare pro abstracto: quemadmodum & in parte sequenti. Sic enim & alibi loquitur, vt Ro. 2, τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ *benignitas Dei.*

ET QVOD INFIRMVM EST DEI, FORTIVS EST HOMINIBVS. Rursum Græcè: *Et infirmum Dei* &c. id est infirmitas Dei fortior est hominibus. Augustinus lib. 2 de doctrina Christiana cap. 13 dicit, ad vitandum ambiguum melius verti, *Sapientius est quam homines, & fortius est quàm homines.* Quod secutus est Erasmus. Sic enim vertit: *Quoniam stultitia Dei sapientior est quam homines: & imbecillitas Dei robustior est quàm homines.* Sensus autẽ est: Stulticia Dei, siue id quod in Dei consilijs & operibus stultum ac præter rationẽ esse videtur, quale est, per crucem saluos facere credentes; id, inquam, sapientius est omni consilio humano, & omni opere quod homines per suam sapientiam efficere possint. Et infirmitas Dei, siue quod in Dei operibus infirmum & imbecille esse videtur, quale est, Christum pati, crucifigi & mori, id fortius est ac robustius quam quicquid ab hominibus fieri potest. Debellat enim principem huius mundi qui habebat mortis imperium, Hebr. 2. & valet ad æternam hominum salutem. Quidam in vtroque membro subintelligi volunt sapientiam, hoc pacto: τῆς τῶν ἀνθρώπων σοφίας; vt completè sic vertas, *sapientius est hominum sapientia, & fortius est hominum sapientia.* Sed id mihi coactum videtur.

Stultum & infirmũ Dei quomodo sapientius hominibus.

26 VIDETE ENIM VOCATIONEM VESTRAM FRATRES. *Videte*, Græcè, βλέπετε: quod verti etiam potest *videtis.* Idque placet Vallæ: & ita Faber, Erasmus & Hentenius verterunt. Atqui veteres Latini legunt *videte*, vt Irenæus lib. 2 cap. 34. Item Pelagius, Primasius, Sedulius & cæteri. Vnus Ambrosiaster retẽta Græci

verbi

verbi ambiguitate, legit *intuemini*. Porrò docet apostolus, id quod dixit de operibus Dei collatis ad opera hominum, non solum habere locum in cruce Christi, sed etiam in ipsis qui credunt. Est autem huius loci duplex commentarius. Nam quæ hic & deinceps dicuntur, alij referunt ad fideles illius temporis in genere, comprehensis etiam apostolis, per quos fides crucis Christi persuasa est mundo: qui plerique fuerunt homines secundum sæculum humiles & abiecti. Alij propriè hæc dicta volunt ad Corinthios: quia dicit apostolus *vocationem vestrã*, id est Corinthiorũ: quãuis & sic intelligi possit, *vestrã*, id est fidelium: præsertim, cũ inscriptionem epistolæ fecerit valde generalem. Nã postea versu penultimo, ad Corinthios reuertens ait: *Ex ipso autem vos estis* &c. Nos igitur priorem sensum prosequemur; sub quo tamen etiã secundum facilè est accipere. Porro *vocationem* dicit vocatos; sicut alibi *circumcisionem*, circumcisos. Videte, inquit, & considerate vocatos ad fidẽ, id est fideles, qui & quales sint; etiam illi qui inter eos præcipui sunt, vt apostoli Christi.

Duplex huius loci commentarius.

Vocatio pro vocatis.

QVIA NON MVLTI SAPIENTES SECVNDVM CARNEM. Id est, quòd non multi humana sapientia præditi; supplẽdum vel ex eo quod præcedit, vocati sunt; vel ex sequẽtibus, electi sunt; vtique ad fidem, vel etiã ad euãgelij prædicationẽ. Notandum, Paulo eadẽ esse hoc capite & duobus sequentibus, sapiẽtiam huius mundi, sapientiam huius sæculi, sapientiam secundum carnem, & sapientiam hominum siue humanam: quam & carnalẽ sapientiam vocat 2 Cor. 1. Quibus nominibus eam significari vult sapientiam, quæ studio humano absque doctrina Spiritus-sancti potest acquiri: propter quod & sapientia secundum carnem vocatur; qualis fuit sapientia philosophorum.

Sapientia mundi pluribus nominibus appellata: & quæ dicatur.

NON MVLTI POTENTES. Potentes secundum sæculum intellige.

NON MVLTI NOBILES. Id est claro genere nati. Non dicit apostolus: nemo sapiens secũdum carnem, nemo potens, nemo nobilis. Nã huiusmodi etiã nonnulli primis illis temporibus ad fidem accesserũt; vt Nicodemus princeps Iudæorum, Ioseph ab Arimathea nobilis decurio; duo cẽturiones, alter à Domino laudatus, alter ab angelo: Paulus procõsul; Apollo vir eloquẽs: Dionysius Areopagita: de quibus omnibus partim in euangelio, partim in Actis apostolorum. Denique & ipse Paulus apostolus ad pedes Gamalielis in lege institutus: atque etiam in ethnicorum libris versatus; quemadmodum versus poëtarũ subinde ab eo citati satis produnt. Verùm hi comparatione multitudinis credentium paucissimi erant, ita vt etiam Christo prædicante diceretur, *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc quæ non nouit legem.* Ioan. 7. Cæterùm inter duodecim Christi apostolos à quibus primum omnium crux Christi prædicata fuit mũdo, nullus omnino secundum sæculum sapiens, potens, nobilis. Hinc Ambrosius lib. 5 in Lucam ad illud cap. 6, *Elegit ex ipsis*; *Aduerte*, inquit, *cæleste consilium: non sapientes aliquos, non diuites, nõ nobiles; sed piscatores & publicanos, quos dirigeret, elegit: ne tradnxisse prudentia, ne redemisse diuitijs, ne potentiæ nobilitatisq; authoritate traxisse aliquos ad suam gratiam, videretur.* Sic ille. Vanũ igitur est quod de regia nobilitate S. Bartholomæi fabulantur quidam; cùm præsertim ad derogandam illi fabulæ fidem, memorata B. Ambrosij verba pro sacra lectione in eiusdem apostoli festo recitet ecclesia Romana. Quanto minus recipiendũ quod de eodem apostolo apud ψευδώνυμον Abdiã legitur, perpetuo purpuratum ac gemmatum incessisse; & angelorum præsidio sic munitũ, vt nec vestes eius sordidarẽtur, nec sandalia veterascerent, nec ipse fatigaretur aut esuriret? cùm *non sit apostolus maior eo qui misit illum*, Ioan. 13, id est Christo Domino; qui & fatigatus fuisse & esurijsse legitur: dicatque in omnium apostolorum persona Paulus infrà cap. 4. *Vsque in hanc horam & esurimus & sitimus & nudi sumus.* Dices, saltem γραμματεὺς fuit Bartholomæus, & legis Iudaicæ peritus; si, quod quorundam habet opinio valde probabilis, idem is fuit cum Nathanaële, qui Ioan. 1 tanquam gnarus legis respondisse legitur Philippo, *A Nazareth potest aliquid boni esse*. Quo fit vt Augustinus, qui Nathanaelẽ ab apostolis diuersum facit, in eius loci tractatione dicat, ob hanc ipsam causam quia doctus erat in lege, non fuisse à Christo inter duodecim annumeratum. Sed respondetur illud à Nathanaele dictũ fuisse cũ interrogatione. Nam sermo erat de oppido paruo & obscuro; à quo non videbatur magnũ aliquod bonũ sperari posse. Vnde & tanquam interroganti respõdit Philippus, *Veni & vide*; scilicet vt experientia discas id de quo dubitas & interrogas. Augustinus autem tanquam assertionem hominis in lege & scripturis versati, verba eius accepit.

Fabula de nobilitate S. Bartholomæi reijcitur.

Nathanael an idem cum Bartholomæo: & an legis fuerit peritus.

Nonnulli sapientes, potentes, nobiles in Christum credidêrunt.

27 SED QVÆ STVLTA SVNT MVNDI, ELEGIT DEVS. Tota hæc aduersatiua ad amussim respondet verbis præcedentibus: *non multi sapientes secundum carnem: non multi potentes: non multi nobiles.* Nam primũ quia dixerat: *nõ multi sapiẽtes secundum carnem*, nunc dicit: *Sed quæ stulta sunt mundi*, Græcè *stulta mundi*, id est quæ stulta erant secundum mundum, *elegit Deus*. Et sensus est: Eos qui mundana sapiẽtia destituti erant, ideoque stulti & insipiẽtes atque ad docendum alios inepti humano iudicio videbantur: quales fuere piscatores; hos inquam, elegit Deus ad fidem, non solum suscipiendam, sed etiam alijs prædicandam.

Quæ stulta mundi.

VT CONFVNDAT SAPIENTES. Id est, vt pudore afficiat sapientes: *non qui esse nt, sed qui esse viderentur*, ait Augustinus ser. 6; de diuersis capite 3; vel *sapientes* non simpliciter, *sed secundum carnem*, vt paulo antè dixi. Pudefiunt enim huiusmodi sapientes, dũ per suam sapientiã præstare nõ possunt; id est, homines

Inter apostolos Christi nullus sapiens, potens, nobilis.

ad æternam ſalutem adducere, & beatos facere; quod ſine ea præſtant indocti.

ET INFIRMA MVNDI ELEGIT DEVS. Hæc pars reſpondet ei qua dixerat, *non multi potentes. Infirma mundi*, id eſt infirma ſecundum mundum, dicit homines nulla ſæculi potẽtia præditos, ſed plebeios & inopes.

Quæ infirma mundi.

VT CONFVNDAT FORTIA. Id eſt, vt illorũ comparatione veluti pudefaciat omnem huius mundi potentiam: dum per illos facit, quod potentes ſæculi non poſſunt.

28 ET IGNOBILIA MVNDI ET CONTEMPTIBILIA ELEGIT DEVS. Hoc opponit ei quod dixerat, *non multi nobiles. Contemptibilia*, Græcè τὰ ἐξουθενημένα, id eſt *quæ nihili habita*. Senſus: Et eos qui ſecundum ſæculum ignobiles erant & obſcuri, ideoque deſpecti, velutique pro nihilo habiti, elegit Deus.

Quæ ignobilia mũdi.

ET EA QVÆ NON SVNT. Græcè καὶ τὰ μὴ ὄντα *& non entia*, id eſt ea quæ non erant. Quod dixit *nihili habita*, auget Hebraiſmo *non entia*, licet res eadem ſignificetur. Nam quæ contemptui ſunt, Hebræis dicuntur non eſſe, quatenus nihili æſtimantur: quaſi dicas homines nullius nominis aut numeri. Tales fuere plerique quos Chriſtus initio ad fidem & euangelij prędicationem elegit.

Non entia Hebræis quæ dicantur.

VT EA QVÆ SVNT DESTRVERET. *Deſtrueret*, Græcè καταργήσῃ, *aboleret*, *obliteraret*, vt vertit Eraſmus. Eandem vocem interpres Rom. 3 verſu 2 vertit euacuare. Senſus eſt: vt eos qui magni ſunt hominum æſtimatione, contemptibiles & obſcuros redderet, ac velut ad nihilum redigeret. quod eſt deſtruere iuxta verſionem noſtram. Hoc autem factum eſt, quãdo apparuit, quam nihil conferat ad negocium æternæ ſalutis hominum, nobilitas generis, & omnino quicquid mundus vt magnum admiratur.

29 VT NON GLORIETVR OMNIS CARO IN CONSPECTV EIVS. Græcè ἐνώπιον αὐτοῦ *coram eo*. Non omne pro nullo, & caro pro homine, idiotiſmi ſunt Hebraici. Libentius tamen hominem ſcriptura carnem appellat, vbi infirmitatem eius notat, aut faſtum reprimit: vt Iſa. 40, *Omnis caro fœnum*. Et Ierem. 17. *Maledictus homo qui ponit carnem brachium ſuum*. Hæc ætiologia referenda eſt ad tria mẽbra præcedentia, quibus dictum eſt Deum elegiſſe ſtulta & infirma & ignobilia mundi; vt confundat ſapientes & potẽtes & nobiles. Hoc enim totum fecit, vt appareret nulli homini gloriandum eſſe de quibuſcumque bonis quæ per naturam habentur, vt ſunt ſapiẽtia ſæculi, potentia, nobilitas: gloriandum, inquam, *coram Deo*, id eſt in iis quæ hominem Deo commendent, vt ſunt fides & opera pietatis: ſed harum rerum gloriam omnem ſoli Deo tribuendã per Chriſtum. Vnde ſequitur.

Caro pro homine.

30 EX IPSO AVTEM VOS ESTIS IN CHRISTO IESV. *Ex ipſo*, Eraſmus *ex eodem*: Sed non magis potuit, quam in eo quod proximè præcedit, *coram ipſo*. Pars hæc variè exponitur. Primus ſenſus eſt: *Ex ipſo*, ſcilicet Deo, & non ex vobis, etiam vos eſtis quicquid eſtis coram Deo; & ab eo habetis, quicquid boni quod ad pietatẽ pertineat habetis, idque per Chriſtum Ieſum. Aliter: Vos eſtis ex Deo, id eſt filij Dei, homines Dei eſtis, velut ex Deo nati; idq; per Chriſtum. Tertius ſenſus: Ex Deo vos eſtis in Chriſto, id eſt, per Dei gratiam eſtis Chriſtiani, Chriſto incorporati, & beneficiorum eius participes. Sic eſſe in Domino, pro eo quod eſt eſſe Chriſtianum, dixit Rom. 16 verſu 12. Tam huic ſenſui quam duobus prioribus bene congruit quod ſequitur.

QVI FACTVS EST NOBIS SAPIENTIA A DEO. Id eſt cuius merito veram ſapientiam habemus à Deo authore. Hanc opponit ſapientiæ ſæculari de qua ſuprà, ac rurſus infrà capite ſequenti.

Chriſtus nobis factus ſapiẽtia, iuſtitia, ſanctificatio, redẽptio, quo ſenſu.

ET IVSTICIA ET SANCTIFICATIO ET REDEMPTIO. Eodem ſenſu omnia hæc dicuntur, nempe cauſali, quod Chriſti merito iuſtitiam, ſanctificationem & redemptionem à Deo acceperimus. Illud enim *à Deo*, per ſingula repetendum eſt. Qui hunc locum adducũt pro iuſtitia imputatiua à Lutheranis inuecta, ij ſacris literis aut ſtudio aut imperitia abutuntur: vt quod figurato ſenſu dictum cõſtat, propriè velint intelligi. Sicut enim Chriſtus ideo nobis ſanctificatio & redemptio factus eſt, quia per crucem eius ſanctificati ſumus ac redempti: ſic vtique factus eſt nobis iuſtitia, quia per crucem eius iuſtificati ſumus: non quia iuſtitia eius vel diuina vel humana nobis imputatur. Sic alibi pax noſtra vocatur, quia pacem nobis ſuo merito conciliauit, Eph. 2 verſu 14.

Explodituꝛ imputatiua iuſtitia.

VT QVEMADMODVM SCRIPTVM EST. Scriptum eſt apud Ieremiam cap. 9, non verbis tamen iiſdem ſed ſenſu. 31

QVI GLORIATVR, IN DOMINO GLORIETVR. Apud prophetam ſic legitur: *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua; & non glorietur diues in diuitijs ſuis: Sed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me.* Hoc autem erat in Domino gloriari. Nam ſi per humanam ſapientiam quis poſſet Deum cognoſcere & colere, quomodo cognoſcendus & colendus eſt; iam potuiſſet ſapiens gloriari in ſapientia ſua; quod vetat Dominus per prophetam. Senſus igitur apoſtoli ex prophera eſt huiuſmodi: Qui gaudet & gloriatur ſe habere aliquid vnde placeat Deo; non id ſuæ ſapiẽtiæ aut potẽtiæ aut alteri cuicũq; bono naturæ aſſcribat; ſed ſoli gratiæ Dei acceptum ferat. Quanquam illud *in Domino*, poteſt de Chriſto accipi, de quo proximè ſermo fuerat; vt ſenſus ſit, in nulla alia re gloriandum eſſe, quam in ea quam per Chriſtum habemus, qui nobis omnia factus eſt. Qui ſenſus etiam conuenit alteri loco 2 ad Cor. 10, vbi hæc ſententia repetitur: vt ibi videbis. Vnde, & ad illud quod apud prophetam ſequitur; *quia ego ſum Dominus faciens miſericordiam & iudicium & iuſtitiam in terra*: videtur apoſtolus alluſiſſe

Quid in Domino gloriari.

prioribus verbis: tanquam illic recondito quodam sensu significata sit Christi Domini incarnatio & redemptio; per quam Deus in ipso nobis illa operatus est. Denique potest quod apostolus ait, *quemadmodum scriptum est*, ad totius scripturæ sacræ sensum & ingenium referri. Nam vt scribit Augustinus enchiridij 98. *Altissimo saluberrimoq; sacramento vniuersa facies, atque (vt ita dixerim) vultus sanctarum scripturarum bene intuentes id admonere inuenitur, vt qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Tota scriptura admonet, nō nisi in Deo gloriandum.

SVMMARIVM.

CHristum & hunc crucifixum Corinthijs se prædicasse dicit, cum humilitate sermonis & virtute Dei. Sapientiam mundo absconditam, quæ solo Dei spiritu cognosci potest, se loqui inter perfectos: quod animalis homo nō sit aptus ad eam percipiendam.

CAPVT II.

1 ET EGO CVM VENISSEM AD VOS FRATRES. Suprà dixerat se missum ad euangelizandum, non in sapientia verbi, ne crux Christi euacuetur. Id nunc docet apud Corinthios se præstitisse: simulque à seipso quodammodo probat quod dixerat, Deum quæ stulta sunt mundi, & quæ infirma elegisse; etiam quoad officium prædicationis euangelicæ: per hæc tacitè perstringens quosdam Corinthiorum doctores, qui in euangelio prædicando suam ostentabant eloquentiam vnà cum sapientia sæculari. Cæterùm & per *itaque* rectè exponunt quidam.

VENI NON IN SVBLIMITATE SERMONIS AVT SAPIENTIÆ. *In sublimitate* Græcè κατ' ὑπεροχήν, id est *secundum* vel *per sublimitatem*, quod & in nonnullis inuenitur Latinis vetustioribus. Commentator Amb. legit *cum eminentia*: quod secutus est Erasmus.

ANNVNCIANS VOBIS TESTIMONIVM CHRISTI. Græcè, *testimonium Dei*; & in nonnullis *mysterium Dei*. Quod quidem etiam legit & interpretatur commentator Ambr. Vnde apparet olim quoque in Græcis quibusdam scriptum fuisse μυστήριον. tametsi μαρτύριον puto sincerius; vt sensus sit: Igitur quādo veni ad vos testis Christi, videlicet annunciaturus vobis euangelium, quod est testimonium Christi, id est de Christo; idque iuxta legationem mihi iniunctam: nullam ostendi in prædicatione mea vel eloquentiæ vel sapientiæ sæcularis eminentiam; sed simplici sermone vsus, ac nullo adiutus adminiculo philosophiæ humanę, Christum vobis prædicaui. Quæritur an potuisset Paulus, si voluisset, prædicare cum sublimitate sermonis & sapientiæ sæcularis. Negant Chrysostomus & eum secuti Theophylactus & Oecumenius: quod reuera, vt aiunt, sermone esset imperitus, & externæ sapientiæ penitus expers. At sanè quamuis aliquo sensu sermone imperitum fuisse Paulum ipsius constet testimonio, 2 Cor. 11, vbi id de se fatetur, (quod quidem quo sensu dixerit, illic à nobis explicabitur) attamen vt Græcos legit poëtas, sic & oratores & philosophos eum legisse, & proinde sapientiæ sæcularis haud prorsus expertem fuisse, satis est verisimile. Verùm eiusmodi sapiētiam apud Corinthios non ostendit, nec omnino quod tale quicquam sciret, præ se tulit: videlicet contentus euangelicæ prædicationis negocium simpliciter agere, more aliorum Christi apostolorum; quod id magis tunc expediret ad promouendam Dei gloriam. Responsionem hanc confirmat quod proximè sequitur: vbi non dicit; Non enim sciui aliud: Sed.

Paulus non prædicauit euangeliū cum eloquentia & sapiētia sæculari. An potuerit, quæritur.

Responsio

2 NON ENIM IVDICAVI ME SCIRE ALIQVID INTER VOS. *Me* in Græco non additur sed intelligitur. Sine eo citant Tertullianus lib. de pudicitia cap. 14, & Hilarius lib. 10 de Trinitate. Quidam sic vertit: *Non enim quicquam ad cognoscendum delegi inter vos.* Hic interpres rationem habuit articuli τῦ præpositi verbo infinito εἰδέναι: licèt Græci expositores eius articuli vim dissimulasse videantur. Nam & codices quidam articulum non agnoscunt. Nec additus aut demptus sensum variat. Qui huiusmodi est: Etenim statueram ita me gerere apud vos, vt nihil aliud scire viderer. Aut, secundum alios, Non iudicaui, id est dissimulaui apud vos, me quicquam scire: non declaraui me aliud scire. Sequitur.

NISI IESVM CHRISTVM, ET HVNC CRVCIFIXVM. Non significat se nihil aliud apud Corinthios docuisse, quàm Christum crucifixum, id est articulum crucifixionis Christi. Nam & alios fidei articulos docuit; & doctrinam ad mores vitæ Christianæ pertinentem diligenter inculcauit; quemadmodum id bene ostendit Augustinus lib. de fide & operibus cap. 10. Sed à sua prædicatione qua apud illos vsus est, primum remouet sermonis ornatum cum admixta sapientia sæculari: deinde etiam sublimiorem & secretiorem Christianæ religionis doctrinam, quam infrà nūcupat sapientiam; quod eius nondum essent capaces Corinthij: quibus proinde rudimenta fidei tantum erant initio tradenda. Quæ rudimenta vocat *Iesum Christum & hunc crucifixum.* Pulcrè sensum hunc insinuauit Franco Abbas tomo 12 de gratia Dei: *Paulus*, inquit, *paruulos in Christo lacte potat: adultos in fide, solido cibo roborat. Inter illos nihil nisi Christū, & hunc crucifixum se scire iudicat: inter istos, de secretis cælestibus, & mysterijs à sæculo absconditis disputat.* Similiter intellexit Bernardus sermone ad milites templi cap. 6, & Hugo Victorinus in quæstionibus huius loci. Sensus igitur est: Nudè, simpliciter ac sine pompa sermonis & ostentatione sapientiæ sæcularis, quasi nihil aliud scirem; tradidi vobis rudē de Christo doctrinam; diligenter inculcans hoc fundamentum

Quomodo Paulus non aliud sciens quā Iesum Christum crucifixū.

damentum; Iesum Christum pro nobis crucifixum & mortuum esse; & hac fide, nec aliter salutem haberi posse: secretiorum & profundiorum fidei mysteriorum expositione in aliud tempus reseruata. Congruunt huic sensui sequentia ab eo loco, *Sapientiam autem loquimur inter perfectos*; maximè quæ dicuntur sub finem huius capitis, & initium sequentis. Iam ex his etiam patet, non illum prædicare Christum crucifixum, qui tantùm proponit ac docet crucem esse imitandam: sed qui docet nõ in alio quam in cruce Christi gloriandum; ipsius nimirum Pauli exemplo dicentis Galat. 6, *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.*

Christum crucifixũ quis prædicet.

3 ET EGO IN INFIRMITATE ET TIMORE ET TREMORE MVLTO FVI APVD VOS. Præpositio *in* ἐν secundo & tertio loco repetitur in Græco. Timor & tremor differunt quod timor sit animi, tremor corporis: atque hic illius effectus. Verùm quoties coniunguntur in scripturis, fere significant solicitudinem operis cum metu offendendi, vt Psal. 2, *Seruite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore*, & Philip. 2, *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*. De varia acceptione infirmitatis in scripturis egimus in commentario epistolæ ad Rom. 5 versu 6. Hoc quidem loco sunt qui corporis infirmitatem sanitati oppositam intelligant: Sed rectiùs alij infirmitatem interpretantur quę potentiæ opponitur: licet & hi varient. Nam Chrysostomus alijque Græci putant apostolum loqui de persecutionibus & periculis quæ Corinthi passus fuerat. Hæc enim infirmitatum nomine significari patet ex ijs quæ scribuntur 2 Cor. 11 & 12. Alijs placet (quod & ego magis probo) infirmitatem hic accipi pro humilitate conuersationis, de qua dicit 2 Cor. 10, *Qui in facie quidem humilis sum inter vos*; & propter quam de eo dicebatur, vt ipse refert eodem loco: *præsentia corporis infirma*. De qua rursus ait eiusdem epistolæ capite 13. *Gaudemus enim quoniam nos infirmi sumus.* Nam & ea infirmitatis acceptio respondet superioribus vbi dictum est: *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia*. Denique eandem significasse videtur Gal. 4 dicens: *quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iam pridem*. Itaque sensus est: Quando prædicaui vobis euangelium, non solum vsus sum humili sermone, nihil admiscens sapientiæ sæcularis: verum etiam humiliter admodum ipse me gessi, manibus laborans, nec vtens potestate quam Dominus mihi dedit; & inter hæc solicitus, ne quid committerem verbo aut facto, quo vos offensi resiliretis à fide suscepta. Summa est, vt doceat se versatum fuisse apud Corinthios, non vt sermone tantum, sed & persona humilem.

Timor & tremor quid significent in scripturis.

Quomodo Paulus in infirmitate apud Corinthios.

4 ET SERMO MEVS ET PRÆDICATIO MEA. Id est, oratio mea qua vsus sum in euangelio prædicando. Nam & sumitur expositiuè.

NON IN PERSVASIBILIBVS HVMANÆ SAPIENTIÆ VERBIS. *Persuasibilibus* Græcè πειθοῖς, id est *suasorijs*, siue *persuasorijs*, aptis & comparatis ad persuadendum: cum persuasibile propriè dicatur id quod persuaderi potest. Quamuis autem in Græco sit idem vocabulum *sermo*, λόγῳ; & *verbis*, λόγοις: consulto tamen Latinus interpres mutauit, videns non posse vtrumque prorsus similiter accipi. Quod & Erasmus imitatus est, frustra reclamante Valla. Nam sensus est: Sermo meus quo Christum apud vos prędicaui, non fuit compositus ex verbis & sententijs ad persuadendum accommodatis ob admixtam humanæ sapientiæ doctrinam. Quidam sic exponunt: Prædicans vobis Christum non adhibui verborum ornamenta, quibus humana sapientia sese venditat. Sed prior sensus melior. Vult enim non solum sermonis ornatum rhetoricum, verum etiam ipsam sapientiam sæcularem à sua prædicatione remouere. Hoc autem de neglectu sapientiæ sæcularis repetit, vt addat quod sequitur.

Persuasibilia humanæ sapientia verba quæ dicantur.

SED IN OSTENSIONE SPIRITVS ET VIRTVTIS. Tropus est quam hendiadem vocant, *spiritus & virtutis*, id est virtutis Spiritus-sancti: quam videlicet Spiritus-sanctus suppeditat. Sensus: Prædicatio mea quamuis humana arte persuadendi destituta, tamen efficax fuit; quòd eam comitaretur virtus Spiritus-sancti, declarata per miracula, velut certa testimonia veritatis eorum quæ prædico. Quæres: si rectè neglexit apostolus verba suasoria; cur non illum in eo imitantur omnes verbi Dei prædicatores; quibus studium esse videmus imitandi potius Esther reginam, quæ Deum precabatur vt tribueret *sermonem compositum in ore suo*, ad flectendum regis animum. Esther 14. Respondetur, ordinariam hanc esse viam ad suadendum & mouendos auditorum animos, vti verbis ad eum finem studio compositis, quæ proinde negligi non debeat; nisi constet alia ratione Deum velle moueri homines ad id quod eis est salutare: quemadmodum ei placuit principio per apostolos simplici & incomposito sermone euangelium prædicari, & gentes conuerti; idque ob causam superiori capite expressam, & verbis hic sequentibus repetitam.

An Paulus imitandus in eo quod neglexit verba suasoria.

5 VT FIDES VESTRA NON SIT IN SAPIENTIA HOMINVM, SED IN VIRTVTE DEI. Id est, Vt fides vestra non ascribatur humanæ sapientiæ (eadem ratio de eloquentia) sed omnes agnoscant solius diuinæ virtutis esse illud opus. At verò fide semel fundata; redeundum fuit ad ordinariam & consuetam persuadendi viam; ac nihilominus credendum, quod, vt sequenti capite dicitur, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

Fides non ascribenda sapientiæ humanæ, sed virtuti diuinæ.

6 SAPIENTIAM AVTEM LOQVIMVR INTER PERFECTOS. Hactenus dixit se nudè &

ſimpliciter prædicaſſe Corinthijs Chriſtum, & eum crucifixum, ſine cultu ſermonis aut ſapientiæ humanæ. Nec addidit ſe protuliſſe apud ſuos auditores recondita ſapientiæ diuinæ: quod tamen oportuit, poſt humanã ſapientiam repudiatam. Hanc igitur rem nunc explicat: ac duo docet vſque ad finem capitis: quorum prius eſt; reconditorum ſapientiæ diuinæ noticiam ſibi non deeſſe; alterum ſe eam ſapientiam non promiſcuè proferre apud quoſlibet, ſed ſolum apud perfectos & ſpirituales. Vtrumque complexus eſt hac ſententia: *Sapientiam loquimur inter perfectos*; ac ſi dicat: Quamuis nos apoſtoli qui Chriſtum prædicamus, humanæ ſapientiæ præſidia non requiramus: non tamen expers eſt ſapientiæ prædicatio noſtra. Loquimur enim & docemus veram & (vt infrà) Dei ſapientiam, inter perfectos. Græci quidem commentatores ſapientiam hoc loco generaliter intelligunt, prædicationem Chriſti crucifixi; & perfectos, in genere fideles: Sed rectiùs alij, perfectos eoſdem accipiunt quos infrà vocat ſpirituales, quoſque carnalibus & animalibus opponit: & quos rurſus perfectos appellat Heb. 5 dicens: *Perfectorum eſt ſolidus cibus, eorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali*. Quæ verba ſunt pro commentario loci præſentis. Inde enim etiam diſcimus ſapientiam, quam inter perfectos loquitur apoſtolus, intelligi non quamcumque doctrinam de Deo & Chriſto: ſed eam quæ continet ſecretiora & altiora noſtræ religionis myſteria: cuiuſmodi ſunt quæ Paulus tradit in epiſtolis ad Romanos, Epheſios, & Coloſſenſes, de electione & reprobatione diuina, deque vocatione gentium & abiectione Iudæorum: quæ ad Theſſalonicenſes de Antichriſto; quæ ad Hebræos de ſacerdotio Chriſti, & quæ in hac ipſa epiſtola de ſtatu ac modo reſurrectionis mortuorum. Hæc enim vel non ſtatim tradebantur rudibus, vel ſummariè tantum: reſeruabantur autem tradenda, vel plenius ac profundius explicanda, ijs qui iam eſſent in Chriſto prouectiores. Huc etiam referri poſſunt quorundam articulorum fidei tropologicæ ſignificationes; vt paſſionis, crucifixionis, mortis, ſepulturæ, reſurrectionis & aſcenſionis Dominicæ: Quas Petrus & Paulus in ſuis epiſtolis, ad exhortationem vitæ Chriſtianæ, opportunis locis admiſcent. Huc igitur etiam pertinet arcanum Dei conſilium, quo voluit per opprobrium crucis & humilitatem prædicationis, confundere ſapientiam humanam, & deſtruere tyrannidem diaboli. Quam Dei ſapientiam hic potiſſimum à Paulo conſiderari, indicant ea quæ ſequuntur. Et hæc eſt ſapientia quam necdum habebat Petrus, quando Chriſto paſſionem ſuam prædicenti, dixit: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc*. Quare & ab eo audiuit, *Non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum*. Matth. 16. Peculiariter autem hanc apoſtolus ſapientiam vocat, quod ſapientia propriè ſit de rebus altioribus & à communi noticia hominum alienis. Hæc expoſitio Latinorum eſt, ac nominatim S. Thomæ tam in commentario quam in 2 2, quæſt. 45 art. 1 ad 1, vbi & probat eam ex ſequentibus apoſtoli verbis, *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio quæ abſcondita eſt*. Porrò ſimile eſt huic loco, quod Dominus ſuis diſcipulis dixit Ioan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modò*. Quam ſententiam ediſſerens Auguſtinus tractatu 96, 97 & 98, proponit ac verſat & aliarum ſcripturarum collatione explicat huiuſmodi quæſtionem: *Vtrum ſpirituales homines habeant aliquid in doctrina, quod carnalibus taceant, & ſpiritualibus dicant*. Eſt autem reſponſionis eius hæc ſumma; Quamuis apoſtoli non omnia ad doctrinam religionis Chriſtianæ pertinentia ſtatim initio tradiderint ijs quibus euangelium prædicabant: non tamen vel ipſos, vel alios ſpirituales homines ab apoſtolis inſtitutos, habuiſſe aliquid in doctrina, quod non opportuno tempore depromerent, ac palàm apud multitudinem proferrent: ſic vt eadem traderent maioribus & paruulis, id eſt perfectis & imperfectis: ſed ea cura adhibita, vt pro ſua quibuſque capacitate ea proponerent, paruulis quidem vt potum lactis, quem libenter & facilè ſugant: maioribus autem vt ſolidum cibum, explicando rationes, ordinem, modum, aliaſque circumſtantias eorum quæ credenda ſunt: quod eſt ſapientiam loqui inter perfectos. Sic & Hugo Victorinus hanc rem explicat quæſt. 16. Quanquam & hoc ipſum quodammodo eſt alia quædam tradere perfectis; videlicet eorum quæ à paruulis ſimpliciter creduntur, rationes & circumſtantias quaſdam ſecretas & profundas, quarum paruuli nondum ſint capaces. Exempli gratia: Credendum omnibus proponitur, Chriſtum mortuum eſſe, vt nos è poteſtate diaboli eriperet. Perfectis autem dicitur quo iure totum genus humanum in diaboli poteſtatem fuerit redactum: ac rurſus quo iure & æquitate per Chriſti mortem fuerit inde ereptum. Quod à S. Leone & alijs patribus ſubtiliter ac diſtinctè exponitur: nec tamen à paruulis capitur, ſed à perfectis. Quanto autem quiſque ſapientior eſt; tanto plura nouit horum myſteriorum: & quanto quiſque perfectior, tanto magis horum intelligendorum eſt capax. Eorum autem explicatio ad ſermonem ſapientiæ pertinet: quod primum inter chariſmata quæ ad aliorum dantur vtilitatem, ponitur infrà, capite 12.

Qui perfecti: & quam ſapientiam inter eos Paulus loquatur.

Altiora myſteria non ſtatim tradenda rudibus Chriſtianis.

Vtrũ ſpirituales habeant aliquid in doctrina, quod carnalibus taceant. Auguſtini reſponſio.

SAPIENTIAM VERO NON HVIVS SÆCVLI. Explicat quam ſapientiam dixerit. *Non*, inquit, *huius ſæculi*. quam ſuprà vocauit humanam.

NEQVE PRINCIPVM HVIVS SÆCVLI QVI DESTRVVNTVR. Malè quidam codices *quæ destruitur*. quamuis ita legat Hugo & interpretetur. Dubium est quos hic appellet apostolus principes huius sæculi: maximè quia paulo pòst iterum principes huius sæculi nominans, dicit eos Dominum gloriæ crucifixisse. Sunt autem tres sententiæ quas de principibus huius sæculi refert Aquinas in suo commentario; iuxta triplicem, vt ait, sapientiam huius sæculi. Nam primum intelligi posse dicit reges ac principes terræ: à quibus procedit sapientia legum humanarum. Secundò dæmones, quorum in hoc mundo magna potestas; à quibus est sapientia superstitiosarum artium. Tertiò philosophos, qui quasi principes se exhibuerunt hominibus in docendo: à quibus processit tota humana philosophia. Huic autem generi adiungit Pharisæos & scribas in lege peritos, quoniam & illi studium sapientiæ dabant. Porrò Theophylactus & Oecumenius Chrysostomum secuti, hoc quidem loco principes huius sæculi intelligunt philosophos & oratores. At infrà eodem nomine designari putant vel Herodem & Pilatum: vel pontifices Iudæorum & Pharisæos, authores crucifixionis Christi. De quibus omnibus ecclesia fidelium Act. 4 exponit illum psalmi versiculum: *Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum & aduersus Christum eius.* Sed hic Græcorum commentarius incommodum habet, quòd non vno modo interpretetur principes huius sæculi: cum certè appareat apostolum non alios atque alios, sed eosdem vtroque loco significare voluisse. Qua in re deficit etiam expositio Caietani, qui priori loco philosophos, posteriori dæmones significari putat. Vera ac germana nobis interpretatio videtur eorum, qui principes huius sæculi vtrobique dæmones intelligunt: vt commentatoris Ambros. Sedulij, Lombardi, Carthusiani, Titelmanni, &, vt alios præteream, vtriusque glossæ, tam interlinealis quàm ordinariæ: licet horum plerique intexant etiam alias expositiones. Meminerunt item Chrysostomus & Theophylactus, quamuis eam non sequantur. Cur autem ea nobis expositio magis probetur, hæc ratio est, quia maximè conuenit posteriori loco: quemadmodum illic ostendemus, etiam allatis patrum sententijs: nec est quod cogat acceptionem variari in eodem contextu sermonis. Proinde sensus huius loci est: Sapientiam loquimur non huius sæculi, id est, sapientiam philosophiæ sæcularis, quæ naturali rationis lumine comparari potuit: neque sapientiam principum huius sæculi, id est introductam à dæmonibus; qualis genethliacorum, & superstitiosæ philosophiæ, qua referta erat doctrina Simonis; qualis item maximè deorum cultus cum cærimonijs: qui principes huius sæculi, id est dæmones, destruuntur siue abolentur: (nam rursus Græcè est vocabulum καταργεῖσθαι, quod aboleri & obliterare significat) destruuntur, inquam, per Christum, qui *in hoc apparuit vt dissoluat*, ac destruat *opera diaboli*, 1 Ioan. 3, &, *vt princeps huius mundi eiiciatur foras*, Ioann. 12. Destruuntur ergo, quia potestas eorum destruitur.

Qui Paulo principes huius sæculi.

Tres sententiæ.

Verior sẽtẽtia principes huius sæculi dæmones intelligi.

Quæ sapientia principũ huius sæculi.

7 SED LOQVIMVR DEI SAPIENTIAM IN MYSTERIO, QVÆ ABSCONDITA EST. Stapulensis vertere maluit, *sapientiam in mysterio absconditam*. nec ei placet quod vulgatus interpres scripsit, *quæ abscondita est*. Vult enim intelligi sapientiam absconditam in mysterio. Sed falli eum satis ostendit articulus participio præpositus; τὴν ἀποκεκρυμμένην. Vnde & Erasmus transtulit, *quæ est recondita*. Igitur illud *in mysterio*, referendum est ad verbum *loquimur*. Est enim ordo & sensus: Sapientiam Dei quæ abscondita est, id est consilia diuinæ sapientiæ quæ Deus esse voluit abscondita, & ante filij sui passionem paucissimis reuelata (quæ idem apostolus Ephes. 3 vocat *sacramentum absconditum à sæculis in Deo*) loquimur & docemus non propalam & passim apud omnes, quia non omnes ea capiunt; sed *in mysterio*, id est secretò, & apud pauciores, scilicet eos qui spirituales & perfecti sunt. Quidam ita supplent & exponunt: *Loquimur Dei sapientiam* latentem *in mysterio*, id est, *absconditam illam, quam prædestinauit Deus* &c.

Quæ sapiẽtia Dei abscõdita.

QVAM PRÆDESTINAVIT DEVS ANTE SÆCVLA IN GLORIAM NOSTRAM. Sensus: Quam sapientiam, id est quæ consilia sapientiæ suæ Deus ab æterno præfiniuit ac decreuit exsequenda in tẽpore; quibus nos adduceret ad gloriam adoptionis filiorum.

8 QVAM NEMO PRINCIPVM HVIVS SÆCVLI COGNOVIT. *Quam* vel *gloriam*, vel *sapientiam*. Vtroque enim referri potest, tam in Græco quam in Latino. Tertullianus ad gloriam retulit lib. 5 contra Marcionem cap. 6. Quod & alijs nonnullis placet propter id quod statim sequitur, *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Verum magis ex mente apostoli est, vt ad sapientiam Dei referatur. Vult enim docere, sapientiam Dei qua destruuntur principes huius sæculi, fuisse illis ignotam; vt hic sit sensus: Quam Dei sapientiam, id est quæ diuinæ sapientię consilia ab ęterno decreta nullus principum huius sæculi, id est dæmonum, cognouit antequam ea Deus exsequeretur: tunc enim per experientiam illa nosse ceperunt. Alioqui consilium illud sapientiæ Dei, quo per mortem filij sui & cõtumeliã crucis, salutem procurauit humani generis, & diaboli regnũ euertit, res fuit dæmonib⁹ antea prorsus tũ incognita, tũ inopinata. Porrò dęmones huius sæculi principes appellantur in scripturis, propter potestatẽ quam in genus humanum peccato corruptũ, atque in hęc inferiora qnę humanis vsibus subseruiũt,

Quæ Dei sapientia principibus huius sæculi incognita.

Cur dæmones dicti principes huius sæculi.

iusto Dei iudicio, diabolus cum angelis sibi subiectis accepit. Vnde & ipse specialiter princeps huius mundi vocatur Ioan.12, 14 & 16,& Deus huius sæculi 2 Cor.4, & dæmones mundi rectores Eph.6.Quo loco rationē huius nominis dæmonibus attributi pleniùs explicaturi sumus.Iam quod sumpsit apostolus, principes huius sæculi, id est dæmones, non cognouisse illam Dei sapientiam: probat hoc certissimo argumento.

SI ENIM COGNOVISSENT. Intellige sapientiam Dei,de qua iam fuit locutus. Non enim dicit: Si cognouissent Deum aut Christum. Siquidem hoc non esset certum argumētum eius quod sequitur.

NVNQVAM DOMINVM GLORIÆ CRVCIFIXISSENT. *Nunquam* Græcè οὐχ' ἂν,*non vtique* Sensus: Nequaquam Christum, qui est Dominus gloriæ, curassent crucifigendum: nunquam Iudæos ad eius necem instigassent. Ratio manifesta,quia nunquam id agere voluissent, per quod scirent humani generis salutem prouehendam esse, suumque regnum destruendū. Sensum hunc apertè nobis insinuat Leo pōtifex in sermonibus,præsertim ijs quos habuit de passione Domini. Quamuis enim sermone 9 & 15 etiam ad scribas & Pharisæos & pontifices hanc partem referat: tamen magis & impensiùs inhæret sensui iam dicto de dæmonibus, vt videre est in eodem sermone 9,& iterum sermone 11 & 18.De ijsdem hunc locum intellexerunt, etsi priorem aliter interpretati, Haimo, Heruæus & alij. Quibus accedunt Innocentius tertius sermone feriæ 5 post Dominicam 1 Quadragesimæ. & sanctus Thomas 1 p. qu. 64. artic. 1 ad 4. Cæterùm memoratus Leo papa sæpe & diligenter explicat mysterium, id est arcanum consilium sapientiæ Dei in redimendo homine è potestate diaboli. Videtur enim diabolo data seu permissa ab initio potestas in genus humanum, propter primam transgressionem Deo obnoxium,tantisper dū non vltra præsumeret:& ab innocente manus abstineret. Verùm quia manus misit in Christū innocentem, in quo nihil omnino iuris habebat:ius amisit permissæ potestatis in peccatores. *Dum* enim,vt ait Leo sermone 2 de natiuitate Domini, *viciata originis præiudicium generale persequitur, chirographum quo nitebatur excedit:ab illo iniquitatis exigens pœnam, in quo nullā reperit culpam. Soluitur itaque lethiferæ pactionis malesuada conscriptio; & per iniustitiā plus petendi,totius debiti summa vacuatur.* Vide eiusdem de passione Domini sermones 8, 9, 10 & sequentes.Iam quod dæmones eo sensu quo dixi Christū crucifixerint, id est crucifixionis ac mortis eius authores fuerint, è scriptura perspicuū est. Dicit enim Dominus ad Iudæos ipsum volētes interficere,Ioan.8, *Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere.* Et ad discipulos ca.14, *Venit enim princeps mundi huius*, scilicet vt mihi mortem inferat; *& in me non habet quicquam*, nempe suum,quia peccati expers sum. Et rursum ad Iudæos comprehensores suos Luc. 22. *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum*,id est dęmonum. Sed & de Iuda clarè testatur Ioannes ca.13, diabolum misisse ei in cor, vt Iesum Iudæis traderet. Nec insolita locutio videatur, dæmones crucifixisse Christum, eo quod hominibus suggesserint, vt eum crucifigerent. Nā simili sermone dicitur Apoc.2, *Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem*, nimirum instinctu & suggestione. Quin & Iudęi quoque non aliter Christum crucifixerunt,quam suggerendo,tradendo,incitando. Et tamen partim in sacris literis, partim in scriptis patrum & sermone fidelium vsitatissimū est dicere Iudæos Dominum crucifixisse & occidisse. Nunc ex his etiam liquet somnium illud oblatum vxori Pilati, quo perterrita virum monuit, ne quid committeret in illum iustum,vti narrat Matth. cap.27, non à diabolo immissum fuisse, tanquam volente impedire mortem Christi,per quam ipse conterendus esset ac potestate priuandus; vt sentiunt nonnulli:sed à bono angelo reuocante Pilatum per vxorem ipsius ab iniusta cōdemnatione iusti hominis. Quæ sentētia est Hieronymi scribentis in Matthæum,& Ambrosij in Lucam,Græcorū quoque Origenis,Chrysostomi, Theophylacti,Titi,& Euthymij in commentarijs.Non tamen eo fine id factum ab angelo bono, vt Christi mortem impediret; Absit enim hoc: Sed vt eius innocentia pluribus vndique testimonijs astrueretur. Restat exponendum, quo sensu Christum apostolus Dominum gloriæ vocet;& ad vtram eius naturam id pertineat. Augustinus lib.1 de Trinitate cap. 12 ad formam Dei refert, vt Dominus gloriæ dicatur, eo quod virtute diuinitatis suæ potens sit glorificare sanctos suos; secundum illud Rom. 8, *Quos iustificauit, illos & glorificauit.* Alij ad eandem naturā respicientes, Dominum gloriæ simpliciter intelligunt Dominum, id est Deum gloriosum;quomodo in psalmis rex gloriæ, & Dominus maiestatis appellatur. At Græci interpretes Dominum gloriæ Christum dici volunt, quod per crucem esset ad gloriam euehendus: vt sit tacita antithesis inter verbum *crucifixerunt*, & nomen *gloriæ*, in eandem vicissim incidens naturam, scilicet humanam; quæ prius crucem passa, postea glorificata est. Hic sensus etsi probabilis sit, est tamen alius, meo iudicio, probabilior; secundum quem respicit apostolus ad id quod paulo antè dixit, *in gloriam nostram*; vt nimirum Christus dicatur Dominus gloriæ nostræ, id est princeps,author & consummator glorificationis suorum electorum, idque per crucē & mortem suā. Etenim cum saluti nostræ dæmones quam maximè inuideant;nunquam profecto Christū crucifigendū procurassent,si per illud eius supplicium viam nobis parari ad redemptionē,salutem & gloriā (quod erat mysteriū abscōditum) vel suspicati fuissent. Sed & hoc

Consiliū sapientia Dei in redimendo homine è potestate diaboli.

Dæmones Christum crucifixerunt, & quo sensu.

Somnium vxori Pilati immissum nō à diabolo, sed à bono angelo.

Christus quo sensu Dominus gloriæ dictus.

modo

modo Christus, Dominus gloriæ secundum eam naturam in qua passus est, rectè intelligitur. Christus enim vt homo nos redemit, pro nobis satisfecit, & gloriam nobis æternã promeruit, atque ipse ad eam primus peruenit, vt quo caput præcessit, membra sequantur. Porrò cum ex supradictis satis iam cõstet, quo pertineat illud, *Si enim cognouissent*: huic loco alienum est quærere, num Iudæi aut eorum principes cognouerint Iesum esse Christum, atque etiam Dei filium: secundum illud quod sub parabola dixisse eos refert Dominus Matt. 21. *Hic est heres; venite occidamus eũ*: An verò idipsum ignorauerint, eo quod Petrus dicat ad Iudæos Christi interfectores, Act. 3, *Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri*. De qua quæstione disputant in commentarijs Aquinas & Liranus, & ab vtroque dissentiens in sua additione Paulus Burgensis. Alienum quoque, num vel ipsi dæmones illud cognouerint. Tantum enim negat apostolus eos cognouisse sapientiam Dei, id est arcanum eius consiliũ de destruendo dæmonum principatu, & electis suis ad gloriam prouehẽdis, per mortem filij sui. Sanè Caietanus existimat, dæmones, etiamsi cognouissent Iesum esse verum Deum, nihilominus ex odio quo Deum & diuina prosequuntur, persecuturos eum fuisse vsque ad mortem & crucis ignominiam. Quæ Caietani sententia ne cui parum probãda videatur, confirmat eam authoritas S. Gregorij Papæ, qui testatur diabolum & cognouisse Iesum esse Filium Dei, & tamen authorem mortis eius fuisse. Sic enim de eo sub nomine Behemoth loquitur lib. 33 Moralium cap. 7. *Et quidem Behemoth iste Filium Dei incarnatum nouerat, sed redemptionis nostræ ordinem nesciebat. Sciebat enim quod pro redemptione nostra incarnatus Dei Filius fuerat: sed omnino quod idem redemptor noster illum moriendo transfigeret, nẽsciebat.* Hæc ille, & alia quæ sequuntur in eandem sententiam. Quæ profectò ad huius loci intelligentiam cumprimis adiuuant. Quanquam idipsum etiam probari potest testimonijs omnium eorum qui fatentur ac docent dæmones verè cognouisse Christum esse Dei Filium, quando ab eo iussi obsessorum corpora relinquere, clamabant: *Quid nobis & tibi Fili Dei?* Item, *Scimus qui sis, Filius Dei*. Neque enim illi qui hoc docent, negant Christum à Iudæis impulsu malorũ dæmonum ad crucẽ & mortem expetitum fuisse. Vtrum autẽ dæmones reuera tunc quando sic exclamarunt, Christum esse Dei Filium cognouerint: an verò tantum id dixerint assentando, ne expellerentur, vt quidam volunt; id quærendum apud interpretes euangeliorum, ad ea loca quibus dæmones sic exclamasse leguntur. De quo argumento nos etiam tractauimus super sententijs lib. 2 dist. 7.

An Iudæorũ principes cognouerint Iesum esse Christum & Dei Filium.

An ipsi dæmones illud cognouerint.

9 SED SICVT SCRIPTVM EST. Supplendum ex superioribus, *Sed loquimur*. Repetit enim hoc, vt quod dixit, amplius explicet. Scriptum est autem apud Isaiam prophetam cap. 64. Nam quod ex apocryphis quibusdam vel Eliæ vel Isaiæ, testimonium hoc depromptum nõnulli putarũt, satis ab Hieronymo in Isaiæ commentarijs refellitur.

QVOD OCVLVS NON VIDIT, NEC AVRIS AVDIVIT, NEC IN COR HOMINIS ASSCENDIT. Asscendere in cor, Hebraismus est in scripturis frequens, pro eo quod Latini dicunt, venire in mentem, in cogitationem. Porrò Græcè plurali numero hæc dicuntur; *Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non asscenderunt*. Et ita locum hunc referunt Tertullianus lib. de resurrectione carnis capite 26, & Hieronymus in epistola quam præfixit Pentateucho à se conuerso, necnon in epistola 148 ad Marcellam: licet ibidem postea totum repetat singulari numero. Quamuis enim Græcum ἀνέβη sit numeri singularis, hic tamen pluraliter transferendum fuit iuxta proprietatem syntaxeos Græcanicæ. Mihi verisimile est interpretem vertisse, *Quæ oculus non vidit*, nam eodem numero sequitur.

Asscendere in cor Hebraa phrasis.

QVÆ PRÆPARAVIT DEVS IIS QVI DILIGVNT ILLVM. Rectius *ipsum*. nã reciprocè sumitur ἀυτὸν. Et Hieronymus legit *diligentibus se*. Prophetæ locum sensu magis quã verbis retulit apostolus. Nam ex Hebræo quidem Hieronymus ita vertit: *A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt; oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te*. LXX verò sic reddiderunt: *A sæculo non audiuimus, neque oculi nostri viderunt Deum præter tẽ, & opera tua quæ facies sustinentibus misericordiam*. Vbi videmus apostoli citationem propius ad Hebræũ fontem quam ad LXX versionem accedere: tametsi potest etiam ex Hebræo verti *Deum* quarto casu: quod fecerunt Pagninus & Vatablus; indignante licet Leone Castrensi. Certè non id adeò multum refert ad locum præsentem; cum apostolus eam partem *Deus* (seu *Deum*) *absque te* prætermiserit; & Hieronymo teste, sicut dictum est, sensum magis quam verba reddere curauerit. Sensus autem huiusmodi est: Sed loquimur ea quæ iuxta prophetam, nec oculis hominum visa, nec auribus audita, nec animo cogitata fuerunt, id est nulli prorsus hominum cognita; nimirum ea quæ præparauit ac prædestinauit Deus diligẽtibus & exspectantibus se. Ea sunt salus & gloria adoptionis atque æternæ felicitatis, tam mirabili ordine sapientiæ diuinæ procuranda. Nam de Christi beneficijs, quorum hæc præcipua sunt, agit eo loco propheta. Suspicatur Erasmus apostolum in Hebræo pro ב legisse ג, vt pro *exspectantibus* scriberet *diligentibus*. Quod an ita sit, studiosis expendendum relinquo. Nobis satis sit, alterum per alterum hoc loco bene explicari. Quæritur autem, an ab hac cognitione mysteriorum etiam angeli boni excludãtur, ita vt præteritis temporibus ea nesciuerint. Apostolus quidẽ tantum dicit;

Sensum magisquã verba reddit Paulus in citandis prophetis.

Præparata diligẽtibus Deũ quanam sint.

nec in cor hominis ascenderunt. Sed propheta dicens, *Deus absque te*, id est te solo excepto, videtur eam noticiam ab omnibus alijs remouere. Quod & apostolum apparet sentire. Nam alioqui, hoc prophetico testimonio nõ ostenderet dæmones illud mysterium ignorasse. Facilè autem homine nominato etiam angelus intelligitur, cùm vterque sit intellectualis creatura; quam ad ea quæ supra naturam sunt cognoscenda pertingere naturæ viribus, impossibile est. Huc faciunt eiusdem Pauli verba Eph. 3, *Vt innotescat principatibus & potestatibus* &c. & 1 Tim. 3, *Apparuit angelis*. Hæc enim significant prius angelos latuisse huiusmodi mysteria. Sed quomodo latuerunt angelos, cùm non latuerint prophetas, quibus ea ministerijs angelorum fuerunt à Deo reuelata? Respondeo, sensum prophetæ & apostoli esse, mysteria illa nec hominum cuiquam nec angelorum in cogitationem venire potuisse, nisi Deo, in quo erant à sæculo abscondita, reuelante. Reuelauit autem ante aduentum Filij sui in carnem, tum angelis, tum paucis hominibus amicis suis, quantum pro tempore iudicabat conuenire, plus minúsve; ita tamen vt perfectior ac plenior reuelatio seruaretur tempori manifestãdæ gratiæ Saluatoris. Sed hac de re plura, quum ad alia loca apostoli, quæ modo citaui, ventum fuerit. Porrò quæret aliquis, quomodo verba hæc apostoli: *quæ præparauit Deus diligentibus se*, non pugnent cum gratuita Dei prædestinatione. Nam si beneficia redemptionis præparata sunt diligentibus Deum & exspectantibus, id est sperantibus in eum; igitur meritum aliquod illorum attendit Deus in ea beneficiorum præparatione seu prædestinatione. Spes enim & dilectio prouocant beneficentiam Dei. Breuiter respondeo, partem illam, *diligentibus se*, non esse referendam ad omnia redemptionis nostræ seu mysteria seu beneficia, sed ad illud beneficium quod est omnium mysteriorum complemẽtum, id est ad vltam æternam, quæ in Dei visione consistit. vt sententia sit ad hunc modum explicanda; Quæ præparauit Deus ordinanda ad salutem & vitam æternam, quam dare constituit ijs qui diligunt ipsum. Innuit hanc solutionem Thomas in commentario, docens hoc sensu Deum id quod in cor hominis non ascendit, præparasse, id est prædestinasse *diligentibus se: quia essentiale præmium æternæ gloriæ charitati debetur, secundum illud Ioan. 14, Si quis diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*. Quãuis enim prædestinatio ad gloriam gratuita sit, quatenus gloria consideratur vt finis, qui primus est in intentione: fatendum tamen est, eandem gloriam hominibus à Deo præparari, tanquam mercedem diligentibus promissam.

Vtrum angelis olim cognita fuerint mysteria sapientiæ Dei.

Quæstio.

Responsio

Prædestinatio ad gloriam gratuita, & quatione.

10 NOBIS AVTEM REVELAVIT DEVS PER SPIRITVM SVVM. Ne quis obiiciat, Quo igitur pacto vos illa loqui potestis, si nec in mẽtem cuiquam venire potuerunt? Deus, inquit, nobis per spiritum suum reuelauit. *Nobis* igitur intellige, non omnibus fidelibus, sed apostolis, qui eadem mysteria tradamus alijs, &, vt suprà dixit, sapiẽtiam loquamur inter perfectos. Hic est *Spiritus sanctus, quem*, ait Dominus ad apostolos, Ioan. 14, *mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*. & cap. 16, *docebit vos omnem veritatem*.

SPIRITVS ENIM OMNIA SCRVTATVR, ETIAM PROFVNDA DEI. *Profunda*, Græcè τὰ βάθη *profunditates*, siue vt interpres Irenæi lib. 2 cap. 4 reddidit, *altitudines*. *Scrutatur* autem spiritus Dei (sicut quidam exponunt) in nobis: id est scrutari nos facit; quomodo clamat, gemit, postulat in nobis Rom. 8 & Gal. 4. Ita sensus est: Spiritus enim Dei facit nos intellectu penetrare etiam ad occulta & à sæculis abscondita Dei consilia. Nam quod dicit *omnia*, accommodatè capiunt de omnibus mysterijs quæ voluit Deus sciri ab hominibus. Alij simpliciter intelligunt, spiritum Dei omnia scrutari seu penetrare, id est omnia cognita & perspecta habere: ac proinde sufficientẽ esse ad reuelanda nobis quæcumque voluerit. Propriè quidem scrutari est indagare & quærere noticiam rerum abditarum; sed hic accipitur pro ipsa talium rerum noticia; scilicet eo sermonis tropo quo consequens ex eo quod antecedit intelligitur. Qua ratione passim Deo tribuitur scrutari renes & corda, id est, intima hominum nosse. vt Psal. 7, 1 Paral. 28, Ierem. 17. Quod cum scripturæ Deo proprium esse velint; rectè etiam ex hoc loco statuitur Spiritum sanctum esse Deum. Huic autem expositioni congruunt quæ sequuntur.

Quo sensu spiritus Dei scrutatur omnia.

Deus scrutans renes & corda.

11 QVIS ENIM HOMINVM SCIT QVÆ SVNT HOMINIS, NISI SPIRITVS HOMINIS QVI IN IPSO EST? Probat spiritum Dei non tantum nosse, sed etiam solum nosse Dei arcana: ne quis existimet aliunde quam à Dei spiritu cõparari posse noticiam mysteriorum de quibus hic agitur. Sicut, inquit, arcana cogitata hominis nullus hominum nouit, nisi spiritus ipsius hominis, id est mens eius siue anima qua intelligit: ita &c. Dicet aliquis: Ergo cælicolæ preces nostras non cognoscunt, si sola mente fiant. Respondeo, sicut hac sententia non excluditur Deus (ait enim, *Quis hominũ scit* &c.) ita nec amicos eius excludi, quibus ille secreta quæ vult, pro suo beneplacito reuelat & aperit. Hoc enim iam dixit: *Nobis reuelauit Deus per spiritum suum*. Quamuis & sic potest hic locus intelligi: Nullum hominem scire quæcumque sunt hominis, id est omnia eius cogitata & consilia, nisi ipsum hominem qui ea versat in corde suo.

Sancti preces nostras cognoscunt: etsi sola mente fiant.

ITA ET QVÆ DEI SVNT, NEMO COGNOVIT NISI SPIRITVS DEI. *Quæ Dei sunt*, id est cogitationes & consilia Dei: in quibus sunt quæ prius dixit, *profunda Dei*. Quod ait, *nisi spiritus Dei*, subintellige, & cui spiritus Dei reuelare voluerit, quomodo dictum est à Christo Matth. 11, *Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui*

Solus Dei spiritus nouit ea quæ Dei sunt.

voluerit filius reuelare. Nam huiuſmodi exceptionem ipſe Paulus ſtatim ſequentibus verbis indicat. Quod ſi tamen vniuersè de omnibus quæ Dei ſunt, ſententiam accipias; vera erit ſine exceptione: quemadmodum & ſententia præcedens de ijs quæ ſunt hominis. Illud ſciendum, per hoc quod dicitur ſolus Dei ſpiritus noſſe quæ Dei ſunt, non excludi Filium, ſed includi potius: quum ipſe dicat, *Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt.* & de Spiritu ſancto: *Quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Ioan. 16. Etenim, vt tradũt Theologi in 1 ſent. diſt. 21, dictiones tam excluſiuæ quam exceptiuæ nominibus perſonalibus reſpectu prædicatorum eſſentialium adiunctæ, ſolum excludunt ea quæ natura ſunt diuerſa; quemadmodum & in eo quod paulo antè ex euangelio citatum eſt, obſeruare licet. Nõ enim ibi Spiritus-ſanctus excluditur. Vnde etiam hic locus apertè Macedonianos redarguit, negantes Spiritum-ſanctum eſſe natura Deum. Tertullianus libro aduerſus Hermogenem cap. 18, & aduerſus Praxeam cap. 8 & 19. huius ſententiæ partem extremam citat hoc modo: *niſi ſpiritus qui in ipſo eſt:* videlicet ſimiliter priori membro. Atque inde etiã colligit Spiritum-ſanctum eſſe Deum: quod non ſit aliquid extra Deum, ſed in ipſo: quẽadmodum ſpiritus hominis ſubſtantialiter in homine eſt. tametſi idem lib. 2 aduerſus Marcionem cap. 2, legit vt nos legimus, *niſi ſpiritus Dei.*

Dictiones excluſiuæ in diuinis quomodo exponẽdæ.

Spiritus-ſanctus natura Deus.

12 NOS AVTEM NON SPIRITVM HVIVS MVNDI ACCEPIMVS, SED SPIRITVM QVI EX DEO EST. In Græco & Syriaco non additur pronomen *huius.* Et ſine eo citat Nouatianus lib. de Trinitate cap. 29. Quidam etiam vetuſti codices Latini non habent: vt nec veteres cõcordantiæ. Quanquam addit interdum: vt ſuperiori capite verſu 20, & capite ſequenti verſu 19. Sic etiam hoc capite bis tẽrve, *huius ſæculi.* Quod annotamus, vt intelligatur ſenſum non variari ſiue additum fuerit ſiue non. Eſt autem rurſus occupatio. Nam ne quis dicat apoſtolo: Si ſolus Dei ſpiritus nouit quæ Dei ſunt, quomodo vos ea nouiſtis? reſpondet, & quod iam ante dixerat, *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuum*, repetit alijs verbis. Nos, inquit, non ſpiritum mundi accepimus, id eſt non ſumus inſtituti ſapientia mundana & ſæculari (ſic enim ſpiritum mundi Græci interpretantur) vt ſciamus quæ ſunt huius ſæculi: ſed accepimus ſpiritum qui ex Deo eſt, id eſt ſpiritum Dei. Loquitur vt ſuprà, in perſona apoſtolorum: qui non fuerunt imbuti ſapientia huius mundi, ſed repleti Spiritu-ſancto.

VT SCIAMVS QVÆ A DEO DONATA SVNT NOBIS. Hoc eſt: vt eo ſpiritu reuelante ſciamus myſteria diuina pertinentia ad redemptionem, iuſticiam, ſalutem & gloriam electorum: Quæ omnia gratis donata ſunt electis, ab æterno per prædeſtinationem. Videtur enim apoſtolus eadem nunc dicere donata nobis à Deo, quæ paulo ante dixerat, à Deo præparata ijs qui diligunt ipſum, comprehenſa tamen etiam ipſa dilectione. Quanquã & donata intelligi poſſunt, iam exhibita per Chriſtum. Nam illorum myſteriorum effectus iam latè per eccleſiam agebatur. Ex hac interpretatione verborum apoſtoli, quæ contextui quam maximè congruit, intelligi facilè poteſt, quam imperitè & ineptè ex ijs ſectarij colligant, vnumquèmque fidelium ſcire & infallibiliter certum eſſe, ſe habere dona Dei, iuſticiam, charitatem, remiſſionem peccatorum. Nam primum non de omnibus fidelibus loquitur Paulus, ſed de apoſtolis; deinde nec de omnibus ac ſingulis Dei donis quæ vnicuique inſunt: ſed de myſterijs, arcano diuinæ ſapientiæ conſilio præparatis & exhibitis, atque exhibendis ſocietati electorum in genere. Bene locum hunc intorquet Auguſtinus homilia 14 inter 50, aduerſus Pelagianos, ignorantes ea quæ à Deo donata ſunt nobis, vt fidem, ſpem, charitatem, iuſticiam, bona opera: dum ea non gratiæ Dei, ſed ſui arbitrij viribus aſſcribunt. At non minus iuſtè dirigatur aduerſus ipſos noſtræ ætatis hæreticos, neſcientes quæ à Deo donata ſunt nobis. Nam ſi ſcirent, non pro vera iuſticia, quam Deus per Filium ſuum nobis donauit, imputatiuam ſupponerẽt: nec pro rebus precioſiſſimis, quas ſub velamine ſacramentorum Deus ſuæ donauit eccleſiæ: nuda rerum ſymbola nobis obtrudere conarentur. Porrò ſenſum quem initio dixi, magis etiam confirmant ſequentia.

Fidem ſpecialem ex hoc loco ſtatuẽtes refellũtur

Pelagiani ignorant quæ à Deo donata ſunt nobis. Item ſectarij huius temporis.

13 QVÆ ET LOQVIMVR. Id eſt, quæ eadem tradimus alijs. Sed non paſſim omnibus: vt antè dixit, & paulo pòſt iterum declarat.

NON IN DOCTIS HVMANÆ SAPIENTIÆ VERBIS. *Doctis*, Græcè διδακτοῖς, aliàs διδακτικοῖς: pro quo ſuprà dixit πιθοῖς *perſuaſiuis.* Senſus: Eloquimur myſteria nobis per ſpiritum Dei reuelata, non vtentes verbis arte compoſitis, nec oratione per humanam ſapientiam inſtructa.

SED IN DOCTRINA SPIRITVS. Græcè, *ſed in doctis Spiritus-ſancti.* Supple ex membro priori *verbis.* licet in nonnullis legatur ἐν διδαχῇ *in doctrina.* Auguſtinus lib. 14 de ciuitate Dei cap. 4, & epiſtola 150 legit, *ſed docti ſpiritu*, niſi fortè mendum eſt: vt legendum ſit *doctis ſpiritus*, aut *doctis ſpiritu*, nempe Græco conformius. Senſus: ſed vtentes oratione qualem docet ac ſuggerit Spiritus-ſanctus. Sic Ioan. 6. *Et erunt omnes docti* ſeu *docibiles Dei.* Græcè διδακτοὶ τοῦ θεοῦ, id eſt docti à Deo.

SPIRITVALIBVS SPIRITVALIA COMPARANTES. *Comparantes* Græcè συγκρίνοντες, id eſt, adhibito iudicio conferentes ſiue coaptantes. *Spiritualibus* accipi poteſt vel vt neutrum, vel vt maſculinum. Priori modo ſenſus eſt: quemadmodum qui docent humanam ſapientiam, vtuntur ſermone ſecundum artem humanam compoſito; ita nos qui tradimus myſteria ſapientiæ diuinæ, ſermonem

Quid ſpiritualibus ſpiritualia conparare.

noſtrum materiæ accommodamus; rebus ſpiritualibus docendis adhibentes eloquentiam item ſpiritualem: Similitudines quoque & exempla proferentes à rebus diuinis. Hæc Chryſoſtomi & ſequacium eius expoſitio eſt. Veruntamen magis placet, vt *ſpiritualibus* maſculinum ſit; ac ſenſus ſit huiuſmodi: Spiritualibus viris ſpiritualia adaptantes, id eſt tanquã illis apta tradentes. Nam ſpiritualibus vtique ſpiritualia conueniunt. Vnde ſuprà dixit, *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Hinc etiam ſequitur: *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* & poſt: *ſpiritualis autem iudicat omnia.* Senſum hunc reddit & doctè proſequitur S. Thomas. Eſtque is ſanè Paulino textui congruentiſſimus.

14 ANIMALIS AVTEM HOMO NON PERCIPIT EA QVÆ SVNT SPIRITVS DEI. *Non percipit*, Græcè δὲ δέχεται, *non accipit, recipit. Animalis* autem Græcè ψυχικὸς, videlicet ἀπὸ τῆς ψυχῆς, ab anima. Animalem hominem Græci interpretantur eum qui non ſecundum Deum viuit, ſed ſecundum carnem, quique non plus credit, quam naturali ratione aſſequatur, vt ſunt infideles. Pro quo intellectu facere videtur quod ſequitur, *Stultitia enim eſt illi*. Nam capite ſuperiori dixerat apoſtolus, verbũ crucis pereuntibus eſſe ſtultitiam. Verùm ſi alia, tam præcedentia, quam quæ ſubſequuntur hoc & ſequenti capite, bene conſiderentur; facilè conſtabit aliter accipiendum eſſe animalem hominem. Sciendum autem trifariam in ſcripturis aliquem vocari animalem. Primùm propter animam viuentem, qualis erat à ſua creatione primus homo, videlicet alimentis indigens ad vitæ ſuſtentationem: de quo Paulus in hac eadem epiſtola cap. 15, *Sed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale.* Altero modo; quia ſectatur deſideria carnis, quæ ſunt ſecundum animam ſenſitiuam. Ita Iudas apoſtolus in ſua catholica epiſtola quoſdam vocat *animales, ſpiritum non habentes.* Quo etiam pertinet quod Iacobus ſuæ epiſtolę cap. 3 ſapientiam quę non eſt deſurſum, vocat animalem. Eodem ſenſu Tertullianus in Montaniſtam malè conuerſus, catholicos appellabat Græco vocabulo pſychicos; id eſt animales, tanquam ſenſibus & carni deditos. Tertiò quis dicitur animalis, qui etſi iam credat in Chriſtum & iuſtificatus ſit, tamen præmentis imbecillitate non recipit altiora fidei myſteria: quòd ægrè ſupra ea quæ ſenſibus percipiuntur aſſurgat. Et hoc modo loquitur nunc apoſtolus de animali homine, quod liquet ex huius loci collatione cum alijs. Siquidem Paulo ſunt ijdem animales, carnales, paruuli in Chriſto, lacte nutriendi, imbecilles ad audiẽdum; quemadmodum ex aduerſo ijdem ſunt ſpirituales, perfecti, magiſtri, ſolidi cibi capaces, ſenſum exercitatum habentes ad diſcretionem boni & mali. Et illos quidem animales vocat hoc loco; carnales & paruulos in Chriſto, capite ſequẽti & Heb. 5. imbecilles ad audiendum rurſus ibidem ad Heb. & hoc loco: dum dicit animalem hominem non percipere ea quæ ſunt ſpiritus Dei, & non poſſe intelligere; itemque ſequẽti capite cum dicit: *Nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis.* Hos vero, primum ſpirituales vocat hoc capite, & rurſus cap. 14 dicens: *Si quis videtur propheta eſſe aut ſpiritualis, cognoſcat quæ dico.* & Gal. 6, *Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi* &c. Deinde perfectos, Græcè τελείους, vt ſuprà, *Sapientiã*, inquit, *loquimur inter perfectos*, & Heb. 5, *Perfectorum eſt ſolidus cibus* Item Philip. 3, *Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſapiamus.* Nam quod ſequitur, *Et ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus reuelabit*; ad eoſdem dicitur Philippenſes, qua parte adhuc animales erant & paruuli. Magiſtros & ſenſum exercitatum habentes ad boni maliq́ue diſcretionem vocat Heb. 5. Solidi cibi capaces, ibidem, & hic initio capitis ſequentis. In horum animalium numero adhuc erat Petrus, quando dictum eſt ei à Domino: *Non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominũ*, Matth. 16. Tales erant & cæteri diſcipuli Chriſti ante acceptum Spiritum-ſanctum. Tales denique inter Corinthios multi; vt ex initio capitis ſequentis perſpicuum eſt. Conſtat igitur ſecundum apoſtolum non omnes animales impios eſſe aut iniuſtos: vt nec omnes iuſtos ſpirituales. Vnde & Origenes homilia 2 ſuper Leuiticum, hominem animalem intelligi dicit, *qui etiamſi peccatis non vrgeatur, nec ſit præceps ad vicia, non tamen habet aliquid in ſe ſpirituale.* Et Auguſtinus lib. 1 de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 15 quoſdam animales dicit ad nouum teſtamentum pertinere: eoſdemq́ue, ſi prius quàm ſpirituales fiant, ex hac vita rapiantur, in terra viuentiũ computari: idq́ue ſignificari putat illo verſu pſalmi 138, *Imperfectum meum viderunt oculi tui: & in libro tuo omnes ſcribentur.* Idem in eandem prorſus ſententiam de animalibus ſub nomine carnalium ſcribit concione 3 enarrationis in pſal. 103. Similia reperies apud eundem epiſtola 57 ad Dardanum quæſt. 2, & epiſtola 150 ad Elpidium. Item lib. de vera religione cap. 28, tractatu 98 ſuper Ioannem, lib. de blaſphemia Spiritus ſancti, qui eſt ſermo 11 de verbis Domini cap. 18, lib. 6 contra Iulianum cap. 16 & 17, ac denique lib. 2 retractationum cap. 27, videlicet corrigens quod alicubi diuerſum dixiſſe viſus fuerat. Nec ſecus ferè loquitur de animali homine Bernardus in tractatu de vita ſolitaria ad fratres de monte Dei. Dicit enim tales etiam Spiritum-ſanctum habere: quia bonam habent voluntatem. Quæ omnia conſentanea ſunt ijs quæ tum hoc loco, tum in epiſtola ad Hebræos de homine animali & ad audrendum imbecilli, dicuntur. Illic enim Hebræis, hic Corinthijs, vtriſque fidelibus & regeneratis, animalitas & infirmitas huiuſmodi tribuitur. Quãquam hæc animalitas non in ſolo eſt intellectu, ſed inde etiam in affectum redundat: quemadmodum in Petro & alijs apoſtolis ante acce-

ptum

Animalis homo quis Paulo dicatur.

Trifariã in ſcripturis dicitur animalis homo.

Animales & ſpirituales quibus nominibus dicti à Paulo.

Apoſtoli ante acceptum Spiritũ ſanctum animales.

Nõ omnes animales mali, nec omnes boni ſpirituales.

Animales dicuntur nõ tã tũ ſecundũ intellectũ, ſed etiã ſecundũ affectũ

Quo sensu animalis non percipit quæ sunt spiritus Dei.

ptum Spiritum-sanctum patuit. Negat igitur Paulus animalem hominem percipere ea quę sunt spiritus Dei: non quia Iesum Christum & hunc crucifixum, ac cætera quæ credenda ab ecclesia proponuntur, non recipiat: (Sic enim infidelis aut hæreticus esset) sed quod nondum sit aptus ad capiendum sublimiora diuini spiritus mysteria; quæ proinde cum ei traduntur, non accipit, non admittit. Ratio sequitur.

STVLTICIA ENIM EST ILLI. Melius ex Græco, *Stulticia enim ei sunt*. Non enim sensus est quem nonnulli tradiderunt: ideo hominem animalem non percipere quæ sunt spiritus Dei, quia inest ei stulticia: sed quia quæ sunt spiritus Dei, stulticia sunt illi homini: quomodo præcedēti capite dixit, verbum crucis pereuntibus esse stulticiā: & iterū, Christū crucifixū gentibus esse stulticiam. Nec tamē de ijsdē nunc loquitur, vt vult Græcorum commentarius. Non enim dicit verbum crucis, aut Christum crucifixum animali homini esse stulticiam: sed ea quæ sunt spiritus Dei: quæ iam interpretati sumus sublimiora diuini spiritus mysteria: nimirum ea quæ Paulus inter perfectos loquitur. Hæc animali homini quamuis iam in Christum crucifixum credenti, stulticia dicuntur esse; quia non potest in illis conspicere ordinem sapientiæ diuinæ: sed magis ea apprehendit vt sensibus & rationi contraria. Velut si cui matheseos imperito dicas solem esse tota terra plus centuplo maiorem; aut lunam sole minorem bis millies, ac eo amplius; ridebit te talia dicentem & explodet: tantum aberit vt fidem dictis accommodet. Igitur apud hominem animalem dum talis est, & donec in spiritualem proficiat, tacenda sunt illa secretiora mysteria: quemadmodum faciendum esse, Christi & apostolorum eius exemplis, grauiter admonet ac docet Ambrosius, sub finem lib. 6 commentariorum in Lucam. Idque adeò à magnis & spiritualibus viris prouideri solere: *ne quid populariter agant, quod nondum esse temporis vt cum populo agatur, intelligunt*, Augustinus testatur lib. de vera religione cap. 28. *Sapientiam enim*, inquit, *loquuntur inter perfectos: carnalibus verò & animalibus quamuis nouis hominibus, adhuc tamen paruulis, nonnulla obtegunt, sed nulla mentiuntur*. Sequitur explicatio dictæ rationis.

Quæ spiritus Dei, stulticia sunt homini animali.

Similes.

Secretiora mysteria apud rudiores tacenda.

ET NON POTEST INTELLIGERE. Græcè γνῶναι *cognoscere*, scilicet ea quæ sunt spiritus Dei. Nondum est, inquit, capax eorū cognoscendorum, nondum aptus ad ea percipienda.

QVIA SPIRITVALITER EXAMINATVR. Verti etiam ex Græco potest *examinantur* numero plurali: vt referatur ad *ea quæ sunt spiritus Dei*. Sicque legitur in veruſtis quibusdam codicibus. Est autem Græcè ἀνακρίνεται, verbum idem cum eo quod mox semel & iterum interpres vertit iudicare: tametsi propriè significat dijudicare, discernere: quod est examinare. Prioris lectionis sensus est: animalem hominem ea quæ sunt spiritus Dei intelligere non posse, eo quod dum in talibus instituitur, spiritualiter examinatur seu dijudicatur, id est reuocatur ad intellectum spiritualem & sublimem: cùm ipse sit animalis, & tanquā paruulus in Christo, lacte nutriendus non solido cibo; sicut infrà dicitur. Posterior lectio sensum hunc habet: Animalis homo non potest percipere quæ sunt spiritus Dei: quoniam illa spiritualiter examinantur, id est spirituali intellectu examinanda, discutienda, ac dijudicanda sunt. Ad quam rem animalis homo ob imbecillitatem mētis ad sensibilia depressæ, non est idoneus. Porrò in alijs quibusdam Latinis mss. sic legitur, *Ea quæ spiritualiter examinantur*. Quæ lectio sensum non facit à secundo diuersum. Quem quidem arbitramur esse maximè commodum.

15 SPIRITVALIS AVTEM IVDICAT OMNIA. Græcè, *dijudicat quidem omnia*. pro quo interpres Irenæi lib. 1 cap. 1 *examinat omnia* Hieronymus in commentario epistolæ ad Galat. 4, *dijudicat omnia*. Sed & Hugo legit, *omnia discernit*. Sensus: Homo spiritualis (quem suprà dixit perfectum) qui pro consuetudine mentem habet exercitatam in diuinis, vtpote iam adultus & prouectus in vita spirituali; idoneus est ad bene iudicandum, non solum de rebus sensibilibus atque terrenis; quod solū potest animalis: verum etiam de spiritualibus, id est altioribus ac difficilioribus religionis nostræ mysterijs; quæ à Christo cælestia vocantur Ioan. 3. *Si* inquit, *terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo si dixero vobis cælestia, credetis?* Ad hūc sensum reuocari potest, quod Augustinus lib. 13 confessionum cap. 22 spiritualem hominem interpretatur omnia iudicare, scilicet ea quæ iudicanda sunt: & quænam ea sint, exponit capite sequenti: quodq; lib. de vera religione cap. 31 de spirituali dicit: *Omnia iudicat, quia super omnia est quando cum Deo est. Cum illo autem est quando purissimè intelligit, & tota charitate quod intelligit, diligit*. Ex hac apostoli sententia colligunt hæretici, penes vnumquemque fidelem esse potestatem iudicandi de controuersijs religionis. Sed perperam id colligunt. Primùm quia Paulus de solo spirituali homine loquitur; cùm sint inter fideles, etiam bonos, vt ante dictum est, multi animales, ac proinde ad iudicandum de spiritualibus inepti. Deinde, quia non est hic sermo de iudicio potestatis, sed discretionis. Quæ duo nostræ ætatis sectarij fere confundunt. Nam & Græcum ἀνακρίνειν, vti superius admonui, discretionem potius quàm iudicium significat. Postremò, quia non sentit apostolus spiritualem iudicare omnia absolutè, sed omnia sensu iam explicato: quoniam non solum de rebus terrenis bene iudicare potest, sed etiam de cælestibus ac sublimibus. Prout autem quisque magis est spiritualis; eo certius ac melius de pluribus poterit iudicare. Et hoc sensu accipienda sunt Augustini verba paulo ante citata.

Spiritualis omnia iudicat, quo sensu.

Non omnes Christiani iudices de controuersijs fidei.

Iudicium aliud potestatis, aliud discretionis.

Nam

Nam & in moralibus ita rem habere philosophus testatur lib. 3 Ethicorum cap. 4, *Vir bonus*, inquit, *recte de omnibus iudicat, & facilè quid in re quaque veri sit perspicit; cum sit quasi regula & mensura rerum.* Sic ille. Sensum hunc eruditè explicat Thomas in commentario: & illustrat exemplis hominis vigilantis & dormientis; sani & infirmi; fortis ac debilis: denique in moralibus virtuosi & vicioſi. An autē spiritualis omnia iudicans, sit omnis homo charitatē habens, (quod sentire videtur idem doctor tam in commentario, quam in summa 2 2 quæst. 60 art. 1 ad 2) an potius inter bonos fideles existimandum sit multos esse animales; id puto superius satis à nobis esse discussum. Iam verò quanquam spiritualis homo possit, vt dictum est, de multis ad religionem pertinentibus bene iudicare, ac suo iudicio alios instituere; non tamen statim habet authoritatem iudicandi publicam; sicut & legum peritus non statim iudex forensis est. Etenim non solum inter eos qui præsunt, verùm etiam inter eos qui subduntur eis qui præsunt, inueniri spirituales homines affirmat Augustinus lib. 13 confessionum cap. 23. Cæterùm in ipsam Christi ecclesiam perfectè quadrat, quod apostolus dicit spiritualē omnia iudicare: vt propterea meritò ad eam spectet non modò discretiuū iudiciū, quo possit inter verū & falsum discernere; verùm etiam iudicium publicæ potestatis, quod definitiuū vocatur: cui omnes fideles tam spirituales quam animales suum debeant iudicium submittere.

An omnis homo charitatem habēs sit spiritualis.

Maximè competit ecclesiæ Christi, omnia iudicare.

ET IPSE A NEMINE IVDICATVR. Græcè, *Ipse autem à nullo dijudicatur.* Sic & Hieronymus loco prius citato. *A nemine*, id est à nullo alio, qui videlicet non sit spiritualis. Ita post Chrysostomum Theophylactus, adducta similitudine de vidente & non vidente. Nam qui videt, & sua videt, & ea quæ sunt non videntis: Hic verò nec sua, nec quæ illius sunt videt. Alioqui spiritualem à spirituali iudicari, quomodo Petrus à Paulo iudicatus fuit Gal. 2, nihil prohibet. Vnde nec sequitur hominē spiritualē nō iudicari à lege. Nam & lex ipsa spiritualis est Rom. 7. Sed dices: Igitur à suo principe vel prælato si sit animalis, iudicādus non erit is qui spiritualis est. Verùm iā diximus hic non agi de iudicio publicæ potestatis, quod est principum & prælatorum. Quanquam sanè rectus ordo postulat, vt spirituales potius præsint animalibus, eosque eum potestate iudicent; quàm vt ab illis iudicentur, præsertim in ijs quæ religionis sunt. At verò cùm ecclesia sit maximè spiritualis: hinc iam rursum æstima, nihil esse conueniētius & ordinatius, quàm vt apud eam sit suprema potestas iudicandi de ijs quæ ad fidem & religionem pertinent.

Spiritualis à nemine iudicatur, quo sensu.

An princeps animalis iudicet hominem spiritualem.

Ecclesia ad iudicandum aptissima.

16 QVIS ENIM COGNOVIT SENSVM DOMINI QVI INSTRVAT EVM? Malè quidam codices duas faciūt interrogationes hoc modo: *Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis instruxit eum?* Græca & mss. Latina nobiscū faciunt. Tertullianus quoque in Scorpiaco cap. 7 legit *qui eum instruat*, tametsi in Græco est συμβιβάσει *instruet*. Porrò relatiuum *qui* nec ad Dominum, nec ad sensum Domini referendum est, vt quidam volunt: sed ad eum de quo dicitur, *Quis cognouit*. Respicit enim apostolus ad locum Isa. 40. quo item respexerat Rom. 11 versu 34. vtrobique secutus versionem LXX. Apud quos totus locus sic habet: *Quis cognouit mentem Domini, & quis eius cōsiliarius fuit; qui instruet eum?* Igitur Paulus hac interrogatione probare intendit, non animales sed spirituales, cuiusmodi imprimis erant apostoli, nosse ea quæ sunt spiritus Dei: ac de ijs posse iudicare, eademque alijs tradere. Id enim est quod sequitur.

NOS AVTEM SENSVM CHRISTI HABEMVS. *Sensum*, Græcè νοῦν *mentem*: quemadmodum & in parte præcedenti. Potest autem tota sententia sic explicari. Quamuis secundum propheram nemo perfectè nouerit mentem, consilia & cogitationes Dei; multòque minus quisquam sit qui possit eum instruere consilijs: nos tamen apostoli, qui spirituales sumus, mentem Christi Domini ex reuelatione Spiritus-sancti percepimus; vt de spiritualibus, id est arcanis religionis mysterijs, iudicare possimus, atque illis ea tradere qui eorum discendorum fuerint capaces. Hoc quoque proprijssimè in ecclesiam competit. Ipsa namque est quæ qualibet exorta controuersia religionis, exempli gratia, qui libri pro sacris habendi; secutè dicere potest, (vt cumque reclament Hebræi) *Nos sensum Christi habemus*, & eius spiritu docti discernere nouimus inter libros sacros & non sacros. Obiter obserua Paulum hic rursus, sicut in capite præcedenti, Christum Deum dicere: dum pro eo quod ex propheta dixerat, *sensum Domini*, reperit *sēsum Christi*. Nā apud prophetā nomen illud est ineffabile, Deo maximè proprium.

Sensum Christi qui habeant.

Maximè ecclesia.

Christus Deus.

SVMMARIVM.

CORINTHIOS notat tanquam adhuc carnales: vt qui contentiones inter se haberēt ob studia magistrorum. Quos docet ministros tantum esse: solo Deo dante incrementum: nec aliud esse fundamentum præter Christum: cui quæ superædificantur, per ignem probanda. Non esse violandum Dei templum; quod nos sumus. Sapientiam mundi destruendam: nec in hominibus gloriandum.

CAPVT III.

ET EGO FRATRES NON POTVI VOBIS LOQVI QVASI SPIRITVALIBVS, SED QVASI CARNALIBVS. Redit apostolus ad id quod agere ceperat capite primo: atque ex dissidijs quæ causa magistrorum inter Corinthios erant oborta, carnales, hoc est animales eos arguit. Nam idem est hoc loco carnalis, qui suprà animalis.

Carnales idem qui animales.

Sicut

Sicut enim illic animali, ita hic carnali ſpiritualem opponit: vt carnalis intelligatur, qui ſenſu carnis impeditur à ſpiritualibus contemplandis. *Loqui quaſi*, ſeu potius *tanquam ſpiritualibus*, eſt tradere doctrinam ſpiritualibus ac perfectis accommodam: &, vt dictum eſt capite ſuperiori, *ſpiritualibus ſpiritualia* comparare. Id ſe potuiſſe negat apud Corinthios, quando eis euangelium prædicauit; propterea quod illi non ſpirituales ſed carnales eſſent, ideoque doctrina paſcendi quæ carnalibus eſſet apta, non quæ ſpiritualibus. Vnde quidam interpretes ſupplet, *ſed loquendum fuit tanquam carnalibus*. Porrò doctrina carnalibus apta non ipſa quidem carnalis eſt, ſed minus tamen ſpiritualis, quam ea quæ ſpiritualibus conuenit, adeò vt Chriſtus de tali doctrina loquens Ioan. 3, affirmet ſe terrena dixiſſe; & apoſtolus Rom. 6 dicat, *Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ.*

TANQVAM PARVVLIS IN CHRISTO. *Quaſi, tanquam*, in Græco vox eadem ὡς. *Paruulis*, Græcè νηπίοις, *infantibus*. Hæret hæc pars cum præcedentibus, non cum parte ſequenti: quemadmodum liquet ex Græco; vbi caſus in eo quod ſequitur diuerſus eſt: vt ſi Latinè dicas: *lacte vos potaui*. Atque hanc diſtinctionem reperire eſt in vetuſtis quibuſdam exemplaribus. Mitigat autem apoſtolus addita hac parte, improperium vocabuli *carnalibus*: ſimulque exponit quos carnales dixerit. Nam carnales multis modis in ſcriptura dicuntur; Primum in quibus caro pugnat aduerſus ſpiritum, etiamſi deſiderijs carnis fortiter & multum reſiſtant, multumque iam profecerint in iuſticia; quomodo de ſe dicit apoſtolus Rom. 7, *Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato*. Secundò, qui carnis deſideria ſequuntur, & ſecundum carnem viuunt, non ſecundum ſpiritum: quos paſſim notant apoſtolicæ literæ, vt Rom. 8 verſu 1, 4 & 5. 2 Pet. 2 ver. 10, & in epiſtola Iudæ ver. 23. Tertio ac medio modo: qui etſi ſecundum carnem non viuant, tamen in multis adhuc carnaliter ſapiunt, haud percipientes ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Denique, dominos carnales (Græcè *ſecundum carnem*) alibi vocat apoſtolus, qui ſeruos habent ſecundum carnis ſeu corporis miniſteria ſubiectos, vt Epheſ. 6 & Col. 3. Tertius modus præſentis eſt loci. Nam carnales exponit apoſtolus paruulos ſiue infantes in Chriſto. Hos autem dicit, qui tanquam infantes adhuc imperfecti ſunt; ac ſi dicat incipientes, atque nouicios, in his quæ Chriſtianæ ſunt religionis.

Carnales multis modis in ſcriptura dicuntur.

2 LAC VOBIS POTVM DEDI. Vel *potandum dedi*. Græcè ἐπότισα. Perſiſtit in metaphora ſumpta ab infantibus. Et ſenſus eſt: Humiliorem ac ſimpliciorem doctrinam, quam velut infantes in Chriſto facilius caperetis, vobis tradidi. Eam doctrinã vocat apoſtolus Heb. 5 elementa exordij ſermonum Dei, & cap. 6 ſermonem inchoationis Chriſti. Cuius etiam eodem loco aliquot exempla commemorat, vt doctrinam pœnitentiæ ab operibus mortuis, fidei in Deum, baptiſmatis, impoſitionis manuum, reſurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Locus ſimilis 1 Theſſ. 2, vbi ſe fuiſſe dicit in medio eorum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos. Propter hanc charitatem qua paruulos in Chriſto lacte nutriuit Paulus; ex eius ceruice, quando occiſus eſt, pro ſanguine lac manaſſe teſtatur Ambroſius ſerm. 68. Cuius rei meminit etiam Chryſoſtomus ſermone in Principes apoſtolorum.

Exempla doctrinæ ſimplicioris.

Paulo occiſo lac pro ſanguine manauit.

NON ESCAM. Græcè βρῶμα, *& non cibum*, nempe ſolidum. Ad hunc enim reſtringitur ex antitheſi lactis. Exprimitur autem Heb. 5, *perfectorum eſt ſolidus cibus*. Quo nomine ſignificat doctrinam ſublimiorem, quæ adultis in Chriſto conuenit. Supplendũ, dedi, vel obtuli; quemadmodum ſupplet Theophylactus. Nam ſolido cibo nemo potatur.

NONDVM ENIM POTERATIS. Hebraiſmus eſt qualis Iſa. 1, *Feſtinitates non poßum*. Subauditur enim *ferre*. Quod interpretes ſupplent. Hieronymus autem vertit, *non feram*. Dat igitur rationem apoſtolus, cur ſolidum cibum Corinthijs non præbuerit, quia ferre non poterant. Obſeruanda circa hunc locum Pauli prudentia; eademque omnibus euangelicæ doctrinæ miniſtris imitanda; vt ne proferant omnia apud omnes, ſed auditorum quos nacti fuerint, ingenio ac modo ſeſe vtiliter accommodent. Quo pertinent ea quæ tradunt Ambroſius & Auguſtinus locis ſuperiori capite citatis ad illud, *Stulticia enim eſt illi.*

Imitanda Pauli prudentia in tradenda doctrina Chriſtiana.

SED NEC NVNC QVIDEM POTESTIS. Græcè, *Sed nec adhuc nunc poteſtis*. Pro quo bene Eraſmus: *Imò ne nunc quidem adhuc poteſtis*. Supple ex antè dictis; ferre ſolidum cibum. Hoc dicendo, tranſitum facit ad increpationem ſubſequentem.

ADHVC ENIM CARNALES ESTIS. Carnales vocat, vt antè dictum eſt, eoſdem quos ſuperiori cap. animales; quanquam non eadem prorſus ratione. Quum enim dicit animales, imbecillitatem mentis ac iudicij ſignificat; quum carnales, vicium notat affectus ſeu voluntatis ad ea quę carnis ſunt, inclinatæ. Sicut autem animalitas quæ in mente eſt, in affectum reduudat, vti diximus: ita viciſſim carnalitas affectum occupans, menti coaleſcit, ineptam reddens ad ſpiritualia percipienda. Quo argumento nunc vtitur apoſtolus, quũ probat Corinthios ferre non poſſe ſolidum doctrinæ cibum, eo quod ſint adhuc carnales. Eſtque hęc tacita quędam exprobratio, quòd cum tanto tempore Chriſtiani fuiſſent, adhuc tamen affectibus in carne hærerent.

Quo differant animales & carnales.

3 CVM ENIM SIT INTER VOS ZELVS ET CONTENTIO: NONNE CARNALES ESTIS? *Zelus*, Græcum vocabulum ζῆλος, id eſt *æmulatio*. Sed hic in vicio ponitur, vt frequenter alibi. Significat enim dolorem animi, indè natum quòd alius potiatur bono à te deſiderato. Vide commentarium Gal. 5 ad illud *contentiones*,

Quid Zelus, cum in vicio ponitur?

tiones, æmulationes. Vt enim hæc fere coniuncta ſunt vicia; ita plerumque ſcriptura ea cõiunctim numerat. Poſt contentionem ſequitur in Græco, ζ διχοστασίαι, *& diſſenſiones:* quod & Irenæus legit lib. 4 cap. 75, & Cyprianus lib. de zelo & liuore, & lib. 3 teſtimoniorum cap. 3. Eraſmus vertit, *& factiones.* Cùm enim, inquit apoſtolus, ſint inter vos æmulationes, contentiones & ſtudia partium; an non meritò vos dixi carnales? Sunt enim hæc carnis opera, Gal. 5 verſu 20. Sed quia Corinthijs accidebant hæc vicia, magis, vt fit, ex infirma & puerili quadam animorum affectione, qua præter modum & rationem pro ſuis quique magiſtris certabant; quam ex voluntate nocendi cuiquam: idcirco carnales quidem eos iſta coarguebant, non ita perfectè tamen carnales vt eos à regno Dei excluderet. Nam & apoſtolorum Chriſti ſimilis infirmitas fuit ante acceptum Spiritum-ſanctum: quorum inter ſe contentiones cum ambitione coniunctas aliquot locis produnt euangelia.

Apoſtoli Chriſti aliquãdo carnales.

ET SECVNDVM HOMINEM AMBVLATIS. Hominem intellige qua parte nondum renouatus eſt: quem apoſtolus paſſim opponit Deo: quemadmodum & Chriſtus, quando Petro dixit, *Non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum*, Matth. 16. Igitur ambulare ſecundum hominem, eſt affectus humanos & carnales in vita & actionibus ſuis oſtendere.

Quid ambulare ſecundum hominem.

4 CVM ENIM QVIS DICAT, EGO QVIDEM SVM PAVLI; ALIVS AVTEM, EGO APOLLO; NONNE HOMINES ESTIS? *Alius*, Græcè ἕτερος *alter.* Nec in Græco eſt *homines*, ſed *carnales*, ſicut & in Syriaco. Quod & in vetuſtis quibuſdam Latinis legitur. Cæterùm res eadem eſt. Nam ijdem prorſus intelliguntur homines, & carnales, id eſt affectibus humanis & carnalibus obnoxij. Quid autem velint illa, *Ego ſum Pauli, ego Apollo*, ſatis expoſitum eſt capite primo.

QVID IGITVR EST APOLLO? QVID VERO PAVLVS? Græcè commutato ordine, *Quis igitur eſt Paulus? quis autem Apollo?* tametſi ſuſpicatur Eraſmus τί legendum in Græco; propter illud quod infrà dicitur, *Neque qui plantat eſt aliquid (τί), neque qui rigat.* Hic iam apoſtolus, vt medeatur contẽtioni quam habebant inter ſe Corinthij propter magiſtros, explicat ipſorum magiſtrorum conditionem, & quo loco habendi ſint docet; ne fortè plutis eos faciant, ac plus eis tribuant, quam oporteat.

5 MINISTRI EIVS CVI CREDIDISTIS. Græcè *Niſi miniſtri per quos credidiſtis?* Pro quo Syrus Hebraiſmo vtens: *per quorum manus credidiſtis?* Tametſi Latinorum codicum & commentatorum conſtans lectio eſt, *eius cui credidiſtis:* quæ etiam eſt apud Auguſtinum lib. 3 contra literas Petiliani cap. 54. Senſus autem vtriuſque lectionis fere idem eſt. Paulus, inquit, & Apollo magiſtri veſtri, propter quos contenditis, quid aliud ſunt quam miniſtri Dei, quorum externa dumtaxat opera & miniſterio prædicatum eſt vobis euangelium Chriſti in quem credidiſtis. Igitur in eo quod dicit eos ſolum eſſe miniſtros, remouet ab eis virtutem ſanctificandi interiùs, quæ ſoli Deo ac Domino conuenit; remouet & meritum, quale conuenit Chriſto homini.

ET VNICVIQVE SICVT DOMINVS DEDIT. Ordo rectus; Et ſicut vnicuique Dominus dedit. Similis ſermo Rom. 12, *Vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.* Miniſtri, inquit, Dei ſunt, ijque diuerſa habentes miniſteria, provt communis eorum Dominus cuique dedit. Non enim ſibi ipſis aſſcribere quicquã poſſunt, ſed totum à Deo acceperunt. Extenuat gloriam miniſtrorum, vt Deo vendicet ſuam; ac per hoc à contentione pro magiſtris ſuſcepta, Corinthios reuocet. Miniſteriorum diuerſitatem declarant ſequentia verba.

6 EGO PLANTAVI. Metaphoricus ſermo, quo miniſtros euangelij ſimiles oſtendit agricolis plantantibus & rigantibus. Plantare eſt doctrinam de Chriſto tradere ijs qui Chriſtum antè non nouerant. Quod propriè muneris eſt apoſtolici. Id Paulus fecerat Corinthi. Vnde dicit infrà ſub alia metaphora; *Vt ſapiens architectus fundamentum poſui.* Tale eſt quod ad Rom. 15 ſcribit de prædicatione ſua, qua ab Ieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleuerat euangelium Chriſti. *Sic*, inquit, *prædicaui euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.*

Quid plãtare.

APOLLO RIGAVIT. Quod hic dicit rigare, idem eſt cum eo quod inferius alterâ metaphorâ vocat ſuperædificare. Id autem eſt, doctrinæ Chriſtianæ iam plantatæ & fundatę ſuperaddere præcepta, quibus illa conſeruetur & augeatur. Quod eſt epiſcoporum, & eorum omnium qui in partem aliquam functionis epiſcopalis vocati ſunt. Idque apud Corinthios Apollo fecerat: quemadmodum & Lucas ſatis indicat Act. 18 & 19.

Quid rigare.

SED DEVS INCREMENTVM DEDIT. Græcè vno verbo ηὔξανεν, *auxit.* Verùm id bene & ſignificanter duobus vocabulis reddunt interpretes, *incrementum dedit.* Refertur autem hoc tam ad plantationem, quam ad rigationem. Nam neque plantare neque rigare prodeſt quicquam, niſi Deus det incrementum; id eſt, diuina ſua virtute operetur in animis hominum, efficiatque vt id quod plantatum eſt & rigatum, germinet, creſcat & fructum faciat.

7 ITAQVE NEQVE QVI PLANTAT EST ALIQVID, NEQVE QVI RIGAT. Illatio eſt ad hunc modum explicanda; Igitur ſicut in naturalibus (vnde metaphora ſumpta eſt) qui plantat & qui rigat, non ſunt aliquid: ita nec in diuinis. Dicuntur autem plantans & rigans, tam in his quam in illis, nihil eſſe, hoc ſenſu: quia licet foris exhibeant ſuum miniſterium, non tamen actione ſua interiorem attingunt effectum vel vegetationis in naturalibus, vel ſanctificationis in diuinis. Sed illam quidem efficit

Plantans & rigans quo ſenſu nihil ſint.

ficit natura Deo authore; istam verò sibi soli Deus reseruat. Interim obserua, Paulum qui modò dixerat se & Apollo non aliud esse quã ministros quorum opera crediderant Corinthij, nunc adhuc amplius sese demittere; dum sub nomine plantantis & rigãtis nihil seipsos esse significat: vt vel hac ratione persuasi, desinant contendere pro suis doctoribus. Quod si de prædicatoribus euangelij dicit: quanto verius dicat, Neq; qui baptizat, est aliquid? Nã multo minor est opera & industria baptizãtis, quã prædicãtis & docẽtis. Vnde si propter euangeliũ sibi à Paulo vel Apollo prædicatũ, nemo dicere debuit, Ego sũ Pauli: ego Apollo: quãto minus propter baptismũ ministratum?

An solus Deus det incremẽtum.

SED QVI INCREMENTVM DAT DEVS. Subaudi, est aliquid: quia dare incremẽtũ vt causã propriè productiuã illius effectus, permultũ est. Si quæras, An solus Deus det incrementũ: respõdeo, Solus quidẽ in naturalibus, cum exclusione hominis cultoris; non tamẽ ipsius naturę. Solus autẽ in spiritualibus & gratuitis, de quibus apostolus intendit loqui; cũ exclusione cuiuscũque causæ creatæ. Quod volunt Aquinas & Caietanus & alij, dũ hic annotãt, solũ Deũ in corde hominis operari posse: Et ante eos Augustinus, cuius aduersus Petilianũ scribẽtis loco suprà citato, de eo qui plãtat & rigat, hæc verba sunt: *Ad ministrandum & dispensandum verbum ac sacramentum, est aliquid: ad mundandum autem & iustificandum non est aliquid: quia hoc non operatur in interiore homine, nisi per quem creatus est totus homo, & qui Deus manens factus est homo; ille scilicet de quo dictum est: Fide mundans corda eorum.* &, *Credenti in eum qui iustificat impium.* Idem tractatu 80 in Ioannem, post commemorata huius loci priora verba: *Quod sequitur*, inquit, *sed Deus incremẽtũ dedit: non per illos* (ministros) *sed per ipsum facit. Excedit hoc humanam humilitatem; excedit angelicam sublimitatem: nec omnino pertinet nisi ad agricolã Trinitatẽ.* Hęc Aug.

8 QVI AVTEM PLANTAT ET QVI RIGAT, VNVM SVNT. *Vnum sunt*, id est, ambo non aliud quam ministri, & quidem vnius Domini ministri: & eodem spectantes, nempe ad incrementum exspectandum à Deo; quemadmodum & in naturalibus sese res habet. Cum ergo sint vnum: non vos debetis propter eos diuidi in factiones. Seruit hic locus exhortandis ad concordiam ipsis etiam ministris; vt qui cogitare debeant sese inter se vnum esse, sensu iam explicato.

VNVSQVISQVE AVTEM PROPRIAM MERCEDEM ACCIPIET SECVNDVM SVVM LABOREM. Græca venustius sonant; τὸν ἴδιον μισθὸν λήψεται κατὰ τὸν ἴδιον κόπον, *propriam mercedem accipiet, secundum proprium laborem*. Quod si inquit, aliqua ministrorũ inter ipsos disparitas est, quæ reddat aliũ alio præstãtiorẽ ac digniorẽ: (nec enim ita sunt vnũ, vt labore & merito sint pares) ea res nõ à vobis dijudicãda, sed Dei iudicio relinquẽda est; à quo quisq; eorũ pro ratione ac merito sui laboris suã & propriam recipiet mercedẽ: nimirũ iuxta illud quod toties inculcat scriptura, Deũ redditurũ vnicuique secundũ opera sua. Notabis, apostolũ nõ dicere, vnũquẽq; ministrum accepturũ mercedem secundũ effectum seu fructum sui laboris, sed secundũ suum laborẽ. Nam fructus laboris non est in potestate ministri, sed solius Dei dantis incremẽtũ. Quare etiã si fortè nullus ex ministerio fructus sequatur, plenã mercedem sui laboris accipiet minister, Domino attestãte Matth. 10, *Si domus non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos.* Vnde Chrysostomus cõcione 1 de Lazaro: *Si semẽ*, inquit, *per te iactũ auditor non receperit, nec obedientia fructum retulerit; tu tamen cõmunicati consilij mercedẽ feres à Deo: nec minus accipies præmij, non auditus, quã accepturus eras, si ille obtẽperasset.* Sic ille: Sed hæc intellige de præmio quod essentiale vocant theologi. Nã accidẽtale non æquale esse, rectè ab ijsdẽ traditur. Porrò laboris nomine opus significatur, quod plerũq; non fit sine labore. Et quidem laborẽ hic nominare maluit quã opus; quod versaretur in metaphora ab agricolis sumpta, quorũ laboriosa sunt opera. Alioquin opera nostra nõ ex laboris aut molestiæ magnitudine æstimationẽ habent apud Deũ; vt neque ex diuturnitate tẽporis, aut ex numero actionum; sed ex põdere charitatis, à qua procedũt: quẽadmodum bene post Aquinatem Carthusianus annotat ac doctè declarat. Iã verò mercedẽ hic intelligi vitæ æternæ, in confesso est. Cũ autem merces cogitari nequeat absque merito: manifestè sequitur ex hac sentẽtia & alijs similibus, id quod hæreticus negat, bona iustorũ opera, (quæ nos profitemur esse Dei dona) mereri vitã ęternã. Ostẽdit etiã hic locus non omniũ mercedẽ esse parẽ: vt voluit Iouinianus: siquidẽ non omniũ æqualis est labor, iuxta suprædictã æstimationẽ.

Merces cuiq; reddenda secundum laborem, non secũdũ fructũ laborũ.

Opera bona vnde æstimationẽ habeãt apud Deũ

Opera bona merẽtur vitam æternam: sed non æqualiter.

9 DEI ENIM SVMVS ADIVTORES. *Adiutores* Græcè συνεργοι, id est *cooperatores* siue *cooperarij*, quẽadmodum legit Aug. tract. de cultura agri Dominici c. 1 & alibi. Textus Amb. habet, *operis adiutores*, vel secundum alios codices, *operis participes*. Quo suspicor Haimonẽ respicere dicentẽ: *In Græco melius habetur: Dei operis participes sumus.* Alius quidã vertit, *Dei sumus administri.* Etenim Dei adiutores, si propriè loquamur, nulli sunt, nec esse possunt. Neque enim propriè dicitur adiuuari, niũ infirmus, ac per se minus sufficiẽs ad aliquid agẽdũ. Nec verò legitur vsquam in scriptura, Deũ adiuuari ab homine: sed negatur, Isaia dicẽte ca. 40, *Quis adiuuit spiritum Domini?* Sed quia in humanis ijdẽ ferè sunt cooperatores & adiutores: idcirco hic alterũ pro altero posuit interpres, idq; more suo, qui συνέργους vbique vertit *adiutores*, prętereà Philip. 2 versu 25, & tertia Ioan. epistola versu 8. quibus locis trãstulit *cooperatores*. Sic & 1 Mach. 12, *Vidit Ionathas quia tempus eum iuuat*, Græcè συνεργεῖ *cooperatur*. In his igitur cooperatio est adiuuantis, ac multo magis ea qua Deus hominibus cooperari dicitur. Vnde Mar. 16, vbi de apostolis dicitur:

Quo sensu homines Dei adiutores.

Profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, bene quadrabat verbum adiuuandi. Verùm non ſic noſtra cooperatio reſpectu Dei: quia tota noſtra cooperatio etiam ipſius Dei operatio eſt, facientis vt faciamus. Quocirca non eſt extendenda locutio qua dicitur homo Deum adiuuare; præſertim cum hic ſit interpretis ſermo, non Pauli, *Dei adiutores ſumus:* quemadmodum & 2 Cor. 6, *Adiuuantes* (Deum) *exhortamur*. Nam & ibi Paulus ſcripſit συνεργοῦντες *cooperantes*. Sed vt ad contextum explicandum veniamus: probat apoſtolus hac parte non id quod proximè præceſſit, *Vnuſquiſque autem* &c. (quæ ſententia rectè à quibuſdam parentheſi includitur) ſed quod dixerat eum qui plantat & qui rigat, vnum eſſe: quandoquidem, inquit, cooperatores Dei ſunt ad vnum eũdemque ſcopum, id eſt ad fructum euangelij: Qua in re tanquam miniſtri, Deo velut agri colendi domino, qui ſolus incrementum dare poteſt, ſubſeruiunt. Nam hoc ſequitur: *Dei agricultura eſtis*. Ita Græci commentatores exponunt: à quibus nec Latini diſſentiunt. Sed & Gregorius pontifex in hunc ſenſum noſtram Latinam verſionem enucleat lib. 17 Moralium cap. 11, ad illud Iob 26, *Cuius adiutor es? nunquid imbecillis?* Nam Dei adiutores interpretatur qui adhibent externum vocis miniſterium, Deo per Spiritum ſanctum intrinſecus operante. Exiſtimãt autem expoſitores etiam illud hoc loco ſignificari; miniſtros euangelij, quamuis ſalutis non ſint authores, ſed tantum adminiſtri; non eſſe contemnẽdos: quod non paruę ſit dignitatis, Deo cooperari ad hominum ſalutem. Vnde Dionyſius ait citante Carthuſiano, *quod omnium diuinorum diuiniſſimum eſt, Dei cooperatorẽ exiſtere in reductione rationalis naturæ ad ſuum principium*. Locus apud Dionyſium eſt, de cæleſti hierarchia c. 3. Rectè etiam ex hoc loco Theodoritus refellit Arianos & Eunomianos, qui appellationẽ συνεργῶ cooperarij, ne filio quidem tribuendam volebant; ſed eum ὑπηρέτην, id eſt ſuboperarium nominabant: cum apoſtolus etiam homines, veritatis prædicatores, Dei cooperarios vocet. An autem dici poſſit in his verbis *Dei cooperarij* (συνεργοὶ) *ſumus*, genitiuum *Dei* non regi vi præpoſitionis; ſed alterius partis componentis; quaſi dicere velit apoſtolus: ſumus operatores à Deo miſsi, ijdemq; alter alteri cooperatores, plantator rigatori & contra: quomodo dicit Philip. 3 ſecundum Græcam lectionem: *Coimitatores mei eſtote*, id eſt, conformate vos alijs mei imitatoribus: lector ſtudioſus expendat.

Res diuiniſſima, Deo cooperari ad ſalutem hominum

Dei Filius Patri cooperarius.

DEI AGRICVLTVRA ESTIS, DEI ÆDIFICATIO ESTIS. *Eſtis* poſteriori tantum loco legitur in Græcis codicibus, necnon in Latino textu Ambr. *Agricultura* Græcè γεώργιον, *agricolatio*. Nam *agricultura* magis artem ſignificat. Nec tamen actus agricolandi ſignificatur hoc loco, ſed ea res circa quam actus ille verſatur, id eſt ager qui colitur. (vnde quidam *aruum* vertit) quemadmodum & ædificatio pro ædificio poſita eſt. Quos enim hic dicit ædificationem Dei, inferius hoc eodem capite vocat templum Dei. Vnde & canit eccleſia: *Templum Dei ſanctum eſt. Dei ſtructura eſt, Dei ædificatio eſt*. Gemina autem metaphora vtitur hic apoſtolus, altera congruente cum ſuperioribus, vbi plantationis & rigationis mentionem fecerat; altera cum ſequentibus, vbi ſe facit architectum ponentem fundamentum, alios autem ſuperædificantes. Senſus igitur eſt: Nos quidem plantãdo & rigando Dei cooperarij ſumus: vos autem ager Dei eſtis, ad quem excolendum Deus ſibi nos adhibuit operarios. Sed & ædificium Dei eſtis, ad quod ædificandum Deus nos operarios conſtituit; prout ſequitur.

Fideles agricultura & ædificatio Dei, quo ſenſu.

10 SECVNDVM GRATIAM DEI QVÆ DATA EST MIHI, VT SAPIENS ARCHITECTVS FVNDAMENTVM POSVI. Quia dicturus erat aliquid pertinens ad ſuam laudem; ne ſibi aliquid arrogare videretur, præoccupat lectorẽ dicens, *ſecundum gratiam Dei quæ data eſt mihi*. Gratiam intelligit muneris apoſtolici, ſicut & Rom. 15, *Propter gratiam*, inquit, *quæ data eſt mihi, vt ſim miniſter Ieſu Chriſti in gentibus*. Et quia apoſtolici muneris erat nouas fundare eccleſias, vbi Chriſtus non fuerat prædicatus: ideo ſecundum eam gratiam dicit ſe, vt ſapientem, id eſt doctum & peritum architectum, poſuiſſe fundamentum ædificij ſpiritualis apud Corinthios. Hoc fundamentum Hugo Victorinus eſſe dicit, *fidem Chriſti quæ per dilectionem operatur*. At Paulus ſtatim pòſt affirmat, fundamentum à ſe poſitum eſſe Chriſtum Ieſum. Quanquam hæc non pugnant, vt ibi declarabitur.

Paulus ſapiens architectus.

ALIVS AVTEM SVPERÆDIFICAT. Superædificantem hîc & in ſequentibus, interpretes Græci intelligunt eum, qui fundamento acceptæ fidei in Chriſtum, proprias ſuperexſtruit actiones bonas vel malas. Sentiũt enim apoſtolum poſtquam de vnitate diſſeruit, nũc tranſire ad exhortationem de vita & moribus. Eadem de ſuperædificante ſententia eſt Hieronymi lib. 2 aduerſus Iouinianum c. 2. & Auguſtini enchiridij 68, atque alibi. At verò Latini commentatores huius loci, tam veteres quàm recentiores, ſuperædificantem ferè interpretantur eum qui fundamento fidei per apoſtolum collocato, ſuperaddit præcepta tam fidei quàm morum, quibus in Chriſtiana vita fideles confirmẽtur, atque proficiant: quod Apollon apud Corinthios feciſſe diximus. Vtramque expoſitionem adferũt Aquinas & Heruæus: & ante eos Primaſius. Verùm poſterior intellectus lõgè profecto probabilior eſt, &, vt Liranus loquitur, magis literalis. Sicut enim idem apoſtolo eſt is qui plantat & qui fundamentum ponit: ita quoque idem eſt qui rigat & qui ſuperædificat. Idque etiam liquet ex eo quod ſimili prorſus tropo ſermonis, dicit Rom. 15, ſe prædicaſſe euangelium, non vbi nominatus

Qui ſuperædificantes.

eſt

est Christus, ne super alienum fundamentum ædificaret. Quod sine dubio de doctrina prædicationis ab eo dictum est. Iam & alia quæ hoc loco sequuntur, ostendunt eum de doctoribus loqui. *Si quis*, inquit, *videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, vt sit sapiens*, &c. post quæ demum concludit: *Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas.* Quæ cuncta ad magistros pertinere non est dubium. Quod verò interponit; *Nescitis quia templum Dei estis?* &c. ne quem moueat; ad eundem intellectum de magistris esse referendum, commentarius docebit. Igitur constitutum sit, quod hic dicitur, *Alius autem superædificat*, cum ijs quæ sequuntur; non de fidelibus vniuersè, sed de solis magistris seu prædicatoribus accipiendum esse: quorum scilicet est docere fideles ea quæ sunt Christianæ veritatis ac pietatis. Quæri tamen potest, quomodo dicat, *alius superædificat*: cum sit architecti non tantum ponere fundamentum, sed totius ædificij formam ac modum præscribere. Respondeo, Paulum etiam id fecisse: atque id totum contineri in eo quod dicit se posuisse fundamentum. Non enim ponitur fundamentum, nisi totius ædificij forma prius in animo concepta. Sed quia ecclesia semper ædificatur, ideoque primis ædificantibus oportet alios succedere; propterea se qui primus fuerat, architectum vocat, alios superædificantes: maximè quia de fundamento fidei bene collocando præcipuè fuerat ipsi laborandum. Dicunt alij ipsos etiam superædificantes esse architectos; sed Paulum se vocare architectum velut ex parte, quia fundamentum posuit. Verùm id detrahit de ratione architecti: cuius est, vti dicebam, de toto ædificio disponere. Quod & Paulum fecisse constat, qui solicitudinem ædificij perficiendi, collocato fundamento, etiam absens non deposuit; Imò vt perficiatur, agit tot præceptis ac monitis hac ipsa epistola, volens eos quos per euangelium in Christo genuit, & quorum patrem se vocat capite sequenti, ad ætatis in Christo plenitudinem, tanquam ad ædificij culmen, perducere.

Quæstio.

Respõsio.

VNVSQVISQVE AVTEM VIDEAT QVOMODO SVPERÆDIFICET. Quoniam multi erant doctores Corinthiorum: generatim eos monet, vt quisque diligenter attendat, *quomodo superædificet*: id est, qualem doctrinam, fidei in fundamento positæ superaddat; ne fortè ex sæculari philosophia, qua videbantur instructi, vel ex opinione priuata, admisceant aliqua dissentanea veritati & simplicitati Christianæ.

Generalis admonitio magistrorum.

11 FVNDAMENTVM ENIM ALIVD NEMO POTEST PONERE, PRÆTER ID QVOD POSITVM EST. Nam, inquit, quod ad fundamentum attinet; illud, saluo hoc ædificio ac templo Dei, mutari non potest. Varia quidem est superædificatio; sed nemo potest diuersum collocare fundamentum ab eo quod à me positum est.

QVOD EST CHRISTVS IESVS. Verti posset ex Græco: *Qui est Christus Iesus*; quemadmodum & in vetustis quibusdam Latinis legitur. Sed cum θεμέλιον *fundamentum*, Græcis masculinum sit, Latinis neutrum; rectè se habet, *quod est* &c. etiam Erasmo suffragatore. Sensus: Quod fundamentum est Christus Iesus; scilicet à nobis apostolis annunciatus, & à vobis fide receptus. Itaque res eodem redit: siue Christus ipse fundamentum dicatur, siue doctrina de Christo, siue fides in Christum. Nõ pugnat autem cum hoc loco, quod etiam apostoli & prophetæ fundamenta mystici templi vocantur Ephes. 2 & Apoc. 21. Nam solus Christus fundamentum est; inquantum fides in Christum ante omnia requiritur ac pro fundamento collocari debet in hoc spirituali ædificio. Cæterùm apostoli & prophetæ fundamenta dicuntur, non in vnoquoque fideli, sed respectu totius ecclesiæ tanquam vnius templi: quatenus nimirum sua doctrina quam Deo reuelante acceperunt, hominibus tradita, quasi sustinent totum ecclesiæ ædificium. Quę quidem est doctrina de Christo saluatore. Quare quod apostoli & prophetæ fundamenta ecclesiæ dicantur, id eis non competit, nisi ratione vnius fundamenti, prædicando seu docendo ab ipsis positi: *quod est Christus Iesus*. Qui proinde fundamẽtum huius ædificij primarium est ac principale; cùm apostoli & prophetæ secundaria tantum ratione, eiusdem ædificij fundamenta appellari possint. Qua de re plura ad dictum locum Ephes. 2.

Christus fundamentum ædificij spiritualis.

Quo sensu etiam apostoli & prophetæ fundamenta.

12 SI QVIS AVTEM SVPERÆDIFICAT SVPER FVNDAMENTVM HOC AVRVM, ARGENTVM, LAPIDES PRECIOSOS; LIGNA, FOENVM, STIPVLAM. Syrus interpres aptè contextum implet, addita per singula distinguendi particula: *aurum, aut argentum, aut lapides pretiosos, aut ligna* &c. Locum hunc apostoli obscurum esse & planè difficilem ad intelligendum, testatur Augustinus lib. de fide & operibus c. 15 & 16, & quæstione 1 ad Dulcitium, & in enarratione psalmi 80. Hinc natæ multæ ac variæ expositiones tam loci totius quàm partium eius: velut, qui dicantur superædificantes; quid per aurum, argentum ac cætera quæ hic recensentur, intelligendum sit. Et in consequentibus, quis dies Domini, quis ignis, quid saluum fieri quasi per ignem. Et quidem superædificantes quos dicat apostolus, superiùs explicatum est, nempe doctores & prædicatores populi fidelis, qui fundamento fidei superstruunt doctrinam ad vitam moresque pertinentem, & ipsa quoque fidei mysteria plenius exponunt. Porrò aurum, argentum & lapides pretiosos, bona opera interpretantur Chrysostomus, Theodoritus ac cæteri Græci, etiam posteriores: quorum exstat de hac re sententia in

Quid per aurum, argẽtum & lapides pretiosos intelligat apostolus.

concilio Florentino. Ligna verò, fœnum & ſtipulam intelligunt ijdem mala opera æterno igne punienda. Sed obſtat huic intellectui quod poſtea ſequitur, ipſum ſuperædificantem ligna, fœnum & ſtipulam, ſaluum fore quaſi per ignem. Deinde peccata maiora quæ mortem merentur æternam, aptius comparaueris cùm ferro, ære & plumbo, quàm cum lignis, fœno & ſtipula: quemadmodum docet Gregorius libro 4 dialogi capite 39. Adde quod qui mortifera peccata committunt; quamuis fidem retineant, non tamen ædificant ſuper fundamentum quod eſt Chriſtus, id eſt ſuper petram, ſed ſuper arenam, Matth. 7. quia terrenum aliquid Chriſto præponunt: ideoque tota domus eorum corruet. Iam multo minus dici poteſt, id quod Ambroſiaſter ſignificat, per aurum, argentum, lapides precioſos, intelligi doctrinam catholicam; per ligna, fœnum & ſtipulam, praua & hæretica dogmata. Nam in his ne fides quidem ipſa, quamuis mortua, manet in fundamento. Rectius Auguſtinus aurum, argentum & lapides precioſos interpretatur opera bona: ligna, fœnum & ſtipulam, inordinatos affectus ad res terrenas, & in vniuerſum venialia peccata, & vt ipſe loquitur, amorem rerum temporalium, quæ Chriſto tamen non præponantur. Ita docet Auguſtinus compluribus locis, vt lib. de fide & operibus capite 16, enchiridij 68, in enarratione pſalmorum 37 & 80. Ita quoque Gregorius loco ſuprà citato; quos alij multi ſequuntur. Nec bene, meo iudicio, quidam Auguſtini ſententiam à Gregorij diuerſam eſſe volunt: ita diſtinguentes, quod Gregorius per aurum, argentum & lapides precioſos intellexerit bona opera; & per ligna, fœnum, ſtipulam, peccata venialia: Auguſtinus autem illa quidem interpretetur opera ſupererogationis: hæc verò omiſſionem conſiliorum, & affectum quendam carnalem ad bona huius mundi, licitum vt aiunt, ſed qui dolorem adfert cum illa bona amittuntur. Neque enim Auguſtinus vel operum ſupererogationis, vel omiſſionis conſiliorum expreſsè meminit: ſed in priori ſerie ponit eos, qui cogitant quæ Dei ſunt, animum habentes liberum à cupiditate rerum terrenarum: quæ etſi conceſſæ ſint & non illicitæ, cupiditas tamen ipſa qua ſic amantur, vt ſine dolore non amittantur, vicioſa eſt & illicita: in alijs quidem mortalis, in alijs venialis: quemadmodum id explicat ipſe Auguſtinus. Certè carnalem illum affectum ad bona huius mundi venialem eſſe, & proinde illicitum, affirmat Thomas in commentario: nec video quî negari poſſit, cum ſit inordinatus. Nec diceret Auguſtinus arſurum eiuſmodi affectum ſiue amorem, ſi nullum eſſet peccatum. Igitur Auguſtini & Gregorij vna ſententia eſt, quam diximus: licet ab Auguſtino ſapientiſſimo doctore penitius, velut à radicibus, exprompta & expoſita. Veruntamen quia ſuperædificantes oſtendimus ex apoſtoli mente non omnes fideles intelligi debere, ſed ſolos doctores; idcirco etiam expoſitio iam dicta contrahenda eſt ad doctrinam quæ fundamento rectæ ac ſanæ fidei ſuperſtruitur, vt videlicet per aurum, argentum, & lapides precioſos intelligatur doctrina pura, ſincera, ſolida, conducens ad pietatem, & pertinens ad ornamentum eccleſiæ; per ligna verò & fœnum & ſtipulam, doctrina non quidem hæretica aut pernicioſa: (talis enim fundamentum deſtrueret) ſed minus ſincera, minuſque ſolida: veluti ſi ſit humanis ac philoſophicis, aut etiam Iudaicis opinionibus admixta plus ſatis: ſi curioſa magis quam vtilis: ſi vana quadam oblectatione mentes occupans Chriſtianas: vt contingit illis qui plus æquo ſtudent ornatui ſermonis. Quo in genere etiam ab illis peccatur, qui ſpecie pietatis inuehunt aut propagant nouas ac vulgo plauſibiles opiniones; quæ interdum exiſtunt ſemina contentionum: & in vniuerſum ab ijs qui dubia aut incerta prò certis, vel temeritate, vel imperitia, vel imprudentia, vel animi leuitate, vel placendi ſtudio, proferunt ad auditores. Sed & ſi quis veram & vtilem auditoribus doctrinam tradat, non tamen id faciat ea prorſus intentione qua debet, ſed oculum obliquè reflectat aliorſum: cum ijs merito deputabitur, qui ligna, fœnum, ſtipulam fundamento ſuperſtruunt. Quod indicare videtur apoſtolus cap. ſequenti, dicens de iudice Chriſto, quod *manifeſtabit conſilia cordium*. Igitur qui prioris doctrinæ genus ſuperædificant, magnum ſibi meritum apud Deum comparant: quod vtique per materiam precioſam, & quæ vim ignis ſuſtineat, ſignificatur. Qui verò poſterioris, non ſolum à magno merito ſunt remoti; verum etiam taliter docendo multa ſibi peccata accumulant, per materiam vilem & cremabilem ſignificata, & igne conſumenda, quemadmodum infrà dicetur. Hanc expoſitionem iſtius loci reperies apud Sedulium, Heruæum, Aquinatem, Liranum, Carthuſianum, Caietanum, & alios recentiores. A quibus & illud annotatur, gradus quoſdam vtriuſque doctrinæ ſignificatos eſſe; hinc per aurum, argentum, lapides precioſos. Inde per ligna, fœnum, ſtipulam. Sicut enim melius eſt ſuperædificare aurum quàm argentum: ita deterius ſuperædificare fœnum & ſtipulam quàm ligna. Cæterùm pulcrè & doctè totam hanc de ſuperædificantibus ſententiam ediſſerit Aquinas, Ad quem lectorem remitto.

13 VNIVSCVIVSQVE OPVS MANIFESTVM ERIT. *Erit*, Græcè γενήσεται *fiet*. Non male, vt obijcit quidam, doctrina quamuis diuina vocatur opus hominis. Verè enim opus eſt hominis, inquãtum traditur hominis miniſterio: licet

Ité quid per ligna, fœnum, ſtipulam.

Auguſtini ſententia, qua eadem Gregorij.

Explicatur vera ſententia.

Hæc aduertant doctores & concionatores.

Gradus vtriuſque doctrinæ tam præcioſæ quàm vilioris.

Doctrina diuina quo ſenſu opus hominis.

licet in se considerata sit verbum Dei. Nam & suprà, loquens Paulus de doctrina plãtantis & rigantis, dixit, vnumquemque recepturum mercedem secundum proprium laborem. Quando autem manifestandum sit opus cuiusque doctoris, ostendit pars sequens.

DIES ENIM DOMINI DECLARABIT, QVIA IN IGNE REVELABITVR. In Græco & Syriaco abest genitiuus *Domini*, nec non in Latinis quibusdam mss. Veteres etiam Latini commentator Amb. & Primasius non agnoscunt. Deinde nec Græcè est *reuelabitur*, sed ἀποκαλύπτεται *reuelatur*. Hic quærendum quem diem Domini, vel diem absolutè, dicat apostolus: & de quo igne loquatur. Quidam diem hunc intelligunt tempus aduersitatis seu tribulationis in hoc sæculo; cum auferuntur homini illa quæ diligit. Nam ea res probare solet ac discernere bonos à malis; Ecclesiastico teste capite 27, *Vasa figuli probat fornax; & homines iustos tentatio tribulationis*. Sed & apud prophetas, huiusmodi tempus dies Domini vocatur aliquoties; vt Isaiæ 13, Ierem. 46, Ezech. 30, Amos 5. Ad hunc modum exponunt Augustinus & Gregorius locis suprà citatis. Verum sanè ea expositio non est apta ad hũc locum. Quamuis enim tribulatio præsentis vitæ iustos probat coram Deo; non tamen palam declarat, qui boni sint qui mali: *Sed omnia in futurum seruantur incerta; eo quod vniuersa æquè eueniant iusto & impio, bono & malo*, &c. Ecclesiastæ 9. Vnde nec Paulus dicit *manifestatur*, tanquam in præsenti tempore, sed in futuro, *manifestum erit*, aut, *fiet vniuscuiusque opus*. Iam & ea quæ sequuntur apud apostolum, isti intellectui non congruunt: quemadmodum statim patebit. Igitur omnino tenenda est communis interpretum tam veterum quam recentiorum sententia: quam etiam Augustinus & Gregorius isdem locis agnoscunt & approbant: nempe, diem Domini esse diem seu tempus iudicij diuini post hanc vitam: siue iudicij particularis, vt intelligunt Liranus, Caietanus, & alij recentiores: siue generalis atque vltimi iudicij; quomodo ferè diem hunc acceperunt veteres, Chrysostomus, Theodoritus ac cæteri Græci, & inter Latinos Sedulius, Haimo, Heruæus, Carthusianus, & neotericorum nonnulli: & ante hos author epistolæ ad Marcellam de tolerandis aduersis; quæ fertur inter opera Hieronymi. Pro particulari iudicio facere videtur, quod purgatio de qua consequenter agit apostolus, non fiet in vltimo iudicio: sed nunc iam agitur circa animas mortuorum. Et alioqui sequeretur, nullos fideles, saltem doctores, posse recipi in consortium beatorum ante extremi iudicij diem; qui error est ab ecclesia damnatus. Id, inquam, sequeretur; quia probatio doctrinæ siue operis cuiusque, præcedere debet remunerationem. Quare si probatio per ignem reseruatur vniuersali iudicio: nullus eorum quorum hic probanda dicuntur opera, posset ante illud iudicium coronari. Mouet etiam Caietanum verbum præsentis temporis, *reuelatur*, quo apostolus vsus est. Nam dies vltimi iudicij nondum reuelatur; particularis autem iudicij dies quotidie reuelatur, alijs atque alijs morientibus. At pro iudicio generali maiora sunt argumenta. Primùm, quia per diem Domini vel diem illum, vbicumque in sacris literis tempus futuri sæculi significatur, semper intelligitur dies extremi & vniuersalis iudicij. Loca passim obuia sunt, cùm alibi, tum apud ipsum apostolum, vt huiusce epistolæ capite primo, *Confirmabit vos sine crimine in die Domini*. & capite quinto, *Vt spiritus saluus sit in die Domini*. Qui locus illustrat istum, quo dicitur, *saluus erit quasi per ignem*. Item Philip. 1, *Perficiet vsque in diem Christi Iesu*. 2 Tim. 4, *Quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*. Similiter Dominus apud Luc. 10, *Sodomis in illa die remissius erit*. & Petrus 2 epistolæ 3, *Veniet dies Domini sicut fur*. Sed & ipse Paulus infrà capite proximo loquens adhuc de probatione doctrinæ ministrorum Christi, planè declarat illam futuram in die aduentus Domini: *quando illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*. Qui dies non alius est quam generalis iudicij. Quo accedit quòd scriptura modò diem Domini, modò diem aduentus Domini, modò emphaticè diem illum nominans; eundem semper diem designet. Atqui diem aduentus Domini, vt nominari solet in scriptura, non alium exspectamus, quàm quo venturus est ad exercendum iudicium vniuersale. Et quidem ita de die Domini semper scriptura loquitur, vt vnum aliquem certum ac singularem diem nobis significet: cuiusmodi non est dies particularis iudicij. Sed neque de die iudicij particularis verum est quod hic dicit apostolus; quia in *igne reuelabitur* vel *reuelatur*. Per hoc quippe significat diem illum futurum omnibus notissimum propter ignem. Quod vtique non in diem particularis sed vniuersalis iudicij competit; quem ferè scriptura per ignem describit, vt Psal. 96, Ioel 2, 2 Thess. 1, 2 Pet. 3. Vnde & in antiquissimis ecclesiæ cærimonijs vsque hodie legitur, *Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem*. Nec sanè conuincunt quæ pro particulari iudicio adferebantur: quemadmodum satis ex ea quam subiungemus expositione huius loci patebit. Porrò non minor est difficultas, ac maior etiam expositionum varietas, de igne; quem tertiò nominat apostolus in hoc contextu. Quidam, vt Augustinus & Gregorius suprà citati, tribulationes intelligunt huius vitæ: sicut in psalmo 65, *Transiuimus per ignem & aquam*. Sed id dici non posse, iam

De die Domini variæ sententiæ.

Dies Domini tempus iudicij post hanc vitam.

Dies Domini tempus extremi iudicij

Quis ignis intelligatur, an tribulationis, an purgatorij, an cõflagrationis.

oſtendimus, cum de die Domini ageremus. Alij ignem intelligunt gehennę. Verùm & hoc facilè refellitur. Nam ignis ille nõ probet opus vniuſcuiuſque, nec per eum ſaluus quiſquam euadit: quod vtrumque de hoc igne Paulus affirmat. Imò nec omnino probat ignis ille cuiuſquam opus: ſed tantum punit mala opera reproborum. Plerique exponũt de purgatorio, quo poſt hanc vitam, & ante ſupremi iudicij diem, animæ iuſtorum à leuioribus peccatis expurgantur. Pro qua ſententia adducuntur etiam patres Latini, qui in concilio Florentino cum Græcis de Purgatorio diſputarunt. At verò nec id dici poſſe videtur: tum propter ea quæ demonſtrant diem non particularis iudicij, ſed vniuerſalis intelligi; cum hæc animarum purgatio pertineat ad iudicium particulare: tum quia nec purgatorius ignis probat vniuſcuiuſque opus, ſed tantum punit mala opera bonorum. Alij ignẽ raptus ſeu conflagrationis intellexerunt: quo nimirum vel præcedente vel comitante Dominus venturus eſt ad iudicium. Quem ſenſum reijciunt quidam eo argumento, quod ignis ille non ſit futurus communis bonis & malis: ſed tantum vſturus ſiue inflammaturus inimicos Dei, vt dicitur Pſal. 96, Ignis autem de quo loquitur apoſtolus, excepturus ſit omnes, etiam eos qui aurum & argentum ſuperædificant fundamento Chriſto. Rurſum alij exiſtimant apoſtolum non vna ſignificatione ignem accipere. Nam primo quidem loco conflagrationis ignem intelligunt: ſecundo ignem interpretantur ſeuerum & iuſtum Dei iudicium, quo probantur & examinantur omnia hominum opera: tertio denique loco cum dicitur, ipſum hominem ſaluum fore, ſic tamen quaſi per ignem, intelligi volunt ignem purgatorium animarum poſt hanc vitam. Verùm alijs abſurdum haud immeritò videtur, apoſtolum in vno contextu paucorum verborum tã variè loqui de igne. Nec facilè quiſquam ſibi perſuaſerit tertio loco purgatorium ignem animarum ſignificari, ſi primo & ſecundo loco diuerſus ignis ſignificatus fuerit. Quare, vt in hac obſcuritate Pauli mentem attingamus; imprimis apparet ignem vno modo in hoc contextu accipi debere. Non videtur autem vno modo accipi poſſe, niſi accipiatur vel pro ſeuero Dei iudicio, quomodo Caietanus exponit; vel pro igne conflagrationis, velut illius iudicij inſtrumento. Iudicium autem Dei intellige, quatenus ei competit non ſolum examinare & probare hominum opera, verum etiã, quæ mala inuenerit punire. Etenim primo loco per ignem intelligi poteſt iudicium in genere: ſecundo loco conuenit iudicium probans & examinans: tertio loco iudicium puniens & purgans. Hæc Caietani expoſitio, quæ & aliorum quorundam eſt, probabilitatem aliquam habet: ac fauere videtur ſcripturæ, quæ Deum vt iudicem igni comparant, & ignem appellant, vt Deut. 4 & Heb. 12, *Deus ignis conſumens eſt.* & Iſaiæ 33, *Quis poterit habitare cum igne deuorante?* Verùm multo probabilior eſt eorum expoſitio, qui ignem interpretantur inſtrumentum illius iudicij, quem Theologi vocamus ignem conflagrationis. Ad hũc enim intellectum vrgent omnia quæ diem Domini ſuadent intelligendum diem extremi iudicij. Nam diem illum paſſim in ſcripturis per ignem, tanquam inſtrumentum iuſticiæ diuinæ nobis deſcribi, ſuprà docuimus. Quocirca arbitramur hic apoſtolum non de alio igne loqui, quàm de quo aliæ ſcripturæ diem Domini deſcribentes loquuntur. Nec obſtat quod ignis de quo Paulus agit, talis intelligi debeat, vt ambo per eum tranſeant, & qui precioſa ſuper fundamentum ædificauerit, & qui vilia, videlicet probaturus opus vniuſcuiuſque. Quod etiam diſertè teſtatur Auguſtinus Enchiridij 68 Nam vnus & idem ignis, quo vt inſtrumẽto ſuæ iuſticiæ Chriſtus iudex vtetur, probabit omnes: ſed eos tãtum purgabit, quos bonos quidem, ſed adhuc impuros inueniet. Quos autem omnino puros & antè purgatos inuenerit; eos illæſos ac doloris immunes, nihilque detrimenti paſſuros tranſmittet ad regnum: impios autem & inimicos Dei corripiet, inflammabit & cruciabit in æternum, ſicut poſt Pſalmiſtam expreſſius de eo ſcribit apoſtolus 2 Theſſ. 1. Erit igitur ignis ille & probatorius & purgatorius, & in æternum vindicatorius; ſed diuerſorum reſpectu. Quemadmodum & ignis qui apud nos eſt, purum aurum tantum probat, impurum purgat, ſtipulas comburit. Atque ita ſanè de igne nouiſſimi diei ſenſerunt veteres; vt Baſilius lib. de Spiritu-ſancto cap. 5, & in expoſitione Iſaiæ cap. 4 & 9. necnon Hilarius canone 2 in Matthæum ad illud capitis 3, *Ipſe vos baptizabit in Spiritu-ſancto & igni.* atq; hos ſecutus Ambroſius, qui eadem ſcripturæ verba tractans in enarratione pſal. 118 ſermone 3 ita ſcribit: *Poſt conſummationem ſæculi miſſis angelis qui ſegregent bonos & malos, hoc futurum eſt baptiſma, quando per caminum ignis iniquitas exuretur, vt in regno Dei fulgeant iuſti ſicut ſol, in regno Patris ſui. Et ſi aliquis vt Petrus ſit, vt Ioannes, baptizatur hoc igni,* & quæ ſequuntur. Quæ eadem alijs verbis repetit ſerm. 20 eiuſdem operis, etiam hunc quem tractamus, apoſtoli locum obiter allegans: vbi & hoc ſatis innuit, iuſtis perfectè mundatis ignem illum nihil allaturum moleſtiæ. Verum id apertius teſtatur Eucherius Lugdunenſis homilia 3 de epiphania Domini his verbis: *Illic iuſti velut per amœnos gurgites, incẽdijs naturam ſuam mutantibus, tranſmeabunt: intacta ignibus corpora ipſis honorificanda pœnis, quia non ſunt onerata peccatis. In iſtos enim ſauis æſtibus nil licebit, quos antè libidinum flamma non attigit: & quibus puritas contulit reuerentiam, inferre neſciet rationabilis ardor iniuriam. Sic trium puerorum fides atque iuſticia tenebroſos non ſenſit ignes: ſed ſtupenda refrigeria in medio caminis æſtuantis inuenit.* Hæc ille. Eadem Alcuini ſententia eſt, qui

Verior ſententia de igne cõflagrationis.

De igne cõflagrationis teſtimonia veterum.

Ignis vno modo hic accipitur.

An pro iudicio Dei.

lib.3 de Trinitate cap. 21,vbi locum hũc apoſtoli exponit de igne quidem purgatorio, ſed eo quo peragetur extremi iudicij examen, *Quem ignem*, inquit, *aliter impij ſentient, aliter ſancti, aliter inſti.* Idque declarans dicit, ſanctis, id eſt ijs qui purgatione non egẽbunt, ignem illum futurum, ſicut fuit tribus pueris fornax Babylonis. Iuſtos autem minutis quibuſdam peccatis obnoxios, eiuſdem ignis ardore purgandos. Vtitur eadem comparatione trium puerorum Auguſtinus lib. 20 de ciuitate Dei cap. 18, & in enarratione pſal.101, vbi dicit: *Quod fuit caminus regis tribus pueris, hoc erit ardens mundus iuſtis in Trinitate ſignatis.* Vtuntur & alij; vt hoc loco commentator Amb. & Haimo, & ex Auguſtino Lombardus in 4 ſent. diſt.47. Eſſe autem hanc ſentẽtiam in eccleſia perantiquam, ex Lactantio omnibus quos adduxi vetuſtiore, comprobatur: qui lib.7 diuinarum inſtitutionum capite 21 de Chriſto per ignem iudicaturo ita ſcribit: *Sed & iuſtos cum iudicauerit, etiam igni eos examinabit. Tum quorum peccata vel pondere vel numero prævaluerunt, perſtringentur igni atque amburentur. Quos autem plena iuſticia, atq; maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non ſentient. Habent enim in ſe aliquid Dei, quod vim flammæ repellat ac reſpuat,* &c. Iam præter hos authores fauent prædictæ expoſitioni noſtræ plerique commentatorum, quos diem Domini tempus extremi iudicij diximus interpretatos. Præterea non parum adiuuat hunc intellectum locus epiſtolæ 2 Pet. 3, vbi de igne conflagrationis mundi agit, maximè illis verbis: *Terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera exurentur.* Quod non de operibus, vel natura vel arte factis, ſed de terrenis hominum actionibus, id eſt peccatis exponit Oecumenius: vt ea ſignificata ſint opera, quæ ſunt oppoſita iuſticiæ, de qua Petrus ibidem ſubiungit: *Nouos verò cælos, & nouam terram exſpectamus, in quibus iuſticia habitat.* Qui ſenſus admodum ſanè conuenit cum hoc Pauli loco, vbi opera mala dicuntur arſura ſiue exurenda. Eſt enim vtrobique idem nomen & idem verbum in Græco. Inde verò colligit Petrus fideles ſatagere debere, vt ſancti & immaculati inueniãtur in illo die: ne videlicet in ijs inueniat ignis ille, propter quod vel in æternum vel ad tempus ardeant. Ac tale quid etiam Malachias propheta cap.3 ſignificaſſe videtur, loquens de igne qui *purgabit filios Leui*, id eſt miniſtros eccleſiæ, per quos fidelibus adminiſtratur doctrina ſalutis. De quibus propriè hic apoſtolũ loqui ſuperius oſtenſum eſt. Nam de purgatione quæ per ignem futura eſt in die magni iudicij, patres eum Malachiæ locum intellexerunt, Hieronymus in commentario, Ambroſius in expoſitione pſal. 36, Auguſtinus lib. 20 de ciuitate Dei cap. 25. itemque Origenes homilia 6 ſuper Exodum. Quod ſi & illam Domini ſententiam Marc 9, *Omnis igne ſalietur*, de eodem igne quis acceperit; non videbitur aberrare. Cum enim dixiſſet Dominus quoſdam mittendos in gehennã ignis inexſtinguibilis; ne mirum cuiquam videretur, ſubiecit generalem propoſitionem de bonis & malis, *Omnis enim igne ſalietur:* Id eſt, non ſolum mali, verum etiam boni igne velut ſale perfricandi ſunt: mali tantum vt doleant, boni vt purgentur ac probẽtur: & purgati atque probati, ab igne ad regnum tranſeant. Quod ſignificatum eſt in lege Leuit. 2, quando victima quæ offerebatur vt Deo grata, tamen ſale conſpergi debuerit. Vnde ſubiungit Dominus eodem loco: *Et omnis victima ſale ſalietur.* Nec verò huic interpretationi de igne ac die Domini quam dedimus, quamque etiam Thomas in commentario proſequitur, aduerſatur ſententia patrum Latinorum concilij Florentini. Non enim negãt ſub generali nomine ignis purgatorij, etiam comprehendi purgatorium ignem conflagrationis; de quo propriè verum eſt: *Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Nam purgatorius ignis animarum non probat aurum, argentum, lapides precioſos: quod faciet cõflagratorius ignis. Iam his præmiſſis ad explanationem verborum apoſtoli veniamus, quibus probat vniuſcuiuſque doctoris opus aliquando manifeſtum fore. *Dies enim Domini*, inquit, *declarabit*, id eſt, dies ille quo Dominus ad iudicandum viuos & mortuos venturus eſt, manifeſtum faciet opus vniuſcuiuſque: nec id quomodocumque, ſed adhibito ſeuero & exacto operum examine: *quia in igne reuelabitur:* ſcilicet ille dies, vt multi exponunt, id eſt per ignem quẽdam maximum & ſupra modum admirabilem atque terribilem, notiſſimum omnibus fiet diem illum eſſe quo Dominus mundum iudicare ſtatuerit. Nec diuerſus erit ſenſus, ſi legas in præſenti, *reuelatur*, vt in Græco eſt. Sæpe enim præſentis temporis verbum ponitur non ad ſignificandam actionem præſentem: ſed profeſſionem, doctrinam, opinionem, habitum, proprietatem, aut quid tale; quomodo dixit beata Virgo, *Virum non cognoſco* Luc. 1, & quomodo Sadducæi docuerunt non eſſe reſurrectionem, Matth. 22, & quidam Corinthiorum dicebant: *Reſurrectio mortuorum eſt*, &, *Mortui non reſurgunt*, huius epiſtolæ cap. 15. Sic enim & iſtud intelligi poteſt, *Dies Domini in igne reuelatur*, id eſt, hoc aliquando futurum eſſe, habet doctrina & profeſſio Chriſtiana. Quidam inter quos Amb. commentator & Oecumenius, verbum *reuelabitur* non ad diem referunt, ſed ad opus vniuſcuiuſque, vt ſit ſenſus: doctrinam vel opus cuiuſque quale ſit, reuelandum ac manifeſtandum per ignem; quo in illo iudicio examinabitur. Cui ſenſui bene conuenit quod ſtatim ſequitur, *Et vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Poſſet etiam percommodè referri ad Dominum; niſi quis obſtare putet Græcum textum, in quo, ſicut dictum eſt, genitiuus *Domini* non exprimitur. Nam 2 Theſſ. 1 ipſe Dominus Ieſus reuelandus dicitur in flamma ignis: & 1 Pet. 1 bis

Ex ſcripturæ probatio.

Explicatio præſentis loci.

Præſentis temporis verba quẽ ſum interdum habeant.

nominatur reuelatio Iesu Christi. Nominatur etiam 1 cap. huius epistolæ. Sed & Christus de seipso, *Filius hominis*, inquit, *reuelabitur*. Luc. 17. Qua locutione etiam Antichristus suo tempore reuelandus dicitur, 2 Thess. 2. Diem autem reuelari, non ita facilè reperias in scriptura: sed magis ei, sicut & luci, tribuitur manifestare res alias, Ioan. 3. Ephes. 5. Et ad Græcum textum responderi posset vulgatam nostram lectionem fortasse sinceriorem esse hac in parte. Quod tamen ego temerè nolim affirmare, cùm vt dictum est, etiam veteres Latini scriptores & codices faueat Græcæ lectioni: ac de die reuelando sensus tam Latinis quã Græcis probatus, nihil habeat incõmodi. Sicut enim dies noster quotidianus illucescere dicitur ob solis exortũ: ita conuenienter intelligi potest à Paulo significatum, quod ille dies omnibus illucesceret ignis exortu. Nam & sunt qui sic vertant; *quia cum igne illucesceret*.

ET VNIVSCVIVSQVE OPVS QVALE SIT, IGNIS PROBABIT. Hoc quidem peculiariter de doctrina ministrorum superædificantium fundamento fidei dicit apostolus, quemadmodum etiam exponit commentator Amb. Sed tamen de cæteris omnibus omnium hominum operibus idem relinquit intelligendum, iuxta alias scripturas, quæ omnium operum humanorum examen referunt ad diem extremi iudicij. Sensus est: Eo ipso igne, quo reuelabitur vel dies Domini, vel ipse Dominus, vel opus cuiusque, tanquam instrumento iusticiæ diuinæ, quicquid doctrinæ superædificatum fuerit fundamento à ministris verbi Dei, seuerè examinabitur: siue illud sit vt aurum, argentum, lapides precioſi, siue vt ligna, fœnum stipula. Vnde sequitur.

Omnium opera per ignẽ examinanda.

14 SI CVIVS OPVS MANSERIT QVOD SVPERÆDIFICAVIT; MERCEDEM ACCIPIET. *Manserit*, Græcè μένει *manet*. Ordo verborum & sensus est: Si cuius opus quod superædificauit, permanserit illæsum ab igne, vtpote purum, sanctum & irreprehensibile, quomodo purum aurum ab igne non læditur; pro eo opere ipse ædificator mercedem recipiet à iudice Christo. Itaque tali structori ignis ille, quantum ad eiusmodi opus attinet, nullũ inferet cruciatum aut dolorem; quia nihil in eo inueniet purgandum. Hic rursus obserua mercedem operum bonorum apud Deum, contra sectarios: & disce, cõtra eosdem, quædam esse fidelium opera adeò pura, vt ignem seueri iudicij Dei sustinere queant.

Merces operum bonorum. Nota.

15 SI CVIVS OPVS ARSERIT; DETRIMENTVM PATIETVR. Græcè, *Si cuius opus comburetur, damnificabitur*. Et sensus est: Si cuius opus quod superædificauit, (id enim repetendum ex priori membro) ab igne correptum & cõbustum fuerit, quomodo ligna, fœnum, stipula comburi solent ab igne, (ad hęc enim respicit) hoc est, si malum ac reprehensibile inuentum fuerit, ideoque pœna dignum; ipse ædificator detrimẽtum huiusmodi operis patietur, nihil pro eo mercedis accepturus, sed magis propter illud ab igne cruciandus. Nõnulli, inter quos Caietanus, illud *damnificabitur*, seu *detrimentum patietur*, dictum putant de opere, non de operante. Sed id minus rectè. Non enim opus ipsum, quod comparatur lignis, fœno, stipulæ, detrimentum ab igne patietur, sed prorsus consumetur. Ipse verò operans damnum passurus est, & dispendium facturus sui operis ac laboris: quomodo mercator dãnum patitur suarum mercium, dum eas in mare proijcit, vt ipse euadat.

IPSE AVTEM SALVVS ERIT; SIC TAMEN QVASI PER IGNEM. *Saluus erit*, Græcè σωθήσεται *saluabitur, saluus fiet*. Item *sic tamen*, οὕτως δὲ *sic autem*. Erasmus, *Sed sic tanquã per ignẽ*. Chrysostomus & eius sequaces, qui ligna, fœnum, stipulam interpretati sunt opera digna incendio gehennæ; censent eum qui huiusmodi opera superædificauerit fundamento fidei Christianæ, saluum fore per ignem; quia quamuis in ignem gehennæ mittendus sit, nunquam tamen consumetur, sed semper in igne seruabitur, vel vt aiunt, afferuabitur ac superstes erit, recens semper ad pœnam. Sed hæc profecto coacta est interpretatio. Nec enim vsus loquendi id habet, nec vsquã scriptura sic loquitur, vt saluus dicatur qui superstes est in malis. Quin potius tales & vulgo & more scripturæ perijsse dicuntur. Quo genere argumenti commentarium hunc Græcorum, patres Latini in concilio Florentino refutarunt. Adde, quòd si bona est Græcorum expositio: fatendum erit omnes reprobos sine exceptione, tam angelos, quam homines, saluos fore per ignem: nec quicquam hic peculiariter ab apostolo dictum esse de malis ædificantibus super fundamento quod est Christus. Accedit quod Græcum verbum σωθήνεται non significat (vsu præsertim scripturæ sacræ) seruari aut conseruari; sed salutem adipisci: quod ecclesiastico more dicimus saluari. Iam verò perabsurdè dixeris, hominem per hoc quod semper in igne positus semper ardet, etiamsi nunquam consumatur, salutem consequi. Denique si id quod Græci volunt, sensisset apostolus; non dixisset eiusmodi hominem saluum fore per ignem, sed, in igne. Dicens enim, *per ignem*, transitum significauit, non mansionem; sicuti psalm. 65, *Transiuimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium*. Sanè ita dictum est hoc loco, *saluus erit*, sicut infrà cap. 5 dicitur, *vt spiritus saluus sit in die Domini*. & quomodo Petrus dixit 1 epistolæ 4, *Iustus vix saluabitur*. Sunt & aliæ huius loci expositiones apud Græcos, quas recitat Oecumenius; quarum vna est, vt illud, *ipse saluus erit*, significet quidem salutẽ vitæ æternæ: sed referatur, non ad eum cuius opus arserit, sed cuius opus manserit; Atque is saluus fore dicatur per ignem, vel quia bonus doctor nihil detrimenti passurus sit ab igne quo doctrina eius bona & pura explorabitur; etiamsi illam auditor contemserit: quæ expo

Quid saluum fore per ignẽ.

Græcorũ sententia improbatur.

Alia expositiones.

sitio

sitio est Theodoriti; vel quia iustus quisque saluus erit non sine igne purgationis; propterea quod etsi superstruxerit fundamento aurum, argentum, lapides pretiosos; tamen sine peccatis non vixerit. Verùm & hæc interpretatio coactior est, propter hyperbaton non necessarium. Nec enim erat cur de eo cuius opus manserit, diceretur eum saluum futurum; cum de ipso iam dictum esset, *mercedem accipiet*. Sed quia de eo cuius opus arsurum sit, dicebat, *detrimentum patietur:* ne propter hoc putaretur periturus, addidit, vt rem explicaret, eum saluum fore per ignem. Erit fortè qui putabit hanc partem, *Ipse saluus erit quasi per ignem*, referri posse ad fundamentum (θεμέλιον, masculini generis) vt sit sensus: Fundamentum illud seruabitur, & inconcussum manebit; seruabitur, inquam, velut per ignem; id est, in ipsa operum seu doctrinæ cuiusque examinatione tandem apparebit eius fundamenti firmitas; quando opera seu dogmata ei consentanea per ignem probata refulgebunt, dissentanea verò in fumum & cinerem abibunt: Sed non placet hic sensus: tum quia (fundamentum) longius præcessit, quam vt illuc commodè pars ista referatur; tum quia fundamento non conuenit σωθῆναι *saluari*, iuxta significationem huius verbi paulo ante declaratam. Postulat quoque sermonis series, vt ad eundem referantur detrimentum pati, &, saluum fieri, id est ad superædificantem. Venio ad Latinos Augustinum & Gregorium, qui locis antea citatis, hunc ignem interpretantur afflictionis in hoc sæculo: vt sensus sit, eum qui venialia peccata fundamento quod Christus est, superstruxerit, saluum fore salute æterna, non tamen sine igne temporalium afflictionum, quibus necesse sit eũ à terrenis affectibus ac leuioribus peccatis illo igne consumendis, quæ per ligna, fœnum, stipulam significantur, expurgari. Qui quidem sensus perspicuitatem habet: sed cur huic loco minus quadret, superius expositum est. Vt igitur quod maximè probabile est, adferamus; secundum ea quæ dudum de igne præfati sumus, hic erit sensus: Doctor ille qui ligna, fœnum, stipulam superædificauerit fundamento Christo; detrimentum operis sui patietur ab igne; ipse tamen non peribit cum opere suo, quia fundamentum in doctrina sua retinuit; sed salutem consequetur: sic tamen vt non nisi per ignem, quo vrendus atque purgandus sit, ad salutem perueniat: quẽadmodum mercator, vt antè dixi, non nisi cum iactura rerum suarum quas amat, nec sine dolore amittit, è tempestate maris euadit. Est enim hoc quadantenus simile. Ex hac declaratione etiam liquet illud *quasi* vel *tãquam* non obstare quo minus verus ignis intelligatur: atque idem omnino de quo prius locutus fuerat apostolus. Nam dicendo *sic, quasi*, modum saluationis significare voluit, non comparationem adhibere. Constat enim illa aduerbia *quasi, tanquam*, frequẽter accipi specificatiuè, vt loquuntur, non comparatiuè: idque etiam in scripturis, quemadmodum & Gregorius obseruauit lib. 25 moralium ca. 10, adferens hoc exemplum Ioan. 1, *Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre*. tametsi non longè petenda nobis sunt exempla; cum hoc ipso capite dicat apostolus Corinthijs; *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus*. quos tamen verè carnales fuisse declarant illa quæ sequuntur, *Adhuc enim carnales estis* &c. Item initio capitis sequentis: *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*; cum vtique verè tales essent, quorum in persona hoc dicit apostolus. Est autem illic in Græco idẽ vtrũque aduerbium, quod hoc loco, οὕτως, ὡς. *sic, tanquam*. Ex quo patet etiam hic verti potuisse, *Sic tamen vt per ignem*. quod planius est. Rursus simile illud capitis 7, *Consilium do, tanquam misericordiam consecutus*. Quod si cui comparatiuè dictum videatur *quasi per ignem*, non ideo tamen veritas ignis tolletur: sed cõparatio erit saluationis hominis per ignem, de quo prius fuerat locutus, cum saluatione rerum inanimatarum, quæ apud nos per ignẽ purgantur; vt sensus sit huiusmodi: Saluus euadet detrimentum ab igne passus, sicut apud nos aurum impurum, vel quid aliud, sordibus igne excoctis & consumptis euadit incolume. Sed prior sensus magis respondet ijs quæ præcedunt; vt de eodem igne sermo sit per totum contextum. Hactenus locum difficillimum, Deo adiuuante, conati sumus pro viribus explicare; idque potissimum ex alijs scripturis, quæ aliquid simile cum hoc loco habere videbantur. Tractarunt etiam hunc locum accuratè viri doctissimi, Cardinalis Bellarminus lib. 1 de purgatorio cap. 4. Ioannes Lensæus item de purgatorio cap. 15, 16 & 17, & Henricus Vicus lib. de descẽsu Christi ad inferos sectione 30. Tractat etiã S. Bonauentura scribens in 4 sent. dist. 21 ad textũ Magistri. Quos authores si non per omnia secuti sumus, nemo miretur: quia nec ipsi inter se per omnia consentiunt: & licuit nobis vt in obscuro loco, ex varijs quæ legimus, consectari quod visum est probabilius. Nunc pro maiori intellectu totius commentarij, breuiter expediendæ nobis sunt aliquot quæstiones, quæ circa illum moueri possunt. Prima quæstio est, Quando futurum sit illud quod dicit apostolus, *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*. Respondeo secundum superiora, id futurum in die Domini, id est extremi iudicij: de quo & illud dictum infrà cap. 5, *Vt spiritus saluus sit in die Domini*. Secunda quæstio, Quomodo ignis ille iudicij extremi probaturus sit vniuscuiusque opus; cum opera sint transitoria; quæ vtique postquam transierint, ab igne materiali probari non possunt. Quo argumento nonnulli mouentur, vt existiment eo saltem loco, *Vniuscuiusque opus ignis probabit*, non posse intelligi ignẽ aliquem materialẽ; sed intelligi debere ipsum

seuerum

Quasi, tãquam, non semper comparatiuè sumũtur.

Sensus huius loci maximè probabilis

Quando futurum quod hic dicit apostolus.

Quomodo opera probanda igne materiali.

seuerum Dei iudicium, quo singulorum opera expendantur & examinentur. Respondeo, hoc ipsum examen operum futurum per ignē velut instrumentum iudicij Dei. Quare sicut quæ dudum præterierunt, subire possunt seuerum Dei examen, in quantum homo qui ea operatus est, propter illa examinatur, punitur, purgatur, illustratur, vel etiam damnatur: (vnde secundum scripturas opera dicuntur sequi hominem in retributione vitę futuræ, vt Apoc. 14) sic & per ignem eadem opera probantur, inquantum totius examinis instrumentum est ignis, non afflicturus nisi eos qui digni sunt. Nam internum & inuisibile Dei circa vnumquemque hominem iudicium atque censura, suis effectis in illo igne manifestabitur. Vbi præterea notanda est scripturæ phrasis, qua non solum homines qui peccauerunt, purgari dicuntur, quando pœnæ alicuius interuentu peccata eis remittuntur; verum etiam ipsa opera, id est peccata dicuntur purgari, quando remittuntur; vt Heb. 1, *purgationem peccatorum* (καθαρισμὸν) *faciens*. Isa. 1, *Peccata vestra sicut nix dealbabuntur*. Conuenienter ergo, secundum scripturas, non solùm puniri, sed & probari dicuntur opera hominū per ignem materialem. Tertia quæstio. An & quomodo probetur ex hoc loco purgatorium animarum post hanc vitam. Si enim opus vniuscuiusque probabit ignis, atque ea probatio demum futura est in die Domini; & ad eundem diem referendum est illud, *Saluus erit quasi per ignem*; non modò non videtur ex hoc apostoli loco construi purgatorium animarum statim à morte corporum, verum etiam destrui; cùm tota purgatio reseruetur extremo iudicio. Atqui purgatorium ex hac scriptura Latini patres in concilio Florentino, licet Græcis dissentientibus, statuendum putauerunt. Respondetur, imprimis ex hac scriptura secundum datam à nobis interpretationem manifestè haberi contra sectarios, quod in futuro sæculo quædam peccata remittenda sint, scilicet eorum qui purgabūtur & salui fient per ignem. Neque sequitur ex igne purgatorio nouissimi diei, nullum relinqui purgatorium animarum ante illum diem: quomodo nec sequitur ex purgatorio animarum, nullam in hac vita fieri purgationem. Nam ignis ille, sicut apostolus dicit, probabit quidem vniuscuiusque opus quale sit; non tamen purgabit, nisi quod inuenerit nondum expurgatum. Nam quæcūque peccata vel in hac vita per satisfactionē, vel post hanc vitam in pœnis animarum expiata ac plenè remissa fuerint; non illo igne nouissimo absumentur; sed tamen quid antea factum fuerit, etiam eodem probatorio igne manifestabitur. Præterea sciendum, quod sicut scriptura sæpe ex generali iudicio vult intelligi particulare; & ex die nouissimo quo omnes iudicabuntur, vult intelligi diem mortis cuiusque, quo singuli iudicantur: ita ex igne qui facié Christi iudicis anteceſſurus est ad vniuersale iudicium, & purgaturus quicquid illo tempore purgandum restabit; intelligendum relinquit ignem aliquem, quo statim post hāc vitam ad purgandas animas particulare iudicium exerceatur. Itaque hac ratione pœna purgatoria animarum ex hoc Pauli loco bene & solidè colligitur. Sed cur apostolus omissa mentione purgationis animarum quæ fit medio tempore, loquitur tantum de igne extremi iudicij? Primùm, quia non de animabus solis, sed de hominibus anima & corpore cōstantibus sermo erat. Vnde & vniuersalis iudicij multo sæpius mentionem habemus in scripturis, quam particularis; quòd nimirum de iudicio quo iudicabuntur homines, agant scripturæ. Deinde quia solet apostolus de se & alijs viuentibus sic loqui, tanquam aduentus Domini ad iudicium, ipsos viuentes esset occupaturus. Vnde dicit cap. 15 huius epistolæ, *Mortui resurgent incorrupti: & nos*, id est qui viuentes reperiemur, *immutabimur*. & 1 Thess. 4 semel & iterum, *Nos qui viuimus, qui residui sumus*, &c. Sic igitur & hoc loco de doctoribus Corinthiorum loquitur, quasi viuentes eos deprehensurus esset dies Domini. Quare consequenter non de purgatorio animarum, sed de igne illius diei omnium opera probaturo, loquendum illi fuit.

Quarta quæstio. Si de solis doctoribus, vti dictum est, loquitur apostolus, quomodo generaliter hinc statuitur purgatorium omnium qui peccatis obnoxij in gratia decesserint? Sed facilis est responsio; de cæteris hominibus eādem esse rationem quam de doctoribus. Sicut enim doctores fundamento superædificant doctrinam; ita cæteri fideles in seipsis quodammodo superædificant bonas aut malas actiones, igne similiter explorandas.

Quinta quæstio. Quomodo rectè distinguat apostolus inter ędificantes super fundamentum Christum; quòd alij superædificent aurum, argentum, lapides pretiosos: alij ligna, fœnum, stipulam; cum sit omnibus bonis doctoribus commune, bonam doctrinam superaddere fundamento fidei; ac nihilominus interdum per ignorantiam vel humanum affectum docendo delinquere: dicente Iacobo cum ageret de magistris c. 3, *In multis offendimus omnes*. Propter quod & generaliter dictum est à Petro 1 epistolæ 4, *Iustus vix saluabitur*. Vnde vt exacta fit distinctio, redeundum videbitur ad commentarium Græcorum, qui putant apostolum distinguere inter bonos & malos Christianos. Dicendum, apostoli intentionem esse, non tam personas distinguere quam opera. Dicit enim vniuscuiusque opus manifestum fore; &, vniuscuiusque opus quale sit, igne probandum. Ex consequenti tamen etiam personas, id est operantes distinguit, loquendo de operantibus formaliter, id est quoad talia opera, seu talem doctrinam, quæ vel auro, vel argento, vel fœno possit comparari. Quare per accidens in vno eodemque operāte futurum est, vt aliud

opus

Quomodo probetur ex hoc loco purgatorium animarum.

Ex generali iudicio relinquitur intelligēdū particulare.

Quæstio.

Resp̄ōsio.

Aliaquæstio.

Resp̄ōsio.

Quæstio de ædificantibus super fundamentū Christum

Paulus distinguit opera, & ex consequenti personas.

opus eius maneat, & aliud ardeat; ſicq; idem ipſe pro vno mercedem accipiat, alterius verò detrimentum patiatur, ſaluandus per ignē, ſi non antea plenè fuerit purgatus. Quod idem de cæteris bonis fidelibus, eorumque operibus, intelligendum. Quod ſi tamen perſonas abſolutè diſtingui quis contēdat (quod non eſt improbabile:) poterunt per eos qui ſuperædificant aurum, argētum, lapides precioſos, intelligi doctores ac prędicatores verbi diuini, quibus omne ſtudium eſt pura ſolidaque doctrina, & bonis vitæ exemplis, ædificare populum Dei; per eos verò qui ſuperædificant ligna, fœnum, ſtipulam, ij qui ſuæ doctrinæ multa admiſcent incerta, curioſa, vana, friuola, iucunda magis quàm vtilia in multis placere magis quàm prodeſſe volentes, nec admodum intenti in hoc vt ſanctæ conuerſationis exemplo bonam doctrinam confirment. Iam ſi ad cæteros quoque bonos fideles cum Auguſtino Pauli doctrinam extendamus; tum ex eiuſdem Auguſtini ſententia per eos qui res precioſas ſuperædificant, intelligi poterunt homines ſecundum modum huius vitæ perfectam iuſticiam aſſecuti: quorum animus non ita rebus terrenis atque temporalibus afficitur, quin ſine dolore poſſint eas amittere; qui ſunt habentes tanquam non habentes. Per eos verò qui vilem materiam ſuperædificant, homines iuxta præſentis vitę modum imperfectè iuſti, quorum animus adhuc affixus eſt rebus huius mundi, vt non eas ſine dolore relinquant aut amittant: quo fit vt in plurimis delinquant. Vnde quāuis nec illi priores propter minuta peccata, ſine quibus nec perfectorum vita ducitur, omnino liberi ſint à purgatione ignis; hos tamē poſteriores ignis ille multo acrius ac diutius aduret: quia quaſi multo tenacius hæret, quod habent expurgandum. Hoc fere modo perſonarum ſuperædificantium differentiam explicat S. Thomas, tam de doctoribus propriè, quàm de fidelibus in vniuerſum. Poſtremò quæri poteſt, quomodo ſecūdū prædicta, purgatio futura ſit ipſorum hominum in die generalis iudicij; cum poſt reſurrectionem, omnium electorum corpora futura ſint impaſſibilia. Quidam reſpondent electorum corpora immortalitate donata, fore ad tempus paſſibilia, ſcilicet eorum quibus aliquid reſtabit purgandum. Sed id mihi videtur haud conſentire cum ijs quæ Paulus de corporibus electorum reſurgentium tradit huius epiſtolæ cap. 15. Melius proinde reſpondetur, totam illam purgationem quæ per ignem fiet in conſummatione ſæculi, perficiendam eſſe ante communem reſurrectionem. Quod tamen tempus, ſecundum ſcripturas, comprehenſum intelligi debet ſub generali nomine illius diei, quo creditur ad iudicium venturus Chriſtus Dominus. Et quidem perſeuerabit ignis ille etiam facta mortuorum reſurrectione, & ipſo iudicio durante: quia iudicabitur ſæculum per ignem: ſed ita vt electos à reſurrectione iam impaſſibiles ignis haudquaquam vlla moleſtia ſit affecturus: ſed ſolos reprobos, quos eoſdem peracto iudicio in denſitatem ſe colligens, inuoluet ac ſecum rapiet ad intima terræ æternum cruciandos. Hæc conſentanea ſunt, vt arbitror, teſtimonijs ſcripturæ & patrum ſuperius adductis de hoc igne. Quare nec purgatio fiet vlla per ignem poſt reſurrectionem: ſed omnis ante illud iudicium perficietur: quemadmodum & Auguſtinus diſertè teſtatur lib. 21 de ciuitate Dei cap. 13 & 16. Verùm de tota hac re nos plura & ex profeſſo ſuper 4 ſent. diſt. 47, vbi de igne conflagrationis eiuſque effectibus diſputatur à theologis. Ad quem locum remittenda ſunt & alia quædam dubia, quæ hic poſſent moueri.

Perſonarum abſoluta diſtinctio.

Purgatio in die iudicij futura, quomodo intelligēda.

Omnis purgatio fiet ante generalē reſurrectionem.

16 NESCITIS QVIA TEMPLVM DEI ESTIS; ET SPIRITVS DEI HABITAT IN VOBIS? Poſtquam egit apoſtolus de ædificantibus ſuper fundamentum quod eſt Chriſtus; nunc inſurgit aduerſum malos doctores, qui fundamentum euertunt & ædificium deſtruunt. Facit autem id obliquè, ipſos fideles qui templum Dei ſunt alloquendo. Neſcitis, inquit, vos eſſe templum Dei, & ſpiritum Dei habitare in vobis? Quos ſuprà vocauit ædificium Dei; nunc vocat templum Dei, ratione addita quia ſpiritus Dei in eis habitaret. Nam copulans coniunctio pro cauſali ponitur, vt alibi ſæpe. Dicitur autem in nobis habitare Spiritus-ſanctus, quando gratam ſibi in nobis facit manſionem: quod fit per eius dona gratificantia, fidem, ſpem, charitatem, opera bona. Clarè monſtrat hic locus contra Macedonianos, Spiritum-ſanctum eſſe Deum: tum quia poſterior pars expoſitio prioris eſt; tum quia ſolius Dei inhabitatio templum Dei facit. Quo argumento ad id probandum vtitur Auguſtinus lib. 3 contra Maximinum cap. 21. Illud etiam obſerua, Paulum hic non alloqui ſingulos fideles: tanquam vnuſquiſque ſcire debeat ſe eſſe templum Dei. Sic enim potius dicendum erat; neſcitis quia templa Dei eſtis? Sed compellat eccleſiam fidelium; quam omnes ſcimus ac ſcire debemus eſſe templū Dei: licet non omnia eius membra ſic viuant, vt templa Dei vocari poſſint.

Fideles templum Dei cur vocentur.

Quid Spiritū-ſanctum in nobis habitare.

Spiritus-ſanctus Deus.

17 SI QVIS AVTEM TEMPLVM DEI VIOLAVERIT, DISPERDET ILLVM DEVS. Particulam *autem* interpres addidiſſe videtur de ſuo. Nam in Græco & Syriaco nihil reſpondet. Cæterùm in Græco verbum idem repetitur, non ſine gratia alluſionis, φθείρει, φθερεῖ. *Si quis templum Dei corrumpit, corrumpet illum Deus. Quod verbum* (ait Auguſtinus ſcribens contra epiſtolam fundamenti cap. 39) *metuētes multi Latini interpretes, noluerunt dicere, corrumpet; ſed, diſperdet illum Deus: & non deuiantes à reipſa, offenſionem vocabuli deuitarunt.* Attamen & alibi legit Auguſtinus *corrumpet*, vt lib. 3 de libero arbitrio cap. 14, & lib. de decem chordis cap. 10. Sic & Hieronymus hūc locum citat in commentario epiſtolæ ad

Ephes. 4, & in epist. 83, quæ est ad Oceanum. Tertullianus quoque, eodem verbo retento, sic reddit: *Si quis templum Dei viciauerit, viciabit illum Deus.* lib. de pudicitia c. 16 & 18, & lib. 5 contra Marcionem cap. 6. Quidam vertunt; *Si quis templum Dei profanat.* Sed hoc verbo non plenè exprimitur mens apostoli. *Cõminatio aduersus falsos doctores.* Nam sensus est: Si quis per falsam doctrinam subuertit fundamentum spiritualis ædificij, atque ita destruit ipsum ædificium seu templum Dei: is non existimet se saluum fore per ignem, sed planè peritúrum. Disperdet enim illum Deus: quia nimirum æterno ignis supplicio destructorem illum sui templi puniet. Græci locum hunc exponunt de eo qui templum Dei, id est corpus suum corruptelis libidinum prostituendo profanat. Iuxta quem sensum, infrà cap. 6 contra fornicatores in corpus suum peccantes, dicit, *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus-sancti, qui in vobis est?* Sic & Augustinus intellexit ob alterius loci similitudinem. Sed huiusmodi intellectus præsenti loco non est accommodus.

TEMPLVM ENIM DEI SANCTVM EST, QVOD ESTIS VOS. Ratio sententiæ superioris. ac si dicat: Sacrilegium committit ille templi Dei violator; vtpote rem sanctam, id est Deo consecratam corrumpens; ideoque dignus quem Deus vltor iniuriæ templi sui disperdat. Græcè quidem habetur, *qui estis vos*. Sed idiotismus est, sensum non mutans. Vnde & alij vertunt, *quod estis vos*. Hoc autem addit apostolus, vt explicet metaphoram templi: simul innuens argumentum à minori, videlicet sumptum à sanctitate templi materialis; cuius violatio capitalis est.

18 NEMO SE SEDVCAT. Græcè, *Ne quis seipsum decipiat*. Quidam codices etiam antiquiores, habent: *Nemo vos seducat*. Sic enim & Thomas legit & exponit. Verum doctè Liranus annotat ex Græco & Latinis emendatioribus legendum esse, *Nemo se seducat*. Mutandæ lectionis occasio fuit ex alijs aliquot locis, vt Ephes. 5, Col. 2, 1 Ioan. 3. Loquitur autem apostolus de ijs qui cum essent imbuti sapiẽtia sæculari, magistros fidelium sese venditabant; quorum quidam, vt dictum est, boni erant, sed imperfectè; quia super fundamentum apostolicum ædificabant ligna, fœnum, stipulam: alij verò simpliciter mali; quos vt templi Dei corruptores proximè notauerat. Igitur de vtrisque dicit; nemo seipsum fallat, confidens ac sibi placens in sua sapientia; quasi non sit passurus ea quæ dixi, si vel inutilia doceat vel pernicioſa. Sensum hunc verba sequentia confirmant.

SI QVIS VIDETVR INTER VOS SAPIENS ESSE IN HOC SÆCVLO. Interpres ordinem verborum mutauit, vt sensum redderet clariorem. Nam Græcè est, *Si quis videtur sapiens esse inter vos in hoc sæculo*. Quanquam illud εἴ τις δοκεῖ σοφὸς εἶναι, potest etiam sic verti: *Si quis sibi videtur sapiens esse*, quomodo Erasmus & alij verterunt. vel, *si quis se putat sapientem esse*: quomodo noster interpres Græcum verbum alibi reddit, vt Luc. 8, *Quod putat se habere, auferetur ab illo.* & Iac. 1, *Si quis putat se religiosum esse.* & huius epistolæ cap. 8, *Si quis se existimat scire aliquid*. Tale & illud capitis septimi, *Puto quod & ego spiritum Dei habeam*.

STVLTVS FIAT VT SIT SAPIENS. In Græco idem verbum repetitur, γενέσθω, γένηται. Proinde conformiter ita vertas, *Stultus sit, vt sit sapiens.* vel potius, *Stultus fiat, vt fiat sapiens.* Sensus enim periodi est: Si quis inter vos reputatur vt sapiens huius sæculi, aut seipsum reputat talem; id est, sapientia sæculari instructum, qua videatur idoneus ad docendum alios; *stultus fiat*, id est doctrinæ Christianæ, quæ stultitia est incredulis, vt primo capite dictum est, penitus se subijciat, & intellectum suum in obsequium fidei captiuet. ita futurum vt verè & secundum Deum sapiens fiat. Beatus quidem Cyprianus lib. de bono patientiæ, & lib. 3 testimoniorum cap. 69, illud *in hoc sæculo* refert ad sequentia. Sic enim legit: *Si quis putat sapientem se esse in vobis, mundo huic stultus fiat, vt fiat sapiens.* Sed melius ad præcedentia refertur. Vult enim apostolus intelligi sapientiam huius sæculi, quam contemsit 1 & 2 capit. & hic rursus contemnit verbis sequentibus. *Sapiens huius sæculi stultus fiat vt fiat sapiẽs*

19 SAPIENTIA ENIM HVIVS MVNDI STVLTITIA EST APVD DEVM. Causa, cur sibi non debeat quisquam placere in sapientia sæculari; quia nimirum hæc sapientia, apud Deum stulticia est, id est res cõtemptibilis ac reproba; tum quia Deus adminiculo sapientiæ sæcularis vti non est dignatus in propagando euangelio; tum quia tota sapientia humana per se nihil confert ad negocium salutis. Simili sensu dictum est cap. 1, *Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* *Huius mũdi sapientia apud Deũ stulticia est.*

SCRIPTVM EST ENIM. Quod dixit sapientiam mundi huius esse stulticiam apud Deũ, duobus testimonijs confirmat, quorum prius sumptum est ex libro Iob cap. 5.

COMPREHENDAM SAPIENTES IN ASTVTIA EORVM. *Comprehendam*, Græcè ὁ δλεγσόμενος *comprehendens*, siue *qui comprehendit*: Hieronymus ex Hebræo, *qui apprehendit.* pro quo LXX. ὁ καταλαμβάνων, *qui comprehendit.* Apud Cyprianum locis citatis legitur, *reprehendam* (aliter, *reprehendens*) item apud Ambros. commentatorem & Sedulium: nec malè si verbũ hoc propriè sumas. Nam δράσσεσθαι (quod annotat Erasmus) est *fugientem è cursu reprehendere, manuq; iniecta capere*. tametsi id Hebræa voce non significatur. Sensus apostoli: Deus deprehendit, detegit, eludit omnem astutiam ac versutiam sapientum huius sæculi. Sapientiam eorum stulticiæ cõuincit: dum scilicet ostendit eiusmodi sapientiam non posse præstare id quod promittit; hoc est, nihil prodesse ad bene beateque viuendum. Quidam sic: Capiet eos suis ipsorum

rum vafris consilijs tanquam laqueis: quomodo capti fuerunt fratres Ioseph, pontifices Iudæorum, & ipse diabolus: qui suis cõsilijs promouerunt id quod volebant impedire. Sed prior sensus magis seruit intentioni Paulinæ.

Testimonium à Paulo citatum nõ est scriptura sacra.

Porrò sunt quidem hæc verba quæ Paulus citat, non ipsius Iob, sed Eliphaz amici eius; & proinde non habentia scripturæ diuinæ authoritatem: Rectè tamen ab apostolo pro testimonio adducuntur; vtpote verba cuiusdam sapientis, cui meritò credendum sit, disserenti contra sapientiam huius sæculi.

20 ET ITERVM. Subaudi, scriptum est. Sumptum hoc ex psal. 93.

DOMINVS NOVIT COGITATIONES SAPIENTIVM, QVONIAM VANÆ SVNT. *Quoniam*, pro *quòd*. Et sensus est: Dominus nouit cogitationes & consilia hominum qui sibi sapientes esse videntur, vana esse, & inutilia ad finem quem spectant, id est ad vitam beatam. Omnes enim sapientes beatitudinem promittũt. In psalmo non est *sapientium*, sed *hominum*. Verùm apostolus versiculum psalmi suo accommodans instituto, generale vocabulum hominum, restrinxit ad sapientes. Quanquam in psalmo non omnes homines significantur, sed ij tantum qui humana sapiunt.

21 NEMO ITAQVE GLORIETVR IN HOMINIBVS. Epilogus est, quo redit ad primam propositionem: non esse in magistris gloriandum. Generaliter autem dicit, *in hominibus*: quia si in magistris gloriandum non est; vtique nec in cæteris hominibus: argumento à maiori. Tacitè verò significat Corinthiorum quosdam in magistris gloriatos fuisse, propter eorum sapientiam sæcularem, qua fuerant inaniter delectati. Nam de hac sapientia proximè egerat. Simul insinuat, inter illos magistros fuisse non solum qui saluo euangelij fundamento docerent inutilia: verùm etiam nonnullos qui fundamentum ipsum per humanæ sapientiæ doctrinam euerterent. ac si dicat: Cum tanta sit vanitas humanæ mundanæque sapientiæ: indignum est, vt in hominibus istam sapientiam tradentibus, tanquam magistris vestris, gloriemini, vosque iactetis eorum discipulos: quando nec in vllo homine gloriandum est, quicumque ille sit aut qualiscumque; siue Paulus, siue Apollo, siue Petrus, vt statim subijcit. Huius autem rei generalem subiungit rationem, qua nimirum doceat nec in illis gloriandum esse. Quæ ratio sumpta est, ait Thomas, *ex dignitate fidelium Christi.*

Non esse gloriandũ in hominibus.

22 OMNIA ENIM VESTRA SVNT. Hoc est, omnia propter vos sunt, & ad vestram ordinantur vtilitatem. Nullus autem rectè gloriatur de ijs quæ sunt propter ipsum; quòniam hac ratione inferiora sunt ipso. Propter vos autem, intellige electos. Horum enim gratiâ sunt omnia. Quæ verò dixerit *omnia*, deinceps enumerando declarat.

Omnia propter electos.

SIVE PAVLVS, SIVE APOLLO, SIVE CEPHAS. Primùm nominat ministros euangelij, atque eo ordine quo nominauerat eos capite primo. Cuius ordinis rationem illic exposuimus. *Siue Paulus*, inquit, qui plantauit: *siue Apollo*, qui rigauit: *siue Cephas*, id est Petrus, quamuis apostolorum princeps, &, vt ait Thomas, *vniuersalis pastor ouium Christi*. Nam hi non aliud sunt quam *ministri per quos credidistis*, vti suprà dixit; & paulo pòst repetit, dicens: *Sic nos existimet homo vt ministros Christi*. Nec solùm Christi sunt ministri, sed & ipsorum fidelium, quatenus ipsorum ministerium subseruit fidelium vtilitati. Sic enim ait 2 Cor. 4. *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum: nos autem seruos vestros per Iesum.*

Apostoli fidelium ministri.

SIVE MVNDVS. Id est vniuersa corporea creatura, quæ sine dubio propter electos est. Tale quid etiam legitur in apocrypho libro qui inscribitur quartus Esdræ cap. 9. Verba sunt: *Inquire quomodo iusti saluabuntur, quorum sæculum: & propter quos sæculum*, id est mundus.

SIVE VITA, SIVE MORS. Chrysostomus & Theophylactus subaudiunt, nostra, hoc est, eorum qui vobis ministrauimus euangelium: nempe secundum id quod alibi Paulus dicit, *Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur*. 2 Tim. 2. Quam rem latius etiam exsequitur capite sequenti. Quanquam & verum est iuxta aliorum expositionem, vnicuique electo suam vitam & mortem vtilem esse ad salutem. Quod hoc loco bene declarat Aquinas. Hinc & de se Paulus ait, *Mihi viuere Christus est; & mori, lucrum*, Philip. 1.

SIVE PRÆSENTIA, SIVE FVTVRA. *Præsentia*, Græcè ἐνεστῶτα, quod Rom. 8 vertit *instantia*. Possunt hîc intelligi præsentia & futura mala ministrorum euangelij; id est afflictiones, persecutiones & pericula, quæ vel sustinent, vel in horas exspectant. tametsi & hoc generaliter intellectum de prosperis & aduersis, tam proprijs quàm alienis, veritatem habet; sicut & illud Rom. 8, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sunt sancti.*

OMNIA ENIM VESTRA SVNT. *Enim* hoc loco non additur in Græco, nec in textu Amb. & officit sensui. Nam repetitio est & confirmatio generalis sententiæ; quasi dicat: Omnia, inquam, vestra sunt; vti iam per partes ostendi.

23 VOS AVTEM CHRISTI. Nimirum vt capitis ac Domini vestri: non solum quâ Deus est, sed etiam quatenus homo; secundum quam naturam vos morte sua redemit. Nam seruus id quod est, domini est. Quod posterius propriè Paulum hoc loco putamus attendisse: quemadmodum in eo quod ait Rom. decimo-quarto, *Siue viuimus, siue mo-*

Fideles sunt Christi & hominis & Dei.

rimur, Domini sumus. Et ad eandem naturam referendum quod sequitur.

CHRISTVS AVTEM DEI. Nam Christus vt homo subiectus est Deo, imò seruus Dei. Similis locus infrà capite vndecimo, *Omnis viri caput Christus est: caput verò Christi Deus.* & capite 15, *Tunc & ipse filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus*. Atque hoc est quod concludendum hic relinquit apostolus; in solo Deo, ad quem vt finem omnia alia reducuntur, etiam Christus ipse quatenus homo; gloriandum esse. Græci ita supplent: Christus autem Dei filius. Qui sermo etsi verissimus sit, non tamen explicat quod hic intendit apostolus.

In solo Deo gloriandum.

SVMMARIVM.

DOcet quo loco habendi sint prædicatores euangelij: nec esse iudicandos ante tempus, sed Domini iudicium exspectandum. Reprehendit eos qui de acceptis donis gloriabantur, ac si illa à seipsis haberent. Apostolorum sortem humilem & laboriosam cum aliorum magistrorum conditione comparat. Paternum erga Corinthios amorem declarat: quibus & suum aduentum promittit.

CAPVT IIII.

1 SIC NOS EXISTIMET HOMO VT MINISTROS CHRISTI. Prosequitur apostolus id quod egit in superioribus, præsertim cap. 1 & 3, non esse gloriandum in magistris, nec alios præ alijs efferendos. Huc enim spectat quod statim initio docet, quo loco sint à fidelibus habendi magistri seu doctores ipsorum, tam apostoli quam alij; ne videlicet aut pluris, aut etiam minoris eos faciant quam oporteat: quin potius ab ijs iudicandis abstineant, eorum fideli ministerio contenti. Id verò agit vsque ad eum locum, *Quis enim te discernit?* Iam antè quidem attigit hãc rem, vbi dixit: *Quid igitur est Apollo, quid verò Paulus? Ministri eius cui credidistis*. Sed nunc repetit vt amplius declaret. Dicit ergo: Quisque nos apostolos cæterosque euangelij prædicatores existimet ac reputet quales reuera sumus, nimirum vt Christi ministros: vt dum ministros nos cogitant, non nimium extollãt, dum Christi, non contemnant.

Prædicatores euãgelij quo loco habendi.

ET DISPENSATORES MYSTERIORVM DEI. Malè quidam codices *ministeriorum*. Nam Græcè est μυστηρίων. Mysteria quidam interpretantur sacramenta nouę legis, id est sensibilia signa ad sanctificationem nostrã à Christo Domino instituta: quorum primum est baptismus. Sed cum ipse Paulus dixerit 1 capite, *Non misit me Christus baptizare sed euangelizare*: rectius est vt mysteria Dei intelligantur fidei nostræ dogmata à Deo reuelata. Quæ quidem mysteria dicuntur, quia secreta sunt, vt absque Dei reuelatione cognosci nequeãt. Ea mysteria sunt incarnationis, passionis & resurrectionis Christi, redemptionis nostræ, vocationis gentium: & cętera quę complectitur euangelica doctrina. Nec tamen ab his mysterijs sacramenta nouæ legis separamus: sed pariter sub ijs, vt signa corporalia gratiæ spiritualis efficacia comprehendimus. Quorum proinde dispensatio ad eosdẽ Christi ministros pertinet. Rursus autem in eo quod dicit, *dispensatores mysteriorum Dei*, duo cogitanda significat: quod dispensatores, ne nimium extollantur: (nam dispensator alienæ rei minister est) & quod mysteriorum Dei, ne contemnantur. Est autem dispensatoris, vt quibus & quomodo & quantum opus est eroget ac distribuat. Hinc Paulus sapientiam loquebatur inter perfectos: non apud animales, qui non percipiebant ea quæ sunt spiritus Dei. suprà cap. 2.

Mysteria Dei quænam intelligãtur

Dispensator quis, & quod eius officium.

2 HIC IAM QVÆRITVR INTER DISPENSATORES. Græcè, ὧδε λοιπὸν, ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις. *Quod autem reliquum, quæritur in dispensatoribus:* licet nonnulli codices, Oecumenio teste, habeant ζητεῖτε *quærite*: quod minus probum existimo. Vulgatus interpres legisse videtur ὧδε *hic*. Cęterum, inquit, id quod in dispensatoribus potissimum requiritur, quęque præcipua virtus œconomi est, id nimirum est quod sequitur.

VT FIDELIS QVIS INVENIATVR. Ordo: vt quis inueniatur fidelis, id est, vt aliquis inueniatur qui sit fidelis: nimirum vt liter agens Domini sui negocium: rem Domini tractans non vt suam, sed suæ fidei commissam: nec suam sed Domini sui gloriam ex sua administratione quęrens. Spectatur quidem etiam industria in dispensatore: sed primum quod quęritur, est fides. Vnde Dominus Lucæ 12, *Quis putas est fidelis dispensator & prudens?*

Dispensatoris fidelis descriptio.

3 MIHI AVTEM PRO MINIMO EST, VT A VOBIS IVDICER. *Pro minimo*, Græcè εἰς ἐλάχιστον *ad minimum*. Pro quo passim Augustinus, omissa prępositione, legit *minimum*: quemadmodum & Ambrosiastrum legisse indicat eius commentarius. *Iudicer*, Græcè ἀνακριθῶ, *dijudicer* Significatur enim comparatio cum alijs. Cum, inquit, talis esse debeat dispensator; iamque dixerim, nos doctores vestros, esse mysteriorum Dei dispensatores: nolo tamen vos esse iudices nostros, vt dicatis quis nostrum melius aut peius, quisve sincerè aut minus sincerè ea mysteria vobis dispenset. Nam, ad me quidem quod attinet, qui nullius malæ fidei mihi conscius sum: parui facio tamen si à vobis iudicer aut melior alijs aut deterior, in hoc euangelicæ dispensationis officio. Particulam illam *pro minimo est*, Græcè, εἰς ἐλάχιστόν ἐστιν, *ad minimum est*, Hentenius Oecumenij interpres ad mentem sui authoris ita reddit, *indignissimum videtur*. In quem sensum etiam Chrysostomus accepit. Sic enim Paulum refert loquentem: *Indignum*

Magistri à discipulis non iudicandi.

iudico meipsum à vobis iudicari. Deinde subiungit: *Nemo autem arrogantiæ arguat Paulum, si nullum hominem dicat esse dignum, qui de eo ferat sententiam* &c. Verùm prior sensus, quem omnes ferè tradunt, germanior videtur: estq; minus obnoxius offensioni.

Quid Paulo humanus dies.

AVT AB HVMANO DIE. Humanum diem B. Hieronymus in epistola ad Algasiam qu. 10 interpretatur humanum iudicium; quomodo dies Domini pro iudicio Dei frequenter accipitur: vt sit sensus: Atque omnino non moror hominum de me iudicia. Nam (vt paulo pòst dicit) *Qui iudicat me, Dominus est.* Sermo plane similis apud Ieremiam cap. 17 sic loquentem Deo; *Laus mea tu es; & diem hominis non desideraui*, id est, In iudicio tuo inueniar laudabilis: hominum iudicia quibus me laudent, non ambio. Ex quibus etiam apparet phrasim hanc qua dies pro iudicio sumitur, non esse Paulo Tarsensi homini, ratione patriæ peculiarem, vt suspicatur Hieronymus: sed Hebræis olim vsitatã. Ratio phraseos esse videtur, quia reis dies dici soleat ad sistendum se iudicio. Rem verò clarè explicant Chrysostomus & Oecumenius, dum sic interpretantur: *Nec à quouis alio*, scilicet homine. & Syrus alio Hebraismo, *aut ab vllo filio hominis*. Erasmus autem non dubitauit transferre: *aut ab humano iudicio*. Alij quidem aliter humanum diem interpretati sunt; vt Ambrosiaster, leges mundo creditas; Theodoritus, humanæ vitæ breuitatem; Theophylactus, hominem quempiam celebrem & præclarum. Sed quod ex Hieronymo dictum est, maximè placet. Illud adijcio, propter sectarios qui suam doctrinam subtrahunt omni iudicio humanæ potestatis, idque se facere dicunt exemplo Pauli, qui pro minimo ducit humanum iudicium: hoc loco non agi de iudicio publicæ potestatis; nec id quæri, num Paulus habuerit in terris aliquem superiorem à quo iudicari posset de his quæ docebat: sed tantum agi de iudicio cuiusque priuato; siue in bonum, de quo propheta Ieremias; siue in malum, de quo Dominus Matth. 7, *Nolite iudicare, vt non iudicemini.*

Admonitio contra sectarios.

Paulus seipsum non iudicat.

SED NEQVE MEIPSVM IVDICO. Rursus Græcè ἀνακρίνω, *dijudico*. Sensus: Imò nec ipse quidem de me certum fero iudicium, quàm rectè, sincerè, & integrè coram Deo versor in dispensatione mihi credita, vt cum alijs me conferre possim; qui tamen ipse mihi notior sum quam vobis, aut cuiquàm alteri mortalium. Cum hoc apostoli dicto cur non pugnet, quod infrà cap. 11 præcipit vt nos ipsos dijudicemus; ex eius loci interpretatione patebit. At verò nec illud pugnat quod alibi suam coram Deo sinceritatem in ministrando euangelio commendat & prædicat: vt in secunda ad Corinthios epistola per aliquot capita. Scribit enim illis locis quod animo sentiebat, non quod planissimè certum habebat; id est, ea certitudine cui falsum subesse nequeat. Vnde & hîc, obiectionem eiusmodi præoccupans, subiungit.

4 NIHIL ENIM MIHI CONSCIVS SVM: SED NON IN HOC IVSTIFICATVS SVM. *Mihi*, Græcè ἐμαυτῷ *mihi-ipsi*. Dicere quis poterat; quid causæ est cur teipsum non iudices: quum optimè tibi sis conscius quod ex fide rem Domini dispenses? Respondet apostolus: Nullius quidem infidelitatis in mea dispensatione, mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. Id est; conscientia me non accusans non certò me iustum arguit ac immunem à culpa malefidæ dispensationis: quippe qui mihi-ipsi non penitus ac perfectè cognitus sim. Nam *delicta quis intelligit?* psalmo 18. & ideo meipsum non iudico. Rectè hoc Pauli testimonio catholici scriptores vtuntur ad destruendam nouiciam fidem hæreticorum, quam specialem vocant: id est eam persuasionem qua quisque fidelis certò statuat se iustificatum esse. Rectè, inquam; quando nec ipse Paulus id certò de se potuerit affirmare. Neque enim ille tantum negat hanc sequelam, Nihil mihi conscius sum, ergo scio me iustum: sed dicit se, quantumuis nihil sibi malè conscium, non tamen iudicare nec pronunciare se iustum; eo quod occultæ sint cordium nostrorum latebræ, etiam nobis-ipsis; quemadmodum sequentia declarant. Certè si sciebat Paulus ea certitudine cui falsum subesse non potest, se iustum esse; poterat ergo iudicare seipsum, dicendo: Iustus sum. Atqui id ipse diserte negat, dicens, *Neque me-ipsum iudico*. Quare quòd pro solutione Caluinus adfert, eam certitudinem non ex operibus haberi, ideoque Paulum dixisse, *nihil mihi conscius sum*: sed ex promissione gratuita misericordiæ Dei quæ nobis offertur in Christo: futile est, & ad labefactandum catholicorum argumentum prorsus nihil facit. Nam siue ex operibus siue ex promissione certus fuerit Paulus se esse iustum; dicere potuit, Me-ipsum iudico. Atqui dicere hoc non potuit; igitur ne quidem ex promissione de sua iusticia certus erat. Nec verò aliter hûc apostoli locum intellexerunt orthodoxi commentatores tam Græci quàm Latini. Nec aliter Augustinus: vt ea probant quæ ex illo Beda descripsit in collectaneis. Hinc & Bernardus in sermone de conuersione ad clericos, cap. 16, testatur apostolum etsi nihil sibi conscium, tamè propter humani cordis abyssum, iudicantis sese Domini sententiam magnopere formidasse: de qua sequitur.

Fides specialis ex hoc loco destruitur.

Vanum Caluini effugium.

QVI AVTEM IVDICAT ME, DOMINVS EST. Et hic Græcè ἀνακρίνει, *dijudicat*. Christi, inquit, iudicio, qui Dominus est omnium nostrum, reseruandus sum; non à vobis conseruis iudicandus. Illius iudicium certissimum est: vestrum incertum & fallax.

5 ITAQVE NOLITE ANTE TEMPVS IVDICARE. Græcè, *Itaque ne ante tempus quicquam iudicate*. Et ita legit Augustinus tractatu 90 super Ioannem; quo loco pulcrè differit de proximis non iudicandis. Concludit apostolus

Occulta & incerta nobis non iudicanda.

generali præcepto, quę de doctoribus non iudicandis præmisit. Et sensus est: Ne iudicetis quicquam occultorum, & omnino eorũ quæ vobis non satis cognita sunt; velut quis nostrum sit aut non sit fidus Christi minister & euangelij dispensator; quis magis minusve talis. Addit autem *ante tempus*; quia quamdiu non habetur certa rei iudicandę noticia, nondum est tempus iudicandi. Vnde declarando subiungit.

QVO ADVSQVE VENIAT DOMINVS. Id est, donec Christus Dominus venerit ad iudiciũ. Nõ significat nos tunc iudicaturos: sed sensus est, Ne iudicetis ante illud tẽpus, quo veniet omnium iudex Christus, qui omnia occulta reuelabit & iudicabit: vt non sit opus vos iudicare. Postquam enim omnia per iudicem Christum manifestata fuerint; non opus erit vt vos iudicia vestra priuata interponatis: quia iudicium est earum rerum quæ per se non satis patent. Vnde Rom. 14 ex iudicio generali per Christum exercendo, concludit absolutè; *Non ergo amplius inuicem iudicemus*. Igitur *quoadusque* seu *donec* accipitur, vt alibi in scripturis sæpissimè. Denotat enim tempus ad quod vsque futurum sit quippiam, aut non sit; faciendum sit, aut non sit; siue deinceps idipsum continuandum sit siue non. Qua de re Hieronymus & alij exponentes illud Matthæi 1, *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*. Confirmatur hic commentarius ex eo quod subijcit, *Et tunc laus erit vnicuique à Deo*. Non enim dicit, Et tunc poteritis magistros vestros iudicare.

Donec in scripturis quomodo usurpetur

QVI ET ILLVMINABIT ABSCONDITA TENEBRARVM. *Illuminabit*, Græcè φωτισει illustrabit, id est, in lucẽ proferet occultas & quasi in tenebris gestas aut repositas hominum actiones, seu bonas seu malas. Quidam de solis malis actionibus interpretantur, propter nomen tenebrarum, quod in malam partem frequenter accipitur in scripturis, potissimum apud Ioannem in euangelio & prima epistola: Verum idem nomen alibi nudam habet significationem occulti; vt etiam ad bona dicta aut acta referatur. velut Matth. 10, *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*. & Luc. 12, *Quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur*. Atque eo modo tenebras hic accipi multo probabilius est. Opponuntur enim lumini, id est manifestationi, tam bonorum operum quam malorum; de quibus non ante tempus iudicandis, sed diuino iudicio reseruandis apostolus loquitur. Nam & id quod sequitur, vtrique generi commune est.

Tenebrarũ nomine quid hic intelligatur.

ET MANIFESTABIT CONSILIA CORDIVM. Id est, manifestum omnibus faciet, quo consilio, quo fine & intentione, quisque fecerit opera sua, etiam in speciem bona. Vel consilia cordium generaliter intelligit latentes cogitationes animorum.

ET TVNC LAVS ERIT VNICVIQVE A DEO. Apud Oecumenium, neque in textu neque in commentario legitur ἑκάστῳ *vnicuique*, sublatum vt opinor ab aliquo, cui falsus alioqui videbatur apostoli sermo; vnumquemque hominem in illo iudicio laudem à Deo reportaturum. Atqui quod apostolus dicit, tale est: Vnicuique bono & laudem merenti tunc erit laus, non tãtũ apud homines, quomodo multi in hoc sęculo laudantur minimè laudabiles; sed apud Deũ atque ab ipso Deo, dicente: *Euge serue bone & fidelis*, Matth. 25. quę sunt vtique verba laudantis. Est igitur hic distributio quam vocant accommodã, in dictione *vnicuique*. Vel certè nominata laude relinquitur intelligendum vituperium, nempe contrarium ex contrario; sicut illud à quibusdam exponitur Galat. 6, *Et sic in semetipso tantum gloriam habebit & non in alio*. Quanquam prior sensus aptior videtur. Institutum enim apostoli est eos reprimere, qui per contentionem suos magistros laudibus extollebant. ac si dicat: Tunc apparebit quis magistrorũm fuerit honore dignus, aut alijs dignior: de quo nunc contenditis. Nam illud erit tempus distribuẽdi à Deo honoris vnicuique. Id apostolum velle monstrant etiam sequentia.

Vnicuique bono laus à Deo.

HÆC AVTEM ERATRES TRANSFIGVRAVI IN ME ET APOLLO. Quarti casus sunt *me* & *Apollo*. Cessaret ambiguitas si scripsisset interpres *meipsum*. Nam Græcè est ἐμαυτὸν. Hęc, ait, quæ dixi de magistris in quibus gloriamini, alius in alio; schemate quodam transtuli in meipsum & Apollo: hoc est me & Apollo magistros nominaui, quorũ gratia in factiones diuisi fueritis: (intellige etiam Cepham, quem, puto, honoris causa reticet) sed sub his alios volo intelligi humanę sapiẽtię sectatores, in quibus stultè & factiosè gloriati estis; quos, pudori vestro consulens, nominare nolui. Non negat Paulus Corinthios in se & Petro & Apollo fuisse gloriatos; quod ita esse ostẽdimus in expositione 1 capitis: sed transfiguratione vsum se dicit; quia his nominatis, alios magis voluit intelligi. Si enim malũ erat gloriari in veris apostolis Christi: multo minus ferendum, vt gloriarentur in quibusdam huius sæculi sapiẽtibus; minimè verò, vt in pseudapostolis.

Transfiguratiõe quam dicat Paulus.

PROPTER VOS. Id est, instructionis vestræ causa id feci. Pronomen *vos* hoc loco positum comprehendit generatim fideles qui erãt Corinthi, id est tam magistros quàm discipulos: vt patebit ex vero intellectu partis sequentis.

VT IN NOBIS DISCATIS, NE SVPRA QVAM SCRIPTVM EST, VNVS ADVERSVS ALTERVM INFLETVR PRO ALIO. Græca sic habent: *Vt in nobis discatis non suprà quam scriptum est sapere: vt ne vnus pro vno insletur aduersus alterum*. Secundum hanc Græcam lectionem prior sententiæ pars ad magistros pertinet; posterior ad discipulos. Et ad eũ modum Theophylactus exponit; vt sensus totius sententiæ sit huiusmodi: Idcirco personam aliorũ in nos trãstuli, vt vos magistri in nobis apostolis, qui profitemur nos non aliud esse quam ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, velut in exemplari vobis proposito, disceretis nõ

Magistrorum & discipulorum institutio.

sentire

sentire de vobis supra id quod de nobis scripsi; scilicet non aliud nos esse quã Dei ministros, vtilitati fideliũ subseruiẽtes. Et quod ad discipulos attinet; ne alius pro alio, scilicet discipulus pro magistro qualicũque, aduersus alterum, id est alterius magistri discipulum, insolentius glorietur: quando nec nos apostoli patimur discipulos nostros pro nobis aduersus alios gloriari. Est autem posterior pars consequẽs ex priori. Nam superbia magistrorum plerumque excitat factiones discipulorum. Ad hunc sensum, sanè probabilem & perspicuum, facilè est aptare versionem vulgatam: modò suppleas verbum *sapere*, quod in ea nescio qua ratione vel casu prætermissum est; & negationem repetas in secundo membro. Illud *supra quam scriptum est*, quidam referunt ad scripturam Ieremiæ 9, *Non glorietur sapiens in sapientia sua* &c. Alij ad illud ab ipso Paulo scriptum superius cap. 1, *Qui gloriatur in Domino glorietur*. Rursus alij ad illud Christi præceptum Matth. 23, *Ne vocemini magistri: quia magister vester vnus est Christus*. At verò Caietanus refert ad scripturam factam in genere. Vult enim hunc esse sensum: ne magistri sapiant supra id quod traditum est in sacris libris; id est, nè admisceant euangelio sapientiam mundanam: sed contenti sint doctrina sacræ scripturæ; quemadmodum Paulus & alij apostoli docebant. Nobis id maximè probatur, quod primum dixi: quæ etiam S. Thomæ expositio est.

7 QVIS ENIM TE DISCERNIT? Hic iam magistrum alloquitur, sibi placẽtem, seque supra alios efferentem vel doctrinæ, vel eloquentiæ vel sapientiæ nomine. Alloquitur autem vt vnum, cum multi essent: quo magis premat his erotematis. *Quis*, inquit, *te discernit* ab alijs quibus te anteponis? Quis te præstantiorem alijs facit? Id enim, inter alia, Græcum verbum διακρίνειν significat: pro quo minus rectè verterunt alij, *dijudicat*; cum sit diuersum ab eo verbo quod suprà bis tèrve posuit in significatione dijudicandi. Quis, inquam, te discernit, nisi Deus? Hoc enim vtique respondendum apostolus relinquit, vt sequentia declarant. Nec verò alia ratione magis humana iactantia comprimitur, quam si cogitet homo se nihil habere à seipso: sed omne bonum quo alios antecellere videtur, sibi datum à Deo. Quod quidem ex hac apostoli sententia consequens est. Nam quod de vno genere bonorum dicitur homini: *Quis enim te discernit?* idem de omnibus alijs similiter dici verè potest: cum Deus omnium æquè sit author & dator. Rectè proinde S. Augustinus hanc Pauli sententiam vsurpat & inculcat aduersus Pelagianos, vt doceat omne bonum quo quis ab alio discernitur, atque alium præcellit, à Deo dari: ideoque nec gratiam dari secundum merita; neque ex meritis præuisis quenquam à Deo ad vitam prædestinari: sed tam prædestinationem quam gratiam, quæ prædestinationis effectus est, prorsus ac mere gratuitam esse. Vide quæ scribit Augustinus lib. 2 contra duas epistolas Pelagianorum cap. 7, & libro de correptione & gratia capite 7, & epistola 46 ad Valentinum. Iam ex his etiam illi redarguuntur, qui dicunt, æquali dato vel oblato gratiæ auxilio persæpe contingere vt hic agat, ille non agat; aut vt alius alio plus minúsve; vt discretio sit ex libero hominis arbitrio, non ex gratia Dei. Quod apostolicæ doctrinæ contrarium esse non dubitamus.

QVID AVTEM HABES QVOD NON ACCEPISTI? Ne fortè superbus doctor interrogatus, *quis te discernit?* ex aduerso respondeat, Ego me discerno studio, labore, industria mea ab alijs, quibus præsto: secunda hac interrogatione pressiùs eum vrget apostolus dicens: *Quid autem habes quod non accepisti?* scilicet ab alio? nec aliunde quàm à Deo: videlicet attestante Domini præcursore Ioan. 3, *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo*. & Iacobo apostolo capite primo, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum*. Est autem vera Pauli sententia, tam de bonis naturalibus, quam de ijs quæ naturæ terminos excedunt. Nam de naturalibus potissimùm gloriabantur Corinthiorum magistri, hoc loco taxati; velut de eloquentia & sapientia sæculari. Quanquam illud est discrimen inter naturalia & supernaturalia; quod illa quomodocumque sint à Deo, hæc à Deo per Christum. Rursus autem ex hac sententia docent patres, idque certissimo & efficacissimo contra Pelagianos argumento, hominem nihil boni à seipso habere: sed quicquid habet boni, vt virtutes, bona opera, studium, conatum, cooperationem, consensum, motum ac nutum voluntatis, id totum in Deum authorem & largitorem esse referendum: adeò vt affirmare non dubitent, hominem de suo non habere *nisi mendacium & peccatum:* vti definitum est in concilio Arausicano can. 22, verbis desumptis ex Augustino tractatu 5 in Ioannem. Inspice & cæteros eiusdem concilij canones; nominatim sextum & vltimum: in quibus sua decreta patres illi comprobant huius scripturæ testimonio. Frequens est Augustinus in hac scriptura citanda pro confirmatione catholicæ doctrinæ quam dixi. Vide quæ dicit libro 2 de peccatorum meritis & remiss. capite 18, & quæ libro de prædestinatione sanctorum capite tertio, quarto & quinto: vbi inter alia refert ac repetit, beatum Cyprianum dixisse, ac pro titulo posuisse, *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit*; atque vt hoc ostenderet, adhibuisse Paulum dicentem: *Quid autem habes quod non accepisti?* &c. Refert id & alibi; vt libro 4 contra duas epistolas Pelagianorum cap. 9, additque testimonium hoc

Cũ æquali auxilio Dei non contingit hunc agere, illum non agere.

Nil habet homo quod non acceperit

Discrimẽ inter naturalia & supernaturalia.

Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum.

In nullo gloriandũ, quando nostrũ nihil sit.

Hominẽ non discernit nisi Deus: & quo sensu.

Notanda Pauli sententia cõtra Pelagianos.

apostolicum eiusmodi esse, quo vel maximè Pelagianorum ora claudenda sint. Locus autem apud Cyprianum est lib. 3 testimoniorũ ad Quirinum cap. 4. Vide & Prosperum ad excerpta Genuẽsium dubio 4, & contra Collatorem cap. 29, ac præcipuè lib. 1 de vocatione gẽtium, capite vltimo. Verùm his & Chrysostomus accedat, cuius in commentario hæc sunt verba: *Nihil habes domo allatum, sed à Deo acceptum.* Et iterum: *Acceptum habes non hoc aut illud, sed omnia quæ habes. Non enim tua sunt hæc rectè facta, sed Dei gratiæ.* & quæ sequuntur.

SI AVTEM ACCEPISTI; QVID GLORIARIS QVASI NON ACCEPERIS? Græcè, *Si autem & accepisti.* quomodo passim legit Augustinus: tametsi & redundare videtur, vt aliàs interdum apud Paulum. nisi sic intelligas; Quod si etiam tu accepisti, sicut & alij quicquid habent, à Deo acceperunt: quid tu gloriaris ac si non accepisses? Nam primùm falsa gloriatio est, de eo quod acceperis, gloriari quasi non acceperis. Quod si à Deo accepisti, à quo est omne bonum; nihilominus erit falsa gloriatio, ac minus etiam ferenda: si de eo glorieris tanquam à Deo non acceperis. Porrò qui in Deo gloriatur, hoc ipso sese humiliat, Deũ agnoscens boni sui datorem. Itaque talis non se insolenter efferet supra alios, vt faciebant isti contra quos agit apostolus.

In Deo gloriari, humilitas est.

8 IAM SATVRATI ESTIS. Hæc verba cum sequentibus plerique generatim ad Corinthios dicta interpretantur: alij verò speciatim dicta ad eosdem ipsorum magistros, ad quos præcedentia, numero rursus in pluralem mutato. Quorum sententia nobis probatur, cum ob alia, tum propter illud quod infrà dicit; *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo; sed non multos patres.* Et hunc sensum Caietanus prosequitur. Est autem ironicus sermo, quo doctores illos irridet, non solum gloriantes in seipsis & non in Deo, de bonis quæ habebant; verum etiam asscribentes sibi bonorum copiam ac præcellentiam quam nõ habebant. *Iam*, inquit, *saturati estis*, Idest, ad satietatem vsque repleti sapientia ac cęteris donis. Sic enim de se sentiebant.

Ironia apud Paulum.

IAM DIVITES FACTI ESTIS. Seu *ditati estis*, ἐπλουτήσατε: id est, abundantes vsque adeò, vt etiam in alios dona vestra possitis effundere. Contra huiusmodi sua opinione diuites loquitur spiritus in Apoc. c. 3, *Dicis, quod diues sũ & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser & miserabilis & pauper & cæcus & nudus.*

SINE NOBIS REGNATIS. Græcè ἐβασιλεύσατε *regnastis*, pro quo bene Erasmus & alij: *regnum adepti estis.* Nam & B. Pacianus epistola 3 ita legit: *Sine nobis regnare cepistis.* Est autem Hebraismus, in scriptura frequens, vt psal. 92, 96, 98, *Dominus regnauit*, id est regnũ sibi parauit, idque iam possidet. & Apoc. 11, *Accepisti virtutem tuam magnam & regnasti.* vt proinde non aberrarit à sensu Pauli vulgatus interpres, dum vertit in præsenti, *regnatis.*

Regnare quis dicatur ex scriptura.

Quod etiam apud Tertullianum legitur lib. pudicitia cap. 14. Sensus enim est: Iam inter Corinthios, tanquam magistri inter discipulos, velut regnum consecuti, summam dignitatem vobis vendicatis: nobis etiam Christi apostolis (quod indignum est) à societate regni vestri exclusis: me præsertim, qui Corinthios in Christo Iesu per euangelium genui, eoque iure eorum pater sum; quod infrà dicit.

ET VTINAM REGNETIS. Vel, vt multi codices, *regnaretis.* Græcè, *Et vtinam sanè regnassetis*, siue *regnum adepti essetis.* Regnum, inquit, vobis non inuidemus, sed optamus: modò verè regnetis, id est, Corinthios ad eorum salutem regatis ac dirigatis. Nam rex gratia populi est, non contrà.

VT ET NOS VOBISCVM REGNEMVS. Alij codices, *regnaremus.* Hoc dicit, non appetens regimen super fideles; sed quia concors societas apostoli cum illis in regendo populo, futura erat populo maximè salutaris. Perstringit autem magistros, quod soli regere velint, cùm è diuerso Paulus eos non recusset socios; modò regant vt oportet, id est, saluti fidelium studeant, non suæ gloriæ. Potest autem totus hic locus etiam aliter exponi: vt in vocabulo regnandi, securitas & prosperitas exercentis potentiam intelligatur: qualis est regum hostibus deuictis & subactis. quomodo post victoriam Michaelis & angelorum eius pugnantium cum dracone & angelis eius, cælesti voce dictum legitur Apoc. 12, *Nunc facta est salus & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius.* & alia voce Apoc. 19, *Quoniã regnauit Dominus Deus noster omnipotens.* Sic enim & illud accipiendum quod suprà citabam ex eiusdem libri cap. 11, *Quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti.* & quod ibidem præcedit, *Factum est regnũ huius mundi Domini nostri & Christi eius.* Ita breuiter hic erit sensus: Vos securè & feliciter agitis in ista apud Corinthios eminentia, tanquam in regno pacato, quieti à laboribus, & longè positi extra pericula: cum nos interim in extremo contemptu, laboribus & periculis assiduè versemur. Ac vtinam bene & secundum Deũ illo regno vestro vtamini: vt & nos tandem his malis liberati, eiusdem pacifici regni vobiscum simus participes. Huic sensui bene quadrat antithesis sequens.

Alia huius loci expositio.

9 PVTO ENIM QVOD DEVS NOS APOSTOLOS NOVISSIMOS OSTENDIT TANQVAM MORTI DESTINATOS. *Ostendit* præteriti temporis est, ἀπέδειξεν. Hæc quoque verba tanquam ironicè dicta ab apostolo, multi interpretantur: ac si dicat; Tales à vobis habemur ac reputamur, quales nos hic describo; id est, homines abiectissimæ sortis. Sed quia rem ad Deum refert, qui tales eos exhibeat inter homines: melius est vt *affirmatiuè rectaq; sententia*, quẽadmodum Oecumenius loquitur, verba hæc accipiantur; vt sensus sit, Arbitror & ita se res habet; Deum, qui (sicut dictum est cap. 1) stulta & infirma & ignobilia mundi elegit, vt

confun-

confundat ſapientes,& fortes & nobiles; ad propagandum ſuum euangelium, nos, id eſt apoſtolos, vt omnium hominum extremos, & ſecundum ſæculum viliſſimos (tantum abeſt vt regnemus) mundo exhibuiſſe tanquam morti deſtinatos: vt exhiberi ſolent homines ſontes ad publica ſupplicia damnati. In Græco nomen eſt ἐπιθανατίους, id eſt addictos, adijudicatos morti: pro quo Tertullianus libro de pudicitia legit *beſtiarios*, ſpeciem ponens pro genere. Nam beſtiarij Romanis dicebantur, qui cum beſtijs depugnare damnati erant. Huc pertinet illud pſal. 43 ab eodem apoſtolo citatũ Rom. 8, *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Hoc enim maximè in apoſtolos competebat; & quidem ſpecialiter in Paulum, quotidianis periculis expoſitum propter euangelij prædicationem; ſicut ipſe de ſe pluribus commemorat in 2 epiſtola cap 11. Quidam *apoſtolos nouiſſimos*, Græcè ἐσχάτους *vltimos*, interpretantur poſtremos tempore; id eſt, qui poſt aſſcenſionem Chriſti in cælum, acceſſerunt ad numerum apoſtolorum. Hi namque non tanti habebantur. Et id vult Eraſmi verſio: *Nos qui ſumus apoſtoli poſtremi*. Sed obſtat huic intellectui, quod etiam de primis apoſtolis vera ſunt quæ hic dicuntur. Igitur omnes apoſtoli nouiſſimi erant ſenſu prius expoſito. Nam comparationem hoc loco Paulus inſtituit inter ſinceros Chriſti apoſtolos, & iſtos Corinthiorum magiſtros, ſuam ipſorum gloriam & commoda ſectantes; quod ex ſequentibus amplius patebit.

Beſtiarij qui dicãtur.

Apoſtoli nouiſſimi qui dicãtur.

QVIA SPECTACVLVM FACTI SVMVS MVNDO. *Spectaculum* Græcè θέατρον. Hieronymus in epitaphio Paulæ Græcam vocem retinuit, *Theatrum facti ſumus* &c. Vſurpatur autem hic ab apoſtolo pro ea re quæ ſpectandà proponitur. Nam alibi locum ipſum publicis ſpectaculis deputatum ſignificat. Senſus eſt; Velut in ampliſſimo theatro ſpectandi proponimur toti mundo; non ſecus atque damnati ad beſtias, aut ad ludum arenarium, publicis ſpectaculis exhibentur.

ET ANGELIS ET HOMINIBVS. Non hoc addit tanquam angeli & homines ſint à mũdo diuerſi; quod volebat Marcion hæreticus, mundum interpretans Deum mundi, id eſt Deum malum; quemadmodum refert Tertullianus aduerſus eum ſcribens lib. 5 cap. 7. Sed vt bene reſpõdet illi Tertullianus, exponit apoſtolus diuidendo, quod dixerat *mundo*. Nam mundus qui ſpectare poteſt, ſolis conſtat angelis & hominibus. Simul etiam inſinuatur angelos eſſe partem vniuerſi, quem mundum dicimus. Diuiſionem eſſe, ſatis intelligitur ex eo quod in Græco neque angelis neque hominibus articulus præfigitur, ſed ſolum mundo. Porrò tam angelos quam homines plerique malos & bonos intelligunt. Omnes enim ſpectatores ſunt, licet diſpari ſtudio fauoris aut odij; quemadmodum & in humanis ſpectaculis contingit. Non tamen improbabile eſt ad malos tantum referri & homines & angelos. Loquitur enim Paulus, vt dictum eſt, de ſpectaculo, quo apoſtoli velut homines damnati, ludibrijs ſpectantium expoſiti videbantur. Quod patet ex præcedẽtibus æquè & conſequentibus.

Angeli ſunt pars vniuerſi.

10 NOS STVLTI PROPTER CHRISTVM: VOS AVTEM PRVDENTES IN CHRISTO. In hac pericope & duabus ſequẽtibus ironiam ſubeſſe putat Caietanus poſt Oecumenium: eo quod res ſecundum veritatem contrario modo ſeſe habeat. Verum ſi reſpiciamus ad locum cap. 1, vbi ſimilia ſunt antitheta, nulla tamen irriſionis ſpecie: potius videbitur his verbis adhibenda, ſecundum mentem apoſtoli, commoda interpretatio, quam vt ad ironiam recurratur: quum præſertim ea quæ de ſe dicit, ipſe exponat vt verè & ſine antiphraſi dicta, verſu ſequente. Hic autem tam bona quam mala contrarijs appellat nominibus, tum opinione vulgi, tum ob ſimilitudinem vel affinitatem quandam; vt contingit in vicijs & virtutibus. Nam ſenſus eſt: Nos apoſtoli ſtulti ſumus ſecundum ſæculum ac veſtro iudicio: idque propter Chriſtum, cuius euangelij prædicandi cauſa videamur imprudenter ac temerè noſmetipſos obijcere tot periculis & incommodis: Vos autem ſecundum ſæculum ac veſtro iudicio prudentes in Chriſto; quia ſic prædicatis Chriſtum, vt tamen cautè proſpiciatis, ne quas aduerſitates eius cauſa patiamini.

Apoſtoli ſtulti propter Chriſtum quo ſenſu.

NOS INFIRMI, VOS AVTEM FORTES. Nos, inquit, imbecilles ſecundum ſæculum ſumus; quia multa mala patimur nec reſiſtimus: quod eſt infirmitatis. Vos autem fortes ac validi; quia freti eloquentia & ſapientia & amicitia huius ſæculi, mala ſi qua occurrunt, facilè repellitis.

VOS NOBILES, NOS AVTEM IGNOBILES. Græcè, *Vos glorioſi* ſeu *clari*, *nos autem inhonorati*. Neque enim hic eadem vocabula ſunt in Græco quæ cap. 1 verſu 26, *Non multi nobiles.* & verſu 28, *Ignobilia mundi elegit Deus*. Senſus eſt: Vos magno eſtis in precio apud Corinthios propter eloquẽtiam & philoſophiã, quibus animos eorum vobis conciliatis: Nos autem cõtempti, qui talibus ornamentis careamus.

11 VSQVE IN HANC HORAM ET ESVRIMVS ET SITIMVS. Enumeratione eorum quæ apoſtoli patiebantur, declarat illa duo quæ dixerat, ſcilicet eos ignobiles ſeu contemptibiles eſſe, & infirmos. Ex quibus etiam tertium ſequitur, eos ſtultos eſſe propter Chriſtum. Simili malorum congerie ſuam & aliorum fidelium euangelij miniſtrorum conditionem explicat in epiſtola 2 cap. 6. Suam verò ſpeciatim, eiuſdem epiſtolæ cap. 11. Quæ duo loca cum iſto conferenda ſunt, vt eiuſdem argumenti. Senſus huius partis: Quamuis nos vt apoſtoli Chriſti merito deberemus ab omnibus honorari; & ſtipendia percipere ab eis quibus euangelium prædicauimus: tamen ad

Fidelium euangelij miniſtrorum conditio.

hoc vsque tempus inediam patimur, ac tenuissimo cibo contenti viuimus, ne discipulis nostris simus onerosi. Hîc ex antitheſi intelligе de magistris aduersum quos agit, omnia contraria: sicut expressius id ostendit in 2 epistola cap. 11 illis verbis: *Sustinetis enim, si quis in seruitutem vos redigit; si quis deuorat; si quis accipit* &c.

ET NVDI SVMVS. Id est laceri ac pene nudi incedimus, vestibus ad arcenda frigora necessarijs destituti. Sic enim in 2 epist. 11, *In frigore & nuditate.*

ET COLAPHIS CEDIMVR. Græcè vno verbo κολαφιζόμεθα. Significare vult contumelioſam tractationem, maximè quæ fit inflictis verberibus.

ET INSTABILES SVMVS. Id est, *incertis vagamur sedibus*, vt Erasmus vertit; non habemus certum habitandi locum. Id enim significat verbum Græcum ἀστατοῦμεν.

12 ET LABORAMVS OPERANTES MANIBVS NOSTRIS. Græcè, *proprijs manibus*. quod magis emphaticum est. Id Paulum fecisse testatur de eo Lucas Act. 18, & ipse Paulus de se Act. 20. 1 Thess. 2, & 2 Thess. 3. Atque interim hic obliquè taxat Corinthios, qui cum diuites essent, & alios magistros haud sincerè Christum prædicantes lautè alerent, suum apostolum paterētur egere & opere manuum quærere victum.

Paulus manibus laborat.

MALEDICIMVR ET BENEDICIMVS. In hoc membro & duobus sequentibus, loco prioris verbi Græcè participium est passiuum præsentis temporis: quod tamen interpres rectè & concinnè (quamuis improbet Valla) reddidit per verbum addita coniunctione &; præsertim quod Latini ferè careant eiusmodi participio. quanquam Erasmus & alij participia participijs reddiderunt; at sensu prorsus eodem. Illis, inquit, qui maledictis & probris nos impetunt (id enim significat vox Græca λοιδορούμενοι) nos vicissim, iuxta Christi præceptum, Luc. 6, *benedicimus*, id est bene precamur: tantum abest vt maledicta regetamus. Quid in sacris literis significet benedicere, vide plenius explicatum à nobis ad illud Rom. 12, *Benedicite persequentibus vos* &c.

PERSECVTIONEM PATIMVR ET SVSTINEMVS. *Sustinemus* ἀνεχόμεθα, id est patienter & æquo animo ferimus. Non resistimus, nec cogitamus vindictam.

13 BLASPHEMAMVR, ET OBSECRAMVS. Id est, conuicijs affecti benignum ac molle responsum damus; humiliter loquimur obsecrantium more: quo sic vincamus maliciam aduersariorum, secundum illud ipsius apostoli Rom. 12, *Vince in bono malum*. Caietanus obsecrationem interpretatur sacras orationes fusas ad Deum. Sed prior expositio Græcorum est, eaque melior. Nam verbum Græcum παρακαλεῖν significat obsecrare cum adhortatione, quomodo sæpe Paulus in suis epistolis obsecrat eos ad quos scribit. Quæ res studiosè annotata est à Theophylacto. Sic & paulo pòst Corinthios obsecrat eadē Græca voce: *Rogo ergo vos*. Porrò blasphemia generaliter significat conuicium aliquod grāde; non id solum quod fit in Deum, sed etiam quod in homines.

Quid blasphemia.

TANQVAM PVRGAMENTA HVIVS MVNDI FACTI SVMVS. *Huius* non additur in Græco. *Purgamenta*, Græcè περικαθάρματα, dicuntur sordes quæ abstergunturab ea re quam circumcircà mūdamus; vt exponit Theophylactus. Sensus: Reputamur velut sordes, fęces, colluuies, excrementa humani generis: contemptissimi & abiectissimi sumus omnium mortalium, ac digni habiti qui ex hominum consortio procul eijciamur. Rursus idem significat per id quod sequitur.

Purgamenta quæ dicantur.

OMNIVM PERIPSEMA VSQVE ADHVC. Supple ex priori membro: tanquam omnium peripsema facti sumus, &c. *Peripsema* Græcum vocabulum, quod & Tertullianus retinuit, hunc locum citans lib. de pudicitia, sonat abstersionem. De cuius significato multa ex varijs authoribus congerit Erasmus in annotationibus: multa etiam ab alijs dicuntur. Theophylactus putat hoc & superiori vocabulo rem eādem significari; nempe quicquid abradendo vel abstergendo tanquam impurum & inutile, relinquitur pedibus conculcandum: quod alij ramentum, alij reiectamērum vertunt. Oecumenius interpretatur pannum quo laborantibus sudores abstergi solent: ac si dicat Paulus; Omnium sumus penicillus ac spongia, qua suas sordes extergant. In summa, significatur hac & priori parte extrema vilitas & contemptus. Quod autem tam apud verum Ambrosium sermone 8 super psal. 118. quam apud putatiuum in huius loci commentario, legitur *lustramenta*; neutrius Græci vocabuli significatum exprimit. Sunt enim lustramenta purgationes factę per sacrificia. Porrò quod addit apostolus, *vsque adhuc*, repetitio est eius quod antè dixerat, *vsque in hanc horam*.

Peripsema quid significet.

14 NON VT CONFVNDAM VOS HÆC SCRIBO. Hic iam non Corinthiorum magistros, sed Corinthios ipsos alloquitur, qui in talibus magistris gloriabantur, quales suprà depinxit. Grecè est, *Non pudefaciens vos hæc scribo*. Quod tamen rectè vertitur, *Non vt pudefaciam*, seu *rubore suffundam vos, hæc scribo*. Nam confundere quod dixit interpres, in hac significatione minus est Latinum. Sensus: Quæ scribo de nostra vilitate & contemptu, deque magistrorum vestrorum honore & gloria: non scribo vt vos pudore afficiam. Subindicat reuera Corinthijs pudendum fuisse, quod posthabitis & neglectis apostolis, qui tanta patiebantur ipsorum causa, sectarentur glorioſulos quosdam magistros; ac pulcrum sibi ducerent, si eorum discipuli vocarentur.

SED VT FILIOS MEOS CHARISSIMOS MONEO. Quędam Græca νουθετῶν *monens, admonens*: vt respondeat parti præcedenti: *Non pudefaciens vos hæc scribo, sed vt filios meos dilectos*

admo-

admonens. tametsi id sensum non variat. Sed, inquit, hęc scribo, quòvos commoneam (quos vt filios meos paterno affectu diligo) vt sciatis quo loco nos apostolos, & quo vestros illos magistros habere debeatis.

15 NAMSI DECEM MILLIA PÆDAGOGORVM HABEATIS IN CHRISTO, SED NON MVLTOS PATRES. *Decem millia*, Græcè μυρίους: quod quidem propriè decies mille significat, sed pro numero magno & indefinito passim vsurpatur, quomodo sexcenti apud Latinos. Alij vertunt *innumeros*. Videntur autem Corinthij gloriati fuisse etiam in multitudine magistrorum. Igitur quod apostolus dicit, tale est: Illi quos vt magistros suspicitis, vt maximùm pædagogi vestri sunt in Christo, non patres. Non enim vos in Christo genuerunt: sed ab alio genitos susceperunt instituendos; quod est pædagogi, qui ad eam rem plerumque mercede conducitur. Vnde & patris multo vehementior est in filium amor quàm pędagogi. Quare etiamsi innumeros pædagogos in Christo, id est, in doctrina Christi, habeatis; scire tamen debetis vos non multos habere patres.

Multi pædagogi Corinthiorũ, sed vnus pater.

NAM IN CHRISTO IESV PER EVANGELIVM EGO VOS GENVI. Probat quod dixit, *sed non multos patres*. Nam, inquit, ego pater vester sum in Christo, quippe qui vos in Christo genui, hoc est Christianos feci per euangelium à me primo vobis annunciatum. Id superiori capite sub alijs metaphoris dixit; *Ego plantaui, fundamentum posui.* Colligendum autem relinquit se solum esse eorum patrem. Nã pronomen *ego* cum emphasi legendum: ac si dicat; non illi, non alij, sed ego solus. Id verò non exprimit, ne videatur arrogantius loqui.

16 ROGO ERGO VOS. *Rogo*, Græcè παρακαλῶ, quod alij vertunt *adhortor*. Vtrumque rectè. Nam qui adhortantur, etiam rogare solent. Quod in quibusdam codicibus additur *fratres*, quamuis etiam Thomas legat & exponat; adiecticium est. Nec admodum congruit huic loco, vbi se patrem vocauit, & illos filios.

IMITATORES MEI ESTOTE. *Estote*, Græcè γίνεσθε *efficiamini*. Syra versio sic habet: *mei similes fiatis*. Quia dixerat se patrem: meritò monet, vt sui sint imitatores, scilicet vt patris. Decet enim filios imitari patrem. Hoc autem dicit, cõscius sibi suę integritatis: cum è diuerso magistri illi seu pædagogi multa haberent non imitanda. Quos proinde ne imitentur, indirectè suos filios hac cohortatione re ocat.

SICVT ET EGO CHRISTI. Hæc pars on est in Græco nec in Syriaco, nec in emendationibus Latinis. Veteres quoque non agnoscunt. Videtur huc temerè adscripta ex loco simili, id est, ex initio capitis 11 huius epistolæ.

17 IDEO MISI AD VOS TIMOTHEVM. Græcè, *Propter hoc misi vobis Timotheum*; nempe vt ex eo discatis vitæ meæ institutum & conuersationem quam imitemini. Id enim mox explicat. Hinc colligunt quidam per Timotheũ missam esse hanc epistolam: idque habet annotatio Græca ad calcem epistolæ. Sed falsò id colligi, docebimus ad illud capitis vltimi, *Si autem venerit Timotheus*. Sed & hîc indicat se Timotheum iam præmisisse. Non enim dicit mitto, sed *misi*.

An per Timotheũ missa hæc epistola.

QVI EST FILIVS MEVS CARISSIMVS. Timotheum filium suum vocat, non quod eum ex mundo genuerit, aut Christo: (Nam Timotheus Christianus erat, priusquam in eum Paulus incidisset Act. 16.) sed vt senex iuuenem peregrinationis comitem ac socium laborum; quem meritò ob vitæ morumque eius sinceritatem, paterno amore complectebatur. Cur autem in epistola 1 ad ipsum Timotheum scripta, cap. 1. vocet eum dilectum filium in fide, in eius loci commentario dicemus.

Paulus cur Timotheũ suũ filium vocet.

ET FIDELIS IN DOMINO. Id est, fidelem mihi operam præstans in ijs quæ ad Christum & eius euangelium propagandum pertinent. Quo nomine egregiè eum commendat in epistola ad Philippenses, cap. 2, & iam antè commendauerat Thessalonicensibus, 1 epist. 3.

Laus Timothei.

QVI VOS COMMONEFACIET VIAS MEAS QVÆ SVNT IN CHRISTO IESV. In Græcis plerisque non additur *Iesu*. Sensus est: Qui in memoriã vobis reducet, (id enim significat Græcum verbum ἀναμνήσει) meam conuersationẽ, prædicationem, pericula, labores, & horum tolerantiam; denique totum vitæ meæ institutum, quod sequor in religione Christi: Quibus cognitis habeatis quod in me, vt filij in patre, imitemini. Vias pro conuersatione vitæ dixit phrasi Hebræa; tametsi quidam hîc etiã ad doctrinam extendunt: ne per nouos magistros ab apostoli sui doctrina se patiantur abduci.

Via pro actionibus vitæ.

SICVT VBIQVE IN OMNI ECCLESIA DŌCEO. Nihil, inquit, peculiare vobis iniungo: sed illud exigo quod passim ab alijs, vt scilicet exempla apostolorum imitentur. Quod si vias ad doctrinam placeat extendere; sensus commodior erit: vt hinc quoque discamus veritatẽ Christianæ religionis, apud omnes & semper, eandem esse: nec loco nec tempore variare. Vtrumque sensum videre est apud Aquinatem.

Veritas Christianã apud omnes eadem.

18 TANQVAM NON VENTVRVS SIM AD VOS, SIC INFLATI SVNT QVIDAM. *Sic* additum est ab interprete, vt plenior esset sententia. *Venturus* Græcè quidem participium est præsentis temporis ἐρχομένυς, sed significationem habet futuri. Vnde in euangelijs ὁ ἐρχόμενος *ille qui venturus est*. De quo vocabulo alibi plura. Ne Corinthij suspicarentur Paulum non venturum ad ipsos, eo quod Timotheum misisset; ideoque securiores ac segniores minus præstarent officium vitæ Christianæ; præmonet eos de suo aduentu; maximè propter quosdam, qui, quemadmodum mali discipuli absente præceptore, & mali domestici absente domino, ferocius atque insolentius se gerebant, non sine contemptu ecclesiasticæ disciplinæ. Hoc est enim quod ait, *inflati sunt quidam*. tametsi præcipuè hoc in illos sapientiæ professores dicitur. Inflat enim sapientia sęcularis.

Sapientia sęcularis inflat.

laris. Parcit autem nominibus, ne quasi iniuria affecti iritentur; & insanabiles se cùm venerit, exhibeant.

19 VENIAM AVTEM AD VOS CITÒ. *Citò*, Græcè quidem ταχέως, id est, *citò*, *celeriter*: quod tamen non ad celeritatem profectionis, sed ad breuitatem temporis quo venturus sit, referendum est. Hinc alij vertunt, *breui*, *actutum*. Non ita tamen breui id se facturum sentit, vt non pertransita prius Macedonia: quod declarat infrà cap. vltimo. Deinde non est hic sermo prædicentis quod futurum sit, sed simpliciter significantis animi sui propositum, vel etiam promittentis: quod tamen promittentis propositum multipliciter impediri poterat; sicut & reuera impeditum fuit; saltem ne breui veniret: quemadmodum ex secunda epistola cap. 1 patebit. Vnde & prudenter addit.

Promittit Paulus, non prædicit.

SI DOMINVS VOLVERIT. Præceptum est Iacobi apostoli cap. 4, vt quoties dicimus nos aliquid esse facturos, addamus; *Si Dominus voluerit*. addamus, inquam, si non semper voce, semper tamen animo ac cogitatione. Et meritò. Nam vt dicitur Prouerb. 16, *Cor hominis disponit viam suam: sed Domini est dirigere gressus eius.*

ET COGNOSCAM NON SERMONEM EORVM QVI INFLATI SVNT, SED VIRTVTEM. Græcè δύναμιν, *potentiam*. Multi sic exponunt: Cùm venero, experiar & probabo, non quam pulcrè loquantur illi inflati & arrogantes magistri; sed quam bene operentur: id est, quàm Christianè viuant. Nam virtus in opere conspicitur. Atqui verisimilius est virtutem intelligi in effectu doctrinæ quam tradebant: vt sensus sit; Videbo non quam scitè loquantur: sed quantum apud vos sua scientia & doctrina quam iactant, profecerint: id est quàm per eos sitis bene reformati: quam omnia rectè se habeant apud vos per illos magistros eloquentes & sapientes quos admiramini. Transitum enim parat occulto quodam artificio ad sequentem obiurgationem. Satis etiam hinc apparet, per eos quos iam secundò inflatos vocat, illos præcipuè notari, sicut dixi, qui se pro magistris venditabant apud Corinthios.

20 NON ENIM IN SERMONE EST REGNVM DEI, SED IN VIRTVTE. *Est*, additum ab interprete. Partem hanc ita exponunt: Regnum Dei nobis exhibitum per Christum, quo nimirum Deus in nobis regnat, non consistit in ornatu sermonis instructi sapientia sæculari, sed in virtute, scilicet ea quæ bonis operibus demonstratur. Sic Oecumenius & alij plerique: vt hoc dictum sit non dissimili ratione cũ eo quod dicit Rom. 14, regnum Dei non esse cibum & potum, sed iusticiam & pacem &c. Verùm probabilius est, vt antè exposui, virtutem intelligi in effectu sermonis. Per hoc enim regnum Dei promouetur, si sermo prædicatoris sit efficax in animis auditorum, vt iusticiam & pacem & cætera quæ regni Dei sunt, operentur. Sensus hic acceptior erit, si secundo loco tam in hac parte, quam in præcedenti, suppleas id quod ex priori loco videtur apostolus intelligẽdum relinquere, nimirum hoc pacto: *sed virtutem* sermonis. *sed in virtute* sermonis. Virtus enim sermonis apparet in opere auditoris. Illud haud placet, quod Theophylactus & Caietanus vtrobique virtutem interpretantur potestatem miraculorum. Nõ enim probandus est bonus doctor per miracula, vt ita demum approbetur si miracula faciat: quãdo nec Ioannes Baptista signum vllum fecit, Ioan. 10. Neque regnum Dei consistit in miraculis, nisi secundariò; sed maximè probatur sermo doctoris ex vero ac spirituali profectu discipulorum.

Non in sermone, sed in virtute regnum Dei

21 QVID VVLTIS? Hic scholia Græca nouum caput inchoant. Pertinent enim ista huius capitis extrema ad argumentum sequentis: & sic ea tractat Augustinus libro 3 contra epistolam Parmeniani cap. 1. Sensus: Optionem vobis do eligendi alterum ex duobus. Liberum vobis est vtrum velitis, eligere. Locus manifestus pro libero arbitrio.

Liberum arbitrium.

IN VIRGA VENIAM AD VOS? *Veniam* subiunctiui modi est, Græcè ἔλθω. Subauditur enim, vt. *In virga*, Hebraismus; id est, cum virga. Significat autem virga metonymicè seueritatem disciplinæ, cum authoritate eam exercendi. Erat enim apostolis data à Christo potestas, pœnis quibusdam animaduertendi in eos qui grauius delinquerent: quæ & procul dubio transiuit ad eorum successores. Hanc potestatem Paulus exercet cap. seq. Meminit autem eius & in 2 epistola cap. 10 & 13, dicẽs eam sibi datam à Domino *in ædificationem & non in destructionem*. Porro virgam nominat, non gladium: tametsi gladium abscissionis, id est excommunicationis iam cogitans: quia patrem se dixerat. Patris enim est, virga castigare filium.

Qua potestas virga nomine significata.

AN IN CHARITATE ET SPIRITV MANSVETVDINIS. Id est; an vultis vt veniens ostẽdam erga vos amorem & mansuetudinis seu lenitatis affectum. Quamuis enim apostoli semper animo gererent charitatem & mansuetudinem erga fideles; non tamen eam semper ostendebant. Nam percutere & punire non videtur esse amoris sed odij, licet dum à patre fit, ex amore latente proficiscatur. Cęterùm in potestate Corinthiorum erat, vtrũ ex his duobus faceret apostolus; quia si permanerent in peccatis, in virga venturus erat ad eos; si pœnitentiam agerent, venturus erat in charitate & spiritu mansuetudinis. Hunc locum paulo aliter intellexit Augustinus suprà citatus. Sic enim scribit: *Nunquid & virga sine charitate est: quia ita contexuit: In virga veniam ad vos, an in charitate? Sed quod sequitur, spiritu mansuetudinis; admonet intelligi, quia & virga charitatem habet: sed aliud est charitas seueritatis, aliud charitas mansuetudinis. Vna quidem charitas est, sed diuersa in diuersis operatur.* Hæc Augustinus: secundum quem nõ hic facit antithesim Paulus inter virgam & charitatem, sed inter virgam & charitatem cum spiritu mãsuetudinis.

Virga non pugnat cũ charitate.

Atque

Atque id est quod dicit Hugo Victorinus: *nomen charitatis hîc ex adiuncto restringi circa suauia & delectabilia quæ ex charitate fiunt.* Verùm hæc interpretatio coactior esse videtur: nec vsquam legimus charitatem mansuetudinis, aut seueritatis. Certe priorem sensum, qui obuius est, plerique omnes tradunt, tam Græci quam Latini. Porro quod non sine causa virgam comminatus fuerit apostolus, sequentia verba declarant.

SVMMARIVM.

GRauiter eos increpat, quod incestum hominem in suo cœtu tolerarent. Eundem Satanæ tradendum iudicat in interitum carnis. Monet vt expurgato veteri fermento epulentur in azymis puræ conuersationis. Alios quoque palam criminosos fratres vitari præcipit.

CAPVT V.

1 OMNINO AVDITVR INTER VOS FORNICATIO. Incipit à narratione; sed quæ cum exaggeratione facinoris seueram habeat obiurgationem, non eius tantum qui facinus admiserat; quod hic narratur; sed totius ecclesiæ Corinthiorum, quæ sinebat impunitum, non sine graui culpa negligentiæ. *Omnino*, inquit, *auditur inter vos fornicatio*, id est, non leuis rumor sed constans fama est; ac res notior quàm vt negari possit, fornicationem apud vos committi. Nam illud *inter vos* ad fornicationem, nõ ad auditum refertur. Fornicatio, Græcè πορνεία (*stuprum* alij vertunt) more scripturæ generaliter accipitur pro quouis concubitu non coniugali: vt etiam adulterium, incestum, & eius generis alia comprehendat.

Fornicatio quid significet in scripturis.

ET TALIS FORNICATIO QVALIS NEC INTER GENTES. Græcè, *Quæ nec in gentibus*, siue *inter gentes nominatur*. Quanquam illud *nominatur*, non à Paulo scriptum, sed à Græco quopiã assciptum suspicari licet, siue explendę sentẽtię causa, siue ex occasione similis loci Eph. 5, *nec nominatur in vobis*. Nam in Latinis certè nullis scriptum reperitur; ac sermonem reddit nimis hyperbolicum: vt non immeritò censeat Erasmus Latinorum codicum lectionem esse sinceriorem; secundum quam repetendum est ex parte priori verbum *auditur*; vt sensus sit: Et quidem eius generis fornicatio, quæ nec inter gentiles à Dei notitia alienos, audiri solet. Cæterùm fornicarius iste Iudęusne fuerit an gentilis, haud liquet. Illud satis constat, inter Corinthios fideles etiam Iudæos aliquos fuisse; quã de re diximus in argumento epistolæ. Si Iudæus fuit: dictum est ad maiorem eius pudorem, *qualis nec inter gentes*. Nam turpissimum erat in Iudæo qui legem à Deo acceperat, inueniri flagitium quale nec inter gentes. Sed verisimilius est gentilem fuisse. Nam tantum in Iudęo facinus ecclesia gentilium non perinde toleraſſet.

ITA VT VXOREM PATRIS ALIQVIS HABEAT. Nomen non exprimit, parcens auribus legentium. Nam nec erat necesse, quum satis esset notum ob publicum rumorem. Vxorem patris intelligit nouercam, non matrem, vt accepisse videtur Liranus. Loquitur autem apostolus non de relicta patris demortui, sed de vxore patris viuentis, id est, de ea quæ iam tum adhuc erat vxor patris; vt in eodẽ facinore duo non ferenda crimina notari intelligas, incestum & adulterium. Id satis apparet tum ex grauissima exaggeratione facti; tum quia 2 Cor. 7 dicit tanquam de viuente; *nec propter eum qui passus est iniuriam*. Primasij commentarius, qui concubinam patris interpretatur, admitti non potest; nisi quo sensu secundum scripturas eadem esse potest vxor & concubina: tametsi nec sic appareat, cur putemus fuisse concubinam. Iam in eo quod dicit apostolus *habeat*, non sentit quòd eam duxerit vxorem, aut vxoris loco habeat, quemadmodum exponit Erasmus in sua paraphrasi: quamuis & Syrus interpres ita videtur intellexisse, dum vertit; *adeò vt acceperit filius vxorem patris sui*. Et quomodo ducere potuit eam vxorem; quando ne gentilium quidem leges aut mores eiusmodi coniugium sustinebant? Atqui nec illud modò significat, quod cum ea semel aut sæpius concubuerit, iam cessans à facinore: non enim dicit, habuerit, sed *habeat*: Verùm sentit quòd cum ea vsquè adhuc commisceatur & consuetudinem habeat carnalem. Nam habere pro eo quod est vti, in vsu habere, frequens est in sacris literis. Vnde Matth. 13, *Qui habet dabitur ei; qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo*. Et quod ad præsentem materiam attinet, Ezech. vigesimo tertio, vbi de duabus mulieribus sermo est, dicitur: *Et habui eas, & pepererunt filios & filias*. Sic infrà capite septimo huius epistolę. *Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum*; id est vtatur. De quo sensu plura dicturi sumus eo loco. Quæret aliquis, quomodo dixerit apostolus huiusmodi fornicationem non esse, vel non audiri inter gentes: cum Dominus in Leuitico capite decimo-octauo, postquam inter alia vetuisset dicens: *Turpitudinem vxoris patris tui non discooperies. Turpitudo enim patris tui est.* subiunxerit in fine: *Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt vniuersæ gentes, quas ego eiiciam ante conspectum vestrum*. Nam & in alijs gentibus similia, vel etiam turpiora quædam facta produnt historiæ. Quin & in familia patriarchę Iacob consimile flagitium perpetratum legitur Genes. 35. Tale etiam Dauid passus à filio suo Absalomo, secundi Reg. 16. Primùm respondeo, Moysen loqui de vxore patris defuncti, aut saltem ea quę repudiata esset, vt iam pro vxore non haberetur.

Vxor patris qua dicatur.

Habere pro vti in scripturis.

Quæstio.

Responsio.

Nam

Nam alioqui generalis erat & capitalis in lege prohibitio, *Non mœchaberis*. Hic autem sermo est, vt dixi, de vxore patris viuentis. Deinde si quid simile huic aliquando factum esset inter gentes, vel etiam in populo Dei; id & rarum fuit, & non sine horrore audiebatur. Quanquam non arbitror apostolum loqui de gentibus in vniuersum: sed de gentibus illo tempore notis; quæ vt plurimum regebantur legibus Romanis, ad publicam honestatem accõmodatis: vt non facilè apud eas audiretur, quempiam habere consuetudinem cum vxore patris viuentis.

2 ET VOS INFLATI ESTIS? Hæc legenda videntur interrogatiuè. Sic enim vehementior erit obiurgatio. Cum sitis, inquit, conscij tantæ turpitudinis apud vos admissæ, cumque eius rei fama passim peruagetur; vósne adhuc inflati estis, & contentionibus vacatis, & vobis placetis? Non hoc ad omnes pertinet Corinthios fideles: sed partim ad magistros, de quibus dixerat: *Inflati sunt quidam.* & iterum, *Cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem*; partim ad factiosos discipulos, de quibus, *ne vnus aduersus alterum insurgat pro alio*. Græci interpretes suspicantur hos inflatos fuisse propter doctrinam quam ab illo fornicario percipiebant: vt qui vnus esset illorũ quos sapientiæ nomine Corinthij venerabantur. Huc etiam referunt id quod infrà dicit apostolus: *Non est bona gloriatio vestra.* Quo loco dicemus quid de hoc commentario nobis videatur.

Corinthius fornicarius an vnus ex sapientibus.

ET NON MAGIS LVCTVM HABVISTIS. *Luctum habuistis*, ἐπενθήσατε *luxistis*. Ita Tertullianus: *Et non luxistis potius*. Interpres amphibolum vitare voluit. Nam *luxistis* etiam dicitur à luceo. Luctum exigit apostolus, velut de publico dedecore & scandalo. Quippe ea res luctum etiam publicum merebatur.

VT TOLLATVR DE MEDIO VESTRVM QVI HOC OPVS FECIT? Ac si dicat: Lugere debuistis & dolere, non quocumque modo; sed cum studio tollendi tantum malum è vobis. Eum qui tantum flagitium perpetrauit, eijcere debuistis aut eijciendum curare è vestro consortio, per excommunicationis censuram. Hoc enim genus eiectionis significari, patebit ex sequentibus: atque ex eo maximè, quod ad extremum præcipit, dicens: *Auferte malum ex vobis ipsis.*

Quid tollere quẽpiam de medio fratrum

3 EGO QVIDEM ABSENS CORPORE, PRÆSENS AVTEM SPIRITV. Post obiurgationem remedium nunc præscribit, malè ab illis dilatum: remedium, inquam, excommunicationis, vtrique valiturum; ecclesiæ, ne corrumpatur, & ei qui peccauit, vt corrigatur. Græcè, *Nam ego quidem vt absens corpore* &c. tametsi vocula ὡς *vt*, *tanquam*, superflua videtur hoc loco. Quare nec Syrus interpres eam reddidit. Addita fortè, quò responderet ei quod sequitur, *iudicaui vt præsens*. Portò spiritu præsentem se dicit, hoc est animo, affectu, solicitudine. Nonnulli præsentem spiritu interpretantur, quod per spiritum nosset ea quę apud Corinthios agebãtur, atque si præsens esset: quomodo dictum est ab Elisæo 4 Reg. 5, *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo?* Meminit etiam huius expositionis Aquinas. Sed priorẽ priori loco posuit; quam & confirmat ex loco simili eiusdem apostoli, Col. 2, *Etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens & videns ordinem vestrum*.

Quid spiritu præsentẽ esse.

IAM IVDICAVI VT PRÆSENS. Hoc est, tanquam præsens, ac si præsens essem etiam corpore, *iam iudicaui*, id est decreui, apud me statui. Caietanus sic exponit, *Iam ius dixi decernendo sententiam.* Non enim apostolus sententiam excommunicationis iam tulerat; quamuis id affirmare videatur Theophylactus: Sed authoritate iurisdictionis decreuerat sententiam ferendam. Vnde adhuc postea dicit: *Auferte malum ex vobis ipsis*. Inde enim manifestè apparet hunc incestum nec prius fuisse ab apostolo excommunicatum, quàm hæc scriberet; nec, vt alij quidam putant, his ipsis verbis ab apostolo excommunicari: sed hoc tantum significari quod iam decreuerit seu iudicauerit excommunicãdum; quemadmodum id ab eodem Caietano studiosè est annotatũ. Quanquam siue excommunicauerit, siue excommunicandum decreuerit; occurrit quæstio; Cur non iniustum sit hoc Pauli iudicium siue decretum: quandoquidem ius etiam naturale vetat quenquam absentem & inauditũ condemnari. Nam & Festus proconsul Act. 25 negat Romanis esse consuetudinem, vt aliquẽ tradant puniendum, priusquam *præsentes habeat accusatores, locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina*. Nec satis est quod Paulus spiritu se præsentem dicit. Nam ea præsentia non sufficit ad audiendum reum, causámque eius cognoscendam & examinandam. Verùm facilis est responsio, ius illud cessare, vbi crimen est notorium, quale istud fuisse constat ex initio huius capitis. Quo loco notandum, quandam esse famam, quę tantùm gignit præsumptionem, vt iurisperiti loquuntur: & hæc inquisitionem requirit, vt ad punitionem criminis procedatur: aliam verò quæ certitudinem faciat, vt de re notoria; præter quam non sit opus inquisitione, vt crimen puniatur. Huiusmodi famam significauit apostolus, quando dixit, *Omnino auditur*. At rursum quæres, quomodo iusta sit excommunicatio, quam nulla monitio præcesserit: quum ita demum excommunicari quis possit, si contumax fuerit in delicto, id est, si ecclesiam monẽtem & corripientem non audierit, Matt. 18. Nec dici potest eum iam antè ab ecclesia Corinthiorum monitum fuisse. Nam si id factum fuisset, non ita durè Corinthios apostolus propter hoc factum increparet. Accedit quod apostolo videtur sufficiens esse causa excommunicandi hominem illum: quia hoc opus fecerat; non habita ratione monitionis alicuius subsecutæ. Dicit enim, *qui sic operatus est*. & suprà, *qui hoc*

Paulus incestum non excõmunicat, sed excõmunicandum decernit.

Quæstio.

Responsio.

Quo casu absens iudicari & condẽnari possit.

Alia quæstio.

Nemo nisi contumax excommunicandus.

opus

Respõsio, qua docetur incestũ illum contumacem fuisse

opus fecit. Primùm respondeo manifestè significari perseuerantiam in delicto, tum superioribus illis verbis: *Ita vt vxorem patris aliquis habeat:* tum istis sequentibus, *vt spiritus saluus sit in die Domini.* Nam si iam pœnitens recesserat à peccato, saluus erat in spe. *Cum* enim *conuersus ingemueris saluus eris,* Isaiæ 30 secundum LXX. Præterea nec dubium quin à quibusdam pijs fidelibus admonitus & correptus iam antè fuerit; licet ecclesia in eo corripiendo negligentior esset. Ac nihilominus, vt iam dixi, non eum apostolus hic excommunicat, sed excommunicandum decernit; cum eo tamen intellectu, vt debitam monitionem præmitti velit: vt si eam contempserit, ad excommunicationem procedatur. Neque enim apostolo propositum fuit, totum rei gerendæ ordinem, qui per manus tradebatur, hic præscribere. Denique si minus hæc satisfaciunt, dici potest præcessisse monitionem canonis ab ipso apostolo lati. Id enim significari per hoc quod inferius ait: *Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicarijs.* Et iterum, *Scripsi vobis non commisceri, si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens &c. cum eiusmodi nec cibum sumere.* Ecce canonis apostolici præmonitio, qua excommunicationem talibus denunciat. Et quamuis in his verbis, minor quædam excommunicatio significata sit, vt infrà docebimus: tamen de maiori excommunicatione, respectu grauiorum criminum, par ratio est.

EVM QVI SIC OPERATVS EST. Græcè & Syriacè, *eum qui sic hoc operatus est*, id est, qui tale ac tantum facinus perpetrauit; intellige, & in eo adhuc perseuerat. Regitur accusandi casus à verbo *tradere*, inferius posito.

4 IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Dubium, quónam hæc pars referenda sit; vtrum ad verbum *iudicaui*, quod præcessit; an ad illud: *congregatis vobis & meo spiritu*, quod proximè sequitur; an denique ad illud remotius, *tradere huiusmodi satanæ.* Potest sanè ad quodlibet horum non ineptè referri. Ad primum quidem, quia iudicandi potestatem habebat apostolus vt Christi vicarius & minister. Atque eo refert Thomas in commentario. Ad secundum, quia scriptum est: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo*, Matth. 18. Quo respexisse Paulum nonnulli putant; vt sensus sit, congregandos esse propter Christum, seu causam ad eum pertinentem; qualis est omnis causa ecclesiæ; nimirum vt gloria Christi & salus ecclesiæ promoueatur. Ad tertium, quia & ipsa potestatis exsecutio fit nomine Christi, id est eius vice & authoritate, siue ad ligandum siue ad soluendum. Sic enim & in secunda epistola capite secundo dicit se donare quod reliquum erat pœnæ, *in persona Christi.* Et hoc postremum magis videtur Paulus voluisse, qui & tradere & donare se significat in Christi nomine & persona; ne priuatæ ac præsumptæ potestatis arbitrio rem tantam agere quoquo pacto videretur.

CONGREGATIS VOBIS. Vult rem agi in conuentu publico; vt omnes intellecta grauitate criminis, iustam agnoscant esse pœnam: nec sit postea qui personam aut factum velit defendere. Proinde non est ex hoc loco consequens, excommunicandi potestatem ad multitudinem fidelium pertinere. tamersi multitudo quodam etiam sensu excommunicat: nempe quatenus ad excommunicationem, tam approbando & suffragando vt fiat, quam ipsum iam excommunicatum vitando, cooperatur. Quæres, quisnam igitur hunc incestum excommunicauerit; si neque Paulus id fecerit, neque Corinthij fideles. Respondeo, sententiam excommunicationis latam fuisse à Corinthijs, non omnibus, sed ijs qui præerant ecclesiæ, vel certè ab aliquo eorum; ex iudicio tamen ac iussu Pauli præuio.

Excõmunicandi potestas non est penes multitudinẽ fidelium.

Quæstio.

Responsio.

ET MEO SPIRITV. Scilicet vobiscum congregato: id est, me quoque, licet absens sim corpore, spiritu tamen & affectu, atque etiam per hoc decretum, vobis adfuturo, & vnà vobiscum facturo id quod vobis iniungo.

CVM VIRTVTE DOMINI NOSTRI IESV. Multi codices astipulantibus Græcis & Syriacis addunt *Christi.* Partem hanc quidam construunt cum eo quod sequitur, *tradere huiusmodi satanæ.* Hoc enim facturi erant per virtutem, id est potestatem Christi; vel, vt Caietanus exponit, assistente sibi potestate Christi; eo quod ad istiusmodi traditionem opus esset peculiari potestate, solis apostolis, vt ait, communicata. Sed si id vellet Paulus: suo ac scripturæ more diceret, *in virtute*, non autem *cum virtute.* Rectius igitur qui præcedentibus adiungunt: vt significet apostolus non modò se spiritu præsentem fore Corinthijs in vnum congregatis; verum etiam Christum ijs adfuturum cum virtute sua, qua res perficiatur: id quod expressit Erasmi versio: *vnà cum potestate Domini nostri &c.* Atque ita partem hanc exponunt Primasius, Heruæus, Aquinas & author glossæ ordinariæ. Chrysostomus & post eum Theophylactus vtriusque constructionis sensum indicarunt.

5 TRADERE HVIVSMODI SATANÆ. *Huiusmodi* scilicet hominem, id est, *eum qui sic operatus est.* Hoc enim illius repetitio est. Iam, inquit, iudicaui tradendum huiusmodi hominem satanæ, id est, in diaboli aduersarij nostri potestatem; idque per sententiam excommunicationis in eum ferendam. Similis locus 1 Tim. 1, vbi se dicit Hymenæum & Alexandrum tradidisse satanæ. Sed quis fuerit huius traditionis

Quid tradere hominem satanæ.

effectus, non vno modo ab omnibus explicatur. Chrysostomi ac reliquorum Græcorum sententia est, hominem qui id mereretur, ita tradi solere satanæ in potestatem, vt corporaliter ab eo vexaretur, vel per morbum, vel aliter, citra mortem tamen; quomodo S. Iob legitur potestati satanæ traditus à Deo, vita salua. Nam eius exemplum à plerisque huc adducitur. Probant autem ex eo quod Paulus addit, *In interitum carnis*, id est (vt illi exponunt) ad afflictionem seu vexationem corporis. Atque huc referunt quod Christus in euangelio Mar. 6 dedisse legitur apostolis *potestatem spirituum immundorum*: vtpote non ad hoc tantum vt illos eijcerent ex obsessis hominum corporibus, verum etiam vt homines quos hac pœna dignos iudicarent, corporaliter ab illis obsidendos atque vexandos traderent. Vnde & de S. Ambrosio refert in eius vita Paulinus: quod cum aliquando quendam hominem Satanæ tradidisset, *eodem momento spiritus immundus arreptum discerpere cepit*. Et quidem hunc apostoli locum idem Ambrosius lib. 1 de pœnitentia cap. 12 & sequentibus interpretatur vt Græci, de corporis afflictione, eaque citra mortem; vt esset castigatio carnis, non absumptio. Nec diuersa fuisse videtur sententia Paciani in epistola 3 ad Sempronianum. Dicit enim hunc hominem traditum satanæ *ad colaphizandum*: deinde nominat *carnis angustias & detrimenta membrorum*. Accedit his Primasius in commentario, & inter alios Haimo, locum hunc exponens de graui ægritudine, quæ tamen amentem aut phreneticum non redderet: atque id rectè quidem. Nam amentis hominis nec pœnitentia posset exspectari, nec salus sperari in die Domini. Subscribit expositioni Græcorum etiã Caietanus; nisi quod hanc istius Corinthij satanicam vexationem durasse dicat vsque ad mortem, & si non repentinam, vt contigit Ananiæ & Sapphiræ, quos itidem dicit à Petro satanæ traditos fuisse. De morte confirmat, quia dicit apostolus, *In interitum carnis*. Verum id haud consentaneum est ijs quæ de fornicario in gratiam recepto, facta ei pœnæ condonatione, scribuntur in 2 epistola capite 2, etiam iuxta eiusdem Caietani commentarium. Mortis quidem meminit etiam Augustinus libro primo de sermone Domini in monte cap. 20, & libro 3 contra epistolam Parmeniani cap. primo, non tamen affirmans eam sententiam, sed vt incertam referens. Sanè quod ad Græcorum opinionem in vniuersum attinet, eam alij non probant, huiusmodi rationibus adducti. Primum, quia nulla vetus historia prodit eos quos apostoli satanæ tradidisse leguntur, corporaliter ab eo vexatos fuisse. Nam de Anania quidem & Sapphira, qui ad horribilem Petri increpationem statim mortui conciderunt: nec scriptura nec veterum quisquam dixit id quod Caietanus: eos satanæ traditos fuisse à Petro. Iudas verò proditor quem satanæ traditum à Christo testantur Augustinus tractatu 62 in Ioannem, & Chrysostomus homilia 5 super 1 Tim. 1, non tamen corporaliter à satana possessus legitur, sed tantum spiritualiter. His accedit quod in 2 epist. capite 2 & 7, quibus locis resumitur sermo de fornicario iam conuerso & pœnitente, nulla fit mentio vexationis aut infirmitatis corporalis, quam passus esset à dæmone, sed tantum abundantis tristiciæ, qua nimirum affectus fuerat propter eiectionem suam è consortio fidelium. Quamobrem monet Corinthios Paulus, vt illum consolentur & confirment in eum charitatem. Quod si dæmoni traditus fuisset corporaliter exagitandus; debuisset postea conuersus, eodem apostolo iubente, à dæmonis vexatione liberari. Atqui nihil tale circa eum factum fuisse legimus, nec in secunda epistola, nec apud ipsos Græcos commentatores. Deinde si traditus fuit satanæ ad vexationem corporalem, siue per morbum, siue per aliquid simile; non ergo tam vitandus erat fratribus, quod Paulus præcipit, quam officijs humanitatis ab eis adiuuandus, & ægrotorum aut energumenorum more curandus. Adde quod vexatio corporis parum commodè vocatur interitus carnis, illis præsertim qui vexationem hanc nolunt esse ad mortem: quoniam nec ita loqui solet scriptura. Denique si apostoli morbos immittebant hominibus, vel arrepticios reddebant; conueniri potuissent apud iudices infideles tanquam malefici, non sine ipsorum periculo, & Christianæ religionis infamatione. Nam quod de S. Ambrosio narratur, hominem ab eo satanæ traditum, repentè factum arrepticium: sub Christiano principe gestum fuit, & specialem habuit rationem. Fuerat enim ille homo non multo ante dæmoniacus, & Dei beneficio liberatus. Itaque iustum & congruum erat, vt ob nouum facinus perpetratum, in priorem pœnam recideret. Nec pro Græcis illud facit, quod Marcus refert apostolis datam à Domino *potestatem spirituum immundorum*. Nam vt plenius apud Matthæum legitur cap. 10, *dedit illis potestatem spirituum immundorum vt eijcerent eos*; ac sequitur, *& curarent omnem languorem & omnem infirmitatem*, non autem vt languores & infirmitates immitterẽt. Leguntur quidem Petrus & Paulus sententiam pronunciasse formidabilem, alter mortis in Ananiã & Sapphiram, alter cæcitatis in Elymam magum, Act. 5 & 13, sed hæc prorsus extraordinaria fuerunt. Hic autem de ordinaria potestate qua aduersus contumaces ecclesiæ filios vtebantur apostoli, sermo est. Cum igitur ex his appareat quam non multum probabilitatis habeat Græcorum commentarius; aliorum sententiæ potius accedendum videtur, qui traditionem hominis in

An huius traditionis effectus afflictio corporalis, opinio Græcorum.

Effectus traditionis non erat amẽtia.

Græcorũ sententia refellitur.

Iudas proditor satanæ traditus.

potestatem

Verior sẽtentia, per hanc traditionem significari excõmunicationẽ maiorem.

poteſtatem ſatanę, de qua Paulus agit, interpretantur eiectionem eius ac ſeparationem à ſocietate fidelium, id eſt, excommunicationem maiorem, maximè eam quę nominatim ac publicè, ſolennibus adhibitis, aduerſus aliquem fulminatur; ſiue per apoſtolum fiat, ſiue per quemlibet apoſtoli in ea poteſtate ſucceſſorẽ: non habita ratione corporalis alicuius vexationis per ſatanam inferendæ. Dicuntur enim qui ad hunc modum excommunicantur, tradi ſatanæ: quia proiecti extra ſocietatem fidelium, quæ eſt eccleſia Chriſti, & per hoc priuati bonis omnibus illi ſocietati proprijs ac peculiaribus, veluti ſunt orationes ac ſuffragia communia, ſacramentorum participatio, ſpecialis diuina protectio, cura paſtoralis eorum qui præſunt, & cætera talia; tyrannidi & incurſibus diaboli, cuius regnum eſt extra eccleſiam, ita relinquuntur expoſiti; vt iam multo quam antè cum adhuc eſſent in eccleſia, facilius ac propenſius in omne genus viciorum, ab illo impulſi, præcipites ruant. Non igitur directè tradit hominem ſatanæ, qui eum excommunicat, ſed ex conſequenti. Nam eo ipſo quo quis eijcitur extra eccleſiam, quæ regnum eſt Chriſti; conſequens eſt illum eo conſtitui loco, vbi liberè tanquam in ſuo regno graſſatur diabolus. Hic commentarius eſt apud Latinos; vt nuncupatum Ambroſium, Pelagium, Primaſium, Hugonem, Lombardum, Hernæum, Aquinatem, & authorem gloſſæ ordinariæ. Quorum etſi plerique etiam priorem ſenſum referant; hunc tamen poſteriorem ex propria ſententia potius adferre videntur; vt eis hoc ſit tradi ſatanæ, quod eſt excommunicari; quamuis nulla corporalis infeſtatio quæ fiat à dæmone, coniuncta fuerit. Qui ſenſus etiam eſt apud Theodorum quendam Græcum Pauli interpretem (Heracleoten ſuſpicor:) cuius verba recitat Gaignæus. Sed & Auguſtinus libro tertio contra epiſtolam Parmeniani, quum prius dubiè de hac re locutus fuiſſet: poſtea capite 2 ſatis apertè traditionem huiuſmodi ſimpliciter interpretatur anathema. Quo nomine non aliud quam excommunicationem, quæ in vſu eſt eccleſiæ, eum ſignificare voluiſſe, liquet ex eius libro de fide & operibus capite vigeſimo-ſexto, vbi rurſus traditionem illam exponens, excommunicationem nominat: qua nimirum peccata quædam grauiora ab eccleſia plecti ſolent. Imò diſertè pœnam hanc anathematis non corporalem eſſe ſed ſpiritualem, animas obligantem; affirmat in epiſtola ſeptuageſima-quinta, quæ eſt ad Auxilium epiſcopum. Quod autem ob rationem ſupradictam excommunicati dicantur ſatanæ traditi, declarant Innocentij primi pontificis ad concilium Carthaginenſe ſcribentis, illa verba, quibus monet epiſcopos, vt eos qui per hæreſin erant ab eccleſia ſeparati, reuocent ad ouile Domini: *ne foris poſiti*, inquit, *& tanto præſidio à fide munitionis excluſi, periculis omnibus exponantur, deuorandi luporum dentibus atque vexandi.* Nec aliud arbitror Hieronymum ſentire, cum dicit eiectos *de eccleſia, rabido dæmonum ore* diſcerpi. in epiſtola prima, quæ eſt ad Heliodorum capite ſeptimo. Quid, quod & ipſe Chryſoſtomus hanc eandem rationem adfert & explicat, tractans illud 1 Tim. 1, *quos tradidi ſatanæ*, & cum iſto loco conferens? Sic enim loquitur: *Eijciebatur* inceſtus ille *à communi fidelium cœtu, abſcindebatur à grege, fiebat nudius: atque ita deſtitutus lupis patebat, & prodebatur incurſibus. Nam ſicut olim nubes Hebræorum caſtra tegebat, ita & eccleſiam protegit Spiritus-ſancti gratia. Si quis igitur extra eccleſiam fieret, comburebatur: fiebat autem extra eccleſiam apoſtolorum iudicio. Ita & Dominus Iudam tradidit ſatanæ. Continuò enim poſt buccellam introiuit in illum ſatanas.* Hęc Chryſoſtomus, quæ iure ſufficiant: vt profecto nihil ei neceſſe fuerit vllam afflictationem corporalem in hac traditione requirere: quemadmodum nec in Iuda proditore quærimus. Ac ſanè poſteriorem hunc commentarium ipſe contextus verborum apoſtoli non obſcurè ſuggerit. Cum enim dixiſſet: *Et non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrum qui hoc opus fecit:* mox præcipiens vt id fiat, quod dixerat fieri debuiſſe, dicit ſe iam iudicaſſe tradendum huiuſmodi hominem ſatanæ. Quod rurſus exponens in fine capitis, ita præcipit; *Auferte malum ex vobis ipſis:* vt ſatis ex his appareat eadem eſſe Paulo, auferre ſeu tollere malum hominem de medio fratrum, ſcilicet per excommunicationem; & eum tradere ſatanæ.

Cur excõmunicati dicantur traditi ſatanæ.

Excõmunicatio nõ corporalis pœna, ſed ſpiritualis, animas obligans.

IN INTERITVM CARNIS. Græcè εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, *ad interitum* ſeu *perniciem carnis*. Id quo pacto exponant qui traditum hominem ſatanę ſecundum corpus intelligunt, ſuprà diximus; nempe de vexatione per morbum, aut eiuſmodi quandam affectionem, qualis eſt energumenorum. Vnde dicunt his verbis præfigi terminum ſatanæ; vt corpus duntaxat tangeret, animæ parceret: ſicut & in Iob factum eſt. At iuxta alios ſenſus eſt; ad interitum & deſtructionem carnalis cupiditatis; quæ in illo homine dominabatur: vt nimirum caro, ſicut alias frequenter, accipiatur pro concupiſcentia carnali; vel, quod eodem recidit, pro homine quatenus carnali concupiſcentię ſubiectus eſt. Hoc modo carnem interpretatur Auguſtinus, ſcribens aduerſus Parmenianum, vbi dicit hunc hominem ſatanæ traditum, *vt interimeret in ſe ſceleratam carnis concupiſcentiam:* ſcilicet eam qua ad tantum facinus perpetrandum fuerat incitatus. Sic & alij qui pro poſteriori ſenſu partis præcedentis ſupra citati ſunt.

Interitũ carnis quẽ dicat apoſtolus.

Caro pro concupiſcentia carnali.

VT SPIRITVS SALVVS SIT IN DIE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. *Saluus ſit* Græcè σωθῇ *ſaluetur*, ſiue *ſaluus fiat*, id eſt ſalutem conſequatur. Et loco ſequentium in

Græco tantum legitur, *in die Domini Iesu.* Quę lectio in quibuſdam etiam eſt Latinis mss. & apud Auguſtinum lib. 22 contra Fauſtum cap. 79 & alibi. Commentator Amb. ſpiritū hoc loco Spiritum-ſanctum intelligit, quemadmodum & in illis verbis 1 Theſſ. 5, *Vt integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſine querela in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.* Quam expoſitionē videre etiam eſt apud Oecumenium. Volunt autem hi Spiritum-ſanctum ſaluari non in ſeipſo, ſed in homine per donum ſpirituale: dum videlicet habetur ab homine Spiritus-ſanctus, atque in eo manet per ſuam gratiam. Et quamuis durus hic ſermo videatur, vt Spiritus-ſanctus dicatur ſaluari; probabilitatem tamen aliquam accipit, tum ex eo quod locutione non diſſimili dicitur alibi Spiritus-ſanctus contriſtari & exſtingui, vt Epheſ. 4. 1 Theſſal. 5. tum quia ſpiritum carni oppoſitum, vt opponitur hoc loco, Paulus Galat. 5 Spiritum-ſanctum intellexiſſe videtur. Verum hîc iſtius intelligentiæ nulla neceſſitas: cum per ſpiritum poſſit ipſum ſpirituale donum intelligi. Cuius expoſitionis Chryſoſtomus & Theophylactus meminerunt: quanquam ijdem cum alijs pleriſque, præſertim ijs qui carnem corpus interpretati ſunt, per ſpiritum intelligunt animam. Imò ſic habet verſio quædam vetus, qua vſus eſt Auguſtinus libro primo de ſermone Domini in monte capite vigeſimo, *vt anima ſalua ſit.* Animam intellige quatenus eſt rationalis. Qui quidem ſenſus promptus ac facilis eſt. Nec obſtat quod in die Domini, id eſt in extremo iudicio, non ſola anima ſed etiam corpus ſaluum fiat. Nam in ſalute animæ potiſſimum ſalus hominis conſiſtit: & ex ea ſalus corporis conſequitur ac dependet; quemadmodum annotant Græci commentatores. At verò ſecundum eos qui nomine carnis intellexerunt carnalem cupiditatem, vel hominem quatenus carnalis eſt: ſpiritum conſimiliter interpretari poſſumus ſpiritualem hominis vitam, vel ipſum hominem quatenus ſpiritu renouatus eſt: vt totius periodi ſit hic ſenſus: Hominem iſtum ſatanæ tradendum, vt mortificentur in eo vicia carnis: atque ita ipſe homo ſpiritu renouatus ſalutem adipiſcatur in die quo Chriſtus Dominus venturus eſt ad iudicium: videlicet auditurus illam iudicis vocem cum cæteris electis: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum* &c. Matth. 25. Nam quod quidam diem Domini interpretantur de iudicio particulari quod fit in morte; non eſt conſonum ſcripturis: in quibus dies Domini relatus ad ſæculum futurum, ſemper indicat tempus vniuerſalis iudicij: licet huic etiam particulare iudicium ſuo modo reſpondeat. Notandum eſt igitur apoſtolum his verbis: *in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit* &c. declarare cauſam finalem excommunicationis ex parte eius qui excommunicatur. Ea namque eſt emendatio illius & ſalus. Quam cauſam excommunicationis etiam ſignificauit 1 Timoth. 1, dicens: *vt diſcant non blaſphemare.* & 2 Theſſal. 3, *vt confundatur.* Sed quęres: qui fieri poſſit vt ad interitum carnis & ſalutem ſpiritus homini cedat excommunicatio, qua ſatanæ traditur; quum illi qui ſub diaboli ſunt poteſtate, ſicut dictum eſt ſuprà, multo iam liberius ac propenſius ſeruiant carni; magiſque reddantur à ſalute ſpiritus alieni. Reſpondemus, excommunicationem ad effectum emendationis & ſalutis homini excommunicato proficere, non ſua natura, ſed ex occaſione: dum ea pœna admonitus incipit cogitare propter quid patiatur, atque illud odiſſe propter quod patitur, id eſt, peccatum ſuum quo pœnam illam commeruit: nimirum vexatione dante intellectum. Agitur autem hoc totum per Dei miſericordiam, & piam excommunicantis intentionem; quæ eſt, vt peccator huiuſmodi per corporalem eiectionem ac ſeparationem pudefactus & contriſtatus, ad mentem redeat, & culpam agnoſcat: denique humiliter petat illuc recipi vnde fuit eiectus. Hinc porro conſequens eſt, orandum eſſe pro excommunicato. Nam ſalus eius à Dei miſericordia non rectè, niſi precibus ad Deum fuſis, exſpectatur. Ad quod faciendum ipſa etiam admonet excommunicationis pœna. Dum enim vident fideles fratrem à corpore ſuæ ſocietatis ſeparatum, periclitari ne prorſus pereat; excitatur eorum pietas ad orandum Deum, vt membrum illud corpori rurſus vniat, vitæque ac ſanitati reddat. Hac de re plura à nobis & ab alijs, atque ex profeſſo, dicta ſunt in 4 ſentent. diſt. 18.

6 NON EST BONA GLORIATIO VESTRA. *Eſt*, additum fuit ab interprete. Quidam Latini codices Auguſtini tempore, ſicut ipſe teſtatur lib. 3 contra Parmenianum capite 2, ſine negatione legebant, *Bona gloriatio veſtra.* Nec eam lectionem improbat; cum intelligi poſſit ironica exprobatio. Verum hodie codices omnes conſtanter addunt negationem. Porro gloriationem hanc Corinthiorum Græci interpretantur de infami iſto homine, tanquam vno ex magiſtris ipſorum & ſapientibus: quemadmodum & illud ſuperius, *& vos inflati eſtis?* At neſcio quam probabiliter. Nam nec in poſteriore epiſtola, vbi rurſus iſtius fornicarij mentio fit, vlla ſignificatio eſt, eum doctum & ſapientem fuiſſe. Nec admodum veriſimile eſt fideles Corinthios de homine palàm adultero & inceſto, propter eius doctrinam ſæcularem, ſiqua præditus erat, putaſſe ſibi gloriandum. Et alioqui ſapientes huius ſæculi, cum gloriæ ſint percupidi, ab ijs maximè vicijs in publico temperare ſolent, quæ gignunt infamiam. Vnde & in pſeudapoſtolis qui ſeſe Corinthijs venditabant, nullum infame crimen

notat

Spiritus variè exponitur.

Excommunicationis quæ cauſa finalis ex parte excommunicati. Quomodo cedat excommunicatio ad ſalutem excommunicati.

Orãdum pro excõmunicatis.

Dies Domini quis intelligatur.

Quã Corinthiorũ gloriationem Paulus hic reprehẽdat.

notat Paulus: ſed vocat operarios ſub dolos, transfigurantes ſe in apoſtolos Chriſti & miniſtros iuſticię. 2 epiſt. cap. 11. Quocirca Latinorum magis placet commentarius, qui generaliter eam intelligunt gloriationem, quam precedenti capite Paulus in Corinthijs reprehendit: qua nimirum partim magiſtri nomine ſapientiæ & eloquentiæ ſibi placebant, partim diſcipuli gloriabantur in magiſtris: vt hæc ſit repetitio eius quod paulo antè dixit: *& vos inflati eſtis?* iuxta ſenſum ibi redditum. Dicit ergo: *Non bona*, Syrè *non pulcra*, id eſt, valde mala ac turpis eſt iſta gloriatio veſtra, flagrante inter vos tam fœdo crimine, quod luctum magis expoſcebat. Non bonum pro valde malo, litotes eſt ſcripturis familiaris.

NESCITIS QVIA MODICVM FERMENTVM TOTAM MASSAM CORRVMPIT? Oſtendit eos non habere quod glorientur, ſed magis quod timeant & caueant. *Corrumpit*, Græcè *ζυμοῖ fermentat*. Quod vocabulum medium eſt, vt poſſit & in bonum & in malum accipi ſententia: quum ſit veluti γνωμὴ generalis: tametſi Paulus tam hoc loco quam ad Gal. 5, vbi eam repetit, in malam partem vſurpet; atque in lege veteri fermentum ferè ſignificationem habeat corruptionis: imò & in euangelio vbi præcipit Dominus cauēdum à fermento Phariſæorum & Sadducæorum, Matth. decimo-ſexto. Quanquam & nonnunquam ſumitur in bonam partem; vt in parabola, Domino dicente: *Simile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum*, Matth. decimo-tertio. Sed & hanc ipſam apoſtoli ſententiam Cyrillus Alexandrinus lib. 4 in Ioannem cap. 17 in comparationem rei ſanctæ aſſumit, ita ſcribens: *Sicut parum* (vti Paulus ait) *fermenti totam maſſam fermentat, ſic parvula benedictio totum hominem in ſeipſam attrahit, & ſua gratia replet.* Ita Cyrillus. Ac ſanè fermentum ipſum non corrumpit maſſam dum eam fermentat, ſed magis aptam reddit vſui humano. Proinde Hieronymus in commentario epiſtolæ ad Galatas, vtriuſque loci verſionem emendat, pro *corrumpit* volens *fermentat* legendum eſſe. Ex quo colligitur (vt id obiter admoneamus lectorem) hanc noui teſtamenti verſionem, quam in manibus habemus, non eandem prorſus eſſe, quam emendatam eccleſiæ dedit Hieronymus: id quod pluribus oſtendimus in prolegomenis. Pro maſſa Græcè eſt φύραμα. Hieronymus *conſperſionem* vertit: quemadmodum & noſter interpres in verſu proximè ſequenti. Significat autem φύραμα farinam vel aliam ſimilem materiam, aqua, vel oleo, vel alio liquore conſperſam ac temperatam, atque redactam in maſſam. Dico vel ſimilem materiam: Siquidem in epiſtola ad Romanos 9 dicitur de maſſa figuli, id eſt luto. Quem locum citans Auguſtinus in tractatu de quarta feria cap. 4, pro maſſa conſperſionem legit. Nam & Græcum verbum φυρᾶν generaliter ſignificat ſubigere, miſcere, temperare. Porrò Latinum vocabulum maſſa multo latius patet quam φύραμα Græcis, aut conſperſio Latinis. Legimus enim maſſam caricarum, ficorum, ferri, plumbi, quæ φύραματα aut conſperſio dici non poteſt. Itaque conſperſio melius hic conuenit quam maſſa. Eſt autem in his apoſtoli verbis occupatio. Nam dicere poterant Corinthij: Vnus eſt qui peccauit: quid hoc ad cęteros? Reſpondet apoſtolus: An neſcitis modicum fermenti ſatis eſſe ad totam farinę conſperſionem ſapore ſui imbuendam? id eſt, vnum paucóſve homines facilè ſuis moribus totam afficere multitudinem? ac certè facilius malè afficere quam bene: viciare quam ſanare. Significatur hac parte, finis ac ſcopus excommunicationis ex parte eccleſiæ: Qui quidem excommunicationis proprius ac primarius eſt finis. Nam excommunicatione potiſſimum id agitur in eccleſia, vt vnius morbidi membri ſeparatione totum corpus à morbi contagione ſeruetur.

Finis excommunicationis ex parte eccleſiæ.

7 EXPVRGATE VETVS FERMENTVM. Quidam vetuſti codices Græcis pleriſque ſuffragantibus legunt, *Expurgate igitur vetus fermentum*. Illationis omittendæ fuit occaſio, quod ſine ea legeretur hæc ſcriptura in ſacro paſchali officio. Cęterùm optimè quadrat hic illatiua particula. Ratiocinatur enim apoſtolus ad hunc modum: Si modicum fermenti totam conſperſionem fermentat: igitur expurgare, hoc eſt purgando eijcere debetis fermentum vetus: id eſt ſeparare à vobis hominem malum, cuius exemplo cæteri poſſent infici, ſicut fermento tota afficitur maſſa. Dicit autem vetus fermentum, proprio fermenti epitheto; vt denotet vetuſtatem hominis ſecundum carnem viuentis. Alludit apoſtolus ad ritum legis Moſaicæ; qua populus iubebatur, inſtante ſolennitate paſchali, è ſuis domibus eliminare omne fermentum ac fermentatum: atque ita ſine fermento nouam facere conſperſionem, & panes azymos; & cum his paſcha celebrare. Quę omnia quoniam *in figura contingebant illis*, infra cap. 10. meritò Paulus ea ad correctionem & inſtructionem vitæ Chriſtianæ figuraliter accommodat. Quod ergo dicit, *expurgate vetus fermentum*, idem eſt cum eo quod abſque metaphora dicit in fine; *Auferte malum ex vobis ipſis*. Nonnulli fermentum vetus generaliter interpretantur peccati vetuſtatem, ſeu prioris vitæ corruptionem: vt hæc ſit generalis exhortatio ad vitæ puritatem; ſicut paulo pòſt, *Non in fermento veteri* &c. Vtrumque ſenſum indicat Ambroſius lib. 1 de pœnitentia cap. 14. Sed priorem contextus ſermonis magis exigere videtur. Et nihil vetat fermenti metaphora nunc hominem vicioſum, nunc ipſum vicium aut vicia ſignificari.

Vetus fermentum quid ſignificet.

VT SITIS NOVA CONSPERSIO. Nūc cōſperſionē

Fermenti ſignificatio in ſcriptura.

Hieronymus verſionem Vulgatam emendat.

φύραμα, maſſa, conſperſio.

interpres quam ſuperiùs maſſam: Atqui clarior eſſet analogia Pauli, ſi eadem vtrobique Latina vox audiretur, vel maſſa vel conſperſio. Senſus: vt remoto fermento veteri, quod cœtum veſtrum inficit ſui contagio, ſitis populus ſanctus, ambulans in nouitate vitæ. Nã ſi vel modicum fermenti remanſerit in maſſa; adeò non manebit noua conſperſio, vt etiam tota contrahat ſaporem ac naturam veteris fermenti.

Chriſtiani per baptiſmum azymi.

SICVT ESTIS AZYMI. Ἄζυμοι, id eſt *infermentati.* Sic eos vocat quod ad eorum ſtatum & profeſſionem attinet. Vult enim vt vita profeſſioni reſpondeat: ac ſi dicat; vt par eſt eos facere, qui ſunt profeſſione azymi, id eſt ſinceri & puri à fermento peccati. Nam Chriſtiani per baptiſmum conſtituuntur in ſtatu nouitatis ac puritatis; eũdemque ſtatum poſt baptiſmum profitentur. Eam puritatem ſignificabant panes azymi, quibus tempore paſchali Iudæi veſcebantur. Vnde perſiſtens in alluſione figuræ veteris, adhuc ſubiungit.

Paſcha pro agno paſchali.

ETENIM PASCHA NOSTRVM IMMOLATVS EST CHRISTVS. Græcè & Syriacè: *Nam & paſcha noſtrum pro nobis immolatum,* ſiue *immolatus eſt Chriſtus.* Valla credit interpretem omiſiſſe particulam *pro nobis*, hallucinatum ſimilitudine dictionum: quia cum bis in Græco legatur ἡμῶν, ſemel tantum legerit, mediam tranſiliens præpoſitionem. Alius ſuſpicabitur omittendę illius particulę datam occaſionem ex officio paſchali; in quo tãtum canitur: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Verùm hinc argumentum accipi poteſt pro Latina lectione. Nõ enim eccleſia prætermittere voluiſſet illud *pro nobis*, in tam breui verſu cantando, ſi in Paulo legiſſet. Itaque non abs re ſuſpicatur Eraſmus, eam partem in Græcis codicibus adiecticiam eſſe. Paſcha ſumitur hic vt aliàs ſæpe, pro agno paſchali, ſed hic myſticè intellecto. Aliæ eius acceptiones alijs locis occurrunt, vt pro ſolennitate paſchæ, pro cœna paſchali: ſiue pro ipſius agni immolatione & eſu ſecundum legem. Qua de re, ſimul & de vocis etymo, plura dicemus ad illud de Moyſe dictum Heb. 11, *Fide celebrauit paſcha.* Senſus apoſtoli: Merito vitam azymam à vobis exigo; quandoquidem agnus noſter paſchalis immolatus eſt: nempe Chriſtus, pro nobis in ara crucis oblatus. *Ipſe enim verus eſt agnus qui abſtulit peccata mundi.* Quare ſicut Iudæi fermẽto abſtinebant, quamdiu paſcha celebrabant: ita & vos Chriſtianum ac perpetuum paſcha agentes, ſemper oportet abſtinere à fermento veteris ac prauæ conuerſationis. Ad hoc enim Chriſtus pro nobis immolatus eſt. Rem explicat ſequenti cohortatione.

8 *Ἑορτάζειν quid ſignificet.*

ITAQVE EPVLEMVR. *Epulemur*, Græcè ἑορτάζωμεν. quod verbum propriè ſignificat diẽ feſtum agere. Et quidem ſic legit Cyprianus libro de habitu virginum, *feſta celebremus*. Et Origenis interpres hom. 5 ſuper Leuiticum ita vertit, *diem feſtum celebremus*. Quæ eadem Auguſtini lectio eſt lib. 3 contra Parmenianum. Haimo quoque teſtatur aliam editionẽ habere: *Itaque feſtiuitatem celebremus.* Verum quia feſtis diebus ſolennes epulę ex carnibus immolatis exhiberi ſolebant; hinc etiam vſurpatur hoc verbum pro eo quod eſt, feſtum & ſolenne epulum celebrare. Et ita ſumitur hoc loco: vt ſit alluſio ad epulum agni paſchalis typici. Porrò quibus epulis paſcha noſtrum celebrandum ſit, docet conſequenter.

NON IN FERMENTO VETERI. Id eſt, non cum fermento veteris vitæ: quoniam & Iſraelitis cum fermento ſuum paſchale epulum celebrare nefas erat. Sequitur expoſitio fermenti veteris.

Πονηρία & κακία qui differant.

NEQVE IN FERMENTO MALICIÆ ET NEQVICIÆ. Pro nequicia alij verſutiam, alij prauitatem vertunt. Auguſtinus malignitatem legit. Hæc enim ſignificatur Græca voce πονηρία. Nam quod Caietanus omiſſionis peccata putat intelligi, nullam ex Græco rationem habet. Rectius illud, quod Theophylactus admonet, πονηρίαν nequiciam, aliquid peius eſſe quam ſit κακία malicia. *Malus enim eſt*, inquit, *quiſquis malè agit; nequam autem qui meditatè & cum dolo malè agit.* Vnde diabolus ad male agendum verſutiſſimus Græco nomine πονηρὸς paſſim appellatur in ſcripturis: quod interpres vulgatus variè vertit, vt malum, malignum, nequam, nequiſſimum. Præcipit igitur apoſtolus paſcha nobis celebrandum eſſe, non cum fermento malorum, vel, quod deterius eſt, prauorum operum; id eſt, quæ fraudẽ & prauam machinationem habeant adiunctam: alioqui futurum vt exterminemur è populo Dei, quomodo lex minatur Iſraelitis, qui fermentatum ederent diebus paſchalibus, exterminationis pœnam è populo, Exodi 12.

Azymi panes quid ſignificent.

SED IN AZYMIS SINCERITATIS ET VERITATIS. Per azymos panes, id eſt fermento carentes, quibus Iſraelitæ in epulo paſchali & per omnes dies paſchæ veſcebantur, ſignificari vult apoſtolus ſinceritatẽ ac veritatem conuerſationis: vt, quemadmodum annotauit Theophylactus, vita ſincera & pura opponatur malicię: vita autem vera, id eſt hypocriſi ac dolo vacans opponatur nequiciæ. Nam alij ſenſus, quos idem adfert Theophylactus, minus huic loco congruunt.

9 SCRIPSI VOBIS IN EPISTOLA; NE COMMISCEAMINI FORNICARIIS. Poſt decretum quo mandauit inceſtum illum excommunicari, ſtatuit nunc, ſeu potius repetit antea ſtatutam à ſe regulam generalem de vitandis fornicarijs, ac cęteris palam criminoſis fratribus. Hinc autem apparet aliam ante hanc à Paulo ſcriptam fuiſſe epiſtolam ad Corinthios, quæ pòſt interciderit. Nec enim dubium, quin & alię exciderint epiſtolæ ab apoſtolis ſcriptæ. Et ita de ea cuius hic mentio fit, multi ſentiunt expoſitores, tam veteres quam recentiores, præſertim Latini. Pro argumento poteſt etiam illud adduci, quod ante ſecundam epiſtolam ſcriptam dicebatur ab æmulis Pauli, epiſtolas eius quas ad Corinthios ſcriberet, graues eſſe

An Paulus aliam ante hãc ſcripſerit ad Corinthios epiſtolam.

& fortes;

& fortes; vt ipse refert 2 Cor. 10. Iam igitur ad eos scripserat plures epistolas. Atqui Chrysostom. ac cæteri Græci non de alia epistola quã de hac ipsa Paulum loqui censent. In hac enim paulo antè iusserat fornicarium tolli è medio congregationis. Quod deinde iterum præcepit sub metaphora expurgandi veteris fermẽti. Ne igitur errarent Corinthij existimantes omnes omnino fornicarios sibi vitandos esse & à se repellendos: exponit apostolus de quibus hoc intelligi velit. Ad id verò quod adfertur ex 2 epistola, responderi posset esse enallagen numeri. Nam de epistola quæ apud nos prima est ad Corinthios, id intelligi volebant illi aduersarij, propter quędam dura & authoritatis plena, quæ hoc capite & superiori continentur. Vtra harum opinionum vera sit, non omnino constat: fateor tamen in priorem me propensiorem. Etenim qui dicit, *Scripsi vobis in epistola*, ex ipso loquendi modo magis significat priorem quampiam epistolam, quã eam ipsam in qua scribit. Ita quum ait in 2 epist. c. 7. *Etsi contristaui vos in epistola*, de epistola prius scripta loquitur. Et eiusdem epistolæ cap. 2 bis tèrve dicens: *scripsi vobis*, ad priorem vtique epistolam respicit: sicut eo loco ostendemus. Quod si voluisset apostolus illud significare quod proximè scripserat de fornicario è medio fratrum auferendo; non diceret: *scripsi vobis in epistola*, sed: nunc modò scripsi vobis, vel, iam nunc audistis. Adde quod nec illuc quidem referri potest, quod hic dicitur, si res bene consideretur. Non enim sunt eadem, de medio congregationis fidelium aliquem tolli, & conuictum eius vitari. Neque mens apostoli est, eandem pœnam excommunicationis quam hic statuit in hominem adulterum & incestum, extendi ad omnes, de quibus nunc loquitur: Sed leuiori quodam excommunicationis genere vult eos puniri, quemadmodum infra à nobis declarabitur. Ex his ergo valde probabilis fit eorum sententia, qui putãt apostolum de diuersa quadam epistola loqui: quæ Corinthiorum negligentia postea perierit. Porrò commisceri fornicarijs hoc loco, non est turpitudinem cum fornicarijs exercere, sed vitæ commercium & consuetudinem cum eis habere.

Affirmatiua responsio probabilior.

10 NON VTIQVE FORNICARIIS HVIVS MVNDI. Græcè, *& non omnino fornicarijs mundi huius*. Sensus est: Id quod scripsi, nolo intelligatis vniuersè dictũ de fornicarijs, ac si comprehensos velim etiam infideles. Per mũdum hunc intelligit vniuersitatem eorum qui per baptismum non sunt separati à mundana conuersatione, id est qui nondum facti sunt Christiani. Non igitur omnes fornicarij secundum apostolum sunt fornicarij huius mundi; non enim illi qui sunt in ecclesia: quos & fratres paulo pòst vocat, & intus esse affirmat, & à quorum consuetudine abstinendum docet. Ex quibus manifestè contra sectarios ostenditur, etiam malos & sceleratos homines esse in ecclesia. Negat autem apostolus se locutum de fornicarijs huius mundi; non quod illorum non sit etiam vitanda conuersatio, quatenus nostris moribus contagium adferre possit; hoc enim ipsa naturę lex præcipit: sed peculiariter ac maiori studio, pluresque ob causas, ab illorum abstinendum est consortio, qui fratres cum sint, & Christi fidelium nomine cẽseantur; professionem suam male viuendo dehonestant, fratribus exemplo nocent, ipsumque nomen Christianum probris ac maledictis infidelium exponunt, si præsertim vt tales, notati ac nominati sint ab ecclesia. Quod erat genus quoddam excommunicationis, etsi minus eo quo satanæ quidam tradebantur. At dices, Christi lege non amplius præcipi, quam vt frater ecclesiam non audiens, sit nobis *sicut ethnicus & publicanus*, Matth. 18. Non magis igitur abstinendum nobis erit à consuetudine cum fratribus fornicarijs (quod vult Paulus) quam cum fornicarijs huius mundi. Motus hoc argumento Caietanus, dicit *Domini sententiam mitiorem esse* quam Pauli, qui censeat, fornicarium fratrem *plus vitandum quã ethnicum*. Sed vera respõsio est, verborum Domini, *sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, hunc esse sensum: Habete illum eo loco, quod ad exteriorem conuersationem pertinet, quo Iudęi habent ethnicos & publicanos. Nam ad Iudæos ea verba Christus loquebatur, qui consuetudinem ethnicorum & publicanorum adeò declinabant, vt nec salutandos putarent. Qua in re nobis Christianis non sunt imitãdi. Quocirca nihil prohibet quosdam fratres, etsi nondum satanæ traditos, vt de quibus hic Paulus, magis à nobis vitandos esse quam ethnicos.

Qui mali Christiani vitãdi.

Obiectio.

Solutio.

AVT AVARIS, AVT RAPACIBVS. Ad singula repetendum, *huius mundi*. Auaros intelligit eos qui quomodocumque res alienas iniustè vel auferunt vel detinent; præsertim si furto aut fraude id faciant. Nam qui apertè & per vim tollunt rem alienam, rapaces sunt. Dicuntur illi quoque auari, qui sua tenaciùs retinent absque aliorum iniuria. Sed de ijs non diceret apostolus, *ne commisceamini*. Nec hi tam propriè dicuntur Græcè πλεονέκται. Deducitur enim hoc nomen à plus habendo; & eos significat qui plus semper appetentes, per fas & nefas, per fœnus & fraudes studeant augendæ rei. In hunc auarum dicit Ecclesiasticus ca. 10, *Auaro nihil est sceleſtius. Hic enim & animam suam vænalem habet.*

Auari Paulo qui dicantur.

AVT IDOLIS SERVIENTIBVS. Græcè εἰδωλολάτραις, id est *simulacrorum cultoribus*. Cultum intellige Deo debitum, quem λατρείαν ferè in scripturis significat. *Vnde idololatræ dicuntur*, ait Augustinus li. 1 de Trinitate cap. 6, *qui simulacris eam seruitutem exhibent, quæ debetur Deo*. Obserua Paulum ea peccata nominasse sub quibus omnia cętera possint intelligi. Nam fornicarius peccat in seipsum; auarus & rapax in proximum; idolorum cultor in Deum. Omne autem peccatum ad aliquod genus istorum trium pertinet.

Qui fornicarij huius mundi.

In ecclesia sunt etiã mali.

Idololatræ qui dicãtur.

Triplex peccatorũ genus.

ALIOQVIN DEBVERATIS DE HOC MVN-

DO EXIISSE. Græcè, *Quandoquidem*, siue *alioqui debetis sane de mundo exire.* tametsi permodica differentia est inter ὀφείλετε, *debetis*, & ὠφείλετε, *debebatis*, id est deberetis. Sensus: Si vobis abstinendum esset à consuetudine fornicariorum ac cæterorum huius mundi criminosorum hominum; deberetis mundum relinquere, & vt ita dicam, in alium mundum commigrare. Quo in sermone hyperbole quędam est, qua significatur infideles, apud quos memorata vicia regnant, per totum mundum sparsos esse, & vbique obuios: vt proinde difficillimum sit, ac penè impossibile eorum cōmercia vitare. Quod nec oportebat; quandoquidem tunc infideles sancta Christianorum inter ipsos conuersatione erant alliciendi ad fidem. Ita Augustinus contra Parmenianum scribens, hæc apostoli verba, *alioquin debueratis de hoc mundo exijsse*, suis verbis prosequitur: *Opus enim vestrum in hoc mundo illud est, vt peccatores Christo ad salutem lucremini. Quod fieri non poterit, si eorum colloquia, conuictumq; fugiatis.* Quam eandem rationem adfert homilia 50 ca. 4. Hinc & apostolus infra cap. 7 præcipit, ne fidelis dimittat coniugem infidelem cohabitare consentientem: & capite 10 permittit ei cibum sumere cum infidelibus: *Si quis*, inquit, *vocat vos infidelium, & vultis ire* &c. Alij alios huius loci commentarios adferunt, sed obscuros ac parum certè probabiles: quos videre est apud Erasmum in annotationibus. Nec illud placet, quod quidam mundum, vel hunc mundum, Græciam interpretantur. Non enim sola Gręcia viciorum huiusmodi quæ hic recitantur, ferax erat, sed totus mundus infidelium. Taceo de Caietano, qui Græca non bene intelligens, ab illo loco; *Scripsi vobis in epistola* &c. non parum à mente Pauli peregrinatur in suo commētario; quem videat apud ipsum qui volet. Cæterùm ex apostoli sententia quam hic tradit, colligere licet, in ijs regionibus vbi plerique sunt hæreticis erroribus imbuti, non esse fidelibus illicitum cum illis versari; quantum quidem ad ecclesiæ legem attinet. Non enim vult ecclesia pręcepto suo fideles obstringere, vt ciuitates suas ac regiones relinquant. Dico, quantum attinet ad legem ecclesiæ. Nam vt antè dixi, lege naturæ tenetur quisque, quoad potest, suum periculum vitare.

Cōuersari cum hæreticis non semper & vbique illicitum.

II NVNC AVTEM SCRIPSI VOBIS NON COMMISCERI. Plenius exponit de quibus & quomodo velit intelligi quod scripserat non conuersandum cum fornicarijs. *Nunc* particula est attentionem postulantis ad id quod dicit. non autem significantis se diuersum aliquid iam scribere ab eo quod olim scripserat; vt imaginantur Caietanus & alij quidam. Sensus enim est: At verò quod scripsi vobis, tale est; vt ne commiscearnini &c. Sermo continuandus cum eo quod sequitur.

SI IS QVI FRATER NOMINATVR, EST FORNICATOR AVT AVARVS. Græcè, *Si quis frater nominatus aut fornicator aut auarus:* nisi quod quidam codices pro ἢ πόρνος *aut fornicator*, habent ἦ πόρνος, *sit fornicator aut auarus* &c. Vtriusque lectionis meminit Theophylactus. Iuxta priorē sententia caret verbo: quod tamen Græci subintelligunt. Et alioqui familiare est Hebræis verbum substantiuum supplēdum relinquere. Versio qua Pacianus vsus est, vtrumque coniungit: *Si quis frater nominatur, & sit aut fornicator, aut simulacris seruiens aut auarus* &c. Nec ferè secus contra Parmenianum scribens Augustinus. Nam legit & subinde repetit: *Si quis frater nominatur, & est aut fornicator* &c. idque secundum omnes codices mss. in castigatione Plantinianæ editionis adhibitos. licet in alijs locis apud Augustinum illud *& est*, non legatur additum, vt libro de fide & operibus cap. 2, & homilia 50. Græca lectio, sicut ab Oecumenio diligenter est annotatum, duobus modis intelligi potest: Vel sic vt participiū *nominatus* (quod in Græco est præsentis temporis ὀνομαζόμενος) fratrē determinet; ac sensus sit, Si quis cum frater appelletur, id est Christiani nomen gerat, sit fornicator aut auarus &c. Quem sensum spectat textus nostræ versionis. Vel vt idem participium referatur ad sequentia: Si quis frater fuerit nominatus fornicator aut auarus &c. hoc est; si quis Christianus adeò manifestè fornicator sit aut auarus aut quicquam tale, vt etiam huiusmodi nomine passim ab hominibus designetur, & commune nomen sibi quodammodo fecerit proprium, id est, si eo nomine sit diffamatus. Hunc sensum priori prefert Oecumenius, haud immeritò. Nam famosi more scripturæ nominati dicuntur; Græcè ὀνομαζόμενοι vel ὀνομαστοὶ, vt 1 Machab. 3 de Iuda: *Et nominatus est vsque ad nouissimum terræ.* Ecclesiastici 39, *Narrationem virorum nominatorum conseruabit.* Baruch. 3, *Ibi fuerunt gigantes nominati.* Cæterùm nominatus, quādo idem valet quod appellatus, Græcè dici solet καλούμενος, λεγόμενος. Rectius igitur ὀνομαζόμενος sequentibus adiungitur sensū iam dicto; quem & Augustinus tradit aduersus Parmenianum disputans: *In verbo nominatur*, inquit, *hoc intelligi voluit* apostolus, *parum esse vt sit quisque talis, nisi etiam nominetur, id est famosus appareat.* & in libro de fide & oper. *Nominantur, id est noti famosiq; sunt.* Eidem sensui patrocinantur & alij veteres, qui partem hanc ita legunt, vt verbum *nominatur* ad sequentia referri oporteat. velut Ambrosius lib. 1 de pœnitentia cap. vltimo, & in epist. 82, quæ est ad ecclesiam Vercellensem. Interpres Irenæi lib. 4 cap. 46, & interpres Origenis homilia 5 super Leuiticum. Sic enim apud eos legitur: *Si quis frater nominatur fornicator, aut auarus, aut idololatra* &c. Sed & codex Paulinus vetustissimus, cuius Erasmus meminit, ita legit: *Si quis frater nominatur inter vos fornicator aut auarus.* Expressius autem id voluit Cyprianus, seu quisquis author libri de aleatoribus, dum verbum reiecit in finem. *Si quis, frater*, inquit, *fornicarius, aut idolorum cultor, aut*

Varia lectio.

Nominati qui dicantur in scripturis.

auarus,

auarus, aut raptor ſiue iniuſtus nominatus fuerit. Porrò ſciendum eſt Auguſtino in homilia citata, nominationem eam quę dicta eſt, non ſufficere. Cum enim dixiſſet: *Nos verò à communione prohibere quenquam non poßumus, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo, ſiue ſæculari, ſiue eccleſiaſtico iudicio nominatum atque conuictum.* poſtea probans ex apoſtolo quod dixerat, ita ſubiungit; *Alioquin, illud cur dixit: Si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis ſeruiens, & cætera, niſi quia eam nominationem intelligi voluit, quæ ſit in quenquam, cum ſententia ordine iudiciario atque integritate profertur? Nam ſi nominatio ſola ſufficit: multi damnandi ſunt innocentes; quia ſæpe falsò in quoquam crimina nominantur.* Hæc eo loco Auguſtinus; quē allegat & ſequitur Thomas Aquinas in commentario. Verùm non apparet in vocabulo nominationis, vt hic vſurpatur à Paulo, totum illud includi quod Auguſtinus requirit: quanquam procul dubio mēs apoſtoli eſt, id quod hic præcipit, agendum ordine iudiciario, quē alibi præſcribit, vt 2 Theſſ. 3 verſu 14. Quod ſi tamen adeò notorium ſit crimen, vt nulla tergiuerſatione celari poſſit, quale erat illius Corinthij, qui vxorem patris habebat: non videtur ex apoſtoli mente ſententia iudicis exſpectanda ad hoc, vt eiuſmodi frater criminoſus vitetur. Fornicator eſt, quiſquis mulieri copulatur extra coniugium. Auarus qui rem alienam vel aufert vel detinet iniuſtè: vt dictum eſt ſuprà. Vnde pro auaro apud Tertullianum libro de pudicitia cap. 18 legitur, *fraudator.*

Quæ nominatio intelligatur hoc loco.

Non ſemper exſpectāda iudicis ſententia, vt frater improbus vitetur.

AVT IDOLIS SERVIENS. Græcè εἰδωλολάτρης *ſimulacrorum cultor.* Quærunt commētatores, quomodo idem ſit & frater & idolorum cultor. Reſponſio eſt, id fieri quoties is qui baptiſmo & profeſſione Chriſtianus eſt, ſiue ex animo, ſeu metu, ſeu placendi voluntate, ſeu quauis alia ratione inductus, infidelium ſacris ſeſe admiſcet, vt vel idolum colat, opere ſaltem externo, vel de idolothytis edat; contra illud, *Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum.* infrà cap. 10. Vbi & illa ſunt præcepta: *Neque idololatræ efficiamini,* &, *Fugite ab idolorum cultura.* Sic & Ioannes præcipit in fine primæ epiſtolę: *Filioli, cuſtodite vos à ſimulacris.*

Quomodo idē frater & idololatra.

AVT MALEDICVS. Græcè λοίδορος, id eſt *conuiciator*, contumelioſus, item maledicentię morbo laborans. Qui enim facilis eſt ad conuicia, facilè etiam maledicit, id eſt malum imprecatur. Et huius criminis grauitatem ex eo diſce, quod cōmunem pœnam mereatur cum cęteris hic enumeratis.

AVT EBRIOSVS. Ebrietas ſuo genere peccatum mortale eſt, quēadmodum & alia huius loci. *Quod enim quis propter delectationem vini* (inquit Thomas in commentario) *velit perdere vſum rationis, exponens ſe periculo multa alia peccata perpetrandi, videtur eſſe contrarium charitati. Contingit tamen per accidens, ebrietatem non eſſe peccatum mortale, propter ignorantiam fortitudinis vini, vel debilitatis proprij capitis. Quæ tamen excuſatio tollitur per frequentem experientiam. Et ideo apoſtolus ſignanter non dicit ebrius, ſed ebrioſus.* Hæc ille. Quæ eadem fere ſcripſit ad illud Rom. 13, *Non in comeſſationibus & ebrietatibus.* Ex quo tamen apoſtoli loco, ſimul & ex altero qui eſt Gal. 5, vbi ſimiliter comeſſationes ebrietatibus adiungit, haud temerè videri poteſt; ſicut comeſſatio damnatur propter immoderatum ſtudium gulæ, etiamſi non priuet hominem vſu rationis; ſic etiam ſentiendum eſſe de ingurgitatione vini; præſertim cum & alibi ſcriptura in ebrietate ſpectet non tam rationis defectum, quam exceſſum potus inebriatiui: ſiue potantem inebriet vſque ad deliquium rationis, ſiue nō. Quapropter in hoc genere etiam illi damnantur & grauiter increpantur in ſcriptura, qui quod vini potu non facilè deijciantur, copioſius illud hauriunt. Hinc illæ comminationes, *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem*, Iſa. 5. &, *Væ his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis.* Prouer. 23. Huc accedit quod nec apud Græcos μέθυσος, nec apud Latinos ebrius, tunc ſolum quis dicitur, quum ex potu ratio prorſus conſopita fuerit; verum etiam ſi ſic obnubilata, vt plenum & perfectum eius vſum non habeat. Iam nec illud conſtat, Græco nomine, quod interpres ebrioſum vertit, frequentiam ebrietatis hoc loco ſignificari: cum & de ebrio dicatur, qui fortè non aliàs ſeſe inebriauerit. Quare ſicut alia vicia ſeu peccata quæ Paulus hoc & ſequenti capite recenſet, vt fornicarium, adulterum, rapacem, furem, maledicum eſſe, & quę rurſus enumerat Gal. 5, nec frequentiam includunt in ſua ratione, nec de frequentia exponenda ſunt, vt verum ſit quod dicit apoſtolus; *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt:* ita & de ebrietate, atque eo quem μέθυσον apoſtolus vocat, dicendum videtur. Neque tamen apoſtoli mens eſt, cum fratre qui ſemel fornicatus fuit, aut furatus, aut conuiciatus, aut ſeſe inebriauerit, ſi poſtea ceſſet, non eſſe cibum ſumendum: ſed ita demum, ſi hęreat in huiuſmodi vicio, etiam poſtquam admonitus fuerit. Nam vnus aut alter actus in talibus non reddit hominem nominatum, id eſt famoſum. Quæ res etiam argumento eſt, vocabulum ὀνομαζόμενος *nominatus*, ad ſequētia potius, ſicut oſtendimus, quam ad id quod præcedit, attinere.

Ebrietas ſuo genere mortale peccatum eſt.

Ebrietas etiā citra deliquiū rationis peccatum mortale.

Peccata dānabilia etiam non frequentata.

AVT RAPAX. Qui dicantur rapaces, ſuprà dictum eſt.

CVM EIVSMODI NEC CIBVM SVMERE. Subiungit hoc apoſtolus per epitaſin: cum alioqui ſine eo abſoluta eſſet oratio. Itaque exaggeratione explicat quomodo ſit accipiendū quod dixerat, *non commiſceri*, quaſi dicat; Hoc ſenſeram, quando ſcripſi vobis ne commiſceamini cum fratre nominato fornicario &c. cōſortium eius ita vobis fugiendum eſſe, vt nec menſam cum eo habeatis communem. Rurſum his verbis excommunicationis pœna ſignificatur,

Excõmunicationis pœna, minor tamẽ priore.

gnificatur, minor tamen ea qua ſuperius plecti voluit inceſtum illum. Plus enim eſt tradere quempiam ſatanę, quàm ſola fidelium conſuetudine & conuictu eum priuare. Nam qui traditur ſatanæ, prorſus abſcinditur ab eccleſia, adeò vt frater eſſe deſinat, nec iam illi ſuffragia eccleſiæ communia quicquam proſint. Is autem de quo nunc agitur, frater permanet: à quo tamen propter improbam eius vitam ſeſe ſubtrahunt alij fratres; vt eo pudore reuocetur ad meliora. Nec verò ſatanæ quiſquã tradebatur, niſi propter crimen aliquod grauiſſimum ac prorſus intolerandum, quale eſt hęreſis, propter quam ſatanæ traditi Hymenæus & Alexander 1 Tim. 1. & quale inceſtus, de quo actum eſt ſupra. Vitabantur autem à fidelibus etiam quorum minora erant crimina. Scio quoſdam commentatores hoc genus excommunicatorum à priori non diſtinguere. Quin & Auguſtinus lib. 3 contra Parmenianum id quod Paulus dicit, *cum eiuſmodi nec cibum ſumere*, de pœna anathematis intellexit, tanquam eãdem cum pœna illius inceſti: tametſi poſtea refert etiam ad minores excommunicationes, iuxta germaniorem huius loci ſenſum. Quem præter ea quæ ſupra dicta ſunt, admodum confirmat locus ſimilis in epiſtola 2 ad Theſſ. 3, vbi denunciat eis apoſtolus, vt ſeſe ſubtrahant *ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundũ traditionẽ* ab ipſo acceptam. Ac poſtea declarans inordinatam eorũ conuerſationem, dicit; *Audiuimus enim inter vos quoſdam ambulantes inquietè, nihil operantes; ſed curiosè agentes*, &c. Deinde pœnam ſtatuit ijs qui tales ſunt, & admoniti nõ ſe corrigunt: *Quod ſi quis*, inquit, *non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate: & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur*. Sanè liquet hæc crimina, ambulare inquietè, nihil operari, ſed curiosè agere, non eſſe eius generis, ob quæ quis tradendus ſit ſatanæ; & proinde minorem quandam excommunicationem eo loco ſignificari, per quam non deſinat eſſe frater, qui ſic punitur. Vnde etiam continuò ſubijcit: *Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite vt fratrẽ*. Patet etiam, ita demum fideles ſubtrahere ſe debuiſſe ab iſtiuſmodi fratris conſortio, ſi ab eccleſia notatus fuiſſet, vtique per ſentẽtiam; ſine qua non poterat ab omnibus cognoſci quod vitandus eſſet: ac proinde non ſatis fuiſſe ad obligationem vitandi, quod lex generalis ab apoſtolo data eſſet, vt nonnulli putant: niſi forte tunc quãdo palàm conſtaret quempiam ſub lege comprehẽdi: ſicut antè dictum eſt. Quamuis autem iſta excommunicatio minor eſſet illa priore, maior tamẽ erat ea quam hodie minorem excommunicationem vocamus. Qua de re plura ad locum memoratum 2 Theſſ. 3. Quot autem & qui ſint aut antiquitus fuerint, ſeu gradus ſeu ſpecies excommunicationis, petendum ex commentarijs in 4 ſent. diſt. 18.

Excõmunicatio maior aut minor pro diuerſitate criminum.

An ſentẽtia neceſſaria ad vitãdum fratrem crimineſum.

12 QVID ENIM MIHI DE IIS QVI FORIS SVNT IVDICARE? Grękè: *Quid enim mihi etiam eos qui foris ſunt iudicare?* Tertullianus quoque libro de pudicitia ca. 19 legit, *eos qui foris ſunt*. Quanquam & Eraſmus vertendum putauit, *de his qui foris ſunt*. Rationem reddit apoſtolus cur de ſolis locutus ſit Chriſtianis. *Quid mihi*, Hebraiſmus. Latinè dicas, *Quid meà?* Senſus apoſtoli: Quid ad me attinet, vt prętер fratres noſtræ curę & poteſtati ſubiectos, etiam eos iudicare velim ac punire meo decreto, qui sũt extra eccleſiam, ideoque & extra meam iuriſdictionem? Hęc enim iuriſdictio cum ſpiritualis & eccleſiaſtica ſit, extra limites eccleſiæ nõ extenditur. Dicet aliquis: ergo nec prohibendum fidelibus, ne conuerſentur cum excommunicatis; quandoquidem & illi foris ſunt. Reſpondeo, excommunicatos, etiam eos qui ſatanæ traditi ſunt, non omnino foris eſſe: ſed ſecundum aliquid intus atque in eccleſia remanere: quatenus nimirum manent eccleſiæ ſubditi. Nam ea dũm aliquos excommunicat, haudquaquam illos abdicat à ſua poteſtate ſeu iuriſdictione: (quod nec facere poteſt) ſed tanquam noxia membra à ſe reſecat: manente poteſtate quam in eos habebat. Igitur apoſtolo foris eſſe dicuntur, qui ita ſunt extra domum quæ eſt eccleſia, vt ad eius regimen nullo modo pertineant: cuiuſmodi ſunt qui in eccleſia nunquam fuerunt. Vtitur hac locutione Paulus etiam alibi, vt Coloſſ. 4 verſu 5. 1 Theſſal. 4 verſu 12, 1 Tim. 3 ver. 7. Eſt autem conſequens ex hoc loco, eccleſiam excommunicando iudicium exercere in eum ipſum quem excommunicat. Itaque non hac ſolum ratione cenſetur excommunicare quempiam, quia fidelibus prohibet ne cum illo conuerſentur, (ſic enim etiam ethnicos excõmunicare poſſet;) ſed ipſum propriè abiungit & eijcit, vtendo poteſtate quam ſuper eum habet ac retinet. Vnde & inobediens iudicabitur excommunicatus, ſi ſe nolit abſtinere à conuentibus fidelium, ſed adhuc ijs ſeſe ingerat: quemadmodum & ſi nolit obſeruare leges eccleſiæ de ieiunijs, diebus feſtis, ac cęteris huiuſmodi: quibus vtique adhuc tenetur. Sed quare non iudicat eccleſia de ijs qui foris ſunt, quando iudicat aliquem admittendum ad baptiſmum vel non admittendum? Reſponſio: Non iudicat tanquam poteſtatem iuriſdictionis ſuper eum habens; nec enim punire eum poteſt dũ hondum eſt baptizatus: ſed tantum admittit vel reijcit iudicio diſcretionis ac prudentiæ; quomodo reſpublica quępiam exterum ſupplicantem recipi in ciuitatem, recipit aut non recipit, nondum habẽs ſuper eum iuriſdictionis poteſtatem. Hic autem ſermo eſt de iudicio quod eſt actus iuriſdictionis, quæ non poteſt exerceri niſi in ſubditum.

Eccleſia iuriſdictio non extẽditur ad eos qui foris ſunt.

Excõmunicati nõ omnino foris ſunt.

Qui Paulo dicantur eſſe foris.

Eccleſia excõmunicando iudicium exercet in eum quẽ excõmunicat.

Quæſtio.

Reſpõſio.

NONNE DE IIS QVI INTVS SVNT VOS IVDICATIS? Grękè rurſus accuſandi caſu, *Nonne eos qui intus ſunt* &c. Rem probat etiam ex more eorum ad quos ſcribit. Nam, inquit, & qui præſunt inter vos, id eſt in eccleſia Corinthiorum, tantum eos qui in eccleſia ſunt, iudicant ac puniunt; nempe Chriſtiani Chriſtianos: vi-

delicet

delicet agnoſcentes ad eos qui foris ſunt, poteſtatem ſuam non extendi.

13 NAM EOS QVI FORIS SVNT, DEVS IVDICABIT. Græcè, *Eos vero qui foris ſunt, Deus iudicat*, vel *iudicabit*. Vtroque enim modo verti poteſt Græcum verbum κρινει, codicibus accentum aut non habentibus aut variantibus: tametſi magis conuenit huic loco futurum κρινεῖ *iudicabit*. Senſus eſt: Nec ideo putetis eos qui foris ſunt impunes futuros, ac proinde melioris eſſe conditionis quam Chriſtianos, quod à nobis non iudicentur. Habent enim Deum iudicem, qui non relinquet impunitos; ſed etiam ſeuerius in eos animaduertet. *Horrendum eſt* enim *incidere in manus Dei viuentis* Heb. 10.

AVFERTE MALVM EX VOBIS IPSIS. Græcè & Syriacè, *Et auferte*, particula copulante poſita loco inferentis: *Auferte igitur malum*. In verbo *auferte* Græca variant quatuor modis, vt annotat R. Stephanus: ἐξαρεῖτε, ἐξαιρεῖτε, ἐξαῖρετε, ἐξάρατε. Sed eadem omnium ſignificatio eſt. *Malum* non neutrum eſt, ſed maſculinum; Græcè τὸν πονηρόν: vt ad hominẽ referatur. Tolles ambiguitatem, ſimulque vim exprimes articuli Græci, ſi ſic vertas: *Auferte iſtum malum*. Auguſtinus quidem lib. 3 contra Parmenianum cap. 2, accepit vt neutrum; tanquam velit apoſtolus, vt ex ſeipſo quiſque auferat malum, id eſt peccatum. Sic & Pacianus intellexit epiſtola 3, & ante eum Tertullianus in libro aduerſus Hermogenem cap. 11. Verùm Auguſtinus id corrigit & tetractat, tum quæſtione 39 ſuper Deuteronomium, tum lib. 2 retractationum cap. 17, docens ex Græco textu, *ſic potius* intelligendum, *vt homo malus auferatur ex hominibus bonis: quod fit per eccleſiaſticam diſciplinam*. Quanquam non generatim de malo homine Paulus loquitur: ſed ſpecialiter illum inceſtum deſignat; addito, ſicut dictum eſt, articulo, τὸν πονηρόν. Præcipit igitur hoc velut epiphonemate, ijs qui præerant in eccleſia Corinthiorum, illud quod initio dixit fieri oportuiſſe, nempe, *vt tollatur de medio fratrum qui hoc opus fecit*. Vtitur autem ad hoc verbis à Moyſe dictis & inculcatis ad populũ Deut. 13, 17 & 19. quodque ab illo dictum fuit de ſeparatione quæ fiebat morte corporis, refert ad abſciſſionem quæ animam attingit, id eſt ad excommunicationem. *Hoc enim nunc agit in eccleſia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio:* ſicut ait Auguſtinus in prædicta quæſtione ſuper Deuteronomium. Iam verò patet ex ſupradictis hanc ſententiam, *Auferte malum ex vobis ipſis*, diuerſam eſſe ab ea qua paulo antè dixerat: *Si is qui frater nominatur, eſt fornicator aut auarus &c. cum eiuſmodi nec cibum ſumere*. Vt enim crimen hoc de quo agitur, enormius eſt illis ibi recenſitis: ita plus eſt in eccleſiæ diſciplina, hominẽ auferri ſiue eijci è cœtu fidelium, quam vitari vt cibum cum eo non ſumas: quemadmodum in ſuperioribus ſatis eſt declaratum.

Malus auferendus è medio fratrum: & quis.

Hoc agit in eccleſia excõmunicatio, quod in veteri lege interfectio.

SVMMARIVM.

REprehendit quod iudicijs contendant apud infideles: & omnino quod iudicia habeant inter ſe. Docet quæ peccata excludãt à regno Dei. Corpora noſtra cum ſint membra Chriſti, & templum Spiritus ſancti, non eſſe polluenda fornicatione.

CAPVT VI.

1 AVDET ALIQVIS VESTRVM, HABENS NEGOCIVM ADVERSVS ALTERVM, IVDICARI APVD INIQVOS? Alia Corinthiorum reprehẽſio, quod iudicia ſeu lites agitarent apud iudices nõ Chriſtianos. *Audet* dictum pro ſuſtinet; quo ſignificat rem Chriſtianis indignam. *Iudicari*, id eſt iudicio experiri. Pro quo Cyprianus *diſceptare*, lib. 3 teſtimoniorum cap. 44. Syra vox *litigare* ſignificat. *Apud iniquos*. Græcè ἐπὶ τῶν ἀδίκων, *apud iniuſtos*, vel *ſub iniuſtis*. quomodo Latinè dixit Horatius, *adhuc ſub iudice lis eſt*. Dirigitur hic apoſtoli ſermo contra actorẽ, cuius in poteſtate erat apud ethnicum iudicem agere vel non agere; non contra reum qui compellebatur: cui nec integrum erat iudicem ethnicum declinare, modò cõpetentem. Peccatum ergo Corinthiorum in eo erat, quod cùm poſſent cauſam agere apud fideles, ſaltem vt delectos arbitros; mallent apud infideles iudices experiri, nõ ſine ethnicorum ſcandalo, & Chriſtianæ religionis iniuria. Nam eo pacto vicia Chriſtianorum detegebantur apud infideles, primum diſſidia, deinde auaricia, tum iniuriæ mutuæ. Senſus eſt: Potéſtne quiſquam veſtrum in animum inducere, vt ſi ſuper aliquo negocio controuerſiam habeat cum altero, eam agitet in iudicio apud iniuſtos? Quæ notatio eſt infidelium. Vnde huius loco poſtea verſu 6 dicit *apud infideles*. Hos enim quia fide carent, ex qua iuſtus viuit, generaliter iniuſtos appellat apoſtolus: ſimul inſinuans ab iniuſtis iudicandi iuſticiam non perinde exſpectandam eſſe. Meritò autem iniuſtos vocat, etiamſi de ſpeciali iuſticia ſermo ſit: Huius enim pars quædam eſt religio; quam virtutem apud infideles reperiri impoſſibile eſt. Loquitur autem de negocijs ſæcularibus, vti ſtatim declarat. Nã eccleſiaſtica negocia nullo modo tractari debebant apud infideles, vtpote iudices incompetentes: quando nec fidelibus laicis competit de ijs iudicare. Notandum quoque non hic agi niſi de litibus Chriſtianorum aduerſum ſe mutuo. Sic enim intelligendum illud, *aduerſus alterum*, ſcilicet fratrem. Nam ſi frater non erat is contra quem agebatur; non poterat ea lis terminari apud fideles: quod conſequenter vult apoſtolus. Vnde ſub eius reprehenſionem minimè cadit factum S. Iulittæ martyris, quæ referente Baſilio homilia 5,

Iudicijs apud infideles contendere, quare peccatũ.

Infideles cur iniuſti vocentur.

Eccleſiaſtica negocia nec ab infidelibus, nec à laicis iudicãda.

Factum Iulittæ martyris excuſatur

res

res ſuas iniuſtè occupatas à quodam homine potente, eoque infideli, repetiit apud iudices infideles; ea tamen animi Chriſtiani integritate ſeruata, vt cum ius ei ab impijs iudicibus negaretur, niſi prius Chriſtum abiuraret; magis elegerit vnà cum terrenis facultatibus vitam amittere, quam Chriſtum verbo negare.

Fideles cur ſancti dicantur.

ET NON APVD SANCTOS. Græcè, ἐπὶ τῶν ἁγίων *ſub ſanctis*, id eſt, fidelibus ſeu Chriſtianis. Quos ſanctos appellat, eo quod eccleſia fidelium ſancta ſit; etſi non ſinguli quique ſancti. Vtitur autem hoc vocabulo Paulus, vt inſinuet eos merito iudices adhibendos eſſe, qui & profeſſione & re ſancti ſunt. Ab his enim rectum & æquum iudicium exſpectandum. Et quamuis Chriſtiani non eſſent iudices à principe conſtituti cum poteſtate; poterant tamen, vt dictum eſt, eligi & aſſumi tanquam arbitri, quorum ſententijs ex compromiſſo ſtarent, qui controuerſias habebãt. Vnde ex hac apoſtoli doctrina, Chriſtianis olim in more fuit, etiam tempore Chriſtianorum principum, vt ad epiſcopos cauſas ſuas deferrent dijudicandas: non quod propriè epiſcoporum ſit ſæcularia negocia tractare, cognoſcere, iudicare: ſed ita fieri placebat, vt fideles, qui non abſque Chriſtianæ charitatis ac pacis detrimento, de rebus terrenis aduerſum ſe mutuo diſceptabant; authoritate epiſcopi, cauſas eorum iudicantis, redigerentur ad concordiam: ſimul & cohortatione eius paterna diſcerẽt quantum præ bonis temporalibus, pro quibus aut conſequendis aut retinendis ardentius æquo certabant, amanda eſſent æterna. Quod quidem proprium epiſcopi munus eſt. Idque feciſſe beatum Auguſtinum teſtis eſt Poſſidius in eius vita cap. 19, referens, eum interpellatum non ſolũ à Chriſtianis, verum etiam à cuiuſcumque ſectæ hominibus, cauſas eorum audiuiſſe diligenter ac piè: & vt eas dirimeret, aliquando tota die ieiunantem perduraſſe. vbi etiam hoc addit, quam ſancta intentione, genus illud occupationis, alioqui moleſtiſſimæ, fuerit ab illo ſuſceptum. Qua de re & ipſe Auguſtinus lib. de opere monachorum cap. 29, verbis etiam hucà Beda relatis, ita ſcribit; *Dominum Ieſum teſtem inuoco ſuper animam meam, quoniã quantum attinet ad meum commodum, multo mallem per ſingulos dies certis horis, quantum in bene moderatis monaſterijs conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, & cateras horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de diuinis literis agendum, liberas; quam tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati, de negocijs ſæcularibus vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis: quibus nos moleſtijs affixit apoſtolus, non vtique ſuo, ſed eius qui in eo loquebatur arbitrio.* Et infrà: *Quem tamen laborem non ſine conſolatione Domini ſuſcipimus pro ſpe vitæ æternæ, vt fructum feramus cum tolerantia. Serui enim ſumus eius eccleſiæ, & maximè infirmioribus membris: qualibet in eodem corpore membra ſimus.*

Epiſcopi quondam arbitri cauſarum ſæcularium, deinde & iudices: & qua ratione.

Exẽplum Auguſtini cauſas ſæculares multorũ dirimẽtis.

Hæc Auguſtinus. Quibus ſimilia refert concione 24 ſuper pſalmum 118. Exſtat apud Gratianum, 11 quæſt. 1. lex imperatoris Theodoſij cap. *Quicumque*. & altera Caroli magni cap. *Volumus:* qua Theodoſianam in vſum reuocat: quibus legibus ſancitum fuit, vt liceret cuique tam actori quam reo, quamuis etiam lite iam apud iudicem ſæcularem conteſtata, iudicium eccleſiaſticum adire. Ex quo patet epiſcopos non ſolum arbitros huiuſmodi cauſarum fuiſſe, ſed, per dictas imperatorum conſtitutiones dum illæ vigebant (nam poſtea ſunt abrogatæ) iudicandi poteſtatem habuiſſe. Conſule notationes Gregorianas ijs capitulis additas. Vide etiam quæ de hac re ſcribit Franciſcus Turrianus lib. 3 pro epiſtolis pontificum.

Imperatorũ leges idipſum ſanxerũt.

2 AN NESCITIS QVONIAM SANCTI DE HOC MVNDO IVDICABVNT? Mss. *de mundo* ſine pronomine. Porro Græca & Syriaca ſic habent, *Neſcitis quod ſancti mundum iudicabunt?* quemadmodum & Cyprianus loco prius citato legit: necnon Hilarius in enarratione pſalmi 2, & Poſſidius in vita Auguſtini. Sanctos aſſumendos eſſe iudices ſuadet apoſtolus, ex eorum dignitate: quæ tãta eſt, vt etiam mundum, ſcilicet reliquum, hoc eſt, totum genus infidelium & reproborum, ſint iudicaturi. Quod fiet in extremo iudicio, vbi boni malos iudicabunt, non ſola comparatione; verum etiam approbatione ſententiæ diuinæ. Imò & qui apoſtolicæ vitæ veſtigia ſecuti fuerint, iudicabunt vt aſſeſſores Chriſti, ſecundum ipſius promiſſionem Matth. 19, *Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Quæ aſſeſſoria iudicandi poteſtas quomodo ſit accipienda, declarat Thomas in commentario: licet eam rem alij aliter explicẽt; vt videre eſt in ijs quæ diſputantur à Theologis in 4 ſentent. diſt. 47. Quanquam videtur apoſtolus hoc loco non de aliquibus, ſed de omnibus ſanctis loqui. Sequitur enim.

Sancti mundum iudicaturi: & quo ſenſu.

ET SI IN VOBIS IVDICABITVR MVNDVS. *In vobis*, Hebraiſmus, id eſt, à vobis, per vos. *Iudicabitur*, Græcè κρίνεται *iudicatur:* quemadmodum & legitur in commentario Ambr. & apud Poſſidium. Explicatio eſt ſuperioris argumenti. Si igitur, inquit, per vos mundus iudicatur, ſeu iudicabitur, id eſt, ſi vos eſtis mundi iudices, vtpote mundum aliquando iudicaturi: Abſoluitur enim à tempore verbum, *iudicatur*. Sequitur.

INDIGNI ESTIS QVI DE MINIMIS IVDICETIS? Græcè, *indigni eſtis iudiciis minimis?* Poſſidius Græco caſu retento legit, *indigni eſtis iudiciorum minimorum?* Quod tamen rectè, & Valla teſte pereleganter, vulgatus interpres vertit, *qui de minimis iudicetis?* Senſus enim eſt: Cum ſitis iudices vniuerſales, de maximis rebus iudicaturi, vt per quos omnium impiorum vita condemnanda ſit; an vos indignos cenſetis qui præficiamini minimis iudicijs? veluti cum diſceptatur de negocijs huius ſæculi,

culi, plerumque friuolis atque exigui momenti, certè extremo loco habendis à Christiano. Græca vox κριτήριον etiam forum significat, id est locum iudicij, vbi causæ aguntur. Et ita Faber accepit dum sic interpretatus est: *Indigni estis prætoriorum minimorum*. Sed eam significationem huic loco non conuenire, satis declarat illud quod statim sequitur, *sæcularia iudicia si habueritis*. Est enim idē in Græco vocabulum. Quāquam & ibi Faber *prætoria* transtulit, vt sibi constaret.

κριτήριον quid significet.

3 NESCITIS QVONIAM ANGELOS IVDICABIMVS? Amplificatio est eiusdem argumenti sumpti ex dignitate Christianorum, qui non solum iudicaturi sint mundum, id est homines; verùm etiam angelos: vtique malos, id est dæmones. Vnde Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 7, *Dolet diabolus*, inquit, *quod in ipsum & angelos eius Christi seruus ille peccator iudicaturus est*. Apparet sanè tum ex apostolo, tum ex Tertulliano, iudicium hoc de quo dicitur, quod *angelos iudicabimus*; ad omnes omnino Christianos electos pertinere, & non tantum ad certum genus Christianorū, id est, ad perfectos. Paulus enim in sequētibus etiam contemptibiles comprehendit, Tertullianus pœnitentes. Iudicabunt autē omnes electi Christiani angelos, non sola, vt suprà dictum est, comparatione, quomodo viri Niniuitę & regina Austri condemnabunt Iudæos incredulos, Matth. 12 & Luc. 11; sed quia cum diaboli & angelorum eius victores fuerint, maliciam eius & superbiam, atque etiam imbecillitatem, coram toto mundo traducent: eique tanquam victo, & vili & contemptibili, & à Deo proiecto, & in æternum damnato, insultabunt. Quæ res erit superbissimis illis spiritibus maxima & molestissima pœna. Facient autē hoc electi homines imitatione quadam Christi capitis sui; de quo dicit apostolus Colos. 2, quod per crucem suam *exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter palàm, triumphans illos in semetipso*.

Christiani angelos iudicaturi, malos vtique.

Quomodo homines electi angelos iudicaturi.

QVANTO MAGIS SÆCVLARIA? Græcè, μήτε βιωτικα, *nedum mundana, temporaria*. Possidius, *nedum sæcularia*: tametsi Græcum vocabulum haud commodè potest vna Latina dictione exprimi. Significat enim ea quæ pertinent ad vsum huius vitæ, vt est victus, vestitus, agri, domus, pecunia, supellex; circa quę versantur quotidianæ lites. Quidam vertunt *vitalia*: sed vitale Latinis aliud significat. Alij *victualia*, sed id contractius est. Syra versio sic sonat: *Quanto magis ea quæ sunt mundi*, seu *sæculi huius*? Leguntur & apud Lucam cap. 21 μέριμναι βιωτικαὶ, id est *curæ huius vitæ*. Cæterùm vox primitiua βίος legitur 2 Tim. 2. *Nemo militans implicat se negocijs sæcularibus*, Græcè πᾶς τῷ βίῳ πραγματείαις, id est negocijs ad hanc vitam victumque pertinentibus. Et ita locum hunc exponunt Laurentius & Erasmus. Si, inquit apostolus, iudicaturi sumus angelos, id est creaturam omnium præstantissimam; quanto magis digni habendi, qui inter nos de rebus infimis, vt sunt ea quæ spectant ad vsum vitæ præsentis, iudicemus? Dicit enim hoc sub persona fidelium in genere.

Sæcularia quæ dicat interpres.

4 SÆCVLARIA IGITVR IVDICIA SI HABVERITIS. Græcè βιωτικα μὲν οὖν κριτήρια &c. Erasmus: *Proinde iudicia siquidem habueritis de ijs quæ ad vitæ vsum attinent*: Sequitur.

CONTEMPTIBILES QVI SVNT IN ECCLESIA, ILLOS CONSTITVITE AD IVDICANDVM. In Græco tantum legitur: *contemptos in ecclesia eos constituite*, seu *collocate*. Sed & Augustinus ita legit: *Eos qui contemptibiles sunt in ecclesia, hos collocate*, lib. 5 contra Faustum cap. 9, & de opere monachorum. Pro *constituite* verti quidem etiam potest *constituitis*: idque malunt Laurentius & Faber; at nescio quam ob causam: quum certè modum imperatiuum huic loco magis congruere, satis appareat, totam sermonis seriem consideranti. Est autem in Græco verbum καθίζετε, id est *sedere facite*. Nam sedere iudicantium est. Et id voluit noster interpres, quando explicandi gratia de suo addidit, *ad iudicandū*. Quod & Syrus fecit ita vertens: *eos collocate vobis in iudicio*. Possidius quoq; legit ad hunc modum; *Hos collocate ad iudicandum*. Rectè etiam noster, quod Græcè est τοὺς ἐξουθενημένους, id est *contemptos, nihili habitos*, vertit *contemptibiles*, eadem ratione qua Gal. 2 reprehensibilem scripsit pro reprehenso; & Heb. 12 accensibilem pro accenso. Quod scitè ab eo factum ostendemus, quum ad ea loca peruenerimus. Porrò contemptos seu contemptibiles in ecclesia vocat non laicos in vniuersum, vt quibusdam videtur; Neque enim arbitror apostolum epitheto tam odioso totum genus laicorum notare voluisse, præsertim quum inter eos quidam digni sint qui ad ecclesiasticam functionem vocentur, eoque nomine honorabiles; nec nisi ex laicis clerici fiant: Sed eos intelligit qui in ecclesia, id est inter Christianos siue laicos siue clericos, minimi fiunt; aut certè inepti habentur ad maiora magisque propria ecclesiæ ministeria. Tales, inquit, potius vobis negociorum sæcularium iudices arbitrarios deligite, quàm vt conferatis vos ad infidelium tribunalia: *vt ipsi videlicet dispensationibus terrenis inseruiant, quos dona spiritualia non exornant*, ait Gregorius parte secunda curæ pastoralis capit. 7. Quod tamen non ita accipiendum, tanquam præcipiat apostolus eos qui contemptibiles in ecclesia sunt, adhibendos iudicijs sæcularium negociorum; nam alioqui male quondam episcopi iudicia huiusmodi exercuissent, accedente etiam voluntate principum; sicut ostendimus suprà: sed comparatiuè loquitur, docens hoc agendum potiùs, etsi parum deceat, quàm ferendum vt Christiani litigent apud infideles. Vnde sequitur,

Contemptibiles in ecclesia qui Paulo dicantur.

5 AD VERECVNDIAM VESTRAM DICO. *Ad verecundiam*, Græcè πρὸς ἐντροπὴν, *ad erubescentiam*, seu *pudorem*. Hoc, inquit, quod dixi de contemptibilibus constituendis ad iudicandum inter vos, non dixi quod ita fieri debeat; sed vt ab eo quod agitis, pudor vos auocet. Sic enim confugitis ad profana tribunalia, quasi desint apud vos viri sapientes & honorati, qui causas vestras dijudicent. Quod vobis profectò pudorem incutere debet. Atque hoc est quod sequitur.

SIC NON EST INTER VOS SAPIENS QVISQVAM, QVI POSSIT IVDICARE INTER FRATREM SVVM? *Quisquam* Græcè οὐδὲ εἷς, id est, *ne vnus quidem*. Qui sermo expressior est, & rei indignitatem auget. *Iudicare*, Græcè διακρῖναι, *dijudicare*; quomodo legit Possidius. Et illud, *inter fratrem suum*, siue, vt ad verbum in Græco: *inter medium fratris sui*, dictum est Hebræa phrasi, pro eo quod Latinè plenius dicitur, inter fratrem & fratrem, vel plurali numero, inter fratres. Priori modo locum hunc citat Augustinus enchiridij cap. 78. Sensus est; Adeóne non est vel vnus sapiens apud vos, qui fratrum inter se disceptantium causas possit, iudicando siue arbitrando, secundum ius & æquitatem dirimere? Sapientem intelligere videtur, quoad materiam præsentem, id est, doctum & peritum iudicandi de negocijs sæcularibus; vt sunt legum periti. Sic enim Thomas exponit: tametsi nec malè sapientem intelligas absolutè, id est eum qui veræ ac Christianæ sapientiæ causa in ecclesia sit honoratus: qui proinde cum authoritate iudicare possit; vt maximè sunt episcopi. Nam sapientem Paulus opponere videtur ei qui contemptibilis est in ecclesia. Et sic apostolum intellexit Augustinus in libro de opere monachorum, verbis suprà recitatis, in eo quod dicit: *quibus nos* (vtique episcopos) *molestijs affixit apostolus*. Nec non concione 24 super psalm. 118, ita scribens: *Constituit enim talibus causis ecclesiasticos apostolus cognitores, in foro prohibens iurgare Christianos*. Vbi forum intellige, in quo iudices erant non Christiani.

Sapiēs hoc loco quis dicatur.

6 SED FRATER CVM FRATRE IVDICIO CONTENDIT, ET HOC APVD INFIDELES? Quod in quibusdam Græcis legitur ἐπὶ ἀδίκων, *apud iniustos*: oscitanti librario imputandum reor, qui hic rescripsit quod superius scriptum meminerat: quum & in Syriaco textu legatur, *apud infideles*, & in omnibus Latinis. Porrò quod nos habemus *iudicio contendit*, Græcè vna dictio est κρίνεται *iudicatur*, vt legit Augustinus, vel vt alij vertere malunt, *litigat*. Id autem est iudicio contendere. Atque idem Græcum verbum eodem modo ab interprete redditum habemus Matth. 5 vers. 40. Duplex malum, inquiunt Theophylactus & Oecumenius post Chrysostomum, & quod frater aduersus fratrem iudicio agat; & quod apud iudices infideles. Non refert autem magnopere, siue cum interrogatione, siue quod magis placet, enunciatiuo sermone legatur hæc sententia: quemadmodum & illa huic similis, paululum infrà, *Sed vos iniuriam facitis* &c.

Duplex malū hic reprehensum.

7 IAM QVIDEM OMNINO DELICTVM EST IN VOBIS, QVOD IVDICIA HABETIS INTER VOS. Prosequitur prius membrum versus præcedentis, quo dixit fratrem cum fratre iudicio contendere. Nam de posteriore iam ante satis egerat. Græca sic habent ad verbum: *Iam quidem igitur omnino minoratio in vobis est, quod iudicia habetis cum vobis ipsis*, aut *vobiscum*, vt passim legit Augustinus: tametsi rectius noster interpres, *inter vos*, etiam Erasmo teste, qui explicatius vertit *inter vos inuicem*. *Iudicia* Græcè κρίματα, pro quo superius dixit κριτήρια. *Lites* vertit Erasmus, id est disceptationes forenses. Porrò *delictum* Græcè non est παράπτωμα, quod propriè delictum significat; estque in scriptura Græca frequentissimum: sed ἧττημα, quod significat minorationem, vel vt Rom. 11 verterunt plerique, diminutionem. Interpres Oecumenij hoc loco deiectionem; Theophylacti, defectum interpretatur. Est autem ἧττημα cum quis ab alio vincitur, & per hoc deterius habet, vtpote viribus aut numero diminutus: vt exponunt Græca scholia. Sic vsurparunt alicubi LXX, ἔσονται εἰς ἧττημα, *erunt in diminutionem*, id est vincentur. Quidam igitur hic non intelligunt peccatum, sed imperfectionem; ac si diceret apostolus: Hoc ad vestram imperfectionem pertinet, quod vestra iudicio repetitis; cùm sit euangelicæ perfectionis, *non resistere malo*, Matth. 5, Domino ibidem dicente, *Et ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*. & Luc. 6, *Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas*. Huc allegatur Theodoritus, qui dicit ea quæ Paulus hic tradit, esse perfectionis. At verò sciendum est ea ipsa iam recitata Domini verba præceptum continere, sic vt saltem ad venialem culpam obligent, si non præstentur secundum animi præparationem. Qui verus est eiusmodi præceptorum intellectus. Quare & hic Pauli locus sic accipiendus est, vt verè proprieque delictum sit, Christianos habere iudicia inter se: quatenus scilicet hoc contrarium sit memoratis Christi præceptis. Et ita locum hunc acceperunt veteres: vt commentator Ambros. Sedulius, Primasius, qui delictum interpretantur peccatum. Item Chrysostomus qui crimen vocat, id est peccatum iusta Pauli accusatione dignum. Nec aliter Theophylactus & Oecumenius. A quibus nec admodum dissentit Theodoritus, qui hæc monita Pauli *legem perfectiorem* vocat: vt intelligas oppositam ei imperfectionem per ἧττημα significatam esse ἀνομίαν quandam, ideoque viciosam & culpabilem. Quam proinde meritò noster interpres atque etiam Erasmus

Delictum hoc loco quid significet.

Peccatum est Christianos habere iudicia inter se.

verterunt

verterunt *delictum*. Huiuſcemodi namque minorationem quæ ex delicto naſcitur, aut ipſa delictum eſt, haud dubiè Paulus intellexit. Porrò ſunt nonnulli inter quos Caietanus, qui peccatum ſignificari quidem non abnuant, ſed ſic apoſtolum exponunt: Delictum in vobis eſt quod iudicia ſeu lites inter vos habeatis; propterea quod iudicia non exerceantur ſine peccato ſaltem alterius collitigantium. Nam vbi duo diſceptant in iudicio, neceſſe eſt alterum eorum iniuſtam habere cauſam, ideoque peccato teneri: niſi fortè per ignorantiam excuſetur. Verùm non id Paulum velle, ſatis ex antecedentibus liquet. Nam, vt initio monui, non aduerſus eos agit qui in ius vocantur; quos certè neceſſe eſt comparere apud legitimum iudicem, quamuis ethnicum: ſed tota eius reprehenſio circa actores verſatur; quos primùm increpat, quod apud iudices infideles actionem inſtituerent; deinde culpat quod omnino iudicia haberent, id eſt lites facerent; nec admittit excuſationem qua dicant ſe iniuria affectos à fratribus. *Quare enim*, inquit verbis conſequentibus, *non magis iniuriam accipitis?* &c. Sic apoſtolum intellexit Auguſtinus enchiridij capit. 78 & alibi. Sic & commentatores quos dixi. Verba Auguſtini in enchiridio tractantis hunc Pauli locum, iſta ſunt: *Hic poſſet putari, iudicium habere aduerſus alterum, non eſſe peccatum, ſed tantummodo extra eccleſiam velle iudicari: niſi ſecutus adiungeret: Iam quidem omnino delictum eſt inter vos, quia iudicia habetis vobiſcum. Et ne quiſquam hoc ita excuſaret, vt diceret iuſtum ſe habere negocium, ſed iniquitatem ſe pati, quam velit iudicum ſententiâ remoueri; continuò talibus excuſationibus occurrit, dicens: Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini?* Deinde Pauli doctrinam ad Chriſti magiſterium referens, ſubiungit; *Vt ad illud redeatur quod Dominus ait, Si quis voluerit tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium* &c. *Prohibuit itaque* Dominus *ſuos de ſæcularibus rebus cum alijs hominibus habere iudicium. Ex qua doctrina dicit apoſtolus eſſe delictum.* Hæc & plura Auguſtinus eo loco. Vide eundem his conſentanea ſcribentem in enarratione pſalmi 80, vbi Chriſtianum ſua repetentem, & pro ijs habentem cum fratre iudicium, numerat inter eos qui ſuper fundamentum, quod eſt Chriſtus, ædificant lignum, fœnum, ſtipulam: allegato Pauli teſtimonio, qui eiuſmodi iudicia *delicta eſſe dicit*. Et concione 24 in pſalm. 118, vbi ſic litigantium vocat vicioſas & negocioſas cupiditates. Igitur ex apoſtoli Pauli ſententia, ſicut eum interpretati ſunt Auguſtinus & alij ſcriptores memorati, delictum, id eſt peccatum eſt in iudicio ſua repetere: non quod id per ſe malum ſit, ſed quia malum non vnum, ſed multa ferè coniuncta habet. Nam ſuſcipiuntur huiuſmodi lites vt plurimùm ex inordinato rerum temporalium amore. *Contendit enim Chriſtianus* (inquit Auguſtinus in dicta pſalm. 80. enarratione) *pro rebus terrenis amplius quam decet eum cui promiſſum eſt regnum cælorum. Nec totum cor ſurſum leuat, ſed aliquam partem eius trahit ad terram.* Deinde nec carent certo periculo multarum offenſionum, quæ ex illis naſcuntur: vt ſunt ſiniſtræ de fratre ſuſpiciones & iudicia, obtrectationes, odia, acerbitates, maleuolentiæ. Nec leue malum eſt iactura temporis quam patiuntur omnes qui litigant; non ſine detrimento pacis ac tranquillitatis interne, quam omnes quærere debemus. Propter quod malum vitandum præcipit apoſtolus vt tempus redimamus, Epheſ. 5, Coloſſ. 4. Quocirca, niſi bono aliquo maiore diſpendium hoc ſpirituale compenſetur, cum ſtudio cauendi pericula quæ dixi; non ſine peccato lites huiuſmodi forenſes ſuſcipiuntur; ac minus ſine peccato aguntur: quantumuis quidam nimis cupidi rerum ſuarum poſſeſſores reclament. Compenſationem excipio: Nam certis caſibus delicto caret, imò laudabile & pium & neceſſarium eſt, iniuriam iudicio repellere: velut vbi quis non ſuum ac priuatum, ſed publicum alicuius communitatis agit negocium, vt eccleſiæ, monaſterij, collegij, maximè ſi ex obedientia aut ex officio id faciat: vbi quis bona pauperum, pupillorum, viduarum vel ablata, ſeu malè alienata repoſcit, vel ne tollantur obſiſtit: vbi quis ſua repetit quæ coniugi & liberis alendis ſint neceſſaria: vbi quis in iudicio vitam ſuam defendit, præſertim multis profuturam: quemadmodum ipſe Paulus fecit Cæſarem appellans, Act. 25. Denique cum aduerſarius videtur futurus ad nocendum audacior, ac plures alios iniurijs affecturus, ſi non authoritate iudicis reprimatur.

QVARE NON MAGIS INIVRIAM ACCIPITIS? Græcè ἀδικεῖσθε, *iniuriamini* paſſiuè, id eſt *iniuriam patimini*.

QVARE NON MAGIS FRAVDEM PATIMINI? Græcè, ἀποστερεῖσθε, *fraudamini*, vt legunt Cyprianus & Auguſtinus, id eſt *damnum accipitis*. Id enim propriè vox Græca ſignificat. Particula *magis* ſeu *potius*, in vtroque membro ſenſum ſuſpendit, explendum hoc modo: Cur non potius iniurias & damna patienter accipitis, quàm vt iudicio agatis aduerſus eum qui iniuriam aut damnum fecit? Hinc liquet apoſtolum in eo quod præceſſit, egiſſe propriè contra actores. Nec ſanè huiuſmodi erotematis vrgeret eos qui ad iudicia prouocant, niſi propter delictum dignos increpatione putaret, quamuis iuſtum habentes negocium. Nam ad eos qui iniuſtis litibus fratres vexant, aut quomodolibet iniuſtè eos lædunt, ideoque multo grauius delinquunt; pertinet obiurgatio ſequens.

Huius loci ſenſus quorundam refellitur.

Verus ſenſus aſtruitur.

Quibus caſibus licitum & laudabile iniuriam iudicio repellere.

Quomodo malum, ſua iudicio repetere.

8 SED VOS INIVRIAM FACITIS ET FRAVDATIS. Repetit eadem verba actiuè, quæ passiuè posuerat: quo manifestior sit antithesis. Differunt autem ἀδικεῖν & ἀποστερεῖν, quod illud significet actionem iniustam, istud verò magis importet effectum actionis, id est damnum illatum. Tantum, inquit, abest à vobis hoc quod exigo, quodque non præstando delictum habetis: vt ipsi sitis iniuriarum authores.

ET HOC FRATRIBVS. Græcè καὶ ταῦτα ἀδελφούς, *& hæc fratres*. Erasmus, *idq; fratres*; accusandi casu, quem regit vtrumque verbum Græcum præcedens: nec non Latinum *fraudatis*. Interpres vertens *fratribus*, ad prius verbum à se redditum, id est *iniuriam facitis*, respexit; aut certè ad rem vtroque verbo significatam, id est iniuriam & damnum, subaudito verbo *facitis*. Est autem emphasis insignis in hac parte. Nam si omnis iniuria in crimine est; maximè ea quæ fratri infertur.

9 AN NESCITIS QVIA INIQVI REGNVM DEI NON POSSIDEBVNT? *Iniqui*, Græcè *iniusti* quomodo Cyprianus legit. Nam sermo est non de omnibus iniquis, id est peccatoribus, ac legis diuinæ transgressoribus, quos scriptura Græca passim ἀνόμους appellat: sed de iniustis siue iniurijosis, qui dicuntur ἄδικοι: quod Hentenius vertit *iniuriam inferentes*. *Possidebunt*, Græcè κληρονομήσουσι, *hereditabunt*, id est *hereditate consequentur*, in possessionem hereditariam accipient. Obserua apostolum non dicere de ijs qui non potius iniuriam patiuntur, quam iudicio contendant, quòd regnum Dei non possidebunt: quamuis & illos delicti accuset; sed id dicere solum de iniustis. Qua in re manifestè nobis innuit discrimen venialium & mortalium peccatorum; quod negant nouatores. Regnum Dei intellige, quo Deus in futuro sæculo regnaturus est. Cuius regni hereditatem iniusti non consequentur; quia non sunt filij. Solis namque filijs debetur hereditas.

Differunt ἄνομοι & ἄδικοι.

Discrimẽ venialiũ & mortaliũ à Paulo indicatum.

NOLITE ERRARE. Vetus error est, salutem sibi promittere ex sola fide sine operibus. Cuius authorem ferunt Simonem magum.

Vetus error, fidem absque operibus ad salutem sufficere.

NEQVE FORNICARII. Simplicem fornicationem intelligit, quia ab his adulteros & molles & masculorum concubitores distinguit.

NEQVE IDOLIS SERVIENTES. Græcè *idololatræ*. De his actum est semel & iterum capite superiori. Nunc illud addo, ex specie genus intelligendum: vt comprehendantur quicumque pro Deo colunt quod Deus non est.

NEQVE ADVLTERI. Adulter est quisquis torum violat coniugalem.

10 NEQVE MOLLES. Theophylactus *molles* interpretatur *turpia patientes*. Thomas *muliebria patientes*. Sic enim legendum: non *facientes*, vt mendosè scriptum in quibusdam codicibus. Turpitudinem hanc acerrima oratione flagellat Saluianus libro 7. de prouidentia Dei.

NEQVE MASCVLORVM CONCVBITORES. Græcè ἀρσενοκοῖται vno composito vocabulo. Hi sunt turpia agentes, quæ nec nominari debent. De quibus etiam Rom. 1.

NEQVE FVRES, NEQVE AVARI. Cyprianus pro auaris *fraudatores* legit super orationem dominicam, & testimoniorum lib. 3. cap. 65. De hoc vicio vide quæ dicta capite præcedenti. Igitur differunt hoc loco fures & auari: quod illi clàm aliena surripiunt nullo colore iuris, hi fraude circumueniunt proximum, vt contingit in contractibus: aut certè iustum aliquid prætendunt, vt fœneratores.

Auari qui dicãtur hoc loco.

NEQVE EBRIOSI, NEQVE MALEDICI, NEQVE RAPACES. *Maledici*, hic rursum λοίδοροι, id est *conuiciatores*: qui ijdem maledici: tametsi non omnis maledicus conuiciator. Nam conuicium, λοιδορία, dicitur homini in faciem: maledictum etiam obtrectatio est de absente. Quanquam hic ex specie genus intelligi facilè potest. Aliàs maledicere in scripturis est exsecrari, malè precari, Græcè κατάρασθαι. Ebriosi & rapaces qui dicantur, vide capite superiori.

Conuiciũ & maledictũ differunt.

REGNVM DEI POSSIDEBVNT. Græcè *hereditabunt*, vt suprà. Libenter meminit apostolus hereditatis regni, cùm de futuro præmio loquitur vel reddendo quibusdam vel non reddendo. Sic ad Gal. 5, *Qui talia agunt regnum Dei non consequentur*, Græcè *hereditabunt*. Eph. 5. *Omnis fornicator* &c. *nõ habet hereditatẽ in regno Christi & Dei*. Significatur autẽ electorum magna dignitas, vt qui nõ solum futuri sint in regno Dei, sed etiam regni consortium habituri cum Deo & Christo, videlicet vt heredes Dei & coheredes Christi, Roman. 8. Nam idcirco & reges vocantur Apoc. 1 & 5. & regnaturi cum Christo dicuntur, ibidem cap. 20. Quod verò ad rem ipsam attinet, non est aliud regnum Dei quam vita æterna nobis in scripturis promissa. Proinde male quidam olim sibi blandientes in suis peccatis, existimauerunt sese, quamuis ad regnum non admittendos propter hanc scripturam & similes; vitam tamen æternam merito fidei consecuturos. Malè, inquam, & peruersè; cùm apertissimè dicat Dominus in euangelio. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, Matth. 19. Contra quos Augustinus cum alibi, tum ex professo multa disserit in libro de fide & operibus. Quæ eadem æquè valent aduersus huius sæculi Solifidianos hæreticos.

Electorũ dignitas quod regni Dei consortes futuri.

Extra regnum Dei non est vita æterna.

11 ET HÆC QVIDAM FVISTIS. Pro *quidam* in multis codicibus *quidem* legebatur viciosè. Græca sic habent: καὶ ταῦτά τινες ἦτε, *Et hæc quidam eratis*. Annuit textus Syriacus, & Latinus Ambros. atque Irenæi interpres lib. 4 cap. 46. suffragantibus item vetustis quibusdam exemplaribus: vt meritò lectionem hanc nobis

restituerint

restituerint castigatores Romani. Sunt autem qui voculam *τινες quidam*, putent superfluam esse, tantumque ornatus causa additam, non restrictionis. Atqui id inusitatum est. Verisimilius, additum ab apostolo moderandi sermonis gratia, (ne videretur omnia memorata vicia singulis impingere) tanquam si diceret; quidam hoc, quidam aliud fuistis eorum quæ enumerauí. Neque enim omnes fuerant adulteri, molles, fures &c. tametsi idololatriæ peccatum omnibus fuit commune. Non ergo propterea addit apostolus *quidam*, quod inter Corinthios existimaret aliquos ab his omnibus quæ percensuit, esse liberos: sed vt significaret non omnes omnia, sed alios alia commisisse; non negans interim fuisse quædam omnibus communia.

SED ABLVTI ESTIS. Dixit quales suo vicio fuerint: nunc addit quales facti beneficio Dei per Christum: vtens gradatione quadam, qua à minori progreditur ad maiora. Per ablutionem intelligi potest vel ipse baptismus, qui est ablutio corporalis & exterior, vel baptismi effectus qui est ablutio spiritualis & interior, quam exterior illa significat. Priori modo sensus est: Abluti estis aqua, baptizati estis, *abluti corpus aqua munda* Hebr. 10 Magis tamen arbitror spiritualem ablutionem significari, tanquam effectum ablutionis corporalis, vt sensus sit: Ab his omnibus viciorum sordibus abluti atque mundati estis lauacro aquę, per quod omnia vobis peccata remissa sunt. At ne in sola ablutione, id est peccatorum remissione consistere putaretur iusticia Christiana; addit alterum gradum.

SED SANCTIFICATI ESTIS. Id est, puritatem consecuti, ita vt iam verè & coram Deo sancti sitis. Nam sanctitas non solum significat absentiam sordium, vt sentire videtur Caietanus, verùm mundiciam sonat positiuam & inhærentem, qua quis applicatur ad Deum; quemadmodum iusticia significat rectitudinem, de qua sequitur.

Sanctitas quid significet.

SED IVSTIFICATI ESTIS. Id est, veram iusticiam adepti, quæ non aliud est quam interioris hominis rectitudo, principaliter sita in conformitate mentis ad legem Dei. Planè monstrat hic locus, contra sectarios, iusticiam hominis Christiani non esse imputatiuam: qua nimirum is qui reuera iustus non est, iustus per imputationem dicatur; vel quod ei peccata non imputentur; vel quod imputetur ei iusticia Christi; sed talem prorsus esse, qua quis à peccatis ad Deum verè conuersus, accepta eorum remissione, nouum induerit hominem; atque ita mente renouatus ambulet in nouitate vitæ, & in obseruatione mandatorum Dei.

Quid vera iusticia

Iusticiam imputatiuam hic locus destruit.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Græcè tantum legitur, *In nomine Domini Iesu*. Sensus: per meritum Domini ac redemptoris nostri Iesu Christi. Tota namque iustificatio & renouatio nostra à principio vsque ad finem & consummationem, asscribenda est merito passionis Christi.

Tota nostra iustificatio asscribenda Christo.

ET IN SPIRITV DEI NOSTRI. Id est, virtute Spiritus sancti à Deo nostro procedentis. Huic enim authori ea quæ ad sanctificationem nostram pertinent, peculiariter in sacris literis asscribi solent.

12 OMNIA MIHI LICENT, SED NON OMNIA EXPEDIVNT. *Expediunt* siue *conducunt*, Græcè συμφέρει. Tertullianus libro de exhortatione castitatis cap. 8 legit & inculcat, *sed non omnia pro salute*. Hanc eandem sententiam Paulus infrà repetit cap. 10, vbi ab idolothytis edendis Corinthios reuocat. Verum diuersa occasione eam profert hoc loco. Nec tamen inter expositores conuenit, quorsum huc adferatur. Quidam referunt ad iudicia de quibus egit superius: quasi dicat apostolus; Repetere sua iudicio licet quidem, quatenus simpliciter non est prohibitum, nec per se malum: non tamen expedit ob causas suprà dictas. Sed quia mox escarum & ventris, & deinde fornicationis mentio subsequitur: ideo putant alij, Paulum hic respicere ad fornicationem, contra quam superiori capite pluribus egit; & docere vnde ea nata sit, aut nasci soleat, scilicet ex ingluuie ventris: vt sensus sit: Cibo & potu saturari, quamuis per se non sit illicitum, sæpe tamen non expedit: ne saturitas libidinem prouocet. Rursum alij sunt qui existiment apostolum his verbis præludere argumento quod ex instituto tractaturus est cap. 9, ac velut in transitu significare Corinthijs, vti se potuisse apud eos potestate omnibus euangelij ministris à Christo concessa, nempe viuendi ex euangelio; sed vti noluisse, quòd non expediret. Faciunt autem hanc connexionem: Idcirco liberius taxo vicia vestra, & dicere vobis audeo quòd tales & tales regnum Dei non consequentur, quales tamen inter vos sunt non pauci; quia stipendia prædicationis meæ à vobis non accipio; & per hoc minus sum vobis obnoxius, quàm alij qui vos deuorant euangelij prætextu, sed vlcera vestra tangere non audent. Quamuis enim absolutè licitum mihi sit, accipere à vobis honoraria mei laboris, non tamen id expedit me facere; *ne quod offendiculum ponam euangelio Christi*, quemadmodum infrà dicit cap. 9. Tres expositiones iam datas videre est apud Lombardum, Heruæum & Aquinatem. Specialiter autem primam tradunt post vtramque glossam Liranus & Burgensis: item Carthusianus, additis hoc loco quatuor rationibus, propter quas non semper expedit sua repetere iudicio: Deinde Caietanus, Titelmannus & alij recentiores. Secunda expositio Græcorum est, atque etiam Latinorum quorundam veterum, Pelagij, Primasij & Sedulij. Tertia extat apud cōmentatorem Amb. quem sequuntur Haimo & Erasmus in paraphrasi. Ac pro ea facere videtur, quod Paulus hæc lo-

Triplex huius loci commentarius.

quatur in prima persona, tanquam de seipso. Quanquam infirmum est hoc argumentum. Nam & cap. 10 rursus eandem sententiam in prima persona pronuncians, alios instruit. Ita cap. 13 dicit: *Si linguis hominum loquar*, & plura quæ sequuntur, vtique ad exhortationem fidelium. Sanè vt de cibis, ita de stipendijs in textu nihil præcessit, quo posset hæc pars referri iuxta secundam vel tertiam expositionem. Præcessit autem sermo de iudicijs, & quidem eiusmodi qui scrupulum relinqueret à Paulo eximendum. Quamobrem prima expositio maximè nobis videtur accommoda loco præsenti. Nam Paulus occasione eorum quibus dixerat, *Sed vos iniuriam facitis & fraudatis*; paululum digressus ad locum communem de iudicio & misericordia Dei: hic iam declarat quod in priori doctrina de iudicijs obscurum ac minus explicatum videri poterat. Nam diceret aliquis: An non licet cuique iure agere pro re sua? Respondet Paulus: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*. Quam puto sententiam ore sapientum tritam fuisse. Argumento est, quòd inuariatam infrà repetat. Cęterùm prorsus vniuersaliter eam accipi nõ posse, manifestum est. Etenim quàm multa sunt, quæ nullo modo licent? Proinde sic exponatur: Multa mihi licent, quæ non expediunt. vel hoc modo; Non quęcumque mihi licent, etiam expediunt; vt significetur quædam vniuersalitas eorum quæ licent, quæ tamen non omnia expediant. Ea licere dicuntur apostolo, quæ adiaphora vocantur, id est, quæ absolutè non sunt prohibita; vt edere carnem, bibere vinum, matrimonio copulari. Expediunt autem, quæ secundum particulares circumstantias considerata, bona sunt & eligenda. Patet igitur multa licere quæ non expediunt. Atque tale est rem suam ab iniusto occupatore apud iudicem repetere. Tale etiã ad satietatem edere & bibere, iuxta alterum sensum. Denique tale erat apostolo Paulo stipendia prædicationis à Corinthijs accipere: de quo tertius erat sensus.

Sensus huius loci maximè probabilis

Omnia mihi licent: quo sensu.

Iudicio sua repetere licet, sed non expedit.

OMNIA MIHI LICENT, SED EGO SVB NVLLIVS REDIGAR POTESTATE. Græcè, *sed non ego redigar in potestatem à quoquam*, vel *sub quoquam*. Est autem inter duo verba ἔξεστι & ἐξουσιασθήσομαι, id est, *licet*, & *in potestatem redigar*, quorum alterum ab altero deducitur, iucunda quædam allusio: quam Faber & Erasmus suis versionibus exprimere conati fuerunt; sed felicius Erasmus, *Omnium mihi potestas est, at ego non redigar sub vllius potestatem*: tametsi iam ante verterat, *omnia mihi licent*. Sensus autem est; Multa mihi licent, quæ tamen facere nolim, ne redigar sub alienam potestatem. Sed hoc ad diuersas expositiones supradictas aliter & aliter applicatur. Vbi primò notandum illud ὑπό τινος, *sub quoquam*, non necessariò referri ad personam, id est hominẽ; sed esse commune personis & rebus; vt ita verti possit, *Non redigar sub vllius rei potestatem*. Nam & *qui nimis rem aliquam amat*, inquit Thomas, *quodammodo seruus illius efficitur*. Igitur qui putant apostolum respicere ad fornicationem tanquam gulæ filiam, sic exponunt hanc partem: Cùm sim dominus cibi potusque; committere non debeo vt immoderatè illis vtens, seruus eorum pro domino inueniar. Vnde de talibus dicit idem Apostolus Rom. 16, *Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri*. & Philip. 2, *Quorum Deus venter est*. Ita Græci. Qui verò Paulum agere existimant de potestate viuendi ex euangelio; partem hanc plano & obuio sensu sic edisserunt; Potui vos grauare sumptu tanquam vester apostolus: verùm ea potestate vti nolui, ne cuiquam vestrum deinctus viderer; sed integram mihi libertatem seruarem vos admonẽdi, & vicia vestra castigandi: vt facio in hac tota penè epistola. *Nec enim* (ait quidam) *facilè offendit libertas admonentis, qui nullo nomine sit obstrictus ei quem corripit*. Commentarius hic plausibilis fortè: sed, si bene consideres, non conuenit. Nam Paulo non ea potissima ratio fuit abstinendi à stipendijs apud Corinthios, quod retinere sibi vellet eos corripiendi libertatem; sic enim nec à Macedonibus, nec ab vllis alijs, quibus prędicauit, accipere debuisset: sed propter pseudapostolos id fecit, vt haberet de quo aduersus eos gloriaretur: vti patebit infra cap. 9. Porro quibus prima placet expositio de tribus ante dictis, hanc partem sic explicant: *Sub nullius redigar potestate*, id est, Non patiar me propter res pecuniarias ac temporales, velut essem sub earum potestate, vel abstrahi, vel distrahi, quo minus liberè & absque impedimento seruiã Deo. Quod non potero, si tempus & cogitationes impendam litibus. Pro quo sensu notandum est, apostolum fideles passim auocare ab implicamentis curarum huius sæculi: quo sint expeditiores ad seruiendum Deo. Hinc inter alia dicit capite sequenti: *Volo vos sine solicitudine esse. Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori: & diuisus est*, vtique tanquam duorum dominorum seruus, Dei & coniugis. Quo etiam loco virginitatem commendans hortari se dicit ad id *quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obseruandi*. Quod non possunt qui coniugio sunt alligati; vtpote sibi inuicem ἐξουσιασθέντες, id est, sub mutuam potestatem redacti. Nam hac Græca voce etiam illic vtitur, cùm dicit, *Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir: Similiter autem & vir* &c. Huc etiam ac propriè pertinet quod alibi præcipit fidelibus, vt tempus redimãt, Eph. 5. & Col. 4. scilicet vt sibi vindicent libertatem seruiendi Deo: quam retinere non poterunt, curis sæcularibus detenti, tãquam rerum temporalium serui. Denique ad hæc suum ipsius proponit exemplum: *Volo*, inquit, *omnes esse sicut meipsum*, infrà cap. 7. vt non sit mirum si & hîc de se loquens alios exhortetur, in eo

Triplex itẽ huius loci intellectus.

Sẽsus maximè probabilis illustratur.

quod

quod dicit, *ego sub nullius redigar potestate.* Igitur iuxta hunc sensum, quem bene declarat Carthusianus, indicat apostolus rationem insignem ac præcipuam, cur hoc quod licet. id est sua iudicio repetere, non expediat. Redigit enim hominem in quandam seruitutem, qua adimitur ei libertas cogitandi quæ Dei sunt.

Ratio præcipua, cur non expediat litigare.

13 ESCA VENTRI ET VENTER ESCIS. *Esca* Græcè βρώματα pluraliter *escæ, cibi.* Ita Tertullianus lib. de pudicitia cap. 16, *Cibi ventri & venter cibis.* Subauditur autem verbum in vtroque membro, debentur, destinantur, aut quid simile: vt sit sensus; cibos ventri destinatos esse, scilicet vt in ventre concocti cedant in nutrimentum corporis; ac vicissim ventrem cibis recipiendis & decoquēdis seruire. Quomodo hæc pars à diuersis aptetur ad diuersas expositiones ante dictas, mox indicabimus.

Vter quo sensu destruēdus.

DEVS AVTEM ET HVNC ET HAS DESTRVET. *Destruet*, Græcè καταργήσει, *abolebit.* pro quo Tertullianus *conficit*, Augustinus *euacuabit*, quomodo vulgatus alibi vertit eam vocem. Et sensus est: Deus tam ventrem quam escas abolebit, aliquando cessare faciet, nempe quoad vsum prædictum. Id autem futurū post hanc vitam. Filij namque resurrectionis, qua venter cum cæteris membris restituetur, sicuti *neque nubent neque nubentur*; ita nec comedent nec bibent; sed erunt, *sicut angeli Dei in cælo*, Matt. 22. Sed quomodo hæc de escis & ventre cohærent superioribus? Qui secundam expositionem tradunt, ita connectunt: Si igitur hæc abolenda sunt, quia vsum non habent nisi temporarium; non debeo me eorum seruum reddere, etiam cum periculo ne me propellant in fornicationem. Nam, vt sequitur: *Corpus non fornicationi sed Domino.* Iuxta tertiam expositionem hæc connexio est: Vtique non debeo propter rem temporariam & abolendam, vt sunt cibus & venter, subijcere me alienæ potestati: non debeo propter hæc pati detrimentum meę libertatis, idque cum dispendio vestræ salutis æternę. At verò iuxta primam expositionem, quæ nobis visa probabilior, hic rursus occupatio est. Nam replicare quispiam poterat ex tenuioribus; Res meæ sunt mihi ad alendam familiam necessariæ: cogit me domestica necessitas, vt eas repetā iudicio. Hinc ipse Paulus suprà vocat eiusmodi iudicia βιωτικά, id est *victualia.* Respondet autem cum quadam concessione, dicens: *Esca ventri* &c. quasi dicat: Ista tantū habent vsum temporarium: ideoque nobis qui sectamur æterna, non est propter illa laborandum, nisi quantum postulat huius mortalis vitæ necessitas; ne propter res perituras detrimentum patiamur in ijs quæ semper mansuræ sunt.

Huius partis cōnexio cū superioribus.

CORPVS AVTEM NON FORNICATIONI, SED DOMINO. Redit ad exhortationem fugiendæ fornicationis, de qua capite superiori. Connexio autem huiusmodi est: Docui vitandam fornicationem; deinde dehortatus sum à iudicijs forensibus; quæ tamen ostendi licere, sed vt plurimum non expedire: Non sic autem sentire debetis de fornicatione; nec de ea vsurpare illud, *Omnia mihi licent*: quantumuis vulgo permissa sit apud gentiles, nec vllis legibus coërcita. Non enim sicut *escæ ventri, & venter escis*; vt propter ventris necessitatem temporariam, liceat res suas iudicio repetere, nec omnino peccet qui id facit: ita corpus attributum est fornicationi, ne quidem in hac vita & ad tempus; vt proinde liceat aliquando fornicari; quum sit res per se illicita. Igitur hic rursus supplendum verbum, quale in parte præcedenti, debetur, destinatur, attributum est. Significat enim vsum corporis à Deo institutum, non esse vt fornicetur ac libidini obsequatur, sed vt seruiat Christo Domino, qui precio sui sanguinis totum hominem sibi seruum mancipauit. Non seruit autem corpus Domino, nisi sanctum sit & purum ab omni immundicia. Quia verò totum hominē Christus redemit; idcirco & totum corpus hic intellige, constans omnibus membris, etiam illis quibus ad libidines abutuntur fornicarij: quæ etsi deputata sint ad vsum gignendæ prolis, non tamen ad fornicationem, nec ad vllum actum turpem & inordinatum. Ostendit hic locus, etiam in ipsa copulatione carnali, posse coniuges Domino seruire; si non ad turpitudinem, sed ob finem à Deo institutum, opus illud exerceant. Dices: Si totum corpus Domino, igitur & venter Domino. Respondeo, Paulum id non negare: sed quendam vsum ventris significare voluisse licitum ac necessarium, quando dixit *venter escis*, qui tamen vsus abolendus sit: fornicandi verò potestatem omnino denegare corpori; quia totum seruire debet Christo.

Fornicatio per se illicita.

Opus coniugale meritoriū esse potest.

ET DOMINVS CORPORI. Partem hanc Aquinas sic exponit: Christus Dominus ad hoc datus est hominibus, vt eorum corpora per resurrectionem suæ gloriæ conformet: secundum illud Philip. 3: *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Alij totum hoc, *corpus Domino, & Dominus corpori*, referunt ad analogiam membrorum & capitis. Nos enim non solum secundū animam, sed etiam secūdum corpus membra sumus Christi capitis, & per hoc ei subiecti atque coniuncti: Vicissim autem Christus nobis coniunctus & agglutinatus est vt caput corpori. Quæ analogia statim explicatur in eo quod corpora nostra vocat membra Christi. 14 Ita sensus huius partis est; Christum attributum esse corpori caput, à quo regatur & motus accipiat. Iam ne dicat quis, sicut ventrem ita & corpus destruendum esse; sequitur.

Fideles membra Christi secundum animas & corpora.

DEVS VERO ET DOMINVM SVSCITAVIT, ET NOS SVSCITABIT. Quemadmodum, inquit, Deus Christum Dominum resuscitauit à morte ad vitam immortalē; ita & nostra corpora donabit immortalitate: vt ipsa quidem semper viuant, cesset autem vsus membrorum ad ea quæ sunt huius corruptibilis vitæ. Sic Rom. 8, *Qui suscitauit Iesum Christum à*

mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra. Id autem facturus est vt sequitur:

PER VIRTVTEM SVAM. Id est, eadem potestate qua Christum Dominum à morte suscitauit Et quoniam Christus etiam Deus est, ipse quoque seipsum suscitauit; vti se facturum Iudæis prædixerat Ioan.2, *Soluite templum hoc; & in tribus diebus excitabo illud*. Porrò notandum est apostolum non similiter loqui de vētre & corpore: quia ventris vsus nobis notissimus, qui est cibos recipere conuertendos in nutrimentum totius corporis, abolebitur, animali vita cessante; corporis autem vsus in genere est, vt animæ sit instrumentum, eique subseruiat. Id quod etiam in vita spirituali, qualis post resurrectionē exspectatur, locum habebit.

Corpus animæ instrumētū etiā post resurrectionem.

15 NESCITIS QVONIAM CORPORA VESTRA MEMBRA SVNT CHRISTI? Hic iam expressius vrget analogiam membrorum & capitis inter corpora nostra & Christum; vt ea ratione doceat quàm sit indignum corpora nostra fornicatione commaculari. Scire debetis, inquit, corpora vestra esse Christi membra: quatenus scilicet Christus caput mysticum est, non modò totius ecclesiæ, sed etiam singulorum fidelium; nec solum secundum animas, verum etiam secundum corpora: quoniam & corpus & animam de nostro genere suscipere dignatus est. Obserua Paulum hac sententia comprehendere etiam eos qui fornicatione corpora sua fœdabant, vt patet ex sequentibus. Itaque rectè ex hoc loco colligitur non solum bonos, sed etiam malos Christianos esse membra Christi, quatenus adhuc sunt in corpore eius quod est ecclesia; non tantum vt partes, sicuti quidam distinguunt, sed verè vt mēbra, certis in corpore ministerijs aut actionibus deputata. Vide commētarium nostrum ad illud Eph.1, *Quæ est corpus ipsius.*

Christus caput mysticum totius ecclesiæ, & singulorum fidelium.

Fideles etiā mali membra Christi.

TOLLENS ERGO MEMBRA CHRISTI, FACIAM MEMBRA MERETRICIS? ABSIT. Ostendit grauitatem peccati eius qui fornicatur, vt qui Christum caput suum contumelia afficiat, dum membra eius ad fornicationem prostituit, faciendo ea mēbra meretricis seu fornicariæ mulieris. Quod quidem summopere debet refugere Christianus. Hinc rursus discе fornicationem etiam simplicem esse peccatum mortale. Neque tamen ex eo quod dicit, *tollens membra Christi*, consequitur fornicatorem dum se facit membrum meretricis, desinere esse membrum Christi. Nam vt omittam (quia minus placet) quod quidam Græci codices pro ἄρας *tollens*, habent ἆρα *nunquid*; ad quem modum verterunt Erasmus & Theophylacti interpres; non ita dictum est ab apostolo, *tollens membra Christi*, quasi dicatur auellens & separās ea à corpore quod est Christus, sic vt membra eius esse desinant: sed tollens, id est *accipiens*, Carthusianus *assumens*, & vt Thomas exponit, *iniustè subtrahens seruitio Christi* cui destinata sunt. Dicit quidem Augustinus lib.21 de ciuitate Dei cap.25, *Non possunt simul esse & membra Christi & membra meretricis*: Et iterum; *Non sunt autem membra Christi qui se faciunt membra meretricis: nisi malum illud cœntendo esse destiterint, & ad hoc bonum reconciliatione redierint*. Sed intelligit membra Christi viua, id est per charitatem in Christo manentia, ac proinde membrorum Christi nomine digna. *Nam fides*, vt habet synodus Tridentina sess.6 cap.7, *nisi ad eam spes accedat & charitas, neque vnit perfectè cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit*. Alioqui plana est Augustini sententia in enarratione psal.56, *Tota ecclesia constās ex omnibus fidelibus: quia fideles omnes membra sunt Christi* &c. Qui etiam lib.1 de nuptijs & concup.cap.10, de *quibusque fidelibus coniugatis* loquens ait: *qui (ne dubio membra sunt Christi.* Ac sanè constat Christum pasci in mēbris suis, quando propter ipsum pascuntur pauperes Christiani seu boni seu mali. Iam quomodo fornicator membra Christi faciat membra meretricis, cùm eam non constituat caput suum; declarat apostolus verbis sequentibus.

Simplex fornicatio peccatum mortale.

Locus Augustini declaratus.

16 AN NESCITIS QVONIAM QVI ADHÆRET MERETRICI, VNVM CORPVS EFFICITVR? Græcè, *vnum corpus est*. Sic enim paulo post dicitur, *vnus spiritus est*. Intellige verò; *vnum* cum ea *corpus*: sicut infrà, *vnus* cum eo *spiritus*. *Qui adhæret*, Græcè ὁ κολλώμενος, *qui agglutinatur*, quemadmodum & Tertullianus legit lib.de pudicitia cap.16, & Cyprianus lib.3, testimoniorum cap. 62. Vsi sunt eadem voce Græca LXX interpretes, *qui agglutinatur* Genes. 2, vbi nos habemus *& adhærebit vxori suæ*. Quod quidem agglutinandi verbum pulcrè quadrat cum eo quod sequitur, *vnum corpus efficitur*. Glutinum enim vnum ex duobus facere solet. Res, inquit, manifesta est, eum qui commiscetur meretrici, ipsa commixtione fieri cum ea velut vnum corpus. Itaque ipse & meretrix sunt vnius corporis quasi duo membra. Hoc igitur sensu dixit apostolus, eum qui fornicatur, membrum Christi, id est corpus suum, facere membrum meretricis, scilicet nō vt corporis aut capitis; sed vt commembri, ad vnum corpus constituendum. Dicitur enim hoc secundum eam locutionem qua dixit Rom.12, *Singuli alter alterius mēbra*. & Eph.4, *Quoniam sumus inuicem membra*. Quod non videntur considerasse, qui fornicarium interpretantur effici membrum meretricis tāquam corporis; eo quod corpus suum faciat vnum cum illius corpore. Quem sensum non arbitror intentioni Paulinæ conuenire, maximè spectato scripturæ testimonio, quo cōsequenter probat id quod dixit, *vnum corpus efficitur*.

Fornicator vnum corpus cū meretrice

ERVNT ENIM, INQVIT, DVO IN CARNE VNA. *Inquit* supple Dominus per Moysen, vel per Adam, cuius verba Moyses commemorat. Nam & Christus Matth.19 citat Dominum hoc dicentem. *In carne vna*, Græcè *in carnem vnam*. Atque ita legunt Tertullia-

nus

nus lib. de pudicitia, & Hieronymus in epistola ad Ageruchiam de monogamia; cuius verba sunt: *Erunt duo in carnem vnam: non in duas, nec in tres.* Sic enim & LXX locum Gen. 2 reddiderunt, retento videlicet Hebraismo; pro eo quod diceretur, erunt duo vna caro; quomodo dixit Iacob patriarcha Genes. 28, *Erit mihi Dominus in Deum*, id est, Dominus erit mihi Deus. Et Dominus de Salomone 2 Reg. 7, *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Hoc modo phrasim explicat ipse Christus Matth. 19, dum eodem testimonio prolato, subiungit: *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro.* In Hebræo quidem tantum legitur, *Et erunt in carnem vnam*, non addita numerali voce *duo.* Sensus tamen eam adiectionem postulat intelligi; quia dictum erat; *Et adhærebit vxori suæ*, non vxoribus. Porrò sensum reddere conatus est Erasmus dum vertit, *Redigentur enim duo in carnem vnam*, imitatus, vt opinor, Hieronymum, qui in commentario epistolæ ad Ephes. 5 de costa protoplasti ita scribit; *Tollitur de Adam & ædificatur in coniugem: & ipsa rursum coniux in vnam viri carnem redigitur.* Alter Hebraismus est in vocabulo carnis, posito pro corpore. *Una caro*, id est vnum corpus. Id enim præcesserat, fornicantes vnum corpus effici. Iam etsi illa verba Gen. 2 dicta sint de coniugibus; bene tamen ea refert apostolus ad fornicãtes: quia, vt ait Thomas, actus externi coniugum & fornicantium, *secundum speciem naturæ non differunt.*

Hebraismus, in carnem vnam, explicatur.

Caro pro corpore, Hebraismus est.

17 QVI AVTEM ADHÆRET DOMINO, VNVS SPIRITVS EST. *Qui adhæret*, iterum Græcè ὁ κολλώμενος *qui agglutinatur.* Eaque rursus Tertulliani lectio est. Sensus: Qui fide & charitate Christo Domino sese agglutinauit, is quodãmodo fit vnus cum eo spiritus: nimirum coniunctione spiritus sui cum spiritu Christi. Non dissimili sermone dictum est Act. 4, quod *multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna*; nempe propter animorũ cõcordiã. Cæterũ hoc spirituali glutino non adhæret Domino fornicator, vtcumque per fidem mortuam aut functionem aliquam membrum eius sit. Non enim mortui membri agglutinatio est cum corpore, id est tenax adhæsio, sed facilè separabilis.

Boni fideles vnus spiritus cũ Christo

18 FVGITE FORNICATIONEM. Peculiare est vicio fornicationis, fugiendo magis quam repugnando superari. Nam in cæteris quidem, vt annotant Thomas & alij, quãto magis quis particularia considerat, eo minus inuenit vnde delectetur, ac verò magis quod abhorreat. In hoc autem vicio particularium cõsideratio & cogitatio vehementius afficit atque incendit; propterea quod ex imaginatione facillimè caro commoueatur ad opus quod maximè secundum carnem est. Hunc igitur hostem vincere qui volet, fugiat: id est, ipsas etiam primas & solas huius generis cogitationes atque phantasmata penitus ex animo repellat; & horum quoque occasiones sedulò vitet. Quidam simpliciter præcipi putant diligens studium cauendæ fornicationis. Nam & de spirituali vicio sic loquitur infrà cap. 10, *Fugite ab idolorum cultura.* Potest autem hæc pars accipi, vel vt conclusio præcedentium; *fugite* ergo *fornicationem*: vel vt propositio, quam noua subsequenti ratione cõfirmet apostolus; quẽadmodum Aquinas eam accepit.

Fornicatio qua peculiari ratione fugienda.

OMNE PECCATVM QVODCVMQVE FECERIT HOMO, EXTRA CORPVS EST. Ratio præcedens sumpta fuit à contumelia quæ fit Christo, cuius membra sumus. Hęc verò sumitur à contumelia, quam fornicator infert proprio corpori: ac si dicat apostolus; Si iniuria Christi non te mouet, tua saltem ipsius te reuocet ab hoc vicio. Nam omne peccatum, quodcumque admiserit homo, extra corpus est, id est tale quo non peccet in corpus suum. Pendet tam sententia, quàm sensus eius, ex eo quod sequitur:

QVI AVTEM FORNICATVR, IN CORPVS SVVM PECCAT. *In corpus suum*, Græcè εἰς τὸ ἴδιον σῶμα, *in proprium corpus.* Quod ἐμφατικώτερον est. Et ita legit Augustinus apud Bedam. Valla quidem mauult ablatiuum, *in corpore suo*; sicut paulò ante dixit interpres, *in carne vna*; licet in Græco sint quarti casus: Nã ita congruet, inquit, cum illo sequenti, *Portate Deum in corpore vestro.* Atqui nihil opus vt congruat in casu: quin potius diuersum casum res postulat, quem dedit apostolus, & reddũt omnes interpretes. Cæterùm hæc pars exceptio est ab vniuersali præcedente: tanquam dicat apostolus: Omne peccatum quodcumque quis fecerit, excepta fornicatione, extra corpus perpetratur. Nam solus is qui fornicatur, in proprium corpus peccat. Sic autem Hebræi exceptionem significare solent, vt Matth. 12, *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blasphemia non remittetur*; pro eo quod diceretur, excepta blasphemia Spiritus. Obseruauit hunc modum locutionis Augustinus quæst. 8. super Leuiticum. Notandum quoque sub nomine fornicationis omne genus impudicitiæ in hac sententia comprehendi. Nõ enim dubium quin peccet in suum corpus, qui quicquam eiusmodi commiserit: siue illud sit secundum naturam, siue contra naturam. Quod ad intellectum attinet huius loci, qui ex eo difficultatem habet, quod dicat solum eum qui fornicatur, in corpus suum peccare, tanta varietas est apud commentatores, vt ex solis Græcis authoribus, sensus suprà decem collegerit Oecumenius. Vna igitur expositio est ab Oecumenio præ cæteris probata, qua nomine corporis vxor intelligitur. Sic enim apostolus Eph. 5, *Viri*, inquit, *debent diligere vxores suas, vt corpora sua.* Sed facilè refellitur hic sensus: quia multi fornicantur non vxorati: qui proinde fornicando non peccant in vxores suas. Sanè iuxta hanc expositionem totum genus simplicis fornicationis huc non pertineret, sed solum penè adulterium. Quod quidem facilè concesserint Tertullianus & Cyprianus, qui loco verbi *fornicatur*, legerunt

Exceptionis significandæ forma apud Hebræos.

Qui fornicatur, in corpus suũ peccat, quo sensu

Corpus nõ intelligitur vxor.

adulteratur,

adulteratur, aut *mœchatur*. Imò disertè affirmat Cyprianus libro de bono pudicitiæ, *solum adulterum in corpus suum peccare*. Verùm vt hæc illorum lectio præter textũ est; ita sensus præter mentem apostoli: qui suprà, hoc eodem capite, seorsum à fornicarijs adulteros nominauit. Nec verò solet fornicationis vocabulum ad adulterium restringi. Deinde manifestum est ex toto contextu huius loci, Paulum loqui de proprio corpore fornicantis, eo nimirum quo fornicationis actum exercet. *Corpus*, inquit, *non fornicationi, sed Domino*; & *Dominus corpori*. Item; *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi* &c. Et infrà; *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus-sancti?* Et ad extremum, *Glorificate & portate Deum in corpore vestro*. Quibus in sententijs nullo modo conuenit per corpus vxorem intelligi. Sed nec ibi; *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur*; per corpus intelligitur meretrix; multo minus vxor. Sensus autem est quem dedimus. Valèt hæc eadem ad refellendum commentarium quorundam, qui proprium corpus interpretantur nos Christo coniunctos tanquam cum eo vnum mysticum corpus cõstituentes. Nusquam enim his locis corpus eo modo sumitur. Ac neque verum sensum facit huiusmodi commentarius. Nam vt alia peccata taceam, quibus illa nostra cum Christo coniunctio læditur ac violatur: an non per idololatriam in illius corporis dignitatem grauissimè peccatur? Sunt alij qui interpretentur, fornicarium in corpus suum peccare, quia fornicando debilitat corpus, & vires eius exhaurit. At hoc modo nec soli nec omnes qui fornicantur, in corpus suum peccant. Nam vt de inuidis & iracundis nihil dicamus, quas affectiones in corporis nocumentum redundare satis compertum est; certè multo magis plerumque gulosi & ebriosi per intemperantiam corpus suũ lædunt, & ętatem minuunt, iuxta illud decantatum: *Plures occidit crapula quàm gladius*. Sæpe etiam qui fornicatur, non magis debilitat corpus suum quàm qui miscetur cum propria coniuge. Quin, si medicis creditur, actus huiusmodi interdum conducit sanitati corporis. Alij, quorum sententiam Thomas refert magis quàm approbat; censent peculiariter eum qui fornicatur, in corpus suum peccare: quia cùm cætera peccata in spirituali inordinata delectatione consistant; vnde & spiritualia peccata dicuntur; solum fornicationis peccatum in carne consummatur. Quod si obijcias id commune esse peccato gulæ; duo sunt enim carnalium peccatorum genera, gula & luxuria: respondent, peccatum gulæ sub luxuria comprehendi, tanquam sub principaliori in hoc genere. Nam & philosopho gustus est quidam tactus. Verùm non dicit apostolus eum qui fornicatur, in corpore suo peccare, quod commune est gulæ cum fornicatione, sed in corpus suum. Adde quod nec solet apostolus gulæ peccata nomine fornicationis comprehendere: sed passim vtrumque proprijs vocabulis exprimit: vt in hoc ipso cap. vers. 9 & 10, & capite præcedenti vers. 11. Proinde alij sic apostolum exponunt: *Omne peccatum*, id est pene omne quod homo fecerit, excepta fornicatione, extra corpus est: quod nimirum instantia non sit, nisi in peccato gulæ. Verùm hęc instantia non exigua est. Nam potus ac cibi intemperantia inter homines latissimè regnat. Porrò Caietanus tum in commentario, tum plenius in ientaculo 8 quæst. 2, interpretatur fornicantem in corpus suum peccare, quia corpori suo facit iniuriam, *ponendo illud*, vt loquitur, *pro indiuiso cum corpore meretricis*. Per hoc enim, inquit, *dehonoratur corpus, velut si quis poneret pro indiuiso rem nobilem cum re vili, is iniuriam faceret rei nobili*. At iuxta hunc intellectum non peccarent in corpus suum, qui priuatis immundicijs sese polluunt, non miscentes suum corpus cum alieno corpore. Quin nec ipsa meretrix admittendo scortatores peccaret in corpus suũ, sed magis illud honoraret: quia sicut res nobilis dehonoratur, vt cum Caietano loquar, si misceatur cum re vili: ita vicissim res vilis honoratur, quando miscetur cum re nobili. Igitur his expositionibus dimissis, vt alias quas Oecumenius refert nihilo certè magis probabiles, omittamus; sensum huius loci germanum arbitramur hunc esse; Eum qui fornicatur, aut quocumque modo peccat per immũdiciam carnalem, peccare in corpus suũ; quia dehonestat illud & ignominia afficit, excitans in eo brutalem ac fœdam libidinem; qua nimirum ita prorsus absorbetur animus, vt in eo actu nihil aliud cogitare possit. Quod in alijs peccatis non contingit, ne quidem in gula & ebrietate. Quo fit vt voluptas etiam immoderata aliorum sensuum turpitudinem huiusmodi non habeat, sicut voluptas Venerea. Quę propter hanc causam etiam in coitu coniugali non potest non esse pudenda; tametsi in coniugibus per bona matrimonij, quæ sunt fides, proles, sacramentum, excusetur hoc malum à peccato saltem mortali. Qua de re tota latè differit Augustinus in vtroque libro de nuptijs & concupiscentia, & in libris penè omnibus aduersus Iulianum scriptis. Sensum verò huius loci quem dedimus, tradit in sermone quodam qui incipit, *Propter hoc ipsum*. Cuius magna pars extat apud Eugyppium tomo 2 cap. 331, & apud Bedam in collectaneis. Quo in sermone sic inter alia dicit: *Liberum est animo humano in alijs quibuscumque sceleribus; & vnum aliquid eorum operari, & eo ipso tempore alibi cogitatione distendi: quod in fornicationis ipso opere atque tempore non licet; animo ad aliud aliquid cogitandum liberum esse. Sic enim totus homo absorbetur ab ipso & in ipso corpore, vt iam dici non possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo dici possit quod caro sit*. Hæc ille: ex quo sumptum illud glossæ ordinariæ: *In alijs licet animo aliud operari, & alio intendere: sed non in fornicatione, vbi totus homo caro est*.

Alius sẽsus refellitur.

Itẽ alius.

Alius sensus.

Refellitur

Expositio Caietani refutata.

Sensus huius loci germanus.

Similia

Similia Thomas habet in commentario, citans gloſſam Auguſtini. Confirmat hunc intellectum conſuetudo ſermonis apoſtolici, quo ſolum fornicationis peccatum ita generaliter acceptum, vt ſuprà diximus hic accipi oportere, paſſim immundicia vocatur. Confirmat etiam quod per ſolum actum carnalem pollui & inquinari corpora dicuntur, quodq; membra quibus actus ille exercetur, etiam vulgo obſcena & pudenda nuncupantur; & à Paulo inhoneſta cap. 12 huius epiſtolę, non ob aliud, quàm propter legem in membris repugnantem legi mentis; quemadmodum illic ex Auguſtino docebimus. Hinc & turpitudinis nomine ſignificantur Exod. 20 & 28. & identidem Leuit. 18 & 20, & ſemen ipſum genitale vocatur immundum Iob 14, & fœdus humor, Leuit. 15. Propter eandem cauſam arcebantur à ſacris, etiam qui vxoribus paulò ante commixti fuiſſent, vt 1 Reg. 21. Signum huius immundiciæ adferunt Græci commentatores Chryſoſtomus ac cæteri, quod poſt coitum, præſertim fornicarium, ſoleant homines ad balnea currere & ſe lauare: quod non faciunt poſt alia peccata. Pluribus hac de re egimus ad diſt. 31 lib. 4. Sentent. tractantes quæſtionem: quid in matrimonio malum ſit & excuſatione egeat.

19 AN NESCITIS QVONIAM MEMBRA VESTRA TEMPLVM SVNT SPIRITVS SANCTI QVI IN VOBIS EST? Græcè: *An neſcitis quod corpus veſtrum templum eius qui in vobis, Spiritus ſancti eſt?* Nec diuerſa eſt lectio Syriaca. Veteres Latini ferè legunt plurali numero *corpora*, quemadmodum ſuprà verſu 15, vt Hieronymus lib. 2 contra Iouinianum capit. 12 & 18. Auguſtinus lib. 2 de Trinitate capit. 13, lib. de bono coniugali cap. 11, & epiſtola 66, & commentator Ambroſ. Quæ lectio etiam Græcorum quorundã codicum eſt apud Robertum Stephanum. Atque ita vertit Faber, *corpora veſtra.* Quanquam quod in pluribus eſt Græcis τὸ σῶμα *corpus*, congruit cum eo quod proximè præceſſit, eum qui fornicatur peccare *in corpus ſuum*: tanquam ſubiũgendo dicat apoſtolus: Atqui corpus vniuſcuiuſque veſtrum templum eſt Spiritus ſancti: ideoque non polluendum ſed ſanctificandũ. Et ad hunc modum legiſſe videtur Sedulius. Legit & Auguſtinus alicubi, vt libro de bono viduitatis cap. 6, quemadmodum ex contextu patet. Igitur apoſtolus alio nunc argumẽto ex dignitate corporum noſtrorum deſumpto, oſtendit fugiendam eſſe fornicationem: vel potius, vt hoc doceat, oſtendit quantum ſit malum per immundiciam fornicationis peccare in corpus noſtrum. Id enim eſt contaminare & profanare templum Spiritus ſancti. Membra ſeu corpora noſtra Spiritus ſancti templa vocat, non ob id ſolum, quia per baptiſmum Spiritui ſancto ad inhabitandũ conſecrata fuerunt: verùm quia Spiritus ſanctus eorum inhabitator eſt. Addit enim, *qui in vobis eſt*. Vnde ſic vertit Eraſmus: *An neſcitis quod corpus veſtrum templum eſt habitantis in vobis Spiritus ſancti?* Nec tamen inde conſequens eſt, vnumquemque fidelem certo ſcire quod Spiritum ſanctum in ſe inhabitantem habeat. Nam illud, *An neſcitis*, non ad omnes & ſingulos omnino fideles dicitur qui Corinthi erant; Non enim ad fratres fornicarios & cæteros, cum quibus ſuperiori capite vetat cibum ſumere: Sed ad fideles in genere, qui ſciebant fidelium ſanctè viuentium & profeſſioni ſuæ reſpondentium, corpora eſſe templa Spiritus ſancti. Quod & de ſeipſo quiſque cognoſcebat, quantum ſibi notus erat ſe talem eſſe. Notandum hic corpora ſingulorum dici templum vel templa Spiritus ſancti; quum ſupra cap. 3 cœtum fidelium, id eſt eccleſiam vocauerit templum Dei. Docet ex hoc loco B. Auguſtinus epiſtola 66, Spiritum ſanctum eſſe Deum: quoniam ſoli Deo templa conſtituuntur. Argumentum contra pneumatomachos efficaciſſimum.

Spiritus ſanctus Deus: quia templũ habet.

QVEM HABETIS A DEO. Proinde futuri in Deum, tanti muneris authorem, ingrati & iniurioſi, ſi Spiritum ſanctum per fornicationem à vobis expuleritis.

ET NON ESTIS VESTRI. *Veſtri* Græcè ἑαυτῶν, quaſi dicat, *veſtri ipſorum*: id eſt *nõ eſtis veſtri iuris*, vt vertit Eraſmus. Diuerſum argumentum à ſuperiori, quo docet fideles debere ſua corpora ſeruare pura & illibata ab omni corruptela immundiciæ, propterea quod toti ſecundum corpus & animam non ſui ſint iuris, ſed Domini qui eos redemit. Vnde ſequitur.

20 EMPTI ENIM ESTIS PRECIO MAGNO. Epitheton *magno* non additur in Græco, nec in Syriaco, nec apud Tertullianum Pauli verba referentem lib. de pudicitia cap. 16, & ad vxorem lib. 2 cap. 3. Quin & commentatores Ambroſ. Pelagius, Primaſius & Sedulius non exponunt, vt nec legiſſe videantur. Et hoc modo abſolutè repetitur ſententia proximo capite, *Precio empti eſtis.* Nec verò contextus apoſtoli plus requirit. Tantũ enim probare vult quod dixit, *Non eſtis veſtri*. ad quod ſufficit, *Empti enim eſtis precio*. Nam empticius non eſt ſuus. Cæterùm alibi Tertullianus tantum legiſſe videtur, *magno*, vt lib. 5 contra Marcionem capit. 7, de carne Chriſti cap. 4. de fuga in perſecutione capit. 12. atque etiam de pudicitia cap. 6. vt idem ſit Tertulliano, *empti precio*, & *empti magno*. Nam cum emphaſi legendum ἠγοράσθητε, *precio*, apud apoſtolum. Et alioqui ſatis fuiſſet dicere *empti eſtis*. Non enim fit emptio propriè ſumpta ſine precio. Sed & Cyprianus alicubi legit *magno*, ſine *precio*; vt lib. de diſciplina & habitu virginum iuxta codicem Anglicanum, Pamelio teſte: licet in alijs à tergo aſſcriptum ſit *precio*: *Empti enim eſtis magno precio*. Verùm hæc lectionis varietas ſenſum non immutat, qui talis eſt: Non eſtis iuris veſtri. Nam ſerui empticij eſtis, vtpote precio redempti, ſanè permagno & inæſtimabili; nempe ſanguine filij Dei. Quamobrem vos ipſos

Corpora fidelium templa Spiritus ſancti: & quare.

Chriſtiani quo precio empti.

& corpora

& corpora vestra tanquam rem precioſam debetis intemerata ſeruare Domino veſtro. Precij magnitudinem explicat Petrus apoſtolus 1 epiſt. 1. *Non corruptibilibus*, inquit, *auro vel argento redempti eſtis, ſed precioſo ſanguine quaſi agni immaculati, Chriſti.*

Diuinitas Spiritus ſanctitur ſum aſtruitur.

GLORIFICATE ET PORTATE DEVM IN CORPORE VESTRO. Concluſio eſt totius exhortationis de fugienda fornicatione. Deum hic intelligi Spiritum ſanctum, obſeruat Auguſtinus locis ſuprà citatis, ſcilicet eum de quo iam dixerat, corpora noſtra eſſe templum Spiritus ſancti. Quare & hic locus diuinitatem Spiritus ſancti planè declarat. Porrò, *glorificate* dicit, quia Deum ignominia & contumelia afficit, qui templum eius polluit. Contrà, glorificamus Deum in corpore noſtro tanquã templo eius, quando ſeruamus illud purum ab omni immundicia & ornamus bonis operibus. Per hæc enim Deus glorificatur apud homines; ſecundum illud Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Portamus autem Deum in corpore noſtro, quando corpus totum obſequio Dei mãcipamus. Metaphora ſumpta à iumentis quæ portant ſeſſorem, & ad eius voluntatem mouentur. Simile illud Rom. 6: *Exhibete membra veſtra arma iuſticiæ Deo.* Notandum, Græca à Latinis hoc loco non parum diſcrepare. Nam ex parte minus habent, ex parte redundant. Sic enim legunt: *Glorificate igitur Deum in corpore veſtro; & in ſpiritu veſtro; quæ ſunt Dei.* Græcis Syra conſentiunt. Sed & Auguſtinus lib. 2 de Trinitate cap. 13 *portate* non legit, ſed citat hoc tantummodo, *Clarificate ergo Deum in corpore veſtro*, tametſi in epiſtola 66 additũ habetur *portate*, ſed non ſuo loco. Sic enim ibi legitur, *Glorificate Deũ & portate in corpore veſtro*. Senſus Græcæ lectionis clarus eſt. Non enim, vt Caietanus exponit, admonemur ijs verbis glorificare Deum in corpore, & glorificare eà quæ Dei ſunt in ſpiritu; ſed glorificare Deum in vtroque, & corpore & ſpiritu, quia vtrumque Dei eſt; & proinde vtrumque ſuo famulari debet authori ac Domino. Reſpicit enim ad illud quod dixit: *& non eſtis veſtri.* Eſtque tacita probatio à partibus ad totum: Corpus veſtrum & ſpiritus veſter Dei ſunt, ergo non eſtis veſtri. Veruntamen noſtræ Latinæ lectioni, quam omnes Latini codices exhibent, etiam vetuſtiſſimi ſcriptores ſuffragãtur: Cyprianus in expoſitione orationis Dominicę, & libro de diſciplina & habitu virginum, nec non libro de exhortatione martyrij cap. 6, & lib. 3 teſtimoniorum cap. 11 & 63, & ante eum Tertullianus lib. de reſurrectione carnis cap. 10 & 16, & de pudicitia cap. 16, & aduerſus Marcionem lib. 5 cap. 7. niſi quod loco verbi *portate* legit *tollite*, ſed eadem ſignificatione: quemadmodum ijſdem authoribus hanc apoſtoli ſententiam referentibus, eadem ſunt glorificare, clarificare, magnificare & honorare. Nec illud omitto, partem extremam Græcæ lectionis, ἃ πνά ἐϛι τ̃ θε῀ *quæ ſunt Dei*, in nonnullis Græcis exemplaribus non haberi: ſed quorum fides mihi incomperta. Finitur hoc loco iuxta diſtributionem Theodoriti primus huius epiſtolæ tomus: & inchoatur ſecundus à capite ſequenti.

SVMMARIVM.

HOrtatur ad continentiam à concubitu, debitum coniugale reddendum recipit. Vſum coniugis cauſa vitandæ fornicationis indulget. Coniux coniugem ne dimittat. Chriſtiano coniugi quatenus ab infideli liceat diſcedere, docet: & vt quiſque in ſua vocatione maneat. Virginitatem commendat, ac matrimonio præfert. Viduam quoque ſi ſic maneat, fore beatiorem affirmat.

CAPVT VII.

1 DE QVIBVS AVTEM SCRIPSISTIS MIHI. Sermo ſupplendus in hunc ſenſum: Iam quod attinet ad ea de quibus me per epiſtolam conſuluiſtis, ita vobis reſpondeo. Nam ſcripto tranſmiſerant ad Paulum Corinthij ſua quædam dubia de matrimonio, deque eius vſu & abſtinentia. Apparet enim fuiſſe quoſdam apud eos, qui dicerent debere Chriſtianum hominem omnino à complexu mulieris abſtinere. Qua occaſione tradit apoſtolus toto hoc capite ſaluberrimam & valde neceſſariam doctrinam de matrimonio, virginitate & continentia.

Quid mulierem nõ tangere.

BONVM EST HOMINI MVLIEREM NON TANGERE. *Bonum*, Græcè καλὸν, quod nonnulli vertunt *pulchrum*, id eſt res præclara & eximia, quemadmodum exponit Theophylactus. *Mulierem*, alij *vxorem* vertunt. Nam Græca vox ad vtramque ſignificationem ambigua eſt. Et cùm ſæpe repetatur in hoc capite, ipſe noſter interpres pro ſuo arbitratu nunc mulierem, nunc vxorem tranſtulit. Quanquã hoc quidem loco vterq; ſenſus in altero continetur. Nam ſi bonum eſt omnino mulierem non tangere; bonum quoque eſt vxorem non attingere. Et ſi bonum eſt vxorem non tangere; bonum etiam eſt, imò neceſſarium, quamcumque aliam mulierem non attingere. Neque enim vllam mulierem præter ſuam tangere cuiquam fas eſt. Porrò non tangere mulierem non eſt, vt exponunt Eraſmus & Caietanus, non ducere vxorem; ſed cum vxore ſua muliere non commiſceri; à mulieris amplexu ſeſe continere. Erat enim à Corinthijs apoſtolo propoſita quæſtio generalis; num ad vacandũ orationi & pietati, ab opere carnali prorſus eſſet abſtinendum, etiam ijs qui vxores haberent. Atque ille ſenſus patebit amplius ex ijs quæ ſtatim ſequuntur. Quæres quomodo non pugnet hæc apoſtoli ſententia cum eo quod ſcriptum eſt Gen. 2, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*. Hanc enim ſcripturam ad-

Quæſtio.

uersus continentiæ consilium quod hic ab apostolo datur, obijcere nobis solent hæretici. *Respõsio.* Respondeo nullam esse repugnantiam. Nam illic scriptura loquitur de bono speciei; Paulus hic de bono individui. Illud dictũ pro eo tempore quo mundus erat hominũ vacuus: istud pro tẽpore quo mundus erat plenus. Itẽ Moyses loquitur de bono vitæ temporalis; Paulus de bono conducibili ad vitam æternam. Sanè quod attinet ad bonum individui, non minus bene fuisset Adamo si solus mansisset, quàm fuit Antonio, Paulo & alijs qui solitariam duxerunt vitam cũm magna tranquillitate corporis & animi; eò præsertim quod Adam in illo statu integritatis nullo mouebatur incẽtiuo ad coitum; Cui proinde non minus facilè fuerit abstinere se à muliere, quàm ea vti. Bonum autem hic intelligi morale & spirituale bonũ, & per se conducens ad pietatem & salutem (quod sectarij negant, & cum his Erasmus, qui tam in annotationibus, quàm in paraphrasi bonum interpretatur commodum, videlicet molesto cõtrarium) liquet ex sequentibus: nominatim ex eo quod dicit, innuptos solicitos esse & cogitare quæ Domini sunt, quomodo placeant Deo; coniugatos autem tam virum quàm mulierem, cogitare quæ mundi sunt, quomodo alter alteri placeat. Ab hac enim siue inordinata affectione, siue indigna seruitute, quam adfert homini carnalis concupiscentia coniugio per peccatum adhærens, liberat abstinentia coniugij propter Deum. Amplius autem idipsum constat ex eo quod adijcit, Mulierem innuptam & virginem cogitare *quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu*. Quibus verbis quale & quàm excellens sit bonum, de quo hîc præfatur apostolus, euidenter exprimitur. Qua de re videat qui volet, Augustinum multa præclarè differentem libro penè toto de sancta virginitate. Taceo cætera huius capitis, velut vbi hortari se dicit *ad id quod honestum* est &c. Vbi bene facere affirmat eum qui matrimonio iungit virginem suam; sed melius, qui non iungit. vbi beatiorem pronunciat viduam si sic permanserit. Quæ omnia de commoditate vitæ præsentis interpretari, nimis violentum est, & à Pauli mente alienum: præsertim cùm ille disertè nominet bonum honestum, quod ipso genere à bono commodo diuersum est. Ex dictis intelligi potest, non absurdè B. Hieronymum scribentem aduersus Iouinianum libro 1 capit. 4, ad hunc modum ratiocinari: *Si bonum est* homini *mulierem non tangere, malum est ergo tangere*. Non enim infert peccatum esse, sed malum; quia tangere mulierem in statu huius corruptionis, non contingit sine malo turpis & inordinatæ delectationis. Quod tamen malum excusatur per bonum coniugij. Verùm, vtcumque se habeat argumentatio Hieronymi, quam accepit ex Tertulliani libro de monogamia cap. 3, non improbabile est quod quidam *bonum* exponunt comparatiuè, id est melius, quemadmodum exponitur infrà: *Bonum est illis si sic permaneant*, id est melius. Subauditur enim comparationis alterum membrum: quàm si nubant. Ita & hic, *Bonum est homini mulierem non tangere*, id est melius quã tangere. Estque Hebraismus; nisi quod exprimi soleat alterum membrum, vt psalmo 117, *Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus*. Obiter hic obserua, in vno sexu etiam alterum intelligi. Sicut enim viro bonum est, mulierem non tangere; sic & mulieri bonum, virum non tangere. Sexum vtrumque exponit sententia sequens.

Paulum loqui de bono morali & spirituali, probatur contra sectarios.

Cur malũ mulierem tangere.

2 PROPTER FORNICATIONEM AVTEM VNVSQVISQVE SVAM VXOREM HABEAT, ET VNAQVÆQVE SVVM VIRVM HABEAT. *Suũ* Græcè ἴδιον, *proprium*, dũtaxat posteriori loco. Sed & illud: *propter fornicationem*, subaudi, vitandam, Græcè plurali numero legitur διὰ τὰς πορνείας, *propter fornicationes*: quemadmodum & legit Hieronymus li. 1 cõtra Iouinianũ cap. 4, & Augustinus lib. 1 de adulterinis coniugijs cap. 2. Ita scripsit fortassis apostolus, vt innueret diuersas libidinis species. Non præcipit autem, vt vnusquisque vir Christianus vxorem ducat, & vnaquæq; mulier virũ capiat; vti peruersè quidã hæreticorũ hanc apostoli sententiam acceperunt, ex ea docentes coniugium omnibus Christianis esse in præcepto. Quę doctrina non modò refellitur ex consensu totius ecclesiæ, & tot sanctorum exẽplis; verũ etiam palam repugnat ijs quæ Paulus ipse docet hoc capite. Mox enim profitetur se hæc dicere *secundum indulgentiam, non secundum imperium*. Vult autẽ omnes homines esse sicut seipsum. Non nuptis etiam & viduis bonum esse dicit, si sic permaneant. Denique eum qui virginem suam non iũgit matrimonio, melius facere dicit, eo qui iungit. Sensus igitur est: Quamuis dixi bonum esse homini mulierẽ, etiam vxorem, non tangere: tamen propter fornicationem & omne genus immundiciæ vitandum, permittitur atque indulgetur, vt vnusquisque maritus sua vtatur vxore, eique commisceatur, & vnaquæq; vxor suo marito. Habere pro eo quod est vti, phrasim esse scripturæ sacrę, suprà ostendimus ad illud cap. 5 huius epistolæ, *ita vt vxorem patris sui aliquis habeat*. Et hunc locũ ita exponunt Hieronymus lib. 1 cõtra Iouinianum cap. 4, & Chrysostomus in cõmentario, ac cæteri interpretes. Quanquam, sicut vti cõiuge, ita & accipere coniugem fornicationis vitandæ gratia, ponendum est inter ea quæ secundum indulgentiam conceduntur. Sũt qui exponant: *habeat*, id est, retineat. Verùm Paulus nondum hic agit, an dimittere coniugem liceat: quod reseruat suo loco, infra versu 10 & sequentibus. Et quidem de vsu coniugij non de ducenda aut retinenda coniuge eũ loqui, declarat etiam quod sequitur.

Hæretica doctrina, cõiugium omnibus esse præceptum.

Habere pro vti in scripturis.

3 VXORI VIR DEBITVM REDDAT; SIMILITER AVTEM ET VXOR VIRO. Vir pro marito accipitur toto hoc cõtextu. Pro voce *debitum*,

Debitum coniugale quo Græco nomine appellatũ à Paulo.

duæ dictiones ſunt in Græco, *debitam beneuolentiam*. Quo honeſtiori nomine rem alioqui pudibundam, id eſt carnalis operis debitum, texit apoſtolus: ſimul inſinuans cum beneuolentia & ex amore coniugali reddendũ eſſe hoc debitum. Quod annotamus, ſi tamen apoſtolus ſcripſit *beneuolentiam*. Nam veriſimile nobis eſt; quod & Eraſmus cenſet, à Paulo ſcriptum id ſolum quod eſt in noſtra verſione, nimirum hac Græca voce, τὴν ὀφειλὴν, id eſt *debitum*; non autem quod in Græcis codicibus nunc legitur, τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν, *debitam beneuolentiam*. Nam ὀφειλὴ pro debito, & non ſolum ὀφείλημα, legitur in ſacris literis, vt Matt. 18, *Omne debitum dimiſi tibi*. & Rom. 13, *Reddite omnibus debita*. Coniecturæ nobis ratio eſt, quod in hanc lectionem omnes Latini tractatores conſentiant, etiam antiquiſſimus Tertullianus lib. de pudicitia capit. 16, & poſt eum Cyprianus lib. 3 teſtimoniorum capit. 32, & Hieronymus paſſim: Græci autem codices varient nonnihil. Sunt enim in quibus non εὔνοιαν legatur, ſed τιμήν, id eſt *honorem*. Quæ & ipſius Chryſoſtomi lectio fuit, vt liquidò probat eius commentarius. Atque eo reſpexiſſe videtur Hieronymus, quando in epiſtola ad Celantiam cap. 9 ſcripſit: *Debitam honorificentiam viro exhibe*. Quod ergo ſimpliciter à Paulo ſcriptum erat τὴν ὀφειλὴν *debitum*, id declarandi gratia (quod ſuſpicari licet) alij mutarunt in *debitam beneuolentiam*, alij in *debitum honorem*, nomine videlicet in participium conuerſo, & additis vocabulis, quibus res parum verecunda verecundè notaretur. Nec verò apparet cur alteram dictionẽ Latinus interpres omittere voluiſſet. Sẽſus apoſtoli eſt: Item propter fornicationem iam non in ſe vitandam, ſed à coniuge auertendam, vir debitum coniugale reddat vxori: ſimiliter & vxor viro; intellige, dum exigitur; & omnino quoties infirmitas coniugis ob incontinẽtiam periclitantis id admonet; excepto tamen, vti Thomas annotat, impedimento legitimo. Rectè autem debitum vocatur, quia ex iuſticia quadam debetur. Cuius ratio ſequitur.

4 MVLIER SVI CORPORIS POTESTATEM NON HABET, SED VIR. SIMILITER AVTEM ET VIR SVI CORPORIS POTESTATEM NON HABET, SED MVLIER. Rurſum pro *ſui* in vtroque hoc membro, Græcè ἰδίᾳ, *proprij*. Et cõueniebat huic loco potius *vxor* quã *mulier*: ſicut & in duobus verſibus præcedentibus tranſtulit. Atque ita legũt Cyprianus & Hieronymus locis ante citatis. Corpus intelligitur ſecundum ea membra quæ ſexum diſtinguunt, & quatenus ea ſeruiunt vſui coniugali: quemadmodum explicat Auguſtinus libro 5 contra Iulianum cap. 5. Senſus eſt: Vxor non habet poteſtatem, ſiue ius ſui corporis (Nam Græcè eſt ἐξουσιάζει) ita ſcilicet vt liberum ei ſit pro ſua voluntate, vel continere, vel alteri cuipiam ſe coniungere; ſed maritus ius habet corporis vxoris ſuæ: & contrà, maritus non habet ius ſui corporis, ſed vxor: vt proinde neutri liceat alteri coniugale debitum poſcenti denegare. Hac enim in parte pares ſunt ambo, & ſibi mutuo quadam ſeruitute ſubiecti: licet in alijs impares, ſecundum id quod ad mulierem dictum eſt Gen. 3, *Sub viri poteſtate eris*.

Quid corporis ſui poteſtatẽ non habere.

5 NOLITE FRAVDARE INVICEM. Id eſt: Ne fraudetis alter alterum. Fraudationem vocat denegationem debiti coniugalis, etiamſi fiat ſtudio continentiæ. Aduerſatur enim iuſticiæ, cuius præceptum eſt: *Reddite omnibus debita*, Rom. 13.

NISI FORTE EX CONSENSV AD TEMPVS. Græcè, *Niſi quod vtique ex conſenſu ad tempus*. Hoc eſt: niſi aliquantulum, modò ex conſenſu mutuo fiat, idque *ad tempus*; Græcè πρὸς καιρὸν. Quod etiam verti poteſt *ſecundum tempus*, & vt Eraſmus interpretatur, *pro tempore*, id eſt pro temporis opportunitate & exigẽtia: quando videlicet huiuſmodi abſtinentiam res poſtulare videtur. Vt enim eſt *tempus amplexandi*, ita eſt *& tempus longè fieri ab amplexibus*, Eccleſiaſtæ 3. quale maximè eſt tempus orationis, vt hic ſequitur. Ita Sophocles in Aiace dixit, πρὸς καιρὸν πονεῖν, opportunè laborare. Quamquam melius, opinor, ſeſe habet *ad tempus*: vt ſignificetur abſtinentia à concubitu temporaria, ad diſcrimen perpetuæ. Sic enim & alibi ſumitur πρὸς καιρὸν, vt Luc 8, *Qui ad tempus credunt*, & 1 Theſſ. 2, *Deſolati à vobis ad tempus horæ*. Quadrat huic intellectui quod ſtatim ſubiungit, *Et iterum reuertimini in idipſum*. Atque hanc noſtri interpretis verſionem vt planiſſimam, alij ferè omnes ſecuti ſunt. Porrò quod tanquã exceptiuè dicit apoſtolus, *niſi forte ex cõſenſu* &c. non ſignificat fraudem eſſe in hac mutua abſtinẽtia. Nã fraus ſemper peccatum eſt; ſi propriè dicatur. Sed vel fraudare dixit pro eo quod eſt priuare, vt exponit Caietanus: vel quod veriſimilius, Hebræa phraſi vſus eſt, qua *niſi* pro ſed tantùm accipitur non infrequenter in ſcripturis: velut 4 Regum 5, loquente ad Elizæum Naaman Syro: *Non faciet vltra ſeruus tuus holocauſtum aut victimam dijs alienis, niſi Domino*, id eſt, ſed tantũ Domino. & Apoc. 21, *Nõ intrabit in eam aliquid coinquinatũ, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni*. & apud ipſum Paulum ad Gal. 2, *Nõ iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidẽ Ieſu Chriſti*. Itaq; ſenſus huius loci eſt: Ne fraudetis inuicem, ſed tantũ ex conſenſu mutuo abſtinete vos interdum. Nam huiuſmodi verbo ſupplenda eſt oratio alioqui imperfecta. Dixi veriſimilius. Nam fraudare propriè accipiẽdum eſt. Sentit enim Paulus eos qui debitum coniugale negant, verè & propriè coniugem fraudare. Iam ex hoc apoſtoli præcepto non rectè collegeris, illicitam eſſe coniugibus ex conſenſu perpetuam abſtinentiam, eo quod dicat *ad tempus*. Nam illud quidem *ex conſenſu*, pro quo Cyprianus legit *ex conuẽtione*, iuris eſt coniugalis. Neque enim aliter licet. Quod autẽ id non abſolutè dicit, ſed cum addito *ad tempus*, indulgentiæ eſt, vti mox ipſe explicat:

Niſi pro ſed tantũ, Hebræis dicitur.

Qui debitũ coniugale negãt, fraudem committunt.

quum

quum profectò sit per se multo melius, perpetuò abstinere.

VT VACETIS ORATIONI. Græcè, *vt vacetis ieiunio & orationi*. Syra quoque ieiunij meminerunt. Quanquam Chrysostomus & Theophylactus non plus legisse videntur, quàm quod in Latinis est: quibus & Græca quædam exemplaria asstipulantur. Cyprianus item & Hieronymus tantum legunt *orationi*. Adde quod *vacandi* verbum, vt bene monet Erasmus, *non perinde congruit ieiunio*. Declarat apostolus id quod dixerat *ad tempus*, ostendens quodnam tempus abstinentiam operis coniugalis deposcat: id est tempus orationis, quod idem à Petro apostolo expressum est 1 epist. 3 dicente, *vt non impediantur orationes vestræ*. Quippe coniugalis actus quo animus quodammodo carni totus immergitur, ineptum reddit hominem ad orationem, qua mens in Deum eleuanda est. Sed obijciet aliquis: Christianis quotidie orandum esse, Domino dicente, *Quoniam oportet semper orare* Luc. 18, & ipso Paulo præcipiente, *Sine intermissione orate* 1 Thess. 5. Quod igitur tempus erit reliquum coniugibus ad amplexum mutuum? Responsio est, Petrum & Paulum monentes abstinendum ab vsu coniugij ad vacandum orationi, non de quacumque oratione loqui (quamuis & id verum est, ex concubitu semper ineptiorem reddi animum ad orandum) sed de oratione ad quam fideles publicè cõueniebant, velut Dominicis ac solennibus diebus. Nam id erat orationi vacare. Non enim dicit apostolus, vt oretis, sed, *vt vacetis orationi*; vt obseruat & vrget Theophylactus. Et quidem nomine orationis arbitror vtrumque apostolum comprehendere voluisse etiam sacrificium eucharistiæ, cuius participes fiebant fideles illis diebus, quibus solenniter ad orationem conueniebatur; quemadmodum & Act. 6 cõprehendunt apostoli dicentes: *Nos orationi & ministerio verbi instantes erimus*. Imò quod dicit Petrus, *vt non impediantur orationes vestræ*, sic quibusdam accipiẽdum videtur: vt à communione corporis Dominici (quæ sub orationis generali nomine continetur) non impediamini: tametsi magis placet sensus iam dictus de oratione publica; sub qua tamẽ eucharistię perceptio cõprehendatur. Sic enim verba Pauli commodius accipiuntur. Igitur ex consequenti monet vterque apostolus fideles, ne sic vacent operi coniugali, vt per hoc impediantur ab eucharistia statis diebus percipienda: præsertim cùm maius sit accipere corpus Christi, quàm simpliciter orare, teste Hieronymo in apologia ad Pammachium cap. 6, vbi defendit quod dixerat hunc Pauli locum tractans, lib. 1 contra Iouinianum cap. 4: *Oro te, quale illud bonum est, quod orare prohibet? quod corpus Christi accipi non permittit?* Porrò orationis nomine, sicut & adorationis comprehẽdi sacrificium & reliquum cultum, etiam aliæ scripturæ nos docent, vt illud Isaiæ 56, memoratum à Domino apud tres euangelistas: *Domus mea domus orationis vocabitur*. Item Ioan. 4, *Ierosolymis est locus vbi oportet adorare*. Act. 16, *Die sabbatorum egressi sumus, vbi videbatur oratio esse*. 1 Tim. 2. *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes* &c. Quem locum Augustinus epistola 59 ad Paulinum, & commentatores diserte exponunt de sacrificio missæ & orationibus, quæ sacrificij tempore à sacerdote & populo ad Deum fiunt: quemadmodum in nostro eiusdem loci commentario ostendemus. Apparet autem non solum à perceptione eucharistiæ, verùm etiam ab ipso conuentu publico in quo sacrificium offerebatur, abstinendum fuisse illis qui operi coniugali vacassent. Nam quicumque sacrificio intererant, communicare solebant. Quam rẽ postea suo decreto firmauit Anacletus papa. Quare si qui quacumque ratione inepti erant ad communionem, ijdem etiam à conuentu & publica oratione sese abstinere debebãt. Vnde & Romanorum vetus fuit consuetudo, vt post coitum nocturnum eodem die sacra loca non accederent. Sic enim de illis Hieronymus loquitur in dicta apologia: *Quare ad martyres ire nõ audent? quare non ingrediuntur ecclesias?* Cuius rei meminit etiam Gregorius Pontifex ad interrogationes Augustini Anglorum episcopi responsione 10. Veruntamẽ, quod hic notãdũ est, nec orationis causa permittit apostolus vsum tori coniugalis alterutro petente intermitti; sed tantũ ex consensu. Quod si tantùm debiti reddẽdi gratia quis vxori cõmixtus fuerit, non prohibetur eodẽ die cum cæteris fidelibus eucharistiam percipere. Id quod Gregorius etiã illi cõcedit, qui solo procreãdæ sobolis desiderio coniugi miscetur: quoniã inquit, *á nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere*. Sed quis est hic? & laudabimus eũ. Cæterũ ex hoc loco Pauli rectè probant orthodoxi scriptores ijs qui ex officio sacratioribus ministerijs perpetuò sunt addicti, id est sacerdotibus, vxores nec ducendas esse, nec habẽdas. Nã vt Hieronymi verbis vtar: *Si laicus & quicumq; fidelis orare non potest, nisi careat officio cõiugali: sacerdoti cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandũ est: si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio*. Sic ille lib. 1 aduersus Iouinianum cap. 19.

ET ITERVM REVERTIMINI IN IDIPSVM. Græcè, *Et iterum ad idem conuenitis*, vt sensus sit; orationis tempore finito cõiugibus redeũdum ad opus consuetum; *quod*, inquit Hieronymus, *erubescit suo vocare nomine* lib. 1 contra Iouinianũ cap. 4. Potest etiam verti ἐπὶ τὸ αὐτὸ *in vnum*, quomodo vertit Erasmus hoc loco, & noster interpres infrà cap. 11, *conuenientibus vobis in vnum*. Est enim particula frequentata à LXX, maximè in psalmis: pro qua Hebræis est dictio יחדיו *iachdaiv*, id est *in simul*. Atqui res eodẽ redit: & alterũ ex altero intelligitur.

NE TENTET VOS SATANAS. Id est ne in adulterium aliásue damnabiles corruptelas vos tentando pertrahat diabolus, si diutius

Cur actus coniugalis orationẽ impediat.

Obiectio.

Responsio.

Orationis nomine sacrificiũ eucharistiæ cõprehenditur.

Actus cõiugalis impedit eucharistiæ sumptionem.

Sacerdotes vxorati esse non debent.

In idipsũ quid significet.

maneatis toro ſeparati. Significatur enim tentatio cum effectu. Oſtendit hic locus, etiam ea peccata ad quæ ſola ſufficeret carnis tentatio, committi inſtigante diabolo. Quod tamen vtrúmne ſemper fiat, & an omnia peccata dæmonum inſtinctu committantur, alia quæſtio eſt, & alibi tractanda. Nos ex profeſſo de ea egimus in 2 ſent. diſt. 21.

PROPTER INCONTINENTIAM VESTRAM. Græca dictio ἀκρασία magis *intemperantiam* ſignificat: quomodo legit Ambr. commentator, & Auguſtinus li. 1. de nuptijs & concupiſcentia cap. 14. tametſi inter voces Latinas incontinentiam & intemperantiam non multũ eſt diſcriminis. Plerique partem hanc cõſtruũt cum ea quæ proximè præceſſit, hũc reddentes ſenſum: Ne Satanas videns incontinẽtiam veſtram & carnis infirmitatem: qua fit vt minus apti ſitis ad perpetuò continendum, per eam vos tentet, & tentando impellat in grauiora peccata. Hi *propter incontinentiam*, exponunt *per incontinentiam*, tanquam Paulus ſcripſiſſet διὰ τῆς ἀκρασίας. At verò melius hæc pars ſic accipitur, vt conſtruenda cum illa, *reuertimini in idipſum*; ſitque ſenſus: Poſt orationem redite ad opus coniugale; quod vt faciatis, moneo propter incontinentiam veſtram, ne alioqui Satanas vos ſolicitet & inducat ad deteriora. Confirmat hanc conſtructionem quod iam ante ſimiliter dixerat, *Propter fornicationem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat* &c.

Conſtructio verior huius loci

6 HOC AVTEM DICO SECVNDVM INDVLGENTIAM, NON SECVNDVM IMPERIVM. Græcè, *ſecundum veniam, non ſecundum præceptum*. Et Auguſtinus paſſim hunc locum citãs *veniam* legit: quemadmodum & Cyprianus teſtimoniorum lib. 3. cap. 32. Quod autem in nonnullis Græcis Eraſmo teſte legitur κατὰ γνώμην *iuxta ſententiam* vel *conſilium*, pro κατὰ συγγνώμην *ſecũdum veniam*: legitur id quidem in fine huius capitis: ſed præſenti loco non conuenit; cùm hic non conſilium ſed permiſſio ſit. Exponit enim apoſtolus hac parte, quẽadmodum intelligi velit quod dixerat, *reuertimini in idipſum*: eademque prorſus eſt ratio de priotibus illis verbis: *Vnuſquiſque ſuã vxorẽ habeat: & vnaquæque ſuum virum*. Poterat enim videri hæc præcipiendo dixiſſe, quod ita fieri oporteret. Declarans igitur ſeipſum, affirmat ſe ea dixiſſe nõ ex præcepto, ſed ex permiſſione & indulgentia quadam: qua nimirũ ſolent minora quędam mala concedi ad auertẽdum maiora. Quocirca rectè B. Auguſtinus & alij patres, ex hoc loco colligunt ac docere non dubitant, concubitũ coniugalem quando fit per incontinentiam, ſemper eſſe peccatum: etiamſi vitandæ fornicationis cauſa fiat. Tunc autem ſolum culpa carere, quãdo non expetitur, niſi ſobolis procreandæ gratia: ad exemplum eius qui dicebat in oratione ſua ad Deum: *Tu ſcis Domine quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam coniugem: ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum.* Tob. 8. Auguſtini de hac re ſentẽtiæ ſunt apertiſſimæ, vt homil. 50 cap. 7. *Sola generandi cauſa eſt inculpabilis vtriuſque ſexus commixtio.* & in epiſtola 121 de orando Deo cap. vltimo; *Sola excuſat nuptias procreandorum cauſa filiorum*. Eadem doctrina eius eſt lib. de bono coniugali cap. 6 & ſequentibus, ſermone 63 de diuerſis capit. 13, & ſermone 41 de ſanctis, & alijs locis, quæ longum eſt hic annotare, & non neceſſarium: quandoquidem per ſe clarum eſt quod ait apoſtolus: *Hoc dico ſecundum veniam*. *Euidenter* enim, *dum tribuit veniam, denotat culpam*, inquit Auguſtinus lib. de peccato originali capit. 38. *Nam quis ambigat abſurdiſſime dici, non eos peccaſſe quibus venia datur?* ait idem libro de bono coniugali capit. 10. Et *quis eſſe peccatum neget, cùm dari veniam facientibus apoſtolica authoritas fateatur?* enchiridij cap. 78. Neque tamen ſufficit generandi cauſa, ſi non & ea referatur ad ſanctam prolis educationem, *in qua*, ſicut ait Tobias, *benedicatur nomen Dei*. Nam, vt idem Auguſtinus præclarè ſcribit libr. 1 de nuptijs & concupiſcentia capit. 4, *qui non hac intentione, hac voluntate, hoc fine generant filios, vt eos ex membris hominis primi in membra transferant Chriſti; etiamſi tanta ſit obſeruantia, vt ſecundum matrimoniales tabulas non niſi liberorum procreandorum cauſa concumbant, non eſt in eis vera pudicitia coniugalis*. Hæc ille. Dixi concubitum coniugalem tunc ſolum culpa carere, quando non expetitur niſi prolis generandæ cauſa. Nam ſi non expetitur, nec debitum exigitur, ſed tantum redditur, non peccatum eſt, ſed actus iuſticiæ, quem iam ante præcepit apoſtolus illis verbis: *Vxori vir debitum reddat, & vxor viro*. Verùm hac de re tota latè egimus ad diſtinct. 31. lib. 4 ſentent.

Concubitus per incontinentiam ſemper eſt peccatum. Nec fit licitè niſi ſola generandi cauſa.

Reddere debitum coniugale etiã ſine ſpe prolis, non eſt peccatum

7 VOLO ENIM OMNES VOS ESSE SICVT MEIPSVM. Hæc pars variè legitur in Latinis codicibus, etiam peruetuſtis. In multis *autem* pro *enim* ſcriptum eſt. Rurſum in pleriſque non *vos* ſed *homines*, quemadmodum & legit Ambroſ. commentator. In nonnullis nec *vos*, nec *homines*. At alij quidam, ſuffragante textu Aquinatis & Lirani, hæc tria coniungunt, *omnes vos homines*. Porrò Græca conſtanter ſic habent. *Volo enim omnes homines eſſe ſicut & meipſum*. Quam facilè exiſtimem veram eſſe lectionem. Sunt autem hæc verba non abſolutæ voluntatis, ſed optatiuæ. Nam Hebraiſmus eſt *volo* pro *vellem*, vt legit Auguſtinus libro de gratia & libero arbitrio capit. 4, & alibi. Nec diuerſo ſenſu commentator Ambroſ. legit *volebam*, nempe præterito imperfecto optatiui loco poſito: quomodo Paulus dixit, *optabam* pro *optarim* Rom. 9 verſu 3. Itaque quod hic dicit tale eſt: Adeò non præcipio coniugium aut coniugij vſum, vt potius velim atque optem omnes ſic eſſe vt ego ſum: id eſt liberos & expeditos à curis & actibus huius

Optat Paulus omnes eſſe liberos à coniugio.

ſæculi,

sæculi, impedientibus libertatē vacandi Deo, rebusq; diuinis; cuiusmodi inprimis est status & actus cōiugalis. Id quod ex sequēti doctrina huius capitis amplius constabit. Pro quo sensū vide quæ diximus ad illud capitis præcedentis: *Sed ego sub nullius redigar potestate*. Ex hac parte sic generaliter intellecta, iam consequens est, quod patres ex ea colligunt & docent, Paulum ab omni concubitu sese continuisse, & in perpetua castitate vixisse, vt Epiphanius hæresi 58, quæ est Valesiorum, Hieronymus in libro de custodia virginitatis ad Eustochium cap. 8, & in epistola ad Celantiam cap. 8, quamuis hanc epistolam alij Paulino tribuant. Item Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 4. Ac præterea commētatores, tam hunc locum explicantes, quàm illud quod paulo pòst sequitur: *Sicut & ego.* Latini quidem Ambros. Sedulius & omnes posteriores. Græci verò Chrysostomus, ac magis expresè Theodoritus, Theophylactus & Oecumenius. Quibus omnibus adde vetustissimum Tertullianū, disertè nuptias à Paulo remouentem lib. scripto ad vxorem cap. 3. De exhortatione castitatis cap. 4, & de monogamia capit. 3, & 8. Valeat proinde Erasmus, qui in suis annotationibus ex hoc ipso loco conijcit Paulo hæc scribenti coniugem fuisse: *posteaquam*, inquit, *de coniugatis agens, sui facit mentionem*. Quæ coniectura prorsus infirma est. Primùm, quia non de solis coniugatis apostolum loqui manifestum est. Dicit enim *omnes homines*, vt habet ipsius Erasmi versio. Deinde, si coniugatus erat Paulus quando hæc scribebat, quia de coniugatis agens sui facit mentionem, eosque ad suum hortatur exemplum: igitur etiam innuptus & viduus erat hæc scribens, quia statim pòst non nuptis & viduis loquens, similiter sui facit mentionem addendo, *sicut & ego.* Qui locus profectò suspicionem Erasmi prorsus dissipat, & patrum quos memoraui, sententiam amplius etiam confirmat, vt illic ostendemus. Certè non ita confidenter Paulus, de continentia differens, semetipsum proponeret omnibus exemplum; si non in ipso esset, quod non solum coniugati imitarentur, verùm etiam quod virgines & omnes cælibes, id est continentia perpetua. Quo ferè modo ratiocinatur ad hunc locum Theodoritus. Cæterùm hæc Pauli optatio qua vult omnes homines esse sicut seipsum, de vnoquoque est homine, non de omnibus simul. Aut certè, quod mauult Aquinas, antecedente voluntate id voluit, non consequente, sciens id non futurum. Vnde vanum est quod obijciebat Iouinianus apud Hieronymum lib. 1 cap. 21 dicens: *Si omnes virgines fuerint, quomodo stabit genus humanum?* Cui post alia bene respondet Hieronymus: *Noli metuere ne omnes virgines fiant. Difficilis res est virginitas: & ideo rara, quia difficilis* &c. Ad eandem obiectionem dicentium: *Quid si omnes velint ab omni concubitu continere; vnde subsistet genus humanum?* Augustinus lib. de bono coniugali cap. 10 hoc modo respondet: *Vtinam omnes hoc vellent, dumtaxat in charitate de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta; multo citius Dei ciuitas compleretur, & acceleraretur terminus sæculi:* Quod & alijs verbis repetit libro de bono viduitatis capite vltimo. Iam quomodo non pugnet hæc optatiua Pauli voluntas cum eo quod dicit primæ Timoth. 5, *Volo iuniores nubere*, reperies explicatum in eius loci commentario.

SED VNVSQVISQVE PROPRIVM DONVM HABET EX DEO: ALIVS QVIDEM SIC, ALIVS VERO SIC; id est alius tale, alius autem tale. Non significat omnes homines aliqua habere dona à Deo. Nam *multi sunt*, inquit Hugo Victorinus in quæstione huius loci, *quibus nihil collatum est vnde saluari possint:* (quod notent, qui gratiam omnibus sufficientem introducunt,) sed de fidelibus agit apostolus; ac dicere vult, non vnum omnia habere, sed alios alia. Quidam enim (vt à re proposita sumatur exemplum) donum habent castitatis coniugalis; alij vidualis, alij virginalis. Indicat autem apostolus, ijs qui donum cōtinentiæ qua omnino à concubitu abstineant, sentiunt se non habere nec ad illud seriò niti volunt; paratum esse remedium ex coniugio. Verùm de ijs loquitur, quibus non obstat aut votum continentiæ sponte emissum, aut lex ecclesiastica sponte suscepta; quo minus illud remedium apprehendant. Nam astricti voto si nubere volunt, aut vti coniugio, *damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt*, ipso Paulo teste 1 Tim. 5. Par ratio de ijs qui legi se submiserunt. Tales igitur necesse est ad alia sanctiora suæ incontinentiæ remedia confugere; cuiusmodi sunt ieiunium, oratio, vigilia, lectio sacra, piæ meditationes, ocij fuga, labores & occupationes honestæ, & quicquid his simile. Nam commune & obuium illud remedium quod hic ostenditur ab apostolo, iam eis factum est illicitum; & per hoc, moraliter & in genere agendorum, impossibile. Porrò sicut ex hoc loco non est consequens hominem coniugatum, si non habeat donum continentiæ coniugalis, ad eam seruandam non teneri: ita nec sequitur, eos qui non habent donum continentiæ simpliciter, ad hanc præstandam non teneri; si ad eam lege aut voto sint astricti. Etenim ad multa tenentur homines partim lege Dei, partim lege superiorum, partim etiam lege priuata, quam quis sibi vouendo imponit: quorum habitum, facultatem, gratiam seu donum non habent; habere tamen possunt Deo donante, & habebunt si petant, secundum id quod Dominus promisit dicens: *Petite & accipietis*. Ideo non dicit apostolus, Vnusquisque propriam virtutem habet; sed, *proprium donum*; & addit, *ex Deo*: vt & donum agnoscatur, & author doni; & ab eo petatur, si nondum habetur.

Paulus vixit sine coniuge.

Refellitur Erasmus Paulo tribuens vxorem.

Quo sensu Paulus optet omnes esse sicut seipsum.

Ad obiectionem Iouiniani responsio.

Multi, quibus nihil collatū est, vnde saluari possint.

Alijs alia dona à Deo concessa.

Incōtinētiæ remedia pro ijs qui coniugium sibi fecerunt illicitum.

Donum continentiæ non habens, nō excusatur à debito cōtinētiæ.

Cauēdus Pelagij commentarius.

Cauendus hoc loco commentarius Pelagij, qui proprium donum quod vnuſquiſque accepit à Deo, interpretatur propriæ voluntatis donatiuum, videlicet more ſuo donũ ſeu gratiam Dei conſtituens in facultate naturali & omnibus inſita à Deo, qua quiſque eligere poteſt quod vult. Quæ interpretatio legitur etiam in libro quodam de caſtitate, quem cum duobus alijs ante annos quadraginta in lucem protulit Solanius quidam, inſcriptum Sixto tertio pontifici Romano: cùm ne catholici quidem ſcriptoris ſint libri, ſed, vt ex multis colligitur, Pelagiani cuiuſpiam. Tantum abeſt vt à memorato pontifice conſcripti ſint, quem conſtat hæreſis Pelagianæ fuiſſe acerrimum expugnatorẽ. Ita de ijs libris poſt VVilhelmum Lindanum doctiſſimum epiſcopum cẽſuit Cardinalis Baronius in fine tomi 5 ſuorum annalium.

Liber de caſtitate falsò aſcriptus Sixto Pontifici.

8 DICO AVTEM NON NVPTIS ET VIDVIS. *Non nuptis*, Græcè τοῖς ἀγάμοις *innuptis*, vt legit Hieronymus: ſeu potius, quemadmodum alij vertunt, *inconiugatis*, quos cælibes vocant Latini: vt intelligatur etiam ad viros pertinere, cùm in Græco maſculinus ſit articulus. Viduis, Græcè ταῖς χήραις, feminei ſexus. Sed quæſtio eſt, vtrum ἀγάμους Paulus intelligat eos qui nuptias non ſunt experti: quos Græci propriè ἀγάμους appellant: an generalius eos qui ſine coniuge ſunt, ſiue coniugati fuerint aliquando, ſiue non. Priorem intellectum exigere videtur diſcrimen inter ἀγάμους & viduas. Nam niſi ſtrictè ac propriè ἀγάμους accipias, comprehendentur eo nomine etiam viduæ: quas tamen adiungit apoſtolus vt diuerſas. Nec quo minus comprehendantur, obſtabit genus femineum. Nam mens apoſtoli eſt ſub vtroque nomine vtrumque ſexum inſtruere, & de abſtinentia à coniugio, & de continentia in viduitate poſt obitum coniugis: quemadmodum hic annotant Theodoritus & Oecumenius. Viduas autem nominat apoſtolus, non viduos; tum quod vſitatius ſit femininum nomen, vt Latinis vidua, ſic & Græcis χήρα: tum quod hoc genus exhortationis ad feminas magis dirigi ſoleat. Veruntamen poſteriori intellectui fauere videtur ipſe Paulus, qui non multo pòſt ἄγαμον vocat mulierem etiam coniugatam, ſed à viro digreſſam. *Quod ſi diſceſſerit*, inquit, *maneat* ἄγαμος: Quanto magis eo vocabulo comprehenſurus eos, qui nuptias experti, coniuges amiſerunt? Quod quidem facere videtur infrà verſu 32 dicens: *Qui ſine vxore eſt*, Græcè ὁ ἄγαμος, *ſolicitus eſt quæ Domini ſunt.* Nam ſubiungit: *Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi*, inſinuans vtique per ἄγαμον ſe intellexiſſe eum qui coniugatus iam non eſt; etiamſi fuerit. Similiter & in eo quod ibidem ſequitur iuxta Græcam lectionem: *Diuiſa eſt mulier & virgo. Innupta curat quæ Domini ſunt.* Nam cùm virginem dixiſſet, non repetit, vt diceret, *Virgo curat quæ Domini ſunt*, ſed ἡ ἄγαμος, *innupta curat* &c. nimirum volens extendere doctrinam ad cęteras continentes, etſi non virgines. Idque magis etiam apparet ex Latina lectione eiuſdem loci: quæ manifeſtè, etiam Hieronymo teſte lib. 1 contra Iouinianum cap. 7, indicat diſcrimen innuptæ & virginis, ſaltem vt generis & ſpeciei. Sic enim habet: *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt.* ac ſi dicat: Innupta mulier, præſertim ſi virgo ſit, cogitat &c. Ad quem modum etiam hoc loco cùm dixiſſet, *Dico non nuptis*, quamuis ibi viduæ comprehenſæ poſſint intelligi; tamen ad maiorem expreſſionem addere voluit, *& viduis:* vt non propterea conſequens ſit ἀγάμους hic dici de ſolis ijs qui vel quæ nunquam nupſerunt. Quod & Auguſtinus apertè tradit lib. de bono viduitatis cap. 2, quamuis vtrumque, *innuptis & viduis*, ad ſolum muliebrem ſexum referens, Græco textu non conſulto. *Innuptarum nomine*, inquit, *illas ſignificat, quæ non ſunt nuptijs alligatæ, ſiue fuerint, ſiue non fuerint.* Cumque id etiam ex ipſius Pauli verbis infrà poſitis probaſſet; demum concludit ita dixiſſe Paulum: *Dico innuptis & viduis: tanquã diceret, Quod dico innuptis, non eis ſolis dico, quæ virgines ſunt ſed etiam eis quæ viduæ ſunt.* Ita Auguſtinus. Sed nunc quid innuptis & viduis dicat apoſtolus, audiamus.

Quos innuptos vocet Paulus.

Altera ſententia probabilior.

BONVM EST ILLIS SI SIC PERMANEANT. Græcè, *Bonum eis eſt ſi maneant.* Multi quoque Latini codices mss. *maneant* habent, non *permaneant:* tametſi ſenſus idem eſt. Bonum eſt, inquit, illis, id eſt melius ac magis eligendum, vt maneãt ſicuti ſunt, innupti & viduæ, quàm vt nubant. *Bonum poſuit pro meliore*, ait Auguſtinus lib. de bono viduitatis cap. 5. Eſt enim hoc bonum ſuo genere præſtantius eo quod eſt nubere. Dico, ſuo genere, non prorſus abſolutè, ſed in hoc ſtatu corruptionis. Nam in ſtatu primæuæ integritatis non erat melius: imò ſimpliciter nec eligendum.

Bonũ pro meliore.

SICVT ET EGO. Supple, maneo ἄγαμος innuptus, inconiugatus. Si in parte præcedente ἄγαμοι intelligantur qui nec habent coniugem nec habuerunt: erit hic locus, vt arbitror, euidens pro perpetuo Pauli cælibatu: quem multi hinc colligunt. Nam ad poſterius membrum *& viduis*, quod femininum erat, non niſi incommodiſſimè referri poteſt hæc adiectio, *ſicut & ego*. Sin autem ἄγαμοι Paulo dicantur, (quod ex ſupradictis magis apparet) qui ſine coniugio ſunt, qualeſcumque prius fuerint: tum ſaltem ex hoc loco planiſſimè conſequens erit, Paulum aut nunquam vxorem duxiſſe, aut certè cælibem ac ſine vxore fuiſſe quando hæc ſcribebat: vt hinc optimè refellatur eorum opinio, qui exiſtimarũt Paulo fuiſſe vxorem, vel quando hanc epiſtolam ſcripſit, eo quod dicat cap. 9. *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi?* vel etiam multo poſt: vt qui in epiſtola ad Philip. 4 vxorem ſuam compellans dicat: *Etiam rogo & te germana compar*, vt illi legendum contendunt. Quæ duo loca quam nihil illorum opinioni patrocinentur, oſtendemus,

Pauli cælibatus rurſum confirmatur.

quum

quum vsque ad ea ventum erit. Quanquam & iuxta generaliorem hanc acceptionem vocabuli ἄγαμοι, non ineptum ex isto loco ducitur argumentum pro perpetua Pauli continentia. Nam qui vxorem habuit & ea vsus est, etiamsi nunc ea careat & in continentia viuat, is profecto parum idoneus censebitur, qui suum ad continentiam exemplum communiter omnibus obtendat innuptis, etiam virginibus: atque ijs dicat: ita permanere, sicut & ego.

9 QVOD SI NON SE CONTINENT, NVBANT. *Nubant*, Græcè γαμησάτωσαν *matrimonium contrahant*. Nam de vtroque sexu Paulum loqui iam patet ex præcedentibus. Sensus est: Quod si per infirmitatem carnis continere se non possunt; amplectantur remedium nuptiarum. Verum hoc quoque secundum indulgentiam consulit apostolus. Dicuntur autem se continere non posse, non quibus impossibile hoc sit; sed quibus arduũ atque difficile: rametsi difficultas hæc potissimùm nascatur ex defectu bonæ ac firmæ voluntatis continendi. Ideoque non dixit apostolus, Si non possunt se continere: sed, *si non se continent*. Gregorius parte tertia curæ pastoralis admonitione 28, mentem apostoli sic extulit: *Admonendi sunt*, inquit, *calibes, vt si tentationũ procellas cum difficultate salutis tolerant, cõiugij portum petant*. Cæterùm etiam hic loquitur apostolus de ijs quibus coniugij contrahendi potestas est: id est, qui à lege ac voto continentiæ sunt liberi. Vnde consequenter idem Gregorius: *Sine culpa quippe ad coniugium veniunt; si tamen necdum meliora vouerunt. Nam quisquis bonum maius subire proposuit*, (id est vouit) *bonũ minus quod licuit, sibi illicitum fecit*. Hęc ille, & quidem ex ipsius Pauli sententia; qui alio loco viduas quasdam non se continentes, ideóque nubere volentes, damnationi pronunciat obnoxias, eo quod *primam fidem irritam fecerint*, 1 Tim. 5. Nam fidem illam de qua loquitur, non aliam esse, quam qua sese Deo ad perpetuam continentiam obstrinxerant, ostendemus in eius loci commentario. Nec verò præsentem apostoli locum aliter quàm dixi, intellexerunt patres Gregorio priores, vt Epiphanius hæres. 61 quæ est Apostolicorũ, Chrysostomus lib. de virginitate cap. 39. (ad quem librum suum in huius capitis commentario lectorem remittit) Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum cap. 6, 7 & 8. Augustinus de bono viduitatis cap. 8, 9 & 10, & de coniugijs adulterinis lib. 1 cap. 15. Item Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. Sedulius in commentario: & denique Ambrosius, seu quisquis author in libro ad virginem lapsam cap. 5. Sanè liquet ex his quàm peruersè locum istum apostoli proferant apostatæ sacerdotes & monachi, quo sacrilega sua connubia post continentiæ votum attentata excusent. Vide & ea quæ commentabimur ad illa verba quæ sunt infrà versu 28. *Si nupserit virgo, non peccauit*.

MELIVS EST ENIM NVBERE QVAM VRI. *Nubere* Græcè γαμῆσαι, id est *iungi matrimonio*. Ratio consilij non se continentibus dati: quoniam, inquit, melius est coniugem accipere, & nuptiarum vti remedio, quàm vri, id est, ab igne concupiscentiæ lædi per actum vel consensum peccati; ita pati libidinis æstum vt aduraris, aut etiam comburaris. Vritur ergo non qui tentatur incentiuo libidinis, sed qui à tentatione superatur: non qui sentit, sed qui consentit; quomodo dicitur vri igne, non qui calorem eius qualitercumque molestum sibi sentit, sed qui admoto igne læditur ac sauciatur. Quod satis declarat Græcum verbum ab igne deductum πυροῦσθαι, igniri, incendi, comburi. Hinc Augustinus lib. de sancta virginitate cap. 34. *Vri*, inquit, *est occulta flamma concupiscentiæ vastari*. In eundem sensum vstionem hanc interpretantur veterum commentarij tam Græcorum quàm Latinorum. Nec secus Hieronymus, qui in apologia ad Pammachiũ cap. 7, *vri* exponit *fornicari*: nomine fornicationis omne genus impudicitiæ comprehendens, in quodcumque incidere solent incontinentes extra coniugium. Quod si vri non plus esset quã pati motus libidinis, & inquietari stimulis carnis, vt volunt sectarij; iam ipse Paulus qui suprà dixit, *Volo omnes homines esse sicut meipsum*, iuxta suum hoc consilium vxorem ducere debuisset. Nam de stimulo carnis alibi queritur; *Datus est*, inquit, *mihi stimulus carnis meæ* &c. 2 Cor. 12. Quem locum de sensu ac motu libidinis graues authores interpretati sunt; vt ibi docebimus. Iam nec ista apostoli ratio quicquam facit pro coniugijs eorũ, qui continentiæ voto sunt alligati. Talibus enim non est melius nubere quàm vri: cum vel ipso Paulo teste, etiam velle nubere sit ijs damnabile malum 1 Tim. 5, adeóq; illis ipsum nubere sit vri, idque multo grauius, quàm si quis extra huiusmodi nuptias vratur. Nam qui post votum nuptias contrahit, peccatum libidinis peccato voti violati cumulat. Igitur secundum expositionem sanctorum patrum, quos ante citauimus, illis nubere quàm vri melius est, qui adhuc nubere possunt. Vnde & in oratione quadam asscripta B. Ambrosio sic legitur: *Mœchanti in corde suo, necdum castitatem professo, iuxta apostolum melius est nubere quàm vri. Sed obsecro Domine, vt cui non licet nubere, non contingat aduri*. Ecce orationis remedium, vbi nubere non licet. Quæritur autẽ quo sensu nubere sit melius quàm vri: num impropria comparatione, scilicet boni cum malo: qualis illa Ecclesiastæ 7, *Melior est patiens arrogante*. an verò impropria acceptione melioris; vt melius dicatur quod minus malũ est: quomodo melius olim erat in excelsis Deo vero sacrificare quàm idolis: & quomodo *melius est non cognoscere viam iusticiæ, quàm post agnitionem retrorsum reuerti*, 2 Pet. 2. Prior sensus veritatem habebit, si nubere per se consideretur ac sine circumstantijs; quemadmodũ nuptias considerat Augustinus lib. de bono coniugali cap. 10, docens nec ipsis non se con-

Vri quis dicatur.

Quibus melius nubere quàm vri.

Quo sensu nubere melius quàm vri.

Incontinentibus propositũ remediũ nuptiarũ. Qui dicãtur non se cõtinẽtes.

Ad quos incõtinẽtes hæc nubendi indulgentia spectet.

Notent apostatæ sacerdotes & monachi.

tinentibus nuptias esse peccatum: cùm apertè dicat apostolus in consequentibus; *Si acceperis vxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccauit.* Et post multa: *Quod vult faciat; non peccat, si nubat.* Ratio manifesta est, quia nuptiæ per se sunt res honesta à Deo instituta: præsertim si non de solo contractu nuptiarum agatur, sed de statu ipso coniugali. Verùm fortasse posterior sensus, si bene explicetur, accommodatior est textui, vt nubere dicatur melius quàm vri, quia nubere minus malum est, & secundum veniam concessum; vri verò deterius, ac minimè concedendum. Nam vt reuerti in idipsum propter incontinentiam, ab apostolo secundum veniam conceditur; ita & nubere per incontinentiam. Cum hac enim circumstantia nubere accipitur hoc loco. *Quod si*, inquit, *non se continent, nubant. Melius est enim*, intellige non se continentibus, *nubere quàm vri.* Sic autem nubere est per incontinentiam nubere. Quod profectò tam est culpabile, quàm per incontinentiam misceri cum coniuge. Nam vtrobique culpam inducit eadem circumstantia finis. Huc respexit Hieronymus de nuptijs incontinentium differens lib. 1 contra Iouinianum cap. 4 & 8, & in apologia ad Pammachium cap. 6 & 7. Quibus locis inter alia dicit ac repetit, dictumque defendit, *Ideo melius est nubere, quia peius est vri.* quasi dicat, nubere per incontinentiam, de quo loquitur apostolus, non in se bonum est, sed in comparatione peioris. Cuiusmodi verbis etiam Sedulius vtitur in commentario. Sed & Thomas *melius* interpretatur *magis tolerandum.* Tale quoque est quod S. Martinum dicere solitum refert Sulpitius in eius vita, dialogo 2. *Coniugium pertinet ad veniam, virginitas spectat ad gloriam, fornicatio deputatur ad pœnam.* Considerabat enim ille sanctus coniugium, quale à plerisque, tametsi Christianis ac Deum timentibus suscipitur. Vide etiam quæ infrà dicemus ad ea verba apostoli: *Si acceperis vxorem, non peccasti.* Illud adijcio, nonnullos vstionem hanc de qua Paulus, interpretari de igne gehennæ; tanquam sensus sit: Melius est nubere, quàm ob vitam in fornicatione actam ardere in gehenna. Sic Faber in commentarijs, ac rursum in examinatione literæ. Meminit & Sedulius: eodemque alludunt Pelagius & Primasius. Sed meritò reijcit hunc sensum Erasmus, vt huic loco minus aptum: quum satis liqueat de libidinis incendio sermonem esse.

Sensus textus conuenientior, vt melius dicatur minus malum.

Dictum S. Martini.

Sensus de vstione gehennæ refellitur.

10 IIS AVTEM QVI MATRIMONIO IVNCTI SVNT, PRÆCIPIO NON EGO, SED DOMINVS. Redit ad institutionem coniugatorum, acturus de matrimonij insolubilitate. Græca breuiter: *coniugatis autem præcipio non ego, sed Dominus:* pro eo quod diceret, non ego præcipio, sed Dominus, id est Christus, præcipit. In Græco est verbum παραγγέλλω *denuncio*, vt quidam vertunt: quemadmodum & legerũt Tertullianus in exhortatione castitatis cap. 3, & Ambrosius super Lucam cap. 16, & Ambrosij titulo commentator. Hoc enim proprium est illius verbi significatum. Sed sæpe capitur pro eo quod est præcipio, vt huius epistolæ cap. 11, *Hoc autem præcipio: non laudans* &c. Itẽ Act. 4, *Et vocantes eos denunciauerunt*, id est, præceperunt, *ne omnino loquerentur* &c. & cap. 5, *Cæsis denunciauerunt ne loquerentur* &c. Est enim idem Græcè quod superius in eodem capite, vbi melius transtulit interpres, *præcipiendo præcepimus vobis.* Nec dubium quin & hoc loco vertendum fuerit *præcipio:* quemadmodum & alij plerique vertunt. Satis autem insinuat hic sermo: *præcipio non ego, sed Dominus*, apostolos & eorum successores posse quædam præcipere, quæ Christus ipse per se non præcepit.

Ecclesia præcipere potest, quæ Christus per se non præcepit.

VXOREM A VIRO NON DISCEDERE. Græcè, μὴ χωρισθῆναι, *non separari*; quomodo legit Cyprianus cap. 90 lib. 3. testimoniorũ. Quanquam illud separari est discedere. Nam inuitam separari non cadit sub prohibitione; tametsi possunt hic etiam intelligi prohibitæ occasiones separationis: hoc est, ne ea faciat aut committat propter quæ vir eam oderit & à se dimittat: quale maximè est adulterium. Nam & huiusmodi separationem facilè comprehendit pars sequens, *Quod si discesserit* &c. quemadmodum ibi declarabitur. Sensus: Vxor non separet se, non discedat à viro, virum suum ne relinquat, nec omnino causam det separationis. Respicit apostolus ad præceptum Dominicum quod referunt tres euangelistæ, Matth. cap. 5 & 19, Mar. cap. 10, & Lucas cap. 16. Ex quibus locis inter se collatis hæc colligitur Dominici præcepti plena sententia: non licere viro dimittere vxorem, nec vxori virum, excepta causa fornicationis. Et tam virum mœchari, si vxore dimissa aliam duxerit; quam mulierem, si viro dimisso alij nupserit. Cuius præcepti seu legis priorem partem Paulus sic extulit: *Vxorem à viro non discedere: & vir vxorem non dimittat*, ita tamẽ vt exceptionem quã Matthæo referente Dominus expressit *excepta causa fornicationis*, hic subintelligas, tam vbi de muliere, quam vbi de viro Paulus loquitur. Posteriorem verò partem significauit his verbis, *Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Cur enim manere innuptam aut viro reconciliari; nisi quia nubens alij viro fieret adultera? Porrò discessum siue separationem hic intelliget, qua mulier virum nolit amplius habere pro marito, aut qua fiat vt ipsam vir habere nolit pro vxore; facto nimirum quoad torum diuortio: quod quidem fieri legitimè non potest, nisi propter fornicationem. Nam de separatione quę tantum fit iure ac via defensionis, vt si coniugem habeat hæreticum, ad scelera cogentem, aut sæuum & intolerabilem; alia ratio est. De separatione autem qua vinculum soluitur coniugale, paulo pòst agetur.

Christi præceptũ de non dimittenda coniuge explicatur.

Quæ separatio hic intelligatur.

11 QVOD SI DISCESSERIT, MANERE INNVPTAM. Græcè, *Si verò & separata fuerit, maneat innupta.* Illud *si discesserit*, intelligit Augu-

stinus

ſtinus lib. 1 de adulterinis coniugijs cap. 3 & ſequentibus, ex cauſa qua diſcedere licet. Nam aliter non dicturum apoſtolum, *maneat innupta*; ſed omnino iuſſurum, vt reuertatur ad virum ſuum. Igitur hic illam innui vult exceptionem, quam Dominus in ſuo præcepto expreſſit dicens, *niſi ob fornicationem*: quæ hoc loco *propterea tacita eſt*, ait Auguſtinus, *quia notiſſima eſt*. Verùm hac tanta reſtrictione verborum tam generalium, nihil arbitror opus eſſe. Nec video quid obſtet, quo minus generaliter vt verba ſonant, hunc diſceſſum ſiue ſeparationem interpretemur, vt ſenſus ſit: Quod ſi ſeparata fuerit à viro, idque vel ſponte digreſſa, ſiue propter eius fornicationem, ſiue propter aliud; vel ab illo dimiſſa ob quamcũque cauſam (vt ſolent tam gentiles quàm Iudæi ſuas vxores qualibet ex cauſa dimittere:) non licebit ei cum alio viro coniungi; cùm Dominus expreſsè dicat, *Si vxor dimiſerit virum ſuum & alij nupſerit, mœchatur*. Marc. 10. Sed maneat innupta, aut &c. Nã quod obijcitur de optione mulieri data, quæ locum non habeat niſi diſceſſerit ex iuſta cauſa; quomodo dilui poſſit, infrà dicemus. Senſus autem generalis quem dedimus, inuenitur in Græcorũ commentarijs: eundemque breuiſſimè complexus eſt Primaſius dicens: *Si ob aliquam cauſam diſceſſerit, alij non nubat*. Innuptam manere, hoc loco non eſt manere ſine coniuge. (Nã ſi per diſceſſum nexus prioris coniugij ſolutus erat, non prohiberetur ipſa alij viro nubere, maximè ſi incontinẽtia laboraret) ſed eſt manere ſeparatam à viro, ac ſine vſu coniugij: ita nimirum vt nec priore coniugio vtatur, nec aliud cõtrahat. Et hæc eſt illa ſeruitus, quam infrà verſu 15 remouet à Chriſtianis reſpectu coniugum infidelium nolentium cohabitare. Qui locus proinde exceptio quędam eſt, vt illic dicetur, ab hac ſententia generali, qua iubetur mulier à viro ſeparata, aut innupta manere, aut (quod ſequitur) reconciliari viro.

Vxor digreſſa vel dimiſſa qualibet ex cauſa alteri non nubat.

Quid innuptam manere.

AVT VIRO SVO RECONCILIARI. Græcè, *aut viro reconcilietur*, id eſt reuertatur ad virum ſuum: cum eo redeat in gratiam, correcto tamen, ſi illius adulterium cauſam dedit ſeparationis. Nam ad virum adulterij cauſa dimiſſum aut derelictum & in eo crimine adhuc perſeuerantem, non licet mulieri redire; ſed eo caſu innupta manere debet. Ex vocabulo reconciliandi ſumunt argumentum Eraſmus & alij nonnulli, quo doceant apoſtolum hic tantum agere de muliere ſine iuſta cauſa ac temerè à marito digreſſa; non de ea quę diſceſſit ob viri fornicationem: ne videlicet fateri cogantur hanc quæ virum fornicantem dimiſit, debere ſecundum apoſtolum innuptam manere, aut viro reconciliari. Volunt enim per huiuſmodi dimiſſionem ſolui vinculum coniugij; vt liberum ſit mulieri alium virum accipere. Argumentum eſt; quoniam, inquiunt, reconciliari dicitur is qui offendit, non qui offenſus fuit. Quibus reſpondendum eſt tam verbum Græcum καταλαγῆναι quo Paulus vtitur, quàm Latinum *reconciliari*, non de eo tantum dici, qui læſit & in gratiam recipitur; ſed & de eo qui læſus eſt, & in gratiam recipit. Eſt enim partium prius diſſidentiũ reconciliatio mutua; ſicut & reditus in gratiam. Quod manifeſtè patet, dum numero plurali dicũtur aliqui inter ſe reconciliati & in gratiam redijſſe. Quin & Deus reconciliari hominibus dicitur 2 Machab. 1 ver. 5 & 7, verſu 33 & 8, verſu 29. Et quod ad rem præſentem propius ſpectat, Iudicum 19 de Leuita, cuius vxor iuxta veritatem Hebraicam fornicata fuerat, legitur quod *ſecutus eſt eam, volens ei reconciliari*. Cùm autem apoſtolus eam mulierem quæ diſceſſit à viro, diſiunctiuè iubeat aut *manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*: reſtat breuiter dicendum quando innupta manere poſſit aut debeat, & quando reconciliari viro. Primùm igitur innupta manere poteſt abſque reditu ad virum, ſi propter eius fornicationem ab eo digreſſa fuerit. Sic enim agens vtitur ſuo iure, quo poteſt adulterum ob fidem coniugij violatam ſimpliciter à carnibus ſuis abſcindere. Poterit nihilominus, imò charitate ſuadẽte debebit, operam dare, vt viro reſipiſcenti reconcilietur; ſi vel ſua, quod ſentiat ſe non poſſe continere, vel viri ſalus alioqui in diſcrimen vocanda, poſtulet ita fieri. Innupta verò manere debebit, ſi vir in adulterio propter quod dimiſſus ab ea fuit, perſeueret. Cogetur etiam innupta manere, propter quamlibet cauſam dimiſſa aut digreſſa, ſi vir eam recipere nolit, nec compelli poſſit vt recipiat. Hiſq; caſibus ad alia ſuæ incontinentiæ remedia neceſſariò confugiendum ei erit: cuiuſmodi ſuprà commonſtrauimus ad illud, *Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo*. Cęterùm extra caſum adulterij, ſi vir paratus ſit aut compelli poſſit vt vxorem recipiat; debebit ipſa ſatagere, niſi periculum obſtet, vt recipiatur, ac viro ſuo reconcilietur, ſiue ipſa cauſam dederit ſeparationis, ſiue vir eius. Excipio caſum quo coniuges ex conſenſu mutuo ſeparantur ad vacandum Deo, ſeruaturi continentiam perpetuam. Ex his intelligitur apoſtolum non dare mulieri quæ diſceſſit, optionem liberam, vt quomodocumque diſceſſerit, aut innupta manere poſſit, aut ad virum redire: ſed diſiunctiuum ſermonem apoſtoli diuerſos caſus ſpectare; quorum alij cogant mulierem manere innuptam, alij compellant ad reditum: quamuis & contingat exiſtere caſum, in quo libera mulieri ſit optio vtrumlibet eligendi.

Mulier à viro digreſſa quando manere innupta, & quãdo reconciliari debeat.

Obiectio ex vocabulo reconciliandi.

Solutio.

ET VIR VXOREM NON DIMITTAT. Græcè, *Et virum vxorem non dimittere*, quomodo legit Cyprianus. Pendet enim hæc pars ab eo quod dixit, *Præcipio non ego, ſed Dominus*: & reſpondet illi membro priori: *Vxorem à viro non diſcedere*. Supplenda rurſus exceptio Dominica, *niſi ob fornicationem*. Sed quare non hic addidit apoſtolus, quod de muliere; quod ſi dimiſerit, maneat innuptus aut vxori reconcilietur? Author commentarij qui fertur Ambroſij titulo, rationem hanc reddit; quod viro

Quæſtio.

Respõsio quorũdã non probanda.

liceat aliam ducere vxorem, si priorem adulterij causa dimiserit: *quia non ita*, inquit, *lege constringitur vir, sicut mulier. Caput enim mulieris vir est.* In eandem sententiam propẽdent Ambrosij nomine decepti (Nam commentarium illum non esse sancti Ambrosij episcopi Mediolanensis, in prolegomenis satis ostensum est) Caietanus in expositione Matthæi cap.19,& Catharinus in huius loci commentario,& lib.5 annotationum in commentaria Caietani. Sed vt in authore suo, ita & in sententia multum à vero aberrant: licet eam ecclesiæ iudicio ac definitioni submittant. Verus Ambrosius ea de re quid senserit, perspicuum est ex ijs quæ scribit in commentario super Lucam cap.16,& lib.1 de Abraham capit. 4. Quo vtroque loco apertè derogat legi humanę, quæ contra legem diuinam plus iuris coniugalis attribuebat viro quàm mulieri; quasi viro dimittere coniugem & aliam ducere aliquando liceret,mulieri non item: quum lex diuina in hoc negocio pares eos fecerit. Nec verò solius Ambrosij, sed totius ecclesiæ hęc doctrina est perpetua, eiusque praxi confirmata: vt hic agnoscat Caietanus *torrentem doctorum & iudiciorum ecclesiasticorum* (sic enim loquitur) cui se opponere non audeat; suam interim opinionem non dissimulãs; sed quæ cessare iam omnino debeat, posteaquam Synodus Tridentina clarè ac disertè eam rem totam definiuit can.7,sess.24.Sanè si viro post dimissam adulterij causa coniugem liceret aliam ducere; res vehemẽter absurda sequeretur:melioris conditionis esse,quantum ad potestatem nubendi attinet, adulteram à viro dimissam,quàm innocẽtem quæ virum adulterum dimisit. Nam illa posset alteri nubere, soluto per adulterium priori matrimonio, postquam vir aliam duxisset; hæc autem non posset. Igitur vera ratio est, apostolum illud quod de muliere dixerat, hic non addidisse: quia reliquit intelligendum ac supplendum ex superiori membro: præsertim cùm id de viro satis fuisset à Christo Domino expressum. Et ita docet Augustinus lib.1 de sermone Domini in monte cap.14 & 16. Sed fortè quempiam adhuc moueat, quod suprà non dixit apostolus,vxorem non dimittere virum: quomodo nunc dicit, *Vir vxorem non dimittat*:sed dixit, vxorem à viro non separari: tanquam hac differentia sermonis insinuetur quædam iuris imparitas inter virum & vxorem: vt viro quidem ius competat, vbi causa subest, vxorem à se dimittendi: mulier autem dimittere virum non possit:si tamen viro eam dimittẽte separetur, vt *maneat*, quod apostolus præcipit, *innupta; aut viro reconcilietur*. Ex quo deinde consequens sit, hanc præcepti partem ad virũ non pertinere: quod volebat Ambrosius ille ψευδόνυμος. Verùm facilè tollitur hic scrupulus. Nam dimittere & separari, pro quo noster interpres vertit discedere, eadem sunt in re præsenti: nisi quod vir dimittere soleat iubendo ac dicendo, *vxor vade foras*, vt est in epigrammate:mulier autem quæ iubere non potest,dimittat discedendo ac virum relinquendo. Patet id ex verbis Domini apud Marcum cap.10, vbi prorsus similiter de vtroque coniuge loquitur: *Quicumque dimiserit vxorem suam. Et si vxor dimiserit virum suum*. Quo certè loco facere velle exceptionem in priori membro,& non in posteriori,periniquum est. Quin etiam ex Paulo hoc ipsum liquet; qui verbis sequẽtibus id quod statuit de viro vxorem habente infidelem & consentientem cohabitare, dicens, *non dimittat illam*: statim similiter dicit de muliere, *non dimittat virum*. Sed & separari, siue discedere, æquè viro tribuit ac mulieri,in eo quod subijcit, *Quod si infidelis discedit, discedat*. Nam virilis generis est *infidelis*, ὁ ἄπιστος, etsi muliebre comprehendat.

Neutri coniugi licet separatione facta aliud inire coniugiũ.

Vera ad quæstionẽ responsio.

Alia obiectio.

Solutio.

12 NAM CÆTERIS EGO DICO, NON DOMINVS. Græcè, *Cæteris autem* &c. Quæritur quibus cæteris? Multi cæteros intelligunt Christianos habentes coniuges infideles, quibus scilicet ante fidem Christi susceptam fuerant coniuncti. Hos enim consequenter instruit apostolus,quãtum ad coniuges dimittendos, vel non dimittendos: cùm in precedentibus tantùm egerit,vt volunt,de coniugibus quorum vterque Christianus esset. Sẽsum autem hunc faciunt: Cæteris ego suadeo, cæteros hortor & moneo. Non enim habeo præceptũ Domini quod ijs annunciem. Hæc Augustini expositio est lib.1 de sermone Domini in mõte cap.16,& lib.1 de adulterinis coniugijs capit.13, 17 & sequentibus. Augustini sentẽtiam ipsius verbis reddidit Sedulius in commentario. Iuxta quos non præcepti, sed consilij est id quod sequitur, ne fidelis coniugem infidelem dimittat, si consentiat secum habitare. Qua in re Augustinum sequũtur author glossæ interlinealis,Petrus Lombardus lib. 4 Sentent.dist.39, & Gratianus 28 quæst.1 cap. *Sic enim:* approbante glossa. Item Heruæus, Aquinas, Liranus & Carthusianus in commentarijs:nec non sententiarij plerique quibus & Dominicus Sotus accedit. Verũ alijs hęc sententia non probatur, nec vero probanda est. Nunquam enim in ecclesia permissum fuit, vt fidelis coniugem infidelem cui in paganismo coniunctus fuerat, absque religionis iniuria commanere volentem, à se dimitteret. Quod si licuisset; vti prudenter Theophylactus & Oecumenius annotant,in magnam reprehensionem veniisset religio Christiana, per quam coniugia legitimè contracta, tam facilè dirimerentur, non sine graui perturbatione societatis humanæ. Quapropter & ipse Augustinus diligenter inculcat hoc quod licitum dici posse putat,non tamen expedire. Sed & lib.2.retractationum cap. 57. fatetur se in eo opere quod de adulterinis cõiugijs scripsit non peruenisse ad perfectam enodationem quęstionis, quam ibi tractauit. Igitur alij cęteros quidem similiter vt priores exponunt; sed hoc sensu verborum apostoli: Cæteris ego præci-

Cæteros quos intelligat apostolus, & quo sensu loquatur. Expositio Latinorũ authore Augustino.

Nunquã permissũ in ecclesia vt fidelis coniugem infidelem absque Christi iniuria cõmanere volentem dimitteret.

pio,

Expositio Græcorũ.

pio, videlicet authoritate apostolica, licet Dominus non præceperit. Non enim de ea re extare videtur expressum Christi præceptum. Ita ferè Græci commentatores, & inter Latinos scriptores Hieronymus lib. 1 aduersus Iouinianum cap. 5 & 6. item Haimo, Caietanus & Gaigneus in commentarijs. Sed & hanc expositionem improbabilem arguit, quod in superioribus verbis nulla significatio est, apostolum de ijs tantum loqui qui ambo sint Christiani: vt nec ratio est, cur ad eos solos apostoli sermo contrahatur. Est itaque tertia ac verior expositio, cæteros ad superiora referri, atque intelligi non coniugatos. Nam de coniugatis proximè egerat dicens: *Ijs qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus.* Quod ergo hic dicit, *Cæteris ego dico, non Dominus*, de non coniugatis accipi debet, vt constet aduersatiuus sermo. Respicit autem ad id quod dixerat, *Dico non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant.* Vnde sicut illic dicere non est præcipere, sed magis habet significationem suggestionis & cõsilij; ita & hoc loco; vt sit sensus: Cæteris ego dico, non Dominus præcipit. Quem sensum planius ostendit eadem sententia alijs verbis inferius repetita, vbi dicitur: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Atque ideo non ait, *Cæteris ego* dixi, quamuis superiora respiciens, sed *dico*: quia nimirum adhuc de ijsdem dicturus est. Hunc sensum atque constructionem indicat Tertullianus lib. de exhortatione castitatis cap. 3, & lib. de monogamia cap. 3. Tradit autem & solidè probat inter neotericos Ambrosius Catharinus; suffragante etiã Ioanne Hesselio præceptore meo, & alijs nonnullis. Hoc ergo quod sequitur de fratre vxorem habente infidelem, nouum & à superiori diuersum argumentum est: eatenus tamen cohærens illis quæ dixit de coniuge non dimittendo; quia continet peculiarem casum, quo possit coniux dimitti, non obstante Domini præcepto. Notandum, quod apostolus ait, *ego dico*, non eum dicere à seipso, sed doctũ & motum à spiritu diuino. Quãuis enim præceptum Domini non esset id quod dicit, consilium tamen Domini erat: & ad illud proponẽdum à spiritu Dei mouebatur. Vnde postea de virginibus agens ita scribit: *Consilium do, tãquam misericordiam consecutus, vt sim fidelis.* Et de vidua cùm dixisset, *Beatior erit, si sic permãserit, secundum meum consilium.* adiunxit: *Puto autem quod & ego spiritum Dei habeam.* Ad hunc ferè modum Augustinus lib. 1 de adulterinis coniugijs cap. 18.

Tertia ac verior expositio.

Quomodo Paulus dicat: ego dico.

Rescribit apostolus de imparibus coniugijs.

SI QVIS FRATER VXOREM HABET INFIDELEM, ET HÆC CONSENTIT HABITARE CVM ILLO, NON DIMITTAT ILLAM. Rescribit de imparibus coniugijs. Nam & de ijs verisimile est eum à Corinthijs consultum fuisse. *Frater*, id est fidelis, Christianus, baptizatus. *Infidelem*, id est non Christianam: cui scilicet ipse in infidelitate fuerat coniunctus. Consensum autem cohabitationis intellige, saluo religionis honore; & vt dici solet, citra contumeliam creatoris: extensa tamen hac locutione ad quamuis notabilem ac permanentem iniuriam Christianæ religionis; vbi & studium pertrahendi coniugem ad damnabilia peccata, comprehenditur. Sic enim post Augustinũ epistola 89, quæ est ad Hilarium quæst. 4, & lib. de fide & operibus cap. 16, mentem Pauli interpretatur ac declarat Innocentius tertius extrà De diuortijs cap. *quãto*, & cap. *gaudemus*. Quod sequitur *non dimittat illam*, præcepti est non consilij, tam ex eorum sententia qui secundam expositionem partis præcedentis tradunt, quam qui tertiam: præcepti, inquam, quo prohibet viro fideli, ne vxorem infidelem dimittat, modò consentiat cum ipso habitare, eo sensu qui iam expositus est. Ita quoque Tertullianus intellexit hunc locum lib. 2 ad vxorem cap. 2 & 7. Pertinet autem hoc præceptum ad legem naturæ diuinitus propalatam ijs verbis, *Et adhærebit vxori suæ*, Genes. 2. Nec aduersatur huic doctrinæ factum Esdræ sacerdotis: quo iubente Iudæi, vtique fideles, dimiserunt vxores alienigenas, id est infideles, vt refertur Esdræ 10. Nam facti species est diuersa. Non enim in infidelitate sibi coniunxerant illas mulieres. Et illud accedebat, quod Iudęis vxorum infidelium dimissio necessaria erat, ne per eas à vera religione abducerentur, homines ad peregrinum cultum propẽsi. Vbi interim dubium manet non hoc loco discutiendum, an per illam dimissionem soluta fuerint quoad vinculum coniugia; an verò nec ante dimissionem verè cohæserint, obstante aliqua lege diuina.

Consensus cohabitãdi quis intelligatur

Non dimittere coniugem infidelem consentiẽtẽ cohabitare, præcepti est, non consilij.

Esdræ qua ratione præceperit vxores alienigenas separari.

13 ET SI QVA MVLIER FIDELIS HABET VIRVM INFIDELEM, ET HIC CONSENTIT HABITARE CVM ILLA, NON DIMITTAT VIRVM. Græcè: *Et mulier quæ habet virum infidelem, & is consentit habitare cum ea, non dimittat eum.* Dictio *fidelis* addita videtur à quopiam ad sensum explendum. Nam & multi Latini codices non habent, vt nec editio Syriaca. Constat tamen mulierem intelligi sororem, id est fidelem, Christianam. Et quidem sororis vocabulum paulo pòst exprimit apostolus. Apparet autem interpretem in Græco pro ἥτις quæ, legisse εἴ τις si qua. Quanquam in re non est diuersitas. Porrò consensum expone velut suprà, sine religionis iniuria, &c. *Non dimittat virum*, id est non se ab eo separet, siue dimittendo illum à se, siue ab eo recedendo.

14 SANCTIFICATVS EST ENIM VIR INFIDELIS PER MVLIEREM FIDELEM. Græcè & Syrè *in muliere*, id est, per mulierem Hebræa phrasi. Nec in Græco additur *fideli*, sed intelligitur. Quod quidem Syrus, quemadmodum Latinus, expressit.

ET SANCTIFICATA EST MVLIER INFIDELIS PER VIRVM FIDELEM. Hic quoque Græcè & Syrè *in viro*, id est per virum; nec in Græco additur fideli, sed intelligendum relinquitur: quod rursus supplet Latinus & Syrus

Cæterùm

Cęterùm Tertullianus Hebraismum in vtroque membro alia præpositione exponit: *à fideli vxore, à fideli marito*, lib. 2 ad vxorem cap. 1. Citat hunc locum Augustinus vt est in Græco, lib. 2 de baptismo paruulorum cap. 26, & lib. 3 cap. 12, nisi quod pro viro fratrem legit, *in vxore, in fratre*. Rationem reddit apostolus cur infidelis coniux à fideli non debeat dimitti, si cohabitare consentiat; sed retineri potius. Sic enim per fidelem coniugem sanctificatur. Non quod iam absolutè sanctus aut sancta sit coniugem habens fidelem, cui commanere consentit: Nam quomodo sanctus qui adhuc infidelis? Sed sãctificari dicitur sanctitate quadam analogica siue imperfecta. Quæritur autem quænam sit ea sanctitas? Apostolus sanctitatem exponit mundiciem, quum illam immundiciæ mox opponit dicens: *Alioqui filij vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt.* Constat quoque sanctitatem in scripturis habere significationem mundiciæ seu puritatis à sordibus & inquinamentis. Sed vt hæc immũdicia varia est, ita & mundicia siue sanctitas illi opposita. Commẽtator Amb. & post eum Lombardus, Heruæus, alijque nonnulli immundiciam interpretantur adulterium. Nam adulteri essent coniuges, si manente vinculo prioris coniugij, cum alijs iungerentur: ac filij inde nati reputarẽtur & essent spurij atque adulterini. Verùm hoc pacto non tam coniux infidelis sanctificaretur per coniugem fidelẽ, quàm vterque per alterum; dum pari consensu manent in priori coniugio. Caietanus legalem quandam mundiciem hic significari nomine sanctitatis imaginatur; atque huic opponit immundiciam legalem, quam asscribit tam parentibus in dispari coniugio constitutis, quàm illorum filijs; quos dicit esse minus legitimos, ex eo quod variam trahant à parentibus institutionem, ad quam ordinatur coniugium. Tolli verò hanc illegalitatem tam parentum quàm filiorum ex consensu coniugis infidelis ad commanendum cum fideli. Intelligit autem legale & illegale, non iure Mosaico, sed spectando ordinem rationis. Subtiliter hæc à Caietano dicuntur, ac modo loquendi inusitato: & haud scio an ad mentem Pauli. Magis placet sensus & sermo eorum, qui sanctificationem hanc interpretãtur pręparationem quandam ad veram & Deo probatam sanctitatem. Nam sanctificare pro eo quod est præparare vel deputare ad aliquid sacrum, more scripturæ dicitur, vt Isaiæ 13, *Mandaui sanctificatis meis*. Zach. 7, *Nunquid sanctificare me debeo?* & frequenter in Leuitico. Sanctificatur ergo coniux infidelis acquiescens atq; consentiens habitare cum coniuge fideli: quia *candidatus est timoris*, vt loquitur Tertullianus lib. 2 ad vxorem cap. 7. Timoris inquam sancti, id est veræ pietatis: & quia *candidatus fidei*: quemadmodum imitatione Tertulliani Hieronymus loquitur lib. 1 contra Iouinianum cap. 5. Dum enim Christo non maledicit, dũ pia coniugis exercitia non impedit, dum signum crucis domui vel thalamo præfixum æquis aspicit oculis, dum patitur etiam filios imbui fide Christi; per hæc, velut purificationes quasdam, quasi præparatur ad Christum; spem bonam ostendens futurum, vt Christianam religionem ipse quoque suscipiat: præsertim accedente sancta & pacifica conuersatione coniugis fidelis, secundum illud 1 Pet. 3, *Mulieres subdita sint viris suis: vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant; considerantes in timore castam conuersationem vestram.* Tradunt hunc sensum Theodoritus, & apud Oecumenium Photius: & Latinorum complures. Imò Paulus ipse videri potest hoc modo sanctificationem istam interpretari, quum non multo pòst ait: *Vnde enim scis mulier si virum saluum facies? aut vnde scis vir, si mulierem saluam facies?* Cum hoc sensu satis conuenit Pelagij commentarius; quem allegat & suis verbis explicat Augustinus lib. 3 de baptismo paruulorum capit. 12. Paulum dicentem in præterito, *Sanctificatus est* &c. significasse *quod exempla iam præcesserant & virorum quos vxores, & feminarum quas mariti lucrefecerant Christo: & paruulorum ad quos faciendos Christianos voluntas Christiana etiam vnius parentis euicerat.* Quem sensum etiam alibi tradit Augustinus, vt lib. 1 de sermone Domini in monte capit. 16, & lib. 1 de adulterinis coniugijs cap. 13. atque ex his repetunt in suis commẽtarijs Primasius & Heruæus. Hic si quæras cur potius infidelis sanctificetur per coniugem fidelem, quam è contrario fidelis profanetur & immundus reddatur per coniugem infidelem; ratio iam patet: quia suum errorem nõ sic amat infidelis, quin consentiat fideli cohabitare. Ex quo sperandum, vt illius immundiciam & infidelitatem huius sanctitas ac mundicia tandem vincat atque expugnet: quod annotant Chrysostomus & Theophylactus. Porrò sunt alij qui nõ minus probabiliter apostolum exponunt de ea sanctificatione, qua quis sanctificatur ab immundicijs quibus gentiles turpiter & cõtra naturam inquinari solent. Id quod etiam congruit loco Petri iam citato. Videns enim coniux infidelis sanctam & castam conuersationem coniugis fidelis, abhorrentis non adulterium modò, verùm etiam fœdas cum coninge commixtiones, quæ vel vsum naturalem immutãt, vel in menstruo cruore fiunt, vel aliter rorum coniugalem deturpant; ipse quoque eo exemplo discit & assuescit à talibus abstinere; sicque quodammodo sanctificatur. Nam sanctificationem immundicijs carnalibus etiam alibi Paulus opponit, vt 1 Thess. 4, *Hæc est*, inquit, *voluntas Dei sanctificatio vestra: vt abstineatis vos à fornicatione: vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij: sicut & gentes quæ ignorant Deum.* Et paucis interpositis: *Non enim vocauit nos Deus in immũdiciam, sed in sanctificationem.* Huiusmodi sensum in Pauli verbis contineri sentit Augustinus loco memorato

Qua sanctitate sanctificetur coniux infidelis per coniugem fidelem.

Sanctificatio, id est præparatio ad veram sanctitatem.

Dubitationis solutio.

Alius probabilis intellectus huius sanctificationis.

rato de baptiſmo paruulorum. Denique fauet admodum huic ſenſui quod ſequitur:

Filij infidelium immundi, quo ſenſu.

ALIOQVIN FILII VESTRI IMMVNDI ESSENT. De filijs adultis loquitur, qui ſanctius & caſtius inſtituuntur à parentibus ſimul habitantibus, ſi alter eorum fidelis ſit, quàm ſi digreſſo fideli maneant apud parentem infidelem; idque etiamſi ipſi filij nondum fidem Chriſti receperint. Hinc eſt quod idem apoſtolus vult epiſcopi filios (qui fortè parente adhuc infideli nati & educati fuerant) *ſubditos* eſſe *cum omni caſtitate*, & alienos à crimine, ſiue *accuſatione luxuriæ*. Quo vicio potiſſimum laborare ſolent infidelium filij. Videtur autem ſupplenda coniunctio &, dicendo, Et *alioquin filij veſtri immundi eſſent*. Nam duo ſunt argumenta, tametſi ſimilia & coniuncta, quibus ſuadeat coniugem infidelem ſi commorari non detrectet, dimittendum non eſſe: alterum à ſanctificatione coniugis, alterum à ſanctificatione filiorum. Exponitur autem illud *alioquin* hoc modo: niſi tu fidelis maneas cum coniuge infideli, filij veſtri erunt immundi. Poteſt etiam ſic exponi: *alioquin*, id eſt, ſi non ſanctificaretur coniux infidelis per coniugem fidelem, filij ex illis nati immundi eſſent. Hoc iam auertitur, dum ſanctitas etiam infideli parenti communicatur.

Refellitur error negantium filios parẽtum fidelium opus habere baptiſmo.

NVNC AVTEM SANCTI SVNT. Nimirum ea ſanctitate quæ prædictis immundicijs opponitur. Vnde Syrus interpres vertit, *Nunc autem mundi ſunt*. Quocirca malè ex hoc loco quondam Pelagiani, & hodie Caluiniani, docuerunt filios parentum fidelium non opus habere baptiſmo quo ſanctificentur, vtpote ſanctos hoc ipſo quo ex ſanctis parentibus nati ſunt. Cui argumento reſpondet Auguſtinus lib. 2 de baptiſmo paruulorum cap. 25 & 26, & lib. 3 cap. 12, nec non ſermone 14 de verbis apoſtoli capit. 19, oſtendens ſecundum ſcripturas multiplicem eſſe ſanctificationem, non rerum modò, ſed etiam hominum, quæ non ſemper cum remiſſione peccatorum ſit coniuncta. Nam & catechumeni priuſquam baptizentur, *ſecundum quendam modum ſuum*, vt ait, *ſanctificantur per ſignum Chriſti, & orationem manus impoſitionis*. Et apertè teſtatur hoc eodem loco Paulus, ſanctificari coniugem infidelem per fidelem, tantùm quia conſentit cum fideli cohabitare. Quod de iuſtificatione ſeu peccatorum remiſſione non poteſt accipi. Super eadem quæſtione conſultus à Paulino B. Hieronymus, *quomodo ſancti ſint qui de fidelibus, id eſt baptizatis naſcuntur*: epiſtola 153 pro reſponſo Tertullianum adducit aſſerentem, *ſanctos dici fidelium filios, quod quaſi candidati ſint fidei, & nullis idololatriæ ſordibus polluantur*. tametſi locum apud Tertullianum non reperio: niſi quod in libro de anima cap. 39 ſanctos ab apoſtolo vocari dicat *fidelium filios, quaſi deſignatos ſanctitatis, ac per hoc etiam ſalutis*.

15 QVOD SI INFIDELIS DISCEDIT, DISCEDAT. Græcè, *ſeparatur, ſeparetur*. Syriacè, *ſeparat ſe, ſeparet ſe*. Hæc altera pars eſt reſcripti Paulini de coniugijs imparibus, per antitheſin reſpondens illi priori, *& hæc conſentit habitare cum illo* &c. Eſt autem hæc quædam exceptio ab eo quod ſuprà dixit, *Vxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat*. Senſus eſt: Si infidelis diſcedit, non conſentiens habitare cum fideli, vt fideli, id eſt, ſi religione eius offenſus eam relinquat; non eſt quod coniux fidelis exiſtimet ſe debere illum ſequi; ſed ſinat eum diſcedere, tanquam per eius diſceſſum libertati ſuæ relictus. Sub quo caſu ſecundum canones etiam alter continetur, nempe, ſi commaneat quidem infidelis coniux, ſed non ſine religionis iniuria, aut generaliter ſine ſtudio pertrahendi coniugem fidelem ad damnabilia peccata. Sic enim poſſe eum dimitti aut relinqui. Id quod etiam ex præcedenti membro perſpicuè datur intelligi. Nam ſi de conſentiente cohabitare, dicitur fideli, *non dimittat illum*; igitur de eo qui non conſentit cohabitare, ſcilicet eo modo quo ſuperius expoſitum eſt, intelligitur fideli dictum, vt vel debeat vel poſſit talem à ſe dimittere. Dixi, tanquam libertati ſuæ relictus. Id enim ſignificant verba ſequentia quæ ſeruitutem excludunt.

Altera pars reſcripti de coniugijs imparibus

Quòd diſceſſus hic intelligatur.

NON ENIM SERVITVTI SVBIECTVS EST FRATER AVT SOROR IN HVIVSMODI. In Græco & Syriaco non additur *enim*. Et illud *in huiuſmodi*, Græcè ἐν τοῖς τοιούτοις, *in talibus*, vel ad res vel ad perſonas referri poteſt. Ad perſonas apertius refert ea lectio quæ præpoſitionem omittit: cuiuſmodi codicem vnum obſeruauit Robertus Stephanus. Nec obſtat illi lectioni prior datiuus *ſeruituti*. Nam totum hoc *ſeruituti ſubiectus eſt*, vnum eſt verbum in Græco δεδούλωται, vt, ſi præpoſitionem non legas, ſic verti poſſit: *Non eſt ſeruiliter ſubiectus frater aut ſoror talibus*, hoc eſt, infidelibus qui diſcedunt, aut cohabitare non conſentiunt. Ita Paulus alibi, ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ, *ſerui facti eſtis iuſticiæ*, & δουλωθέντες τῷ θεῷ, *ſerui facti Deo*, Rom. 6. Item Petrus 2 epiſt. 2, τούτῳ δεδούλωται, *huic ſeruus addictus eſt*. Cæterùm addita præpoſitione, melius ad res accommodatur: quemadmodum id plerique intellexerunt: vt ſenſus ſit, Chriſtianum & Chriſtianam cum infidelibus matrimonio copulatos, in huiuſmodi rebus ſeu caſibus, cuiuſmodi videlicet ſermo proximè præcedens comprehendit, non eſſe ſubiectos ſeruituti; vt vel innupti manere, vel cum coniugibus remanere, eiſve digreſſis reconciliari debeant. Ad hanc enim ſeruitutem ſuperius expreſſam in muliere, & intellectam in viro; qua nimirum debeant ſeparatione facta vel innupti manere, vel coniugibus reconciliari; & non ad eam ſolam qua con-

Qua ſeruitus hoc loco ſignificetur.

iux ſequi deberet coniugem diſcedentem, omnino reſpicit apoſtolus: vt cuius intentio ſit, quemadmodum dictum eſt, his verbis, *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat*, exceptionem adferre ab eo quod antè dixerat, *Vxorem à viro non diſcedere* &c. Quo præcepto dicta ſeruitus exprimebatur. Cùm igitur eam quam dixi ſeruitutem, à coniuge fideli reſpectu coniugis infidelis, idque ſpecialiter in caſu præſenti, remoueat hoc loco Paulus; rectè ex eo tradunt canones pontificij 28 qu. 2 cap. *ſi infidelis*, & extra de diuortijs, capit. *quanto*. & cap. *gaudemus*. quæ ſunt Innocentij III. coniugem fidelem, ſi infidelis ob cauſam aliquam memoratam diſceſſerit aut dimiſſus fuerit; aliud matrimonium priore ſoluto contrahere poſſe. Nam alioqui prædictæ ſeruituti ſubiectus remaneret. Et ad hunc modum apoſtoli mentem expoſuerunt Ambroſius ſcribens in Luc. 16, & eiuſdem titulo Pauli commentator in hunc locum. Item Græci interpretes Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, & apud hunc Photius. Quibus adde Latinos, gloſſographum, Lombardum, Aquinatem, Liranum, Carthuſianum, ac cæteros poſteriores: quorum ſententiam vel ipſa praxis fidelium ab eccleſia probata, ſatis ſuperque confirmat. Itaque parum conſideratè ſcriptum eſt à Caietano, ex apoſtoli verbis non haberi quod ſoluatur hoc caſu vinculum coniugale; cùm ipſe è diuerſo, contra ſenſum eccleſiæ putet, vt in ſuperioribus dictum eſt, diſſolui per vxoris adulterium. Iam quomodo Pauli doctrina ſic vti diximus intellecta, non ſit contraria verbis Chriſti Domini, *Quod Deus coniunxit homo non ſeparet*, Matth 19, & alijs quibuſdam ſcripturis, nullam vinculi ſolutionem inter coniuges quoad viuunt, admittentibus; petatur ex ijs quæ diſputantur ad diſt. 39 lib. 4 ſentent. Qua de re etiam nonnihil egimus in commentario Rom. 7 verſu 2.

Caſus quo matrimonium cõſummatũ ſoluitur quoad vinculũ.

Male diſſentit Caietanus.

IN PACE AVTEM VOCAVIT NOS DEVS. *In pace*, id eſt ad pacem. Quod autem dicit tale eſt; Religio Chriſtiana ad quam à à Deo vocati ſumus; non cogit nos ad hanc ſeruitutem qua pax Chriſtiana turbetur, hoc eſt, pacificus & tranquillus Chriſti cultus in familia impediatur. Quare ſicut pater filium & filius patrem poteſt plena libertate relinquere ex eiuſmodi cauſa; ſic & coniux fidelis infidelem. Quidam ſic exponunt: Quamuis permitti poſſit vt diſcedat, nec diſcedentem proſequi teneatis; tamen prouidendum quantum in te eſt, ne diſcedat. Nam Deus pacem noſtram amat, & auerſatur diſſidia. Non placet hic commentarius; quia manente huiuſmodi coniuge, pax Chriſtiana turbatur, diſcedente ſerenatur atque ſeruatur: iuxta verbum ſapientis: *Eijce deriſorem, & exibit cum eo iurgium: ceſſabuntq; cauſæ & contumeliæ*, Prouer. 22.

Ad pacẽ vocat nos Deus.

16 VNDE ENIM SCIS MVLIER, SI VIRVM SALVVM FACIES? *Vnde*, Græcè ἢ *quid*. & vocula *ſi* pro *an* poſita eſt Hebræo more; quẽadmodum & in eo quod ſequitur.

AVT VNDE SCIS VIR SI MVLIEREM SALVAM FACIES? Poteſt hæc gemina interrogatio referri ad id quod proximè dictum erat de dimittendo ſeu non retinendo coniuge infideli, ſi nolit abſque Chriſti iniuria cohabitare; ſimul ad id quod ſubiunxerat, *In pace vocauit nos Deus*; vt ſit ſenſus: Non eſt quod illum, ſpe eius conuertendi, retinere ſtudeas cum tanto pacis diſpendio. Res enim admodum incerta eſt. Itaque potius vtere libertate tua, ac ſine eum diſcedere: ne dum tu niteris eum attrahere, ille te retrahat. Hic ſenſus apud Liranum eſt, quem Gaignæus & alij nonnulli ſequuntur. At verò plerique tam Græci quàm Latini referunt ad ſuperiora, vbi docuit infidelem coniugem non eſſe dimittendum, ſi conſentiat cohabitare; & hunc faciunt ſenſum: Si infidelis vult tecum permanere, nec pacem Chriſti turbat; fortè eum tandem ad Chriſti fidem pertrahes; ſicque eum ſalutis quæ eſt in Chriſto participem facies; quandoquidem perſeuerans illa & pacifica cohabitatio, bene ſperandi de eo materiam præbet: ideoque non debes eum dimittere. Sic & Auguſtinus intellexit hunc locum lib. 1 de adulterinis coniugijs capit. 13. Quæ ſane expoſitio potior videri poteſt. Hanc enim vim habet apud Hebræos illa phraſis, *quî ſcis* vel *quis ſcit*, vt probabilem, & vt ita dicam, ſperabilem faciat affirmantem interrogationis partem. vt Ioel. 2, *Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem*? id eſt: ſi conuerſi fueritis *in toto corde veſtro*, (id enim præceſſerat) omnino ſperandum erit Deum quoque conuerſum iri ad vos, & remiſſurum pœnas comminatas, & benedictionem, id eſt bonorum abundantiam largiturum. Item Ionæ 3, *Quis ſcit*, ait rex Niniuæ, *ſi conuertatur & ignoſcat Deus; & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus?* & 2 Reg. 12, *Dicebam enim*, inquit Dauid, *quis ſcit ſi fortè donet eum mihi Dominus, & viuat infans?* Quanquam non eſt hoc perpetuum. Nam interdum difficultatem ſignificat ea phraſis, vt Eccleſiaſtæ 3, *Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſſcendat ſurſum: & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat?* id eſt, difficile eſt hoc ſcire, & paucis notum eſt. Deinde nec eadem eſt hoc loco forma locutionis, ſed talis quæ rem dubiam indicare ſoleat, vt Gen. 15, *Vnde ſcire poſſum?* Luc. 1, *Vnde hoc ſciam?* Mat. 15, *Vnde nobis in deſerto panes?* Equidem cenſeo Lirani expoſitionem non eſſe reijciendam, maximè quod & textui probè congruat, adeoque per ſe obuia ſit, faueatque quod ſequitur; *Niſi vnicuiq;* &c. Interim notandus ſermo, *ſaluum facies*, id eſt fidelem facies: quia per fidem iuſtificamur, & in via ſaluris conſtituimur,

Phraſis Hebræa, quis ſcit, vnde ſcis, expenſa.

Coniugẽ infidelem fidelis dimittere quatenus debeat.

Saluum facere homini tributum, etiam mulieri.

ſecundum

ſecundum illud Eph. 2, *Gratia eſtis ſaluati per fidem*. Rurſus obſerua, quòd vxor virum, & vir vxorem ſaluam facere dicitur; non vtique dando ſalutem, quod ſolius Dei eſt, ſed ad ea quæ ſalutis ſunt, monitis ac vitæ exemplis adducendo. Qua in re, teſte Chryſoſtomo, *nullus doctor tantum potuerit valere, quantum mulier*. Sic & alibi loquitur ſcriptura. Vide quæ diximus ad illud Rom. capite 11, *Et ſaluos faciam aliquos ex illis*.

17 NISI VNICVIQVE SICVT DIVISIT DOMINVS. Subaudi, dona ſua. Reſpicit enim ad id quod antè dixit, *Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo. Dominus*, Græcè *Deus*. Sciendum eſt Oecumenium pro εἰ μὴ *niſi*, quod hodie in omnibus penè Græcis eſt, legere ἢ μὴ *an non*. vt hæreat cum præcedenti interrogatione. *Vnde ſcis vir ſi mulierem ſaluam facies, an non?* Deinde ſequatur: *Vnicuique ſicut diuiſit Deus*. Atque huius diſtinctionis authorem citat Seuerianum. Meminit quoque Theophylactus vtriuſque diſtinctionis: ſed ita vt præferat eam quæ in noſtris eſt codicibus. Cui & Eraſmus aſtipulatur, ac meritò. Nam cur particula *an non*, poſteriori interrogationi potius annectatur quàm priori? Vt & hoc addam, quod in alijs locis, vbi Latinè legimus *an non*, Græcè non eſt ἢ μὴ, ſed ἢ οὐ, quod certè magis eſt vſitatum. Eraſmus hanc partem ita vertit: *Vtcumque fuerit, vnuſquiſque vt ipſi partitus eſt Deus*. Cuius ſuæ verſionis rationem reddit in annotationibus, docens aduerbium εἰ μὴ interdum vſurpari, quum omiſſo quod dubium eſt, ad id quod certum eſt redimus. Alius dixerit ita vertendum eſſe: *Quod ſi non*, aut, *ſin minus, vnicuique ſicut* &c. vt ſenſus ſit huiuſmodi: Quod ſi non ſuccedat de conuerſione coniugis; id tamen ſeruetur quod dico: quiſque ambulet, agat & conuerſetur ſecundum talentum ſibi creditum à Deo donorum diſtributore, atque in ſtatu ſuæ vocationis permaneat: nec coniugem deſerat, quamuis infidelem, dum ſpes eſt ſalutis eius. Nam verbum *ambulet*, quod eſt in parte ſequenti, huc reuocant, vt ſeruiat vtrique membro. In hanc ferè ſententiam interpretantur hunc locum, qui præcedentia erotemata referebant ad infideles conſentientes cum Chriſtianis coniugibus cohabitare. Verùm ſi referas ad diſcedentes, iuxta alteram expoſitionem illic datam; nihil opus erit huc adferre inſolitam ſignificationem exceptiuæ dictionis εἰ μὴ, & ſupplementum huius partis petere ex ſequenti. Nam ſenſus erit: *Vnde ſcis* &c. niſi fortè Deus, prout variè ſua partitur dona, quempiam ſeu virum, ſeu mulierem ea gratia dignetur, vt coniugem infidelem etſi religionis nomine ſibi moleſtum & grauem, ac diuortium facere volentem, retineat, retentumque patientia, monitis & obſequijs euincat, Chriſtoque lucrifaciat, & ad ſalutem adducat. Hac parte ſic intellecta ſignificatur, fidelem præcepto non teneri ad dimittendum coniugem infidelem diſcedentem vt ſuprà; ſed diſcedere volentem retinere poſſe cum ſpe lucrifaciendi eum Chriſto. Porrò notanda metatheſis dictionum, nonnullam faciens obſcuritatem, cùm ait, *vnicuique ſicut diuiſit*: pro eo quod diceret, ſicut vnicuique diuiſit. Similiter in eo quod ſequitur.

VNVMQVEMQVE SICVT VOCAVIT DEVS, ITA AMBVLET. *Deus*, Græcè *Dominus*. Tranſitum facit ad doctrinam ſeruandę conſtantiæ in ſtatu ſeu genere & conditione vitæ, in qua reperit vnumquemque fides Chriſtiana: ne mutatio ſtatus, occaſione religionis facta, pariat offenſionem, ipſamque religionem reddat odioſam. Dixi, inquit, fidelem infideli coniuge diſcedente non eſſe ſubiectum ſeruituti, vt eum ſequatur aut retineat, ne quidem ſalutis eius procurandæ cauſa: non prohibeo tamen quo minus id faciat, ſi præſertim occulto Dei dono & inſtinctu ad id moueatur. Imò ſententia mea hęc eſt, vt quiſque, quoad fieri poteſt, ita ambulet, ſicut vocauit eum Deus: hoc eſt, conuerſetur, Deoque ſeruiat, manens in eo genere vitæ in quo ad fidem à Deo vocatus eſt; ſiue in coniugio, ſiue extra coniugium; ſiue in ſeruitute, ſiue in libertate; ſiue in alio quocumque: nec vitæ ſtatum mutet ex imprudenti ſtudio ſuæ ſalutis. Sentit ob ſuſceptam Chriſti religionem non eſſe neceſſarium vt quis ſtatum mutet: nec verò id faciendum temerè. Si quis obijciat de ſtatu quopiam aut artificio turpi, vel iniuſto, vel aliàs inhoneſto; quale meretricum & fœneratorum; quale etiam hiſtrionum, quos ad communionem admitti vetuit B. Cyprianus epiſtola 61: breuiter reſpondeo, Paulum agere de ſtatu ac modo vitę licito & inculpato. quales plurimi etiam apud infideles. Cæterùm lector obſeruet, hic & in ſequentibus ſermonem eſſe non de ſtatu ad quem quis vocatus eſt, ſed in quo vocatus, ſcilicet ad fidem Chriſti. Quæ duo video à nonnullis hoc loco confundi, præter mentem apoſtoli. Significari verò vocationem efficacem, vix opus vt admoneam.

ET SICVT IN OMNIBVS ECCLESIIS DOCEO. Græcè, *Et ſic in eccleſijs omnibus ordino*, ſiue *diſpono*, διατάσσομαι; Syriacè, *præcipio*. Senſus: Nec vobis ſolùm, ſed omnibus eccleſijs hanc meam ſententiam propono & præſcribo; Chriſtianiſmum non cogere ad mutandum vitæ ſtatum; nec niſi magna ratio cogat, mutandum eſſe. Meritò doctrinam hanc eccleſijs inculcabat: ne Chriſtiana religio res humanas turbare videretur. Atque vel hinc ſatis intelligitur illud quod ante dixit; *Si quis frater vxorem habet* &c. *non dimittat illam*; præcepti eſſe, non conſilij. Nam profectò ſi conſilij tantùm eſſet, licuiſſet dimittere. Quæ res haud leuiter perturbaſſet

In ſtatu vitæ ſeruanda cõſtantia.

Chriſtiana religio non cogit ad mutãdum vitæ genus, modò honeſtum.

Coniux infidelis ne deſeratur, dum ſpes eſt ſalutis.

Deus variè ſua partitur dona.

Non dimittere coniugem infidelem conſentiẽtem cohabitare, præcepti eſt.

atque offendisset statum publicum. Deinceps suam doctrinam declarat aliquot exemplis, ijsque ad institutionem fidelium valde commodis.

18 CIRCVMCISVS ALIQVIS VOCATVS EST? Id est: quispiam prius circumcisus, vtpote Iudæus aut proselytus vocatus est ad fidem. Nec refert siue legas interrogatiuè, quemadmodũ plerique, siue non. Sensus enim idem efficitur. Quod etiam obserua in sequẽtibus. Quomodo locum hunc totum vsque ad illud, *Nolite fieri serui hominum*, exponat S. Hieronymus, infrà dicemus.

NON ADDVCAT PRÆPVTIVM. Sensum reddidit interpres. Nam Græcè tantum est μὴ ἐπισπάσθω, *ne attrahat*, vel potius, *ne attrahatur*, id est, ne se attrahi faciat. Et sensus est; ne sibi curet attrahi præputium. Quid sit attrahere, siue adducere, siue vt alij vertunt, asscisscere, accersere præputium, quæri solet: quandoquidem constet præputium semel amputatum reponi non posse. Certè quod hic dicitur, si propriè & sine tropo intelligas, impossibile esse, censent Origenes lib. 4 de principijs, Hieronymus lib. 1 contra Iouinianum cap. 6, & in cõmentarijs Isaiæ 52, Augustinus libr. de mendacio cap. 5, & Caietanus hoc loco. Verùm alij rectius fieri posse fatentur. Agit ea de re Epiphanius rerum Iudaicarum peritus, in libro de ponderibus & mensuris: vbi cùm retulisset Symmachum veteris scripturæ interpretem, secundò circumcisum fuisse, docet quemadmodum id facere soleant illi qui ex Iudæis transibant ad Samaritas, aut contrà; nimirum arte medica & quibusdam instrumentis residuam pręputij pelliculam attrahentes, eandemque rursus amputantes. Quod & Cornelius Celsus posse fieri docet libro 7 capite 25. Meminit etiam huius modi Photius ex Epiphanio: meminit & Theophylactus. Quanquam quod Epiphanius & Photius scribunt originem facti quosdam referre ad Esau, qui *ad abnegationem Dei, & ad deletionem characteris patrum ipsius*, illud primus inuenerit; cui propterea Deus dixerit, *Esau odio habui*; fabulosum esse vix dubito. Nam apud Idumæos circumcisio à patribus accepta, quemadmodum & apud alias quasdam gentes, mansit in vsu, teste Hieronymo super Ieremiæ cap. 9. Porrò Iudæos qui ad ritum gentilem se transferebant, aliquid tale facere solere, satis apparet ex 1 Machab. 1, vbi de eis dicitur, *Et fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto*, id est, à fœdere circumcisionis, quod Deus sanciuit ac pepigit cum Abraham & posteris eius. Hoc quidem Hieronymus in Isaiæ commentarijs, *de nascentibus filijs & non de patribus* dictum esse vult. Id enim habebat lex Antiochi Iudæis data, de qua eodem capit. *relinquere filios suos incircumcisos*. Vnde & Caietanus existimat Paulum non aliud velle, quàm vt qui circumcisus est, *perseueret circumcidendo filios*. Sed profectò diuersa sunt, facere sibi præputia, & relinquere filios incircumcisos. Nam vt testatur Iosephus antiquitatum Iudaicarum libro 12 capit. 6. Propter hoc *adduxerunt sibi præputia, vt nudi quoque Græcis non essent dissimiles:* videlicet in gymnasio quod Hierosolymis ædificandum à rege impetrauerant, exercendi. Quamuis autem hæc ita se habeant; tamen non id solum vult Paulus, ne qui circumcisus ad fidem vocatus est, arte præputium sibi reparet, quo circumcisionem suam aboleat: sed ne pœniteat eum aut pudeat circumcisionis, nec affectet esse præputiatus; imò nec propter hoc quia Christianus est, desinat instituta Mosaica seruare; modò sciat legem mortuam esse, quæ cum honore sepelienda sit: quod ipse Paulus & alij apostoli, plurimique ex circumcisione fideles, fecerunt.

IN PRÆPVTIO ALIQVIS VOCATVS EST? NON CIRCVMCIDATVR. Hoc est: præputiatus quispiam vocatus est ad fidem? nempe quomodo vocati gentiles: *non circumcidatur*. Hoc enim esset Iudaizare & Christum abijcere: Paulo gentibus denunciante Galat. 5, *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*. Itaque præputiatum, id est gentilem circumcidi, non solum non cogit lex Christiana, sed nec permittit. Quod si quis genere Iudæus in præputio vocatus esset tempore Pauli, non prohibebatur circumcidi. Nam ipse Paulus Timotheum matre Iudæa natum circumcidit propter Iudęos, cum quibus erat illi conuersandum, Act. 16, non tamen alioqui facturus. Quod de circumcisione dicitur, de cæteris legis cærimonijs similiter intellige. Nominat autem circumcisionem, tanquam præcipuam cærimoniam, in qua totius legis esset professio.

19 CIRCVMCISIO NIHIL EST, ET PRÆPVTIVM NIHIL EST. Sensus: Nihil hæc valent, nihil conferunt ad iusticiam & salutem; ideo non sunt affectanda. Quæres, quomodo dicat circumcisionem nihil esse & nihil valere: cùm, vt est multorum opinio, valuerit ad tollendum peccatum originale? Primùm respondeo, loqui Paulum pro eo tempore quo circumcisio iam erat sacramentum mortuum. Deinde circumcisionem etiam tempore legis antiquæ nihil valuisse ad salutem & iusticiam, quatenus erat illius legis sacramentum. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex*, Heb. 7. &, *Si per legem iusticia, ergo gratis Christus mortuus est*, Galat. 2. An autem & quid valuerit, per fidem ad legem gratiæ relatum circumcisionis sacramentum; in quæstione versatur apud Theologos. De qua aliquid diximus ad illud Roman. 4, *Et signum accepit circumcisionis signaculum iusticiæ fidei* &c. Illud extra controuersiam est, circumcisionem tempore Mosaicę legis, & ex quo præcepta fuit Abrahæ & posteris eius, quatenus erat obseruatio diuini præcepti, non fuisse nihil, sed aliquid; vt hic

conse-

Quid adducere præputiũ.

Ars restaurandi præputij resecti.

Fabula de Esau.

Sẽsus huius loci plenus.

Gentilem circumcidi lex Christiana non permittit.

In circũcisione totius legis erat professio.

Circũcisio quo sensu nihil esse dicatur.

Quid valuerit circumcisio tempore legis antiqua.

consequenter dicitur, & à nobis exponitur. Cur autem non pugnet hęc sententia cum illa eiusdem apostoli Rom. 2, *Circumcisio quidem prodest, si legem obserues*; eo loco à nobis explicatum reperies.

SED OBSERVATIO MANDATORVM DEI. Supple, est aliquid, confert ad iusticiam & salutem: quia scriptum est: *Factores legis iustificabuntur*, Rom. 2. &, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, Matt. 19. Repetit hanc sententiam apostolus ad Gal. 5 & 6 verbis nonnihil diuersis: *In Christo Iesu*, inquit, *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur*. Et cap. 6, *Sed noua creatura*. Ex quo intelligitur eadem esse, saltem concomitanter, hæc tria; obseruationem mandatorum Dei, fidem quæ per charitatem operatur, & nouam creaturam. *Nota.*

20 VNVSQVISQVE IN QVA VOCATIONE VOCATVS EST, IN EA PERMANEAT. Græcè, *Vnusquisque in vocatione qua vocatus est maneat*. Repetit generalem sententiam, vt aliud subiungat exemplum de statu seruitutis. Vocationem intelligit vitæ statum seu conditionem; quod & ea qualiscumque sit, vocationis sit diuinæ. Nam *hoc ad eas consuetudines vel conditiones vitæ retulit, quæ nihil obsunt fidei bonisque moribus*, ait Augustinus in expositione epistolæ ad Galat. 2. quod & suprà diximus alijs verbis. Et alioqui non erit vocatio; quæ vtique relationem habet ad Deum vocantem: sed humanæ cupiditatis præsumptio. Sensus est: Nemo factus Christianus prohibetur manere in statu, in quo erat quando vocatus est ad fidem Christi. Nec verò mutare eum debet, nisi iusta ratione: & ita quidem vt non turbetur respublica, nec charitas proximorum lædatur. Igitur hac sententia non tam præcipit apostolus, quàm significat quid cuique Christiano liceat. Ad quod ipsum tamen etiam hortatur, nisi quid aliter expediat. *Omnis vitæ status honestus, vocatio quadá est.*

21 SERVVS VOCATVS ES? NON SIT TIBI CVRÆ. Seruus eras, inquit, quando vocatus es ad fidem? non te res illa angat, ne doleas te qui iam religione Christianus es, adhuc conditione seruum esse. Nolo te solicitum esse, vt onere seruitutis libereris.

SED ET SI POTES FIERI LIBER, MAGIS VTERE. Græcè, *Sed si etiam potes* &c. Sensus est: Etiamsi possis assequi libertatem, magis tamen, id est, potius vtere seruitute, & in ea permane maioris boni causa, scilicet ad tuam exercitationem, & domini tui salutem. Nam ex tua seruitute, si liberaliter & Christianè seruias, maior spes erit dominum tuum lucrifaciendi Christo, quàm ex adepta libertate. In hunc sensum ferè commentatores exponunt. Nonnulli sic: Si tamen potes fieri liber, potius vtere libertate, tanquam bono per se desiderabili. Et in hunc sensum Syriaca suppleuit Tremellius. Sic enim vertit: *Sed etiam si potes liber fieri, eligе tibi potius, quàm vt seruias*. Verùm hic sensus, vt bene declarat Chrysostomus, repugnat ipsius Pauli scopo. Versatur enim in eo vt suadeat conditionem vitæ non esse mutandam. Vnde & sequitur. *Seruitus non excutienda.*

22 QVI ENIM IN DOMINO VOCATVS EST SERVVS, LIBERTVS EST DOMINI. Rationem reddit eius quod dixerat, *non sit tibi curæ*: ac docet serui liberique parem esse conditionem in Christo: quandoquidem & serui sunt liberti Christi, & liberi serui sunt Christi. Qui enim, inquit, seruus cùm esset, vocatus est ad fidem Christi Domini, libertus eius est: hoc est, è seruitute peccati in libertatem ab eo vindicatus, eique tanquam liberatori suo obnoxius. Tales enim liberti dicuntur. *Seruus & liber in Christo pares.*

SIMILITER QVI LIBER VOCATVS EST, SERVVS EST CHRISTI. Græcè, *Similiter & qui* &c. Qui, inquit, conditione liber cum esset, vocatus est ad fidem Christi Domini; seruus est Christi, quia redemptus ab eo. Nam hoc sequitur.

23 PRECIO EMPTI ESTIS. Emphasis est in eo quod addit, *precio*: cùm alioqui quicquid emitur, precio ematur. Significat ergo magnum & inæstimabile precium, videlicet sanguinis eius qui emit. Pluribus hoc explicatum est capite superiori versu vltimo. Dicitur autem tam ad seruos quàm ad liberos; adeoq; communiter ad omnes fideles; quemadmodum & id quod sequitur.

NOLITE FIERI SERVI HOMINVM. Infert generalem & salutarem admonitionem. Precio sanguinis sui Christus vos emit, & seruos suos fecit: igitur nolite fieri serui hominum. Id est: ne vos ita subijcite hominibus, vt Christo Domino debitum subtrahatis, aut quoquo modo minuatis obsequium atque seruitium. Velut qui sunt in obsequio regis hominis, si alijs se dedant, quo fiat vt minus queant regi debita præstare ministeria; peccant in regem; vt milites, à quibus idem apostolus Timotheum exhortans, exēplum sumit 2 epi. 2, cùm ait: *Nemo militans implicat se negocijs secularibus, vt ei placeat qui se probauit*, ac in militem delegit. Fiunt ergo serui hominum, qui sic hominibus seruiunt, vt Christo non seruiant, aut minus seruiant: & omnino quicumque impensa hominibus obsequia non referunt ad gloriam Christi: sed ad solam respiciunt hominum voluntatem, quos vel timent vel amant inordinatè. Non dissimili sensu Paulus alibi in vicio ponit hominibus placere, vt Gal. 1, versu 10. Col. 3, versu 22, & 1 Thess. 2, versu 4. Qui partem hanc ad solos liberos referunt, ita exponunt: Ne libertatem vestram commutetis in seruitutem, quantum per vos fieri potest: sed manete in bono libertatis quod habetis. Verùm magis apparet ad omnes fideles referendam esse: sicut ad omnes pertinet illud: *Precio empti estis*. Atque ea est expressa Chrysostomi & sequacium eius sententia. Nec verò opus erat liberos hortari ad retinendam libertatem: vt nec seruos *Serui hominū fieri quomodo prohibemur.*

ad eam adipiſcendam: quum libertas in ijs ſit bonis, quæ naturaliter ab omnibus appetuntur. Scito lector totum hunc apoſtoli contextum ab eo loco, *Circũciſus aliquis vocatus eſt*, à B. Hieronymo longè aliter exponi. Vult enim parabolicum eſſe ſermonem, quo ſub parabolis circumciſi & præputiati, liberi & ſerui, diſſerat apoſtolus de cœlibatu & coniugio: doceatque quomodo tam cælibes, quos per circumciſum & liberum putat Hieronymus ſignificari; quàm coniugatos, quos per præputiatum & ſeruum; permanere debeant, illi in cælibatu, hi in matrimonio, ſicut eos deprehendiſſet Chriſti baptiſma; ſecundum illud quod proximè premiſerat dicẽs, *Vnumquemque ſicut vocauit Deus, ita ambulet*. Hæc docet lib. 1 aduerſus Iouinianum cap. 6, ac repetit in apologia ad Pammachium cap. 2. Rurſus ita docet in epiſtola 12 ad Gaudentium ſcripta; vbi inter alia, adducere præputium interpretatur quærere *pelliceas tunicas nuptiarum*. Denique in ea ſententia perſiſtit, exponens Iſaiæ cap. 52. Quem & Sedulius ſequitur in huius loci commentario. Sed & ante iſtos eodem modo locum hunc intellexit Origenes lib. 4 de principijs. Certat autem Hieronymus aduerſus Iouinianum ſcribens, pro hoc intellectu, ſex rationibus: quas apud eum legat qui volet. Puto, comperiet omnes ex contextu Paulino bene conſiderato iuxta vulgatum & obuium commẽtarium quem dedimus, haud ægrè diſſolui poſſe. Fatetur etiam ipſe Hieronymus in apologia, quoſdam prudentiſſimos interpretes ſcripturarum aliter, hoc eſt ſimpliciter ac ſine metaphora hunc locum expoſuiſſe. Quod autem idem Hieronymus etiam illa verba; *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt*, ad virginitatem & coniugium applicat; ne quem offendat, tanquam virginitati meritum detrahat, aut eam æquet coniugio, contra ſuum in illo opere ſcopum & inſtitutum: audiat quemadmodum ipſe ſe declaret. Additis enim apoſtoli verbis; *ſed obſeruatio mandatorũ Dei*; ita ſubiungit: *Nihil enim prodeſt abſque operibus, cælibatus & nuptiæ: cùm etiam fides quæ propriè Chriſtianorum eſt, ſi opera non habuerit, mortua eſſe dicatur*. Hæc ille.

Totũ hũc locũ Hieronymus quomodo interpretetur.

Hieronymi cõmẽtarius improbabilis

Quo ſenſu dicat Hieronymus Virginitatem nihil eſſe.

24 VNVSQVISQVE IN QVO VOCATVS EST, FRATRES, IN HOC PERMANEAT APVD DEVM. In multis codicibus erat *frater*, non *fratres*. Sed veram lectionem id eſt *fratres* vocandi caſu, reſtitutam habemus ex editione Romana, ſuffragante textu Græco & Syriaco, nec non Latinis expoſitoribus Amb. & Primaſio. quibus omnibus etiam legitur *maneat*, non *permaneat*: tametſi familiare eſt interpreti noſtro compoſitum permanere loco ſimplicis vſurpare. Repetit apoſtolus iam tertio ſuã propoſitionem, concludens vnicuique in ordine, ſtatu, conditione qua ad fidem Chriſti vocatus eſt, manendũ eſſe; verùm id ſalua fide & obſequio quod Deo debetur. Hoc enim eſt quod addit, *apud Deum*, exponẽte Theophylacto. Nonnulli putant verti poſſe *à Deo*: & ſententiam ſic ordinant: Quiſque in quo vocatus eſt à Deo, in eodem permaneat. Nam παρὰ τῷ θεῷ, id eſt *à Deo*, legitur alicubi. Quãquam id rariſſimè, nec vſquam, vt arbitror, in ſacris literis. Simul ab hoc intellectu reuocat hyperbaton minimè neceſſarium. Nam prior ſenſus; *maneat apud Deum*, id eſt Deo ſeruiens, & à Deo non recedens: optimè conſtat.

Status vita retinẽdus ſalua religione.

25 DE VIRGINIBVS AVTEM PRÆCEPTVM DOMINI NON HABEO. Redit ad ſermonem de virginibus & innuptis, intermiſſum ac ſuſpenſum ab eo loco, *Cæteris ego dico, non Dominus*: atque de ijs nunc agit plenius & explicatius. Dicit itaque, de virginibus, quæ tamen nondum vouerint Deo continentiam, (& eadem ratio de omnibus à vinculo couiugali liberis) nullum ſe habere præceptum à Chriſto traditum: ſcilicet vt vel maneant vel non maneant ſine coniugio. Quod enim ſuperius dixit & inculcauit, vnicuique in eo manendum in quo vocatus eſt: tantum admonitio fuit, ne quis factus Chriſtianus temerè mutet conditionem vitæ priorem; quum id religio Chriſti non exigat.

Virginem permanere nõ præcepti eſt, ſed cõſilij.

CONSILIVM AVTEM DO. *Conſilium* Græcè γνώμην *ſententiam*. Dico, inquit, quod ſentio, quodque melius iudico. Hoc autem eſt conſilium dare. Nam vtique ſententia de rebus agendis, conſilium eſt. Sic in fine capitis *ſecundum meum conſilium*, Græcè γνώμην. Oſtẽdit hic locus & alij ſimiles, non omnia bona quæ facimus eſſe, præcepti: quod volunt huius ęui ſectarij: ſed quædam eſſe conſilij; ad quæ nimirum abſolutè fideles non teneantur ex aliquo Dei præcepto. Nam *præceptum* quidem *eſt*, ait Auguſtinus lib. de ſancta virginitate cap. 15, *cui non obedire peccatum eſt: conſilium* verò, *quo ſi vti nolueris, minus boni adipiſceris, non mali aliquid perpetrabis*. Obijcit Caluinus generale præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Verùm eo præcepto non iubentur omnes omnia bona facere quęcumque poſſunt; ſed præcipitur vt quiſque in ſua vocatione Deum diligat, eique ſeruiat ex toto corde. Nam etſi *dilectio Dei non cadat ſub præcepto ſecundum aliquam menſurã, ita vt id quod eſt vltra, ſub conſilio remaneat, vt patet ex ipſa forma præcepti, cùm dicitur, diliges ex toto corde*: quemadmodum docet S. Thomas 2 2 quæſt. 185 art. 3. non tamen ad diligẽdum ex toto corde Deum, omnia media ex præcepto omnibus propoſita ſunt; vt nec omnia omnibus conueniunt: tametſi culpa non caret inconſultæ electionis, qui poſthabito bono quod ſibi melius eſt, eligit minus bonũ. Iam vt oſtendat apoſtolus ſuum etiam conſilium eſſe à Domino, ſubiungit.

Non omnia bona quæ agimus, ſunt præcepti.

Quid præceptũ, & quid conſilium.

Obiectio remouetur.

TANQVAM MISERICORDIAM CONSECVTVS A DOMINO, VT SIM FIDELIS. *Vt ſim fidelis*, Græcè πιστὸς εἶναι, *fidelis eſſe*, id eſt, in hoc vt ſim fidelis. Et ſenſus eſt: Conſilium do tãquam apoſtolatu dignatus à Chriſto Domino per eius gratiam & miſericordiam; vt bona fide, ſicut apoſtolum & internuncium facere

oportet,

oportet, proferam ſuper re propoſita ſententiam & conſilium meum, dicamque quid melius eſſe cenſeam. Sic & in fine capitis, cùm rurſus conſilium ſuum allegaſſet dicens: *Beatior autem erit ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium*: mox addidit; *Puto autem quod & ego ſpiritum Dei habeam*: ſcilicet vt conſilium ſuũ oſtenderet à Spiritu ſancto proficiſci, & conſentaneum eſſe voluntati Domini ſui. Nam reuera conſilium hoc ipſe Chriſtus propoſuit in euangelio, quando dixit: *Sunt eunuchi qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere capiat*, Matth. 19. Partem hanc ſic exponit Auguſtinus lib. de ſancta virginitate cap. 14, vt effectus miſericordiæ Domini ſit eſſe fidelem. ac ſi dicat apoſtolus: *Neque enim inuidere debeo fidele cõſiliũ, qui non meis meritis, ſed Dei miſericordia ſum fidelis*. Sẽſus hic veriſſimus quidem eſt: Sed priorem, quem inter alios apertis verbis tradit Aquinas, germaniorem eſſe probat locus ſimilis 1 Tim. 1, *quia fidelem me exiſtimauit ponens in miniſterio*.

Chriſticõſilium de perpetua cõtinẽtia.

26 EXISTIMO ERGO HOC BONVM ESSE PROPTER INSTANTEM NECESSITATEM. Hic iam profert ſuum conſilium. Dicit autem *exiſtimo*, ſiue *arbitror*, Græcè νομίζω, modeſtiæ cauſa, cùm de re certa loquatur, ſicut & infrà viduis conſulens dicit, *Puto quod & ego* &c. *Hoc*, id eſt virgines manere, vti ſtatim exponit. *Bonum* intellige non qualecumque, ſed eximium & præclarum; quod nonnulli vertunt pulcrum; quemadmodum & initio capitis. Aut bonum pro meliore poſuit, vt ſuprà verſu 8. Præcellentiam huius loci breuiter explicat Thomas per tria genera. *Bonum*, inquit, *honeſtum propter puritatem*, *delectabile propter libertatem*, *vtile propter mercedem: quia debetur ei fructus centeſimus*. *Inſtantem* ſeu præſentem neceſſitatem nonnulli interpretantur neceſſitatem moriẽdi. Quod non placet. Alij ingruentes perſecutiones; quas facilius ferunt, atque expeditius fugiunt qui coniugem & liberos non habent; ſecundum illud Saluatoris: *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*, Matt. 24. Verùm quia generalis eſt apoſtoli doctrina, pertinens etiam ad tempora eccleſiæ pacata: magis probo generalem commentarium, quem huc adferunt plerique tam Græci quàm Latini, per inſtantem neceſſitatem intelligentes huius ſæculi moleſtias & incommoda, quæ plurima ſecum trahit ſtatus cõiugalis: quas paulo pòſt alio nomine tribulationes carnis apoſtolus appellat. Vnde coniugati comparantur molentibus in mola, Matt. 24. Quum ergo dicit, *propter inſtantem neceſſitatem*, ſubaudi euitandam ſeu declinandam: quomodo ſuprà verſu 2. *propter fornicationem* vitandam. Atqui conſiderat apoſtolus huiuſmodi neceſſitatem, vt impedimentum quo minus quis liberè & expeditè poſſit Deo ſeruire. Talia namque ferè ſunt incommoda ſtatus coniugalis. Et hoc modo neceſſitatem iſtam à Paulo conſiderari docet ac probat Auguſtinus lib. de ſancta virginitate cap. 13 & 14. Probat autem hac firmiſſima ratione: quia Paulus hæc ſcribit, *prouidens & conſulens in futurum: cùm omnis eius diſpenſatio non niſi ad vitam æternam vocet*. Eãdem rem pulcrè explicat Hieronymus in lib. de cuſtodia virginitatis ad Euſtochium cap. 9. & aduerſus Heluidium capit. 10. Patet igitur quàm nihil hic locus faueat Iouiniano & nouis huius ſæculi Iouinianiſtis, qui mirabili inſipientia ac ſententiæ vanitate (ſic enim de talibus loco memorato loquitur Auguſtinus) virginitatem ob id ſolùm colendam & coniugio antepõnendam cenſent, quod hominem liberet à multis huius vitæ moleſtijs: nõ quod hominem Deo commendet, aut ad regnum cælorum promoueat. Quin etſi de neceſſitate nihil impediente ſpirituale bonum ageretur in his verbis: tamen non hæc ſola cauſa fuiſſet apoſtolo virginitatis coniugio præferendæ. Nam paulo pòſt diſertè illam ex eo præfert, quod aptiorem reddat hominem ad ſeruiendum Deo.

Bonũ pro eximio, aut meliore.

Triplex genus bonitatis in Virginitate. Inſtans neceſſitas quæ dicatur.

Eripitur hic locus Iouinianiſtis.

QVONIAM BONVM EST HOMINI SIC ESSE. *Quoniam* exegeticum eſt. Declarat enim quod dixerat, *hoc bonum eſſe*; & dicens *homini*, conſilium ſuum facit commune vtrique ſexui: ne quis ad ſolas feminas virgines referat. Itaque ſenſus eſt: Hoc quod dico bonum eſſe homini tam mari quàm feminæ, eſt, *ſic eſſe*, ſiue, vt ſuprà dixit, ſic permanere, ſcilicet vt ſunt ſine coniugio, in virginitate. Nam de virginibus ſermonem ſuſcepit; in quibus tamẽ etiam alios cælibes, etſi non virgines, comprehẽdit.

27 ALLIGATVS ES VXORI? NOLI QVÆRERE SOLVTIONEM. Ac ſi dicat: non ita commendo virginitatem & abſtinentiam coniugij, vt eos qui vinculis coniugalibus aſtricti ſunt, adhorter ac ſolicitem ad diuortium & ſeparationem. Nam pridem hortabar vnumquemque ad manendum in quo vocatus eſt. Loquitur apoſtolus haud dubiè de vinculo matrimonij conſummati. Sed etſi ſermonem eius ad inconſummatum matrimonium extendas; nõ hinc conſequens erit eos aduerſari præcepto Paulino, qui docent inconſummati matrimonij vinculum per ingreſſum religionis ſolui poſſe: rectéque eos facere, qui ab huiuſmodi matrimonio ad religionem tranſeunt. Non enim his verbis prohibet apoſtolus, ne quis ſolutionem quærat, ſiue quoad vinculum, ſiue quoad torum, quando id legitima ratione fieri poſſet: ſed generalem adhortationem ſolutionis, etiam licito modo faciendæ, à ſe remouet, ſciens quia non omnes capiunt verbum hoc.

Non quærenda ſolutio coniugij.

Coniugiũ inconſũmatũ per ingreſſum religionis ſolui poſſe, non negat apoſtolus.

SOLVTVS ES AB VXORE? NOLI QVÆRERE VXOREM. Solutum ab vxore intelligit liberum à coniugio, ſiue vxorem aliquando habuerit, ſiue non. Nam & qui nunquam habuerunt, vulgo ſoluti dicuntur. Nec obſtat verbum præteriti temporis λέλυσαι, quod Latinis in participium reſolui debet: Nam vt Oecumenius docet, *ſolutus* per oppoſiti negationem exponi poteſt, id eſt, numquam ligatus. Tertullianus quidem de ſecũdo matri-

Solutus ab vxore quis dicatur.

monio accepit in exhortatione caſtitatis cap. 4. Verùm antitheſis apoſtoli inter alligatum eſſe & ſolutum, generaliorem ſenſum poſtulat. Quod ſi, inquit, à cõiugio liber es, ne quæras vxorem; id eſt, non te hortor ad cõiugium, ſed magis hortor & conſulo, vt ſic permaneas. Hoc enim bonum eſt. Sed quia non omnes capiunt verbum hoc; ijs qui non capiunt, conſulendo dicitur, *Si non ſe continent, nubant.* & 1 Tim. 5 de quibuſdam viduis, *Volo iuniores nubere.*

28 SI AVTEM ACCEPERIS VXOREM, NON PECCASTI. Græcè, ἐὰν δὲ καὶ γήμῃς. Quod ita vertas licet: *Sed et ſi vxorem acceperis* &c. Vbi nota verbum γήμῃς, pro quo dixit interpres *acceperis vxorem*, vtrique ſexui eſſe commune: quomodo nubere ab eodem noſtro interprete ſæpe ſumitur ob inopiam aptioris verbi. Quanquam hoc loco videtur propriè ad virum dici, tum quia præceſſit, *Solutus es ab vxore*, tum quia peculiariter ad feminas pertinet quod ſequitur, *Et ſi nupſerit virgo.* Senſus apoſtoli: Nõ ita dico, ne quæras vxorem, quaſi peccatum ſit vxorem ducere, & id à me prohibeatur. Nam nuptiæ non ſunt peccatum, ſed res bona à Deo inſtituta: proinde nequaquam conſequẽs eſt, ſi quis vxorem duxit, eum peccaſſe. Quod etſi ita ſit; contingit tamen actum ſeu contractum quo ducitur vxor, viciari fine, vel aliqua alia circumſtantia mala; ſicut & alios actus genere ſuo bonos. Vnde Thomas ita locum hunc exponit: *Si acceperis vxorem, ſcilicet bono fine, non ad expletionem libidinis; non peccaſti.* Vide quæ ſuperius dicta ad illud, *Melius eſt nubere quàm vri.*

Nuptiæ res bonæ à Deo inſtitutæ.

ET SI NVPSERIT VIRGO, NON PECCAVIT. Diligenter admonent commentatores Photius, Theophylactus, Oecumenius & alij poſt Chryſoſtomum tam in commentario, quàm in ſermone de libello repudij, non loqui Paulum de ea virgine quæ Chriſto dicata ſit. Hanc enim ſi nupſerit, adulterum Chriſto ſponſo ſuo ſuperinducere, & proinde grauiter admodum peccare. Hieronymus quoque libro 1 contra Iouinianum cap. 7, hæc apoſtoli verba, *Si nupſerit virgo non peccauit*, ſuis verbis ita proſequitur: *Non illa virgo quæ ſemel Dei cultui dedicauit: Harum enim ſi qua nupſerit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit.* Et addit; *Virgines enim quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tam adulteræ quàm inceſtæ ſunt.* Inceſtas vocat, propter id quod dixit eas primam fidem irritam feciſſe, ex apoſtolo 1 Tim. 5, id eſt votum continentiæ Deo factum violaſſe. Quas & propterea damnationem habere ibidem apoſtolus pronunciat. Ex quibus liquet quàm impiè agant authore ac duce Martino Luthero, noſtræ tempeſtatis hæretici, dum hoc apoſtoli teſtimonio abutentes, quo dicit virginem ſi nupſerit non peccaſſe, virgines voto obnoxias, & per illud Chriſto conſecratas, prouocant ad nuptias. Vide quę diximus ad illud huius capitis. *Quod ſi non ſe continent, nubant.* Neque tamen exceptione ſeu limitatione opus habet dictũ apoſtoli, *Si nupſerit virgo, non peccauit*: ſed negationem continet huius conſequentiæ; Si nupſerit virgo, peccauit; quaſi videlicet nubere peccatum ſit. in quem ſenſum etiam priorem partẽ expoſuimus. Igitur iſtiuſmodi ſententiæ rectè vſurpantur, & à patribus vſurpatę ſunt, aduerſus veteres quoſdam hæreticos, qui nuptias damnarunt, tanquam diaboli inuentum, aut alioqui rem per ſe malam. Quos venturos apoſtolus præuidit & prædixit illis verbis, *prohibentes nubere*, 1 Tim. 4.

Virgo Deo dicata ſi nubat, grauiter peccat.

Noui hæretici Virgines Chriſto conſecratas impellunt ad nuptias.

Veteres hæretici nuptias damnãt.

TRIBVLATIONEM TAMEN CARNIS HABEBVNT HVIVSMODI. Græcè, *Afflictionem autem carni*, ſeu *carne* (τῇ σαρκὶ) *habebunt tales.* Pro *carne* Eraſmus & Hentenius *in carne* verterunt. Syrus exponit *in corpore*. Et ſenſus eſt: Attamẽ huiuſmodi, id eſt virgines, & in vniuerſum cælibes, ſi coniugio ſe copulauerint, multas ſecũdum carnem moleſtias & afflictiones experientur, à quibus liberi ſunt cælibes. Eſt enim vita coniugalis plena moleſtijs, curis, & angoribus: quod genus incommodorum enumerat Chryſoſt. in ſerm. de libello repudij; ac multo latius lib. de virginitate cap. 57. Nec minus copiosè ea percenſet Baſilius libr. de virginitate, vocans inter alia coniugium dolorum officinam. Igitur hic obliquè deterret apoſtolus à coniugio, & ad excellentius bonum inuitat, propoſitis incõmodis coniugij: maximè quod ea talia ſint, quæ mentem hominis plurimum impediant à Dei ſeruitio, vitæque ſpiritualis profectu. Vnde rectè B. Auguſtinus in lib. de ſancta virginitate cap. 16, *Iſtam*, inquit, *tribulationem carnis, quam nupturis prædicit apoſtolus, ſuſcipere tolerandam, perſtultum eßet, niſi meueretur incontinentibus, ne tentante Satana in peccata damnabilia laberentur.*

Vita coniugalis plena moleſtijs.

EGO AVTEM VOBIS PARCO. Hoc quidam ſic interpretati ſunt: Quum dico non peccare eos qui matrimonium contrahunt, id dico parcens veſtræ infirmitati. Sed reijciẽdus eſt hic ſenſus, vt pote ſignificans apoſtolum contrà quàm ſentiret, imo contra veritatem aliquid dixiſſe. Sunt igitur alij duo ſenſus probabiles. Prior huiuſmodi: Nolo pluribus commemorare coniugij incommoda, ne etiam incontinentes cum periculo ſuæ ſalutis abſterreantur à coniugio. Conſulo veſtrę infirmitati dum de his taceo, ac potius remedium nuptiarum oſtendo. Sic Auguſtinus loco proximè citato, & poſt eum Primaſius, cæteriquè ferè Latini: qui tamen & alterum ſenſum à Græcis traditum attingunt, nominatim commentator Amb. iſtum videlicet: Ego autem vobis tanquam filijs parco, cupiens afflictionum & moleſtiarum quæ nuptias conſequũtur, expertes eſſe, ideoque continentiam ſuadeo. Quem commentarium probabiliorem arbitror: tum propter verbum *parco*, quod ad pœnas & afflictiones referre ſolet Paulus, vt Rom. 8, *Proprio filio non pepercit.* 2. Cor. 13. *Si venero iterum, non parcam*: tum propter ea quæ continuò ſubiungit, vtique pertinentia

Triplex huius loci commentarius.

Parcere Paulo quid ſit.

ad ſua-

ad ſuadendam continentiam, & animos à cupiditatibus & curis temporalibus auocandos: vt idem ſit, *Ego vobis parco*, cum eo quod infrà dicit, *Volo vos ſine ſolicitudine eſſe.*

29 HOC ITAQVE DICO FRATRES. Græcè τοῦτο δέ, *Hoc autem* &c.

TEMPVS BREVE EST. Græcè ὁ καιρὸς συνεσταλμένος, id eſt, *tempus contractum*: pro quo Hieronymus ſuper Eccleſiaſtæ 3 legit: *Tempus nunc in angusto eſt*, & lib. 1 aduerſus Iouinianum capit. 13, *Tempus in collecto eſt*, ſecutus in hoc Tertullianum ita legentem lib. 5 aduerſus Marcionem cap. 7 & alibi. Cyprianus autem magis ad verbum, *tempus collectum*, lib. 3 teſtimoniorum cap. 11. Quanquam Hieronymus eodem lib. contra Iouinianum cap. 7 ſemel & iterum, nec non alibi, cum noſtro interprete legit, *Tempus breue eſt*. Poteſt autem hoc duobus modis explicari, iuxta duplicem ſenſum partis præcedentis. Vno modo: Quamuis, inquit, vobis indulgeam propter infirmitatem carnis veſtræ: ne tamen immoderatius obſequamini voluptati quæ eſt in vſu coniugij, illud non taceo, cogitandum vobis eſſe, quàm tempus iſtius vitæ cõtractum, acciſum & breue ſit, ac plerumque ſpe noſtra multo breuius: vt proinde ex eo quàm minimum decerpendum ſit ad voluptates, aut etiam ad curas huius ſæculi, cùm totum debeatur ſtudio ſalutis æternæ. Alter ſenſus eſt, idemque ſimplicior: Dico, & volo cogitetis, quàm breue ſit tempus huius vitæ, & quàm citò tranſeat hoc ſæculum: ita fiet vt de vxore ducenda, deque rebus huius ſęculi curãdis, quibus animus à Deo auocetur, cogitare minus libeat.

Tempus breue quo ſenſu Paulo dicatur

RELIQVVM EST. Hæc pars in quibuſdam Græcis codicibus annectitur præcedẽti: ὁ καιρὸς συνεσταλμένος τὸ λοιπόν ἐστιν, *Tempus contractum de cætero eſt*. Idque voluit Syrus interpres vertente Tremelio: *Tempus deinceps abbreuiatum eſt*. Sic & Theophylactus in commentario & ante eum Baſilius in lib de vera virginitate, & Chryſoſtomus in eiuſdem argumenti libro cap. 73 videntur huius loci textum diſtinxiſſe: & inter Latinos Amb. commẽtator, qui ſic legit: *Tempus abbreuiatum & reliquum eſt*: vt vtrumque adiectiuum cum tempore conſtruatur: quod de poſteriori Græca lectio non permittit. Cæteri Latini tam veteres, quã recentiores, particulã, *reliquum eſt*, ad ſequentia referunt: quorum Tertullianus libro 1 ad vxorem cap. 5, atque alibi, & Hieronymus in epiſtola ad Ageruchiam legunt *Supereſt*, quod idem valet. Habet autem vim ſigni illatiui: quaſi dicat, Ergo agendum quod ſequitur.

Vxorati quomodo ſint tanquam nõ vxorati.

VT ET QVI HABENT VXORES, TANQVAM NON HABENTES SINT. Bifariam hoc intelligi poteſt: vno modo, vt qui in cõiugio ſunt, nõ nimium rei vxoriæ ſint addicti; parcius vxoribus vtantur: idque temporis ad Deo ſeruiendum lucrifaciendi cauſa: quemadmodum ſuprà dixit, *vt vacetis orationi*. Alter, vt qui vxoribus ſuis commiſcentur (id enim interdum ſignificat habere vxorem, vt ſuprà verſu 2) nõ id faciant vt obſequãtur ſuæ libidini, ſed quaſi inuiti, tantùm ob generationis aut reddendi debiti neceſſitatem. Porrò quod de viris dicit habentibus vxores, id ſimiliter intellige de mulieribus habentibus viros. Et obſerua Paulum non dicere: vt qui vxores non habent, accipiant & moderatè vtantur: ſed, *vt qui* iam *habent*, ac ſolutionem quærere non debent, *tanquam non habentes ſint*. Ex quo colligẽdum relinquit hoc quod intendit, quodque ei propoſitum erat: vt qui non habent, maneãt non habentes. Cùm autem apoſtolus velit habentes eſſe tanquam non habentes; bene & acriter è contrario S. Baſilius in lib. de vera virginitate, notat eos, qui non habentes ſunt tanquam habentes. *Qui*, inquit, *cùm ex virginitatis voto vxoribus careant, ac ſi eas habeant ſe agẽtes, virginitati contumeliam faciunt.*

In eos qui nõ habentes vxores ſunt tanquam habentes.

30 ET QVI FLENT, TANQVAM NON FLENTES. Hoc eſt: Quibus triſtia accidunt, quæ ſunt flendi materia, cuiuſmodi plurima occurrunt in matrimonio, non ijs admodum commoueantur: ſed patienter & æquanimiter ferant, vtpote non diu duraturа; ſeque conſolentur ſpe vitæ futuræ.

ET QVI GAVDENT, TANQVAM NON GAVDENTES. Id eſt: Quibus læta obueniunt, quæ ſunt gaudendi materia, non ſint effuſi in gaudium: ſed reprimant ſeſe, conſideratione breuitatis ac vanitatis gaudiorum huius mundi.

ET QVI EMVNT, TANQVAM NON POSSIDENTES. Hoc eſt: Qui res aliquas huius mundi emunt, vel licitè quomodolibet acquirunt, (nam in ſpecie genus intelligitur) non ijs cor ſuum apponant: ſed tantùm habeant eas ad vſus neceſſarios ſuos & proximorum. Annotat Gaigneus verbum Græcum κατέχοντες non ſignificare quomodocumque poſſidentes, ſed eos qui magno ſtudio aliquid tenent ſeu poſſident, & ad retinendum tota cura incumbũt. Atqui Græci interpretes nihil vrgent huiuſmodi. Et conſtat Græcam vocem ſæpe generaliter vſurpari pro eo quod eſt occupare, poſſidere; quemadmodum & Paulus accepit in 2 ad Cor. epiſt. cap. 6, cùm ait: *Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes*. Sicut ergo media vocabula ſunt in tribus membris ſuperioribus, *habentes, flentes, gaudentes*; ſic & in iſto *poſſidentes*: ſed vis ſermonis eſt in aduerbio *tanquam*.

Qui hic dicantur poſſidẽtes.

31 ET QVI VTVNTVR HOC MVNDO, TANQVAM NON VTANTVR. Græcè, ὡς μὴ καταχρώμενοι, *tanquam non abutentes*. Et ita legit Tertullianus lib. de cultu feminarum capit. 9. Hoc autem verbo tam Græcis quàm Latinis vſus vicioſus ſignificari ſolet; vt appareat hũc eſſe ſenſum: Et omnino qui rebus huius mundi vtuntur, non immoderatè nec peruersè vtantur; quod eſſet abuti. Sic enim exponunt Theodoritus, Theophylactus & Oecumenius. In quem ſenſum etiam Syrus interpretatus eſt: *Et illi qui vtuntur mundo hoc, non præter iuſticiam vſus*, ſcilicet vtantur; quæ eſt periphraſis abuſionis. Sciendum tamen compo-

Quo ſenſu vtẽtes ſint tanquam nõ vtẽtes.

ſitum

situm hoc verbum in vtraque lingua sumi interdum pro simplici; quomodo & hic rectè sumitur, etiam Erasmo suffragante, qui nostrum interpretem secutus vertit, *tanquam non vtantur:* quemadmodum & legit Cyprianus in libro de habitu virginum. Ita quoque respondebit præcedentibus quatuor vocabulis medijs; nec redundabit particula *tanquam.* Etenim si vicium sonat καταχρώμενοι, simpliciter dicendum erat; Qui vtuntur hoc mundo, non abutantur. Proinde sensus apostoli esse videtur: vt qui rebus huius mundi vtuntur, vtantur obiter, ac velut in trãscursu, quantum fert necessitas; eoq; modo sint quasi non vtentes.

Huius mundi figura quo sensu præterit.

PRÆTERIT ENIM FIGVRA HVIVS MVNDI. Ratio supradictorum, eadem ferè cum eo quod prius dixit, *Tempus breue est.* Figura Græcè σχῆμα, quod interpres aliàs habitum vertit, vt Philip. 2, *Habitu inuentus vt homo.* Sicque legit hanc partem Tertullianus lib. de pudicitia cap. 16, & de cultu feminarum ca. 9. nec non Irenæus Latinus lib. 5 cap. 35. Sensus autem est: Tota huius mũdi facies & dispositio, secundum quod venit in vsus nostros, transitoria est, aliquando cessabit, succedente eius statu longè alio, sempérque duraturo. Non ergo debemus præsentibus immorari, & adhærescere: ne & ipsi cum mundo transeunte transeamus. Metaphora est à scenis comicis aut tragicis sumpta, quæ subitò cum personis mutantur. Græcum verbum παράγει significat etiam *seducit, decipit.* atque ita vertit hoc loco & exponit Stapulensis: quem & Caietanus secutus est: nec improbat Gaignæus. Sed bene refellit hoc in suis annotationibus Erasmus. Nam passim accipitur in sacris literis pro præterire, abire, vt psal. 128, *Et non dixerunt qui præteribant.* & 143, *Dies eius sicut vmbra prætereunt.* Matt. 20, *Audierunt quia Iesus transiret.* Ioan. 9. *Et præteriens Iesus* &c. Vbi seducere significet in scriptura, legisse non memini. Quod si vertas *decipit*; bonum quidem sensum efficies, quo significetur homines falli blanda specie rerum huius mundi: verùm sensus lectionis vulgatæ multo melius quadrat contextui. Ex quo præterea intelligitur, eas scripturas quæ cælum & terram peritura significant, vt psal. 101, Matt. 24, 2 Pet. 3, non de interitu substantiæ illorum accipienda esse, sed de qualitatum immutatione, qua fiat vt mundus quasi nouã formam induat. Quod verbo significauit Hieronymus super Isaiæ 65 dicens: *figura præterit, non substantia.*

Cælum & terra peritura quo sensu dicantur.

32 VOLO AVTEM VOS SINE SOLICITVDINE ESSE. Rursus exhortatio est à commodo. *Volo,* id est velim, vt suprà, *Volo omnes vos esse sicut meipsum. Sine solicitudine,* Græcè ἀμερίμνους, quasi dicas *incurios,* id est *solicitudinis expertes.* Ideo vos inquit, dehortor à coniugio, vt eximam solicitudinem rerum temporalium; quo liberius vacare possitis rebus diuinis. Hanc enim solicitudinem intelligi, nõ autem quamcumque, sequentia declarant, in quibus duplicem solicitudinem distinguit, alteram volens à Corinthijs remouere, alteram eis commendans.

Cuius solicitudinis expertes nos esse velit apostolus.

Duplex solicitudo.

QVI SINE VXORE EST, SOLICITVS EST QVÆ DOMINI SVNT. Confert cælibem & coniugatum inter se, quantum ad curas & studia cuique propria. *Qui sine vxore est,* Græcè ὁ ἄγαμος, id est *cælebs,* vt referri possit ad vtrũque sexum: tametsi Paulus de viro solum hic intendit loqui, statim acturus etiam de sexu muliebri. *Cælebs* legitur apud Cyprianum tractatu de habitu virginum, & lib. 3 testimoniorum cap. 32. *Solicitus est,* Græcè μεριμνᾷ *curat.* Et est sensus: Qui caret vxore, cùm sit vacuus à curis quibus implicantur vxorati; magnam habet opportunitatem occupandi se totum cogitatione earum rerum quæ Domini Christi sunt, id est quæ spectant ad æternam salutem.

Quid solicitum esse quæ Domini sunt

QVOMODO PLACEAT DEO. Græcè, *Quomodo placebit Domino,* scilicet Christo; vt sit explicatio eius quod dixit, *quæ Domini sunt.* Placetur autem Christo per opera pietatis. Considerat apostolus Christum Dominum nostrũ, & nos seruos eius empticios; quorum est ea solicitè curare & agere, per quæ Domino sũo placituros se sperent.

33 QVI AVTEM CVM VXORE EST, SOLICITVS EST QVÆ SVNT MVNDI. *Qui cum vxore est,* ὁ γαμήσας *coniugatus, vxoratus. Solicitus est,* μεριμνᾷ *curat.* Qui, inquit, vxorem duxit, propter matrimonium implicatur, velit nolit, curis huius mundi, quas secum trahit matrimonij status: vt proinde non possit liberè vacare Deo.

QVOMODO PLACEAT VXORI. *Placeat,* Græcè *placebit.* Vt enim pax conseruetur inter coniuges, necesse est vt alter alteri placere studeat, & mutuis officijs inuicem obsequantur.

Quo sensu diuisus qui vxorẽ habet.

ET DIVISVS EST. *In multas scilicet solicitudinum partes miseriarumq; distractus,* vt ait Hieronymus lib. 1 contra Iouinianum cap. 7. Alij sic: *Diuisus est,* id est distractus curis quasi cõtrarijs; dum hinc nititur curare quæ Domini sunt, quatenus Christianus est: inde cogitur curare quæ mundi sunt, quatenus est coniugatus. Ergo diuisus, quia duorum quasi dominorum seruus, Christi & vxoris ad diuersa vocantium. Nam quod vir seruus sit vxoris, vt eum appellat Hieronymus aduersus Iouinianum lib. 1 cap. 6, constat ex superioribus. Non enim ipse sui corporis habet potestatem, sed vxor. Vnde & mundo seruire cogitur propter vxorem. Et hæc quidem iuxta lectionem codicum Latinorum penè omnium. Sicque legunt & exponunt Pelagius, Primasius, Haimo, cæteríque post eos Latini commẽtatores. Iuxta quos etiam sequitur.

Vir seruus vxoris.

34 ET MVLIER INNVPTA ET VIRGO COGITAT QVÆ DOMINI SVNT. Quæ dixit de viro, repetit in sexu muliebri. *Cogitat,* Græcè μεριμνᾷ *curat,* quod iam semel & iterum verterat *solicitus est.* Sensus est: Mulieré innuptam, quod à curis coniugalibus libera sit, speciali-

ter

ter autem virginem, quæ carnis voluptatem non est experta, totam sine impedimento vacare posse ad ea quæ sunt Christi Domini. Hieronymus lib. 1 contra Iouinianum cap. 7 putat eandem intelligi posse mulierem innuptam & virginem. Alij mulierem innuptam interpretantur viduam. Atqui plenior est sensus quem dedimus, quemque dicto loco simpliciter probat Hieronymus, vt mulier innupta ad viduas etiam, & quascumque continentes extendatur. Hæc, vt ante dixi, lectio Latinorum est codicum atque interpretum. Citantque ad hunc modum Ambrosius initio libri de viduis, & Fulgentius epistola 2 cap. 5, & epistola 3 cap. 7. Cyprianus autem vtroque loco superius indicato non legit illud, *diuisus est*, aut *diuisa est*: sed tantum, vno quidem loco, *Sic & virgo & mulier innupta cogitat quæ* &c. Altero: *Sic & mulier & virgo: innupta cogitat quæ* &c. Quod ad Græcorum lectionem nonnihil accedit. Etenim Græci locum hunc aliter omnino quàm Latini legunt ac distinguunt. Nam post illud, *quomodo placeat vxori*, sic habent: *Diuisa est mulier & virgo. Innupta curat quæ Domini sunt*. Quibus cõsonat textus Syriacus in quo sic legitur: *Differentia est inter vxorem & virginem. Ea quæ viro non est cogitat quæ Domini sunt*. Græcis codicibus suffragantur Græcorum omnium commentarij, (dempto Theodorito, qui partem hanc non attingit) ac præterea Basilius in libro de vera virginitate: & inter Latinos Tertullianus lib. de velandis virginibus capit. 4. Hieronymus de custodia virginitatis ad Eustochium cap. 9, & aduersus Heluidium capit. 10, & commentatores Ambrosiaster & Sedulius. Cæterùm Augustinus de bono viduitatis cap. 2, & de bono coniugali capit. 10 sic legit: *Diuisa est mulier innupta & virgo. Quæ innupta est, solicita est ea quæ sunt Domini* &c. Quæ lectio Græcorum est: nisi quod priori parte additum habet *innupta*. Et tamen sic Augustinum scripsisse, non autem *nupta*, quod legitur in impressis exemplaribus libri de bono coniugali, constat ex priori loco, vbi non legit tantum *innupta*, sed etiam exponit. Veruntamen notandum quod Hieronymus alibi, id est lib. 1 contra Iouinianum cap. 7 scribit, hanc quidem suo tempore fuisse Latinorum codicum lectionem, quam & ipse tractauerit alicubi: verùm alteram, quæ nunc in nostris est Latinis, affirmat esse veritatis apostolicæ. Ex quo liquet in Latinis codicibus id olim fuisse quod nunc est in Græcis; id autem quod nunc in Latinis est, ex Hieronymi castigatione nos habere: ac proinde & ipsa Græca illius tẽporis variasse. Non enim transtulit quod in Græco non legit. Affirmat autem se transtulisse. Sed nec hodie desunt exemplaria Græca Latinis conformia. Annotat eiusmodi duo mss. Robertus Stephanus. Tertium ex typographia Simonis Colinæi profectũ anno 1534, obseruauit Franciscus Lucas. Quin & sequitur atque exponit hanc nostrorum codicum lectionem catena Geneuensis, Græca lectione dissimulata. Quę quidẽ lectio, si quis propius attendat, inepta meritò videatur ad sensum quem reddunt interpretes. Quis enim vel Græcè vel Latinè sic loquitur: Dissidet Aristoteles & Plato: pro eo quod diceretur, dissidet Aristoteles à Platone; aut verbo plurali, dissidẽt Aristoteles & Plato? Ita dicẽdũ hic fuisset, *Diuisa est mulier à virgine*: iuxta quam formã vertit Hentenius id quod legit in Oecumenio, *Diuisa est coniugata à virgine*: vel potius in plurali, μεμερισμέναι εἰσὶ *diuisæ sunt mulier & virgo*. Nam cur Erasmus verterit, *Diuisa sunt hæc duo, mulier & virgo*; quum Græcè sit μεμέρισται, *diuisa est*, nec adsit suppositum plurale neutrum, quod verbo numerum suum communicet, ipse viderit. Illud addo Paulum esse locutum more scripturæ, quo diuisum aliquid dicitur quia partes habet aut membra inter se dissidentia, vt Matt. 12, *regnum diuisum, ciuitas, domus diuisa*. Similiter Marc. 3 & Luc. 11. Item Act. 14, *Diuisa est multitudo*. & huius epistolæ cap. 1, *Diuisus est Christus*? licet interdum addatur *in se, aduersum se*. Sic Paulo vir vxoratus *diuisus est* in seipso, nimirum studijs actibusque contrarijs. Porrò sensus Græcæ lectionis, vt eam acceperunt Græci commẽtatores, & Basilius suprà citatus, eiusmodi est quem expressit versio Syriaca: Diuisæ sunt ac differunt inter se studijs & curis quodammodo contrarijs. nupta mulier & virgo, seu mulier innupta. Hæc enim curat ea quæ Domini sunt iuxta sensum superius datum.

VT SIT SANCTA CORPORE ET SPIRITV. In Græco geminatur coniunctio *& corpore & spiritu*: quemadmodum & in multis Latinis etiam vetustis. Exponit apostolus quod dixit, *cogitat quæ Domini sunt*. Hoc enim studium est, hæc cura & cogitatio mulieris innuptæ & virginis; *vt sit sancta corpore & spiritu*. *Sancta corpore*, id est vt corpus habeat atque conseruet mundum à fœditate libidinis, sine qua nõ est actus coniugalis. *Sancta spiritu*, vt ad mundiciem corporalem etiam animi puritas accedat, qua mulier huiusmodi Deo propinquior, & ad ea cogitãda quæ Domini sũt, aptiõr reddatur. Quamuis igitur etiam mulier nupta suo modo possit ac debeat esse sancta corpore & spiritu, dum se continet intra fines honesti ac Christiani matrimonij, (nam quomodo non sancta, per quam *sanctificatus est vir infidelis*? suprà versu 14) multo tamen eminentior in muliere innupta, præsertim in virgine, sanctitas commendatur, vt quæ prorsus aliena sit ab opere & voluptate carnali. Qua consideratione negat Primasius nuptam esse sanctam corpore & spiritu: Suo tamen modo sanctam esse & corpore & spiritu, docet atque ex scripturis probat Augustinus lib. de bono viduitatis cap. 5 & 6, & de bono coniugali cap. 11. Scripturæ sunt: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*. suprà cap. 3. *Membra*, seu *corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est*. cap. 6. *Sit aliquando & sancta*

Mulier innupta Pauloqua dicatur.

Græca lectio diuersa a Latina.

Latina lectio sinterior.

Græca lectio refellitur.

Innupta corpore & spiritu sancta, potius quã nupta.

Ecclesia sancta etiam in cõiugatis.

mulieres sperantes in Deo, ornabant se subiectæ proprijs viris. 1 Pet. 3. Nam & ecclesia non in solis virginibus atque innuptis sancta est, sed in ijs etiam qui casto coniugio copulati sunt. Notandus hic locus contra hæreticos, qui docent virginitatis studium ab apostolo commendari solùm eo nomine quod hominem expeditum reddat à curis huius mundi; non autem quod per se Deo placeat.

QVÆ AVTEM NVPTA EST, COGITAT QVÆ SVNT MVNDI: QVOMODO PLACEAT VIRO. Græcè *placebit*. Hæc altera pars est discriminis; cuius sensus patet ex superioribus. Cæterùm nõ ideo quis suspicetur nuptias esse malas, quod secundum apostolum, cõiugati curare seu cogitare cogantur ea quæ mũdi sunt, & quomodo suis coniugibus placeant: Nam cogitare quæ sunt mundi, id est rerum temporalium habere solicitudinem, non est malum; vti nec studium placendi coniugi, dum tamen vtrumque refertur ad bonum finem, illud quidem, vt liberi honestè secundum Deum educentur, hoc autem vt seruetur pax & amor inter coniuges, & auertantur occasiones violandi tori coniugalis; denique tam hoc quàm illud, ad Dei seruitutem, amorem & gloriam. Quanquam suo genere multo melius est, simpliciter & sine auocamentis sęculi cogitare ea quæ Domini sunt, & quomodo placeatur Deo: maximè cùm perdifficile sit inter solicitudines domesticas & amores coniugales, animum purum, & ad ea quæ Domini sunt intentum sic conseruare, vt non sæpè sordes ex sæculo & carne contrahat. Vide S. Augustinũ de bono coniugali cap. 12.

Cogitare quæ mũdi sunt, non est malũ.

Cogitare quæ Domini sũt, multo melius.

35 PORRO HOC AD VTILITATEM VESTRAM DICO. Quoniam superiora verba continent exhortationem ad cælibatum, nunc eam moderatur & exponit, ne videatur esse præceptiua. Græcè ad verbum: *Hoc autem ad vestrum ipsorum conducibile dico*, id est *ad vestram vtilitatem*, vt noster vertit. Est enim Paulo frequẽs concretum ponere pro abstracto. Sensus autem est; Quod tam studiosè vobis commẽdo τὴν ἀγαμίαν, id non aliorsum facio, quàm vt vestram curem ac promoueam vtilitatem, nempe spiritualem. Hanc enim superius declarauit, & statim rursus explicat.

Paulus non vult laqueum iniicere incõtinẽtibus.

NON VT LAQVEVM VOBIS INIICIAM. Quod facerem, si præcepti necessitate vos constringerem ad abstinentiam matrimonij. Esset enim eiusmodi præceptum laqueus ijs qui cõtinere nõ possunt; quia necessitate quadam impelleret eos in peccatum fornicationis; vtpote prohibitos à remedio suæ incontinentiæ, id est à coniugio. Metaphora laquei desumpta ab aucupibus.

Pulcritudo virginitatis cum turpitudine oppositæ.

SED AD ID QVOD HONESTVM EST. Supplenda sententia repetitione verbi superioris: Sed hoc dico vos adhortans *ad id quod honestum est*, Græcè πρὸς τὸ εὐσχήμον, *ad id quod decorum*, siue *pulcrum est*. Quo nomine pulcritudinem virginitatis oppositam turpitudini, quæ in concubitu est, indicare voluit apostolus; vt proinde non sit necesse, quod quidã hic faciunt, positiuum per comparatiuum exponere, *honestum*, id est honestius. Nam & mẽbra quędam corporis propter eãdem causam ἀσχήμονα *inhonesta*, *indecora* Paulus appellat infrà cap. 12. Cæterùm Erasmus Hieronymum imitatus vtrumque coniunxit, *quod honestum ac decorum est*. Vnde refellitur eiusdem Erasmi sententia, quam cum sectarijs habet communem, in verbis apostoli bonum virginitatis & continentiæ prædicantis, bonum accipi pro commodo. Nam genere differunt bonum honestum & commodum.

ET QVOD FACVLTATEM PRÆBEAT SINE IMPEDIMENTO DOMINVM OBSECRANDI. Duo postrema verba variè leguntur in exemplaribus Latinis tam mss. quàm impressis. Pleraque recentiora habẽt *Dominum obsecrandi*: quod sensum habet promptum & facilem, & conuenientem cum eo quod suprà dixit Paulus, *vt vacetis orationi*, & quod Petrus 1 epist. 3, *vt non impediantur orationes vestræ*. Quædam verò habent, *Domino obsecrandi*. Quod Liranus sic interpretatur, *Domino obsecrandi, id est sacrè seruiendi*. Carthusianus autem, *Domino obsecrandi, id est Deum per sacra inuocandi*. Vetustiora non pauca, & in his codex Donatianus, & duo Constantienses, citante Erasmo legunt, *Domino obseruandi*. Atque eo modo legisse se declarat author glossæ interlinealis, dum supplet reciprocum *se*: *Domino se obseruandi*: licet textus illic habeat *obsecrandi*. Nam *Domino se obsecrandi* non facit sensum. Similiter exponit Lombardus, *obseruandi se Domino*. Nec secus Hugo Carrensis: itemque Thomas Aquinas, cuius commentarius sic habet: *Ad illud quod facultatem præbeat alicui obseruandi se in Domino, id est ad seruitium Domini*. Vbi tamen suspicor *in* adiecticium esse, cùm sine eo legant & exponant alij quos dixi: meliusq; datiuo *Domino* respondeat expositio S. Thomæ, *id est ad seruitium Domini*. Pro eodem casu faciunt Græca τῷ κυρίῳ. Quanquam sunt alij codices quos in biblijs castigandis secuti fuêre Louanienses, qui pro casu dante legant accusantem, *Dominum obseruandi*. Quo videtur alluisse Tertullianus lib. 2 ad vxorem capit. 3 dicens: *Quæuis fidelis mulier Dominum obseruet necesse est*. Cõijcit Erasmus ex eo quod in multis codicibus legitur *Domino obseruandi*, primam scripturam fuisse, *Domino obseruiendi*. Ac ita sanè legitur apud Gregorium parte 3 curæ pastoralis admonitione 28, in editione Basilienși & alijs posterioribus. Sed ea lectio an sit incorrupta, multum dubito. Nam in codice Gregorij manuscripto Aquicinctẽsis cœnobij, qui nobis ad manum erat scribenti, legitur Domino obsecrandi: & in vetusto quodam impresso, qui nec locum nec annum habebat asscriptum, *Domino obseruandi*: quod facilè postea per Erasmi coniecturam mutari potuit in *obseruiendi*: lectionem alioqui nullis huius epistolæ, quod sciam, autographis probatam. Certè vel ideo magis placere debet

Varia lectio huius loci.

obſeruandi quam *obſeruicēdi* vocabulum: quod obſeruire ſit inuſitatum, quo nec vſquam alibi ſcripturæ interpres vtitur, nec quiſquā alius ſcriptor: & obſeruare magis, opinor, ad Græcam vocem accedat. Si qui codices haberent *Domino deſeruiendi*, probari poſſet ea lectio ex capite 9, *Qui altari deſeruiunt*. Nam illic Græcè eſt παρεδρεύοντες, *qui aſſident*, Eraſmus, *qui aſſiſtunt*, verbum reſpondens compoſito nominι quod hic legitur, πρὸς εὐπάρεδρον τῷ κυρίῳ ἀπερισπάστως. Nam quod in nonnullis codicibus à Roberto Stephano ſignatis legitur εὐπρεδρον, nihil diuerſum ſignificat. Quod autem in alijs, εὐπαρέδρευτον, id eſt *acceptum*, minus quadrat. Cæterùm plurimi codices habent εὐπαρέδρον, quemadmodum & Græcos expoſitores legiſſe probant eorum commentarij. Sic autem & Hieronymus legit lib. 1 aduerſus Iouinianum cap. 7, vbi teſtatur hæc verba *in Latinis codicibus ob tranſlationis difficultatem penitus non inueniri*: quoniam, inquit, *proprietatem Græcam Latinus ſermo non explicat*: Vt hæc ſit cauſa, cur apud antiquiores commentatores Ambro. Pelagium, Primaſium, Sedulium, Haimonem, hæc pars non legatur expoſita; niſi quod Sedulius, neſcio quo vſus interprete, tantum habet, *vt ſit frequens oratio*. Nec putabit Auguſtinum legiſſe, qui conſideret ea quæ diſſerit de bono viduitatis cap. 5. Græca quidem verborenus ita ſonant: *Et bene aſſidens Domino indiſtentè*, ſeu *indiuulsè* & *indiſtractè*. Quæ Hieronymus, adiunctà parte ſuperiori, ita transfert eodem loco: *Sed vt ad id quod honeſtum eſt* (infrà, & *decorum*,) *& intentè facit ſeruire Domino abſque vlla diſtractione* (pro qua paulo pòſt *diſtentione*) *vos adhorter*. Eraſmus hoc modo: *Sed vt quod honeſtum ac decorum eſt ſequamini: & adhæreatis Domino abſque vlla diſtractione*. Stapulenſis concretis in abſtracta mutatis ſic interpretatur: *Sed ad honeſtatem & bonam perſeuerantiam, ſiue aſſiſtentiam immobiliter Domino præſtandā*. Gaignæus Græco propiùs *aſſidentiam vocat*. Arbitror autem clariorem fore ſententiam, ſi Græca ſuppleas verbo ſubſtantiuo, ſicque legas: πρὸς τὸ εὐπάρεδρον εἶναι &c. Tū vertere licebit ad hunc modum: *Sed ad id quod honeſtum eſt, &* (ad id quod eſt) *aſſiduum eſſe Domino ſine diſtractione*. Quod igitur in noſtris eſt *ſine impedimento*, hoc eſt *ſine diſtractione*: quam multiplicem adferunt affectus & curæ coniugales. Sūma eſt, apoſtolum hortari Corinthios ad id quo facilè & expeditè queant Domino adhærere & aſſiduè adeſſe. quomodo, non ſine myſterio huius rei ſignificandæ, Domino aſſidebat Maria Marthæ ſoror: de qua refert Lucas cap. 10, quod *ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum eius*. Similis quædam ſignificatio eſt in obſeruandi vocabulo ex interpretatione Hieronymi 1 Reg. 2, *Cū mulieribus quæ obſeruabant ad oſtiū tabernaculi*. Quo fit vt præ cæteris magis placeat lectio *obſeruandi* ſeu *Domino*, ſeu *Dominum*. Nā qui dominū aut magiſtrū obſeruat, aſſiduus ei eſt & adhęrēs: & perpetuò pēdēs ab ore vel præcipiētis vel docētis.

Cur hæc pars à ſeueribus Latinis prætermiſſa.

Loci huius explicatio germana.

36 SI QVIS AVTEM TVRPEM SE VIDERI EXISTIMAT SVPER VIRGINE SVA QVOD SIT SVPERADVLTA. Quia dixerat ſe hortari ad id quod honeſtum & decorū eſt: ne quis obijciat inhoneſtū atque indecorū haberi, quod virgo iam adulta non detur nuptui; ad id reſpōdet, de patre ſeu de cuſtode virginis loquens, hoc verſu & duobus ſequētibus. Hāc partē ex Græco clarius & magis ad verbum ita reddas: *Si quis autem indecenter agere ſuper virginem ſuam ſe exiſtimat*. Verto cū noſtro interprete *ſe exiſtimat*. Nā in talibus vſu Græci ſermonis ſubauditur pronomen. Quod miror Eraſmū & alios quoſdam interpretes non animaduertiſſe. Sic capite ſequenti: *Si quis ſe exiſtimat ſcire aliquid*. & ca. 10, Qui *ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*. & Iaco. 1, *Si quis putat ſe religioſum eſſe*. & in fine huius capitis, *Puto & ego Spiritum Dei me habere*. Sēſus igitur eſt: Si quis turpe & probroſum ſibi putat de filia ſua virgine, quæ ætatem nubilem dudum impleuerit; ſubaudi, quod eā non elocet viro. Solet enim vulgus obloqui, ſi quis illocatam ſeruet domi filiam. Et Græca ſcholia de patre carnaliter adhuc ſapiente ſententiam hanc interpretantur.

Virgo ſuperadulta quæ dicatur.

ET ITA OPORTET FIERI. *Oportet*, Græcè ὀφείλει *debet*. Sēſus; & ſi ita potius fieri debere putat, vt eam elocet. Quidam iſtud *oportet* exponunt ob periculum incontinentiæ virginis. Sed ſi id vellet apoſtolus, potius diceret: ſi ſe non continet, nubat: non autem hoc quod ſequitur.

QVOD VVLT FACIAT. Id eſt, liberum ſit ei elocare filiam aut non elocare. Neutrum facere prohibetur. Quidam hoc modo: *Quod vult virgo, faciat cuſtos*. Sed præter mentē apoſtoli, qui in conſequentibus manifeſtè de voluntate patris oſtēdit ſe loqui. Cur autem voluntatem patris ſeu cuſtodis nominet, non virginis, infrà dicemus.

NON PECCAT SI NVBAT. Id eſt, non peccat pater, ſi eo authore nubat filia. Veruntamen hoc negatiuo ſermone quo dicit, *non peccat*, ſatis ſignificatur non eſſe magnum bonum nubere; vt à quo tantum apoſtolus peccatum remoueat. Notandum in Græcis & Syris codicibus, ac nonnullis etiam Latinis, abeſſe cōiunctionem *ſi*. Et pro *nubat* in Græco legi verbum pluralis numeri γαμείτωσαν, quod Eraſmus vertit, *iungantur in matrimonio*; Theophylacti interpres, *contrahant matrimonium*; Hentenius Oecumenij interpres, *elocent*. Et hoc rectius: Nam Græcum verbum actiuum, vel de eo dicitur qui matrimonio iungit, vel de eo qui ducit vxorem: non autem niſi rariſſimè, de muliere quæ nubit. Igitur iuxta hanc lectionem, qua repente mutatio fit numeri ſingularis in pluralem, ſenſus eſt: Parentes ſi volunt, elocent filiam ſuam in matrimonium. Atque hunc ſenſum obſeruare eſt in commētario Theophylacti & Oecumenij. Sequitur nunc de patre ſeu cuſtode virginem ſeruante.

Nubere non eſt magnum bonum.

37 NAM QVI STATVIT IN CORDE SVO

FIRMVS. Græcè, *Qui autem ſtat firmus in corde.* Nam *ſtatuit*, id eſt *decreuit*, ex Græco verti poſſe non arbitror. Græci quoque expoſitores *ſtat*, non *ſtatuit* intellexerunt. Quanquam vtrouis modo vertatur, ſenſus eodem redit. Qui verò, inquit, ſtabile ac firmum habet animi propoſitum, nec mouetur vulgi ſermonibus, vt ſecus faciat quam conſtituit apud ſe:

NON HABENS NECESSITATEM. Scilicet præcepti. Nam ſuprà dixit; de virginibus ſe præceptum Domini non habere, ſed cõſilium dare. Quocirca minus rectè Caietanus & alij quidam neceſſitatem interpretantur eam qua quis ob inopiam dotis, aut deformitatem, aut aliam ſimilem ob cauſam, filiam cogitur illocatam ſeruare. Eodem loco habendus eſt & ille cuiuſdam commentarius: *Non habens neceſſitatem*, id eſt, qui ſeruus non ſit, vt pendeat ex alterius voluntate: ſed liber, vt poſſit elocare filiam cui voluerit. Obſtat etiam huiuſmodi gloſſis id quod protinus ſubiungitur, *ſeruare virginem ſuam:* quod emphaticè dici non eſt dubium.

Quæ neceſſitas hic intelligatur.

POTESTATEM AVTEM HABENS SVÆ VOLVNTATIS. Græcè, *Poteſtatem autem habet circa propriam voluntatem:* Hoc eſt, voluntatem habet à neceſſitate ſeu coactione præcepti liberam: vt poſſit ſine peccato vtrumuis eligere. Etſi verò his verbis, quemadmodum & illis ſuperioribus, *Quod vult faciat*, expreſsè tantum ſignificetur libertas à præcepto: conſequenter tamen ex ijs colligitur etiam libertas arbitrij, quæ in eligendo conſiſtit. Vult enim apoſtolus ſic liberam eſſe voluntatem cuiuſpiam à præcepto, vt ei liceat vtrumlibet eligere, provt placuerit. Proinde rectè his ſcripturis vtuntur orthodoxi aduerſus hęreticos, qui liberum arbitrium hominibus adimũt. Simul notandum, vtrobique in voluntate patris etiã intelligi voluntatem filiæ, ſine qua conſtare non poſſet eius matrimonium. Solum autem patrem nominauit, quia ſolent honeſtę puellæ negocium ſui matrimonij parentibus relinquere, ſeque quod ad hanc rem pertinet, eorum voluntati conſentiendo permittere. Qua tamen in re prudentes illos eſſe oportet: vt de filia nihil ſtatuant, niſi prius bene perſpecta eius voluntate ac propenſione. Nam reuera parentum iſta libertas, ſiue poteſtas de qua hic loquitur apoſtolus, à voluntate filiæ dependet.

Libertas arbitrij ſtatuitur ex hoc loco.

In voluntate patris intelligitur voluntas filiæ.

ET HOC IVDICAVIT IN CORDE SVO. Id eſt, maturo iudicio apud ſe decreuit ac ſtatuit hoc quod ſequitur,

SERVARE VIRGINEM SVAM. *Seruare*, Græcè τὸ τηρεῖν, *vt ſeruet.* Subauditur enim ἕνεκα cauſale. Itaque non tantùm obiectum decreti, ſed & finis conſilij paterni ſignificatur. Is eſt, *vt ſeruet ſuam virginem* cogitantem *quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu:* ſicut dictum eſt ſuprà.

BENE FACIT. Hoc ad diſtinctionem patris elocantis filiam: de quo tantum dixerat, *non peccat.* Sed quoniam in humanis actionibus omne quod non eſt peccatum, bene fit, vt annotant Theophylactus & Oecumenius; ac proinde & qui elocat filiam ſuam, ſi non peccat, bene facit: idcirco Paulus ſequentibus verbis apertum profert diſcrimen inter elocantem & non elocantem.

Nullus actus humanus indifferẽs

38 IGITVR ET QVI MATRIMONIO IVNGIT VIRGINEM SVAM, BENE FACIT. Græcè tantum eſt: *Itaque qui elocat nuptui, bene facit.* Interpres, vt plena eſſet oratio *virginem ſuam* adiecit, non de ſuo, ſed ex parte præcedenti. Senſus eſt: eum qui filiam ſuam elocat in matrimonium, rem bonam facere. Bonam intellige, non ſolum ratione finis quem ex eo opere intendit & conſequitur pater, dum id agẽs conſulit pudicitiæ & ſaluti filiæ ſuæ, ac ſuæ famæ: qua ratione dictum eſt ab Eccleſiaſtico cap. 7, *Trade filiam, & grande opus feceris.* verùm bonam ex natura operis; quia matrimonium res ſecundum ſe bona eſt, inſtitutionem habens à Deo.

Matrimonium res obiecto bona.

ET QVI NON IVNGIT, MELIVS FACIT. Græcè, *Qui verò non elocat nuptui, melius facit*, id eſt, rem facit meliorẽ & præſtantiorem, ſcilicet genere ſuo. Ratio patet ex ſuperioribus. Et vim habet conſilij quod dicit, *melius facit*; vt annotant commentatores. Dixi *bene* & *melius* intelligenda quantum ad naturam & genus operis: Alioqui, contingit interdum ex alijs cauſis & adiacentibus hanc comparationem non eſſe perpetuam. Imò poterit vtrumlibet opus ex fine vel alia circumſtantia viciari, tam à parte filiæ quàm patris. Quod enim dicit apoſtolus de patre elocante filiam, *bene facit:* & non elocãte, *melius facit;* id totum pari ratione intellige de ipſa filia nubente, vel non nubẽte; ac generatim de viris & feminis cõtrahentibus matrimoniũ, vel ab eo abſtinẽtibus; cũ exceptione tamẽ eorũ qui ſemel ad cõtinẽtiã ſpõte ſeſe voto, aut lege ſuſcepta aſtrinxerũt: qui profectò ſi nuptias appetãt, non bene faciũt, ſed præuaricationis rei ſunt, aut etiam perfidiæ in Deum, ac ſacrilegij crimen incurrunt: quemadmodum annotauimus ad illud: *Quod ſi non ſe continent, nubant.* Ex hoc loco, ſimul ex toto ſuperiori contextu palã deſtruitur error hæreticorũ noſtri tẽporis, qui vetus Iouiniani dogma renouãtes, coniugium æquant virginitati. Refellitur item cõmentarius, quo bonũ in hoc capite interpretãtur cõmodum, quod moleſto opponitur. Hoc enim pacto cõiugiũ erit malũ, vtpote res moleſtiarum plena. Atqui dicit apoſtolus, eũ bene facere qui matrimonio iungit filiã ſuam: ſed melius, qui non iũgit. Non ergo bonũ intelligit cõmodum. Sic enim nõ bene, ſed malè faceret, qui filiã matrimonio iũgeret, vt qui multis eã incõmodis quæ in matrimonio ſunt, obijceret. Quare cõſequens eſt intelligi bonum morale, & in eo quod dicit *bene*, & in eo quod dicit *melius*. Sequitur doctrina de ſecundis nuptijs.

Continẽtia melior.

Hæc comparatio quomodo accipiẽda.

Error eorum qui coniugiũ æquant virginitati deſtruitur.

Male bonum per cõmodum exponitur

39 MVLIER ALLIGATA EST LEGI. Græcè, δέδεται νόμῳ, *ligata eſt legi*, vel potius *legi*,

ſcilicet

ſcilicet matrimonij, vt diſcedere à ſuo viro & alij nubere non poſſit. Quæ interpretatio magis placet propter locum ſimilem Rom. 7, qui ſicut in Græco legitur, huiuſmodi interpretationem planè videtur exigere, quemadmodũ illic oſtendimus: vbi & illud expoſitum eſt, quam legem Paulus intelligat: eam nimirum quæ continetur his verbis: *Relinquet homo patrem ſuum & matrem: & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna*. Sciendum tamen illud *legi* à multis veteribus, præſertim Latinis, non legi. Tertullianus lib. de monogamia cap. 11, & Cyprianus lib. 3 teſtimoniorum cap. 62, citant hoc modo: *Mulier vincta eſt, quamdiu* vel *quantum temporis viuit vir eius*. Æquè non agnoſcunt Hieronymus lib. 1 contra Iouinianum cap. 8, & in apologia cap 2. Auguſtinus de bono viduitatis cap. 4 & 12. & lib. 2 de adulterinis coniugijs cap. 3 & 4. Nec legiſſe videntur commentatores Ambroſ. Pelagius, Primaſius, Sedulius & Carthuſianus: quia nõ exponunt: licet textui apud illos, excepto Primaſio & Carthuſiano, inſertum ſit. His accedit ex Græcis Baſilius lib. de vera virginitate, & codex apoſtoli Græcus Vaticanus miræ antiquitatis, teſte Mariano in ſcholijs ſuper Hieronymum Huc denique facit antitheſis apoſtoli, *ligata eſt, liberata eſt*. Quam & Hieronymus attendit in epiſtola ad Ageruchiam cap. 2 dicens: *Viuente viro mulier alligata eſt, & mortuo ſoluta*. Sanè fieri potuit vt ea dictio *legi*, tam in Græcis quàm in Latinis codicibus huc trãſſcriberetur ex loco ſimili quem dixi, Rom. 7. Senſus autem clarus eſt: mulierem ligatam eſſe vinculo coniugij:

QVANTO TEMPORE VIR EIVS VIVIT. Pro quo Rom. 7, *viuente viro*, ſiue, vt eſt Græcè: *viuenti viro*. Ex vtroque autem loco rectè docent Theologi, inſolubile eſſe matrimonium vtroque cõiuge viuẽte. Idq; ex profeſſo tradit, hac potiſſimum vtens ſcriptura, Chryſoſtomus in ſermone de libello repudij. Intellige verò dictum apoſtoli, extra caſum quem ipſe dudum excepit illis verbis, *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat. Non enim ſeruituti ſubiectus eſt* &c. Et quia de matrimonijs conſummatis apoſtolo ſermo eſt; nihil quoq; eius doctrinæ obſtat diſſolutio matrimonij inconſummati, quæ fit in eccleſia per religionis ingreſſum alterius coniugum: vti declarauimus ad dictum locum Rom. 7.

Coniugiũ inſolubile quamdiu vtroque coniuge viuit.

QVOD SI DORMIERIT VIR EIVS. Græcè, *Si autem & dormierit* &c. Verũ & redundare videtur. Qui pleonaſmus Paulo nõ infrequẽs. *Dormierit*, id eſt mortuus fuerit, vt exponitur Rom. 7. Obſeruandum eſt de ſolis hominibus mortuis dicere ſcripturã tam veteris quã noui teſtamẽti, quod dormiãt; propter ſpẽ reſurrectionis. Nã de brutis animãtibus nihil vſquam tale legitur. Nec verò in hac locutione nudus charientiſmus eſt, velut cũ puerũ pro ſeruo dicunt ſcripturæ: ſed myſterij ſignificatio. Cuius indiciũ, quod hęc phraſis ſit propria fideliũ, id eſt eorũ qui credunt mortuorũ reſurrectionẽ.

Dormire de ſolis hominibus mortuis dicitur, ob ſpẽ reſurrectionis.

LIBERATA EST; CVI VVLT NVBAT. Græcè, *Libera eſt cui vult nubere*, id eſt ad nubendum cui voluerit; &, vt legit Cyprianus, *vt cui vult nubat*. Atque eam lectionem Græcam vrget Chryſoſtomus ſermone iam citato, dicens apoſtolum non dixiſſe, *nubat*; ſed, *libera eſt cui voluerit vt nubat*. Porrò *libera eſt* legunt etiam Latini, Tertullianus lib 2 ad vxorem c. 2. Hieronymus lib. 1 cõtra Iouinianũ cap. 8, & commentator Amb. Quibus & Auguſtinus accedit, quatenus pro *libera eſt*, legit, *in poteſtate habet*, li. 1 de adulterinis coniugijs c. 25. Quod autem in multis codicibus cũ addito legitur, *liberata eſt à lege*: quãuis id Lombardus, Heruæus & alij poſteriores etiam exponãt: meliora tamẽ exẽplaria Græcis & Syris cõſentanea, quibus etiam vult Carthuſianus, probant adiecticiũ eſſe: videlicet huc aſſcriptũ, vt opinor, imitatione eius quod Rom. 7 dicitur, *ſoluta eſt à lege viri*. Locus hic manifeſtus pro ſecũdis & vlterioribus nuptijs, aduerſus veteres hæreticos Cataphrygas ac Nouatianos, & eorũ aſtipulatorem Tertullianum; qui nuptias omnes poſt primas damnarunt. Rectè etiam ex apoſtoli verbis: *Quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt*: inferunt Aquinas & Carthuſianus, non teneri mulierem ad recipiẽdum virum à morte reſuſcitatum.

Secundæ & vlteriores nuptiæ licitæ.

Nota.

TANTVM IN DOMINO. Hoc variè patres exponunt. Græci iſto ferè modo: *Tantum in Domino*, id eſt ſecundum legem Dei, quæ præcipit vt cum temperantia & ſuſcipiendæ prolis ſtudio matrimonium contrahatur; non ex impetu libidinis. Auguſtinus loco proximè citato duas alias adfert expoſitiones, vt *tantum in Domino*, ſcilicet Chriſto, ſic intelligatur; *aut Chriſtiana permanens, aut Chriſtiano nubens*. Chriſtiana permanens, id eſt Chriſti religionem occaſione noui coniugij non deſerens. Chriſtiano nubens, non infideli: ne ſit impar coniugiũ. Quarum tamẽ expoſitionum priorem ſibi magis placere ſignificat ibidem Auguſtinus, dum ita ſubiungit: *Non enim tempore reuelati teſtamenti noui, in euangelio, vel vllis apoſtolicis literis, ſine ambiguitate declaratum eſſe recolo, vtrùm Dominus prohibuerit fideles infidelibus iungi*. Quibus ſimilia ſcribit libro de fide & operibus cap. 19. Verùm poſteriorem expoſitionem plurimi probant: vt dictum ſit, *nubat in Domino*, id eſt viro Chriſtiano: quomodo dixit idem apoſtolus 2 Cor. 12, *Scio hominem in Chriſto*, id eſt hominem Chriſtianũ. Ita locum hunc intellexerunt Tertullianus lib. 2 ad vxorem cap. 1 & 2, de monogamia capit. 7 & 11, & aduerſus Marcionem lib. 5 capit. 7. Cyprianus li. 3 teſtimoniorum ad Quirinum cap. 62. Hieronymus lib. 1 contra Iouinianum capit. 5, & in epiſtola ad Ageruchiam cap. 2, ac præterea commẽtatores Ambroſ. Pelagius, Sedulius, Haimo, Lombardus, Heruæus ac cæteri Latini: & inter Græcos Theodoritus. Quin & Auguſtinus loco memorato, pro hoc ſenſu tanquam probabili Cyprianum allegat affirmantem, quod *iunger e*

Tantum in Domino nubere quid ſit.

Chriſtiana non nubat niſi Chriſtiano.

cum infidelibus vinculum matrimonij, sit *prostituere gentilibus membra Christi*. Quod apud illum legitur in sermone de lapsis: & ab Hieronymo similibus verbis repetitur, aduersus Iouinianum scribente. Proinde scripturam hanc meritò proferunt Theologi, qua doceant illicitas esse, ac lege siue diuina, siue apostolica prohibitas nuptias fidelium cum infidelibus: adiuncto præsertim & altero loco eiusdem apostoli in 2 epist. cap 6 ita præcipientis: *Nolite iugum ducere cum infidelibus*. Nam quod de secundis nuptijs hic dicitur, id pari ratione de primis fidelium nuptijs intelligi debere, nulli dubium esse potest. *Qui enim*, ait Hieronymus, *secundas, tertiasq; nuptias concedit* dumtaxat *in* Domino, vtique *primas cum ethnico prohibet*. Si quis obijciat exempla sanctarum feminarum, Monicæ matris S. Augustini, Clothildis reginæ Francorũ, & aliarum, quæ Christianæ cùm essent, viris nupserunt ethnicis: Respõdeo factum id partim ignorantia legis, eaque probabili; quando & ipse Augustinus de ea dubitauit; præsertim cùm negocium sui coniugij parẽtibus ex more & honestate committerent filiæ: partim ipsius legis interpretatione, certis casibus non obligantis; quod exemplis sanctorum virorum & mulierum veteris testamenti, qui coniuges acceperunt infideles, ostendere promptum est.

Nuptiæ fidelis cum infidelibus prohibitæ.

Exempla quædam in contrarium excusantur.

40 BEATIOR AVTEM ERIT, SI SIC PERMANSERIT. Græcè: *Beatior autem est, si sic maneat. Sic*, id est sine viro. Sic manentem beatiorem vocat, non ob præsentis vitæ commoditatem, quia molestijs cõiugij careat, vt vult Erasmus in annotationibus; quod tamen in paraphrasi quadantenus corrigit, apostolum ita faciẽs loquentem; *Feliciorem arbitror, qua studio vacãs Christo tuetur redditam libertatem*: sed ea beatitudine huius vitę quã scriptura passim commendat, & quæ propriè ad Christi beneficia pertinet: quomodo *beati* dicuntur *pauperes spiritu*, & *mundo corde* &c. Mat. 5. nimirum beatitudine spirituali inchoata, & promouente ad illam quæ in futuro sæculo perficienda speratur. Beatior ergo vidua si sic maneat; quia non iam cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat viro; sed per continentiam vidualẽ à carnali voluptate remota, Deo se propius applicat, seruitque liberius & expeditius. Hinc igitur constat vidualem castitatem coniugali potiorem esse, & maioris apud Deum meriti.

Quomodo beatior vidua cõtinens.

Vidualis castitas potior cõiugali.

SECVNDVM MEVM CONSILIVM. Græcè γνώμην *sententiam*. Hoc non est referendum ad illud, *beatior erit*: sed ad verba proxima, *si sic permanserit*. Nam & suprà dixit se consilium dare virginibus, vt sic permaneant: atque eodem nunc respicit. Itaque sensus est: si maneat sine viro: quomodo manendum ego censeo & consulo; & iam ante consului, quando de virginibus agebam.

PVTO AVTEM QVOD ET EGO SPIRITVM DEI HABEAM. *Puto*, Græcè δοκῶ *opinor*; *mihi videor & ego spiritum Dei habere*. Minus dicit plus volens intelligi; velut si pater filio parum morigero dicat: Puto me patrẽ tuum esse, cui debeas obedire. Sæpe loquitur ad hunc modũ Paulus modestiæ causa, & vt arrogantiæ speciem vitet. Ita suprà versu 26, *Existimo hoc bonũ esse*. & cap. 4. *Puto* (δοκῶ) *quod Deus nos apostolos nouissimos ostendit* &c. Sensus est: Existimo sanè me quoque, perinde vt alios Christi apostolos, spiritum Dei habere, quo possim bona & sancta consilia fidelibus suggerere. Quod dico, ne quis hoc meum consilium parui pendat. Sunt qui illud *& ego* dictum putẽt propter pseudapostolos, qui sibi Paulo contẽpto, Spiritum Dei vendicabant. Sed priorem sensum arbitror veriorem. Nã cũ veris Christi apostolis sese cõfert etiã infrà, atq; ex professo cap. 9.

Quomodo Paulus de re certa dicat puto

SVMMARIVM.

Reprehendit eos qui quod scirent idolum nihil esse, promiscuè etiã cum offendiculo fratrum infirmiorũ, cibos edebant immolaticios: admonens eos ne sua scientia ad fratrum perniciem abutãtur.

CAPVT VIII.

1 DE IIS AVTEM QVÆ IDOLIS SACRIFICANTVR. Transit ad reprehensionem & instructionem quorundam qui freti scientia quam de idolis atq; idolothytis habebant, passim etiam corã infirmis fratribus vtebantur licentia vescendi immolatis. Nam & de his verisimile est apostolũ à Corinthijs fuisse cõsultum. Græcè περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων. *De idolothytis autẽ*. Qua composita voce significant ea quæ idolis immolata sunt, id est carnes immolaticiæ: tanquam si dicat: Quod autem attinet ad immolaticia. Vel, cohærenter cum sequentibus: De immolaticijs autem,

SCIMVS QVIA OMNES SCIENTIAM HABEMVS. Quam scientiam? Postea propositionem absoluit, quadam parẽthesi necessariæ admonitionis interim suspensam, quando repetit & dicit, *De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo* &c. Sed quomodo omnes; cùm ipse Paulus post pauca affirmet, *non in omnibus* esse scientiam? Quod & confirmant sequentia de infirmis, quorum ob scientiæ defectũ conscientia polluebatur edendis idolothytis. Dicendum est apostolũ loqui in persona eorum qui inter Christianos doctiores atque intelligentiores erant; quos alibi vocat spirituales, perfectos, magistros, &c. De quibus plura diximus suprà cap. 3. Hos enim toto capite alloquitur; & ad eos significandos vsus est verbo primæ personæ, *habemus*; quomodo & Rom. 15 dicit, *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorũ sustinere*. Sẽsus igitur est: Scim⁹ qui perfectiores sumus, ac plenius in religione Christiana instituti, nos omnes sciẽtiã habere; nec vos aggredior docere tanquam scientiæ expertes: sed tamen admonendi estis,

vt scientia

Scientia & fides eiusdem in eodē esse potest.

vt scientia bene & prudenter vtamini. Porrò sciētiam vocat, etsi de ijs esset quæ fides Christiana tradit tenenda, vt, omnem creaturam Dei bonam esse, nihil in ea esse per se immundum, idolum nihil esse: quia talia sunt, quæ etiam naturalis ratio dictat esse vetissima. Sic Rom. 14, *Scio & cōfido quia nihil commune* &c. Quare ex hoc loco & ex sequentibus satis intelligitur, eiusdem esse posse in eodem homine scientiam & fidem, vt fuit in Paulo & alijs perfectis. Id iam admonuimus ad dictum locum epistolæ ad Romanos.

Scientia inflat, quo sensu.

SCIENTIA INFLAT. Generali sententia doctos admonet, quàm nihil ipsis prosit scientiam habere, imò quàm sit eis damnosa scientia; si non vtantur vt oportet. Scientia inflat, id est facilè extollit hominem in superbiam: non quidem natura sua, cùm omnis scientia sit à Deo, quo authore nemo potest superbire: sed accipienda est hæc scriptura, quomodo multæ aliæ; *Litera occidit*, 2 Corint. 3. *Luxuriosa res vinum*, Prouer. 20. *Fallacia diuitiarum*, Matth. 13. Dicuntur enim huiusmodi res tales aut talium malorum causæ, non propriè, nec suo vicio: sed per modum occasionis, propter eius qui habet aut vtitur, ad mala propensam voluntatem: quemadmodum & dici à quibusdam solet, astra homines inclinare ad hæc aut illa vicia; nempe propter concupiscētię corruptionem, quæ facilè occasione qualitatum & affectionum corpori forinsecus impressarum, excitatur ad actus respondentes. Vide quæ commentamur ad illud Eph. 5, *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Quidam de sola humana scientia, qualis est grammatica, physica, mathematica, dictum apostoli exponunt; sed malè: nam scientia quam perfectiores habebant de idolothytis, non omnino humana erat; sed pars quædam doctrinæ Christianæ. Sed & de scientia purè reuelata alibi similiter apostolus loquitur; vt 2 Cor. 12, *Ne magnitudo reuelationum extollat me*. Generaliter ergo loquitur de scientia: sed eam considerat solam & sine charitate. Sic enim inflat; quomodo & litera sine spiritu occidit, 2 Corint. 3. Et lex auget pręuaricationem sine gratia; Rom. 5. & caro sine spiritu nihil prodest, Ioan. 6. Ad hunc modum apostoli sententiam passim exponit Augustinus, vt tractatu 27 in Ioannem, libro de gratia & libero arbitrio cap. 19, & plenius contra duas epistolas Pelagianorum libro 4 capit. 5, & alijs locis à Beda collectis. Item Leo papa sermone in natali septem Machabęorum: & ante eum Cælestinus in epistola ad episcopos Galliæ cap. 10, verbis ex concilio Mileuitano citatis, quod ab eo Carthaginense vocatur. Quin ipse Paulus ita semetipsum interpretatur infrà cap. 13, quum docet nec linguas nec prophetiam, nec omnium mysteriorum noticiam, nec omnem scientiam, nec fidem montes transferentem prodesse quicquam ei, qui charitatem non habeat. Quem sensum vt significet; etiam hic adiungit.

Astra quo sensu dicātur inclinare.

Inflat sciētia, nō solū humana, sed & reuelata.

CHARITAS VERO ÆDIFICAT. Hoc est: charitas facit, vt homo non contentus suo bono, studeat bono communi, id est, proximorum etiam saluti. Id enim est ædificare, proximos ad salutem promouere; cui è contrario opponitur scandali peccatum, quo proximus destruitur, hoc est dāno salutis afficitur. Hinc collige eos qui ita quęrunt salutem propriam, vt de proximis non curent; non habere charitatem, sed fallere seipsos. Quod ad metaphoram ædificandi iam declaratam attinet, ea Paulo familiaris est, ac penè propria: quam videri potest accepisse ex scriptura veteris testamenti: in qua simili tropo ædificare dicuntur, qui rem publicam aut domesticam augent, promouent, illustrem reddunt: vt Deuter. 25, *Sic fiet homini qui non ædificat domum fratris sui*. Ruth 4 de Rachel & Lia, *Quæ ædificauerunt domum Israel*. Prouerb. 14, *Sapiens mulier ædificat domum suam*. Cuiusmodi phrasis & Deo tribuitur vt Exo. 1, *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos*. 1 Reg. 2 de Sadoc sacerdote, *Et ædificabo ei domum fidelem*. Psal. 27, *Destrues illos, & non ædificabis eos*. Porrò non est hic vicissim intelligēda charitas sine scientia; sicut in membro priori, sciētia sine charitate: sed charitas simpliciter, siue scientiam coniunctam habeat, siue non. Nam scientia charitatem secum non trahit: charitas autem quia vult consulere proximo, trahit secum scientiam, vel certè studium scientiæ, saltem vbi res postulat. Ita sacrificium offerri potest sine obedientia, quemadmodum fecit Saul 1 Reg. 13 & 15. At obedientia non est sine sacrificio, quando illud Deus sibi offerri præcipit. Eodem modo lex esse potest sine gratia; verùm gratia non est sine lege; quin potius ad hoc gratia datur vt lex impleatur. Similiter existimandum de litera & spiritu. Nam in litera lex intelligitur, in spiritu gratia. Patet ex his, quàm stultè errent, qui, quasi studio humilitatis, scientias fugiunt, ne in superbiam extollantur. De quibus Augustinus in enarratione psalmi 130, *Sunt*, inquit, *quidam homines qui cùm audierint, quia humiles esse debent, dimittunt se, nihil volunt discere, putantes quia si aliquid didicerint, superbi erunt; & remanent in solo lacte. Quos reprehendit scriptura dicens: Et facti estis opus habentes lacte, non solido cibo* &c. & concludit: *Ergo non debet homo extollere cor suum in superbiam: sed debet eleuare in doctrinam verbi Dei*. Sic ille.

Quid ædificare.

Ædificādi metaphora Paulo familiaris, & vnde accepta.

Charitas ædificat etiam sine scientia.

De ijs qui scientias fugiunt, quasi studio humilitatis.

2 SI QVIS AVTEM SE EXISTIMAT SCIRE ALIQVID. Inutilem ostendit scientiam inflantem. In Græco non additur *se*. & verti poterat hoc modo: *Si quis autem videtur* (δοκεῖ) *scire aliquid*. Verùm rectius, ac pro exigentia textus, supplent interpretes sententiam reciproco pronomine, quod ex consuetudine linguæ Græcæ subintelligitur; *Si quis se existimat, sibi videtur* &c quemadmodum & Gal. 6 *Si quis existimat se aliquid esse*. Vide quæ anno-

tauimus ad illud capitis ſuperioris: *Si quis turpem ſe videri exiſtimat*. Dicit ergo Paulus; Si quis ſe putat aliquid ſcire, vel quod ad idolothyta pertineat, vel in genere de ijs quæ ſunt religionis Chriſtianæ; id eſt, Si quis ſibi placet in hac ſua ſcientia, & in ea tanquam bono ſuo acquieſcit, non referens eam ad aliorum vtilitatem, ſed quomodocumque cupiens eam oſtentare: Sequitur;

NONDVM COGNOVIT QVEMADMODVM OPORTEAT EVM SCIRE. Græcè, *Nondum quicquam nouit ſicut oportet noſſe*. Nam illud *eum* nec commentator Amb. legit. Additum videri poteſt, quod putaretur ſenſui deeſſe. Porrò geminatur quidem in Græco negatio, *nondum nihil nouit*: ſed ea fortius negat; vt ſenſus ſit: Haud quaquam adhuc is peruênit ad illam ſcientiæ perfectionem earum rerũ quas nouit, quam oportet habere: nondum ſcit eo modo quo ſcire oportet. Modus ille & perfectio eſt, vt ſcientiam habeat cum charitate, id eſt, vt vtatur ſcientia ad proximorum ædificationem. Sic enim fiet, vt per ſcientiam charitas ædificet. Vide quæ de modo ſciendi ſcribit S. Bernardus hunc apoſtoli locũ tractans, ſermone 36 ſuper Cantica. Cuius verba quia multum ædificant, haud piguit S. Thomam contracta nonnihil, inſerere ſuo commentario. Nec certè nos pigebit eadem huc aſſcribere. *Non approbat apoſtolus*, inquit, *multa ſcientem, ſi modum ſciendi neſcierit. Dicit autem modum ſciendi, vt ſcias quo ordine, quo ſtudio, quo fine ſcire quæq; oporteat. Quo ordine; vt id prius quod maturius ad ſalutem. Quo ſtudio, vt id ardentius quod vehementius eſt ad amorem. Quo fine: vt non ad inanem gloriam, aut curioſitatem, aut aliquid ſimile: ſed tantum ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt namq; qui ſcire volunt eo fine tantum vt ſciant: & turpis curioſitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt vt ſciantur ipſi: & turpis vanitas eſt. Et ſunt qui ſcire volũt vt ſcientiã ſuã vẽdãt: & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt quoq; qui ſcire volunt vt ædificent: & charitas eſt. Et item qui ſcire volunt vt ædificentur: & prudentia eſt. Horum omnium ſoli vltimi duo non inueniuntur in abuſione ſcientiæ; quippe qui ad hoc volunt intelligere, vt bene faciant.* Hæc Bernardus. Igitur de charitate ædificante, quæ præſtat vt ædificet & ipſa ſcientia, nunc ſequitur:

De modo ſciendi verba S. Bernardi valde notanda.

3 SI QVIS AVTEM DILIGIT DEVM, HIC COGNITVS EST AB EO. Hoc eſt: Si quis habet charitatem qua diligat Deum, & conſequenter proximum, ſtudens ſcientiam ſuam cæteraſque dotes diuinitus acceptas, conferre ad Dei gloriam & fratrum vtilitatem; hic demum aut dumtaxat cognitus eſt à Deo, id eſt à Deo dilectus, ac Deo placens; cùm prior ille in ſua ſcientia ſibi, non Deo placeat. Significatur enim noticia approbationis, vt & infrà capit. 13, *Tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* & Gal. 4, *Cùm cognoueritis Deum, imò cogniti ſitis à Deo*. Sic enim & hoc loco ſentit, eum qui ſcientię ſuæ charitatem coniungit, non ſolum cognoſcere Deum, ſed etiam cognitum eſſe à Deo; cùm is qui ſcientiam habet ſine charitate, Deum quidem & res diuinas cognoſcat, nõ tamen viciſſim à Deo cognoſcatur aut cognitus ſit: ſed cum malis prophetis & miracularijs auditurus ſit à Domino, *Nunquam noui vos*, Matth. 7. Notandum eſt enim, Paulum non dicere, cognoſcitur ab eo, quomodo dixerat *diligit Deum*, præſentis temporis verbo: ſed *cognitus eſt*; vtique ad commendandam gratiã Dei præuenientem, ipſamque adeò prædeſtinationem æternam, quæ cauſa eſt vt homo Deum in tempore diligat: ac ſi dicat: Si quis Deum diligit, ideo diligit, quia cognitus eſt à Deo; id eſt, ad hoc pręcognitus, prædilectus ac prædeſtinatus. Quidam illud *cognitus eſt ab eo*, ſic interpretatur, cognitione donatus: at minus rectè. Nam & qui ſcire ſe exiſtimat, iſto ſenſu cognitus eſt à Deo, id eſt, ſcientia ab eo donatus.

Quid eſſe cognitum à Deo.

Gratia Dei præuenient.

4 DE ESCIS AVTEM QVÆ IDOLIS IMMOLANTVR. Redit ad declarandam ſcientiam quam habebãt doctiores de idolothytis. Græcè ſic eſt: *De eſu igitur idolothytorũ*, id eſt, quod attinet ad eſum eorum quæ idolis & omnino falſis dijs immolata ſunt:

SCIMVS QVIA NIHIL EST IDOLVM IN MVNDO. Poſſet etiam verti: *Scimus quod nullum eſt idolum in mundo*. Sed rectius *nihil*, vt opponatur ei quod eſt *aliquid*, iuxta id quod infrà cap. 10 negatur idolum & idolis immolatum eſſe aliquid. Atque ita legit etiam Tertullianus lib. 5 contra Marcionem cap. 7, vertitque Irenæi interpres lib. 3 cap. 6. Quo ſenſu idolum in mundo nihil eſſe dicatur, variæ ſunt opiniones, quas commemorat Hugo Victorinus quęſt. 72. Nobis maximè probatur hic ſenſus: idolum nihil eſſe in mundo, quia quamuis idolum ſi ſpectes materiã, figuram, colores & lineamenta, ſit aliquid; non tamen formaliter & quatenus idolum; quia nihil eſt in genere ſigni relati ad rem ſignificatã; quippe cùm res quæ per idolum ſignificatur nulla ſit. Nam etſi exſiſtant in rerum natura ſol, luna, ſtellæ, vitulus, hircus, talpa, canis, & huiuſmodi plurima quæ ſtulta gentilitas coluit pro dijs: etſi quoque fuerint olim homines, Saturnus, Iupiter, Iuno, Venus, atque alij quos ethnici in Deos retulerunt: non tamen illi reuera dij ſunt aut fuerunt vnquam. Quocirca veriſſimè dicitur idolum in mundo nihil eſſe, veluti nomen ſine re: quia res quæ per illud ſignificatur vt Deus, nuſquam eſt aut fuit in rerum natura; ſed merum eſt humani cordis figmentum. Non igitur repugnat huic ſententiæ quod ait pſalmographus: *Omnes dij gẽtium dæmonia*, pſalm. 95. Nam gẽtes dæmonia non colebant vt dæmonia, id eſt, vt malos ſpiritus quales verè ſunt; ſed vt Deos ac diuina virtute præditos, cuiuſmodi reuera non ſunt. Quanquam idem illud pſalmi hemiſtichium, vt in Hebræo legitur, planè facit ad illuſtrandam hanc apoſtoli ſententiam. Sic enim habet: *Omnes dij populorum vana*, Hebraicè אֱלִילִים *elilim*. Quo nomine in ea lingua ſignificari ſo-

Idolum quo ſenſu nihil in mundo.

Dij gentium dæmonia.

lent

lent idola gentium, vt Leuit. 19 & 26. & Habac. 2, eo quod vana sint & mendacia, videlicet hoc significantia quod non est. Vnde & idolum mendacium vocatur Isa. 44. *Neque dicet*, inquit, *fortè mẽdacium est in dextera mea.* Quin & ipsos idolorum fabricatores ibidem propheta nihil esse pronunciat dicens, *Plasta idoli omnes nihil sunt*, Hebraicè תהו *thohu*, id est *inanitas*. nempe secundum illud psal. 113, *Similes illis fiant qui faciunt ea*. Porrò idolum εἴδωλον vox est à LXX interpretibus vsurpata, non pro quocumque simulacro vel imagine, sed pro eo peculiariter, quo falsum numẽ repræsentatur, siue res cui diuinitas affingitur, exsistat, siue non. tametsi vulgatus interpres, quod proprium desit vocabulum Latinum, plerumque generali nomine vertat simulacrum. Iam ex eo quod scitur idolum nihil esse in mundo, relinquit intelligendum apostolus illud etiam sciri, quod affirmat infrà cap. 10, idolothytum nihil esse; quatenus scilicet idolo consecratum aut immolatum est; vt ab eo possit immutationem aliquam suscipere vel in melius vel in deterius. Quare vt sanctificare edentem non poterat, ita nec contaminare. Atque hæc erat scientia qua inflati quidam apud Corinthios, idolothyta liberè edebant, etiam coram infirmis. Porrò sicut idolũ nihil est, ita & omne illud quod pro Deo colitur, & non est Deus, pari ratione nihil est.

Idolum quid.

ET QVOD NVLLVS EST DEVS NISI VNVS. In Græco post *Deus* additur ἕτερος *alter*, siue *alius*, Atticè. Et illud scimus, inquit, nullum alium esse Deum, præter vnum verum Deum. Hæc pars rationem continet superioris, & quoad rem & quoad scientiam. Nam si vnus tantum est Deus, igitur nihil est idolum; vt puta ad hoc efficium, vt alium Deum repræsentet. Et si scimus vnum tantùm esse Deum, procliue etiam nobis est scire, idolum nihil esse, sensu prius allato. Similis ratio de omni falso Deo.

5 NAM ET SI SVNT QVI DICANTVR DII. Quædam occupatio est in his verbis: Nam vnitati Dei quam asseruit, obstare videbatur multitudo Deorum vbique recepta; quibus saltem aliquid numinis tribuendum esset: vt proinde non omnino nihil in mundo dici debeat idolum: ex quo deinde consequens sit, etiam idolothytum non ita prorsus virtute vacuum esse, vt edentem nullatenus afficiat. *Qui dicantur dij*, Græcè λεγόμενοι θεοὶ, *qui dicuntur, vocantur dij*, scilicet ab hominibus à veri Dei noticia alienis: id est dij nomine & appellatione, non veritate.

SIVE IN CÆLO SIVE IN TERRA. Vel *super terram*. Græcè ἐπὶ τῆς γῆς. Referenda hæc partitio ad verbum *sunt*, non ad *dicantur*. Erant enim gentilibus dij cælestes & terrestres; sub quibus etiam dij marini & inferni comprehenduntur. Tot enim deorum genera ab illis colebantur.

Dij gentilium in quadruplici genere.

(SIQVIDEM SVNT DII MVLTI ET DOMINI MVLTI:) *Siquidem*, Græcè ὥσπερ *sicut*. Ob quam similitudinis notam nonnulli partem hanc exponunt de ijs quos scriptura aliquando deos nuncupat, propter eminentiam potestatis inter homines: velut principes ac iudices; vt psal. 81, *Ego dixi, dij estis*, & Exod. 22, *Ad deos vtriusque causa perueniet*. Secundum hos sensus est quosdam esse deos opinione hominum: sicut alij quidam dij sunt participatione quadam potestatis. Verùm magis apparet non de alijs dijs & dominis apostolum hic loqui, quàm de quibus antè loquebatur; præsertim cùm mox addat, *Nobis tamen vnus Deus* &c. Igitur aduerbium *sicut* seu *quomodo* declarantis est; vt non incommodè per *siquidem* redditum sit ab interprete: & pars hęc parentheticè legatur. Erasmus suspicatur interpretem in Græco legisse ἤπερ pro ὥσπερ. Est autem vrgẽdum in verbis apostoli, quod ait *multi*: quasi dicat: passim omnia in mundo plena sunt dijs & dominis. Erat enim innumera deorum turba apud gentiles. Sed ex parte præcedenti supplendum *qui dicuntur*, id est, ab hominibus habentur & coluntur pro dijs, vtique falsa opinione. Quo modo intellecta sentẽtia nullam habet offensionem; cuius remouendæ causa fortasse sublata fuit olim à quibusdam è textu: quod astruere videretur deorum multitudinem. Nam commentator Amb. huius partis prorsus non meminit. Tantum vocabulum *domini* transfert ad partem præcedentem, *licet sint qui dicantur dij & domini* &c. Porrò dominos intelligit apostolus eo sensu quẽ statim exponit.

Dij multi & domini multi, quo sensu.

6 NOBIS TAMEN VNVS DEVS PATER, EX QVO OMNIA. Græcè, *Sed nobis vnus Deus* &c. quod optimè reddunt interpretes: *nobis tamẽ*. Et sensus est: Attamen nobis, id est fidelibus, qui de Deo per fidem rectè instituti sumus: ideoque & secundùm veritatem, vnus tantum est Deus, scilicet pater, ex quo vel à quo tanquam primo authore seu principio sunt *omnia*, id est res omnes à Deo diuersę; nimirũ per creationem. Non enim Filium intendit apostolus hac voce *omnia* comprehendere; nihilo magis quàm in eo quod statim post dicit, *per quem omnia*: quemádmodum nec Ioãnes comprehendere voluit aut potuit dicens, *Omnia per ipsum facta sunt*. Neque enim per seipsum fieri quicquam potest. Ita locum hũc expendit Ambrosius lib. 1 de Spiritu sancto cap. 2. Cæterùm & illud obserua, Paulum sic asseuerare Dei vnitatem, vt tamen etiam innuat numerum personarum. Nam Patrem nominando consequenter & Filium in diuinis esse significat. Itaque peruersè ex hoc loco colligebant olim Ariani Filiũ non esse Deum: cùm oporteat vtique Filium eiusdem esse naturæ cum Patre.

Omnia ex Deo.

ET NOS IN ILLVM. Nonnulli codices *in illo*, suffragantibus etiam Ambrosiano commentario & textu Syriaco. Verum Græcè est εἰς αὐτὸν *in eum*, vel *ad eum*. Sed & verus Ambrosius loco iam citato legit *in illum*. Itaque sensus est, iuxta quorundam expositionem;

Quo sensu nos in Deum.

Nos in illum, scilicet vnum Deum esse; quatenus ad Deum vt finem vltimum conditi sumus, non solùm generali ratione qua cæteræ creaturæ; sed vt eum cognoscentes, per amorem ipsi inhæreamus. Vnde B. Augustinus libro 1 confessionum cap. 1 Deum sic alloquitur: *Fecisti nos ad te; & inquietum est cor nostrũ, donec requiescat in te.* Sed sciendum est illud ἡμεῖς *nos*, à Paulo dici non in persona omnium hominum, sed fidelium tantummodo: de quibus dixerat, *Nobis tamen vnus Deus* &c. quẽadmodum & in sequenti sententia, quæ huic respondet, eadem vocula *nos* ad solos fideles refertur. Itaque potior sensus huius partis est: Et nos ad illum, tanquam saluificum nostrum principium, ex quo pendemus, adducti sumus per fidem ac verum eius cultum. Hic sensus est in Græcorum commentarijs: quem & inter Latinos tradit Amb. commentator, & post eum alij nonnulli. Quod ad structuram verborum apostoli pertinet, ea duplex esse potest. Prior: ex quo omnia, & ex quo nos in illum: Altera: ex quo omnia, & in quem nos: non quo significetur nos non esse ex illo; sed præter hoc quod nos ex illo sumus, insuper, ac propria quadam ratione, nos esse ad eum. Et hanc esse germaniorem constructionem probat sententia sequens; quæ cùm similis sit formæ, non aliam constructionem admittit.

Huius loci cõstructio duplex.

ET VNVS DOMINVS IESVS CHRISTVS PER QVEM OMNIA, ET NOS PER IPSVM. Quod suprà dixit *nobis*, huc quoque referendum est: vt pars hæc respondeat ad illud quod dixerat, *& domini multi.* Sicut ergo dixit vnũ Deum, ita nunc vnum Dominum. Quod si, vt Ariani volunt, ex priori sententia consequens est Filium non esse Deum: quoniam vnus Deus ab apostolo Pater dicatur: pari ratione ex his verbis, quibus vnum Dominum vocat Iesum Christum, inferre licebit Patrem non esse Dominum: quod adeò non concedunt Ariani, vt Patrem potius ac magis Dominum dicant, quàm Filium. Nos ergo dicimus apostolum illic solum Patrem nominasse, quia Pater est fons Deitatis, vtpote diuinum esse etiam alijs personis communicans: tum quia sic ex eo omnia quæ sunt ab eo diuersa, vt tamen etiam Filius & Spiritus sanctus ex eo procedãt: hic verò solum Filium nominasse, quia is iure redemptionis in cruce factæ, Dominus noster sit. Vnde non dixit Filius, sed *Iesus Christus*, scilicet humanam eius naturam volens intelligi, secundum quam nos redemit. Eadem ratione etiam ad Eph. 4 distinctè dixit; *Vnus Dominus*, scilicet Christus: &, *Vnus Deus & pater omnium.* Vide quæ ad eum locum cõmentatur Hieronymus, ijs quæ iam diximus consentanea. Certè ad horum sacræ scripturæ testimoniorum imitationem, patres tam Niceni concilij quàm Constantinopolitani, in symbolis fidei quæ tradiderunt ecclesię, professi sunt se credere *in vnum Deum Patrem omnipotentem*, Deinde, *Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei* &c. Qua loquendi forma adeò nihil detractum voluerunt diuinitati Filij, vt eam sequentibus verbis apertissimè astruant dicentes: *Deum de Deo, Deũ verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialem Patri* &c. Sensus igitur huius partis est: Item nobis fidelibus vera religione imbutis, vnus est Dominus, nempe Iesus Christus; per quem quidem vt Verbum Patris omnia sunt; quoniam vt de eo loquitur Ioannes, *omnia per ipsum facta sunt*: omnia, sicuti dictum est, à Deo diuersa (Quanquam & toti Trinitati commune est, *ex ipso, & per ipsum, & in ipso* omnia esse. Rom. 11.) Sed per quem vt hominem factũ, peculiari ratione nos sumus, quia per eius meritum redempti sumus & salutem exspectamus. Bis ergo sumus per ipsum: & quod creati, & quod redempti.

Pater fons deitatis.

Christus qua ratione noster Dominus.

Christus vnus Dominus.

7 SED NON IN OMNIBVS EST SCIENTIA. De infirmis & imperfectis nunc agit, quibus ad destructionem cedebat aliorum scientia. Non omnes, inquit, Christiani scientiam habent eorum quæ dixi nos scire; videlicet idolum in mũdo nihil esse: & nullum esse Deum nisi vnum. Quamuis enim fide teneant, nec idola, nec res per ea repræsentatas esse deos, nec vllum esse Deum præterquam vnum: non tamen hanc fidem applicant ad conclusiones particulares; scilicet idolum vt tale nihil habere virtutis, vt sanctificare vel inquinare possit cibos ipsi immolatos: ac propterea nullum prorsus esse discrimen inter esum talium ciborum & aliorum, si in se spectentur, cùm idolum nihil sit: atque id quod nihil est, haud queat vllam differentiam rebus adducere. Ad huiusmodi conclusiones applicare principia quæ simpliciter credimus, cuiusdam scientiæ est; quam negat apostolus omnibus inesse Christianis.

Idolum nihil esse, nõ omnes Christiani norunt.

QVIDAM AVTEM CVM CONSCIENTIA VSQVE NVNC IDOLI, QVASI IDOLOTHYTVM MANDVCANT. Explicandi gratia præpositionem addidit quispiam; cùm non sit in Græcis exemplaribus: vt nec in omnibus Latinis, nominatim in textu cõmentatoris Amb. Et quidem in Græcis esse non potest: quia μὴ non iungitur datiuo casui. Tertullianus lib. de pudicitia cap. 14 legit, *in conscientia*: quemadmodum & Pelagium, Primasium atque Sedulium legisse, produnt eorum commentarij: vt suspicio sit olim Græca quædam exemplaria additam habuisse præpositionem ἐν. Alioqui quæ nunc exstant omnia, & quibus vsi Græci interpretes, sic legunt: *Quidam verò cõscientia idoli vsque nunc tanquam idolothytum edunt.* Vbi ambiguum est, vtrùm illud *vsque nunc*, præcedentibus adhæreat; quod voluit noster interpres; qui eam particulam loco motam posuit inter duas dictiones præcedentes *conscientia* & *idoli*: an verò sequentibus: quod placet Caietano. Vtrumque probabile est: ac plenior erit sensus, si, quod Græci tractatores facere videntur, ad totam sententiam referatur, hoc modo: Quidam fideles, quamuis idolis ex animo renunciauerint, & credant illa

Ambigua cõstructio.

non

non esse deos; tamen adhuc ea laborant infirmitate ac scientiæ defectu; vt habentes conscientiam idoli, quasi idolothytum manducent. Conscientiam idoli vocat apostolus, nō scientiam qua quis rectè de simulacris sentiat; vt malè interpretatur & malè probat Caietanus, ea in re singularis; sed iudicium quo quis existimet idolum esse aliquid, id est alicuius virtutis: ac proinde cibos immolaticios ab idolo pati mutationem aliquam, sicque afficere & coinquinare posse edentes. Quod quidem iudicium erroneum est: atque ex eo sequitur, vt talem habens conscientiam, si edat idolothytum, edat illud quasi idolothytum: id est quasi immutatum aliquo modo per hoc quod idolis sacrificatum sit: vt eius opinione tam idolum quàm idolothytum sit aliquid.

Conscientiam idoli quam vocet apostolus.

ET CONSCIENTIA IPSORVM, CVM SIT INFIRMA, POLLVITVR. Illatiuè pars hæc exponenda est, vt sensus sit: Atque ita animus eorum erronea huiusmodi conscientia imbutus, cùm sit infirmus, eo quòd scientia careat, qua fidem vnius Dei quam habet, applicet ad particulares cōclusiones, vt suprà dictum est; polluitur peccato; dum videlicet contra conscientiam quam de idolothyto habent, existimantes edentes contaminari, de illo edunt. Obligat enim erronea conscientia, & peccatorem constituit eum qui contra illam facit; iuxta doctrinam eiusdem apostoli scribentis ad Romanos 14, vbi de Iudaica ciborum discretione differens ait inter cætera: *Qui discernit, si manducauerit damnatus est; quia non ex fide.* Porrò ne dicant firmiores se vesci quibuslibet, etiam immolaticijs; vt per hoc Deo placeant qui omnia creauit, subijcit:

Obligat erronea conscientia

8 ESCA AVTEM NOS NON COMMENDAT DEO. Sic eodem ad Rom. loco, *Non est enim regnum Dei esca & potus.* Sensus est; Vsus ciborum per se nihil facit ad pietatem, qua Deo placetur; ideoque non debemus nos firmiores quasi pietatis obtentu passim & indiscretè velle quibuslibet cibis vti. Sequitur probatio:

Cibus non comendat nos Deo.

NEQVE ENIM SI MANDVCAVERIMVS ABVNDABIMVS. Græcè verba sunt præsentis temporis, hic & in parte sequenti: *manducemus, abundamus* περισσεύομεν. Sensus: Nō enim si quiduis indifferenter comederimus, idcirco meliores erimus coram Deo. Significantius ex Græco vertit Oecumenij interpres; *Neque si comedamus, aliquid nobis magni accedit.*

NEQVE SI NON MANDVCAVERIMVS DEFICIEMVS. Græcè *manducemus, deficimus.* Sensus: Neque si non comederimus indifferenter quidlibet, sed à quibusdam cibis abstinuerimus, idcirco minus quicquā habebimus (Hoc enim Græca vox ὑστερούμεθα significat) id est, deteriores erimus, minusque Deo grati. Nonnulli totum hunc versum, *Esca autē nos non cōmendat Deo*, & cætera huc vsque, accipiunt vt verba pseudapostolorum obloquentiū; quod edere & non edere res sit indifferens: ideoq; liberè & inoffensè vtrumque agi posse. Quæ verba Paulus sibi deinceps refutanda sumat, dicendo: *Videte autē* &c. Sed melius est vt ex persona Pauli, prout ea iam exposuimus, continuo sermone dicta accipiantur, congruenter cum loco ad Rom. citato, *Non est regnum Dei esca & potus* &c. Atqui peruersè locum hunc contra ciborum abstinentiam ecclesiasticam adducunt hæretici, tanquam ea secundum apostolum nihil faciat ad pietatem. Non enim dicit apostolus, abstinentiam cibi nos non cōmendare Deo, sed cibum; neque negat nos si non manducauerimus, abundaturos; sed si manducauerimus. Nam nec carnes edere, propriè actus virtutis est; vt nec vinum bibere: sed à carnibus aut vino abstinere, ea ratione qua id ecclesia præcipit ac laudat. Siquidem abstinere ab eo quod vel malè concupiscitur, vel malè concupiscendi fomitem præbet, ad temperantiæ virtutem spectat. Fit autem actus religionis, quoties huiusmodi abstinentia assumitur, vt per eam carne edomita spiritus promptior reddatur ad Deo seruiendum.

A carnibus aut vino abstinere, quatenus actus virtutis.

9 VIDETE AVTEM NE FORTE HÆC LICENTIA VESTRA OFFENDICVLVM FIAT INFIRMIS. Græcè, *Videte autem ne quo modo potestas vestra hæc offendiculum fiat ijs qui infirmantur*, id est, *infirmi sunt*. Cæterùm potestatem, ἐξουσίαν, intellige ius seu facultatē agēdi quippiam, quam vulgo licentiam vocāt. Interpres ipse tam præcedenti capite quam sequenti, & passim alibi vertit potestatem: tametsi Græci in malam partem accipiant, potestatem hanc interpretantes immodestiam & arrogantiam; sed concomitanter, vt arbitror. Remouet autem apostolus tacitam obiectionem qua dicere poterant firmiores, se vti suo iure ac libertate; quod scirent idolum nihil esse, proindeque nihil differre idolothyta à cæteris cibis. Sed videte, inquit, id est, prouidete & cauete ne potestate hac vestra cum offendiculo fratrum infirmorum vtamini. Offēdiculum hoc declarat sequentibus verbis.

Quam interpres vocet licentiam.

10 SI ENIM QVIS VIDERIT EVM QVI HABET SCIENTIAM, IN IDOLIO RECVMBENTEM. *Eum qui habet scientiam*, Græcè σὲ τὸν ἔχοντα γνῶσιν, *te qui habes scientiam*. Interpres legisse videtur absque σὲ. Veruntamen & in versu proximè sequenti, quo sermonem suum Paulus continuat, pronomen est secundæ personæ, *in tua scientia*. Idolium alibi significat templum idolorum, vt 1 Mach. 10, *Et intrauerunt in Bethdagon idolium suum* (sic enim legēdum, non *idolum suum*) *vt ibi se liberarent.* Item 3 Esdræ 2, *Et recluſit ea in suo idolio*, vbi nos legimus, *& consecrauit ea idolo suo.* Nā & 1 Esdræ 1 idipsum sic explicatè dicitur: *Et posuerat ea in templo Dei sui.* Similiter vsurpasse videtur Augustinus epistola 154 ad Publicolam, agens de viatore cibum in idolio posito inueniente. Nam idolium ibi quid vocet non video, nisi sacellum idolo dicatum; cuiusmodi in vijs publicis erant constructa. Putat Arias Montanus etiam hoc loco significari templum, aut certè

Quid idolium.

atrium

atrium templi idolorum. Nec aliter Theophylacti interpres, qui vertit idolorum locum vel delubrum. Sed quia non est verisimile eos cum quibus nunc agit Paulus, in templis accubuisse, vbi idolis offerebantur sacrificia; nec si fecissent, id Paulum fuisse prætermissurum absque grauiore & aperta reprehensione: idcirco alij idolium interpretari malunt epulum simulacrorum siue idolorum, vt Erasmus & Hentenius. Alij mensam in qua carnes idolo consecratæ proponebantur: quam Paulus infrà cap. 10 vocat mensam dæmoniorum. Alij in genere locum destinatum huiusmodi epulo, quod instruebatur ex carnibus immolaticijs. Atque hęc vocabuli illius acceptio minus recedit à prima significatione quàm cæteræ; & quidem optimè conuenit huic loco: vt sensus sit; Si enim quispiam frater infirmus viderit te qui de idolis veram habes scientiam, ideoq; ab idolothytis non abhorres; accumbere in loco vbi apposita sunt idolothyta, ijsque vesci.

NONNE CONSCIENTIA EIVS CVM SIT INFIRMA, ÆDIFICABITVR AD MANDVCANDVM IDOLOTHYTA? *Eius cum sit infirma*, Græcè τῦ ἀσθενοῦς ὄντος, *eius qui infirmus est*, aut potius (quoniam hoc cum epitasi dicitur) *eius, cum sit infirmus*: quemadmodum & nostrum interpretem vertisse credibile est: vt postea femininum genus pro masculino irrepserit, ex eo quod superius habetur, *Et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur*. Quanquam & ex Syriaco translatum habemus hoc loco: *Nõne conscientia eius cum sit infirma* &c. In verbo *ædificabitur*, præter metaphoram etiam antiphrasin agnoscit Theophylactus: eo quod propriè tantum ad profectum qui in bono est, transferatur, velut suprà, *charitas ædificat*, & infrà cap. 10, *Non omnia ædificant*, & cap. 14, *Omnia ad ædificationem*. Certè nusquam alibi quàm hoc loco, reperitur acceptum in malam partem. Verùm id non tam per antiphrasin, quàm ex adiunctione eius quod sequitur, *ad manducandum idolothyta*, per quod abstrahitur ædificandi verbum à metaphora consueta: quemadmodum & dicere solent Theologi mala exempla ædificare ad gehennam. Sic proficere per se in bono accipitur; ex adiuncto in malum: vt 2 Tim. 3, *Mali homines & seductores proficient in peius, errantes & in errorem mittentes*. Sensus verborum Pauli: Nonne frater ille hoc videns, tuo exemplo prouocabitur & inducetur ad comedendum immolaticia, non cum ea scientia qua tu id facis; sed, vt suprà dictum est, cum conscientia idoli, videlicet existimãs pro sua infirmitate, idolũ & idolis immolatum esse aliquid?

Antiphrasis in verbo ædificandi.

11 ET PERIBIT INFIRMVS IN TVA SCIENTIA FRATER PROPTER QVEM CHRISTVS MORTVVS EST. Non *conscientia*, vt viciosè quidam codices habent, reclamantibus omnibus vetustioribus, Græcoq; ac Syriaco textu, quibus legitur *scientia*. Græca sic habent; *Et peribit is qui infirmus est* (ὁ ἀσθενῶν) *frater in tua scientia*. Sensus: Et peccabit frater infirmus comedendo idolothytum, quo putat edentem coinquinari, proindeque rem illicitam facere: & peccãdo peribit, id est à salute excidet in æternum periturus, quantum est ex parte peccati. Peribit autem in tua scientia, id est per tuam scientiam; qua dum tu malè vteris, præstas illi peccandi occasionem; eumque perdis quem Christus in tantum dilexit, vt pro eius salute mortem oppetere non dubitarit. Ad hunc modum loquens apostolus, planè significat fratrem infirmum ac scientia de qua hic agitur, destitutum, peccare mortaliter, dum exẽplo fratris scientiam habentis idolothyto vescitur. Sic Rom. 14, *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est*. Vide commentarium eius loci. Notandum est apostolum in ijs qui scientiam habentes ex idolothyto comedunt, hoc quidem loco non aliud culpare, quam quod fratres infirmos scandalizẽt: Verùm idem infrà cap. 10 culpat & aliud, non minus graue, quod mensæ dæmoniorum participando, socij fierent eorum, cum Dei iniuria: nec id sine scandalo infirmorum tam fidelium quàm infidelium: quemadmodum latè & pulcrè docet Augustinus sermone 6 de verbis Domini cap. 4 & sequentibus.

Idolothyto vesci peccatum mortale fratri infirmo.

12 SIC AVTEM PECCANTES IN FRATRES; ET PERCVTIENTES CONSCIENTIAM EORVM INFIRMAM, IN CHRISTVM PECCATIS. Grauitatem huius peccati, id est scandali fraterni, nunc exaggerat à persona eius in quem peccatum huiusmodi redũdat. Nam iniuria membrorum redundat in caput, & serui in dominum, & redempti in eum qui redemit; quemadmodum bene locum hunc explicat Theophylactus. Si vos, inquit apostolus, non moueat interitus fratrum; saltem moueat iniuria Christi, quæ ex fratrum interitu consequitur. Dum enim tali modo peccatis in fratres, vt percutiatis, lędatis, vulneretis eorum cõscientiam, eamque infirmam atque languentem (est enim participium ἀσθενοῦσαν in Græco) prouocantes eos exemplo vestro ad id faciẽdum quod sibi minimè licitum credunt: peccatis in Christum, cuius illi membra sunt; & cuius serui sunt: vtpote sanguine & morte eius redempti: qua ratione Dominus eorum est. Ad hoc posterius magis videtur respexisse Paulus in eo quod dicit, *In Christum peccatis*. Dixerat enim, *Propter quem Christus mortuus est*.

Peccantes in fratres, in Christũ peccant.

13 QVAPROPTER SI ESCA SCANDALIZAT FRATREM MEVM, NON MANDVCABO CARNEM IN ÆTERNVM, NE FRATREM MEVM SCANDALIZEM. Generali sententia superiorem doctrinam concludit. Hic rursus in Græco duplex est negatio, vehementiam addens orationi: quasi dicat: Nequaquam edam *carnem*, vel vt in Græco est, κρέα *carnes*. Quo nomine etiam caro piscium comprehenditur, vt patet ex hac eadem epistola cap. 15. *Alia caro piscium*. Verbum scandalizare, pro eo quod est offendiculo esse, & peccandi occasionem præbere, ex Græco nobis Latinis vsu receptis

Quid scãdalizare.

simum

simum est. Dicit ergo Paulus: Quapropter, id est, cum tam grauiter peccet qui fratrem scandalizat, vt etiam in Christum fratris iniuria recidat: si futurum est, vt me comedente carnes, frater meus scandalizetur; potius per omnem vitam carnibus abstinebo, non solum immolaticijs, sed & alijs quibuscumque pecudum, auium, piscium; quàm vt fratrē meum edendo scandalizem. Illud simile Rom. 14, *Bonum est non manducare carnem & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scādalizatur, aut infirmatur.* Quæ quidem sententia, perinde vt ista huius loci, significat quid Christianus ad euitandum fratris scandalum ex charitate facere vel omittere teneatur: quemadmodum illic annotauimus. Quare si quis nunquam posset sine scādalo fratris comedere carnes, aut alium quemlibet cibū: deberet ille tota vita ab eo cibo abstinere. Quanquam casus huiusmodi non facilè eueniat. Cùm enim inrelligatur hæc doctrina de scandalo hominis infirmi, nō autem malicioſi; id est, vt Theologi loquuntur, de scandalo dato, non accepto; potest is qui infirmus est sufficienter instrui & doceri, fratrem bene agere; quodque eius facto offendi non debeat. Post quam sufficientem ac plenam instructionem, si adhuc in scandalo perseueret, non erit illud scandalum datum sed acceptum; quia non iam ex infirmitate procedet, sed ex malicia: quale erat scandalum Phatisæorum, quod Dominus in euangelio docuit non esse curandum, Matth. 15. Hinc igitur responsio patet ad istam quæstionem & similes; An catholicus debeat potius emori fame, quàm in sacra quadragesima carnes comedere, constitutus inter infideles, aut ab ijs detentus, si nihil aliud in promptu sit aut haberi possit quod edat: aut si ad esum carnium vrgeat valetudinis necessitas. Nam si qui siue fideles, siue infideles per infirmitatem scandalum ex eius facto sint passuri durante scandalo abstinendum est, etiam cum vitæ seu valetudinis periculo. Par ratio si cederet eiusmodi comestio in detrimentum honoris diuini: vt si carnes offerantur in contemptum religionis, aut legis diuinę vel ecclesiasticæ: quemadmodum olim Eleazaro seni, & septem fratribus Machabæis; quorū martyria describuntur 2 Machab. 6 & 7. Porrò locus hic apostoli, totaque eius disputatio, satis ostendit quàm graue sit peccatum scandali fraterni: id quod etiam manifestius declarant verba Christi, quibus affirmat satius esse, vt suspensa ad collum mola asinaria demergatur quis in profundum maris, quàm vt scādalizet vnum ex pusillis, Matth. 18. Quæri hic posset de idolothytis, vtrùm extra casus supradictos, vel apostolorum tempore, quorum exstabat decretum de non edendis immolatis simulacrorū Act. 15, licitus fuerit eorum esus; vel nunc licitus sit. Sed quoniam infrà cap. 10 resumit apostolus argumentū de idolothytis; idcirco nos opportunius ad eum vsq; locum huius quæstionis explicationem differemus.

Mori potius, quā fratrem scandalizare.

Scandalū aliud datū, aliud acceptum.

Quæstionum quarundam explicatio.

Abstinendum, vt euitetur scandalū & honoris diuini detrimentum.

Scandali fraterni quā graue peccatum.

SVMMARIVM.

Docet multis argumentis se potestatem habere sumptus exigendi pro ministerio euangelico: sed abstinuisse tamen, ne quod offendiculum daret euangelio: cuius causa omnibus omnia se factum dicit. Ad perseuerantiam certaminis & cursus Christiani, quo coronam assequantur incorruptibilem, suo hortatur exemplo.

CAPVT IX.

1 NON SVM LIBER? NON SVM APOSTOLVS? Ingreditur hoc capite Paulus aliud argumentum, simile tamen superiori; quo declarat se à multis licitis abstinuisse causa promouendæ salutis aliorum: ac nominatim ab accipiendis vitæ necessarijs, quæ sibi tanquam apostolo, ab ijs quibus euangelium annunciabat, ex Christi institutione debebantur. Qua in re explicāda plusculum immoratur, vt suo etiam exemplo doceat, non modò quàm studiosè cauēda sint infirmorum scandala, præsertim in re non necessaria, & à quâ facile sit abstinere, quale erat esus idolothytorum; verum in genere, quantum cuique curæ esse debeat proximorum salus atque profectus. In hoc enim tandem concludit totum hunc sermonem, ita inquiens: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Igitur seipsum quidem apostolus hoc capite commendat, sed iusta ratione: scilicet vt doctrinam vtilissimam, quam de scandalo fratrum euitando tradiderat, ab exemplo suo confirmet: quemadmodum illud idem facit in secunda epistola, aliam ob causam: nempe propter pseudapostolos, qui ipsius ministeriū deprimebant. Atque interim libenter occasionem arripuit pressiùs exponendi & inculcandi Corinthijs, qui ditiores erant quā largiores, quid iure deberetur ijs, qui prædicarēt euangelium. Dicit ergo: *Non sum liber? non sum apostolus?* vel, vt in Græcis codicibus ordine conuerso, *Non sum apostolus? non suns liber?* tametsi in editione Syriaca idem est ordo qui in Latinis. Sicque legunt veteres, Tertullianus lib. de pudicitia cap. 14. Augustinus de opere monachorum cap. 4, & alij. Et ipsa connexio sermonis cum superioribus, hūc ordinem postulat: quemadmodum & cum sequentibus; vt facile est animaduertere. Sunt autem erotemata, quæ vim habeant indubitatæ affirmationis: ac si dicat, omnino ac citra controuersiam se liberum & apostolum esse. Iacobus Faber hæc duo membra cum tertio sequente, *Nonne Christum Iesum* &c. legi mauult sine interrogatione, tanquam verba detractorum Pauli, ab ipso resumpta vt ea refellat: quod alioqui tumens & arrogans videatur oratio, quæ Paulinæ modestiæ non congruat. Verum *non est quod metuamus*, vt bene Erasmus annotat, *ne hæc videantur arrogantius dicta à Paulo: Nihil enim magis in illum conuenit, quam huius-*

Paulus seipsum commendans, iusta ratione.

modi

modi ſancta quædam oſtentatio, & pia inſolentia: qua alijs quoque locis vtitur. Adde quòd in tertio membro nõ eſt οὐ, ſed οὐχί, interrogãdi aduerbium; nec aliter fere in ſacris literis vſurpatum. Porro liberum ſe dicit apoſtolus, non ab alieno ſumptu, vt planè contra mentem apoſtoli Caietanus interpretatur. Nam nec ea libertas eſſet, ſed ſeruitus quædam, etſi voluntaria; euangeliſtam ab alieno ſumptu abſtinere, ac de proprio viuere. Sed liberum, vt plerique interpretantur, à præcepto vetante ne ex euangelio viuat, & ſumptum accipiat apoſtolorum more. Non enim hoc Paulo minus licebat quam cæteris apoſtolis. Sunt qui libertatem hic intelligant veſcendi quibuſlibet: nam proximè dixerat: *non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* Id, inquit, non dixi, quaſi non ſit mihi liberum quiduis edere: Sed charitas fratris admonet hac libertate mihi non eſſe vtendum cum eius ſcandalo: quemadmodum vrget eadem charitas, ne ſumptum à vobis accipiam tanquam veſter apoſtolus, quamuis accipiendi ius habeam. Fortè rectius liberum intelligas generali ſignificatione, quæ ſenſum vtrumque iam dictum comprehendat. Sic enim generaliter liberum ſe vocat infrà dicens: *Cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci.* Itaque liber, id eſt, nemini lege aut præcepto ſpecialiter obnoxius: veluti qui conditione aut pacto ſunt alijs obligati. Apoſtolum verò ſe dicit, vt qui tãquam apoſtolus, vti poſſit apoſtolorum iure, quod eſt ex euangelio viuere. Sic enim ait 1 Theſſ. 2, *Cum poſſemus vobis oneri eſſe, vt Chriſti apoſtoli.* Quanquam non ſolis apoſtolis, ſed omnibus euangelij prædicatoribus illud ius ex ordinatione Chriſti Domini competit, vt infrà docet.

Paulus quo ſenſu liberum ſe dicat.

NONNE CHRISTVM IESVM DOMINVM NOSTRVM VIDI? In Græcis ordo, *Ieſum Chriſtum.* Ne quis obijciat alios apoſtolos ipſo maiores eſſe, quibus nec comparandus ſit; eo quod Chriſtum quocum illi fuerant familiariter conuerſati, nunquam vidiſſet; ideoque plus iuris apoſtolici illis merirò tribuendum: dicit & affirmat ſe quoque Chriſtum in carne vidiſſe, nimirum oculis corporeis. Neq; enim ſufficit huic loco, vbi ſe confert cum alijs apoſtolis, commentarius de viſione ecſtatica. Sic infrà cap. 15, *Nouiſſimè omnium tanquam abortiuo viſus eſt & mihi.* Cæterùm quando viderit, num in ipſa ſuæ conuerſionis hora, an intra triduum à conuerſione proximum, an autem alio quopiam tempore (Sunt enim diuerſæ ea de re opiniones) inferiùs ad locum memoratum exponemus.

Paulus Chriſtũ in carne vidit oculis corporeis.

NONNE OPVS MEVM VOS ESTIS IN DOMINO? *Nonne*, Græcè οὐ *non*, quemadmodum in primo & ſecundo membro. Sed, vt dictum eſt, interrogatiuè eo vtitur apoſtolus; ita tamẽ vt interrogando affirmet. Certè, inquit, vos Corinthij negare non poteſtis me eſſe apoſtolum, neque meam apoſtolici muneris dignitatem imminuere debetis: vt qui apoſtolatu maximè functus fuerim apud vos. Nam ego primus omnium vobis Chriſtum prædicaui, voſque fideles feci, & in Ieſu Chriſto vos genui: ideoque *opus meum vos eſtis in Domino*, id eſt, in fide ac religione Chriſti. Sic enim ſuũ opus eos vocat in Domino, quẽadmodum ſuprà cap. 4, filios à ſe genitos *in Chriſto.*

Corinthij opus Pauli apoſtoli.

2 ET SI ALIIS NON SVM APOSTOLVS, SED TAMEN VOBIS SVM. *Etſi* duæ dictiones ſunt, tametſi in Græco & in vetuſtis quibuſdam Latinis, nec non in textu & cõmentario Ambroſ. priorum editionum, *ſi* tantum legitur. Non negat Paulus ſe alijs apoſtolum fuiſſe, qui *ab Ieruſalem per circuitum vſque ad Illyricũ* repleuerat *euangelium Chriſti*, Rom. 15, & *plus omnibus* laborauerat, infrà cap. 15, Sed per cõceſſionem quandam loquitur, ac ſi dicat: Eſto non ſim alijs apoſtolus: at ſanè negari non poteſt veſtrum apoſtolum me eſſe.

NAM SIGNACVLVM APOSTOLATVS MEI VOS ESTIS IN DOMINO. *Signaculum*, Græcè σφραγὶς, id eſt *ſigillum*, quod haberi ſolet apud homines certum ſignum veritatis. Nam vos, inquit, mei filij, meumque opus in Domino, certum eſtis argumẽtum apoſtolatus mei. Si quis ſcire voluerit an ſim apoſtolus; vos oſtendam, apud quos manifeſta & indubitata mei apoſtolatus exſtant indicia ac documenta: primum fides Chriſti, quam me prædicante recepiſtis; deinde multa & varia Spiritus ſancti chariſmata, quæ per fidem apud vos vigent, de quibus infrà cap. 12 & 14. Huc referendum & illud quod ſcribit 2 Cor. 13, *Signa tamen apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos, in ſignis, prodigijs & virtutibus.*

Corinthij ſigillum apoſtolatus Pauli.

3 MEA DEFENSIO APVD EOS QVI ME INTERROGANT, HÆC EST. Demonſtratio ſpectat ſuperiora, nõ ſequentia, quod putant nõnulli. *Defenſio*, Græcè ἀπολογία, id eſt reſpõſio quę fit defendendi cauſa. *Apud eos*, Græcè datiuus eſt ſine præpoſitione, τοῖς ἐμὲ ἀνακρίνουσι. Quod bene vertit interpres noſter, Eraſmo ſuffragãte, *apud eos qui me interrogant*: nec malè Faber, *aduerſus eos.* Nam quod Auguſtinus legit *ad eos*, de opere monachorum cap. 4, minus conuenit. Porrò verbum ἀνακρίνειν propriè quidem ſignificat diiudicare; ſed ferè capitur pro eo quod eſt interrogare modo & via examinis. Sic enim & infrà cap. 10 ſemel & iterum: *nihil interrogantes* (ἀνακρίνοντες) *propter conſcientiam.* Habetque verbum hoc interdum ſignificationẽ forenſem; vt Latinis, quærere; quod dicunt informationem facere. Senſus; Si quis meum apoſtolatum in dubium vocant, meq; diſcutiunt, examinant & inquirunt, quo argumento doceam apoſtolum me eſſe: reſpõdeo in vobis exſiſtere certa & euidentia mei apoſtolatus argumenta; Atque hæc mea apud illos, ſiue aduerſus illos, defenſio eſt.

Significatio verbi ἀνακρίνειν.

4 NVNQVID NON HABEMVS POTESTATEM MANDVCANDI ET BIBENDI? Docuit ſe apoſtolum eſſe; nunc probat ſe liberum. Qui probationis ordo nonnihil fauet lectioni Græcorum, iuxta quam initio capitis prius apoſtolũ,

deinde

deinde liberum ſe nominauit. Loquitur autem plurali numero, quia mox ſibi ſocium adiuncturus eſt alterum apoſtolum, Barnabam. Suprà quidem ſingulari numero vſus; quia ſuperiora non perinde erant Barnabæ communia; vt Dominum vidiſſe, & Corinthios eſſe opus eius; adeoque apoſtolum eſſe conferendum cum primis. Porrò poteſtatem ex euangelio viuendi vocat poteſtatem edendi & bibendi: quoniam & Chriſtus qui poteſtatem illam dedit, ſic eam expreſſit, Luc. 10 dicens, *In eadem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos ſunt.* Sub his enim cætera vitæ neceſſaria comprehenduntur.

Poteſtas edendi & bibendi quæ ſit.

5 NVNQVID NON HABEMVS POTESTATEM MVLIEREM SOROREM CIRCVMDVCENDI? *Mulierem ſororem*, Græcè & Syriacè, *ſororem mulierem.* Quo ordine legitur etiam in vetuſtis quibuſdam Latinis. Atque ita citant Auguſtinus loco ſuperius indicato, & Hieronymus ad cap. 27 Matthæi; ſed hic quidem plurali numero *ſorores mulieres*. Quanquam idem Hieronymus lib. 1 contra Iouinianum cap. 14, & ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis cap. 8, itemque commentator Amb. Pelagius ac Sedulius tantum *mulieres* legunt: vt & Tertullianus lib. de pudicitia cap. 14, de exhortatione caſtitatis cap. 8, & de monogamia cap. 8. Imò videtur Hieronymus loco iam dicto contra Iouinianum, eam lectionem quæ ſororis aut ſororum meminit, ita Græcis codicibus propriam facere, vt à Latinis excludat. Qua tamen in re cum Latinis conuenit tractatus de ſingularitate clericorum, qui Cypriano perperam aſſcriptus, Origenis eſſe putatur, interprete Ruffino. Nam ſemel & iterum citans hunc apoſtoli locum, pluraliter dicit *mulieres*, nec addit *ſorores*. Occaſio murandi numeri fuiſſe potuit, quia plurali numero dicit apoſtolus: *Nunquid non habemus poteſtatem* &c. Cur autem ſororis vocabulum omiſſum fuerit, ratio non occurrit. Nunc certè tam Latini quàm Græci codices conſtanter legunt *ſororem*. Quo nomine Chriſtianam intelligi, non eſt dubium apud interpretes. Is enim mos erat eccleſiæ primitiuæ, Chriſtianos, fratres; & Chriſtianas, ſorores appellare. Baronius in annalibus ad annum Domini 57, putat hunc locum accipi poſſe de ſorore Pauli ſecundum carnem, cuius mentio fit Actorum 23. Verùm textus repugnat, quia loquitur plurali numero, *Nunquid non habemus poteſtatem* &c. & addit, *ſicut cæteri apoſtoli*. Iam quod dicit *mulierem ſororem*, vel *ſororem mulierem*, ſimile eſt cum eo quod Petrus & Iacobus & Paulus ipſe in Actis apoſtolicis Iudæos alloquentes dixiſſe leguntur: *Viri fratres*, vtique Iudæorum more. Conſtat autem Græcam vocem γυναῖκα communem eſſe ad ſignificandum mulierem & vxorem. Vnde nonnulli ex hoc loco ſuſpicati ſunt Paulum habuiſſe vxorem; idque eo adhuc tempore quo hæc ſcripſit. Huius opinionis inter veteres fuit Clemens Alexandrinus; vt patet ex eius libro 3 ſtromatum, vbi referens huius loci verba, ſimul & alterius qui eſt ad Philip. 4, confirmat apoſtolo Paulo vxorem fuiſſe: quam tamen ſororis, non vxoris loco haberet. Sic enim intelligit illud ἀδελφὴν γυναῖκα, *ſororem vxorem*. Neque enim de vxore retenta ad vſum coniugalem quiſquam probus interpres hunc locum intellexit. Vnde malè hinc ſibi noui blandiuntur euangelici miniſtri, qui vxoribus ſe poſſe carere negant. Eadem porrò ſententia quam tradit Clemens, inter neotericos Laurentio Vallæ placuit in ſuis ad hunc locum annotationibus, & Catharino in commentarijs: item Iacobo Fabro, qui vertit *vxorem*, & eam verſionem in examinatione literæ defendit, plura promittens ad locum Philip. 4. Horum argumentum eſt, quia Paulus cum dixiſſet *ſororem*, addidit *mulierem*: quæ additio nugatoria ſit, niſi vxorem voluiſſet intelligi: cùm alioquin omnis ſoror mulier ſit. In quo primum falluntur, non animaduertentes tam γυναῖκα Græcè quàm mulierem Latinè non dici niſi de ea quæ ſit ætatis adultæ, vt vxor fieri poſſit. Quocirca non eis concedimus omnem ſororem mulierem eſſe. Sed vt hoc diſſimuletur; facilis adhuc reſponſio eſt, frequens eſſe, vt verborum ordine præcedat, quod conſtructione & ſenſu ſequitur: idque interdum etiam fieri in appoſitiua locutione. Cuius rei duplex exemplum eſt Dan. 8 in his verbis: *Cum eſſem in Suſan caſtro, quod eſt in Aelam regione*: quum recto ordine dicendum fuiſſet, In caſtro Suſan quod eſt in regione Aelam. Ita 1 Machab. 3, *Transfretauit Euphratem fluuium*. Et vt de nouo teſtamento proferam exempla: Marc. 1 dicitur, *Et baptizabantur ab illo in Iordane flumine*. Sic enim habent Græca: non *in Iordanis flumine*. Et Hebr. 12, *Sed acceſſiſtis ad Sion montem*. Quo loco quum Eraſmus & alij verterint *ad montem Sion*; quid eſt cur hic diſpliceat vulgatum interpretem ſimili metatheſi vertiſſe (ſi tamen ita vertit) *mulierem ſororem*; niſi quia ſuſpicio de vxore Pauli quibuſdam nimium arriſit? Alioqui non magis de vxore cogitationem ingerere debet, quod dicit *ſororem mulierem*; quàm ſi Chriſtianam mulierem dixiſſet. Nec verò *ſororem mulierem* aliter dicere potuit Græcè, quàm ἀδελφὴν γυναῖκα: etſi minimè vellet vxorem intelligi. Certè Paulum cælibem fuiſſe, quo tempore ſcripſit hanc epiſtolam, ſatis arbitror conſtare ex ipſius verbis, quæ ſcripſit ſuprà cap. 7 verſu 7 & 8, & ex patrum teſtimonijs ibidem à nobis allegatis. Quorum authoritati Clementis opinionem de vxore Pauli inter veteres ſingularem, iure merito poſtponimus. Et quod ad hunc locum attinet, commentarium de vxore ex profeſſo reijcit Hieronymus lib. 1 contra Iouinianum cap. 14. ac docet

Opinio quorũdã Paulum habuiſſe vxorem.

Soluitur argumentum dictæ opinionis ex hoc loco ſumptum.

Chriſtiani fratres & Chriſtianæ ſorores olim dictæ.

Paulus cælebs.

Quæ Paulus vocet mulierem ſororem.

apoſtolum *loqui de ſanctis* quibuſdam *mulieribus, quæ iuxta morem Iudaicum magiſtris de ſua ſubſtantia miniſtrabant: ſicut legimus*, inquit, *ipſi quoque Domino factitatum.* Eadem tradit Auguſtinus lib. de opere monachorum capit. 4 & 5. Vterque verò ex ipſius apoſtoli verbis & verborum contextu conuincit falſos eos fuiſſe qui Græcam vocem ambiguam, interpretati ſunt vxorem. Cum his planè ſentiunt commentator Ambro. & Sedulius: nec non Primaſius ad Auguſtini verba alludens. Sed & antiquiſſimus Tertullianus libro de monogamia capit. 8 diſertè negat de vxore Paulum hic agere: probatque ijſdem argumentis, quibus vſi poſtea fuerunt Hieronymus & Auguſtinus. Quem locum opponimus ijs qui pro diuerſa ſententia Tertullianum adducunt, vtpote libro de exhortatione caſtitatis cap. 8 ita loquentem: *Licebat & apoſtolis nubere, & vxores circumducere.* Nec enim ea verba Tertullianus ex ſua dicit perſona, ſed eorum qui ſecundas nuptias quas ipſe oppugnat, ex hoc loco Paulino probare nitebantur, huiuſmodi argumento: Si licuit apoſtolis vxores circumducere, licuit & accipere, etiam priore mortua: cùm ſermo Pauli ſit generalis. Vbi Tertullianus quod de circumducendis vxoribus dicitur, pro loco diſſimulans, tantum reſpondet Paulum, vt ad exemplum nos ſuum prouocaret, his vſum non fuiſſe, quæ ſibi licere dixerat. Vide ſcholion Iacobi Pamelij ad ea verba Tertulliani. Iam verò Latinis accedunt & Græci commentatores; qui omnes non de vxore, ſed de muliere rerum victualium curatrice, locum hunc interpretati ſunt. Eam quippe fuiſſe apoſtolorum conſuetudinem, vt diuites feminas comites haberent, quibus neceſſaria vitæ ſubminiſtrantibus, ipſi ſecurius atque expeditius euangelio vacarent. Ac ſanè ad hunc intellectum cogit exemplum Chriſti, cuius & authores ſuprà dicti, præſertim Latini, meminerunt. Nam de eo refert Lucas capit. 8, quod eum ſecutæ *mulieres aliquæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* Hoc autem erat mulieres circumducere. Quo potiſſimum exemplo idipſum fecerunt apoſtoli. Quod ſi nefas eſt eo loco vxorem, vel quod longè eſt abſurdius, vxores ſuſpicari: neque igitur hic de vxore Paulum loqui putandum eſt. Et quidem quod ad apoſtolos attinet, qui cum Chriſto fuere conuerſati, primùm, de nullo eorum conſtare, excepto Petro, quod vxorem habuerit, authores ſunt Tertullianus libro de monogamia capit 8, & Hieronymus libro 1 aduerſus Iouinianum cap. 14. Deinde vt habuerint: quod de omnibus præter Ioannem ſentire videtur Ignatius in epiſtola ad Philadelphios; & nos de quibuſdam non negamus: de nullo tamen omnium doceri poteſt, quod euangelizans vxorem circumduxerit. Nec ratio patitur id opinari de illis qui Chriſtum ſecuti omnia reliquerant, etiam vxores, Matth. 19. Non enim facilè creditur eſſe continens ab vxore, qui eam apud ſe retinet, perque regiones & domos comitem trahit. Vt igitur ad verba Pauli redeamus; ea ſenſum hunc habent planum & perſpicuum: An non ego & Barnabas habemus poteſtatem adducendi nobiſcum, quoties euangelij cauſa terras obimus, aliquam mulierem Chriſtianam, quæ ſuis ſumptibus (aut etiam alienis, vt vult Caietanus) miniſtret nobis ea quæ ſunt humanæ neceſſitatis? Nominat autem mulierem potius quàm virum: quia ſic erat apud Iudæos conſuetudo: propterea quod ad huiuſmodi miniſteria, vel aptiores, vel promptiores ac magis officioſæ, ſoleant eſſe mulieres. Si quæras, quomodo mulierem quæ vxor non eſſet, circumducere, non fuerit apud homines, ſaltem infirmiores, ſcandaloſum: Reſpondetur, apud Iudæos non fuiſſe; quia fiebat conſuetudine in tantum recepta, vt & CHRISTVS Dominus eandem circa ſe admittere non fuerit dedignatus. Neque enim aſſumebantur ad huiuſmodi miniſterium mulieres, niſi quarum caſtitas cum pietate coniuncta, adeò nota eſſet ac probata; vt omnem excluderet incontinentiæ ſuſpicionem. Adde quod & apoſtolorum ea fuit vitæ perfectio, & perfectionis apud omnes exiſtimatio; vt nemo facilè ſiniſtrum quid, propter feminas comites, de eis ſuſpicari potuerit. quemadmodum nec Iudæi, quantumuis maleuoli, tale quid de CHRISTO ſuſpicati fuiſſe, ac ne quidem per calumniam obiecisſe, leguntur. Verùm quia factum huiuſmodi poterat offendere gentiles, apud quos inopinabile erat mulierem paſſim circumducere & non tangere: propterea Paulus gentium apoſtolus, ne quod obſtaculum poneret euangelio, prudenter admodum exiſtimauit ab eo ſibi abſtinendum. Qua de re tota ſic Hieronymus in commentario ſuper Matthæum ad illud capit. 27, *Erant autem ibi mulieres, quæ ſecutæ fuerant* IESVM *à Galilæa, miniſtrantes ei: Conſuetudinis*, inquit, *Iudaicæ fuit; nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, vt mulieres de ſubſtantia ſua victum atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent. Hoc quia ſcandalum facere poterat in nationibus, Paulus abieciſſe ſe memorat.* Sic ille. De loco Philipp. 4, quem perinde vt iſtum nouatores ad vxorem Pauli referunt, agemus illic accuratè: ſimul ad Ignatium martyrem, quem ſuæ ſententiæ volunt eſſe, reſponſuri.

SICVT ET CÆTERI APOSTOLI ET FRATRES DOMINI ET CEPHAS? Hæc pars non ad id ſolum refertur quod proximè præceſſit, de ſorore muliere circumducenda: ſed ſimul ad illud ſuperius: *Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi?* Quare quod de muliere circumducenda dixit, non eſt neceſſe intelligi factum ab omnibus

Tertulliani locus expenſus.

Conſuetudo circũducendi mulieres qualis.

Qui apoſtoli vxores habuerint.

Cur circũducere mulierem non fuerit ſcandaloſum.

bus apoſtolis cæteris, & à fratribus Domini, & ab ipſo Cepha, id eſt Petro; ſed ab aliquibus iſtorum. Quod addit, *& fratres Domini, & Cephas*, cum auxeſi dicitur. Intendit enim orationem velut gradibus quibuſdam; ac ſi dicat; An non habemus poteſtatem prædictorum, quam habent, quaque vtuntur cæteri apoſtoli, etiam qui inter eos præcipui, id eſt fratres Domini; adeoque ipſe Petrus princeps & caput apoſtolorum? Nam Petrum vltimo loco nominatum tanquam cęteris maiorem atteſtantur Græcorum commentarij. Sic enim & primo capite huius epiſtolæ gradatim ad maiores aſſcendit, quando poſt ſe nominauit Apollo, Petrum, Chriſtum. Sic & angelus ad mulieres Marci vltimo, *Ite*, inquit, *dicite diſcipulis eius & Petro*. Fratres Domini qui dicantur tam hoc loco, quàm apud euangeliſtas (vt qui omnes fratrum Domini meminerunt) vetus quæſtio eſt. Vbi primum cauendus exſecrabilis error infideliũ Iudæorum, qui fratres germanos Domino Ieſu aſſignant, tanquam nato ex Ioſeph & Maria coniugibus, ex quibus & illos genitos volunt. Cauendus item error Heluidij, qui Domino fratres aſſcribebat vterinos. Nam etſi fateretur Dominum ex Maria virgine natum, eos tamen qui fratres Domini in ſcriptura vocantur, eiuſdem Mariæ matris Domini filios ex Ioſeph poſtea ſuſceptos dicebat, detrahens perpetuæ eius virginitati. Quem errorem doctè & ſolidè refutauit ex ſcripturis S. Hieronymus libro aduerſus Heluidium ſcripto. Eccleſia verò ſemper vt hæreſim deteſtata eſt: ipſius potiſſimùm virginis inſtructa certiſſimo fideque digniſſimo teſtimonio, ſic loquentis ad angelum diuini partus nuncium: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Luc. 1. Cæterum multorum opinio fuit fratres Domini vocari filios Ioſeph ex alia coniuge priore; qua mortua duxerit beatam Mariam: vt quomodo Ioſeph pater Domini fuit putatiuus, ſic & illi fratres eius putatiui fuerint; fratres, inquam, ex eodem patre, licet matre diuerſa geniti. Ita ſenſerunt Origenes ſuper Matth. cap. 13, Euſebius hiſtoriæ eccleſiaſticæ lib. 2 cap. 1, Hilarius canone 1 in Matthæum, Epiphanius in hæreſi 28, & 78. item commentator Ambroſ. in epiſtolam ad Galatas 1. & his omnibus antiquior Hyppolitus Portuenſis, citante Nicephoro libro 2 ſuæ hiſtoriæ cap. 3. Sic quoque Theophylactus paſſim; vt ſcribens in Matth. 13 & 27, & Ioan. 19, & epiſtolam ad Gal. 1. item Euthymius in Matt. 12 & 27, Oecumenius in hunc locum, & Caietanus in epiſtolam ad Galatas. Verùm hanc opinionem Hieronymus in commentario Matthæi 12, ad apocryphorum deliramenta reijcit: & aduerſus Heluidium diſſerens cap. 9 refellit; vocans nõ tam piam quàm audacem temeritatem eorum qui huiuſce figmenti ſunt authores. Certè ſcriptura nuſquam aliquid tale ſignificat: nec verò cõgruit dignitati beatiſſimæ Virginis, attribuere ei virum non virginem, ſed prius vxoratum, & è priore coniugio liberis onuſtum; atque eorum cura diſtentum: cui cuſtodia mandanda erat pueri ſaluatoris, ſimul & matris, inter pericula perſequentium. Vt & hoc addam, parum decere matrem Domini, nouercam eſſe filiorum Ioſeph. Præterea ſi fratres Domini putatiuè tantum dicerẽtur, non honoris cauſa Iacobum fratrem Domini Paulus appellaret Gal. 1. vt nec fratres Domini hoc loco. Nõ enim verus eſt honor ab excellentia putatiua. Qua ratione etiam illorum infirmatur opinio, qui fratres Domini interpretãtur propinquos eius ex parte Ioſeph: extenſo videlicet fratrum nomine ad cognatos in genere. Nam & ſic à putatiua fraternitate non receditur, vt quæ nitatur patre putatiuo. Dicamus igitur, quod habet ſententia verior, eademque apud Latinos communior: fratres Domini veros intelligi, id eſt ex parte B. Mariæ virginis, quæ verè & propriè mater Domini fuit: extenſo tamen, vt dictum eſt, nomine fratrum ad quoſlibet cognatos ſeu carne propinquos: idque iuxta morem Hebraici ac Syriaci ſermonis, qui frequens eſt in ſacris literis: quod bene declarat Hieronymus aduerſus Heluidium capit. 8. Confirmatur hæc ſententia, primùm ex eo quod fratres Domini nuſquam nominantur cum Ioſeph, ſed cum matre Ieſu; tanquam ex eius parte fratres, id eſt propinqui ipſius. Loca ſunt Matth. 12 & 13. Marc. 3 & 6. Luc. 8. Ioan. 2, & Act. 1. Deinde ex narratione Ioannis, qui capit. 19 Mariam Cleophæ ſororem matris Domini diſertè nuncupat. Erat autem Maria Cleophæ eadem cum Maria matre Iacobi & Ioſeph, ſiue vt in Græco Ioſæ (Hieronymus Ioſetem vocat) fratrum Domini: quẽadmodum ex collatione Matth. 27 & Mar. 15, cum dicto loco Ioãnis, perſpicuè deducit idẽ Hieronymus contra Heluidium cap. 7, & alij poſt eum. Nec tamen hinc colligas Mariam matrem Domini non fuiſſe vnigenitam ſuis parentibus. Nam vt ſecũdum & tertium Annæ matris eius maritum prorſus repudiamus; ita duas aut tres illi filias eiuſdẽ nominis fuiſſe, quod vulgo putatur, nõ eſt veriſimile: cum nomina filijs & filiabus imponantur ad diſtinctionem. Sed ſororem matris Domini dixit Ioannes, eo ſenſu quo fratres Domini dixerat, eiuſdem ſui euangelij cap. 2 & 7. & quomodo ſorores Domini dictæ ſunt apud Matthæum 13, & Marcum 6. Fuit igitur Maria Cleophæ ſoror matris Domini, id eſt cognata, fortè conſobrina, certè ita propinqua, vt eius filij fratres domini poſſent appellari. Qui quidem fuerunt iuxta Matthæi & Marci locis proximè citatis enumerationem, *Iacobus & Ioſeph*, Græcè *Ioſes*, *& Simon & Iudas*. licet opinentur nonnulli duos poſteriores non fuiſſe germanos priorum, ſed ex alia quapiam matre propinquitatem habuiſſe cum Chriſto: propterea quod Maria tantum legatur Iacobi & Ioſeph mater, Mat. 27 & Mar. 15.

Fratres Domini qui dicãtur.

Error Iudæorum.

Error Heluidij.

Aliorum opinio de fratribus Domini: ſed improbanda.

Alia quorundam opinio refellitur.

Cõmunis & vera ſententia de fratribus Domini.

B. Maria vnigenita

B. Anna monogama.

An filij Zebedæi fratres Domini.

Quod si ita est; fatēdum erit Iudam qui se fratrem Iacobi nominat in sua epistola, nec germanum nec vterinum Iacobi fratrem fuisse, sed tantum ea generali ratione, qua fratres, vt ante dictum est, vocantur propinqui. Porrò multi hoc loco etiam Ioannem, & consequenter fratrem eius Iacobum, inter fratres Domini numerant, vt Haymo, Aquinas, Carthusianus, glossam interlinealem secuti: & his recentiores Erasmus, Gaignæus, Hofmeisterus, Titelmannus, Guilliaudus: addo etiam Caluinum. Ac simile quid habet Theophylactus in prologo super euangelium Ioannis. Sed & vulgo putatur hos duos fratres cognationis fiducia ausos petere à Christo primas sedes in eius regno, Matth. 20. Verùm hæc opinio nata videtur ex apocryphis nec fide dignis historijs, partim ea quam refert de Ioseph viro B. Mariæ Theophylactus loco iam dicto: partim altera passim recepta, quæ B. Annæ tres filias asscribit, quarum vnam dicunt illam quæ ex Zebedæo Iacobum & Ioannem susceperit. Certè patres antiquiores huius cognationis non meminerunt. Et quidem Epiphanius vtroque loco suprà citato, disertè negat Ioannem Christo fuisse carne propinquū. Quā sententiā meritò probant hac ætate viri doctissimi Corn. Ianssenius & Io. Hesselius in suis ad locum Matth. 20 cōmentarijs, & Ioan. Molanus lib. 3 historiæ SS. imaginum cap. 28. Etenim cùm frequenter horum fratrum mentio fiat in scriptura; nusquam tamen quod fratres Domini fuerint indicatur: Imò potius negatur. Cùm enim inter apostolos Christi duo fuerint Iacobi; non vterque, sed alter ad discrimen alterius, frater Domini legitur appellatus.

Negatiua probatur.

6 AVT EGO SOLVS ET BARNABAS NON HABEMVS POTESTATEM HOC OPERANDI? Græcè, *Aut solus ego & Barnabas*. Ita dictio *solus* commodius etiam Barnabam comprehendit. Cæterùm Barnabæ meminit, quod eū in prædicando gentibus euangelio, & per hoc in abstinetia sumptuum alienorum, habuisset socium. Pariter enim ad gentium conuersionē Paulus & Barnabas missi fuerūt à Spiritu-sancto, Act. 13. Hic obserua Pauli candorem, qui laudem hanc abstinentiæ non sibi soli vendicat; sed Barnabam eius participem libenter ac sponte declarat. *Hoc operandi*, id est faciendi quod cæteri faciunt, viuendi ex euangelio & mulierem circumducendi. Sic ferè Latini exponunt, ac nominatim commentator Ambr. At sciendum in Græco & Syriaco legi *non operandi*. Atque ita vertisse nostrum interpretem verisimile est. Sic enim etiam Augustinus lib. de opere monachorum cap. 7 & legit & exponit. Cuius verba Beda quoque in sua collectanea retulit. Ac meminit huius lectionis glossator interlinealis, inquiens: *vel potestatem non operandi, id est, cessandi à labore manuū.* Quę eadem verba inter lineas scripta vidimus in peruetusto codice Laudensi. Vtramq; verò lectionem adfert & interpretatur Lombardus.

Pauli cādor.

Est; sensus Græcæ lectionis perspicuus: Alij, inquit apostolus, non operantur manibus, sed viuūt ex euāgelio, vtentes potestate sibi data à Christo. An solus ego & Barnabas potestatē non operandi manibus non habemus, vt & nobis liceat ex euangelio viuere? Constat autem ex alijs locis Paulum operatum fuisse manibus, præcipuè Corinthi: ne qua remora fieret euangelio currenti, si sumptum acciperet ab ijs quibus euangelium ministrabat. Idque de se iam suprà testatus est cap. 4 dicens: *Laboramus operantes manibus nostris*. Vide quæ illic à nobis annotata. Sensum hunc confirmat Græcum verbum ἐργάζεσθαι, *operari*; quo significari solet opus manuum: atque eo passim vtitur apostolus cùm de opere manuum loquitur. Hæc omnium Græcorum expositio est. Itaque miror Erasmi fluctuationem in annotationibus: vbi cùm præsentem locum bene ex Chrysostomo & Theophylacto exposuisset; postea ad diuersum sensum delabitur, tanquam *duabus negationibus ἐ μὴ vnius vice sit abusus* apostolus: quod Græca minimè permittunt, obstante articulo τῦ, verbum infinitum determinante; τῦ μὴ ἐργάζεσθαι, id est (vt crassè explicem) *eius quod est non operari*.

Potestas non operandi.

7 QVIS MILITAT SVIS STIPENDIIS VNQVAM? Deinceps argumentis quibusdam ostendit, tam se quàm alios euangelij ministros habere potestatem viuendi ex euangelio. Est enim tota probatio communis omnibus euāgelij prædicatoribus, & in vniuersum ecclesiæ ministris, quatenus indigeāt sumptu ad vitam in obeundis ministerijs sustentandam. Primū autem argumentatur ab exemplis humanis, scilicet militum, agricolarum & pastorum. Neque enim miles tenetur suo sumptu militare; sed à prouincialibus, vt Augustinus loquitur, accipit decreta sibi stipendia.

Potestas viuendi ex euangelio multis argumentis probata.

QVIS PLANTAT VINEAM, ET DE FRVCTV EIVS NON EDIT? Id est: Quis prohibetur edere de fructu vineę, vel cuiuslibet arboris à se plantatæ? quasi dicat, nemo.

QVIS PASCIT GREGEM, ET DE LACTE GREGIS NON MANDVCAT? Græcè, *Aut quis*? Et *edit* potius quàm *manducat*. vt in parte præcedenti vertit idem verbum ἐσθίει. Porrò sensus est similis. Significant enim hæ percontationes, non tam quid fiat, quàm quid iure fiat, ac fieri possit. Vult autem apostolus ex his similibus intelligi, quod ei qui Christo militat in euangelij prędicatione, debeatur stipendium ex quo viuat: & quod plantanti vineam Christi, sicut apud Corinthios ipse se fecisse commemorat suprà cap. 3 dicens, *Ego plantaui*; debeatur fructus ex vinea plantata; quodque pascenti gregem ouium Christi debeatur lac & lana ex ipso grege. Bene Chrysostomus admonet Paulum non dixisse: *Quis militat, & non est diues? Quis plantat vineam, & aurum non colligit? Quis pascit gregem, & de agnis non exercet mercaturam?* Sed militi stipendium, quod Græcè est ὀψώνιον; plantatori de fructu; pastori de lacte cibum

Admonitio Chrysostomi.

assignat:

assignat: ostendens *quod oportet doctorem paruo solatio esse contentum, soloq; necessario.*

8 NVNQVID SECVNDVM HOMINEM HÆC DICO? Græcè λαλῶ *loquor*. Plerique tam Græci quam Latini subaudiunt exclusiuam particulam; &, *secundum hominem*, exponunt secundum humanam rationem: vt sensus sit, An solum ex rebus humanis mihi suppetunt argumenta ad probandum quod dico, scilicet me & Barnabam habere potestatem ex euangelio viuendi? Alij sic; Nunquid hæc dico ex humano & carnali affectu; tanquam mihi, meisque commodis consulere volens? Fauere videtur huic sensui phrasis ipsa, *secundum hominem*, prout ea Paulus aliàs vtitur, vt Roman. 3, *Secundum hominem dico.* & huius epistolæ cap. 3, *Secundum hominem ambulatis.* & infrà cap. 15, *Si (secundum hominem) ad bestias pugnaui.* Verùm in priori sensu phrasim hanc vsurpauit Galat. 3, vbi similiter, vt hic fecit, à rebus humanis allaturus exemplum, id est à validitate testamenti humani, sic ait; *Fratres, secundum hominem dico* &c. Denique eidem sensui melius respondet quod sequitur:

Quid secundum hominem loqui.

AN ET LEX HÆC NON DICIT? Græcè, *Aut nonne & lex hæc dicit?* videlicet sub allegoria hoc ipsum docens, euangelij ministros habere potestatem ex euangelio viuendi. Legem veterem intelligit; quæ certè diuina est, non humana.

9 SCRIPTVM EST ENIM IN LEGE MOYSI. Nõ Moysi legislatoris, si propriè loquendum sit, sed ministri: qui legem à Deo acceptam Israelitis attulit. Neque enim scriptura Moysen vsquam legislatorem vocat. Et vtique plus est esse Dei ministrum in lege eius ferenda, quàm suam ferre legem.

Moyses nõ propriè legislator.

NON ALLIGABIS OS BOVI TRITVRANTI. *Alligabis* Græcè, φιμώσεις, significantius *obligabis*, vt alij verterunt. Locus est Deut. 25. Vbi quamuis *os* non exprimitur, includitur tamen in verbo tam Hebræo quàm Græco: vt obturare, siue obligare bouem, sit ligare os eius. Noster interpres eandem vocem, 1 Tim. 5, transtulit *infrænabis*. Liranus super Deuteronomium scribens *inroštrare* vocat. Nos ibidem ex versione S. Hieronymi sic legimus; *Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas.* Mos enim erat apud orientales, vt & hodie in quibusdam Galliæ locis, boum opera vti ad fruges pedibus triturandas. Qui verò tenaciores erant, bobus ora obligabant, ne de frugibus quas terebant, edere possent. Quod erat inclemẽtiæ cuiusdam & iniusticiæ; quam lex inhibet. Hebraismum nota, *ligabis* pro *ligato*.

NVNQVID DE BOBVS CVRA EST DEO? Omnium quidem & singulatum rerum curã & prouidentiam habet Deus, etiam in particulari, testante scriptura quòd Dei sapientia *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, Sap. 8. Hinc scriptum est, *Homines & iumenta saluabis Domine*, psal. 35. & iterum, *Qui dat iumentis escam ipsorum*, psal. 146. Quare & de pecoribus ita præcipit Ecclesiasticus cap. 7, *Pecora tibi sunt? attende illis*. Ipsumque adeò præceptum seu Dei seu Sapientis datum homini de iumentis & pecoribus, arguit illa Deo curæ esse. Non igitur absolutè curam boum à Deo remouet apostolus: sed quod dicit, hunc sensum habet; Num Deo cura est de bobus; vt propter illos det hominibus præcepta; ac non potius propter ipsos homines? Nam præceptum istud de ore boui trituranti non obligando, non boum sed hominum causa datum est; tum vt clementiæ & humanitati assuescerent; Vnde Salomon, *Nouit iustus iumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia*: Prouerb. 12. tum propriè, vt quod de bobus præcipitur, intelligerent sibi multo magis obseruandum erga homines: id est, ne eos quorum vtuntur opera, fraudarent alimonia debita. Maximè verò, ad significandum quid ministris verbi diuini tanquam bobus in area dominica triturantibus, debeatur ab illis quibus ministrant. Id enim est quod sequitur:

Prouidẽtia Dei pertingẽs ad omnia & singula.

Quo sensu non sit Deo cura de bobus.

10 AN NON PROPTER NOS VTIQVE HOC DICIT? Græcè, *An propter nos omnino dicit?* absque *non* & *hoc*: quæ voculæ etiam in multis Latinis ac probatis codicibus non habentur. Posterior asscripta videtur à nonnullis ad supplendum sensum: tametsi & in Græcis quibusdam, atque in Syris legatur. Sensus autem est: An potius existimandum est, omnino seu principaliter hoc Deũ præcepisse propter nos euangelij ministros? vt iam explicatum est.

NAM PROPTER NOS SCRIPTA SVNT. Græcum verbum ἐγράφη, cum sit numeri singularis, rectius vertas *scriptum est*: quemadmodum paulo antè γέγραπται. Nihil enim est quod cogat aut suadeat pluraliter vertendum. Nam de eodem adhuc testimonio scripturæ loquitur, affirmans id quod interrogatione quærebat, an propter nos hoc dictum esset.

QVONIAM DEBET IN SPE QVI ARAT ARARE. *In spe*, id est, cum spe, Hebraismus. Hæc noua sententia est, qua ad thesim probandã, scripturæ rationem subiungit. Vbi verbum *debet* sic expone, ei debetur; quomodo si quis dicat, Ego debeo patri succedere in hereditate: tale est ac si diceret; hereditas patris mihi debetur. Igitur sensus est: Siquidem & homo qui arat, meritò sperat fructum. Nam debetur ei pro suo labore: proinde fraudandus non est spe fructus inde percipiendi. Hanc enim spem explicat id quod sequitur.

ET QVI TRITVRAT, IN SPE FRVCTVS PERCIPIENDI. Græca sunt obscuriora sic enim habent; *Et qui triturat, spei suæ particeps esse in spe*. Supple *debet*. Hoc enim repetendum ex membro præcedente. Sensum verò bene reddidit interpres. Est autem huiusmodi: Et homo qui triturat fruges suas, id iure facit cum spe percipiendi fructum speratum, hoc

est, vtendi frumento à palea separato: neque ab ea spe prohibẽdus est. Itaque nota in Græco spem priori loco poni pro re sperata; quemadmodum & alibi interdum, vt Gal. 5, *Ex fide spem iusticiæ exspectamus.* & Tit. 2, *Exspectantes beatam spem.* Erasmus ita vertit, *Et qui triturat sub spe spei suæ particeps esse debet.* videlicet extrema particula *in spe*, vel *sub spe*, reducta ad verbum *triturat* initio positum. Sequuntur hoc Caietanus & alij quidam recentiores. Sed reuera coactior est ea versio: nec respondet priori membro: nec sensum facit perinde cõmodum. Quod verò quidam codices hoc loco non addunt *in spe*, inde factum arbitror, quia putabatur esse superfluum. Iam hinc colligi rursum vult apostolus, euangelij ministrũ, vtpote spiritualiter arantem & triturantem in agro & familia Dei, ius habere percipiẽdi fructum sustentationis ex opere suo spirituali. De quo iam sequitur.

Spes pro re sperata

11 SI NOS VOBIS SPIRITVALIA SEMINAVIMVS, MAGNVM EST SI NOS CARNALIA VESTRA METAMVS? Græcè θερίσωμεν *metemus.* Ratiocinatur ab inæqualitate dati & accepti; idque sub metaphora seminantis & metentis: qui multo plus exspectat è terra, quàm in eam proiecit. Hic verò contrarium accidit. Nam spiritualia quæ seminantur, incompatabiliter meliora sunt carnalibus quæ metuntur. Vnde nihil magnum, inquit, nobis præstatur, nec vobis onerosum videri debet, si nos spiritualia vobis subministrantes, vicissim carnalia recipiamus. Quãquam autem propter dictam inæqualitatem non potest alterum pro altero velut precium dari vel accipi: tamen ita dãtur spiritualia, vt inde nascatur in dante ius & potestas carnalia percipiendi; & in accipiẽte debitum reddendi. Spiritualia vocat doctrinam euangelicam & sacramenta per Spiritum-sanctum efficacia, quibus anima pascitur. Carnalia verò dicit alimenta, ac cætera subsidia quibus caro, id est corpus nutritur atque fouetur. Eandem sententiam apostolus Rom. 15 sic extulit: *Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis.* Vide quæ nos eo loco diximus.

Carnalia non sunt precia spiritualiũ: iure tamẽ debita.

12 SI ALII POTESTATIS VESTRÆ PARTICIPES SVNT, QVARE NON POTIVS NOS? *Quare*, de suo addidit interpres, vt expressior esset interrogatio. Nam absque eo legunt etiam Latini, Tertullianus & commentator Ambr. quorum ille partem hanc sic recitat lib. de pudicitia cap. 14. *Si alij de potestate vestra consequuntur, non magis nos?* Iste verò legit ad hunc modum: *Si alij potestate vestra vtuntur, nonne magis nos?* Argumentatur apostolus ab exemplo aliorum, qui cũ minus laborassent apud Corinthios in negocio euangelij, tamen ab illis alimenta sumebant. Videtur autem notare pseudapostolos, qui sub occasione qualiscũq; sui ministerij Corinthijs impensi, permultum potestatis sibi apud eos vendicabant: de quibus in 2 epist. cap. 11 ita scribit; *Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit.* Pro *vestræ* clarius ad sensum, atque etiam ex Græco ad verbum reddi potuit *vestri*, id est in vos. Nam sensus est: Si alij potestatis erga vos participes sunt, hoc est, vtentes apud vos potestate ministrorum euangelij: dũ pro suo qualicumque ministerio recipiunt à vobis temporalia subsidia; an non potiori iure ego & Barnabas à Spiritu-sancto missi ad opus euangelij, ac primi gentium apostoli, fieri potuimus huiusmodi potestatis participes? Ego quidem apud vos, quos per euangelium in Christo genui. Barnabas autem apud alias gentes quibus euãgeliũ prædicauit. Nam Barnabã Corinthijs prædicasse non apparet, neq; ex actis apostolorũ, neque ex epistolis Pauli.

Pseudapostoli notati.

SED NON VSI SVMVS HAC POTESTATE. Negat se & Barnabam passim vsos fuisse ea potestate. Nã Paulum apud Macedones vsum fuisse, cõstat ex ijs quæ scribit in 2 epist. cap. 11, & ad Philip. cap. 4. Cur autem vsus non fuerit, statim dicet.

SED OMNIA SVSTINEMVS. *Omnia*, mala ex non vsu potestatis antedictæ prouenientia: nempe famem, sitim, frigus, nuditatem, vigilias, manuum laborem, cuiusmodi in 2 epist. cap. 6 & 11 recenset.

NE QVOD OFFENDICVLVM DEMVS EVANGELIO CHRISTI. En causam cur ipse & Barnabas non fuerint vsi potestate ex euangelio viuendi: ne scilicet vllum darent offendiculũ euangelio Christi. *Offendiculum*, Græcè ἐγκοπὴν, id est *interciſionem, interruptionem*: & sumitur pro obstaculo ac remora: vt sensus sit; Ne vtentes potestate & iure nostro, moram inijciamus euangelio, quo minus celeriter ac feliciter currat atque fructificet. Quod contingit apud eos, qui vel sumptu grauati, vel suspicãtes apostolum euangelizare sui quæstus & cõmodi causa, reddantur ab euangelio quod prædicat, alieniores. Addit & alia nonnulla offendicula Caietanus. Quanquam ipsi Paulo præcipua ratio cur apud Corinthios abstinuerit à sumptu capiendo, fuisse videtur, quã in consequentibus aperit; vt aduersus pseudapostolos, authoritatem ipsius ac ministerium cum manifesto euangelij dispendio deprimẽtes, integram sibi seruaret materiam gloriandi. Cæterùm apud quoscumque offendiculi periculum erat, tenebantur apostoli abstinere ab vsu suæ potestatis; secundum ea quæ de scandalo infirmorum vitando dicta sunt cap. superiori.

Offendiculum euangelij quod.

Ratio præcipua Paulo abstinendi à sumptu.

13 NESCITIS QVONIAM QVI IN SACRARIO OPERANTVR, QVÆ DE SACRARIO SVNT EDVNT? Redit ad cõfirmandam amplius suam propositionem, adferens argumentum ab exemplo eiusdem generis, eoque fundato in lege diuina: scilicet eorum qui quod sacrorum ministri sunt, ex oblationibus & sacrificijs viuunt. Hęc pars in Græco sic legitur: *Nescitis quod qui sacra operantur, è templo edunt.* Atque ita transtulit Hentenius. Erasmus quidem aliter: *ex sacrificio viuunt.* Nam Græca vox ἱερὸν & sacrificium & templum significat: sed tem-

Sacrariũ pro tẽplo scripsit interpres.

plum

plum multo vsitatius, maximè in sacris literis Græcè editis: in quibus passim hoc nomen attribuitur templo Hierosolymitano, non sine allusione ad nomen vrbis. Namque de certo templo Paulum loqui, significat articulus ἐκ τῶν ἱερῶν. Sed & Græci tractatores de templo Iudaico exponunt: tametsi interpretes Chrysostomi & Theophylacti rem minus fuerint assecuti, vertentes *ex sacro*: cùm apostolus ita coniungat hæc duo, è templo edere, & (quod sequitur) cum altari participare: quomodo coniunxit Christus Matth. 23, iurare in templo, & iurare in altari. Quod ergo noster interpres sacrarium dixit, templum intelligere debemus, quemadmodum disertè Sedulius exponit: idque iuxta aliam quandam veterem translationem, quæ citante Augustino lib. 2 de sermone Domini in monte capit. 16, & de opere monachorum cap. 9, sic habet: *Nescitis quoniam qui in templo operantur, quæ de templo sunt edunt?* Cui consonat translatio Syriaca: *Nescitis quod qui in domo sancta ministrant, ex domo sancta alantur?* Ex quibus etiam perspicitur, apostolum hac parte non voluisse significare legem gentilium; vt in altari legem Iudæorum; quod putat Amb. commentator, & post eum alij: sed potius vtroque membro ad eandem legem Iudæis datam respexisse: vt procedat argumentatio à ministris veteris legis ad ministros nouæ. Porrò sacrificium quod Erasmus reddere maluit, in scripturis non ἱερὸν, sed θυσία solet appellari. Sacra operantes, siue in templo operantes vocat apostolus eos qui sacra obeunt ministeria: quæ quidem varia erant, sed præcipuum illud quod in offerendis sacrificijs versabatur. Edere è templo est viuere ex oblationibus templi, qualescumque eæ sint: erant enim & oblationes variæ, partim lege præscriptæ, partim spontaneæ: & inter has etiam pecuniariæ, quæ mittebantur in gazophylacium.

Sacra operantes edere è templo, quid sit.

ET QVI ALTARI DESERVIVNT, CVM ALTARI PARTICIPANT? Voculam &, Græca ac multa Latina non addunt. *Altari*, Græcè θυσιαστηρίῳ. Qua voce cum passim altare significetur, & Erasmus quoque sic vertat alibi, mirum sanè cur hoc loco sacrarium, & capit. sequenti versu 18 sacrificium pro altari scripserit: Qua in re nescio num quis alius interpres ei suffragetur. *Qui deseruiunt*, Græcè οἱ προσεδρεύοντες, *qui assident*. Cuius vocis emphasim Chrysostomus & Theophylactus annotarũt, vt quæ sonet continuam & perseuerantem seruitutem: quam & Latinè vocamus assiduã. Atque eandem vim habere potest Latinum verbum interpretis *deseruiunt*. Nam præpositio *de* interdum auget in compositione, vt demiror, deamo. Porrò similis erat consideratio in vocabulo huic cognato εὐπρόσεδρον, suprà cap. 7 versu 35. Sensus apostoli est: eos qui assistunt altari, siue ipsi sacrificia offerentes, siue offerentibus ministrãtes, suas accipere partes ex oblatis. Nonnulli membrum hoc à priori ita distinguunt, vt illud ad sacerdotes pertineat, istud ad Leuitas. Magis verisimile est vtrumque vtrisque esse commune. Nam & sacerdotes & Leuitæ sacra templi atque altaris ministeria exercebant, etsi non eadem omnia. Vtrique etiam ex oblatis templi atque altaris participabant. Exstant de his in lege præcepta, Num. 18, Deuter. 10 & 18, & passim in Leuitico.

Quid altari deseruire.

14 ITA ET DOMINVS ORDINAVIT IIS QVI EVANGELIVM ANNVNCIANT DE EVANGELIO VIVERE. Sic igitur, inquit, etiam Christus Dominus in sua, id est noua lege ordinauit atque constituit, vt qui euangelium annũciant, ex euangelio viuant. Igitur hæc pericope partim infertur ex præcedentibus, argumento, vti dictum est, à veteri lege ad nouam. (Si enim ministris antiquæ legis attributum fuit à Deo ius ex suo ministerio viuẽdi; quanto magis æquum erat idem ius à Domino cõstitui pro ministris nouæ legis?) partim noua probatio est thematis Paulini, eademque præcipua; qua ad extremum allegat super hac re constitutionem expressam Domini Iesu: scilicet eam quam fecit tunc quãdo mittens apostolos suos ad prædicãdum regnum cælorum, dixit eis; *Nolite possidere aurum, neque argentũ, neque pecuniam in zonis vestris*, & quæ sequuntur, hac denique subiecta ratione: *Dignus enim est operarius cibo suo.* Et iterum quãdo mittẽs ad idem opus discipulos septuaginta duos, eis dixit: *In quamcumque domum intraueritis, in eadem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua.* His enim & huiusmodi verbis, potestatem dedit Dominus suis discipulis & omnibus euangelij ministris, sumendi vitæ necessaria ab ijs quibus euangelium prædicant. Ordinauit ergo Dominus, non præcipiendo vt accipiant, sed dando potestatem accipiẽdi. Quæ tamen ordinatio cõtinet præceptum, quo teneantur illi quibus euangelium annũciatur, alere euangelij ministros. Vnde & horum debitores illos vocat apostolus Rom. 15 vers. 27. Nam ipsis euangelizantibus non esse præceptum vt accipiant, liquet exemplo Pauli & Barnabæ, qui ne quod offendiculum euangelio Christi darent, ea potestate non sunt vsi; quod vtique erat magnæ & perfectæ charitatis: tantum abest vt præcepto Dominico contrauenirent. Hanc illorum perfectionem imitantur hodie religiosi, qui cum annuncient populo verbum Dei, quædam etiam sacramenta ministrent; nihil tamen pro iure exigunt, sed mendicato victum quærunt.

Ordinatio Christi, vt qui euangeliũ prædicat, de euangelio viuant.

Paulinæ perfectionis imitatores hodie religiosi mendicantes.

15 EGO AVTEM NVLLO HORVM VSVS SVM. Cùm, inquit, tot sint argumenta potestatis nostræ, hactenus à me producta, ab authoritate, ratione, exemplis: nullo tamen eorum vsus fui; ne quidem ordinatione Christi, vt à vobis alerer. ac si dicat: Pro potestate mea non certaui argumentis, quum apud vos essem: sed magis eam dissimulaui, sustinens inediam meque meo labore transigens: quemadmodum scribit in 2 epist. cap. 11, *Cum essem apud vos, &*

egerem, nulli oneroſus fui. Hic iam ſe ſolum nominat Paulus Barnaba prætermiſſo: quia cauſa cũ Corinthijs & pſeudapoſtolis, quã deinceps tractat, erat Paulo propria.

NON AVTEM SCRIPSI HÆC, VT ITA FIANT IN ME. *Fiant*, Græcè γένηται. Quod hoc loco numeri eſt ambigui: vt etiam verti poſſit: *fiat*. Idque loco magis quadrat. Nam ſenſus eſt: Ac ne nunc quidem ideo hęc ſcripſi, vt ſimiliter erga me fiat; ſed ad hoc vt oſtendam quod initio propoſui, me tanquam apoſtolum Chriſti & miniſtrum euangelij, ius & poteſtatem habere viuendi ex euangelio.

BONVM EST ENIM MIHI MAGIS MORI, QVAM VT GLORIAM MEAM QVIS EVACVET. Specialem nunc rationem indicat inſtituti ſui, cur à ſumptu apud Corinthios abſtinendum ſibi ſtatuerit. Dictio *magis* determinat *bonum*: ac ſi dicat, *Melius eſt enim mihi mori*; quomodo tranſtulerunt Theophylacti & Oecumenij interpretes. Nam quod ipſum comparatiuum apoſtolus non expreſſit, idiomatis eſt Hebræi, quo poſitiuus accipit vim comparatiui ſequente vocula *quàm*, etiam non addito *magis*, quod addere non ſolent: licet hoc loco Paulus ſuppleat ex vſu ſermonis Græci. Porrò gloriam ſeu gloriationem, (eſt enim Græcè καύχημα, tam hic quàm in verſu proximo) eam intelligit, qua gloriabatur aduerſus pſeudapoſtolos, qui Corinthijs graues erant & ſumptuoſi, quemadmodum expreſsè dicit in 2 epiſt. cap. 11 verbis ſuperius allatis. Aduerſus hos enim gloriam ſibi pepererat gratis euangelizando: quam & omni ſtudio conſeruare volebat; adeò vt potius eligat mori, id eſt fame & egeſtate confici, quàm vt patiatur à quoquam Corinthiorum volente ſibi victum ſuppeditare, gloriam illam euacuari: id eſt inanem & caſſam reddi: quod cõtingeret hac erepta ſibi gloriandi materia. Sẽſum hunc tradit Auguſtinus lib. 2. de ſermone Domini in monte cap. 16, deſumptum videlicet ex ijs quæ in poſteriore epiſtola cap. 11, ſcribit idem apoſtolus: vbi cum de hac eadem gloriatione mentionem feciſſet, iſta ſubiecit: *Quod autem facio, & faciam: vt amputem occaſionem eorum qui volunt occaſionem: vt, (in quo gloriantur) inueniantur ſicut & nos.* Sed de ſenſu horum verborum ſuo loco plenius. Qui verò de gloria regni cæleſtis locum preſentem interpretati ſunt, non ſatis attendiſſe videntur ad ſignificationem vocabuli Græci, & ad ſcopum apoſtoli. Quanquam ex conſequenti, rectè contra hæreticos, ex his & ſequentibus verbis ſtatuatur gloria ſingularis, quã apud Deũ cõſequũtur qui opera faciũt ſupererogationis atque conſilij, id eſt, ea quæ ſic cõmẽdantur, vt tamẽ de ijs abſolutè nõ ſint tradita præcepta.

Gloria Pauli aduerſus pſeudapoſtolos.

Opera ſupererogationis.

16 NAM SI EVANGELIZAVERO, NON EST MIHI GLORIA. Quidam Latini codices legunt, *Nam & ſi euangelizauero*. Verum particula *&* nec in Græcis eſt, nec in melioribus Latinis: adeoque quo ad ſenſum, redundat. Nam, inquit, ſi euangelizem, Græcè εὐαγγελίζωμαι) id eſt, ſi euangelium prædicem, non eſt vnde gloriari poſſem aduerſus pſeudapoſtolos, tanquam aliquid faciens ſupra id quod ex Chriſti præcepto me facere oporteat. Vnde ſequitur.

NECESSITAS ENIM MIHI INCVMBIT. Scilicet euangelizandi. Neceſſitatem intellige ex præcepto Chriſti. Nam vt alij apoſtoli expreſſo Chriſti præcepto iuſſi fuerant prædicare euangelium, Matth. 28, Mar. 16, & Act. 1. ſic & Paulus non ſemel ſed ſæpius: primum quando ei cælitus vocato à Domino dicta ſunt illa, quæ ipſe plenius coram Agrippa rege narrat Act. 26. Deinde quando ei reuerſo Hieroſolymam & in templo oranti, per reuelationem à Chriſto dictum eſt: *Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te:* quemadmodum de ſe refert Act. 22. Rurſus, quando dixit Spiritus ſanctus ad eccleſiam Antiochenam: *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos*, Act. 13. His adde iuſſionem ei factã, quando ſuum euangelium accepit per reuelationem Ieſu Chriſti, vt ipſe ſcribit ad Gal. 1. Quæ tamen an diuerſa ſit à ſuperioribus, & quando facta fuerit, haud ſatis conſtat. Nos ad dictum locũ epiſtolę ad Gal. ea de re quid nobis videatur, annotabimus.

Neceſſitas præcepti.

VÆ ENIM MIHI EST, SI NON EVANGELIZAVERO. Græci codices paucis exceptis habent καὶ οὐαί, *væ autem*. Quod tamen illatiuè videtur exponendum, hoc ſenſu: Ideoque æternam maledictionem mihi accerſam, tanquam Dominici præcepti tranſgreſſor, ſi non euangelizem, id eſt, ſi munus euangelij prædicandi deſeram. Hoc væ Dominus exponit, vbi ſeruũ qui talentum ſibi commiſſum non dederat ad vſuram, ſed abſconderat in terra; damnat hac ſententia: *Seruum inutilem eijcite in tenebras exteriores. Illic erit fletus & ſtridor dẽtium.* Mat. 25. Commentarius iſte Græcorum eſt: & inter Latinos Hieronymi in enarratione Ieremiæ capit. 21. Minus probabile quod Auguſtinus lib. 2. de ſermone Domini in monte cap. 16, & de opere monachorum cap. 10, putat hic intelligi neceſſitatem accipiẽdi vitæ neceſſaria, premente ſcilicet egeſtate: & væ interpretatur eandem egeſtatem; quod nempe ſine euangelio Paulus non poſſet vitam tranſigere: non quod ita res haberet, ſed quod ſic homines opinarentur, videntes eum accipere victum ex euangelio. Minus, inquam, probabile. Nam abſolutè dixit apoſtolus: *ſi euangelizauero*, non addendo, victum accipiens ex euangelio, vel aliquid tale. Deinde priorem ſenſum confirmant quæ ſequuntur.

Pœna miniſtri non euangelizantis.

17 SI ENIM VOLENS HOC AGO, MERCEDEM HABEO. *Volens*, Græcè ἑκών, *vltroneus, voluntarius*. Et ſenſus eſt: Quod tamen ſi volens, id eſt libenter & ex animo faciam, hoc eſt euangelizem; nimirum ſtudẽs promouere gloriam Chriſti, & quęrens euangelij fructum, id agẽs vt quamplurimos Chriſto lucrifaciam; mercedem habeo repoſitam apud Deum. Mercedem enim intelligit bonis doctoribus promiſ-

Merces euangelizantis ex animo.

ſam:

ſam: de qua dixerat cap. 3, *Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet.* & de qua Daniel cap. 12, *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiã erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Merces igitur hæc diuerſa eſt à gloria, ſeu gloriatione, de qua paulo antè.

SI AVTEM INVITVS, DISPENSATIO MIHI CREDITA EST. Id eſt, ſi non ex animo & prõpta voluntate ſeruiendi gloriæ Chriſti id faciam: ſed vel coactus timore pœnæ, quoniam alioqui væ mihi eſſet; vel in eo munere priuata ſpectans commoda: quemadmodum multi qui in euangelio Chriſti prædicando, quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti: nihilominus tamen euangelij diſpenſatio mihi commiſſa eſt, ſaltem vt ſeruo; quaſi dicat, etiam ſic per me diſpenſatur euangelium Chriſti, licet non ad meam ſed aliorum tantum vtilitatem. Nam inuitus euangelizat, non ſolum qui timore compulſus euangelizat, ne puniatur; quomodo Balaam benedixit filijs Iſrael, Numer. 22, verùm etiam qui id facit, non ipſum amans euangelium ſed ſuas vtilitates ex euangelio; cuius alioqui prædicãdi moleſtiam nõllet ſuſtinere. Iſto fere modo locum hunc tractant expoſitores Latini, plerique ſecuti gloſſam ordinariam ex Auguſtino deſumptã. Meminit autem apoſtolus diſpenſationis concreditæ, ne quis contemnendum putet euangelium quod prædicatur per ſeruum malum & ſua quærentem. Non enim quod ſuum eſt, annunciat, ſed quod Domini, diſpenſat. Aliter interpretantur hunc locum Græci, ijſq; conſentientes Gaignæus & Caietanus. Nam volentem intelligunt eum qui facit nullum habens præceptum, ſed ſponte ac motu proprio; quem dicunt habere mercedem, non qualẽlibet euangeliſtis debitam, ſed magnam & multam, ſcilicet præ alijs qui ſumptum accipiebant. Inuitum autem interpretantur eum qui facit ex præcepto & iniuncta ſibi diſpenſatione: etiamſi libenter & ex animo faciat. Sed hic commentarius nimium profectò violentus eſt. Nam vt de mercede taceam, quæ nuſquam eo modo ſumitur; iſta ratione fatendum eſſet, omnes apoſtolos inuitos euangelium prædicaſſe; & tam angelos quàm homines inuitos facere, quæcumque faciunt ex Dei præcepto; denique Chriſtum hominem inuitum prædicaſſe euangelium; & cætera quæ pro noſtra ſalute in carne geſſit, inuitum egiſſe; quæ vt ageret, mandatum habebat à Patre. Quod quidem dicere quàm ſit abſurdũ, quis non videt?

Inuitus euangelizare quis dicatur.

Græcorũ improbabilis expoſitio.

18 QVÆ EST ERGO MERCES MEA? *Mea*, Græcè μοι, *mihi*. Interpres legiſſe videtur μου *mea*. Verùm ſenſus vnus eſt: Quid faciendo mercedem accipiam, præmium conſequar à Deo? Huic interrogationi reſpondet, ſubiungens quod ſequitur.

VT EVANGELIVM PRÆDICANS, SINE SVMPTV PONAM EVANGELIVM. *Sine ſumptu*, Græcè ἀδάπανον, ac ſi dicas, *inſumptuoſum*, hoc eſt *gratuitum*, vt vertit Eraſmus. Sic enim loquitur ipſe Paulus in epiſt. 2 cap. 11, *Gratis euangelium Dei euangelizaui vobis.* Neq; hic in Græco ſimpliciter eſt *euangelium*, ſed *euangelium Chriſti*. Senſus: Ita demum mercedem ac præmium boni doctoris à Deo exſpectabo, ſi prædicans euangelium Chriſti, ſumptum ab ijs quibus prædico non accipiam. Hoc eſt enim euangelium ponere ſeu facere inſumptuoſum atque gratuitum. Nam ponere pro facere frequens eſt in ſacris literis. Porrò ſequentibus verbis explicat, quatenus teneatur euangelium ſine ſumptu ponere, ſic vt aliter mercedem non ſit habiturus: quum iam ſuprà ſatis oſtenderit accipiendi ius ac poteſtatem ſibi nequaquam deeſſe.

Quid ſine ſumptu ponere euangelium.

VT NON ABVTAR POTESTATE MEA IN EVANGELIO. Græcè, εἰς τὸ μὴ καταχρήσασθαι, *ad non abutendum*. Eraſmus, *in hoc ne abutar* &c. Significat ergo ſe eatenus teneri ad ponendũ ſine ſumptu euangelium, ne in euangelio prædicando poteſtate ſua qua ſumptus accipere poterat, abuteretur. Hoc autem faceret, ſi paſſim & indifferenter apud quoſcumque prædicaret, ſumptus acciperet. Vnde dicit alibi; *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt:* & iterum *ſed non omnia ædificant.* ſuprà cap. 6, & infrà cap. 10. Multa namque licita ſunt in genere; quæ nullo præcepto leguntur prohibita; quæ tamen in particulari ſæpe redduntur illicita, ſeu propter ſcandali periculum, ſeu propter aliud. Huic ſenſui planè reſpondent ea quæ ſequuntur. Ex quo illud etiam liquet, quomodo negauerit apoſtolus ſe habiturum mercedem, ſi ſumptum ex euangelio accipiat. Nam ſi non habita ratione profectus euangelij quis ſumptu grauet auditores, nec infirmorum ſcandala curet; is vtique non volens euãgelizat, ſed inuitus, iuxta ſuperiorem expoſitionem. Oſtendit enim ſe non id facere ſtudio propagandi euangelij, & promouendæ gloriæ Chriſti; ſed ſui commodi; ideoq; mercede fruſtrabitur. Rurſus hunc locum aliter exponunt Græci, mercedem intelligentes vt antè, maiorem & excellentiorem: abuſum verò per vſum interpretantes. Sed & hæc mihi coactiora videntur. Nec verò conuenit Paulinæ modeſtiæ maiorem ſibi mercedem & gloriam apud Deum promittere, quam eſſent accepturi alij ſincerè euangelium prædicantes; etſi ſumptum acciperent: quum præſertim etiam in illos competeret, quod ſuprà dixit, nullum dare offendiculum euangelio Chriſti: & quod hic deinceps de ſe prædicat, omnibus omnia factum eſſe: maximè verò in Petrum qui plus cæteris Dominum diligebat, Ioan. 21. Atqui non omnibus eædem occurrebant cauſæ, cur id facerent apud ſuos, quod apud Corinthios Paulus ſe feciſſe memorat. Nec dubium quin & illius poteſtatis huius abſtinuerint, vbicumque ſpiritus ac ratio dictabant abſtinendum eſſe, quemadmodum Paulo. Qui & ipſe cauſis abſtinendi ceſſantibus, alierum apoſtolorum more ſumptus non renuebat; velut

Multa in genere licita, in particulari ſunt illicita.

Quomodo mercede caritarus qui ſumptum accipit.

apud

Quæstio, quomodo Paulus fecerit opus supererogationis.

apud Macedones & alibi. At quæres, quomodo Paulus non accipiendo sumptum ex euangelio, fecerit opus supererogationis: si ad non accipiendum vinculo saltem charitatis obstrictus erat; ne vel scandalum daret infirmis, vel occasionem relinqueret aduersum se gloriandi pseudapostolis? *Respõsio.* Respondeo, supererogationis opus dici, non quod dum fit, nullam vel minimam ex lege charitatis obligationem habet: sed quod simpliciter ac nudè consideratũ non est præcepti, sed consilij: licet ex circumstantijs aliquam, nunc maiorem, nunc minorem accipiat obligationem. quemadmodum & per circumstantias viciatur interdum. Tale erat sine sumptu ponere euangelium. De quo Paulus Act. 20 ad episcopos Asiæ sic ait: *Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos.* Vide quæ de huiusmodi operibus scribit Augustinus libr. 1 de adulterinis coniugijs cap. 14 & sequentibus.

19 NAM CVM LIBER ESSEM EX OMNIBVS, OMNIVM ME SERVVM FECI. Græcè, ἐλεύθερος γὰρ ὢν, *Liber enim existens.* Quod potest etiã ita verti, *Nam cùm liber sim.* Superius enim dixerat, *Non sum liber?* Sicque legit Augustinus de opere monachorum cap. 11. Quod sequitur, *ex omnibus*, alij vertunt, *ab omnibus:* vt liberum ab omnibus se dicat, quod non sit alienæ potestatis, quod nulli seruus. Rursus illud, *omnium me seruum feci*, Græcè est, πᾶσιν ἐμαυτὸν ἐδούλωσα, *omnibus meipsum seruum dedi, feci, subieci.* Dicere vult apostolus, non solum se non vsum fuisse apud Corinthios potestate viuendi ex euangelio: verumetiam studiosè semetipsum omnibus, quibuscumque euangelium ministrabat, accommodasse: nec id vt gloriam apud homines captaret; quod videri cuiquam posset, quia gloriationis mẽtionem suprà fecerat; sed ex amore salutis proximorum. & vt ipse etiam præmij in euangelio promissi, quod paulo antè mercedem vocauerat, particeps fieret. Cùm, inquit, liber sim vel essem ab omnibus, id est nemini mortalium subiectus, nec Iudæo, nec gentili, sed meæ potestatis, meique iuris; tamen omnibus me vt seruum subieci, omnium vtilitatibus vsque hodie subseruio.

Paulus omnium seruus, quo sensu

VT PLVRES LVCRIFACEREM. Vel *lucrifaciam*, id est, vt quam plurimos acquirã Christo, saluosque faciam. Sic enim infrà: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.*

20 ET FACTVS SVM IVDÆIS TANQVAM IVDÆVS, VT IVDÆOS LVCRARER. Erat quidẽ Paulus gente Iudæus, ex tribu Beniamin: sed hic religione & secta Iudæos intelligit, hoc est eos qui legalium obseruationem sibi necessariam ad salutem arbitrabantur; Iudaizantes vocari solent. Iudæis, inquit, cum quibus mihi conuersandum fuit, factus sum *tamquam Iudæus*, id est, similis illis; intellige quoad actiones quasdam & obseruationes exteriores: non tamen quoad fidem internam: qua certissimè tenebat legis Mosaicæ cærimonias esse per Christum abolitas; proindeque non amplius cuiquam ad salutem obseruatu necessarias. Quas tamen ipse quum apud Iudæos ageret obseruabat, velut circumcidẽs Timotheum, tondens sibi caput cum voto secundum legẽ: ac rursus ex voto sese purificans, dieique purificationis in templo cum oblationibus annuncians (quæ leguntur Act. 16, 18, 21 & 24) item abstinens à cibis secundum legem immundis ac vetitis: vt per hæc & huius generis alia, sese Iudæis assimilãs, facilius eos ad Christum attraheret. Neq; verò, sicut opinati sunt quidam, simulata erat illa legis obseruatio. Verè enim Paulus in talibus legem seruabat; dicente ad eum Iacobo, *Ambulas & ipse custodiens legem*, Act. 21. non tamen vt legi obnoxius, quam sciebat esse iam mortuam, ideoq; vim obligandi penitus amisisse; sed propter aliorum salutem. Nam & Christus Dominus legem seruauit, legi non obnoxius. Sensum hunc probat id quod explicando sequitur.

Paulus Iudæis factus tanquam Iudæus.

Legalia Paulus obseruabat, non simulatè, sed verè.

21 IIS QVI SVB LEGE SVNT, QVASI SVB LEGE ESSEM. Græcè, *ijs qui sub legem, tanquam sub legem.* tametsi rectè vertit & supplet interpres, Erasmo suffragante. Sensus enim est: Iudæis qui legem Moysi tanquam adhuc necessariã, seruant aut seruare se profitentur, ideoque legis seruitute premũtur, à Christi gratia adhuc alieni: similis factus sum, obseruans ea quæ legis sunt. Erant ergo Iudæi sub lege, quãquam abolita; & adhuc hodie sub lege sunt, non per legis vigorem, sed per conscientiam errantem: dum falsò credunt legem adhuc vigere, sibiq; necessariò obseruandam esse. Vide quę de hac phrasi Paulina, sub lege esse, diximus ad illud epist. ad Rom. 6, *Non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Chrysostomus & Theophylactus eos qui sub lege sunt, interpretantur proselytos, aut certè eos qui ex Iudæis Christi religioni iam accesserant, & adhuc tamen lege detinebantur. Quod posterius Theodorito placet. Ambrosiaster & alij post eum Latini de Samaritanis exponunt, qui receperant quinque libros legis. Adiungũt his Liranus & Carthusianus Sadducæos. At verò nihil prohibet generaliter hanc partem accipi, velut explicationem, vt dixi, superioris. Nam & id suggerit Chrysostomus: & ita sentit Caietanus.

Iudæi sub lege, quãquam abolita.

(CVM IPSE NON ESSEM SVB LEGE.) Id est: cùm probè scirem me lege Mosaica non teneri. Hanc parenthesim Græci & Syri codices nõ habent. Augustinus tamen legit, *cùm non sim ipse sub lege.* Habetur etiam in textu commentarij Ambrosiani, sed non exponitur.

VT EOS QVI SVB LEGE ERANT, LVCRIFACEREM. Nempe Christo: ad eius fidem illos adducendo. Hunc enim finem apostolus in obseruandis legalibus habebat propositum. *Erant* interpretis supplementum est, quemadmodum suprà *sunt:* quod & hic scribi potuit, & in parte sequenti.

IIS QVI SINE LEGE ERANT, TANQVAM SINE LEGE ESSEM. In Græco tres tantum dictiones sunt, τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος, id est ad verbum, *exlegibus tãquam exlex.* Quod tamen

interpres

interpres bene & explicatè plurib⁹ verbis reddidit, niſi quod hoc loco *ſunt* malim quàm *erant*. Eſt enim gentium epitheton perpetuũ, eſſe ſine lege, id eſt, ſcriptam legem non accepiſſe: quomodo de ijs etiam ad Chriſtum conuerſis loquitur apoſtolus Rom. 2, *Gentes*, inquit, *quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt*. Senſus: Ijs quibus lex ſcripta non eſt data à Deo, id eſt gentilibus, factus ſum ſimilis in eo quod legem ſcriptam apud eos non ſeruaui: idque ne meo exemplo viderer inducere eos ad ſubeundum iugum legis Moſaicæ: tum ne legis obſeruatione eos alienarem à Chriſto. Hoc quemadmodum fecerit apoſtolus, liquet ex ijs quæ ſcribit in epiſtola ad Gal. cap. 2. Græca vox ἄνομος etiam iniquum & impium ſignificat: ſed ea ſignificatio præſenti loco non quadrat. Iam ne malè quis intelligat quod dicit, *tanquam ſine lege eſſem*: quaſi ſine lege fuerit, quomodo gentiles Dei legem omnino non ſeruantes; ſubnectit parentheſin.

Gentium epitheton, eſſe ſine lege.

(CVM SINE LEGE DEI NON ESSEM, SED IN LEGE ESSEM CHRISTI) Græca, ſi verbum verbo reddas, ita ſonant: *non exiſtens exlex Deo, ſed in lex Chriſto*. Sunt enim in Græco compoſitæ dictiones ἄνομος, ἔννομος, iucundam inter ſe paronomaſiam habẽtes. Senſus eſt: Quũ tamen reuera non ſim nec viuã ſine lege Dei, ſed obſeruem legẽ Chriſti cui ſum obnoxius. Quod apud Chryſoſtomum & Theophylactum pro tertio caſu θεῷ legitur ſecundus θεοῦ, ſenſum non variat: tametſi & Syriaca verſio habet *Deo*. Hic duo ſunt obſeruanda: contra veteres quidem hæreticos, Chriſtum vocari Deum. Probat enim apoſtolus ſe non eſſe ſine lege Dei, ideo quod ſit in lege Chriſti. Quæ probatio firma nõ eſſet, niſi Chriſtus ſit Deus. Contra nouos autem, Chriſtum nobis datum eſſe, non ſolùm vt redemptorem cui fidamus; verum etiam vt legiſlatorem, cui obediamus: vt definiendo loquitur ſynodus Tridentina ſeſſ. 6, can. 21.

Chriſtus Deus; idẽ, non ſolum redẽptor noſter ſed & Legiſlator.

VT LVCRIFACEREM EOS QVI SINE LEGE ERANT. Græcè, *vt lucrifaciam exleges*, hoc eſt, gentiles. Proinde vel *erant*, vel potius *ſunt* exprimendum in Latino.

22 FACTVS SVM INFIRMIS INFIRMVS, VT INFIRMOS LVCRIFACEREM. Græca cõſtanter habent: *Factus ſum infirmis tanquam infirmus*, textu Syriaco ſuffragante. Quod etſi ab apoſtolo ſcriptum non eſſet; ex ſuperioribus tamen intelligi poterat, atque etiam oportebat, ſi infirmum accipit eodem modo. Neque enim Paulus infirmis verè infirmus factus erat, qui dicit Rom. 15, *Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere*: non autem: debemus propter infirmos infirmari. Verũtamen noſtra lectio omnium eſt codicum Latinorum: & ab omnibus Latinis tractatoribus exponitur. Nec aliter referunt Cyprianus in epiſtola 52 ad Antoninum, & Auguſtinus epiſtola 9 ad Hieronymum. Ambroſius quoque in enarratione pſal. 104 ita ſe legiſſe oſtendit cùm dicit de Paulo: *Et infirmis volens fiebat infirmus, vt eos confirmaret*. Facilè verò adducor vt credam hanc eſſe lectionem germaniorem. Nam procliuius erat in Græcis aſcribere aduerbium ὡς *tanquam*, quod legebatur in tribus membris præcedentibus; quàm in Latinis expungere aut omittere nulla occaſione. Probabilitatem auget alter locus ſimilis 2 Cor. 11, *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Quãquam fatendum, quod ad ſenſum attinet, nihil intereſſe. Factum enim ſe dicit infirmis infirmũ, ſiue quaſi infirmum, id eſt infirmis ſimilem, animo quidem per affectum commiſerationis; opere verò per hoc quod infirmis accommodauerit ſeſe, ſimilia quædam faciens; veluti legales obſeruationes exercẽs, ab idolothytis abſtinens, & omnino offenſiones illorum & ſcandala diligentiſſimè cauens. quemadmodum dicere ſolemus nutricem pueraſcere cum infantulo quadam actionum ſimilitudine: & medicum ægrotare quodammodo cum ægroto, dum ſe eius infirmitati quoad poteſt attemperat. Hoc autem quomodo Paulus fecerit, oſtendit eius doctrina ad Rom. 14, & huius epiſtolæ cap. ſuperiore: & rurſum capit. proximè ſequẽti: quibus locis de infirmis agit partim Iudæis, partim gentilibus, ex charitate fouendis & ſupportandis. Denique ne lõgius diſcurrat per ſingula; quod generatim dixerat, ſe factum omnium ſeruũ, nunc repetit & concludit alijs verbis, dicens:

Quomodo Paulus infirmis factus infirmus.

OMNIBVS OMNIA FACTVS SVM. Id eſt, omnium moribus & affectibus quantum licet, me accommodo. Qui ſenſus iam patet ex præcedentibus. Hac Paulina ſententia, ac toto hoc loco abutuntur, qui, vt in prouerbio eſt, cum Cretenſibus Cretizandum dicunt: id eſt, exemplo Pauli Chriſtianum debere apud homines omnia ſimulare ac diſſimulare, ne quos offendat, aut etiam vt quamplurimos Chriſto lucrifaciat: non attendentes quod idem apoſtolus ad Gal. 2 ſcribit ſe nec ad horam ceſſiſſe falſis fratribus, in hoc vt Titum qui gentilis erat circumcideret; ipſique Petro cum reprehenſione in faciem reſtitiſſe, quod ſimulatione quadam vſus non rectè ambularet ad veritatem euangelij. At neque cum ebrioſis inebriatus eſt Paulus, neque cum rapacibus aliena rapuit, neque cũ idololatris idola coluit, aut aliud tale fecit: ſed omnibus omnia factum ſe dicit, vt antè dictum eſt, partim cõmiſerando, partim ſimilia quædam cum illis agendo: quæ tamen cum lege Dei minimè pugnarent. *Omnibus omnia factus eſt*, inquit Auguſtinus, *compaſſione miſericordiæ, non ſimulatione fallaciæ*. & iterum: *non mentientis aſtu, ſed cõpatientis affectu*, epiſtola 9 & 19, vtraq; ad Hieronymum ſcripta. Vide eundem libro quæſtionum 83, quæſt. 71, & lib. contra mendacium cap. 12.

Paulus omnibus omnia factus.

Non ſuffragatur exemplũ Pauli ſimulatoribus.

VT OMNES FACEREM SALVOS. Quod aliquoties dixit lucrifacere, id nunc expreſſius dicit ſaluos facere. Græca ſic habent: *vt omnino aliquos ſaluos faciam*. Per quod, vt Græci

Magna Pauli charitas omnium saluti studentis.

commentatores annotant, declaratur magna charitas apostoli Pauli, quod omnium seruum se fecerit, vt ex omnibus saltem aliquos, etsi paucos, ad salutem perduceret: quando sciret se non omnes saluos facere posse. Secundum nostram lectionem, quæ eadem est in Syriaco, non minor Pauli charitas significatur; qui omnibus omnia factus sit, omnium studens saluti: id est, circa singulos quosque, excluso nemine, hoc agens vt salui fiant. Non enim studium eius erat, vt nulli perirent, quod sciebat non futurum: sed vt quoscunque posset, ad salutem adduceret. Propter hoc Pauli & aliorum piorum desiderium, conatum & studium quod Deus in illis operatur, rectè intelligitur dictum ab eodem apostolo 1 Tim. 2, Deum velle *omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire*: quamuis absoluta voluntate id non velit. Porrò notandũ, quod ad textum attinet, vt iam ante indicaui, verba modi subiunctiui ab illo loco, *Nam cum liber essem* &c, quæ interpres noster ita vertit, vt præteritum tempus respicere videantur, *essem, lucrifacerem, saluos facerem*, conuenientius ex Græco verti verbis partim præsens, partim futurum indicantibus, *sim, lucrifaciam, saluos faciam*. Non enim sentit apostolus se hæc olim egisse, nunc autem desijsse: sed etiamnũ agere & acturum esse.

Quo sensu Deus velit omnes homines saluos fieri.

23 OMNIA AVTEM FACIO PROPTER EVANGELIVM, VT PARTICEPS EIVS EFFICIAR. Græcè & Syriacè, *Hoc autem facio* &c. tametsi cõmentarij Græcorum sonant ac si legissent, *omnia*. Hactenus ostendit apostolus tanto studio se laborasse in euangelio propter aliorum salutem: Nunc declarat se id faciendo etiam suam ipsius salutem spectasse. Hæc, inquit, omnia quæ commemoraui, feci & facio propter euangelium, id est, vt ex euangelio fructus quã vberrimus sequatur; cuius ego quoque cum cæteris particeps efficiar, hoc est, vt vnà cum illis assequar ea bona quæ promittit euangelium. Nam Græca vox συγκοινωνὸς comparticipem significat. Et eum sensum explicat quod in fine capitis ait: *Ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. Qua in re Chrysostomus, eiusque sequaces admonent considerandam insignem Pauli modestiam; qui cũ excellentiori præmio dignus esset, simpliciter se fidelibus vt æqualem & socium adiungat in fructus euangelij participatione. Hinc rectè statuitur, non esse seruilis animi, minúsve quã oporteat Deum diligentis, si *cum hoc vt in primis glorificetur Deus* (quomodo loquitur synodus Tridentina sess. 6 cap. 11.) in bonis operibus *mercedem* quis *intueatur æternam*: quandoquidem ipse Paulus id se facere testatur, nõ hic solum sed & alibi. Sic enim ait Phil. 3, *Si quo modo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis*. Et iterum, *Ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis*. Eodem pertinent quæ hic deinceps sequuntur.

Pauli insignis humilitas.

Mercedẽ æternam spectare in opere bono, non est imperfectionis.

24 NESCITIS QVOD II QVI IN STADIO CVRRVNT, OMNES QVIDEM CVRRVNT, SED VNVS ACCIPIT BRAVIVM? Ex similitudine eorum qui cursu certant præmio proposito, ostendit tam sibi quàm alijs in doctrina & vita euangelica sic currendum esse, vt præmium quod euangelium promittit, de quo dixerat, *vt particeps eius efficiar*, assequantur. Stadium locus erat in quo cursu certabatur pedibus aut equis. Brauium, seu potius brabium, propriè significat præmium quod datur ijs qui ex certamine victores sunt. Vtrumque vocabulũ Græcũ est, στάδιον, βραβεῖον, sed hoc illo minus vsurpatum Latinis. Et pro eo palmam legunt commentator Ambr. & Cyprianus lib. 3 testimoniorum cap. 26, & de exhortatione martyrij cap. 8. Cæterùm similitudo quam apostolus adducit, non est in eo, quod sicut in illo currendi certamine vnus solus præmium aufert, ita & hic; sed sicut ibi non omnes qui currunt præmiũ accipiũt; sed vnus tantũ: ita & hic non ões qui currũt, comprehendunt; sed ij soli qui bene, legitimè & perseuerãter currũt. Hoc enim declarat exhortatio subiuncta.

Quid stadium: & brauium.

SIC CVRRITE VT COMPREHENDATIS. Sic igitur, inquit, & vos currite stadiũ vitæ Christianæ, vt præmium accipiatis vitæ æternæ. Modus quem significat dicẽs, *sic currite*, is est, vt benè & perseueranter curratur. Quidam enim currunt bene, sed in bono cursu nõ perseuerant: quales Galatæ, quibus ait cap. 5, *Currebatis bene*; quos tamen in illo cursu queritur impeditos. Vnde & hic paulo pòst de seipso loquens, affirmat se currere, haud dubium bene: & tamen adhuc se castigare corpus suum dicit, ne fortè cum alijs prædicauerit, ipse reprobus fiat. Constat igitur ex hoc scripturæ loco, quemadmodum ex multis alijs, veram iusticiam amitti posse: quod negant hæreses nouæ.

Veram iusticiam amitti posse.

25 OMNIS AVTEM QVI IN AGONE CONTENDIT, AB OMNIBVS SE ABSTINET. Docet quid obseruandum ei qui velit sic currere, vt comprehendat: idque rursus ab exemplo eorum qui corporali certamine contendunt ad præmium. Græca verbatim sic habẽt: *Omnis autem agonizans omnia temperat*, id est, per omnia. Subauditur enim κατὰ. Cyprianus legit: *Omnis autem qui agonizatur, in omnibus cõtinens est*. Loca sunt in epistola ad martyres & confessores de Mappalico, & de exhortatione martyrij cap. 8. Sic etiam reddidit hũc locum Irenæi interpres lib. 4 cap. 72. Sed his *qui agonizatur* actiuè dicitur, respondens participio apud Græcos medio ἀγωνιζόμενος. Valla monet in vulgata versione superuacuam esse præpositionem *in*. *Est enim agon certamen, non locus*. Rectius *in* loco *ab* reponas, *in omnibus abstinens est*: sicut in illa vetusta versione. Sensus enim apostoli est: Omnis qui certat publico aliquo certamine, siue cursu, siue pugillatu (tale enim genus certaminis propriè Græcis significat ἄγων) per omnia temperans est & abstinens. Solent enim athletæ temperatissima victus ratione seruata ad certamina se præparare. Quo exemplo tam seipsum quàm alios

Agõ propriè quid significet.

fideles

fideles excitat apostolus, vt similiter faciãt in suscepto certamine cursus huius ac pugillatus euãgelici; tantoq; magis, quanto glorioſior ex hoc certamine corona speratur. Vnde sequitur

ET ILLI QVIDEM VT CORRVPTIBILEM CORONAM ACCIPIANT. Græcè, *Illi quidẽ igitur*, subaudi, id faciunt; *vt corruptibilẽ coronã*, id est præmiũ aliquod tẽporale ac periturũ *accipiãt*.

NOS AVTEM INCORRVPTAM. Vel, *incorruptibilem*: vt sit expressior antitheſis, sicut in Græco φθαρτὸν, ἄφθαρτον. Et sensus est: Nos autem similiter facimus aut faciamus, moderatiſſimè vtẽdo rebus huius sæculi, & ab omnibus quæ cursum nostrum remorari, pugnãue impedire possent, abstinẽdo: idq; vt incorruptibilem, id est æternam coronam, in cælo repositam ijs qui bene certauerint & cursum consummauerint, assequamur.

26 EGO IGITVR SIC CVRRO, NON QVASI INCERTVM. Græcè, *ὡς οὐκ ἀδήλως, tanquam non incertè*. Singulariter de se loquitur apostolus, sed sic vt suo exemplo Corinthios excitet, ac doceat quemadmodum certandum sit pro corona incorruptibili. Perſistit autem in assumpta similitudine cursorum & pugilũ. Itaq; ego, inquit, more bonorũ athletarũ, sic curro in hoc euãgelico ministerio, tanquam non in incertum, id est, nõ temerè, & quãlibet in partem: quomodo si quis currat, nihil assequetur præmij: sed recto cursu, totoque nisu tendens ad metam destinatam: vti faciũt qui in stadio currunt, & vincere volunt. Hoc est quod ait Phil. 3, *Ad destinatum persequor*.

SIC PVGNO. Græcè οὕτω πυκτεύω, pro quo textus commentarij Amb. *Sic enitor*. Quod & apud verum Ambrosium lego lib. de Elia & ieiunio cap. 21, & lib. 4 in Lucam cap. 4. Sed enim cõstat Græco verbo propriè eã pugnam significari quę pugilum propria est. Vnde Augustinus in enarratione psal. 57 legit: *pugillor*, idque interpretatur *pancratium facere*. Rursum Ambrosius lib. de paradiso cap. 12, *pugnis percutio*, quod probat Valla. Alij verterunt, *pugilem ago*. Sensus est: More bonorum pugilum sic certo in pugna Christiana.

NON QVASI AEREM VERBERANS. Etiam hic interpres negationem transposuit, absque sensus tamen dispendio. Nam Græcè est, *tanquam non aerem verberans*. Aerem verberat in pugna, qui irrito conatu verbera intentat aduersario; cuius verbera aduersarius eludit. Dicit ergo, sic se pugnare tanquam qui non aerẽ verberet, sed suum, quod est boni pugillatoris, antagonistam. Hinc sequitur.

SED CASTIGO CORPVS MEVM. Significat aduersarium in hac pugna se habere corpus suum, vtique ratione carnis, id est carnalis cõcupiscentiæ, de qua dicit Gal. 5, *Caro concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicẽ aduersantur*. Ideoque nobis perpetua pugna debet esse contra carnem, atque adeò contra corpus nostrum, quatenus per carnem aduersatur spiritui. Pro *castigo* alij vertunt *subigo*, *subijcio*, quidam *obculco*. Irenæi interpres lib. 4 cap. 72 vertit, *luiduum facio corpus meum*: quemadmodum & legit Paulinus in epist. quæ est apud Augustinum 58. Quæ versio proprietatem Græci verbi ὑπωπιάζω, quo Paulus vsus est, expressit. Nam ὑπωπιάζειν (quod annotat Erasmus) *est liuore seu sanguinis nota sugillare, propriè oculos, quos Græci ὤπας vocant, & ὑπώπια notas eiusmodi*. Id verò contingit vbi pugnis certatur. Adhuc enim perstat apostolus in metaphora pugilum: ac dicit se more boni pugilis aduersarij, id est corpus suũ nõ leuiter ferire, sed vsq; ad deformationẽ & vulnera. Deniq; in hunc sensum Græcam vocem diligẽter expendit Theophylactus. Obseruauit quidem R. Stephanus exemplar vnũ quod habebat ὑπωπτέζω, id est, siccum & squalidum reddo, vt intelligas Paulum fame & inedia corpus suum attenuare & affligere. Verùm Theophylactus eam lectionem negat: ac reuera non perinde cõgruit metaphorę in qua versatur apostolus.

ET IN SERVITVTEM REDIGO. Quod elegãter vno verbo Græco dixit, δουλαγωγῶ, id est, vt seruũ ago, ac subiectũ mihi teneo: sic tracto vt cogatur & assuescat seruire. Id autẽ fit, dum ita nutritur & fouetur corpus, vt tamẽ in officio contineatur: dũ ea subtrahuntur quæ prouocant ad rebellionem, & sola suppeditantur necessaria, veluti seruo aut iumento. De quo vtroq; sic Ecclesiasticus cap. 33, *Cibaria & virga & onus asino: panis & disciplina & opus seruo*. Alludit autẽ apostolus ad id quod de pugile dixerat; *ab omnibus se abstinet*. Iam quomodo corpus suũ castigauerit & in seruitutẽ redegerit, alibi significat vt illis verbis 2 epist. ca. 6, *In laboribus, in vigilijs, in ieiunijs*. Porrò notãdum est apostolũ solius corporis sui hic meminisse, non autẽ reliquorũ duorũ hostium cũ quibus nobis pugna est, diaboli & mũdi: quia corpus seu caro domesticus hostis est, quo superato facilius sit externos hostes diabolum & mundum debellare: Vt & hoc addam, quod circa diabolum & mundum non id agendũ, quod circa corpus: vt castigẽtur & in seruitutẽ redigantur; sed tantum vt velut hostes arceantur ac profligentur ne noceant.

NE FORTE CVM ALIIS PRÆDICAVERIM, IPSE REPROBVS EFFICIAR. *Ne fortè*, Græcè est, *ne quo modo*. Sẽsus: Ne quo pacto cõtingat vt *cũ alijs prædicauerim*, & ad salutẽ mea prędicatione perduxerim, *ipse reprobus efficiar*, id est abijciar tãquã salute indignus; eo quod secũdũ carnẽ vixerim, contrà quã alijs prædicaui. Nõ significat apostolus fieri posse, vt quis ex electo reprobus efficiatur, id est, ex prædestinato ad salutem prędestinatus ad interitum: quod est impossibile (Nõ enim mutari potest æternum Dei decretum) sed vt quis posteaquã alijs euangeliũ prædicauit, ipse tanquam reprobus abijciatur ac damnetur: vel quia non vixit secundum euangelium à se prædicatum, vel quia in tali vita non perseuerauit. Quæ damnatio effectus est diuinæ reprobationis. Atq; id de seipso Paulũ metuisse, locus

Quid castigare hoc loco.

Corpus seruituti subijciẽdum.

Cum tribus hostibus nobis pugna est.

Quid reprobum effici.

Ex electo reprobus fieri non potest, nec contra.

Quid aerem verberare.

Corpus nostrum aduersarius no ſter.

Paulus metuit abijci & damnari.

hic apertè declarat. Nec aliter eum ſancti patres interpretati ſunt. *Si Paulus hæc timuit*, ait Chryſoſtomus (illud nempe, ne reprobus efficeretur) *qui tam multos docuit*; *& timuit poſtquam prædicauit; quid nos dixerimus?* Auguſtinus ſermone 19 de verbis apoſtoli, citante etiam Beda: *Suo timore nos terruit. Quid enim faciet agnus, vbi aries tremuit?* Addo Gregoriũ papam, qui libro 6 regiſtri, epiſtola 22 ad Gregoriam ſcripta, affirmat apoſtolum Paulũ hæc ſcribẽtem, quamuis iam ad tertiũ cælum aſſcendiſſet, & in paradiſum ductus arcana verba audijſſet, quæ homini loqui nõ liceret; tamen adhuc trepidaſſe, & timuiſſe ne à ſalute excideret. Notanda ſunt hæc aduerſus hæreticos Specialiſtas. Hieronymus quidem in epitaphio Paulæ, & Auguſtinus paſſim legunt, *reprobus inueniar*. tanquam id ſit reprobum effici quod reprobum inueniri. Quod æquè ſeruit ijſdem hæreticis refellendis, qua parte docent certiſſimè perſuaſum nobis eſſe debere, quod ſumus iuſti & electi. Verùm prior ſenſus germanior eſt. Ex his poſtremò etiam illud ſatis appareret, apoſtolos hac vita durante non ita fuiſſe confirmatos in iuſticia, quin excidere ab ea potuerint; contrà quàm nonnulli opinantur abſque ſolido fundamento. Lege Proſperum lib. 2 de vocatione gentium cap. 28. vbi docet excepto Chriſto, *in cæteris hominibus, donec caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, incommutabilem animi fortitudinem non poſſe reperiri*: idque poſt alia probat euidẽti argumento ex oratione Dominica, qua *non ſolum ab incipientibus, verum etiam à prouectiſſimis ſanctis* (inter quos Petrum nominat) *vniformiter Domino ſupplicatur & dicitur, Ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos à malo.*

Specialiſtarum refutatio.

Apoſtolos in hac vita nõ fuiſſe confirmatos in gratia.

SVMMARIVM.

AB idololatria, fornicatione & alijs vicijs deterret exẽplo veteris & ingrati populi, propter eadem à Deo variè puniti: cui in figura contigerunt omnia. Admonet vt à menſis idolorum abſtineant: omnia ad Dei gloriam faciant: & proximis offendicula ne præbeant.

CAPVT X.

1 NOLO ENIM VOS IGNORARE FRATRES. A ſua perſona ſermonem transfert apoſtolus ad exhortationem eorum quibus ſcribit, generatim docens quæ vicia fugere debeant; vt ne excidant à ſtatu iuſticiæ, in quo per Chriſti fidem & baptiſmi ſacramentum erant conſtituti. Id autem facit adducto exemplo populi Iſraelitici: qui etſi permagna beneficia à Deo accepiſſet, eorum quæ per Chriſtum acceperãt Corinthij præfiguratiua; propter peccata tamen & ingratitudinem magna parte reiectus fuit & grauiſſimè punitus. Græca non *enim*, ſed *autem* legunt. Cæterùm, inquit, fratres, nolo vos ignorare, id eſt, commemoro vobis ne ignoretis.

QVONIAM PATRES NOSTRI OMNES SVB NVBE FVERVNT. Græcè ὑπὸ τὴν νεφέλην ἦσαν. *Communes patres appellat Hebræos*, ait Caietanus, *quia patres ſunt fidei*. Cauſam alij reddunt, quia typum geſſerunt earum rerum quæ accidunt in eccleſia. Neutri rectè, quantum exiſtimo. Nam patres populi fidelis noui teſtamenti vocari populum illum veterem & carnalem, inſolens videtur, ac præter morem ſcripturæ: quæ Iudæorum ex eis genitorum, præſertim carnalium, patres illos appellare ſolet, vt Matth. 23, *Implete menſuram patrum veſtrorum*. Ioan. 6, *Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt*. Acto. 7, *Sicut patres veſtri, ita & vos*. Rectius igitur illi qui cenſent pronomen *noſtri*, non complecti in vniuerſum Corinthios ad quos ſcribit; ſed Iudæos, ex quibus Paulus, & quorum aliqui etiam Corinthij, non gente, ſed patria & habitatione: quaſi dicat, patres gentis noſtræ. *Omnes* autem dicit, qui tunc erant quando hæc quæ memorat acciderunt; omnes, inquam, tam bonos quàm malos; fuerunt enim hæc beneficia vtriſque communia. Nam vt paulo pòſt dicitur: *non in pluribus eorum beneplacitum fuit Deo*. Quæri poteſt quomodo dicat omnes ſub nube fuiſſe: quum nubis illius exhibitæ populo Iſraelitico, officium fuerit, non ſtare ſupra populum, ſed ipſum præcedere, & ducatum præbere per deſertum: vt refertur Exod. 13 & 14, & alibi. Verùm conſtat ex alijs ſcripturæ locis vſum eiuſdẽ nubis fuiſſe etiam in operiendo tabernaculo per omne tempus, quo populus quieſcebat, vt habetur Num. 9. adeoque in protegendo & obumbrando populo per diem aduerſus æſtum ſolis. Hunc enim vſum cum priori coniungit Moyſes Num. 14, Dominum ſic alloquens: *Audierunt quod nubes tua protegat illos* (Hebraicè, *ſtet ſupra eos*) *& in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem*. De hoc vſu poſteriore loquuntur & aliæ ſcripturæ, Pſalm. 104, *Expandit nubem in protectionem eorum*. Sic enim eſſe legendum, non autem, *profectionem*, vt quidam codices habent, ex Græcis & Hebræis liquet. Item Sap. 10, *Fuit illis in velamentum die*, ſiue, *per diem*; *& in lucem ſtellarum nocte*. & cap. 19, *Nubes caſtra eorum obumbrabat*. Fuit autem hoc beneficium nubis præcedentis ac protegentis, perpetuum Iſraelitis ab egreſſu ex Ægypto, vſque ad ingreſſum in terram promiſſionis; vt & beneficium ignis lucentis per noctem. Sic enim legitur Exo. 13, *Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.*

Patres noſtri, qui Paulo dicantur.

Quomodo omnes Iſraelitæ ſub nube.

Vſus nubis in deſerto duplex.

ET OMNES MARE TRANSIERVNT. Ijdem omnes, inquit, per mare rubrum traducti ſunt, ingenti miraculo ac beneficio diuino, perſequentibus eos Ægyptijs, Exod. 14. Traductos intellige, nõ in aduerſam oram maris,

Trāſitus maris rubri quomodo intelligēdus

ſed ad eandem, ſinu maris medio. quod conſtat ex ipſius maris & manſionum, ad quas proximè poſt egreſſum appellebant, geographica deſcriptione. Idque etiam Aquinas hîc annotat. Cur autem illud mare rubrum fuerit appellatum: (quoniam non hoc loco ſic appellatur) exponemus ad illud Hebr. 11, *fide tranſierunt mare rubrum*.

2 ET OMNES IN MOYSE BAPTIZATI SVNT IN NVBE ET IN MARI. *In Moyſe*, Græcè εἰς τὸν μωσῆν, *in Moyſen*, quemadmodum legit Hilarius enarrans pſalm. 134. Id Græci ſic exponunt: freti Moyſe ductore. Alij vertunt, *ſub Moyſe*, id eſt tempore Moyſi, quomodo dici ſolet aliquid geſtum ſub hoc aut illo pontifice, rege, conſule aut proconſule, vt Luc. 3, *Sub principibus ſacerdotum Anna & Caipha*. Act. 11, *Sub Claudio Cæſare*. 1 Tim. 6, atque in ſymbolo fidei, *ſub Pontio Pilato*. Verum Græca præpoſitio non reſpondet; nec omnino eum vſum habet εἰς apud Græcos. Auguſtinus in enarratione pſalmi 77, & tractatu 11 & 26 ſuper Ioannem legit, *per Moyſen*, quaſi ſenſus ſit: authore & velut adminiſtro Moyſe. Denique ſunt qui ſic exponant, *In Moyſen baptizati ſunt*, hoc eſt, cultui ac legi per Moyſen ſibi tradendæ, ſpecie quadam baptiſmatis initiati; quomodo nos in Chriſtum baptizari dicimur, id eſt, Chriſto ac religioni Chriſtianæ per baptiſmum initiari. Qui quidem ſenſus non modò percommodè ex ſignificato Græcæ præpoſitionis habetur; verùm etiam contextui quàm optimè quadrat; idemque confirmatur ex ipſa hiſtoria Exod. 14, vbi poſt deſcriptum maris rubri tranſitum, de Iſraelitis dicitur, *Crediderunt Domino & Moyſi ſeruo eius*, id eſt, Dominum quidem vt Deum, Moyſen verò vt principem ac diuinæ voluntatis interpretem, agnouerunt. Baptizatos in nube & in mari S. Thomas interpretatur, viſis tantis miraculis purgatos ab ignorantia & peccatis per fidem. Caietanus ablutos à diffidentia diuinæ protectionis. Verùm quia Paulus commemorat beneficia tam malis quàm bonis communia; tantumque ſignificare vult, quid viſibiliter ab illis aut circa illos tunc actum fuerit: ideo melius alij baptizatos in nube & in mari intelligunt, quatenus in figura ſacri baptiſmatis, per mare & ſub aquoſa nube ambularunt; ita vt credibile ſit eos etiam guttis, tum ex aquis maris hinc inde qua tranſibant in altum erectis, tum ex nube ſupra ipſos expãſſa fuiſſe nonnihil aſperſos; quo baptiſmi ſacramentum euidentius ſignificaretur. Hanc enim myſticam ſignificationem apoſtolus innuere volens, baptizatos dixit. Atque hunc ſenſum ſecundo loco adfert etiam Aquinas. Appoſitè verò nubes illa & mare baptiſmum nouæ legis præfigurarunt. Nam quomodo nubes populum Hebræum protegebat ab æſtu per diem, eademque noctem illuminabat, vt habetur Exod. 14.

Quid baptizari in Moyſen.

Nubes & mare figura baptiſmi.

ita Chriſti baptiſmus animas ſanctificans, æſtum concupiſcentiæ refrigerat; & infuſo lumine fidei tenebras ignorantiæ noſtræ diſpellit. Vnde qui baptizati ſunt, illuminati vocantur, Heb. 6 & 10. Et quomodo mare rubrum tranſitum præbens Hebræis, Ægyptiorum manibus eos eripuit, ipſos autem Ægyptios ſubmerſit ac perdidit: ita nos ſaluos facit baptiſma, demerſis & extinctis hoſtibus, id eſt, peccatis noſtris. Rurſus quomodo populus ille per mare rubrum traductus peruenit ad manna typicum: ſic abluti baptiſmo Chriſti ſanguine conſecrato, perducuntur ad verum illud manna, quod ſoli norunt fideles. Ad hunc modum ſuper figura tranſitus Hebræorum per mare rubrum, philoſophatur Auguſtinus tractatu 11 in Ioann. Nam & de manna nunc ſequitur.

3 ET OMNES EANDEM ESCAM SPIRITALEM MANDVCAVERVNT.

4 ET OMNES EVNDEM POTVM SPIRITALEM BIBERVNT. Quæritur vtrùm quod dicit eandem eſcam omnes comediſſe, ſit intelligendum, eandem omnes inter ſe, an eandem nobiſcum; & de potu ſimiliter. Auguſtinus tract. 26 ſuper Ioannem, intellexit tam eſcam quàm potum eundem nobiſcum; videlicet ſpiritualem, vt ait apoſtolus; etſi corporalem eſcam potũque diuerſum. Nam illi manna & aquam de petra; nos aliud. Spiritualem verò eſcam & potum illorum nobiſcum interpretatur eundem, id eſt, Chriſtum, quē olim & manna ſignificauit de cęlo deſcendens, & petra fundens aquas: & quem apud nos ſignificat ac repræſentat altare Dei. Nam, inquit, *ſacramenta illa fuerunt: in ſignis diuerſa, ſed in re quæ ſignificatur, paria*. Hunc intellectum videri poteſt exigere ſeries verborum apoſtoli. Monet enim in conſequentibus Corinthios, ne ſibi promittant impunitatem ſi concupiſcentes ſint malorum, ſi idolorum cultu polluantur, ſi fornicentur, & cætera; etiamſi Chriſti participes facti ſint, vtpote in Chriſtum baptizati, & myſtico cibo potuque refecti: quia nec Iſraelitæ impunè tulerunt, ſimilia peccantes; quamuis & illi ſuo quodam baptiſmo eſſent abluti, & cibum potumque diuinitus ſubminiſtratum percepiſſent; ac per iſta Chriſti quoque participes effecti fuiſſent, tanquam vnius eiuſdemque nobiſcum alimoniæ ſpiritualis, ſub ſignis diuerſis. Huc Auguſtinus allegat & illud, quod apoſtolus ſubiungit bibiſſe illos de ſpirituali petra; quodque hanc petram interpretatur Chriſtum. Senſum hunc etiam Græci in ſuis commentarijs inſinuant magis quam tradunt. At verò Latini plerique intelligunt patres illos eandem inter ſeipſos eſcam ediſſe, eundemque potum bibiſſe; vt totius loci ſenſus ſit: Etſi patribus noſtris omnibus communia fuerint hæc beneficia, nubis protectio, & baptiſmus ſub nube & mari; item manna, & aqua de petra, quemadmodum & alia multa: non omnes tamen in

Spiritalē eſcam & potū eundem, quomodo omnes acceperint.

Aliorum intellectus probabilior.

terram promiſſionis introducti fuerunt; quia, ſicut infrà dicitur, *non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo*. Sic igitur, inquit, & nos, quamuis omnes eundem cibum ac potum myſticum de mēſa Domini ſumamus, quemadmodum & omnes vno Chriſti baptiſmo ſumus abluti; non tamen impunitatem ſperare debemus, ſi peccauerimus. Hic ſenſus planus ac perſpicuus eſt, idemque germanior. Nondum enim eſcæ poruſque noſtri mentionem vllam fecerat apoſtolus, vt illuc referri poſſent hæ voces *eandem* & *eundem*. Neque ſaltem dixit eandem nobiſcum; quod dictum aut indicatum oportuit, ſi relationem ad nos intelligi voluiſſet: ſed abſolutè τὸ αὐτὸ βρῶμα, τὸ αὐτὸ πόμα, *eundem cibum, eundem potum*. Vt ſi dicam; omnes Hiſpani eundem habent regem, nec addam cum quibus eundem, vtique ſignifico quod eundem inter ſe. Prior autem ſenſus vel ex eo refelli poteſt, quod verum non ſit omnes illos patres, de quibus apoſtolus loquitur, Chriſti participes factos fuiſſe per fidem, vt Auguſtinus intelligit. Nam ſæpiſſimè eorum incredulitatem & rebellionem increpaſſe leguntur Dominus & Moyſes. Et Paulus ipſe ſtatim ſubijcit, in multis eorum non fuiſſe beneplacitum Deo. Porrò ſpiritualem vocat apoſtolus eſcam illam & potum, id eſt, manna & aquam de petra; vel quia non humanâ operâ, ſed præter naturam diuino miraculo ſuppeditabatur vtrumque; quemadmodum multi exponunt; vel potius, vti docet Liranus, propter ſignificationem ſpiritualem ſeu myſticam. Erant enim illa ſpiritualia, non in ſe, ſed in rebus ſignificatis quarum erant figuræ: ſicut & alia multa, quæ in illo populo vel exhibebantur vel gerebantur in typum futurorum. Quid autē manna myſticè ſignificauerit, hoc loco non dicit apoſtolus, ſed infrà declarat, vbi meminit vnius panis de quo omnes participamus, id eſt, corporis Dominici. Item aqua populo data quid myſticè ſignificauerit, non explicat, ſed intelligendum relinquit, videlicet ſanguinem Dominicum; cuius ſub nomine calicis eodem loco mentionem facit. Eſt autem aqua de petra ſanguis de latere Chriſti. Quas quidem myſticas ſignificationes luculenter expoſitas videre eſt in commentarijs Græcorum. *Quomodo enim*, ait Chryſoſtomus, *tu comedis corpus Domini, ſic illi manna: & quomodo tu bibis ſanguinem, ſic illi aquam de petra*. Et infrà: *Illis manna & aquam; tibi corpus præbuit & ſanguinem*. Iam quod ipſa petra Chriſti figuram geſſerit, confeſtim audiemus.

Mãna & aqua de petra, cur eſca & potus ſpiritualis.

Quid myſticè ſignificet mãna & aqua de petra.

(BIBEBANT AVTEM DE SPIRITALI CONSEQVENTE EOS PETRA. Græcè, *Biberunt enim de ſpiritali ſequente petra*: vt ſit probatio partis præcedentis, qua dictum eſt omnes eundem potum bibiſſe. Similiter habet textus Amb. omiſſo etiam pronomine *eos*, licet quidam codices addant: Sed hæc lectio Græcis conſona, antiquiorum eſt Amb. codicum; & facilè colligitur ex verbis commentarij. Nā & in eodem commentario ad illud capit. 14, *Spiritus prophetarum prophetis ſubiectus eſt*, citantur eadem hæc verba abſque pronomine. Rurſus exſtat hęc Græcorum lectio apud Irenæum lib. 4 cap. 28 & 45. & apud Auguſtinum paſſim, vt homilia 27 inter 50, tractatu 26 & 45 in Ioannem, lib. 12 contra Fauſtum cap. 29, & alibi: item apud Hieronymum (ſeu quiſquis author) in enarratione pſalm. 41. tametſi pronomen *eos* ad ſenſum commodè ſuppletum eſt, non ſolum à noſtro interprete, verum etiam ab alijs nonnullis. Porrò cùm legamus bis Moyſen è petra baculo percuſſa populo ſitienti aquas eduxiſſe, primum Exod. 17, deinde Numer. 20, quæritur ad vtram ſcripturam hic reſpiciat apoſtolus. Quod enim Hieronymus ab Oleaſtro ſcribens in Numeros ſentit vnum idemque eſſe aquæ fluentis è petra miraculum, quod vtroque loco deſcribitur, in Exodo breuius, in Numeris prolixius ac plenius, eam opinionem Caietanus illo antiquior, in vtrumq; locum ſcribens bene refellit, tum ex temporum differentia, tum ex ordine rerum geſtarum. Nam alterum contigit in vndecima manſione apud Raphidim, priuſquam ventum eſſet ad montem Sinai, id eſt, anno primo poſt egreſſionem populi, tabernaculo nondum exſtructo: alterum commemoratur in manſione trigeſima tertia, quæ erat in deſerto Sin apud Cades, id eſt, ſub initium anni quadrageſimi: ac proinde longè poſt tabernaculi ſtructuram. Quod vel ex eo liquet: nam ibi narratur Moyſes tuliſſe virgam, quæ erat in conſpectu Domini, id eſt, in tabernaculo fœderis, vbi ſcilicet Domino iubente fuerat antea repoſita, Numer. 17. Quibus adde quod Numer. 20 murmurantes dicunt: *Vtinam perijſſemus inter fratres noſtros coram Domino*: quod Exod. 17 dicere non poterant, quando populus nulla adhuc plaga percuſſus fuerat à Domino. Mouetur Oleaſtrius eo argumento, quoniam qui in libro Numerorū ob aquæ penuriam murmurarunt, erāt ex ijs qui egreſſi fuerant ex Ægypto. Dicunt enim: *Quare nos feciſtis aſcendere de Ægypto?* Atqui quadrageſimo poſt egreſſionem anno nulli eorum qui de Ægypto aſſcenderant, ſuperſtites erāt, præter Moyſen, Aaron, Ioſue & Caleb. Sed facilè reſpondetur, & quidem dupliciter: Vel vt aſſcendiſſe dicantur non in ſe, ſed in parentibus. Nam parentes eorum aſſcenderant. Vel quia reuera etiam ipſi cum parentibus aſſcenderant de Ægypto, nondum tamen nati viginti annos. Quod enim dicitur, omnes qui educti fuerant ex Ægypto, perijſſe in deſerto, de ijs intelligendum conſtat, qui Numer. 1 leguntur numerati fuiſſe à viginti annis & ſuprà, ſicut expreſsè Dominus ſuis verbis id declarat Numerorum 14. Cum igitur manifeſtum ſit diuerſas eſſe aquæ fluxiones è petra, quæ in Exodo & Numeris

Refellitur opinio Hieronymi ab Oleaſtro de petra percuſſa.

Soluitur argumētum Oleaſtrij.

deſcri

Aliorum opiniones.

describuntur, Caietanus in huius loci commentario censet apostolum ad vtramque respicere. Nam & vterq; scripturæ locus hic ad marginē annotari solet. Aquinas tātum refert ad historiam Numerorum. Liranus verò tantum ad locum Exodi. Quod postremum etiā nobis maximè probatur. Etenim licet vtraq; petra baculo percussa Christi figura fuerit in ligno passi, lanceaque perforati; de sola tamen priori petra Paulum loqui docent verba sequentia, cum dicit: in pluribus eorum non fuisse beneplacitum Deo; prostratos enim esse in deserto. Nam hæc pœna quam infrà suo loco exponemus, anteceſſit eam populi de aquæ defectu murmurationem quæ Numerorum 20 describitur, vt patet ex eiusdem lib. cap. 14. Quare ad eam referri non potest, sed solum ad illam de qua in Exodo; quam sine dubio pœna illa secuta est, etsi non continuò.

Lirani sententia melior.

Petra baculo percussa mysticè quid significet.

Nunc videndum quam apostolus intelligat petram spiritualem. Chrysostomus, alijque Græci Christum ipsum interpretantur, propter id quod sequitur, *Petra autem erat Christus*; atque etiam propter hoc quod dicit, petram consecutam seu comitatam illos fuisse; quod de petra materiali quæ suo loco mansit immota, non videtur accipi posse. Sic igitur apostolum exponunt: Bibebāt de aqua quam eis præbebat petra spiritualis, id est, Christus, qui per diuinitatem tunc erat, & nusquam aberat: quique toto itinere varia beneficia præstando, eos comitabatur, repræsentatus per angelum populi ductorem: de quo dicemus infrà. Verùm si Christus significaretur, non diceret apostolus, *sequente*, sed precedente petra. Angelus enim velut ductor populū præcedebat, vt loquitur scriptura Exod. 23 & 32. Quocirca magis placet petram materialē intelligi, illam ipsam ex qua aquæ eruperant in deserto: quę ferè Latinorum interpretatio est; vt sit sensus: Bibebant ex petra (Græcè ἐκ πέτρας) fundente aquas; quomodo bibere quis dicitur è dolio, ex quo vinum depromitur.

Petra spiritualiter quæ dicatur.

Petra cōsequēs quo sensu.

Hæc autem petra comitata dicitur Israelitas, eo quod aquæ quas petra copiosissimè fundebat, pro commoditate populi in riuos diuisæ, longo spacio profluerent, donec veniretur ad locum, vbi esset aquarum copia. Vnde psalm. 77, de illis aquis dicitur, *Et deduxit tanquam flumina aquas. & torrentes inūdauerunt.* & psalm. 104, *Dirupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt in sicco flumina.* Hanc expositionem comitantis petræ videre est in glossa ordinaria, & apud B. Ariam, aliósque recentiores. Et huc reuocari potest ille multorum commentarius, qui petram comitantem interpretatur obsequentem populi desiderio. Quod verò quidam referunt, filios Israel hanc petram secum tulisse per viam, addita etiam fabula de eius paruitate, vt à Maria sorore Moysi in sinu gestaretur: déque eius spontaneo per castra motu: totum id meritò velut Iudaicum somnium reijcit atque explodit Haimo. Spiritualis autem vocatur eadem petra, quomodo māna & aquas è petra fluentes dictum est vocari escam & potum spiritualem; propter spiritualem videlicet significationem. Nec verò contextus apostoli diuersum intellectum ab eo quem dedimus facilè recipit. Si enim nubes & mare, omniū interpretū consensu, intelliguntur illa materialia, mysticè tamen aliud significantia: igitur & esca, potus, petra, materialia debent intelligi; quamuis spiritualia dicta propter significationem; secundum id quod in sequentibus testatur; hæc omnia in figura nostri facta esse. Et quidem petra quomodo spiritualis fuerit significatione, continuò declarat.

Fabula de petra sequente.

PETRA AVTEM ERAT CHRISTVS.) Huius enunciati subiectum an petra sit, an Christus, haud liquet, ne quidē ex Græco. Nāvtrique præponitur articulus; ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστός. Certè non improbabile est vocem *Christus* subiecti locum tenere, vt ordo & sensus sit: Christus erat illa petra, id est, Christus erat res per illam petram spiritualiter ac mysticè significata. Neque enim insolitum est in sermone, subiecti & prædicati, etiam substantiuorum, ordinem inuerti. Exēpla sunt Ioan. 1, *Deus erat verbum.* & cap. 4, *Spiritus est Deus.* & psal. 94, *Deus magnus Dominus.* Quæ recto ordine sic efferas: Verbum erat Deus. Deus est Spiritus. Dominus est Deus magnus. Confirmatur autē hæc syntaxis ex eo quod Petrus Act. 4 simili sensu de Christo dixit, *Hic est lapis qui reprobatus est* &c. Plerique tamen ordinem verborum sequentes, vocem *petra* subiecti loco statuunt. Pro quibus facere fortasse videatur verbum præteriti temporis *erat*: cum alioqui dicendū videretur in præsenti, Christus est petra, id est, res per illam petram significata; quomodo Petrus dixit Christū esse lapidem angularem, non fuisse. Quanquā nec hoc conuincit. Nam propter significationem olim factam, vtrumq; dici potuit, & petram fuisse Christum, quia Christum significabat: & Christum fuisse petram, quia per petram significabatur. Nam & Ioannes non dixit, Verbum esse Deum, sed fuisse: vt eius significaret æternitatem. Itaque parum refert vtrum ordinem hic sequamur: Vtraque enim constructio redit in eundem sensum. Vtrouis autem modo ordinentur apostoli verba; non est existimandum, (*erat*) pro (significabat) positum esse, quod volunt sacramētarij; vt hoc exēplo suadeant etiam in illis Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, verbum *est*, idem valere quod significat. Quam verbi *est* significationem, nec in scriptura reperies vsquam, nec grammatici tradunt. Sed sicubi repugnantia est inter subiectum & prædicatum propriè sumpta; necesse est in altero eorum improprietatem agnoscere; vt si hominem stupidum voces asinum aut stipitem. Itaque si (petra) construatur ex parte subiecti; sensus enunciationis apostolicæ erit: illius petræ significatum erat CHRISTVS; siue, quod

Syntaxis huius loci ambigua.

Est pro significat nusquam acceptum

per petram significabatur, est Christus: vt nimirum (petra) pro re per ipsam significata ponatur, retenta propria significatione verbi copulantis: quomodo exponendum est illud Apoc. 17, *Aquæ multæ sunt populi multi*. & alia huiusmodi. Cùm autem inter extrema huius propositionis, *Hoc est corpus meum*, nulla sit repugnantia (nam operatorius est Christi sermo:) nequaquam consequens est ad consimilem modum ea verba rectè exponi. Sed hac de re latius egimus, & ex professo, ad distinctionem 8 lib. 4 sentent. rursus aliquid dicturi ad versum 24 capitis proximè sequentis. Cæterùm qua ratione petra à Moyse percussa Christum significauerit, non est difficile declarare. Christus enim vt petra firmissima totã sustinet ecclesiam; idemque percussus & occisus à Iudæis, quorum figurã Moyses gerebat, exundauit aquas vberrimas gratiarum, quibus salubriter reficimur in huius vitæ deserto, quicumque tẽdimus ad terram promissionis spiritualem seu mysticam, id est patriam cælestẽ. Iam verò sicut petram apostolus Christum dixit, ita dicere potuit nubem & mare esse baptismũ, & manna esse corpus Domini, & aquã de petra sanguinem; scilicet per significationem. Verùm hæc insinuare quàm exprimere maluit, interpretibus enucleanda relinquens.

Petra Christi figura qua ratione.

5 SED NON IN PLVRIBVS EORVM BENEPLACITVM EST DEO. Negatio secundum sensum sequitur: Sed in pluribus eorum non fuit beneplacitum Deo: Hebraismus, id est, plurimi eorum Deo non placuerunt: imò vehementer displicuerunt: vtiq; propter incredulitatem, murmurationes, & alia peccata, quibus iram Dei aduersum se prouocauerunt; vti mox speciatim ipse Paulus explicat. Bene autem dicit *in pluribus*, ideſt, quàm plurimis: quoniam è sexcentis millibus altero egressionis anno in numerum relatis, duo tantum Caleb & Iosue, post annum quadragesimum, terra promissa potiti sunt: Cæteri omnes in solitudine per annos quadraginta varijs plagis ac mortibus extincti. Lege Numerorum cap. 14 & 26. Hinc sequitur.

E 600 numeratis duo tantum ingressi terrã promissionis.

NAM PROSTRATI SVNT IN DESERTO. Synecdochicus sermo. Nam de cadaueribus eorum loquitur. Respicit enim ad id quod dicitur ac repetitur Num. 14, *In solitudine iacebunt cadauera vestra*. Sic Heb. 3 de ijsdem: *quorum cadauera prostrata sunt in deserto*. Ex his intelligi vult apostolus etiam nobis nihil profuturum, quod per Christum è dæmonũ seruiture liberati & baptismo mundati, cæterisque Christi sacramentis refecti sumus; si Israelitas peccãdo fuerimus imitati. Ideo sequitur.

6 HÆC AVTEM IN FIGVRA FACTA SVNT NOSTRI. Græcè ad verbum; *Hæc autem figuræ nostræ*, vel *nostri fuerunt*, vel *facta sunt*. Et hoc ferè modo citant istam sentẽtiam Cyprianus epistola 77 ad Magnum, & Augustinus lib. 4 contra Faustum cap. 2, vbi legit *nostri*. & lib. 16 cap. 28, alijsque locis, in quibus legitur *nostræ*: vt & apud Bedam in collectaneis ex Augustino. Legit ad hunc modum etiam Tertullianus lib. de corona militis cap. 9. Alibi verò aliter, vt lib. 5 contra Marcionem capit. 7, *Hæc autem exempla nobis sunt facta*. Sensus tamen idem est: Hæc, inquit, quæ commemoraui contigisse patribus nostris, fuerunt typi quidam ac figuræ, & exempla eorum quæ fiunt, aut futura sunt circa nos, qui sumus asscripti in populum Dei: & ita quidem, vt ad nostram doctrinam, instructionem & cautelam referenda sint; vt infrà dicit versu 11, *Scripta sunt autem ad correptionem nostram*. Quod & hic consequenter ac per species peccatorum declarat.

VT NON SIMVS CONCVPISCENTES MALORVM. In Græco expressius significatur causa finalis; *ad hoc vt nos non simus cõcupitores malorum*. Qua parte notat in Corinthijs cõcupiscentiã gulæ: qua titillante miscebant se epulis sacrorum gentilium. Dicitur autem mala cõcupiscere, quicumque vel rem illicitam seu prohibitam concupiscit, vt primi parẽtes; vel rem licitam malè atque illicitè, vt Israelitæ in deserto: de quibus sequitur:

Quid mala concupiscere.

SICVT ET ILLI CONCVPIERVNT. Non res aut natura malas aut prohibitas, sed bonas licitasque malè & inordinatè; velut carnes, pisces, pepones, cucumeres, porros, allia, cæpe: non contenti cibo quem illis Deus tanto miraculo cælitus mittebat. Respicit enim apostolus ad historiam Num. 11, vbi huiusmodi concupiscentia & plaga subsecuta describitur, eaque tam grauis, vt loco nomen remanserit *Sepulcra concupiscentiæ*. Significat autem futurum vt & nos similia patiamur, si similiter vt illi malorum concupiscentes fuerimus. Similia dico, iuxta proportionem pœnarum huius sæculi, cum pœnis sęculi futuri. Nam & plagæ Israelitarum figuræ fuerunt pœnarum, quas infliget Deus ijs qui post baptismum ac mensæ Dominicæ participationem, ad priora vicia relapsi fuerint.

Plagæ Israelitarũ figura pœnarum futuri sæculi.

7 NEQVE IDOLOLATRÆ EFFICIAMINI. Mutat personam more Hebræis familiari. Nãptius dixerat: *Vt non simus concupiscentes malorum*. Hanc mutationem rursus obseruare est in sequentibus. Sensus: Ad idolorum, & omnino falsorum deorum cultum ne redeatis; siue ex animo per apostasiam, siue opere qualicumq; externo per communionem cum infidelibus idola falsosque deos ex animo colentibus. propter quod infrà dicit; *Nolo vos socios fieri dæmoniorum*. Hunc enim posteriorem modum idololatriæ in consequentibus ab eo loco, *Fugite ab idolorum cultura*, apertius exponit ac prohibet. Addidi generatim de falsis dijs: Nam speciem posuit pro genere, cùm hîc, tum alibi, quoties ab idololatria fideles reuocat, eo nomine comprehendens omnem cultum, quo pro Deo colitur quod non est Deus.

Quidam idololatræ participatione.

SICVT QVIDAM EX IPSIS. Græcè, *sicut quidam eorum*, quomodo vertit infrà versu 9. Supplendum, facti sunt idololatræ, videlicet

aureum

aureum vitulum quem ſibi erexerant, pro Deo ſuo colentes ac dicentes: *Hi ſunt dij tui*, quemadmodum legitur Exodi 32, pro quo Nehemiæ 9, *Iſte eſt Deus tuus*. Quod in Hebræo vnum idemque eſt. Dicit autem *quidã ex ipſis*. Nam illi per quos Moyſe iubente trucidati fuerunt idololatræ, non ſunt idololatris annumerandi.

QVEMADMODVM SCRIPTVM EST. Exodi loco iam citato.

SEDIT POPVLVS MANDVCARE ET BIBERE, ET SVRREXERVNT LVDERE. Latinius hoc modo: *Conſedit populus ad edendum & bibendum: & ſurrexerunt ad ludendum*. In his verbis ſignificatio eſt idololatriæ. Nam ederunt & biberunt epulo conſtructo ex hoſtijs pacificis quas aureo vituli ſimulacro obtulerant. Proximè enim illud præcedit: *Surgenteſq; mane obtulerunt holocauſta & hoſtias pacificas*. Simul hac parte Corinthios, qui in menſa talibus inſtructa dapibus accumbebant, perſtringit apoſtolus, tanquam idololatriæ participes. Quæ res infrà plenius ab eo docetur. Porrò ſaturi ac temulenti ceperunt ludere, choros ducendo, cantando, tympana pulſando, & his ſimilia faciendo pro ſolemnitate erecti idoli, vti liquet ex hiſtoria. B. Auguſtinus quæſtione 61 inter 83, & ex eo gloſſa ordinaria, luſum hunc interpretantur idoli cultum. *Quid enim*, inquit Auguſtinus, *luſui puerili tam ſimile eſt quàm idola colere?* Verùm ſcriptura Exod. 32 verſu 6, 18 & 19, non aliter illos luſiſſe ſignificat, quàm eo modo quo dixi; licet id fecerint ob idoli ſolemnitatem: eáque ratione cultus idoli rectè vocetur: vt ab Aquinate, Lirano & alijs annotatum eſt.

Ludus Iſraelitarũ adorato vituloquis fuerit.

8 NEQVE FORNICEMVR. Rectè poſt epulas fornicationis meminit: quia ciborum viníque ſatietas libidinem prouocare ſolet. Fornicari in ſcriptura generale vocabulum eſt, comprehendens omnem concubitum viri cum muliere non coniugalem: vt annotauimus ad initium cap. 5, tametſi interdum ſtrictius ſumatur. Erat hoc vicium apud gentiles adeò commune, vt de eo qui ex gentibus crediderant, ſpecialiter admonendi eſſent apoſtolico decreto, Act. 15. Nominatim verò Corinthios ſcortationi deditos fuiſſe, colligi poteſt ex ijs quæ ſcripſit cap. 5 & 6. Paſſim quoque ſcriptores ethnici Corinthia ſcorta commemorant: videlicet ad publicam proſtitutionem Veneri conſecrata, cuius in ea ciuitate templum erat celebre.

Fornicari generale vocabulũ in ſcripturis.

SICVT QVIDAM EX IPSIS FORNICATI SVNT. Reſpicit ad hiſtoriam Num. 25. vbi leguntur Iſraelitæ fornicati fuiſſe cum mulieribus Madianitarum, conſilio Balaam, de quo Num. 31, in caſtra ſubmiſſis: à quibus & ad ſacrificia vocati, de ijs comederũt, & deos ipſarum adorauerunt. Solam tamen fornicationem hic nominat apoſtolus: quia fornicatio principalior erat. Non enim ſtudio peregrini cultus, quomodo patres eorum peccauerant in adoratione vituli; ſed vt mulieribus quarum amore capti erant, obſequerentur, deos earum venerati ſunt.

ET CECIDERVNT VNA DIE VIGINTI TRIA MILLIA. Ceciderunt interfecti à iudicibus Iſrael, quibus præceperat Moyſes dicens: *Occidat vnuſquiſque proximos ſuos qui initiati ſunt Beelphegor*: quod erat idolum Madianitarum: cùm prius iuſſu Domini principes populi ſuſpenſi fuiſſent contra ſolem in patibulis. Verùm numerus occiſorum conuenirenon videtur. Nam in lib. Numerorum *occiſi* leguntur *viginti quatuor millia hominum*. Caietanus putat errore ſcribarum factum, vt alterum numerum pro altero poſitum vel hic, vel in Numeris habeamus. Quam ſolutionem etiam Aquinas ſuggerit. Oecumenius referens ipſa veteris ſcripturæ verba, numerũ exprimit eundem quem Paulus: ac ſubiungit: *Quidam autem veterum ſcriptorum poſuerunt viginti quatuor millia*. Ex quo apparet exemplaria Græca memorati loci ſcripturæ quondam variaſſe: licet nunc conſtanter habeant *viginti quatuor*, vt eſt in Hebræo. Certè in verbis Pauli falſitas eſſe non poteſt; cum minor numerus contineatur in maiore. Qua reſponſione multi ſunt contenti. Quanquam & illud dici poteſt, Moyſi non fuiſſe propoſitum, vt numerum occiſorum exactè redderet: nec enim id ſolent hiſtorici. Quum ergo numerus occiſorum eſſet inter tria & quatuor millia ſuprà viginti; Moyſes vlteriorem numerum ſcripſit, Paulus citeriorem. Eſt & alia conciliatio quam adfert Catharinus. Vrget enim illud quod Paulus, non Moyſes, ſcripſit *vna die*: Vt pridie quidem principes, id eſt, illuſtres ex populo viri circiter mille fuerint interfecti: altera verò die è reliquo populo viginti tria millia. Hoc ſolum à Paulo dictũ: Moyſen vtrumque numerum fuiſſe complexum. Mihi prima reſponſio, quæ eſt vtriuſque Thomæ, ſuffragante Oecumenio, plus cæteris probatur.

De numero Varia conciliationes Pauli & Moyſi.

9 NEQVE TENTEMVS CHRISTVM. Chriſtum tentare, & ſigna requirere Iudaicũ erat. *Iudæi*, inquit, *ſigna petunt*: ſuprà cap. 1. Qui & in euangelio Chriſtum ita compellant; *Quod ergo tu facis ſignum, vt videamus & credamus tibi?* Ioan. 6. Sed & ſcribæ & Phariſæi Chriſtũ tentaſſe leguntur, ſignum de cælo quærentes ab eo, Matt. 12 & Luc. 11. Quidam igitur hunc locum ſic exponunt: Ne tentemus Chriſtum, diffidentes eius promiſſis, & ex huiuſmodi diffidentia ſigna petentes: quales apoſtolus Petrus 2 ep. 3 præmonet venturos, nempe qui dicerent: *Vbi eſt promiſſio aduentus eius?* Nam & veriſimile eſt inter Corinthios fuiſſe, qui de Chriſti promiſſis hæſitare inciperent: velut eos qui fidem reſurrectionis mortuorũ vertebant in dubium, vt infrà cap 15. Primaſius huc refert illam tentationem de qua Paulus in 2 ad eoſdem Corinthios epiſtola cap. 13 dicens: *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus?* Mihi magis videtur illud ad rem præſentem pertinere, quod dicit infrà

Iudaicum eſt Chriſtũ tentare & ſigna petere.

Qua Chriſti tentatio hic intelligatur.

versu 22, *An æmulamur*, seu *prouocamus Dominum? Numquid fortiores illo sumus?* Hoc enim erat Christum tentare, potentiæ eius periculum facere.

SICVT QVIDAM EORVM TENTAVERVNT. Græcè hoc & sequenti versu: *Sicut & quidam* &c. Caietanus in hac parte ex Græco legendum annotat *eum* pro *eorum*, Stapulensem secutus authorē: qui id prior annotauit: adeoque sua versione expressit: *quemadmodum & aliqui ipsum tentauerunt*. sed haud dubiè vicioso vsus exemplari, in quo scriptum esset ἀυτὸν pro ἀυτῶν. Nam in textu Paulino tam suprà quàm infrà legitur ἀυτῶν *eorum*. Sed quē tentauerunt? *Deum vel Christum*, ait Thomas in commentario. Si repetas Christum, vt ferè Latini interpretes (nam & planus textus id omnino videtur exigere, nimisque coactum est, aliud quàm quod præcessit, velle subaudire) valebit hic locus ad destruendam hæresin Photinianam, quæ negat Christum fuisse ante Mariam: imò generaliter aduersus eos qui Christum Deum negant. Nam tentationis peccatum propriè committitur in Deum. Sic & Augustinus accepit hunc locum lib. 3 contra Maximinum cap. 26, verbis etiam à Beda citatis. Fauet hic locus opinioni à veteribus Theologis tam Latinis quàm Græcis traditæ de angelo qui duxit filios Israel per desertum in terram promissionis: nempe Christi in carne venturi personam in eo fuisse præfiguratam, ac quodammodo repræsentatam: vt propterea quæ ab illo vel aduersus illum gesta aut facta fuerunt, ad Christum referant, tanquam ab eo vel aduersus eum gesta aut facta. Estque eadem traditio de angelo qui patribus antiquis apparuisse legitur, vt Abrahæ in conualle, siue iuxta LXX, ad quercum Mambre, Gen. 18, Iacob in Bethel, Genes. 28, Moysi in rubo & in monte, Exod. 3 & 24, & Act. 7, Iosue in campestribus Iericho, Ios. 5. Denique & regi Nabuchodonosor in fornace ignis, Dan. 3. Nam vnum & eundem angelum fuisse, qui in typum Christi venturi, inq; eius specie omnibus illis apparuerit, censent dicti theologi. Etenim quia Deus Pater inuisibilis est, & Spiritus-sanctus inuisibilis: solus autem Filius Dei futurus erat naturaliter visibilis, quia carnem assumpturus: idcirco eum solum angelus ille visibiliter referebat, apparens videlicet in ea specie, in qua Dei Filius aliquando erat assumpta carne conspiciēdus. Hinc rex ille dicebat se videre speciem angeli similem Filio Dei. Et Christus ipse ad Iudæos: *Abraham*, inquit, *pater vester exsultauit vt videret diem meum: & vidit & gauisus est*, Ioan. 8. Quin & illud Isaiæ 6, *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum* &c, de Christo Domino à propheta viso dictum esse, idem Ioannes affirmat cap. 12. quum post alia recitata eiusdem prophetæ verba subiungit: *Hac dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.* Nam *relatiuum eius, eo, procuidubio refertur ad Iesum*: inquit Iansenius cap. 111 commentarij sui euangelici. Dicuntur autem hi Dominum, & Christum, & Dei Filium vidisse, quia propriam ac manifestam carnis eius speciem, angelico ministerio suis oculis oblatam viderunt: quomodo qui in speculo videt expressam alicuius hominis imaginem, ipsum hominē videre dicitur. Iā istuc & aliæ scripturæ alludūt: *Iesus*, inquit apostolus Iudas, *populū de terra Ægypti saluās, secūdò eos qui non crediderūt, perdidit.* & Paulus Heb. 12 de Christo loquēs: *Cuius vox mouit terrā tunc: nūc autē repromittit* &c. Stephanus quoque Act. 7, eū qui Moysi locutus est, & ductor populi fuit, nunc angelum, nunc Dominum vocat. Eodem referri potest illud Sap. 18, *Omnipotēs sermo tuus de cælo durus debellator in mediam exterminij terram prosiluit.* Huc igitur & Paulum respicere cum dicit Christū ab Israelitis olim fuisse tentatum, verisimile est. Ita commentator Amb. *Christum tentasse dicuntur*, inquit, *quia Christus erat qui ad Moysen loquebatur*. Tradunt hanc quam retuli sententiam, primùm Græci scriptores, Iustinus in dialogo aduersus Tryphonem, Irenæus lib. 3 aduersus hæreses cap. 6, & lib. 4 cap. 23, Eusebius lib. 5 demonstrationis euangelicæ cap. 9 & sequentibus, nec non in proëmio historiæ ecclesiasticæ, & Athanasius in apologia suæ fugæ. Quibus accedunt Latini, Tertullianus compluribus locis à Pamelio annotatis paradoxo 19. Cyprianus lib. 2 testimoniorum cap. 5 & 6, Hilarius lib. 5 de Trinitate, & in expositione psal. 68, Ambrosius præfatione in Lucam, & lib. 1 de fide ad Gratianum cap. 5. Prudentius in apotheosi aduersus Patripassianos & Iudęos. Augustinus in cōcione ad catechumenos cap. 15. & author quæstionum veteris & noui testamenti quæst. 117, & rursum parte 2 quæstionū veteris testamenti quæst. 18. Postremò valde confirmat hanc patrum traditionem vox ecclesiæ in aduentum Dominicum canentis illam antiphonā: *O adonai, & dux domus Israel, qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, & ei in Sina legem dedisti, veni ad redimendum nos in brachio extento.* Quam orationem, vt & cæteras eiusdem ordinis antiphonas, ad Christū Dei Filium propriè dirigi, non est dubium. Talis est & illa paschalis antiphona: *Surrexit Christus de sepulcro, qui liberauit tres pueros de camino ignis ardentis.* Secundum hæc igitur, tentauerunt Israelitæ Christum in illo angelo ductore suo, Christi personam eo quo dictum est modo repræsentante. Ac sæpe quidem populus ille Dominum tentauit in deserto: vt Exod. 17, quando deficiente aqua dixit, *Estne Dominus in nobis, an non? Et vocatum est nomen loci illius tentatio.* Item Exod. 16, quando panem petiuerunt; & Num. 11, quando carnes. Hæc enim eos fecisse tentando Deum, ac de eius potentia dubitando, testatur Dauid psal. 77 dicens: *Et tentauerūt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis: Et male locuti sunt de Deo; dixerunt, Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Et iterum; *Nunquid*

& panem

Quomodò antiqui Christum vidisse dicantur.

Israelitæ Christum in deserto tentarūt.

Christi diuinitas assruitur.

Vetus traditio quod angelus Israelitarū ductor Christi personam gessit.

Item angelus qui patribus antiquis apparuit.

Eadem traditio Sociis ecclesiæ confirmata.

& panem poterit dare, aut parare mensam populo suo: & quæ sequũtur. Denique Dominus ipse Num.14 testatur dicens: *Tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ.* Verum hoc loco respicit apostolus ad historiam Numer.21, vbi populus pertæsus itineris ac laboris, locutus est contra Dominum, dicens: *Deest panis, non sunt aquæ.* &c. Tunc enim illos secuta est vltio diuina, de qua subiungit.

Serpentes igniti.

ET A SERPENTIBVS PERIERVNT. Scilicet morsibus eorum interfecti. Scriptura serpentes ignitos, id est vrentes vocat. Putantur fuisse quas Græci dipsades appellant, nomine deducto à siti. Id enim cõsonat historiæ. Nam in Arabia præcipuè nascuntur: & morsu sitim ardentissimam inducunt; quæ nec potu restingui queat, sed omni humore consumpto, mox hominem exstinguat. Meminit apostolus huius peccati atque vindictæ; dans occasionem mysterij cogitandi. Nam qui hoc modo peccauerunt, *à serpentibus perierunt, donec serpens æneus erectus est: quem qui intuebantur, à morsibus serpentium sanabantur*, vt annotat Lombardus. Qua quidem in re fuit expressa Christi saluatoris in cruce exaltati figura, ab ipso Christo exposita; Ioan.3.

Mysteriũ serpentis ænei.

10 NEQVE MVRMVRAVERITIS. Vel contra Deum, vel potius contra homines vobis præfectos: quæ tamen murmuratio in Deum redundat; protestante Moyse, *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*, Exod. 16. Est autem murmuratio, quando sine iusta ratione, præcepto seu voluntati superioris contradicitur, aut de eius administratione querimonia suscitatur. Tale quid apud Corinthios fideles accidisse, mirum non videbitur reputanti factiones & schismata, quæ inter eos erant: de quibus cap.1,3 & 11. Nam & Philippenses, vtique laudatiores, admonet dicens cap.2, *Omnia facite sine murmurationibus.*

Murmuratio quid

SICVT QVIDAM EORVM MVRMVRAVERVNT. Sæpissimè legitur populus ille in deserto murmurasse contra Deum & Moysen. Itaque videri potest incertum, de quo eorum murmure Paulus loquatur. Verum ex pœna subiuncta colligitur eum loqui propriè de murmure quo *contra Moysen & Aaron murmurauit omnis multitudo filiorum Israel, dicens: Vos interfecistis populum Domini.* (his enim verbis describitur Num. 16 sub finem) non autem de alio quopiam murmure. Nam murmurationem vnam & alteram quæ narrantur Exod. 16 & 17, nulla punitio legitur subsecuta. Nondum enim populus legem acceperat. Sed neque sermo est de murmuratione quæ Num.11 describitur; nec rursum de ea quæ cap. 14 eiusdem libri. Quæ duo loca ferè solent hic in margine notari. Nam cap.11 puniuntur qui carnes concupierant; de quibus iam ante locutus est apostolus. Et capit. 14 murmuratio quidem populi describitur, non tamen punitio, sed generalis quædam comminatio, scilicet morituros esse in deserto, nec visuros terram promissam. Rursus initio capitis 11 fit mentio cuiusdam plagæ per ignẽ deuorantem extremam partem castrorum: quæ & ipsa propter murmur populi diuinitus immissa fuit. Non eo tamen apostolum hic respicere, sed ad historiam Num. 16, patebit ex eo quod sequitur:

ET PERIERVNT AB EXTERMINATORE. Exterminatorem nonnulli interpretãtur ignẽ egressum à Domino: propterea fortasse quod in Numeris legatur multitudinem fuisse vastatam incendio, iuxta versionem quidem vulgatam. Verùm in Hebræo nulla fit ignis aut incendij mentio: quemadmodum nec in Græco; sed tantum plagæ seu percussionis. Latini interpretes ferè intelligunt angelum percussorem; Græci potentiam quandam vltricem, quod eodem recidit. Quæ est enim vltrix illa potentia, nisi angelus Dei minister? quo & aliàs sæpenumero legitur vsus ad punienda hominum peccata: velut Genes. 19. 3 Reg. vlt. 4 Reg. 19. Act. 12. Quod verò Latinorum quidam exterminatorem exponunt eum qui percussit extra terminos terræ promissæ: parum scienter ab illis dicitur. Nam Græca vox ὀλοθρευτὴς nullam habet termini significationem; sed eum significat qui penitus vastat ac perdit; quem & Cicero Latinè dixit exterminatorem, in oratione pro domo sua. Porrò huius exterminatoris fit etiam mẽtio Iudith 8, illis verbis: *Exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt:* vt videri possit apostolus hæc scribens illum locũ in mente habuisse. Eiusdem exterminatoris mentio fit Sap. 18 in fine, cùm dicitur, *His autem cessit qui exterminabat, & hæc extimuit.* Ex quo etiam loco docemur ad quam plagam his suis verbis respiciat apostolus; nimirum ad eam, quam populo immissam ac sæuientem compescuit Aaron sacerdos; quando stans inter mortuos ac viuentes, atque incensum offerens, pro populo deprecatus est. Hanc enim rem gestam Sapiens illo loco diserta oratione commemorat. Rationem verò cur hæc plaga præ alijs ascribatur exterminatori, id est perdenti angelo, hanc esse existimo: quia modus plagæ, fuerítne ea per ignem, an per serpentes, an aliter facta, non fuit à Moyse expressus; aut certè, quia genus plagæ insolitum fuit, & extraordinaria quadam operatione virtutis angelicę inflictum. Quod & dici potest de percussione exercitus Assyriorum sub Ezechia rege, 4 Reg. 19. Quæritur qualis fuerit hic exterminator angelus, bonus an malus: & omnino quis fuerit. Librum Sapientiæ legenti videbitur de numero malorũ fuisse: eo quod sacerdoti pontificalibus ornamentis induto cessisse dicatur atque extimuisse: imò & victus ab illo fuisse. Nam pro eo quod nos ibi legimus, *Vicit autem turbas*, in multis Græcis habetur ἐνίκησε δὲ τὸν ὀλοθρεύοντα, *vicit autem exterminantem* siue *vastantem:* & mox sequitur quod *verbo illum qui vexabat*, Græcè τὸν κολάζοντα *vltorem subiecit.* Verùm hæc, vt figurato

Exterminator non ignis sed angelus intelligitur.

Quæ plaga hic significata.

Quis angelus exterminator.

gurato sermone dicta non incommodè etiam de bono angelo possunt accipi. Nam & angelus qui luctatus fuit cum Iacob, superatus ab eo legitur Gen. 32, & fleuisse ac rogasse eum Hosee 12, qui vtique bonus erat, ipsiusque adeò Dei personam repræsentabat: vt propter eum in lucta superatũ, Iacob dictus sit Israël, id est prævalens Deo. Gen. ibidem. Quare & hunc bonum angelum fuisse, mihi valde probabile est; nec verò qualemcũque, sed illum ipsum qui ductor fuit Israelitici populi per desertum, & Christi in carne venturi personam prætulit; ideoque Deus & Christus & Iesus nominatus legitur. Nam de angelo ductore, quod idem vltor scelerum futurus esset, ita testatur Dominus Exo. 23, *Ecce ego mittam angelum qui præcedat te, & custodiat in via; & introducat in locum quem præparaui. Obserua eum, & audi vocem eius; nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaueris.* Quod autem gesserit personam & nomen Dei, docet id quod proximè sequitur, *Et est nomen meum in illo*, videlicet πτερὶ ἀμματον. Hoc enim nomine sæpe vocatur, & vocat seipsum, vt Exod. 3, 13, 14, 20. Deutero. vltimo, & alibi. Quod Christus appellatus sit, iam suprà habuimus ex illis apostoli verbis, *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt.* Quod Iesus dictus, ostendũt verba Iudæ apostoli dicentis in epistola, quod *Iesus populum de terra Ægypti saluans, secundò eos qui non crediderũt perdidit.* Quibus etiam ex verbis patet ipsum incredulorum exterminatorem fuisse. Dicitur autem hæc fecisse Dominus Iesus, per angelũ, de quo loquimur, personam ipsius gerentem. Iam nec ab hoc angelo diuersum fuisse putamus eum qui percussit Ægypti primogenita (neque enim illis assentior, qui malum eum fuisse putant) & cuius ministerio lex data fuit in monte Sina; quique cum Moyse locutus fuit in deserto: & cum Iosue in agro vrbis Iericho: & qui populum legis oblitum obiurgauit dicens: *Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram pro qua iurauì patribus vestris* &c. Iudicum 2. Deniq; ipsum fuisse Michaelem archangelum principem populi Dei; qui corpus Moysi sepeliuit: de quo in epistola Iudæ. Sed hæc singula suis argumentis ostendere, non est huius loci. Vide quæ commentabimur in epistolam Iudæ versu 5 & 9.

Angelus bonus, idemq; Deus & Christus & Iesus nominatus.

Exterminator Michael archangelus.

11 HÆC AVTEM OMNIA IN FIGVRA CONTINGEBANT ILLIS. Hic rursum Græcè est τύποι *figuræ*, plurali numero. *Hac autem omnia figuræ*, id est tanquam figuræ *contingebant illis.* ac si dicat: Hæc omnia quæ illis antiquis cõtigisse memoraui, fuerunt typi, figuræ, seu tabellæ quædam prænunciæ eorum quæ in ecclesia Christi contingerent. Qua de re B. Augustinus lib. 22 contra Faustum cap. 24. *Dico*, inquit, *illorum hominum non tantum linguam, verum etiam vitam fuisse propheticam; totumq; illud regnum gentis Hebræorum, magnum quendam, quia & magni cuiusdam, fuisse prophetam.* Sic ille. Porrò codex vnus & alter obseruatus est, in quo scriptum esset τυπικῶς συνέβαινεν ἐκείνοις, id est, *typicè* seu *figuratiuè contingebant illis.* Sed qui ita scripsit, explicare voluit, quod ab apostolo obscurius dictum videbatur. Erat enim prior ille populus totus figuratiuus ac propheticus respectu populi Christiani. Obiter admoneo S. Thomam passim in Summa Theologica legere quarto casu *in figuram*, vt 1. 2 quæst. 102 ar. 2 & 6, & quæst. 103 ar. 1. & q. 104 ar. 2. item 2 2 quæst. 87 ar. 1. Quæ lectio ad sensum clarior est. Idem tamen in commẽtario legit *in figura.*

Hebræo populo omnia cõtingebant in figura.

SCRIPTA SVNT AVTEM AD CORRECTIONEM NOSTRAM. Græcè πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν, *ad* seu *propter admonitionem nostri*, pro quo Tertullianus *ad commonendos nos*, lib. 5 aduersus Marcionem cap. 7. Sensus: vt ijs lectis vel auditis admoniti sapiamus, ne similiter peccantes similia patiamur.

IN QVOS FINES SÆCVLORVM DEVENERVNT. Græcè, κατήντησεν *occurrerunt*, id est, *inciderunt*, vt Erasmus vertit. Irenæus libro 4 aduersus hæreses cap. 28 & 45, & Augustinus lib. 32 contra Faustum cap. 9, & alibi, legunt numero singulari, *In quos finis sæculorum deuênit*, aut *obuênit.* Græci tamen codices constanter habent pluralem numerum, quem & legit Tertullianus: *in quos*, inquit, *fines eorum decucurrerunt*; aduersus Marcionẽ loco prius citato, & aduersus Praxeam cap. 16. Est autem in his verbis hypallage. Nam recto ordine diceretur: qui in fines sæculorum, id est in vltima tempora mũdi, incidimus. Vltimam quippe mundi ætatem significat, quæ ab aduentu Christi protenditur vsque ad sæculi consummationem. Eandem Ioannes vocat nouissimã horam, 1 epist. 2, & rursum Paulus, consummationem sæculorum, Heb. 9. Hoc autẽ tempus est decurrentis ecclesiæ, quo implendæ sunt figuræ priorum temporum. Loquitur enim apostolus non tantum in persona fidelium sui temporis; sed & eorum qui pòst futuri erant vsque ad finem sęculi. De hac phrasi scripturæ plura reperies à nobis annotata ad dictum cap. 9 epist. ad Hebræos.

Fines sæculorum vltima mundi ætas.

12 ITAQVE QVI SE EXISTIMAT STARE, VIDEAT NE CADAT. Scilicet alieno cautus exẽplo. Significat enim quorsum superiora de Israelitis adduxerit. Et quamuis sententia generalis est, tamẽ præcipuè notat eos. qui scientiæ nomine sibi placentes, cum destructione proximorum & idololatriæ periculo, cibos idolis immolatos comedebant: de quibus dixerat cap. 8, *Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire.* Ad hoc enim nunc à digressione reuertitur. Et obserua Paulum non dicere *qui stat*, sed *qui se existimat stare*; Græcè, ὁ δοκῶν ἑστάναι, quod Erasmus & alij vertunt sensu prorsus eodem, *qui sibi videtur stare.* Multi namque sibi stare videntur, qui non stant. Fallunt enim semetipsos, aut certè falluntur. Quales vtique erant, quos inflabat scientia, charitate destitutos ædificante. Igitur ex hac apostoli sen-

tentia

tentia, aduersus duo specialis ac nouiciæ fidei capita, duo statuũtur fidei catholicę dogmata: alterum, nõ esse nos certos infallibiliter quod stemus, id est iusti simus; alterum, nec eum qui iustus est, certum esse quod sit perseueraturus, sed timendum illi esse & cauendum ne à iusticia cadat in peccatum, & peccati merito pereat in æternum. Vnde patres hanc sententiam interdum absolutè citant de homine stante, absque vocabulo *videtur*: vt S. Leo serm. 5 de quadragesima: *Dicente namque apostolo*, inquit, *Qui stat videat ne cadat: nemo est tanta firmitate suffultus, vt de stabilitate sua debeat esse securus*. Imò Chrysostomus ad ipsum Paulum extendit, in commentario ita loquẽs: *Caue casum. Nam si timuit Paulus, qui erat omnium fortissimus; multo magis nos timere oportet*. Porrò Augustinus lib. de dono perseuerantiæ cap. 8 locum hunc ita legit. *Qui videtur stare* &c. non addito pronomine *sibi*, quod nec in Græco est. Sed id rectè noster interpres & alij suppleuerunt. Intelligitur enim ex consuetudine Græci sermonis; sicut & suprà cap. 7, *Si quis turpem se videri existimat*. Vide quæ illic annotata.

Refelluntur duo fidei specialia articuli: certitudo iusticiæ præsentis, & perseuerantia.

Paulus non erat de perseuerantia securus.

13 TENTATIO VOS NON APPREHENDAT NISI HVMANA. In libris Complutensibus ac regijs, alijsque nonnullis tam vetustis quã recentioribus, atque in missali Romano, legitur *apprehendit*, cum tertia vocali. Quæ lectio sincerior est. Nam Græci codices habent ἐλη-φε *cepit*, verbo præteriti temporis. Consentiunt & Græci tractatores; & versio Syriaca. Sed & apud Cyprianum lib. 3 testimoniorũm cap. 91 pro verbo *apprehendit*, legitur *occupauit*. Legunt quidẽ exhortandi siue optandi modo, *apprehendat*. Ambrosiaster & Primasius in commentarijs, item Augustinus lib. 2 de sermone Domini in monte cap. 9, & author quæstionum veteris & noui testamenti quæst. 99. Verùm reprehendit & corrigit eam lectionem Sedulius, ita scribens: *Quod apostoli testimonium non intelligentes quidam, posuerunt pro indicatiuo optatiuum modum*. Alioqui Pelagium quoque indicatiuum legisse, satis arguit eius expositio. Nomine tentationis id intelligitur hoc loco, quod in oratione Dominica, *ne nos inducas in tentationem*: ea nimirum tentatio, qua quis tentatur, hoc est solicitatur ad peccatum; siue diabolo incitante, seu mundo, seu carne: Licet hic potissimùm respicere plerisque videatur apostolus ad eas tentationes quæ sunt à mundo, id est, à malis hominibus bonos persequentibus. Cuiusmodi tentationes non admodum graues adhuc passi fuerant Corinthij. Nondum enim, vt annotat Caietanus, à præfectis prouinciarum erant vexati propter fidem Christi. Ita tentationem hic accipi, suadet illud quod sequitur, *qui non patietur vos tentari* &c. vt sensus sit: Moneo vos, vt qui stare vobis videmini, lapsum metuatis; nec vobis placeatis, quasi valde graues tentationes superaueritis. Nam hactenus quidem non nisi humana, id est modica, mediocris ac superatu facilis tentatio vos occupauit, vobis incubuit. Nondum grauia passi estis. Quod alijs verbis ad Heb. 12 dixit: *Nondum vsque ad sanguinem restitistis*. Igitur tacitè Corinthios admonet, vt sese præparent ac muniant aduersus grauiores tentationes superuenturas: ne qui sibi placent de leuioribus superatis, grauioribus succumbãt. Humanum autem esse Paulo quod moderatum ac facile est, tanquam humanis accommodatum viribus, probat locus Rom. 6, *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ*. Et huic opponitur tentatio supra hominem, qualis illa Pauli de qua 2 Cor. 1. *Quoniam*, inquit, *supra modum grauati sumus, supra virtutem*. Et hic quidem commentarius de tentatione quæ fit à mundo, probabilis est. Quanquam sunt qui Paulum loqui putent de tentatione quæ à carne est, id est, à gula tentante ad idolothyta comedenda. Quem sensum, vt scopo præsentis doctrinæ viciniorem, minimè reijciendum arbitror. Nam & tentatio quam excitat gula, leuis est comparatione tentationum quas commouet mundus, persequendo fideles vsque ad bonorum direptionem & mortem ipsam. Et has tamen etiam superare se posse ne diffidant, ostendit à quo victoriam sperare debeant, dum subiungit, *Fidelis Deus* &c. Quod verò commentator Amb. & author quæstionum supradictus distinguunt tẽtationem humanam à diuina; docentes humanam esse tentationem, propter spem Dei diffidere de homine; diuinam verò, desperare de Deo, humanum auxilium requirẽdo: prorsus alienum est ab hoc loco; & sensum apostoli magis obscurat, quàm explicat. Quis enim dixerit, opus bonum & sanctum, quale est, propter spem Dei diffidere de homine, esse tentationem; præsertim eius generis, de quo hic agitur?

Alij tentationem à carne.

Humanæ tentationis expositio quorundam reiecta.

FIDELIS AVTEM DEVS EST QVI NON PATIETVR VOS TENTARI SVPRA ID QVOD POTESTIS. *Patietur*, Græcè ἐάσει, *sinet*. Post terrorem subijcit consolationem. Nonnulli locum hunc in eum sensum exponunt, quasi Deus nullum hominem supra vires tentari permittat; idque pertineat ad fidem promissorum Dei. Qui commentarius hactenus admitti potest, quia Deus nihil homini præcepit impossibile; & quia ad implenda præcepta suum auxilium promisit. Est autem eius præceptum vt tentationibus resistamus, easdemque resistendo superemus. Et sic intelligendũ illud Cypriani capitulum 91 lib. 3 testimoniorum, *Tantum vnumquemque tentari, quantum potest sustinere*. Quod confirmat Paulino huius loci testimonio. Sic etiam intelligendus Augustinus in Tractatu de pastoribus: vbi semel & iterum hæc apostoli verba sic accipere videtur, tanquam vniuersè de omnibus hominibus dicta sint. *Neque* enim *imperaret* quicquam *Deus vt faceremus, si impossibile iudicaret, vt ab homine fieret*; ait idem Augustinus in expositione psal. 56. Verùm constat

An Deus aliquem supra vires tentari sinat.

Quid hoc loco tentatio.

Tẽtationẽ à mũdo plerique intelligũt

Humana tentatio.

quam

Quo sensu omnibus possibile, tentationes omnes superare.

quamplurimis hominibus, præsertim infidelibus, & in profundum peccatorum demersis, non esse possibile tentationes omnes superare, nisi potentia multum remota: nempe quatenus adhuc in via huius vitæ constituti, dum vtiliter pro eis orari potest, Deo misericorditer possunt ad bonum conuerti, & tentationibus euadere superiores. Sed neque promissio diuina de non permittenda supra vires tentatione, pertinens ad omnes homines, inuenitur in scripturis alia, quàm qua Deus adiutorem se promittit afflictis & tentatis. Atqui non ijs simpliciter omnibus promittit, sed petentibus. Ait enim, *Petite & dabitur vobis.* &, *Omnis qui petit accipit*, Matth. 7. Quā multi verò tentati non petunt? imò quàm multi nec petere possunt? ij maximè qui Deum non nouerunt? Nam *quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Rom. 10. Sanè quod ad hūc locum attinet, non dicit apostolus: *Fidelis Deus* qui neminem sinit, sed *qui vos non sinet tentari supra id quod potestis.* Ex quo satis appareret, quod sententiā suā restrictam esse velit ad certū genus hominū: vtpote vel ad fideles, vel ad iustos, vel ad electos. Est autē optimus cōmentarius eorum qui de electis exponunt. Solet enim Paulus ad electos respicere, sicubi fidem Dei allegat: vt huius epistolæ capit. 1, vbi cùm dixisset, *Qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine*; mox addidit, *fidelis Deus.* Et manifestius 1 Thess. 5, *Fidelis est*, inquit, *qui vocauit vos, qui etiam faciet.* & 2 Thess. 3, *Fidelis Dominus est, qui confirmabit vos & custodiet à malo.* Loquitur enim ad hunc modum apostolus, propterea quod promissiones noui testamenti principaliter ad electos pertineant; quibus Deus absolutè promisit ac præordinauit vitam æternam, & omnia bona ad eam consequendam necessaria; quale est vincere tentationes, & hoc ipsum à Deo petere. Nam huiusmodi promissio nec omnibus fidelibus, nec omnibus iustis facta est, sed solis & omnibus electis: eo nimirum sensu, quia quamuis interdum Deus sinat eos supra vires tentari, ac tentatione deijci; quemadmodum accidit Petro, qui ante tentationem *putabat se posse quod se velle sentiebat, quando dicebat Domino, Animam meam pro te ponam*, inquit Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 17, sed non fallebatur qui dixerat ei, *Non potes me modo sequi*, Ioan. 13. Veruntamē finaliter nulla tentatione à Deo separantur; secundum illud quod in eorum persona dicit apostolus Rom. 8, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et iterum: *Quis nos separabit à charitate Christi?* & quæ sequuntur. Exstant autem promissiones illæ partim apud prophetas, partim in euangelijs, potissimum apud Ioannem, Domino de suis ouibus, id est electis, inter alia sic loquente cap. 10, *Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis: & non peribūt in æternum; & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Nec obstat huic expositioni quod aliqui Corinthiorum ad quos scribebat Paulus, non erant electi; vt nec omnes erant iusti. Nam in huiusmodi sermone siue primam personam exprimat apostolus, vt ad Romanos scribens; siue secundam, vt hic & alibi; respicit electos qui in illis erant ad quos scribit: vt sensus huius loci sit; Fidelis Deus qui suos electos, quorum in numero multos vestrūm esse confido, non sinet tentari supra vires. In hanc sentētiam, id est de electis, præsentem locum acceperunt Romani pontifices Hormisdas & Gregorius primus. Hormisdæ verba sunt in epistola ad Possessorem episcopum. *Deus qui per beatum apostolum dixit; Qui vos non dimisit tentari super quod potestis; ipse pro sua pietate, quos suos elegit esse de laqueis aduersariorum, sicut semper, eripiet.* Eosdem intellexit Gregorius sub nomine filiorum Dei, lib. 14 moraliū cap. 17. Citatis enim apostoli verbis, infert eos non esse filios, sed hostes, quorum vires flagella superant. Electos autem se intelligere declarat lib. 28 capit. 7, vbi scripturam hanc repetit. Nec ab his diuersum sensit Leo pontifex vtroque anterior. Nam in sermone 7 de ieiunio decimi mensis, hæc apostoli verba sic allegat, vt satis ostendat ea se intelligere dicta propriè de redemptis & sacro baptismate renatis, ijsque militantibus atque pugnantibus: quod fit potissimùm (iuxta Domini præceptum) vigilando & orando, ne intremus in tentationem. Quare etiam ex huius pontificis sententia, pertinet hic locus ad electos, vt qui soli perseueranter orant. Consimili intellectu tractat eundem hunc locum Augustinus lib. de dono perseuerantiæ cap. 9. & in enarratione psalmorum 61, 77 & 120. Quo postremo loco rationem hanc adfert, *quia nouit Dominus qui sunt eius*, quæ est electorum notio. Quos & illa specialiter indicat memorati Leonis sententia, qua dicit in epistola 27 scripta ad Flauianum episcopum: *Prouidentia Dei semper suis necessarium præstat auxilium.* Sed & Haimo de peruenturis ad regnum cæleste, & Hugo de ijs qui cum Deo sunt, vtique perseueranter, apostoli mentem exponunt, id est de electis. Apertissimè verò de ijsdē glossator interlinealis, ac totidem verbis Lombardus, ita scribentes, *Deus est fidelis, id est verus in promissionibus, qui se protectorem suorum electorum fore promisit.* Vnde & statim addunt quod electis est proprium. *Qui non patietur vos tentari supra id quod potestis ferre; quia vel cadere non sinit, vel à casu erigit.* Quanquam non minus apertè sensum hunc tradidit istis omnibus antiquior interpres Pauli, vulgo dictus Ambrosius, disertè & grauiter inculcans vim promissionis diuinæ, videlicet eius quæ spectat electos: eoque allegans illud euangelicum, de magnis tribulationum tentationibus à Domino dictum: *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Nec verò dissonant à supradictis Græci commentatores Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius; licet expresè

Promissio victoria facta petentibus.

Optimus huius loci sensus de electis.

Promissiones noui testamēti principaliter electos spectant.

Sensus de electis cōfirmatur testimonijs patrū Latinorū

Eadem sententia Græcorū.

expresè electorum non meminerint. Dicunt enim omnem tentationem vires nostras superare, nisi Christus auxilietur, & felicè euentum præbeat. Quod quidem finaliter solis præstatur electis. Nec de alijs intellexit Theodoritus. Exponit enim de ijs qui diuinum petunt auxilium, nempe sicut oportet, ac imprimis perseueranter. Quod soli faciunt electi. Iam nec aliud existimandum est sensisse patres concilij Tridentini, quando sess. 24 can. 9 loquentes de ijs qui continentiam vouerunt, dicunt Deum *rectè petentibus non* denegare donum castitatis; cùm *non patiatur nos supra id quod possumus tentari:* nos inquam, rectè petentes. Id enim relinquitur intelligendum ex eo quod proximè præcessit. At rectè petentes finaliter, vt dictum est, soli sunt electi. Nam alioqui, in eo quod dicunt donum illud rectè petentibus non denegari, satis profectò significant, denegari, siue non dari, non rectè petentibus, aut non petentibus omnino: qui proinde suprà id quod in præsenti possunt, tentantur. Quod ipsum apertius docent ijdem patres sess. 6 cap. 11, vbi cùm dixissent, *Deus impossibilia non iubet*; addunt ex Augustino de natura & gratia capit. 43, *Sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis.* deque suo; *& adiuuat vt possis:* adiuuat, inquam, petentem. Hinc & Catechismus Romanus in expositione precationis Dominicæ docet, *petendum à Deo, ne nos tentari sinat supra id quod possumus, sed faciat etiam cum tentatione prouentum.* Idque etiam admonet Augustinus libro de catechisandis rudibus cap. 25 his verbis: *Humilis esto Deo, vt non te permittat tentari vltra vires tuas.* & capit. vltimo: *Opera misericordiæ cum pia humilitate, impetrant à Domino, vt non permittat seruos suos tentari plusquam possint sustinere.* Idem in fine tractatus de vrbis excidio: *Oremus & gemiscamus ad Dominum, vt seruetur erga nos, quod apostolus dicit, Fidelis qui non vos sinet tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum.* Rursus idem Augustinus libro 2 de sermone Domini in monte capit 9, exponens illam partem orationis Dominicæ, *Ne nos inducas in tentationem: Deus*, inquit, *induci patitur eum quem suo auxilio deseruerit, ordine occultissimo.* Et quibusdam interiectis adferens hæc apostoli verba, *Fidelis Deus* &c. ita prosequitur: *In qua sententia satis ostendit non id nobis orandum esse vt non tentemur, sed ne in tentationem inducamur. Inducimur autem, si tales acciderint, quales ferre non possumus.* Quem locum Augustini cum alijs huc adducit Beda in collectaneis. De eadem re B. Hieronymus exponens illa Domini verba Matth. 26, *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* sic ait: *Vnde & in oratione Dominica dicimus: Ne nos inducas in tentationem, quam ferre non possimus: non tentationem penitus refutantes, sed vires sustinendi in tentationibus deprecantes.* Sic ille rectissimè. *Necesse est enim vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur*: vti præclarè scripserunt Innocentius I in epistola ad concilium Carthaginense, & Cælestinus I sui præcessoris verba repetens, in epistola ad episcopos Galliæ capit. 6. Possent huc & alia multa ex scripturis & patribus adferri, quibus ostendatur non omnibus hominibus, nec semper, adesse vires, quibus tentationi resistant. Sed hoc argumentum alterius est loci. Denique non ad omnes homines, sed ad solos electos apostoli verba referenda esse, manifestè probat quod sequitur:

De eadē re sententia cōcilij Tridētini

Orandus Deus, ne sinat nos tentari supra vires.

Nota.

Non omnibus, nec semper adesse vires quibus tentationi resistant.

SED FACIET ETIAM CVM TENTATIONE PROVENTVM. Græcè, *Sed faciet cum tentatione etiam exitum, euentum, euasionem*. His enim modis ἔκβασιν rectè vertas. Exitum legunt Hieronymus in commentario Ionæ propheræ capit. 2, & Augustinus in verbis paulo antè recitatis ex tractatu de vrbis excidio. itemque in expositione psalm. 61, & in epistola 89 ad Hilarium quæstione 2, nec non libro 2 de sermone Domini in monte capit. 9 iuxta citationem Bedæ. Sic & Cassianus collatione 7 capit. 20. Porrò Cyprianus in testimonijs ad Quirinum ita refert hunc locum: *Sed faciet cum tentatione etiam euadendi facultatem.* Quæ versio probari non potest, nisi facultatem intelligas in actu positam, id est, euasionem ipsam. Exitus autem iste, siue euasio, sine dubio prouentus est tentati, quia victoria. Sensus enim est; Is qui vos permittit tentari, faciet vt bonum exitum habeat tentatio: hoc est, vt eam superetis, ac victoriam inde repottetis. Quod quidem perspicuum est non omnibus præstari, sed solis electis, eo sanè modo quo dictum est suprà, id est, finaliter.

Quid prouentus cū tentatione.

VT POSSITIS SVSTINERE. Pro verbo *sustinere*, Græcè est in Regijs & omnibus Robertinis, ὑπενεγκεῖν, id est, *sufferre, sustinere*. In alijs verò quibusdam legitur ὑπερενεγκεῖν, id est, *ferendo præualere*, quasi dicas *superferre*. Sic legit Erasmus, & exponit, *ita ferre vt oneri superstis ac superes:* quomodo dictum est Roman. 8, ὑπερνικῶμεν *superuincimus*. Scito tamen hoc posterius in sacris literis vix esse vsitatum. Quod ad sensum huius partis attinet, Origenes libro 3 periarchon capit. 2, scribit ideo dixisse Paulum, *vt possitis sustinere*, non autem, vt sustineatis; quia Deus dat posse sustinere & vincere; non autem ipsum sustinere & vincere. Qui locus, vt & alij multi similes apud illum authorem, cautè legendi sunt; vt qui ad hæresim Pelagianam apertis tibijs præludant. Verissimè nanque dictum est ab Hieronymo in epistola ad Ctesiphontem aduersus Pelagium scripta; Pelagij doctrinam Origenis esse ramusculum. Sensus igitur apostoli catholicus ac

Pelagij doctrina Origenis ramuscu lus.

germanus est : Deum subministraturum vires, quibus reipsa & actu sustineant ac superent tentationem ; ita nimirum, vt ad Dei beneficium non tantum referenda sit vincendi possibilitas, quod vult Origenes, quodque postea docuit Pelagius ; sed ipsa victoria tentationis, id est, ipsum pugnare & vincere : id quod perspicuè testatur idem apostolus infrà capit. 15, dicens : *Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum*. Atque hunc sensum planè exigit particula præcedens, *faciet cum tentatione prouentum*. Non enim facit prouentum, sed prouentus tantummodo possibilitatem ; qui non dat sustinere, sed tantum posse sustinere. Iam quo manifestius etiam hæc pars ad electos pertineat, Lombardus glossam secutus interlinealem, ita supplet, *vt possitis perseueranter sustinere*. Thomas quoque perseuerantiam hic notari dicit. Vnde patet ex huius etiam doctoris sententia præsentem locum de electis accipiendum esse. Ex dictis intelligitur, hac parte *vt possitis sustinere*, non significari causam finalem, sed expositionem contineri præcedentis vocabuli *prouentum* : quasi dicat : faciet prouentum per hoc quod vires dabit efficaces ad sustinendum vsque in finem. Sic enim vsurpatur interdum infinitiuus Græcus præfixo vel subintellecto articulo τῶ : quod obseruare est in canticis beatæ Mariæ Virginis & Zachariæ. Lucæ 1.

Non solũ posse vincere, sed ipsum vincere tentationes, Dei donũ est.

14 PROPTER QVOD CARISSIMI MIHI, FVGITE AB IDOLORVM CVLTVRA. *Carissimi mihi*, Græcè, *dilecti mei* ; pro quo Theophylactus legit *fratres*, & expendit. Videtur & Chrysostomus legisse. Dicit enim : *Mitigat eos nomine consanguinitatis*. Regia biblia coniungunt vtrumque, *Fratres mei dilecti*. Nunc apertius exponit quo tendat proximè præcedens admonitio : nimirum ad reuocandum eos à contagione cultus idolorum : propter quam superius dixerat, *Neque idololatræ efficiamini*. Cuius criminis participatione coinquinari docet fideles idolothytis vescentes : etiam illos qui sibi inter eos primi videbantur, id est, præ alijs scientia præditos. Nam suprà quidem capit. 8 de ijs agens, qui scientia sua freti, sine respectu fratrum infirmorum, idolothyta comedebant, ostendit quàm grauiter illi in fratres peccarent. Hîc verò, quo magis ab eiusmodi mensis eosdem retrahat, præter scandalum fratrum, de quo postea sermonem repetit, etiam idololatriam quandam subesse commonstrat : vtique ratione participationis. Vnde non dicit, Ne colatis idola : sed, *fugite ab idololatria*, vt in Græco, id est, *ab idolorum cultu*. Christianus enim idolothytum vnà cum idololatris comedens, etsi non propriè colebat idolum ; tamen ab idoli cultu non satis recedebat. Nam esus ille idolothyti, participatio quædam erat cultus idololatrici : quemadmodum in sequentibus ipse Paulus explicat. Simili sensu Ioannes apostolus præcipit fidelibus in fine primæ suæ epistolæ dicens : *Filioli, custodite vos à simulacris*.

Idololatriã non fugit, qui idolothytũ comedit.

15 VT PRVDENTIBVS LOQVOR. Græcè, λέγω *dico* : scilicet id quod sequitur. ac si dicat ; Cum prudentibus & intelligentibus mihi sermo est. Nam ab huiusmodi charismatis eos laudauit initio epistolæ : tametsi propriè eos appellat, quos suprà capit. 8 comprehendit illis verbis, *Scimus quoniam omnes scientiam habemus*.

VOS IPSI IVDICATE QVOD DICO. Græcè, *iudicate vos quod dico* : vbi in Græco non iam λέγω, sed φημὶ, quod idem tamen valeat. Sensus : Id quod volo dicere tale est, vt vos ipsi, tanquam prudentes, facilè de eo iudicare possitis. Ad prudentiam quippe pertinet iudicium de agendis. Hac delatione iudicij cum laude coniuncta, mirè beneuolentiam conciliat. Est autem sermo, de iudicio non potestatis, sed discretionis : quod ad vnumquemque prudentem spectat. Ideo præmisit, *vt prudentibus loquor*. Sic & suprà capit. 2, vbi dixit, spiritualem omnia iudicare : quemadmodum illic annotauimus, propter eos qui scripturas eiusmodi detorquent ad potestatem iudicandi de rebus fidei controuersis, quam vel omnibus Christianis, vel omnibus saltem doctis ac prudentibus, volunt esse communem.

Iudicium discretionis, non potestatis, eis defert.

16 CALIX BENEDICTIONIS CVI BENEDICIMVS, NONNE COMMVNICATIO SANGVINIS CHRISTI EST ? *Cui benedicimus*, siue *quem benedicimus*, vt legitur apud Irenæum lib. 3 cap. 20, & commentatorem Ambros. Nam Græcè est, τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὁ εὐλογοῦμεν, *poculum benedictionis quod benedicimus* &c. Duobus argumentis, altero sumpto ex spirituali sacrificio Christianorum, altero ex carnali sacrificio Iudæorum, reuocat Corinthios ab idolothytis ; quibus indiscretè vescebantur, excusationem hanc prætexentes, quod homini Christiano nullus cibus sit immundus, quodque idolum nihil sit ; vt vidimus capit. 8. Cùm autem Christianorum sacrificium duarum rerum constet oblatione, corporis videlicet sanguinisque Dominici : prius sanguinis meminit, vt postea de corpore loquens sub nomine panis, aliud quiddam adijciat eodem pertinens, nempe de significatione eius mystica. Porrò benedictionem quam hic nominat apostolus, alij consecrationem, alij gratiarum actionem interpretantur. Quorum neutrum dici posse nobis videtur. Etenim haud dubiè Paulus de ea benedictione loquitur, de qua euangelistæ Matthæus & Marcus in descriptione cœnæ Domini nouissimæ. Atqui illa benedictio neque consecratio fuit, neque gratiarum actio.

Benedictio huius loci neque consecratio est, neque gratiarum actio.

Con-

Consecrationem non esse, probatur.

Consecrationem non fuisse, quamuis ita multi sentiant Latini posteriores, ex eo patet, quia prolationem verborum quibus fit consecratio, præcessit; vt ex Græco textu apud vtrumque euangelistam, vbi de pane loquuntur, perspicuum est. Vtuntur enim participio aoristo εὐλογήσας, habente significationem præteriti temporis; vt locus ex Græco commodissimè reddatur hoc modo; *Cum benedixisset, fregit, & dedit discipulis, & dixit, Accipite comedite, Hoc est corpus meum.* Nam quod quidam respondent aoristum positum esse loco participij præsentis temporis, vt interdum fit; eius rei haud facilè exempla dederint in aoristis huius flexionis & formæ. Et omnino rarissima sunt aoristæ, in quibus vsus obtinuit vt præsens tempus indicent, velut ἀποκριθεὶς respondens, εἰπὼν dicens: & si quod aliud tale. Certè cum euangelistæ tam in descriptione cœnæ, quàm in narratione vtriusque miraculi panum multiplicatorum (de quo legantur etiam Lucas & Ioannes) nunc vtantur participio εὐλογήσας, nunc εὐχαριστήσας, vtroque aoristo simillimæ formæ; quî conuenit, vt hoc potius quam illud resoluas in verbum præteriti temporis? quomodo noster interpres resoluit εὐχαριστήσας, Ioan. 6, *cùm gratias egisset*. His accedunt pro confirmatione verba concilij Tridentini sess. 13 cap. 1, quibus, vt equidem arbitror, exponere voluerunt illius concilij patres id quod à duobus euangelistis Matthæo & Marco scriptum est. Verba concilij de eucharistiæ sacramento loquentis hæc sunt: *Hoc tam admirabile sacramentum in vltima* (cum discipulis) *cœna redemptorem nostrum instituisse: cùm post panis vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est.* Quod si post benedictionem panis & vini Christus testatus est se suis discipulis præbere corpus suum & sanguinem, testatus, inquam, ijs verbis quibus fit consecratio; quæque à tribus euangelistis & Paulo capite sequenti referuntur (constat enim non de alijs verbis synodum loqui:) palàm certè consequens est, consecrationem fuisse benedictione posteriorem; & proinde benedictionem per consecrationem, tanquam eadem sit, non rectè exponi. Nec video post tam aperta concilij verba quis locus esse possit tergiuersationi. Iam nec dici potest, illam benedictionem fuisse eandem cum gratiarum actione. Nam benedictio ad symbola proposita refertur, gratiarum actio non nisi ad Deum. Quod vtrumque docere non est difficile. Et quidem benedictionem ad symbola referri, quamuis ex descriptione cœnæ apud Matthæum & Marcum non liquidò pateat (non enim exprimunt ad quid referatur; & loquuntur de gratiarum actione similiter): tamen ex hoc loco Pauli manifestum est. Dicit enim non sine inculcatione, *Calix benedictionis, cui* seu *quem benedicimus*. Estque eadem ratio de pane: vt dicere potuerit, Panis benedictionis quem benedicimus. Nec minus manifestum ex verbis concilij; *post panis vinique benedictionem*. Idem ostenditur ex benedictionibus quas adhibuit Dominus in alijs seu miraculis seu factis suis; nominatim in miraculo multiplicationis quinque panum & duorum piscium: in quo describendo ijsdem ferè verbis, quibus in institutione eucharistiæ narranda, vtuntur euangelistæ: quorum Lucas capit. 9 benedictionem definitè retulit ad panes & pisces, dicens: εὐλόγησεν αὐτούς, *benedixit illos*, seu *illis*, vt habet nostra versio. Nec aliter accipienda benedictio cuius mentio est in miraculo septem panum apud Matthæum & Marcum: & cuius in cœna Domini cum duobus discipulis in Emmaus apud Lucam capit. 24. licet ijs locis casus rei patientis non fuerit expressus. Rursum autem expressit Lucas in fine eiusdem capitis, dicens ac repetens, Christum ascensurum in cælum benedixisse suis discipulis: & Marcus cap. 10, referens quemadmodum Christus manibus super paruulos impositis benedixerit eos. Porrò gratiarum actionem, cuius in hoc mysterio describendo tres euangelistæ & Paulus meminerunt, ad Deum referendam esse; quamuis nec id quisquam eorum expresserit, dubitari tamen non potest, posteaquam in sacro canone missæ, tam ante panis consecrationem quàm vini, idipsum clarè expressum habemus: vt taceam de ea re consensum interpretum Pauli & euangelistarum; quorum nulli venit in mentem hæc violenta syntaxis, εὐχαριστήσας τὸν ἄρτον: quæ nec Latinè posset efferri. Sanè distinguenda esse hæc duo, gratias agere & benedicere; vel inde colligas, quod in eodem canone, ante vtriusque symboli consecrationem, simul ambo iunguntur, *gratias agens benedixit*, tanquam significatu differentia: & ita quidem vt gratiarum actio benedictionem præcedat. Cùm ergo satis iam ostensum sit, benedictionem de qua nunc agimus, neque consecrationem esse, neque gratiarum actionem: vnum id reliquum est, vt eam accipiamus in significatione, dum ad res aut personas creatas refertur, in scripturis vsitatissima, qua benedicere est bene precari, & benedictio bona precatio, qua scilicet alicui rei vel personæ bene precamur. Quæ quidem benedictio, quatenus precatio, Deum respicit; ipsum tamen benedicendi verbum transit in rem vel personam, quæ seu cui benedicitur. Sic igitur, & non aliter, in euangelica narratione capitur hoc verbum, vbi Christus acceptum panem benedixisse legitur. Sensus enim est, eum pani bene precatum fuisse, nimirum oratione super eum fusa ad Deum Patrem, oculis in cælum eleuatis (vt in canone missæ dicitur)

Benedictionem non esse gratiarum actionem, probatur. Benedictio refertur ad symbola.

Gratiarum actio refertur ad Deum.

Benedicere pro bene precari in scripturis vsitatissimum.

Quo sensu Christus panibenedixerit.

tur) qua ipſe vt homo & ſacerdos, peteret illius creaturæ quam manibus tenebat, ſanctificationem, vtique mox futuram per mirabilem eius in ſuum corpus tranſmutationem: quam idem ipſe vt Deus omnipotenti ſua virtute ſimul cum Patre & Spiritu-ſancto eſſet effecturus. Quo Chriſti ſacerdotis exemplo, miniſter ac vicarius eius ſacerdos, ad altare prius Deum precatur, vt propoſita dona fiant Chriſti corpus & ſanguis: ac deinde procedit ad eorum conſecrationem. Nam quod de panis benedictione diximus, id de calicis benedictione ſimiliter intellige. Quamuis enim de calice loquentes euangeliſtæ, benedictionem non nominent; canon tamen liturgicus nominat, vt & hoc loco Paulus. Itaque mihi videtur optimè reuerendiſſimus Ianſenius, præceptor meus, *benedictionem panis & calicis* definiuiſſe *precationem ſuper illa effuſam, & inuocationem diuinæ beneficentiæ ſuper illa*, Commentariorum in Concordiam euangelicam cap. 131. Quam eius ſententiam etiam cardinalis Bellarminus meritò collaudat libro 1 de euchariſtia cap. 10; licet eam non ſatis explicet. Quod igitur euangeliſtæ in deſcriptione cœnæ myſticæ, nunc benedictionem, nunc gratiarum actionem nominant; non eo factum, quod harum vocum ſignificationem confundant, vt quidam opinantur: ſed quia Chriſtus in ſua ad Patrem oratione, quam conſecrationi præmiſit; vtrumque fecit, & gratias illi pro beneficijs acceptis agens, & precationem adiungens ſuper pane in melius commutando, quod eſt panem benedicere: quorum alterum alteri, in eadem oratione, coniunctum erat; quemadmodum hanc rem idem Ianſenius doctè explicat. Siquidem & aliâs illa duo, gratiarum actionem & benedictionem, Chriſtus Dominus velut ex more coniunxiſſe legitur: vt quando reſuſcitaturus erat Lazarum, Ioan. 11, & quando panes piſceſque multiplicaturus ſemel & iterum. In quo gemino miraculo deſcribendo, ſimiliter vt in cœna myſtica, videre eſt euangeliſtas modò gratiarum actionem nominaſſe, modò benedictionem: non quod hæc eadem ſint, ſed quod, vt dixi, coniuncta, tanquam eiuſdem orationis partes ſeu membra quædam, ex quorum vtrolibet ſynecdochicè totum poſſit intelligi; nec non alterum ex altero. Hinc illa fidelium conſuetudo, vt cibos ſumpturi Deum agnoſcant donatorem, quod eſt gratias agere; rogentque vt ſumentibus faciat ſalutares, quod eſt benedicere. Id enim à Chriſto acceptum apoſtoli fidelibus tradiderunt: ac meminit Paulus 1 Tim. 4, quum de *cibis quos Deus creauit ad percipiendum*, loquens, & gratiarum actionem nominat & orationem, id eſt, benedictionem. Qui & in omnibus penè epiſtolis ſuis eum morem ſeruat, vt prius Deo gratias agat de beneficijs in eos collatis ad quos ſcribit; deinde perſeuerantiam ijſdem imprecetur, & gratiam vberiorem. Denique vt intelligas hæc tria, gratiarum actionem, benedictionem & conſecrationem eſſe inter ſe diuerſa; reſpice ad id quod ab eccleſia Chriſtum imitante agitur in ſacrificio miſſæ. Nam vt ille gratias egit, benedixit, conſecrauit: ſic & illa per ſacerdotem hæc eadem agit eodem ordine. Primùm namque tota canonis præfatione gratias agit Deo cum laude: deinde dona propoſita benedicit tum initio canonis, tum rurſus ac potiſſimum illis verbis, *Quam oblationem tu Deus* &c. Poſt hæc conſecrat eadem dona verbis Chriſti. Et quoniam ille ſubiunxit præceptum, *Hoc facite in meam commemorationem*. idcirco & ipſa, repetitis præcepti verbis, ſubiungit; *Unde & memores Domine nos ſerui tui* &c. Quarum quidem actionum duas medias, eodem ordine ſuiſque nominibus, ſcilicet benedictionis & ſanctificationis, etiam Auguſtinus diſtinxit epiſtola 59 ad Paulinum quæſtione 5, vbi tractans locum Pauli 1 Timoth. 2, *Obſecro primùm omnium fieri obſecrationes, orationes* &c. *orationes* interpretatur eas quæ fiunt, *cùm benedicitur & ſanctificatur & ad diſtribuendum comminuitur illud quod eſt in Domini menſa*. Quæ ſanè verba benedictionem à ſanctificatione, id eſt conſecratione, non minus ſecernunt, quam à comminutione, id eſt fractione. Ex dictis intelligitur, CHRISTI benedicere iuxta definitionem à Ianſenio datam & à nobis probatam, non idem eſſe quod benefacere, ſicut aiunt quidam; niſi ſenſu conſecutiuo, propterea quod omnis eius precatio ſit efficax, ſeu potius efficaciter impetratoria eius quod petit; ipſo videlicet vnà cum Patre & Spiritu-ſancto hoc ipſum quod petit præſtante; non quidem ſemper ſtatim cum ipſa petitione, ſed quum voluerit: velut in re præſenti, ad illa verba prolata, tanquam inſtrumentaliter operatoria, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus*. Et in Lazari reſuſcitatione, ad illa, *Lazare veni foras*. In panum autem piſciumque miraculo, tunc, quando fiebat illorum in turbas diſtributio. Iam quod Theophylactus in commentario *calicem benedictionis* interpretatur *gratiarum actionis*; nec id quidem ſuprà dictis aduerſatur, vbi benedictionem ab actione gratiarum diſtinximus. Non enim illis verbis exponit quid benedictio ſignificet: ſed declarat quem apoſtolus calicem benedictionis vocet; eum videlicet quem fideles calicem euchariſtiæ ſeu gratiarum actionis appellare ſolent. Alioqui Theophylacto non eadem eſſe hæc duo, probant verba eius ſequentia: quibus vtriuſque vocabuli rationem diſtinguens ait: *Manibus enim eum tenentes, benedicimus ei* (nempe calici, de quo apoſtolus, *cui benedicimus*) & gratias

D. Ianſenij laudata ſententia.

Benedictio cum gratiarũ actione coniungi ſolet.

Mẽſa benedicendi fidelium conſuetudo, à Chriſto manauit.

Gratiarũ actionem, benedictionem & conſecrationẽ eſſe diſtinctas, amplius probatur.

An Chriſti benedicere ſit benedicere.

Calix benedictionis, id eſt calix euchariſtiæ & ſanguinis Chriſti, quo ſenſu.

& gratias agimus ei, qui ſanguinem ſuum pro nobis effudit. Sic & Oecumenius, *Calicem benedictionis*, inquit, *calicem vocat ſanguinis Chriſti:* non quod benedictio ſanguis ſit Chriſti, ſed quod calix ille fidelibus hoc nomine ſit notiſſimus. Hæc de vocabulo benedictionis, vt abeuangeliſtis, & hoc loco à Paulo vſurpatum eſt, dicta ſufficiant. Non enim hic diſcutimus quid εὐλογεῖν interdum ſignificet vſu patrum Græcorum; quídve benedicere vſu Latinorum: & an vſurpent ea alicubi pro conſecrare; ſicut multis videtur. Quod ſi ita eſt; non adeò mirum, quandoquidem & verbum εὐχαριστεῖν in ea ſignificatione Græci quidam veteres vſurpaſſe videntur: nominatim Iuſtinus martyr in apologetico 2, vbi panem vinumque myſticum vocat ἄρτον καὶ οἶνον εὐχαριστηθέντα, & τροφὴν εὐχαριστηθεῖσαν, ac ſi dicat, panem, vinum, cibum euchariſtizatum. Et Irenæus lib. 1 aduerſus hæreſes capit. 9, vbi habes (Epiphanio Græca citante, hæreſi 34) ποτήρια οἴνῳ κεκραμένα εὐχαριστεῖν, *pocula vino miſta euchariſtizare.* Verùm id propter nomen euchariſtiæ inditum pani & vino in corpus & ſanguinem Domini conſecrato; vt ijs locis quibus ſic loquuntur, εὐχαριστεῖν ſit euchariſtiam facere. Sed non ideo conſequens, eam vocem in ſcripturis ſic accipi. Conſtat enim multa vocabula, partim à ſcriptoribus eccleſiaſticis docendi cauſa (quod in diſciplinis tradendis fieri neceſſe eſt) partim communi conſenſu fidelium, ad aliqua ſignificãda quæ Chriſtianæ ſunt religionis aut obſeruantiæ, fuiſſe introducta, quæ non eandem in ſcripturis inueniantur habere ſignificationem: cuiuſmodi ſunt ſacramentum, character, ordo, clerus, lector, oſtiarius, confirmatio, chriſma, pœnitentia, abſolutio: vt hæc ſunt nomina quibus ſacramenta vel eorum partes aut adiacentia quædam ſignificantur: item præſcitus, id eſt reprobatus, indulgentia, aureola. Quibus & verbum εὐχαριστεῖν, vt conſecrare ſignificat, liceat annumerare: ſiquidem & εὐχαριστία pro ſacramento corporis & ſanguinis Domini ſumpta, non ſcripturæ, ſed eccleſiæ vocabulum eſt: quemadmodum & eiuſdem ſignificationis εὐλογία, licet minus vſitatum. Atqui nobis propoſitum fuit explicare, quæ propria ſit horum verborum εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν apud Paulum & euangeliſtas ſignificatio. Veruntamen diſpiciat theologus, ánne patres tam Latini, quàm Græci, ijs ipſis locis, vbi benedictionem pro conſecratione, & εὐχαριστεῖν pro conſecrare videntur accepiſſe, reſpiciant ad illam ſignificationem quam oſtendimus eas voces habere in ſcriptura: vt apud Latinos panis & vinum dicantur conſecrari benedictione, id eſt inuocatione præuia ſacerdotis ſuper panem & vinum effuſa, qua perit vt fiant corpus & ſanguis Chriſti; quemadmodum de Chriſto benedicente dictum eſt ſuprà: ac ſimiliter apud Græcos ἄρτος καὶ οἶνος εὐχαριστηθέντες ſint panis & vinum oratione præuia (quam ſynecdochicè gratiarum actio ſignificat) per ſacerdotem ſanctificata; aut ſuper quibus ſanctificandis Deus cum gratiarum actione fuit inuocatus. Nam & apud Paulum 2 Cor. 1 paſſiuè legitur χάρισμα εὐχαριστηθὲν, id eſt, donum pro quo actæ ſunt gratiæ. Sanè quantum ad benedictionem attinet, quæ in precibus ſuper aliqua re fuſis conſiſtit, quod eâ ſeu per eam res ſanctificari & conſecrari dicatur, vt altare, templum, aqua, oleum, vaſa, veſtes, vſitatiſſimum eſt. Quo loquendi more etiam dicimus ſanctos homines ſuis precibus mortuos ſuſcitaſſe, cæcos illuminaſſe, morbos fugaſſe, aliaque miracula feciſſe; ſiue verba huiuſmodi, ſurge, reſpice, ſanus eſto, ſubiunxerint, ſiue non. Conuenit autem cum hoc ſenſu quem ſuggeſſimus, etiam illud quod patres interdum dicunt ſacerdotum precibus Chriſti corpus & ſanguinem conſecrari: ita tamen vt intelligamus complementum precibus addi per verba Dominica, quæ conſecratoria vocantur. Hæc enim ſunt quę præſtant ſacrificio firmitatem: vt loquitur Chryſoſtomus in ſermone de proditione Iudæ. Sed ad apoſtoli verba redeamus: quæ vel hoc modo poſſunt exponi; Calix qui vocatur *calix benedictionis*, quia in myſterijs preces ſuper eo fundimus (hoc eſt enim quod addit, *cui* vel *quem benedicimus*) eſt calix ſanguinis Chriſti, quem vnum & eundem omnes ſumimus: Vel iſto modo; Id quod eſt in calice benedictionis, ſanguis Chriſti eſt, quem vnum &c. Nam calicem metonymicè poni pro liquore contento, frequens eſt in ſcripturis. Poteſt ſermonis improprietas etiam ſic explicari, quomodo Aquinas & Caietanus explicant: Vſus calicis myſtici, dum à nobis potatur, eſt communicatio ſanguinis Chriſti, omnibus nobis de calice potantibus. Vbi notanda duplex relatio in vocabulo communicationis; altera communicantium ad rem communicatam, vt hoc loco, ſanguinem Chriſti: altera communicantium inter ſe. Quam vtramque relationem Paulum præ oculis habere, ſed magis ac principalius priorem, animaduertet qui totum ſermonis eius contextum vſque ad verſum 22 attentè perlegerit. Porrò quod dicit, *benedicimus*, plurali numero; vel in perſona presbyterorum dicit, qui ſoli myſteriorum ſunt adminiſtri: vel generaliter in perſona fidelium qui myſterijs interſunt. Qui quidem omnes calici benedicunt eo modo & ſenſu, quo omnes ibidem præſentes dicuntur vnà cum ſacerdote offerre, videlicet animi conſenſu ac deuotione, cum deſiderio fructus ex ſacrificio percipiendi. tametſi fateor priorem ſenſum, quem & gloſſa tradit ordinaria, mihi magis probari.

ET PANIS QVEM FRANGIMVS, NONNE PARTICIPATIO CORPORIS DOMINI EST? *Et* abeſt in Græcis ac nõnullis etiam Latinis mss.

An benedicere, & εὐχαριστεῖν aliquando ſignificẽt cõſecrare.

Vocabula ad peculiarẽ vſũ extra ſcripturam vendicata ab eccleſia

Aliaresponſio ab authore ſuggeſta.

Precibus ſacerdotũ conſecrari euchariſtiã, quid ſit.

Triplex expoſitio verborum Pauli.

Duplex relatio in vocabulo communicationis

Participatio, Græcè κοινωνία *communicatio*, vt in priori membro. Sicque in vtroque legit Augustinus apud Bedam. Vnde & Theophylactus post Chrysostomum notanter obseruat, apostolum non dixisse μετοχὴν, id est, participationem, sed κοινωνίαν, id est, communionem seu communicationem; nimirum ad significandam, vt volunt, excellentem quandã vnionem. Quę illorum obseruatio, licet in priori parte posita, pertinet æquè ad hãc partem. Vtrùm tamen apostolus eo consilio sic fuerit locutus, dubito. Nam μετοχὴν paulo pòst nominat: vt potius videatur his duobus vocabulis tanquam synonymis vsus fuisse; quemadmodum vtitur 2 Cor. 6 versu 14. Sẽsus autem est: Panis quem in mysterijs frangimus, est corpus Domini; quod vnũ & idem omnes fideles accipimus. Nam, vt mox ait, *omnes de vno pane participamus*. Aquinas & Caietanus conformiter cum parte superiori sic exponunt: Vsus panis mystici, dum à nobis editur, communicatio corporis Domini est, omnibus nobis illum panem edentibus. Corpus Domini panem apostolus vocat, tum quia ex pane factum est: qua ratione homo puluis seu terra vocatur Gen. 3. tum potissimè quia speciem panis totamque eius operationem retinet: non autem, vt hæretici volunt, quod in hoc sacramento vera maneat panis substantia. Fractionem quoque intelligit eam, qua panis ille, id est corpus Domini, secundum externam atque visibilem speciem frangitur, vt in multos distribuatur. Cuius fractionis etiam Lucas meminit in Actis apostolorum cap. 2 & 20. Fiebat autem huius panis fractio tempore primitiuæ ecclesiæ, primùm quidem à presbyteris & diaconis; deinde verò magisque particulatim à cæteris fidelibus, quibus eucharistia dabatur in manus, vt eam ipsi porrò vel in ipso cœtu inter se, vel domi inter suos, distribuerent. Nam & hoc indicat Lucas in Actis, quum fractionẽ panis in genere fidelibus attribuit dicens capit. 2, quod *erant perseuerantes in communicatione & fractione panis*, vt habet Græca lectio. & iterum: *Frangentes circa domos panem*, Græcè κατ' οἶκον, *per singulas domos*: quomodo Tit. 1, κατὰ πόλιν *per singulas ciuitates*. Non enim presbyteros habebant, qui domesticatim consecrarent & frangerent. Quod autem & in conuentu idipsum fieret, indicant hæc eius verba cap. 20, *Vna sabbati, cùm conuenissemus ad frangendum panem*, vel vt in Græco, *cùm conuenissent discipuli ad frangendum panem*. Sic autem & Christi discipulos in vltima cœna feciſſe non est improbabile: vt quibus dixerit Christus, *Accipite, & diuidite inter vos*, Luc. 22. Quod etsi de calice dictum sit, nihil tamen vetat de pane similiter intelligi. Prima tamen & principalis fractio, sicut illic à Christo facta est, ita deinceps ex illius institutione per ministros altaris fieri debet. Quare & hoc verbum *frangimus* in persona ministrorum ecclesiæ dictum arbitror à Paulo, sicuti verbum *benedicimus*. Iam ex hoc loco manifesta probatio est aduersus sacramentarios, in eucharistiæ sacramento sumi à fidelibus ipsum corpus & sanguinem Domini: non autem, vt illi volunt, nudum corporis & sanguinis Dominici signum. Nam & ipsa percontandi forma qua dicit, *Nonne* &c. vim habet affirmationis vehementioris, tanquam de re apud fideles nota & confessa, cui nullus audeat contradicere. Sic paulo pòst: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* & Christus apud Ioannem cap. 11, *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Denique in hunc istius loci sensum omnes interpretes orthodoxi tam Græci quàm Latini conspirant. Sed & ijs omnibus antiquior Irenæus episcopus & martyr haudquaquam aliter hæc Pauli verba se intellexisse declarat verbis admodum perspicuis, lib. 5 aduersus hæreses cap. 2, quæ nos hic omittimus, ne iusto prolixiores simus. Locum Irenæi diligenter expendit & ab Oecolampadij corruptionibus vindicat Ioannes Fischerus itidem episcopus & martyr lib. 4 de eucharistia cap. 23, 24 & 25.

Communicatio & participatio Paulo synonyma sunt.

Corpus Domini quo sensu panem vocet apostolus.

Quæ fractio panis

A quibus illa fractio solita fieri

Sacramẽtariorum error ex hoc loco refellitur.

17 QVONIAM VNVS PANIS, VNVM CORPVS MVLTI SVMVS. Explicat mysterium significatum in eucharistiæ cõmunione, quod & eiusdem sacramenti effectus est. Nam quia multi sumimus vnum eundemque panem mysticum; ideo multi per significationem & effectum sacramenti, sumus vnus panis: & quia idem ille panis corpus Christi est; ideo multi sumus vnum corpus. Multos intellige cœtum fidelium, id est ecclesiam, tam particularem quamlibet, quam vniuersalem. Porrò *vnus panis & vnum corpus ecclesia Christi dicitur*, ait glossator ex Augustini sententia, tractatu 26 super Ioãnem & alibi, *quia sicut vnus panis ex multis granis conficitur, & vnum corpus ex multis membris componitur; sic ecclesia Christi ex multis fidelibus, charitate copulante, connectitur*. Quæ res etiam à Græcis expositoribus hoc loco est annotata. Propter quod & à patribus eucharistia symbolum vnitatis appellatur. De quo sic exclamat in tractatu iam dicto S. Augustinus: *O sacramentum pietatis, ô signum vnitatis, ô vinculum charitatis!* Aquinas verò subtiliter ac sublimiter in his apostoli verbis *duplicem* obseruat *vnitatem: primam incorporationis, qua in Christum transformamur; cùm dicit, vnus panis: alteram vitæ & sensus, quã à Christo capite accipimus; cùm addit, vnum corpus*. Nec abs re est quod apostolus iuxta fidem Græcæ lectionis & optimorum codicum Latinorum, Augustino etiam suffragante, sine media coniunctione dixit, *vnus panis, vnum corpus*. Voluit enim significare in signo huius vnitatis non aliud esse panem, aliud corpus Christi, sed vnum & idem: quia panis ipse est corpus Christi (quomodo disertè Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius in suis commentarijs loquuntur): sicuti res significata vna est & eadem, scilicet mysticum Christi corpus quod est ecclesia.

Mysteriũ in eucharistiæ cõmunione significatum.

Ecclesia vnus panis. Vnum corpus.

Eucharistia symbolũ vnitatis, eiusq; duplicis.

OMNES QVI DE VNO PANE PARTICIPAMVS. In quibuſdam codicibus cum addito legitur: *Omnes qui de vno pane & de vno calice participamus.* Idque totum à Latinis pleriſq; mediæ ætatis tractatoribus exponitur. Verùm codices Latini meliores eã partem *& de vno calice*, non agnoſcunt; vt nec Græcus textus, nec Syriacus. Et in Græco quidem atque Syriaco ſic habetur: *Nam omnes ex*, ſeu *de vno pane participamus.* Quæ lectio etiam in compluribus exſtat Latinis mss. Similiter Auguſtinus lib. 1 contra aduerſarium legis cap. 19, *Omnes enim de vno pane participamus.* Textus Ambr. *Omnes enim qui.* Lombardus ita legit, *Quoniã omnes.* & Heruæus, *Quia omnes de vno pane participamus:* vt hic author nec illud *& de vno calice*, legiſſe videatur. Vtrouis autem modo legas; continet hæc pars probationem ſuperioris: valetque ratio à ſigno & cauſa; quemadmodum illic explicatum eſt. Vnũ panem rurſus, iuxta ſenſum & expoſitionem omniũ orthodoxorum, intelligit ipſum corpus Domini. Nec verò aliter abſque manifeſta falſitate exponi poteſt. Nam de pane materiali falſiſſimum eſſe conſtat, omnes fideles de vno pane participare. Quare & ex hoc loco ſacramentariorũ hæreſis apertè redarguitur. Quod ſi dicant aduerſarij ſenſum eſſe; Omnes fideles eiuſdem eccleſiæ & eiuſdem ſynaxeos, de eodem pane participare: eo quod vnus panis in omnes qui ad eandem cœnam Dominicam conueniſſent, diuideretur; idque ad ſignificandam eorum omnium in Chriſto, tanquam membrorum eiuſdem corporis vnitatem: facilè & hoc refellitur. Sic enim dicendum fuerat in ſecunda perſona, Vos Corinthij eſtis vnum corpus, quia de vno pane participatis. Nam Paulus qui procul aberat, ſecundum hunc ſenſum non participaſſet cum illis de eodem pane. Nunc autem dicit, *vnum corpus ſumus*, &, *de vno pane participamus*, in prima perſona. Vbi ſicut in priori parte non poteſt intelligi ipſe qui loquitur excluſus; ita nec in poſteriori. Vt & hoc addam, non eſſe veriſimile omnes Corinthios in cœna Dominica congregatos participaſſe de vno pane materiali: ſiquidem pro tanta multitudine hominum plures panes apponi debebant. Dixerat enim Paulo Dominus; *Quoniam populus eſt mihi multus in hac ciuitate.* Actor. 18. Certè pro totius eccleſiæ inſtructione hæc ſcribebat Paulus: Atqui futurum non ignorabat, vt aliquãdo tam numeroſus eſſet vnius eccleſiæ vel parochiæ populus, cui panis vnus ſufficere non poſſet: quando nec de eo ſoliciti fuerunt apoſtoli, vt in quantocumque fidelium conuentu, tantum vnus panis apponeretur. Num igitur apud eos quibus vnus panis non ſufficeret, locum non haberet hoc tam ſalutare documẽtum: *Vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus?* Quis hoc dixerit? quum profectò dubium eſſe non debeat, quin etiam, & maximè de corpore Chriſti quod eſt vniuerſalis eccleſia, loqui Paulus intendat. Itaque prorſus euaneſcit effugium hæreticorum. Obluctantur tamen & aiunt, euchariſticum panem propoſitum per omnes eccleſias vnum dici, *quemadmodum vnus agnus Exo 12 ver. 3 dicitur, qui ab vniuerſa filiorum Iſrael multitudine per cunctas familias immolabatur: quum numero quidem plures eſſent, ſignificatione tamen & myſterio vnus.* Hæc enim aduerſarij cuiuſdam verba ſunt. Atqui primum falſa eſt allegatio. Nam nec eo loco Exodi, nec alibi ſcriptum legitur, omnes vnum agnum accepiſſe & ediſſe, aut de vno agno participaſſe: ſicut hîc omnes de vno pane participare dicimur. Imò locus citatus apertè contrarium ſignificat. Sic enim habet ad verbum ex Hebræo: *Loquimini ad omnem cœtum Iſrael, dicendo: In decima menſis huius accipient ſibi vir* (id eſt *vnuſquiſque*) *agnũ per domum patrum, agnum per domum*, hoc eſt, ſinguli per familias agnos ſingulos, vt tot ſint agni quot familiæ. Sed & hoc quod addunt, vnum eſſe panem ſignificatione & myſterio; nihil eos adiuuat. Non enim quæcumq; multa aliquid vnum myſticè ſignificant, cõtinuò dici poſſunt res vna, velut vnus agnus, vnus hædus, vnus vitulus, ſi multi ſunt: ſed dumtaxat vnum dicentur ſecundum quid, nempe ſecundum illud quod myſticè ſignificant. Nam quis alioqui ſic loquatur; Omnes antiquæ legis ſacerdotes vnum agnum, aut hædum, aut vitulum toto legis tempore mactarunt? omnes cum vniuerſo populo de vno agno comederunt? niſi qui velit intelligi, vnũ eiuſmodi animal omnium mactationi & eſui potuiſſe ſufficere? quomodo rectè dicas, omnes homines eiuſdem familiæ vnum agnum aut de vno agno comediſſe. Iam aduerſus ſectarios & illud obiter obſerua, Paulum dicentem, *de vno pane participamus*, alludere ſiue reſpicere ad morẽ ſacrificij; in quo de vna re per ſacerdotem oblata multi participant. Vnde & hic quædam inſinuatio eſt externi ſacrificij Chriſtianorum. Sed de eo clarius infrà loquetur verſu 21. Quæret aliquis, cur apoſtolus myſterium vnitatis eccleſiæ non declarauerit ex parte vini & ſanguinis Domini: quemadmodum fecit ex parte panis & corporis. Hęc ratio videri poteſt, quia ſatis ei fuit myſterium illud declaraſſe ex principaliori parte ſacramenti, & ea quidem quæ ſemper futuris ſeculis ab omnibus fidelibus eſſet participanda. Aut ſanè quia in ſuperiori ſententia vinum non nominauerat, ſed calicem, ideo nec de vnitate per vinũ ſignificata quicquam adjiciendum putauit. Quanquam Auguſtinus etiam huius partis myſterium non reliquit inexplicatum: quum loco ſupracitato docet ita ex multis fidelibus eccleſiam congregari, ſicut ex multis acinis vinum confluit. Cæterùm oſtendit vtraque explicatio, quàm conuenienter in pane & vino ad vnitatem eccleſiæ ſignificandam efficiendamque, corporis & ſanguinis ſui myſteria Chriſtus inſtituerit. Sed iam reſtat vt argumentum quod in

Vnus panis, ipſum corpus Domini.

Sacramẽtariorum hæreſis redarguitur

Obiectio.

Reſpõſio.

Alia obiectio.

Refutatio.

Inſinuatur euchariſtiã eſſe ſacrificium.

Quæſtio.

Reſpõſio.

Euchariſtia cõuenienter in pane & vino inſtituta.

Argumentatio Pauli.

prædictis verbis vrget apostolus, applicetur ad id quod instituerat de fugiendis idolothytis. Sic ergo ratiocinatur: Nos Christiani quicumque de vno pane, id est corpore Domini, & de vno calice id est sanguine Domini communicamus, hoc ipso cum Christo Domino & inter nos societatem sanctæ religionis habemus atque fouemus; adeoque vnum inter nos & cum illo tāquam capite, mysticum corpus efficimur: ergo fideles vnà cum infidelibus ex immolaticijs idolorum edentes, societatem impiæ religionis cum eis ineunt, atque idololatriæ participes efficiuntur; imò, sicut infrà dicit, ipsorum dæmoniorum socij fiunt. Quod quidem peccatum vobis Christo sociatis & incorporatis summopere fugiendum est.

18 VIDETE ISRAEL SECVNDVM CARNEM. Alterum hoc argumentū est eodem spectans. Israel quarti casus est τὸν ἰσραὴλ. Quod admoneo propter glossam (quæ etiam Lombardum & Aquinatem fefellit) exponentem vocatiuo casu, *ô Israel:* tametsi & veriorem sensum adferunt, qui talis est: Vos quibus tanquam prudentibus loquor, videte Israelem, id est, populum secundum carnem ex Israele progenitum; & attendite quæ apud eos fiunt. Ideo dicit, *Israel secundum carnem*, quoniam est & Israelita secundum spiritum, de quo Rom. 9, *Non enim omnes qui ex Israel, ij sunt Israelitæ.* qui etiam Gal. 6 vocatur *Israel Dei.* Quidam inter quos Caietanus, particulam *secundum carnem*, referunt ad totum illud, *videte Israel*; & exponunt, secundum carnales hostias illius populi. Pro quo sensu nonnihil facere videtur, quod in Græco non est additus articulus τὸν, qui illud *secundum carnem* annectat Israeli. Quod etiam ab Erasmo obseruatum est. Verùm, eo non obstante, priorem sensum etiam Græci interpretes vno cōsensu tradunt. Nec enim in eiusmodi sermone perpetuum est vt articulus exprimatur: nec Paulus repetendum putauit proximæ dictioni iam præpositum.

Israel secundum carnem. Israel secundum spiritum.

NONNE QVI EDVNT HOSTIAS, PARTICIPES SVNT ALTARIS? *Participes*, Græcè κοινωνοὶ *socij*, vt legit Augustinus lib. 1 contra aduersarium legis; id est, societatem & communionem cum aliquo habentes. *Socios* noster vertit infrà versu 20. *Altaris*, θυσιαστηρίου, pro quo minus rectè Erasmus *sacrificij:* quum cōstet Græca voce passim in sacris literis altare significari, non sacrificium. Id iam superiori capite versu 13, vbi similiter impegit Erasmus, annotauimus. Quanquam hoc loco Paulus ex consequēti sacrificium vult intelligi. Nam sensus est: Nonne qui edunt de hostijs immolatis secundum legem, participes ac socij sunt altaris, ipsiusque sacrificij, quod in altari Deo oblatum est? ac si dicat, omnino. Nam vtique in veteri lege, quicumque admittebantur ad edendum de hostijs oblatis, censebantur ipsius sacrificij, tanquam etiam pro ipsis oblati, fieri participes, & per illud sanctificari. Ex quo rursus colligendum relinquit, eos qui cum infidelibus idolothyta comedunt, vnà cum illis effici participes altaris & sacrificij idolis oblati, ac per illud coinquinari. Discimus ex hac apostoli sententia, similiter omnes eos quibus communicatur corpus Domini, etiam extrà locum & tēpus sacrificij, prout in ecclesia fieri consueuit; ipsius sacrificij quo illud oblatum est, fructum participare: quandoquidem & in veteri lege extra tempus & locum sacrificij de immolatis edebatur, idque cum effectu sanctificationis legalis, vt dictum est.

Eraſmi versio castigata.

Participes corporis Domini, participes sunt sacrificij.

19 QVID ERGO? DICO QVOD IDOLIS IMMOLATVM SIT ALIQVID? AVT QVOD IDOLVM SIT ALIQVID? In Græcis alia distinctio est, & diuersus ordo. Sic enim habent, *Quid ergo dico? quod idolum aliquid est? aut quod idolothytum aliquid est?* Nec secus habet textus Syriacus. Quanquam ad sensum non multum interest. Hoc enim est quod sentit apostolus; Dum ab esu idolothytorum vos reuoco, tanquam in eo sit periculum contaminationis; non dico quod idolum aut idolothytum aliquid sit, vt possit idolum per idolothytum, id est, per cibum sibi immolatum, edētes occulta vi quapiam afficere: quomodo verus Deus per oblata sibi sacrificia sanctificat eos qui de oblatis participant. Monet itaque Paulus his verbis obiectionem, qua dicere poterant qui scientiam habebant: Idolum & idolothytum nihil est, sicut tu ipse iam ante docuisti, dicens, *Scimus quia nihil est idolum in mundo*; suprà capit. 8. Non igitur ex idolothyto, si eo vescamur, metuere debemus aliquam coinquinationem peccati. Quo autem sensu idolum & idolothytum apostolo nihil sit, dicto loco satis expositum est. Sequitur obiectionis solutio.

Nec idolū nec idolothytum aliquid est.

20 SED QVÆ IMMOLANT GENTES, DÆMONIIS IMMOLANT ET NON DEO. Græcè plenius: *Sed quod quæ immolant gentes* &c. & est sensus; Sed dico quòd ea quæ gentes infideles in suis sacrificijs immolant, dęmonijs immolant & non vero Deo. Immolant enim dijs suis, de quibus in psalmo 95 secundum LXX scriptum est, & per totam ecclesiam canitur, *Omnes dij gentium dæmonia.* Quamuis enim plerique idololatræ non haberent intentionem colendi dæmonia, sed deos quos sibi finxerant aut fecerant; reuera tamen omnis potentia, quæ se exserebat in illo cultu tanquam à dijs profecta, siue in reddendis oraculis, siue in præstandis interdum beneficijs, opera dæmonum illic assistentium, exercebatur. Nam omnibus simulacris immundos spiritus assidere, testatur Hieronymus exponens illud Habacuc 2, *& omnis spiritus non est in visceribus eius.* Igitur quando gentiles colebant talium operationum effectores, ijsque victimas immolabant; reipsa totum eum cultum impendebant dæmonibus, id est apostatis angelis, quorum princeps est diabolus. Eos scriptura dæmones seu dæmonia

Gentes immolāt dæmonijs, & quo sensu.

Omnibus idolis immundis spiritus assident.

vocat,

vocat, Græco nomine: quo ferè significabantur apud ethnicos, dij minores; quos Latini genios seu lares appellant. Hinc, ipso nomine declarat apostolus, deorum cultum reuera non aliud esse quàm cultum malignorum spirituum.

Deorum cultus nō aliud quā cultus dæmonum.

Socij dæmoniorū qui sint.

NOLO AVTEMVOS SOCIOS FIERI DÆMONIORVM. *Socios* κοινωνὸς, id est *communicatores*, communionem habentes, quod paulò ante vertit, *participes*. Socij dæmoniorum in vniuersum sunt quicumque agunt aliquid, per quod societate cum dæmonibus iungantur. Quales imprimis sunt qui eos expresè vel per se, vel per alios inuocant, aut consulunt, vt vel bene faciant vel male. Deinde quicumque cum eis paciscūtur, vt certis quibusdam signis vel positis vel ablatis aut noceant aut nocere desinant. Nec non quicumque eiusmodi signis in alterutram partem vtuntur. Huc denique pertinet innumera multitudo vanarum obseruationum, id est, quarum nulla ratio reddi possit: quas siue pro sanitate sua aut suorum, siue pro alijs effectibus vsurpat hominum curiosa cupiditas. Ad primum genus referuntur, qui inuocantibus se consociant, siue in sacrificijs offerendis, siue in edendis idolothytis; etiamsi fideles sint, & dæmonum cultum ex animo detestari videantur. Igitur ostendit apostolus eos qui miscebant se infidelibus ad edendum idolothyta, non leuiter peccare, quamuis idolum & idolothytum nihil esse scirent: vt qui cum ipsis dæmonibus quadam societate iungerētur. Quod tale est, ac si quis regi subditus atq; iuratus, societatem ineat & consilia communicet cum eius hoste iurato: imò tanto peius ac detestabilius, quanto Dei quam regis hominis dominium vniuersalius est atque perfectius. Eodem pertinent quæ sequuntur.

Quā graue peccatum dæmonibus societate iungi.

NON POTESTIS CALICEM DOMINI BIBERE ET CALICEM DÆMONIORVM. Ex antithesi seu repugnantia monstrat indignitatem facti. Nulla enim maior inimicicia quàm inter Christum & dæmonia. Nam ad hoc Christus venit vt regnum diaboli destrueret. Itaque rem agit vehemēter absurdam & peruersam, ac moraliter, vt loquuntur, impossibilem, (id enim est quod ait, *non potestis*) qui modò communicat cum Domino, bibēdo de calice Domini inter fideles; modò cōmunicat cum dæmonijs, bibendo de calice dæmoniorum inter infideles. Calix Domini qui dicatur, notum est ex supradictis. Calicem autem dęmoniorum dicit, in quo vinum aut quicumque alius potus continebatur, idolo, & per hoc dæmonijs, consecratus: quia quicquid gentes quæ Deum non nouerunt, consecrant, dæmonijs consecrant.

Inter Christum & diabolum inimicicia summa.

Calix Domini. Calix dæmoniorū.

21

NON POTESTIS MENSÆ DOMINI PARTICIPES ESSE ET MENSÆ DÆMONIORVM. Eadem absurditas & peruersitas hic significatur, quæ in parte præcedenti. Mensa Domini est, ex qua fidelibus ministratur cibus & potus mysticus, id est corpus & sanguis Domini. Quæ mensa, eadem est & altare Domini: sicut mensa dæmoniorum erat quæ cibos præbebat dæmonijs immolatos. Vocat enim mensam dæmoniorum eam quæ sternebatur in idolio, de quo suprà cap. 8, destinata videlicet epulis idolothyticis: vt proinde mensa significetur hoc loco, quæ vel altare sit, vel altare faciat intelligi: qualis est mensa ciborum immolatorum: quomodo per metalepsin, eorum quę coniuncta sunt, alterum ex altero intelligitur; vt ex fumo, ignis. Qua ratione etiam nomen altaris ad sacrificium cogitandum nos ducit: maximè cum sacrificium in altaris definitione claudatur. Rectè igitur hoc apostoli testimonium, inter alia, patres concilij Tridentini adducunt sess. 22 cap. 1, quo doceant eucharistiam à Christo Domino institutam esse non solum vt sacramētum, verum etiam vt sacrificium. Id enim, inquiūt, *non obscurè innuit apostolus Paulus Corinthijs scribens, cùm dicit: non posse eos qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sint, mensæ Domini participes fieri; per mensam altare vtrobique intelligens*. modo videlicet iam explicato; vt mensa vel propriè sit altare, vel ipsum præsupponat. Id verò Paulum velle, etiam ex eo facilè colligitur, vti doctè Caietanus obseruat: quia de immolatis agit hoc loco, siue cùm loquitur de eo quod apud Iudæos fiebat, siue cùm de eo quod apud gentiles. Quare & cùm pro argumento adducit participationē mensæ Domini; credendus est intelligere, ea quæ de mensa Domini percipiuntur, oblata siue immolata esse. Porrò mensam pro altari legimus & alibi in scripturis, vt Isaiæ 65, *Qui ponitis Fortunæ mensam, & libatis super eam.* & Malach. 1, *Mensa Domini despecta est.* Id enim mensam vocat quod prius altare, dicens: *Offertis super altare meum panem pollutum.* Similiter infrà, *Mensa Domini contaminata est: & quod superponitur, contemptibile est, cum igne qui illud deuorat.* Vbi perspicuum est per mensam altare significari. Exstat apud Augustinum locus sermone 113 de diuersis, de mensa Cypriani, sic appellata à reliquijs eius sub ea conditis, vbi & martyrio fuerat affectus. *In eodem*, inquit, *loco mensa Deo constructa est: tamen mensa dicitur Cypriani, non quia ibi est vnquam Cyprianus epulatus, sed quia ibi est immolatus: & quia ipsa immolatione sua parauit hanc mensam, non in qua pascat siue pascatur: sed in qua sacrificium Deo, cui & ipse oblatus est, offeratur. Sed vt mensa illa quæ Dei est, etiam Cypriani vocetur, hæc causa est: quia vt illa modo cingatur ab obsequentibus, ibi Cyprianus cingebatur à persequentibus*, & cætera.

Mensa Domini eadem altare Domini.

Mēsa dæmoniorū.

Docet hic locus eucharistiā esse sacrificium.

Mēsa pro altari.

De mensa Cypriani locus apud Augustinum

22 AN ÆMVLAMVR DOMINVM? *Æmulamur*, Græcè παραζηλοῦμεν: quod verbum significat iritare, lacessere, siue, quomodo vertit idem interpres Rom. 10 & 11, ad æmulationem adducere, ad æmulationem prouocare. De quo verbi istius significato Vallam consule. Num, inquit apostolus, audemus Christum Dominum ad iram & zelotypiam concitare,

Quid æmulari Dominū.

concitare, quasi contemnentes eius potentiam; & probare volentes an punire nos possit, ad riualem & hostem ipsius diabolum transeuntes? Id enim facit qui particeps effectus mensæ Domini, postea sese mensæ dæmoniorum associat. Sumpta metaphora à mulieribus quæ, viris suis cõtemptis, non verentur adulteros admittere. Similes autem hi sunt Iudæ proditori, qui è mensa Dominica pastus, statim se contulit ad diabolicum pertractandum cum Iudæis, hostibus Domini sui, commercium. Obserua Paulum ea quæ passim in scripturis de Deo dicuntur, Christo tribuere. Est enim Deus zelotes, qui gloriam suam non patitur ad alios transferri: de quo Moyses in cantico Deut. 32 dicit: *Prouocauerunt Deum in dijs alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt.* & alia quæ sequuntur. Significat igitur apostolus huiusmodi sermone, Christum Deum esse, videlicet illum de quo scriptum est: *Dominus Zelotes nomen eius: Deus est æmulator.* Exod. 34. Porrò de peccantibus in prima persona loquitur, quasi seipsum illis annumerans: vt ostendat factum illorum cedere in iniuriam totius ecclesiæ, cuius membra sunt: vt in illis ipsa quadantenus ecclesia Christum sponsum suum ad zelotypiam commouere, & iram eius aduersum se prouocare videatur.

Quæ Deo propria, Christo passim tribuit scriptura,

NVNQVID FORTIORES ILLO SVMVS? Scilicet vt eum lacessamus ac prouocemus velut ad pugnam aduersum nos? ac si dicat, Minime. Ille enim fortissimus est ac potentissimus: & proinde non impunè nobis cedet istiusmodi prouocatio.

OMNIA MIHI LICENT, SED NON OMNIA EXPEDIVNT. Occupatio est eius quod obijci poterat, & à sciolis dicebatur, Omnia nobis licent; intelligentibus adiaphora, quæ nulla peculiari lege prohibita sunt: quale erat idolothyto vesci. Respondet apostolus, multa licere, quæ tamen ob rerum circumstantiam non expediant, ac per hoc illicita reddantur. Habetur eadem sententia suprà capit. 6, vbi plenius à nobis exposita est. Hoc autem loco eam repetit propter illos de quibus nũc agit, imprudenter ac temerè comedentes idolothyta: tanquam dicat esum idolothytorum esse quidem de genere eorum quæ per se non sunt illicita; plerumque tamen non expedire, propter occurrentes circumstantias. Quę duę potissimùm erant, vt si fieret in idolio, vel coram infirmo: quarum illa lædebat honorem Dei & Christi eius; ista salutem proximi. De priori circumstantia egit hactenus; nunc illa dimissa tractat alteram, admonens & instruẽs eos qui scientiam de idolothytis habebant, quemadmodum ea deberent vti sine aliorum offensione. Quod argumentum iam ex parte tractauerat suprà capit. 8. Verum hic generalius loquitur, offensionem prohibens non tantum fratrum infirmorum, sed etiam infidelium; vt patebit ex ijs quæ sequuntur. De licitis quatenus expediant aut non expediãt, prudenter æstimandis, vide quæ disserit Augustinus lib. 1 de adulterinis coniugijs cap. 14 & aliquot sequentibus.

Nõ omnia quæ licẽt, expediũt

Esus idolothytorũ non per se malus, sed ob circũstantias illicitus.

23 OMNIA MIHI LICENT, SED NON OMNIA ÆDIFICANT. Hoc est: Non omnia quæ mihi licent, etiam faciunt ad promouendum publicum ecclesię bonum, quod consistit in salute hominum; sed quędam magis destruunt. Vult enim ex boni negatione malum oppositum intelligi; sicut & in parte priori: cuius hęc repetitio est: nisi quod ædificare plus aliquid sonat quàm expedire. Nam expressius respicit commune bonum ecclesiæ, prout à Paulo passim vsurpatur hoc vocabulum. De quo latius suprà ad illud cap. 8, *Charitas ædificat.* Explicatur ea significatio præcepto subsequẽte,

Nõ omnia quæ licẽt, ædificant.

24 NEMO QVOD SVVM EST QVÆRAT, SED QVOD ALTERIVS. Plenius in Græco ἀλλὰ τὸ τοῦ ἑτέρου ἕκαστος, *sed quisq; quod alterius est.* Alter & proximus, eadem sunt apostolo. Sic ait Roman. 13, *Qui diligit proximum*, Græcè τὸν ἕτερον, *legem impleuit.* Itaque & hic verti poterat, *sed quod proximi*, ad commendandam expressius proximi dilectionem. Quærere quod suum est, phrasi scripturæ dicitur, qui priuatis commodis & vtilitati studet, neglecto & posthabito communi multitudinis bono. Ad quod significandum plerumque aliquid additur; vt hoc loco, *sed quod alterius*, id est bonum cuiusque proximi, quem debes diligere sicut teipsum. & in fine huius capitis: *Non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis.* Item Philip. 2, *Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum.* Ibidemque rursus, *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* Cęterùm in huius epistolæ cap. 13 absolutè dicitur & sine addito: *Charitas nõ quærit quæ sua sunt.* Quo loco de hac phrasi pluribus agemus. Vnde & intelligetur non opus esse supplemento particulæ exclusiuæ in dicta phrasi interpretanda, scilicet ad hunc modum; Nemo tantum quod suum est quærat, sed etiam quod alterius: quomodo quidam interpretantur. Absolutè enim dictum est ab apostolo; charitatem non quærere quæ sua sunt: sicut absolutè, *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa &c.*

Alter & proximus eadem Paulo.

Quid quærere quod suũ est.

25 OMNE QVOD IN MACELLO VENIT MANDVCATE, NIHIL INTERROGANTES PROPTER CONSCIENTIAM. Græcè, πᾶν τὸ ἐν μακέλλῳ πωλούμενον &c. *omne quod in macello venditur.* Et pro verbo *interrogantes* in Græco est ἀνακρίνοντες, id est *disquirentes*, vt legit infrà versu 27 commentator Ambro. seu *discutientes*, vt vertit Oecumenij interpres, melius quã Theophylacti *hæsitantes*. Accipitur enim vt suprà cap. 9, *Mea defensio apud eos qui me interrogant.* Et sic exponunt commentarij Græcorum. Applicat apostolus hac parte sententiam generalem, qua dixerat multa licere quę non expediant, nec ædificent, ad præsentem doctrinam de esu idolothytorum; quæ non solum in idolijs edenda solebant apponi, verùm etiam publicè cum alijs carnibus in ma-

Idolothyta publicè venalia.

cello

cello proponi venalia, deinde & in mensis priuatis infidelium apponi. Quæ duo nunc ordine tractat, instruens quid in his agẽdum. Quaslibet, inquit, carnes in macello seu foro venales, emere potestis & comedere: ita vt nolim vos interrogare & disquirere, num carnes immolaticiæ sint, quantum quidem ad rationem conscientiæ vestræ pertinet, ne ea maculetur; vt qui sciatis nullum cibum esse immundum, & idolum atque idolothytum nihil esse, proindeque comedentis animum maculare non posse. Hæc enim scientia debet omnem istiusmodi inquisitionem excludere. *Locus praue detortus aduersus ecclesiasticã carniũ abstinentiam.* Qui cùm sit planus huius loci sensus; liquet profectò quàm insulsè vulgus hæreticorum detorqueat apostoli sententiam aduersus ecclesiasticam carnium abstinentiam certis diebus præscriptam; quasi lege ecclesię non obstante licitum Christiano sit quouis tempore quiduis comedere. Quod ab apostoli mente prorsus alienum esse, qui Heb. 13 præcipit dicens, *Obedite præpositis vestris*; quique sequentis capitis initio laudat Corinthios, quod præcepta sibi ab ipso tradita tenerent; nemo sanæ mentis dubitauerit. Supponit autem apostolus in hac generali sententia, tam id quod legis est diuinæ & ecclesiasticæ, quàm quod legis naturæ. Quare sicut carnes insalubres & nocituras in macello venum expositas, edere tibi non licet, quoniam id lex naturę prohibet: ita certis temporibus simpliciter à carnibus abstinẽdum est tibi Christiano, quoniam id ecclesia præcipit, quam Christus iubet audiri Matth. 18. Nec verò aliud vult apostolus hac sententiæ generalitate, quàm quod alibi docet, *Omnia munda mundis*, Tit. 1. &, *Omnis creatura Dei bona est: & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur*, 1 Tim. 4. *Verum sẽsus explicatur.* Vnde & hic subiungit, *Domini est terra* &c. *Quam conscientiam hic intelligat apostolus.* Sunt qui conscientiam hic intelligant alienam, eo quod apostolus infrà versu 29 sic interpretetur: *conscientiam dico non tuam sed alterius.* Itaque sensum hic esse volunt: ne tua interrogatio dubitationem aut scrupulum pariat assẽti cuipiam dum emis, aut assidenti dum edis aut edere paras. Sed puto falluntur. Nam illa Pauli interpretatio tantum est de eo quod proximè præcedit. Alioqui discrimẽ est; quia præcipiens non interrogandum, pacare vult conscientiam ementis aut edentis: dicens autem, *Nolite manducare*, iam prouidet alterius conscientiæ.

26 DOMINI EST TERRA ET PLENITVDO EIVS. In Græcis & Syriacis exemplaribus, nec non apud interpretem Amb. additur causalis particula, *Domini enim terra* &c. quæ in nostris omissa videtur, eo quod in psalterio non legatur. Est enim versiculus initialis psalmi 23, quem sic intellige: Terra & quicquid terra copiosè gignit ac profert, aut nutrit, Deum habet authorem ac Dominum. Ex quo colligi vult apostolus ea omnia bona esse & munda: nam quicquid Dei est, vt authoris ac Domini, bonum ac mundum est. *Quicquid Dei est, bonum ac mundum est.* Rursus, Si Domini Dei sunt omnia quæ terra profert ac nutrit, siue in cibos hominum cessura, siue in alios vsus: nihil ergo dæmonum est, vt ab illis, tanquam dominis, immutari possit; nosque propterea de cibis an de sacrificio veniant, interrogare debeamus.

27 SI QVIS VOCAT VOS INFIDELIVM. Nunc docet qua libertate & cautela fidelibus vtendum sit in mensis priuatis infidelium. Græcè, *Si quis autem vocat* &c. Sicque legerunt Lombardus & Aquinas. Quod verò quidam Latini codices addunt *ad cœnam*, in Græcis & Syriacis non habetur, vt nec in Latinis castigatioribus. Quanquam subaudiendum est aliquid tale, ad mensam, ad conuiuium.

ET VVLTIS IRE. Significat hoc non esse illicitum. Neque enim prohibebantur fideles cibum sumere cum infidelibus inter quos habitabant; nec eorum conuiuijs interesse: vti nec commercia cum ijs exercere; quemadmodum idem apostolus suprà docuit cap. 5. vbi & idolis seruientes numerat inter homines huius mundi, quorum consortium negat se fidelibus inhibere. Nam *alioquin*, inquit, *debueratis de hoc mundo exisse*. Erat igitur & hoc inter ea de quibus dixit, *Omnia mihi licent*. Verũ an & quatenus expediret & ædificaret; ex circumstantijs erat dijudicandum. Ideo tãquam de re media & rationis arbitrio relinquenda loquitur, *& vultis ire.* *Fidelium cũ infidelibus cõmercia licita.*

OMNE QVOD VOBIS APPONITVR, MANDVCATE, NIHIL INTERROGANTES PROPTER CONSCIENTIAM. Hoc totum intellige iuxta sensum prius datum. Nam & hic conscientiam intelligit eorum quos alloquitur; non alienam, vt volunt ij de quibus ante dictum est.

28 SI QVIS AVTEM DIXERIT. Subiungit exceptionem à generali concessione præcedente. In Græcis & Syriacis additur, *vobis*.

HOC IMMOLATVM EST IDOLIS. Multi codices mss. non *immolatum*, sed *immolaticium* legunt. Quo modo si vertit interpres, verisimile est non fuisse ab eo additum *idolis*. Certè commentator Amb. absque eo legit, *Hoc immolaticium est*. At in Græco semper eadem est dictio, idolothytum; quã noster interpres variè transfert.

NOLITE MANDVCARE, PROPTER ILLVM QVI INDICAVIT. Cùm dixisset, *nolite manducare*, ne quid videatur idolo tribuere, continuò causam adiecit; *propter illum qui indicauit*: ne videlicet ei scandalum præbeatis manducando, siue fidelis ille sit, siue infidelis. Vterque enim ex facto tuo scandalizari poterit: fidelis quidem infirmus, exemplo tuo contra suam conscientiam de idolothyto comesturus; aut certè iudicaturus te velut malè agentem: infidelis autem, quia putabit te præ metu aut pudore non audere religionem tuam, quę omnem idololatriam exsecratur, liberè confiteri; aut certè per intemperantiam gulæ prodere sinceritatem tuæ religionis; & per hæc minus bene de Christianis sentiet, atque ijs *Tam fidelium quam infidelium scandala vitanda.*

etiam

etiam insultabit, non sine Christi iniuria: tantum aberit vt eum Christo sis lucrifacturus; cuius rei potissimum causa ad mensam hominis infidelis accedere debueras. *Illum qui indicauit* exponimus tam infidelem quàm fidelẽ: quia sermo est de cõuiuio ad quod promiscuè fideles & infideles inuitabantur: poteratque indicium ab vtrolibet fieri. Solicitus est autem apostolus ne vel his vel illis offendiculum detur. Vnde concludens infrà sic ait, *Sine offensione estote Iudæis & gentibus & ecclesiæ Dei.* Cæterùm quod sequitur, ad solum fidelem infirmum arbitramur pertinere.

ET PROPTER CONSCIENTIAM. Ac si dicat, Specialiter autem propter conscientiam, nempe fratris: vti statim ipse Paulus exponit. In Græcis codicibus penè omnibus post hæc verba repetitur illud psalmi, *Domini enim est terra & plenitudo eius*; repetuntque eius hoc loco mentionem omnes enarratores Græci. Videri potest repetitum errore scribæ propter homœoteleuton clausulæ præcedentis. Alioqui nec Syrus interpres repetiuit; & huic loco parum aptè quadrat: nisi fortè Paulus hîc adiecit ad aliud docendum quàm suprà; tãquam diceret: Cùm terra copiosè præbeat cibos à Domino creatos, quos citra cuiusquam offensionem edere potestis; non est quod hunc cibum idolo consecratum edas cum alterius offendiculo.

In Græcis codicibus aliquid superfluũ.

29 CONSCIENTIAM AVTEM DICO NON TVAM, SED ALTERIVS. Dicendo *non tuam*, mutat numerum, velut vnum compellans è pluribus scientiam habentibus, ad quos superiorem direxerat sermonem: idque facit quo doctrina sit in singulorum animis efficacior. Qua ratione & ad Gal. 6 repentè numerum mutat, cùm post allocutionem multorum subiungit, *Considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Cæterùm Atticè dixit, vt notat Valla, τὴν ἑαυτῆς, pro τὴν σεαυτῆς *tuam ipsius*. Conscientiam, inquit, propter quam prohibeo ne manduces, *non tuam* dixi, de qua prius loquebar (nam ea cùm bene sit instructa, manducatione non læditur) *sed alterius*, scilicet fratris infirmam habẽtis conscientiam, vti dictum est capit. 8. Qui si similiter vt tu, conscientiam haberet informatam; non oporteret te propter illius conscientiam abstinere. Theophylactus & Oecumenius, atque etiam Theodoritus conscientiam alterius interpretantur Græci siue gentilis nõdum ad fidem cõuersi. Quibus & Amb. commentator accedit. Verùm id sensu minus cõmodo. Nam & Chrysostomus hac quidem parte nobiscum facit.

Quam dicat alterius cõscientiam

VT QVID ENIM LIBERTAS MEA IVDICATVR AB ALIENA CONSCIENTIA? *Aliena*, Græcè & Syriacè *alia*, quod & in mss. quibusdam Latinis legitur, assistipulantibus Ambros. commentatore & Primasio; tametsi probè redditum *aliena*, id est alterius hominis *conscientia*. Nam quod veteres quidam legunt *ab infideli conscientia*, vt Hieronymus in epistola ad Ageruchiam, & author siue interpres libri de singularitate clericorum apud Cyprianũ, nec non Sedulius in commentario; tanquam aliena conscientia restringenda sit ad conscientiam hominis infidelis: primùm à Græca voce ea lectio recedit; deinde nec congruere mihi videtur cum mente Pauli, qui non de infideli nunc agit, sed de fratre infirmo. Probat enim non esse vescendum idolothyto coram fratre infirmo, qui tibi indicauit hoc immolaticium esse; quia si vescaris, ansam ei dabis grauiter in te peccandi, sicque vulnerabitur eius conscientia. Mutat autem nunc personam secundam in primam, vt ex sua persona alios doceat. Interrogandi modus ἵνα τί, *vt quid, ad quid, quorsum*, apud Hebræos plerumque significationem habet improbantis & auersantis aliquid, tanquam ingratum, inutile, illicitum, aut quouis modo absurdum, velut Ierem. 6, *Vt quid mihi tus de Saba adfertis?* Mar. 14, *Vt quid perditio ista vnguenti facta est?* Ita Paulus hoc loco; quasi dicat; Nulla ratione committere debeo, nec occasionem dare, vt alius erroneam & infirmam habens conscientiam, iudicet, id est, damnet libertatem meam qua possum indifferenter quiduis edere. Atqui id futurũ est, si comedã postquã mihi ille dixerit, hoc immolaticiũ esse. Nonnulli putant hæc cum sequentibus esse verba libertate Christiana abutentium, quæ per miméſin huc inserat Paulus: ac si dicat quispiam illorum, Cur ego mea libertate spolior alio malè de ea iudicante? & cætera. Quibus respondeat apostolus, *Siue ergo manducatis* &c. Sed refellunt hunc commentarium coniunctiones *enim*, & *ergo*: quarum illa probantis est, non obijcientis; ista concludentis, non ad obiecta respondentis.

Vt quid, Hebræis quid significet.

Libertas Christiana, quoad cibos.

30 SI EGO CVM GRATIA PARTICIPO. *Cum gratia*, Græcè χάριτι. *Si autem ego gratia participo.* Quod potest exponi tribus modis; Si comedo per gratiam & beneficentiam Dei, cuius *est terra & plenitudo eius*, vt suprà dixit: & *qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum*, 1 Tim. 6. Vel; si comedo per gratiam mihi à Deo concessam, qua scio & credo idolum nihil esse; & proinde nihil mihi metuendum ab idolothyto. Quæ Græcorum expositio est. Vel aliter: si comedo cum gratiarum actione, sciens *nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur*, 1 Tim. 4. Nam χάρις pro gratiarum actione non infrequens est, etiam in sacris literis, vt Luc. 6 semel & iterum, *Quæ vobis est gratia*, & cap. 17, *Nunquid gratiam habet seruo illi?* & 2 Cor. 8, *Gratia Deo qui dedit* &c. Denique sensum hunc exigere planè videtur quod sequitur, *pro eo quod gratias ago.* Nam quod legitur apud Ambr. commentatorem atque Sedulium, & in libro de singularitate clericorum, *Si ego gratia participo*, siue *particeps sum*; eam versionem Græca syntaxis non admittit: licet etiam Theophylacti interpres, sed præter sensum sui authoris, ita transtulerit.

Triplex huius loci sensus.

QVID BLASPHEMOR PRO EO QVOD GRA-

TIAS

TIAS AGO? *Pro eo quod*, &c. Græcè, *pro quo ego gratias ago?* Clariùs hanc partem alij verterũt: *Cur ob id mihi maledicitur, pro quo ego gratias ago?* Sensus enim est: Cõmittere non debeo, vt alius mihi maledicat, aut malè de me loquatur, propter id pro quo ego Deo gratias ago; id est propter cibum. Sed potius abstinebo, quamuis alioqui (iuxta triplicem intellectum superius datum) cum gratia participaturus. Quod ait, *blasphemor*, facere cuipiam videbitur pro sensu Græcorum, qui hæc referunt ad infidelem. Nam infidelium mos est blasphemare Christianos. Verùm si locus hic conferatur cum eo qui est Rom. 14, vbi dicit apostolus, *Non ergo blasphemetur bonum nostrum*: facilè verus sensus apparebit. Nam vtrobique significatur fratrem infirmum offensum libertate fratris, qui vel cibis vtitur lege vetitis, vel sacrificatis, malè de eo loqui, tanquam de homine guloso, qui per intemperãtiam aut immundum se faciat aut idololatrię participem. Nunc ad pleniorem intelligentiam doctrinæ quam de esu idolothytorum vitando, tam hoc loco quàm superiori cap. 8 tradit apostolus; quærendum, An extra periculum scandali sit, aut aliquando fuerit licitum vesci idolothyto, quod scias idolothytum esse. Nam id simpliciter ac per se, & non solum causa scandali illicitum esse, putauerit aliquis ex eo, quod apostolus suprà versu vigesimo in huiusmodi esu constituit societatem cum dæmonibus; rem vtique per se illicitam. Atque ita sensisse videtur Augustinus in epistola 154 ad Publicolam, vbi proposita sibi quæstione *de viatore Christiano*, qui fame pressus *nihil inueniat nisi cibum in idolio positum, vbi nullus alius est hominum: vtrũ ei sattus sit fame emori, quàm illud in alimentum sumere: Breuiter*, inquit, *respondeo: Aut certum est esse idolothytum, aut certum est non esse, aut ignoratur. Si ergo certum est esse; melius Christiana virtute resistitur: si autem vel non esse scitur, vel ignoratur; sine vllo conscientiæ scrupulo in vsum necessitatis assumitur*. Sic ille. Cuius & hæc est absoluta sententia lib. de bono coniugali cap. 16, *Satius est mori fame, quàm idolothytis vesci*. Sed & Hieronymus huc adfertur: qui in commentario super Matthæum capit. 15 ita sibi opponit: *Si quod intrat in os, non coinquinat hominem; quare idolothytis non vescimur?* Deinde respondet: *sciendum, quod ipsi quidem cibi & Dei creatura; et se omnis munda sit: sed idolorum ac dæmonum inuocatio ea faciat immunda*. Quod rursus significare videtur, exponens illud epistolæ ad Titum capit. 1, *Omnia munda mundis*. Excipit enim idolothyta, tanquam simpliciter ad esum illicita, propter apostolicam huius loci doctrinam. Similis est locus apud Cyrillum Hierosolymitanum catechesi 3. *Quæ*, inquit, *in aris* idolorum *offeruntur, cum naturâ sint pura, inuocatione dæmonum impura efficiuntur*. Hinc & eos qui immolaticijs cibis erant polluti, pœnitentiæ satisfactione purgandos esse, rescripsit Leo pontifex ad Nicetam episcopum epistola 79 cap. 5. *Sine*, inquit, *hoc terror extorserit, sine fames suaserit*. Accedit argumentum ex apostolorum decreto, quod describitur Act. 15, quo gentibus ad Deum conuersis præcipitur, vt abstineant ab immolatis simulacrorum; nulla addita limitatione scandali, sed absolutè, quomodo prohibentur cætera in eodem decreto comprehensa. Verùm profectò nihil horum obstat, quo minus atque indubiè tenendum sit, esum idolothytorum, extra certos casus, licitum Christianis esse & fuisse. Id enim planissimè liquet ex ipsius Pauli doctrina, qui cap. 8 huius epistolæ rem istam facit adiaphoram; nec aliter prohibet quàm si frater infirmus eo facto sit passurus scandalum. Similiter & hoc capite, esum idolothyti palàm inter ea censet de quibus dicit, *Omnia mihi licent; sed non omnia expediunt*. Ac rursum libertatem hominis Christiani extendit ad esum huiusmodi. Quapropter & prohibet de eo disquiri propter ipsius edentis conscientiam. Denique nota sunt hæc eiusdem apostoli de cibis axiomata: *Omnia munda, nihil immundum, nihilq; commune per seipsum*, Tit. 1, & Rom. 14. &, quod in hac epistola docet, *idolum & idolothytum nihil esse*. Nec non illa superius à nobis citata; Deum præstare *nobis omnia abundè ad fruendum. & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur*; quia *Domini terra est, & plenitudo eius*. Et quid multa? quum vniuersaliter ipse Christus pronunciet Marci 7 dicens: *Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare*; subiuncta hac certissima ratione; *Quia non intrat in cor eius*, id est, animũ ac voluntatem eius afficere non potest. Astipulantur huic sentẽtię omnes huius loci cõmentatores, veteres ac recẽtiores, tam Græci quàm Latini. Nec mirũ, vbi textus per se tam apertus est. Vt igitur ad priora respondeamus; Illud primùm non aduersatur, quod de societate dæmonum obijcitur. Nã ea secundũ apostolũ non cõtrahitur ex esu idolothyti, nisi quãdo quis idolothytũ edendo sacris idololatricis cõmunicat; vt si cũ infidelibus in idolio mẽsæ accumbat; quã vocat apostolus mensam dæmoniorũ; vel aliàs, religionis causa, iussus aut rogatus de idolothyto comedat. Neq; enim sacris illis cõmunicabit, si vel solus nemine conscio, vel etiã vnà cum alijs extra locũ huiusmodi conuiuio deputatũ, quãuis sciens, idolothyto vescatur. Vide Caietanum hanc rem in cõmentario diligenter explicantem. Ad Augustinum porrò quod attinet, etsi verba eius ad Publicolã scripta difficultatem habeant, vt verisimile sit ea retractaturum fuisse, si illuc vsque retractationum suarum opus perduxisset; aut *monitus rem propius expendisset*, vt Erasmus loquitur in annotatione capitis 8, cõstat tamen eum non loqui prorsus generaliter, sed solum de cibo in idolio reperto; quem si comederet Christianus, videri posset ijs, quibus fortè eius factum innotesceret, cũ dijs, id est dæmonibus,

Blasphemari quid hoc loco.

An extra periculũ scandali licitum vesci idolothyto. Argumẽta partis negantis.

Apostolorũ decreto vetitus esus idolothytorum

Pars affirmans & certa probatur.

Respondetur ad argumẽta partis negantis.

Explicatur mens Augustini.

quibus oblatus putaretur ille cibus, communicasse. Quanquam non dicit malè facturum si comedat; sed *melius*, inquit, *Christiana virtute respuitur*. Alioqui idem Augustinus li. 32 contra Faustum Manichæum cap. 13 mentem suam satis aperit, cùm solam hanc adfert rationem, *cur*, vt ait, *non expediat immolaticio vesci Christiano: ne dæmonibus communicasse videatur*: adducto Pauli testimonio ex hoc loco, *Nolo vos socios fieri dæmoniorum*. Certè in eo quod dicit, *non expediat*; sicut & ad Publicolam, *melius respuitur*; planè significat hoc esse de ijs quæ licent, etsi non expediant. Quæ autem licent, vtique licitè fiunt aliquo casu. Conuenit eadem responsio ad locum de bono coniugali. Nam & ibi comparatiuè dicit *satius* esse; non absolutè damnans si quis edat vrgente fame, modò cum debita cautione, *ne dæmonibus communicasse videatur*, vt antè dictum est ex eodem Augustino. Quod verò ex Hieronymo & Cyrillo adferebatur, hunc sensum habet: inuocationem dæmonum facere cibos immundos, non simpliciter; sed inuocantibus & consentientibus, seu quouis modo communicantibus. Vt enim omnia munda mundis; ita immundis & malè vtentibus omnia immunda. Id enim sequitur, *Coinquinatis & infidelibus nihil est mundum*. Nam *& ei qui existimat quid commune esse, illi commune est*, Rom. 14. Dicit autem Hieronymus, *idolothytis non vescimur*: quia vix est occasio Christianis idolothyto vescendi, scientibus esse tale; nisi cum periculo peccandi. Nam siue sit infidelis qui indicauerit idolothytum esse, siue fidelis; vtrimque periculum est, si comedas: inde sacrilegæ communionis, hinc scandali fraterni: vt ita demum, & vix aliter, euadas, quàm si secretò comedas, adhibita cautione ne factum tuum prodatur. Ad rescriptum Leonis responsio facilis est. Agit enim de Christianis quibusdam, qui quum apud infideles essent captiui; vel terrore vel fame compulsi fuerant edere cibos immolaticios: per quod vtique dæmonibus communicauerant, aut communicasse videbantur. Vnde è diuerso laudatur fortitudo quadraginta rusticorum, qui carnes immolaticias, compellentibus Longobardis, edere quum nollent; *simul omnes occisi sunt*, vt refert S. Gregorius lib. 3 dialogi cap. 27. Quæ quidem fortitudo non tantum in veris immolaticijs respuendis necessaria est: sed tunc etiam si non immolaticiæ pro talibus edendæ exhibeantur; exemplo nimirum Eleazari senis, qui nec simulato esu carnis lege vetitæ, vitam redimere sustinuit. 2 Mach. 6. Nam ad exemplum nihil interest, vtrùm facias an facere te simules. Ita legimus in vita S. Sabæ martyris conscripta ab ecclesia Gothiæ; cùm illius gentis principes ac magistratus cepissent cogere Christianos, vt ederent ea quæ essent idolis immolata; & gentiles quidam Christianis propinquis suis, pro immolatis quæ immolata non essent, proponerent, quo eos seruarent: re cognita, B. Sabam non solùm ipsum eos cibos edere recusasse; sed palam omnibus protestatum fuisse dicentem: *Si quis ex carnibus illis comederit, Christianus esse non potest. Atque ita cauit*, inquit ecclesia, *ne omnes in diaboli laqueum incideret*. Habetur historia apud Surium 12 Aprilis. Restat argumẽtum quod ex apostolorum decreto petebatur, soluendum: Ad quod in primis respondeo, decretum illud *pro tempore*, sicut Augustinus scribens contra Faustum loquitur, ab apostolis conditum fuisse, in cuius obseruatione *cum Israelitis etiam gentes* conuenirent, quo facilius vterque populus coalesceret in vnam religionem: paulatim verò legem illam, vtpote humanam, causa cessante, vim legis amisisse, atque in desuetudinem abiuisse. Veruntamen quia lex illa vigebat adhuc eo tempore quo Paulus hanc epistolam scripsit; ideóque scrupulus remanet, quomodo Paulus extra periculum sacrilegæ communionis & scandali fraterni liberum faciat Corinthijs idolothyto vesci: propterea plenius argumento satisfaciendum est. Dicunt igitur aliqui, præceptum apostolicum non obligasse quenquam, nisi exsistente casu seu periculo iam dicto, cuius auertendi causa posirum erat decretum. Sed infirma est ea responsio. Nam etsi finis apostolici præcepti fuerit euitatio scandali, vel aliquid simile: tamen ipsum præceptum non erat de fine, sed de medio ad finem ordinato; id est de re præcepto expressa, non addita nec innexa conditione finis. Vnde in toto illo decreto nulla fit mentio vitandi scandali: sed absolutè præcipitur fidelibus vt abstineant ab immolatis &c. Distinguendum est etenim inter hæc duo: rationem constituendæ legis non esse nisi vitationem scandali; & legem non obligare nisi in casu scandali. Nam lex ob aliquam rationem constituta, non tantùm obligat, vbi ea ratio reperitur: sed simpliciter ac generaliter, vti sonat. Exempli gratia: lex ieiunij lata ad edomandam carnem, obligat etiam hominem egregiè mortificatum, qui forte edomatione carnis opus non habeat. Idque verum, quamdiu nondum vniuersaliter cessat ratio legis: salua tamen legitima legis circa quosdam dispensatione. Sunt qui obiectioni respondeant, apostolicam legem aboleri cepisse iam eo tempore quo Paulus hæc scribebat. Sed quis credat legem tam necessariam tanta cum deliberatione nuper ab apostolis communi decreto sancitam, vt patet ex Actorum 15, tam citò euanescere potuisse; & quidem ratione legis, quæ superius ex Augustino adducta est, adhuc durante? quum, etiam cessante ea ratione, multis pòst seculis, apud multos in obseruatione remanserit; vti dicemus infrà. Respondent igitur alij, decretum apostolorum nondum peruenisse ad Corinthios eo tempore quo scripta est hæc epistola. Sed & hoc refellitur. Nam vt prætermittam illud tempus quod

Inuocatio dæmonũ quo sensu cibos faciat immundos.

Cur idolothyta comedentibus imposita pœnitentia.

Martyres qui recusarũt edere carnes immolaticias, aut pro talibus oblatas. Exempla Eleazari & Sabæ martyrũ.

Decretũ apostolorum quale fuerit.

Quomodo Paulus illi decreto non sit cõtrarius.

Quorundam responsio parum firma.

Lex quatenus obliget cessante ratione legis

Aliorum responsio reiicitur.

Alia responsio nõ bona.

à Concilio apoſtolorum fluxit vſque ad primum Pauli ad Corinthios aduentum, qui deſcribitur Actorum 18, certè per ipſum Paulum qui Concilio interfuerat, quemque ſcribit ibidem Lucas annum & ſex menſes atque eo diutius apud Corinthios moratum fuiſſe; facilè potuit illis apoſtolicum decretum annunciari; præſertim cùm de Paulo & Sila dicatur eiuſdem lib. capit. 16, quod *cùm pertranſirent ciuitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab apoſtolis & ſenioribus qui erant Hieroſolymis*. Quod ſi Paulus primo ad Corinthios aduentu non putauerit id faciendum, metuens fortè ne nouicios adhuc & infirmos, hoc velut onere propoſito abſterreret à lege Chriſti: ſaltem hac epiſtola qua eos accuratè de ſingulis quæ apud ipſos dubitabantur, inſtruit, legem apoſtolicam eis inſinuare debuiſſet. Nobis igitur vera ſolutio totius difficultatis petenda videtur ex ipſius decreti inſcriptione ſeu titulo, qui ſic habet: *Apoſtoli & Seniores fratres, his qui ſunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex gentibus, ſalutem*. E quibus verbis liquet, epiſtolam ab apoſtolis ſcriptam, qua decretum continebatur, non fuiſſe directam ad omnes vbique fideles ex gentibus: ſed ad eos ſolum, qui in Palæſtina aut eius vicinia agebant: cuiuſmodi erant prouinciæ in titulo nominatæ: quod ijs in locis quàm plurimi eſſent Iudæi; non item in locis à Palæſtina remotioribus; vti maximè erat Achaia, in qua Corinthus. Proinde nequaquam apparet Corinthios hac apoſtolica lege fuiſſe comprehenſos. Paulus quoque & Silas non vbicumque euangelium prædicabant, ſed ſolum per Syriam & Ciliciam, vt in fine capit. 15 Actorum dicitur, apoſtolica decreta ſeruanda præcipiebant. Circa quæ & illud notandum eſt, fideles qui apoſtolica lege tenebantur, non fuiſſe iuſſos interrogare, num quod erat venale expoſitum, aut menſæ appoſitum, eſſet immolaticium; ſed tantum prohibitos edere, ſi ſcirent eſſe tale; etiam vbi nullum eſſet, vt ante dixi, ſcandali periculum. Nunc ſi quis obijciat apoſtolicam legem multis pòſt annis, imò ſæculis, quando ratio legis ſupradicta iam dudum ceſſauerat, obſeruatam fuiſſe etiam in eccleſijs à Iudæa remotiſſimis: quæ res ex varijs authoribus, atque ex ſynodis quæ diuerſis ſæculis habitæ fuerunt, oſtendi poteſt: vt videre eſt apud Cardinalem Baronium in Annalibus ad annum Domini 51. Reſpondeo, non quidem fuiſſe mentem apoſtolorum, vt hac lege eccleſiam vniuerſalem, eamque perpetuis temporibus aſtringerent (Nam hodie nuſquam in catholica obſeruatur, maximè quod de ſuffocato & ſanguine conſtitutum fuit: *& qui fortè pauci*, inquit Auguſtinus contra Fauſtū, *adhuc tangere iſta formidant, à cæteris irridentur:*) ſed tamen alias eccleſias eam legem poſtea recepiſſe, & multo tempore retinuiſſe, propter honorem ac reuerentiam apoſtolorum, à quibus profecta fuerat: ratione non prorſus abſimili, qua lex vetus, quæ diuina erat, aliquamdiu poſt Chriſtum à Iudæis Chriſtianis obſeruata fuit; vt, quomodo loquuntur patres, ad ſepulcrum cum honore deduceretur.

31 SIVE ERGO MANDVCATIS, SIVE BIBITIS, SIVE ALIVD QVID FACITIS; OMNIA IN GLORIAM DEI FACITE. *Aliud* interpretis ſupplementum eſt. Nam in Græco & Syriaco non exprimitur, ſuffragantibus Latinis quibuſdam mss. & textu commentarij Ambroſ. Generali ſententia concludit apoſtolus ſuperiorem doctrinam de non edendis idolothytis: admonens actiones noſtras omnes referendas eſſe ad Dei gloriam. Quod vtiq; non faciunt, qui cum Dei iniuria aut fratrum ſcandalo quippiam agunt: ſed magis eiuſmodi facto gloriam Dei minuunt. Conuenit cum hac ſententia quod ait Col. 3, *Omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*: & quod Petrus 1 epiſt. 4. *Vt in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum*. Quæritur an ita generaliter hoc dictum & præceptum ſit, vt peccent homines in omni opere, quod non referunt in gloriam Dei. Si ita: conſequens ex eo fiet, infideles qui Dei noticiam non habent, in omni opere peccare. Nihil enim facere poſſunt in gloriam Dei, quē non nouerunt. Opinantur quidam apoſtolum loqui non de omnibus in vniuerſum operibus humanis: ſed de ijs tantum quæ coram alijs fiunt, ac talia ſunt vt ex illis proximus vel ędificari vel ſcandalizari poſſit, Deique nomen apud homines vel honorificari vel blaſphemari. Cuiuſmodi actiones ſunt edere, bibere, ſermonem miſcere cum alijs. Atque hi gloriam Dei intelligunt, qua glorificatur apud homines in hoc ſeculo: vt conſentaneus ſit hic locus cum præcepto Chriſti, Matth. 5, *Sic luceat lux veſtra coram hominibus; vt videāt opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt*. Hic ſenſus ſatis quidem congruit apoſtoli ſcopo, qui de ſcandalis ſedulò fugiendis toto hoc loco diſſerit; Vnde & proximè ſequitur, *Sine offenſione eſtote*. Verùm, præterquam quod per eum ſenſum adhuc non euitatur quo minus infideles peccent in omni ſaltem opere quod coram hominibus faciunt: profectò non videtur illa ſatis plena tam inſignis apoſtolicæ ſententiæ, doctrinæque declaratio; ſiquidem & ea quæ ſoli facimus ac ſine arbitris, ad Dei gloriam referre debemus. Idque docet Auguſtinus in epiſtola 81 ad Eudoxium Abbatem: vbi poſt multas actiones enumeratas, etiam quæ à ſolis ac ſecretò fieri ſolent; tandem generaliter infert, *Omnia in gloriam Dei facite*: addita ratione, *qui operatur omnia in omnibus*. ac rurſus in enarratione pſalmi 146 promiſcuè recenſens actiones hominum diurnas atque nocturnas. Cuius lo-

Vera ſolutio difficultatis.

Apoſtolorum decretū non ad omnes pertinebat ex gētibus fideles.

Notandū

Lex apoſtolica qua ratione diu in eccleſijs obſeruata

Omnia quæ agimus, ad Dei gloriā referenda

Vtrum peccent homines in omni opere quod non referunt in gloriā Dei. Quorundam commētarius huius loci nō plenus

Etiam quæ ſoli facimus, ad Dei gloriam referenda

Item actiones viles ac sordidæ.

ci verba transscripsit Beda in collectaneis. Hieronymus quoque scribens ad Ctesiphontem aduersus Pelagium cap. 3, Pauli sententiam extendit ad quaslibet actiones, etiam secretas & secundum naturam viles ac sordidas: quales illic nominat sputa iacere, nares purgare, vesicam & aluum releuare, quę Thomas *opera necessitatis* vocat, comprehensa sub illis verbis, *siue manducatis, siue bibitis*, quatenus tamen humanæ sunt actiones. Igitur alij fatentur quidem apostoli sensum esse generalem: sed dicunt eum huiusmodi verbis non præcipere, verùm hortari tantum & suadere, vt omnes actiones nostras ad Dei gloriam referamus: ideóque non continuò peccare hominem siue fidelem, siue infidelem, si quas suas actiones, alioqui bonas, in Deum non referat. Sed hic commentarius aberrat à scopo Pauli; qui ex eo quod omnia in gloriam Dei facienda sunt, consequenter intelligi vult eos peccare, qui comedunt idolothyta, non habita ratione diuini honoris aut conscientiæ fraternæ: quod non esset consequens, si illud prius tantum esset consilij. Itaque meritò sensum eorum qui præceptum esse negant, reijcit Thomas, exponens similem huic sententiam Colos. 3. Eiusdem doctoris expressa verba sunt, 2 2 quæst. 69 art. 1. *Ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere.* Quod & repetit verbis idem valentibus quæst. 83 art. 14. & quæst. 89 art. 4. Probat autem 1 2 quæst. 100 art. 10, ex præcepto quo Deum diligere iubemur *ex toto corde: ad quod pertinet*, inquit, *vt omnia referantur in Deum: & ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referat in Deum.* Pulcrè verò Liranus hanc obligationem præcepti declarat à simili: *Tota enim*, inquit, *creatura ordinatur ad Deum, sicut exercitus ad ducem. Exercitus autem bene ordinatus primò & principaliter quærit gloriam ducis, quæ est victoria. Eodem modo omnis creatura, & potissimè rationalis, in omnibus operibus suis primò & principaliter debet quærere gloriam conditoris.* Hæc ille. Iam quod ad sensum attinet huius generalis præcepti, Thomas in commentario relationem istam operum ad gloriam Dei, dicit intelligendam, *vel in actu vel in aptitudine referendi.* Et hanc aptitudinem Caietanus extendit ad opera infidelium quæ moraliter bona vocantur. Hæc enim, qua ratione bona sunt, apta sunt referri ad gloriam Dei: vt proinde ex apostolico præcepto non sit consequens, infideles ea faciendo peccare. Verùm ipse sanctus doctor alibi clarius de sensu huius præcepti suam mentem aperit. Nam 1 2 quæst. 88. articul. 1 ad 2 ita scribit: *Non facit contra hoc præceptum, quicumque non actu refert in gloriam Dei omne quod facit. Sufficit* enim *vt habitualiter referat se & omnia sua in Deum.* & in commentario Colos. 3. *Non est necessarium, vt omnia referantur in Deum actu, sed habitu.* Similiter Carthusianus in hûc locum, pluribus rem declarans, *Omnia*, inquit, *in gloriam Dei facite, id est, ad Dei honorem finaliter ordinate; eiusq; laudem & glorificationem semper intendite vel actu vel habitu.* Et rationem addit: *Omnia quippe propter semetipsum operatus est Dominus. Unde sicut omnia bona fontaliter ab eo profluxerunt; ita ad eius honorem, laudem & gloriam sunt referenda.* Sic ille. Videntur autem hi doctores, quum dicunt omnia quæ facimus, in Deum actu vel habitu referenda esse; vocem *habitu* vsurpare pro *virtute:* quomodo idem S. Thomas 3 p. quæst. 64 artic. 8 ad 3, dicit *ad perfectionem Sacramenti* in ministro sufficere *intentionem habitualem*, intelligens virtualem. Sic enim explicat: *Puta cùm sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia. Unde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum.* Et quidem hanc esse mentem sancti Thomæ, quod ad sensum attinet loci præsentis, ipse disertis verbis alibi declarat: vt in disputatis de charitate articulo 11 ad 2, vbi dicit *hoc pertinere ad perfectionem charitatis ad quam omnes tenentur, quod omnia virtute referantur in Deum. Et hoc modo*, inquit, *apostolus præcipit, quod omnia in gloriam Dei referantur.* Et ad 3, *Virtualiter omnia referre in Deum, cadit sub præcepto charitatis.* In eundem sensum etiam Carthusianus seipsum exponere videtur; quum dicit eum qui implet hoc præceptum, *in omni actu, imò & dormiendo mereri, saltem propter præcedentem intentionem;* scilicet virtute manentem. Quo magis autem huiusmodi intentio virtute maneat in actionibus nostris quotidianis; frequenter actu renouanda est. Quod quidem facimus dum orationem Dominicam frequentamus: in qua primo loco petimus, quod intentione primum ac perpetuum esse debet, vt sanctificetur, id est glorificetur nomen Dei. Quod etiam in publicis precibus & canticis facit ecclesia; dum, vt ostendat gloriæ Dei studendum in omnibus, identidem repetit versum doxologicum, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.* Quare & illi cum his quos iam dixi, ferè idem volunt, qui præceptum apostoli sic exponunt: Studete gloriæ Dei per omnia promouendæ, soliciti ne quid committatis quod eius honorem quoquo pacto lædat aut imminuat. Item qui hoc modo: Conari debetis ad eam perfectionem, vt omnia ad Dei gloriam faciatis. Nam ideo studere & conari ad hæc debemus, quia de omnibus ad Dei gloriam agendis præceptum habemus. Porrò videtur hoc præceptum pertinere non ad omnes homines, sed solum ad fideles, & eosquibus fides Christi fuit annunciata: qui proinde habent aut habere debēt noticiam finis supernaturalis, ad quem ordinat religio Christiana.

Apostoli verba cōsilij esse, non præcepti, qui dicunt, refellitur

Ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere.

Omnia actu vel aptitudine referēda in Deū

Explicatur dicēdo, actu vel habitu.

Plenior explicatio si dicatur, actualiter aut virtualiter.

Vt intentio virtute maneat, quid agēdum.

Duæ aliorum expositiones cōformes præcedēti.

Præceptū apostoli ad ques pertineat.

Nam

In finem supernaturalem omnia Christi & apostolorũ præcepta nos dirigunt. Soluitur obiectio de infidelibus.

Nam & in illum finem omnia Christi & apostolorum eius præcepta nos dirigunt: ideoq; nobis ille finis semper actu aut habitu seu virtute præ oculis est habendus. nobis, inquam, fide Christi imbutis: quomodo loquitur S. Thomas 1 2 quæst. 102 art. 6 ad 7 dicẽs, quod *intentio cælestis omnibus operibus nostris debet adiungi. Nostris*, vtique fidelium, quibus cælestia reuelata sunt. Ex quo iam fundamento soluitur obiectio de infidelibus: qui quamuis suas actiones alioqui bonas in hunc finem gloriæ Dei non referunt, adeóque nec referre possunt, ij saltem qui de Christo nihil audierunt: dum tamen in illis spectent finem, ad quem dictante ratione naturali referendæ sunt; non reprehensionem merentur, sed laudem. tametsi vix inueniri infidelium hominũ facta, *quæ iusticiæ debitam laudem defensionẽue mereantur, si discutiatur quo fine fiant*, testis est Augustinus in libro de spiritu & litera cap. 27.

Infideles an faciãt quadam in gloriã Dei implicitè.

Quod verò dicunt aliqui, infideles opera sua moraliter bona facere in gloriam Dei implicitè, quatenus ea faciunt propter bonum aliquem finem: eo quod, vt aiunt, semper ex bonis operibus sequatur, vt qui ea vident, Deum glorificent, aut certè glorificare possint: id reuera non satis est, vt ipsi qui faciunt, facere ea ad Dei gloriam dicãtur. Hic enim sermo præcepti, *In gloriam Dei facite*, intentionem gloriæ Dei in faciente requirit: quam quidem infideles in suis operibus nullam habent, si præsertim veri Dei noticia sint penitus destituti.

32 SINE OFFENSIONE ESTOTE IVDÆIS ET GENTIBVS ET ECCLESIÆ DEI. *Sine offensione*, Græcè ἀπρόσκοποι. Quæ vox etsi interdum passiuè capiatur pro ijs qui non offenduntur, hic tamen actiuam habet significationem, Latinè *inoffensiui*, qui non offendunt. *Iudæis & gentibus*, Græcè, *& Iudæis & Græcis*. Sicque legitur apud commentatorem Ambr. & in libro de singularitate clericorum, Sed Græcos synecdochicè gentiles dicit, vt alibi, quale illud Rom. 1 & 2, *Iudæo primùm & Græco*. Tales, inquit, vos gerite, vt nullum præbeatis offendiculum neque Iudæis, neque gentilibus, neque ecclesiæ Dei. Iudæos & gentiles rectè plerique restringũt ad eos qui foris sunt, id est infideles, & ecclesiam nondum ingressos. Nam de fidelibus est tertium membrum, *& ecclesiæ Dei*. Hanc verò intellige tam in genere quàm in membris eius singulis. nam & multitudinis & singulorum cauendæ sunt offensiones. Præcipit autem hoc de cauendis aliorum offendiculis, non vt planè diuersum à priori; tanquam illic agatur ne in Deum eiusque honorem peccetur, hic ne in fratrem, vt quidam volunt: sed vt aliquid ad impletionem prioris ordinandum. Nam qui fratrem scandalizat, in Deum peccat, cuius opus destruit, Rom. 14, *Noli propter escam destruere opus Dei*. Peccat & in Christum, perdens illum *propter quem Christus mortuus est*. Sic, inquit, *peccantes in fratres, in Christum peccatis*. su-

Græci pro gẽtilibus.

Generale præceptũ de cauendis scandalis.

prà cap. 8. Adde quod hic non soli fratres scãdalizandi prohibentur, sed etiã qui foris sunt; vti dictum est.

33 SICVT ET EGO PER OMNIA OMNIBVS PLACEO. Ad ea quæ præcepit, tanquam bonus magister suo cohortatur exemplo. Nam, inquit, & ego non solum caueo ne cuiquã præbeam offendiculum; verùm etiam me per omnia omnibus accommodo, omnibus placere studeo. *Omnia* verò intellige, qualia de quibus suprà disseruit, ac de quibus dixit, *Omnia mihi licent*, hoc est adiaphora, quæ & bene & malè fieri possunt: ne quis ad ea trahat quæ legibus aduersantur, maximè diuinis. Eadem sententia cum illa capitis superioris; *Omnibus omnia factus sum*. Tale etiam est quod præcipit Rom. 15, *Vnusquisque vestrum proximo suo placeat*. Nec cum his pugnat quod scribit Gal. 1, *An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem*. Negat enim illic se hominibus placere, id est, neglecta veritate id agere vt hominibus ea quæ carnis sunt sapientibus, placeat, eisque suam doctrinam commendet. Quem sensum eo loco plenius explicatum inuenies. Hic verò & alijs duobus locis allegatis, placere vult omnibus ad salutem. Dicens enim se omnibus omnia factum, addit; *vt omnes facerem saluos*: & præcipiens vt quisque proximo suo placeat, adiungit, *in bonum, ad ædificationem*. Similiter hoc loco, ne malè intelligatur quod dixit se per omnia omnibus placere; subiungit:

Paulus omnibus per õnia placens, quo sensu.

Hominibus placere, quo sensu vicio sum.

NON QVÆRENS QVOD MIHI VTILE EST, SED QVOD MVLTIS, VT SALVI FIANT. Græcè, *non quærens meum ipsius commodum*, id est vtilitatem, *sed multorum* &c. Sic Hilarius enarrans psalmum 52, *Non quærens quod meum vtile est, sed quod multorum*. Et sensus est: Non anteponens commoda mea priuata publicæ multorum vtilitati, sed contrà faciens. *Ecce*, inquit Aquinas, *optimus modus placendi omnibus, si omnium vtilitas, non priuatum commodum, procuretur*. Id enim argumentum est charitatis, quæ *non quærit quæ sua sunt*, infrà capit. 13. Quid autem magis efficit hominem omnibus charum, quàm ipsa charitas? Porrò quis secundum scripturam dicatur quærere quod suum est, quodque sibi vtile; pluribus explicatum habes hoc eodem capite ad illud, *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius*. ac rursum infrà, ad dictum locum cap. 13. Denique quam multorum vtilitatem quærere se dicat apostolus, exponit dum addit, *vt salui fiant*, id est, ad salutem adducantur æternam: quæ res maximè cedit in gloriam Dei. Potest etiam hæc particula, *vt salui fiant*, referri ad illud, 4 *omnibus placeo*. Quod enim sequitur, *non quærens* &c. modum & viam ostendit omnibus placendi.

Quid, quærere quod suũ est, & quod sibi vtile.

SVMMARIVM.

VT viros aperto capite, sic mulieres velato orare, præcipit ac docet. Reprehendit quod cœnam Dominicam irreuerenter ac tumultuosè celebrarent. Commemorat traditam sibi à Domino eucharistiæ institutionem. Indignè sumentes quàm grauiter peccent, & qua punitione digni sint exponit.

CAPVT XI.

1 IMITATORES MEI ESTOTE : SICVT ET EGO CHRISTI. Hæc clausula spectat superiora: quò eam manifestè refert Chrysostomus. Vnde & Oecumenius, Erasmus, Caietanus alijque nonnulli eam annectunt capiti præcedenti. Nam quia Paulus suum Corinthijs allegauerat exemplum, dicens: *Sicut & ego per omnia omnibus placeo:* nũc generaliter ad sui imitationẽ eos inuitat. Nec id immeritò: quoniam & optimam gerebat conscientiam, & Corinthiorum doctor & parens erat in Christo. Decet autem discipulos imitari magistrum, & filios patrem. Ne tamen arrogantiùs hoc dicere videatur, addit: *sicut & ego Christi*, scilicet imitator sum; nominatim in eo quod dixi me per omnia omnibus placere. Nam & *Christus non sibi placuit*, Rom. 15. sed *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, 1 Tim. 2.

Paulus se proponit imitãdũ, & quatenus.

2 LAVDO AVTEM VOS FRATRES. Hactenus ea Corinthiorum peccata correxit apostolus, quæ passim extra cœtus publicos alij in alios committebant. Nunc ad ea transit corrigenda, quę præter honestatem ac dignitatem in publicis sacrisque conuentibus ab ijs gerebantur. Id verò agit vsque ad finem capitis 14, quod his tandem verbis concludit: *Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis.* Et hoc quidem capite duo reprehendit & corrigit: alterum quod mulieres sinerent orare nõ velatas: alterum quod vsum cœnæ Dominicæ peruerterent, cum indigna tractatione mysteriorum. Incipit autem à laude qua superiorem eorum obedientiam commẽdat, dicens: *Laudo vos fratres* &c. Sic enim paratiores reddit ad doctrinam & admonitionem sequentem obedienter ac promptè suscipiendam: maximè ea parte qua agit de cœna Dominica; circa quam contigerant apud illos quædam minimè laudanda. Verùm ista laudatio quomodo sit accipienda, dicemus infrà.

QVOD PER OMNIA MEI MEMORES ESTIS. Græcè ὅτι πάντα μου μέμνησθε. Verbatim Latinè, *Quod omnia mei meministis*. Id Erasmus vertit, *Quod omnia mea memoriæ tenetis*. Hentenius, *quod omnium quæ mea sunt memores sitis*. Atqui rectius, mea sententia, noster interpres vertit, *per omnia*; pari ratione qua paulo antè tam ipse quàm alij verterunt; *sicut & ego per omnia omnibus placeo:* nimirũ præpositione κατὰ Græcis vtrobiq; subintellecta. Quod & Erasmus demum à se animaduersum annotationibus suis adiecit. Ita Syrus quoque: *Quod in omni re memores estis mei.* Quanquam sensus eodem redit. Omnia verò, intellige doctrinam, præcepta, traditiones. De his enim subiungit.

Multa literis non mandata tradiderunt apostoli. Quædam traditiones non scriptæ, necessariò tenenda. Quo sensu Corinthij à Paulo laudati.

ET SICVT TRADIDI VOBIS, PRÆCEPTA MEA TENETIS. Græcè, τὰς παραδόσεις κατέχετε, *traditiones tenetis*. Syriacè, *præcepta tenetis:* scilicet absque pronomine, quod ex priori parte, *sicut tradidi vobis*, satis intelligitur. Textus Ambr. sic habet: *& quomodo vbique trado, traditiones meas tenetis*. quod partim à Græco dissidet, partim conuenit. Posset autem pro *tenetis* verti *tenete*; quod in vetustissimo codice fuisse scriptum affirmat Erasmus. Est enim Græcum verbum ambiguum: Sed enim modum enunciatiuum omnino postulat coniunctio partis huius cum præcedenti: vt sensus sit; Non sola tenetis memoria, quæ vobis seruanda tradidi & præcepi, id est traditiones, instituta, præcepta: verùm ipso opere ea præstatis. Ex hoc loco *perspicuum fit*, ait Theophylactus, *quod non pauca quæ literis non mandauerint, tradiderunt & ipse & reliqui apostoli.* Quocirca locus hic palàm facit pro traditionibus non scriptis, ijsque necessariò tenendis. Porrò notandum est apostolum cùm laudat Corinthios, quod per omnia memores ipsius sint, & instituta seruent; ad bonos respicere, non ad malos; quos infrà de præceptis quæ dederat, malè seruatis, reprehendit. Quanquã id quod dicit, *per omnia*, potest intelligi cum exceptione eorum quæ ipse statim excipit, & de quibus eos corripit ac plenius instruit in sequentibus. Sunt qui totum hoc, *Laudo vos fratres quòd per omnia* &c. putent ironicè dictum ab apostolo; ne falsa videatur laudatio propriè intellecta. Sic commentator Ambros. Pelagius, Theodoritus, Haimo, Lõbardus, Aquinas. In quam sententiam Liranus quoq; propensior est. Verùm nihil opus est hac figura. Siquidem & 1 capite magnificè Corinthios laudauit apostolus citra speciẽ ironiæ: quãdo verbis vtẽs æquè generalibus, dixit eos *in omnibus diuites* factos, *ita vt nihil* ijs deesset *in vlla gratia*. Sanè verã in hoc loco laudationem arguit illa exceptio, quam facit infrà versu 22, *Laudo vos? in hoc non laudo.*

3 VOLO AVTEM VOS SCIRE. Quamuis, inquit, traditiones & instituta mea vtcumque tenetis; vt propter hoc iure vos laudare possim: de quibusdam tamen admonendi estis; simul & instruendi; ac primùm volo sciatis hoc quod sequitur:

QVOD OMNIS VIRI CAPVT CHRISTVS EST. Multi interpretes ita tractant hunc locum, ac si Pauli institutum esset, vtrumque sexum reformare: quod ab vtroque per luxũ & immodestiam peccatum fuisset, viris orantibus velato capite, mulieribus non velato. Verùm si quis bene perpendat ea quę à Paulo

dicuntur;

Quæ Pauli intentio hoc loco.

dicuntur; intelliget eius intentionem propriè dirigi aduersus mulieres: quas ad id quod honestum & decorum est, reuocat; rationibus tamen, inter alias, acceptis ab eo quod viros decet, tanquam à contrario. Sumit autē principium ab ordine quem inter virum & mulierem Deus instituit; scilicet vt vir caput esset mulieris, & mulier viro subiecta: sic tamen vt & ipsum virum Christo capiti subiectum esse voluerit. Hoc enim est quod primo loco statuit: Omnis viri caput Christum esse: caput intelligens tam hic quàm in duobus membris sequentibus, metaphoricum siue analogicum; cui potestas cōpetat alium aut alios sibi subiectos regendi. Quomodo autem ab huiusmodi capite, ratio velandi capitis naturalis aut non velandi, conuenienter accipiatur; in sequentibus explicabitur. Illud, *omnis viri*, limitant Græci interpretes ad solum fidelem. Neque enim rectè Christum dici posse caput hominum infidelium, qui non sunt eius mēbra. Sed hoc non videtur obstare: nam & angelorum caput est Christus, Col. 2 ver. 10, quos tamen membra Christi non vocamus. *Et caput Christi Deus:* vbi membri reciprocatio minimè quadrat. Igitur alij generalem apostoli sententiam generaliter & illimitatè capiunt, vt *omnis viri caput Christus* dicatur, etiā vt homo (Nam secundum eam naturam consideratur hoc loco) ratione potestatis ac dominij, quod in omnes homines accepit à Patre, qui *omnia subiecit sub pedibus eius*, Infrà capit. 15. *In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur*, Rom. 14. Qui etiam apud prophetam dicit, Paulo ibidem referente, *Mihi flectetur omne genu*, Isaiæ 45. Hic sensus facilior est, imò necessarius huic loco; si caput metaphoricum vno modo sit accipiendum: maximè propter illud; *Caput verò Christi Deus.* Fauet etiā quod in membro sequenti mulieris nomen non ad feminas Christianas est restringendum, sed totum sexum muliebrem comprehendit: vt ibi declarabitur. Quod ergo nonnulli quatuor modos huc adducunt, quibus doceant Christum omnis viri caput esse, nimirum ratione perfectionis, & sublimitatis, & influentiæ, & connaturalitatis; quæ omnia sunt in capite naturali respectu membrorum, à quo metaphora sumpta est; eosdémque modos repetunt in eo quod vir caput mulieris appellatur: doctè quidem hæc ab illis dicuntur; sed ad locum præsentem minus accommodatè.

Ordo diuinitus institutus inter virū & mulierem.

Omnis viri caput Christus, quo sensu

An Christus caput infidelium.

Christus caput viri quatuor modis secundum aliquos.

CAPVT AVTEM MVLIERIS VIR. Christus quidem etiam caput mulieris: vt patet ex ijs quæ proximè dicta sunt; sed caput eius est viro mediante, veluti capite subordinato. Nam ad virum tāquam eum qui sexus ratione perfectior atque præstantior sit, adeóque superior, spectat mulieris gubernatio, tam in spiritualibus quàm in temporalibus. Theophylacti recentior interpres hanc pericopen ita vertit: *Caput autem vxoris maritus.* At verò Tertullianus in lib. de virginibus velandis cap. 7 vult etiam ad virgines hoc pertinere: & eiusdem libri bonam partem in eo consumit, vt ostendat mulieris nomen in hac tota Pauli doctrina ad virgines extendi: rationibus ex ipso contextu Paulino decerptis. Nam & generalis apostoli sermo est de vtroque sexu: *Omnis vir. Omnis mulier.* & ad ecclesiam non solæ nuptæ mulieres accedebant: nec solæ vt velarentur admonendæ erant: sed etiam virgines & viduæ. Certè ad prophetandum virgines nuptis erant aptiores, vtpote sanctę *corpore & spiritu*, suprà cap. 7. velut illæ quatuor filiæ Philippi diaconi, Act. 21. Sed nec Græcorum commentarij generalem hunc sensum refugiunt. Notandum est enim apostolum vniuersè loqui de sexu muliebri: qui ita conditus est à Deo, vt regi debeat à viro: siue nubat viro: siue sint quæ non nubant. Vnde & virginum monasteria necesse est à viris gubernari. Quanquam magis apparet illa subiectio mulieris ad virum in illo genere vitæ, quo sibi inuicem insolubiliter alligati sunt vir & mulier: vt hæc illius supra se potestatem excutere iam non possit; ideóque specialiter de coniugatis alibi dicit idem apostolus, *Quoniam vir caput est mulieris*, Ephes. 5.

Vir caput mulieris, etiā virginis & viduæ.

Ad prophetandū virgines aptiores nuptis.

CAPVT VERO CHRISTI DEVS. Intellige Christi hominis; vt antè dictum est. Nā Christus vt Verbum, æqualis est Deo Patri; & vnū cum eo caput atq; principiū rerum omnium. Sic ergo *caput Christi Deus*; sicut *Pater maior ipso est*, Ioan. 14. Quo sensu rursum dicit infrà cap. 15, Filium fore subiectum *ei qui subiecit ipsi omnia*. Adiecit autem hoc tertium membrum apostolus, vt ordinem capitum referret vsque in supremum caput quod est Deus. Igitur hæc quatuor, Deum, Christum, virum, mulierem eo ordine disponit, vt Deus tantùm sit caput, mulier tantum subiecta; duo medij participes sint vtriusq; qualitatis, diuerso respectu. Porrò Græci caput Christi Deum interpretantur, quod ex Deo Christus genitus sit: ideóque Deum habeat authorem ac principium, &, vt ipsi loquuntur, causam. Quem sensum tradit etiam commentator Ambro. & ex eo alij quidam Latinorum. Submonēt tamen ijdem ferè omnes, commodè posse locum hunc intelligi de Christo vt homine, nēpe iuxta sensum prius à nobis allatum. Nā reuera durè sonat, in diuinis Patrem dici caput Filij: quum caput ad eum qui subiectus est referatur. Quomodo nec dixerit quisquam, Patrem & Filium esse caput Spiritus sancti: nisi qui voluerit Spiritum sanctum Patri & Filio subijcere, secundum hæresin Eunomianam. Vide S. Ambrosium subtiliter & catholicè tractantem hanc scripturam aduersus Arianos, lib. 4 de fide ad Gratianum cap. 2.

Quo sensu caput Christi Deus.

Græcorū sensus minus probabilis.

4 OMNIS VIR ORANS AVT PROPHETANS VELATO CAPITE, DETVRPAT CAPVT SVVM. Ordine constituto inter virum & mulierem; docet quid vtrumque dedeceat, tanquam illi ordini contrarium. *Velato capite* non est Græcè κατακαλύπτω τῇ κεφαλῇ, cuius negatio po-

Quid apostolo, in capite habere.

nitur in parte sequenti de muliere, ἀκατακαλύπτω &c. *inuelato capite.* Sed hic legitur, κατὰ κεφαλῆς ἔχων, quod verti potest, *in capite*, vel *super*, vel *circum caput habens*. Supplent autem Erasmus & alij, *quicquam habens in capite.* Et hoc dictum putat Caietanus, *ad excludendum omne quod posset haberi in capite, cuiuscumque figuræ ac materiæ fuerit.* Theophylactus & Oecumenius etiam comam excludunt: quoniam & ipsa caput tegit. Verùm hac lege nec omnino capillos viro oranti liceret habere in capite. Proinde rectiùs, secundum antiquos interpretes Latinos, idem est apostolo in capite habere, & esse velato capite: quod & declarat antithesis huius partis cum sequenti. Nam de coma, quod viro sit indecora, mulieri decora, peculiare sumit argumentum ad rem propositam, infrà versu 14 & 15. Quocirca supplendum potius, *velum habens in capite.* *Deturpat*, Græcè καταισχύνει, *confundit*, vt legit Augustinus de opere monachorum capit. 31. Latinius, *pudefacit* (quod & vox Syriaca significat) id est dedecorat, dehonestat, probro afficit caput suum. Pro huius loci intellectu notandum est, illo tempore quo Paulus hæc scripsit, nondum in ecclesias introductum fuisse eum orandi & psallendi morem, qui nunc conspicitur; vt scilicet alternatim id fiat, idq; per multos inuicem è regione spectantes: sed vnus pro omnibus orationem aut psalmum recitabat publica voce, cæteris tacentibus & auscultantibus. Quod & fieri præcipit apostolus infrà cap. 14 versu 30 & 31. Itaque de viro taliter orante, non autem de cæteris, apostolum loqui putant aliqui: quanquam alijs magis placet generalis intellectus, tam in hac sententia quàm in sequenti; quoniam & rationes apostoli generales sunt. Porrò quem dicat prophetantem, non ita certum est. Thomas de eo interpretatur, qui prophetias olim reuelatas, vel alias scripturas in cõuentu pronunciat. Alij de eo qui scripturas exponit ac referat, vt glossa loquitur. Rursus alij de eo qui psalmis aut hymnis Deum laudat. Sed horum nihil reuera sufficere videtur ad hoc vt iuxta mentem apostoli prophetare quis dicatur: vtpote qui infrà capite 12, 13 & 14 prophetiam censeat inter peculiaria Spiritus-sancti charismata. Sunt qui prophetantem accipiãt propriè, pro eo qui futura annunciat ex Dei reuelatione. Verùm isti nimium arctant vsum huius vocabuli quem habet in scriptis apostolicis: quemadmodum ostendemus ad illud cap. 14, *magis autem vt prophetetis.* Vnde & intelligetur, generaliter eum apostolo prophetantem dici, qui diuino spiritu afflatus occulta quædam profert auditoribus, siue sint res futurę, siue reconditi sensus scripturarum, præsertim propheticarum, siue latens quodcumque mysterium. Conferatur etiam locus Rom. 12, *Siue prophetiam secundum rationem fidei:* & alter 1 Thess. 5. *Prophetias nolite spernere.* Iam quod ait apostolus, *deturpat caput suum*, non vno modo omnes accipiũt. Quibusdam placet intellectus de mystico seu metaphorico capite, de quo dixerat: *Omnis viri caput Christus est.* vt sensus sit; tale viri factum vergere ad ignominiam Christi, qui caput eius est. Tradit hunc sensum & pluribus explicat Caietanus. Meminerunt etiam Theophylactus & Oecumenius. At verò plerique idem caput in vtraque parte sententię intelligunt, naturale videlicet: vt orans velato capite dicatur deturpare caput suum hoc ipsum quod velat. Qui sensus & simplicior est, & congruẽtior ijs quæ de muliere sequuntur: eundemq; Theophylactus & Oecumenius adferũt priore loco. Verùm huius dicti iam ratio quæritur. Non enim Paulus eam exposuit, sed expositoribus suis inuestigandam reliquit; ex qua intelligatur aduersus ordinem diuinitus institutum fieri, si vir caput suum velet, mulier reuelet. Dicimus igitur cum Oecumenio & alijs, virum capite velato orantem aut prophetantem, ex apostoli sententia dehonestare caput suum; quia velando caput quodammodo significat & profitetur se in terris aliquem supra se principem ac rectorem habere. Quod signum est ei inhonestum ac dedecorosum. Nam eo dignitatem ac libertatem sui sexus imminuit: vt cui diuina ordinatione solus Christus caput sit. Est autem huius significationis ratio, quia velamen capiti impositum facit respicere deorsum, tanquam ad principem in terra constitutum. Atqui princeps & caput viri in cœlo est: ideoque debet vir sursum aspicere; cui proinde velamen capitis incompetens est. Mulier autem quia principem habet in terra positum & de terra formatum, deorsum respicere debet: quod facit velamen caput eius contegens. Huc facit quod annotat Theophylactus, ad significãdam viri eminentiam ac mulieris subiectionem, symbola quædam vtrique esse tradita à Deo: vt sunt in viro ratio vigens, corpus robustum, vox grauis, mentum hirsutum: quibus omnia contraria sunt in muliere: tale verò & istud esse, vt vir aperto sit capite, mulier velato. Quare & naturaliter indecens ac turpe iudicatur, si vir caput obtegat muliebri more. Neq; enim vir vtitur tegumento capitis, quasi naturalem ad hoc instinctum habens, sicuti mulier: sed vel necessitatis causa, vt aëris iniurias depellat, aut vt caluiciem tegat: vel ad ornatum qui personam deceat; quomodo mitra pontifices vtuntur, diademate reges. Alioqui nec historia nec pictura prodit Christum aut eius apostolos tecto capite vel orasse vel docuisse, vel omnino in publicum prodijsse: excepta corona spinea, quam capiti Dominico derisores eius imposuerunt. Quamuis igitur Paulus adijciat hoc loco determinationes, *orans aut prophetans*; non ideo tamen, vt Græci putant, extra orationem & prophetiam viro permittit velamen in capite. Nam eo pacto (quod ijdem Græci non admittũt) etiam mulier extra orationem & prophetiam capite non velato posset apparere: quoniam & de ea consequenter

Deturpat caput suũ an mysticum, an naturale.

Quare vir orans velato capite, deturpet caput suum.

Quis modus orãdi & psallẽdi in ecclesia tẽpore apostolorum.

Symbola eminẽtiæ viri supra mulierem.

Prophetare quis apostolo dicatur.

Vir quatenus tenetur capitis tegumento.

Doctrina Pauli generalis, etiã extra ecclesias.

agens

agens apostolus adijcit determinationes, *orãs aut prophetans*. Quod si dicas apostolum postea absolutè præcipere mulieri, vt *velet caput suum*: idem respondeo de viro; *Vir quidem*, ait *non debet velare caput* &c. Quorsum igitur, inquies, hic adiecit, *orans aut prophetans*? Quia sermo institutus erat ei de honestate seruanda in publicis ecclesiæ conuentibus: vbi turpitudo quam condemnat, apparebat in ijs maximè qui orabant vel prophetabant: tum viris tum feminis. Nam de his sequitur,

5 OMNIS AVTEM MVLIER ORANS AVT PROPHETANS NON VELATO CAPITE, DETVRPAT CAPVT SVVM. Erant in ecclesia primitiua nõ solum viri, sed & mulieres quædam prophetantes, vt Philippi filiæ virgines, de quibus suprà, aliæque permultæ; iuxta vaticinium Ioelis à Petro memoratum Actor. 2, *Prophetabunt filiæ vestræ*. Ostendit autem hic locus eas prophetasse etiam in conuentu publico. Quod quomodo non pugnet cũ ipsius apostoli lege, qua alibi vetat mulierem loqui in ecclesia, vt infrà cap. 14, & 1 Tim. 2, meritò quæritur. Nam etsi tacitè possit orare; certè prophetare in ecclesia non poterat nisi palàm loqueretur; qualecumque prophetiæ donum hic ab apostolo significatum intelligas. Quod enim respondet quidam, mulierem prophetantem intelligi quæ sibi talis sit, & apud se prophetico spiritui intenta: non rectè dicitur; cùm proprius actus istius doni transeat in alios. *Nam qui prophetat, hominibus loquitur*. infrà cap. 14. Sed nec illa quorundam responsio placet, qua dicunt ordinariam quidẽ loquendi functionem mulieribus in ecclesia nõ fuisse permissam: si tamẽ interdum à Spiritu Domini mouerentur, non eis interdictum, quominus aliquid loquerentur: exemplo Annæ prophetissæ, quæ de Christo saluatore loquebatur in templo omnibus exspectantibus redemptionem &c. Luc. 2. Non placet, inquam, quia spiritus propheticus nec inuitos impellit ad loquendum: nec mouet ad aliquid inordinatum: vt infrà patebit cap. 14. Annam verò non in ecclesia locutam legimus, sed in templo: si tamen in templo. Non enim hoc expresè dicitur: ac sensus esse videtur, eam passim omnibus redemptionem exspectantibus, de Christo redemptore iam nato locutam fuisse. Et tamen non quisquis in templo loquitur, in ecclesia loquitur, id est in publico conuentu fidelium. Nec quoties offerendum erat in templo sacrificium, fiebat conuocatio populi. Nec arbitror apud Iudæos aliquando fuisse permissum, vt mulieres in ecclesijs eorum loquerentur: quando nec hodie loqui permittuntur in synagogis. Alij Paulum respicere putant ad priuatos cœtus virginum aut matronarum. Sed non est verisimile. Nam institutum eius est reformare ea quæ in publicis ecclesiæ conuentibus perperam agebantur. Igitur dicendum videtur apostolum duo quæ in ecclesia Corinthiorum fiebãt, hoc loco reprehendere; alterum quod mulier oraret non velato capite, alterum quod prophetaret non velato capite. Et illud quidem ab eo reprehendi, non quia mulier orabat in ecclesia: poterat enim silentio orare, sicut in silentio iubetur discere, 1 Tim. 2. sed quod id faceret non velato capite. Istud verò reprehensionem mereri ex duplici causa: & quia prophetabat in ecclesia, & præterea quod id faceret capite non velato. Verùm hoc quidem loco tantum ex professo reprehendit apostolus, quod non velata mulier vel oraret vel prophetaret in ecclesia. Nam de velando capite præsentem sermonem instituit; non absolutè de eo quod est prophetare aut loqui in ecclesia. Qua de re agit inferius cap. 14, vbi simpliciter statuit mulieri non esse loquendum in ecclesia, ne quidem si promptum sit ei prophetare. Nam etsi propheticam habeat reuelationem; tacere potest donec locum & tempus nacta fuerit, vbi & quando secretum proferat. Quin & in præsenti idipsum apostolus insinuare videtur, dum post pauca solam nominat orationem. *An*, inquit, *decet mulierem non velatam orare Deum*? Vide Caietanum huic responsioni quam dedimus consentanea scribentem ad illud ca. 14, *Mulieres in ecclesijs taceãt*. Quod ad vocabulum mulieris attinet, id esse generale, iam suprà docuimus ex Tertulliano. Qui etiam signum vniuersale hic additum ab apostolo vehementer vrget, eiusdem libri de velandis virginibus ca. 8. *Quid est omnis*, inquit; *nisi omnis generis, omnis ordinis, omnis conditionis, omnis dignitatis, omnis ætatis*? Quod tamen postremum ita restringit cap. 11, *ex quo se intelligere ceperit, & sensum naturæ suæ intrare*. Nã ante eam ætatem instinctu naturali velandi capitis moueri non solet. Vt autem instinctus hic generalis est, ita varia fuit olim per orbem consuetudo tam velaminis gestandi, quam reliqui cultus atque vestitus muliebris: vti videre est apud Cardinalem Baronium ad annum Domini LVII, & in notationibus ad martyrologium Romanum Maij 7. Porrò cur mulier orans aut prophetans, aut qualibet ex causa prodiens in publicum capite non velato, deturpet caput suum; iam patet ex supradictis. Facit enim contra diuinam ordinationem simul & modestiam naturalem; dum abijcit velum capitis, ad hoc sibi attributum, vt eo signo profiteatur subiectam se viro, tanquam suo in terris principi ac rectori. Caietanus in hac parte rursus caput metaphoricũ intelligit, id est virum, de quo dixerat apostolus, *Caput autem mulieris vir*, ac si sensus sit, eam huiusmodi facto virum suum qui caput ipsius est, ignominia afficere. Verùm vt existimo, præter mentem apostoli. Quod satis apparet ex eo quod sequitur:

VNVM ENIM EST AC SI DECALVETVR. Græca sic habent: *Vnum enim est & idem rasæ*. pro quo legitur in textu comment. Ambros. *Vnum est enim atque idipsum, vt decaluata*. Sed decaluari pro radi positum ab vtroque interprete. Est autem argumentatio à pari.

Nam,

Mulieres prophetãtes in primitiua ecclesia.

An in cõuentu publico.

Anna prophetissa an locuta in ecclesia.

Iudæorũ mulieres non loquuntur in synagogis.

Mulier nõ loquatur in ecclesia, ne quidem prophetãdo.

Mulieris nomẽ generale.

Varia mulierũ consuetudo velaminis gestãdi.

Cur mulier inuelata deturpet caput suum.

Decaluari pro radi positũ.

Nam, inquit, mulierem habere caput non velatum, perinde prorsus est atque si rasa esset. Quod profectò dedecorosum esse mulieri nemo dubitat. *Nam capilli dati sunt ei pro velamine*, vt infrà dicitur, vtique naturali. Propterea verò naturali velamini, quodam impulsu naturæ etiam aliud superaddit, vt ostendat se voluntate facere quod natura docet faciendum: id est, vt viri gubernationi se submittat. Itaque dū capiti non adhibet velamen; quantum in se est, air Oecumenius, etiam naturale tegumentum excutit, puta capillos. Vnde sequitur.

Cur naturali velamini mulier aliud superponat.

6 NAM SI NON VELATVR MVLIER, TONDEATVR. Multa mss. addita coniunctione legunt, *& tondeatur*; astipulante tam Græco quàm Syriaco textu. Sensus: Si non admittit mulier assumpticium velamē; abijciat eâdem opera etiam illud quod dedit natura. Nam si decet eam non velari, decebit & tonderi.

SI VERO TVRPE EST MVLIERI TONDERI AVT DECALVARI; VELET CAPVT SVVM. *Decalvari*; rursus Græcè ξυρᾶσθαι, *radi*; quod & legit Tertullianus. Nec in Græco est, *velet caput suum*: sed tantummodo, *veletur*. At sensum interpres expressit. Est enim sermo de velando capite. Quanquam Chrysostomus admonet apostolum non dixisse καλυπτέσθω *veletur*, *operiatur*; sed κατακαλυπτέσθω, *cooperiatur*; *vt sit*, inquit, *perfectè vndique composita*. Nō enim satis est honestati, si qualitercumque caput suum tegat mulier; sed obtegat oportet: ita vt velo vultum adumbret: quomodo præceptum apostoli interpretatus est Clemens Alexandrinus lib. 2 pædagogi cap. 10, & lib. 3 cap. 11. Quam arctiorem velandi consuetudinem etiam hodie seruari videmus in multis Galliæ Belgicę partibus, nominatim per Flandriam & Hollandiam. Porrò concludit apostolus ab opposito consequentis: Si non velatur mulier, tondeatur, aut etiam radatur. Atqui tonderi non debet, multo minus radi: id enim turpe est ac muliebri honestati contrarium. Velet igitur caput suum. Quàm turpe semper habitum fuerit mulierem tonderi, vel illud exemplo sit, quod olim apud Germanos, vt de eorū moribus refert Tacitus, vxorē adulterā accisis crinibus corā propinquis expellebat domo maritus, supplicij loco. Ex his apostoli verbis oppugnāt sectarij morē ecclesiæ catholicę, in qua virgines religionē monasticā profitentes raduntur capite. Contēdunt enim morem huiusmodi tam apostolico præcepto, quàm ipsi naturæ cōtrarium esse. Nam à natura sumit apostolus argumentum, tam hoc loco, quàm infrà, quum dicit ipsam naturam nos docere, quod si mulier comam nutriat, sit ei gloria: propterea quod capilli pro velamine ei dati sint. Proferunt & canonem 17 Gangrensis concilij, idipsum, vt aiunt, sub anathemate prohibentem. Sic enim habet ex Gentiana versione: *Si qua mulier propter eam quæ existimatur pietatem, tondeat comam quam Deus ei dedit ad recordationem subiectionis; vt quæ subiectionis præceptum dissoluat, sit anathema.* Respondemus morem illum ecclesiæ & laudabilem esse, & cum apostoli doctrina minimè pugnare. Loquitur enim apostolus de sexu muliebri in genere; non præiudicās personis particularibus, quibus ob aliquam causam vel necessitatis, vel religionis, aliámue similem, conueniat capillorum amputatio. Nā ob valetudinem id licere certum est. Meritò quoque laudatur factum cuiusdam Christianæ virginis: quæ, sicuti refert Isidorus Pelusiota lib. 2 epistola 53, cùm sciret adolescētem quendam suam deperire formam; vt illum ea cupidine liberaret, caput suum cute tenus abrasit, ac talem se ei spectandam obtulit. Quo deformi aspectu mox in illo concupiscentiæ flamma exstincta est. Cur non igitur etiam religionis causa, citra apostolici præcepti iniuriam, sacræ virgines comam suam deponant, vt omnem huius sæculi ornatum abijcere, & contemnere se, ea velut cærimonia profiteantur? accedente præsertim & alia ratione mystica. Cùm enim in signum subiectionis dati sint eis capilli, quemadmodum hic docet apostolus: Christo iam desponsatæ, & in libertatem quodammodo vindicatæ; quod ad subiectionem attinet coniugalem, nihil amplius viris debēt aut debere possunt. Ad hunc enim modum & seruos manumittere solebant Romani, rasis eorum capitibus. Quod ad rem propositam attinet, de ea B. Hieronymus in epistola ad Sabinianum diaconum numero 48, ita scribit: *Moris est in Ægypti & Syria monasterijs, vt tam virgo quàm vidua quæ se Deo vouerint, & sæculo renuntiantes omnes delicias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum: non intecto postea contra apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter ac velato. Nec hoc quispiam præter tondentes nouit & tonsas: nisi quod quia ab omnibus fit, penè scitur ab omnibus.* Hæc ille, subiungēs eiusdem rei causas etiam quasdam naturalis necessitatis. Non esse autem id honestati naturali contrarium, quando non incedit nudo capite mulier, sed velato; ex recitatis Hieronymi verbis intelligitur. Sanè, vt etiam ex lege veteri proferam aliquid, si tonsura capitis muliebris ita esset inhonesta, vt nullam ob causam admitti fierive posset; non sanxisset Dominus Num. 6 legem Nazaræorum eiusmodi, quam nō solum viri, sed etiam mulieres, vt illic expressè dicitur, subire possent. Qua quidem lege inter alia præcipitur, vt completis diebus consecrationis coma Nazaræi amputetur, & igni altaris imponatur. Nec verò Gangrensis canon nobis aduersatur. Nam, vt ex ijs quæ Sozomenus scribit libro 3 historiæ ecclesiasticæ cap. 13, facilè colligitur: Synodus illa non in virgines Deo consecratas, sed in hæreticas quasdam mulieres, quæ viris suis relictis simulatione pietatis caput tondebant, & virilem habitum sumebāt, sententiam anathematis tulit. De hoc argumento plura apud Baronium reperies in annalibus

Quomodo velādum caput mulieris.

Mulieri turpe tonderi.

Mos attō dendi virgines sacratas, à sectariorū calumnia vindicatus.

Factum laudabile cuiusdā Virginis Christianæ.

Ratio mystica.

Antiquitas dicta consuetudinis ex Hieronymo.

Mulieres Nazaræa in veteri lege tondebantur

Verus sensus canonis Gāgrensis.

nalibus loco ſuprà citato, & in notationibus ad martyrologium Rom. Septembris 20.

7 VIR QVIDEM NON DEBET VELARE CAPVT SVVM. Quod intellige iuxta ſenſum ſuperius explicatum. Pronomen *ſuum* non eſt in Græco, nec apud commentatorem Ambr. Multa etiam Latina mss. non agnoſcunt: tametſi ſenſus poſtulat vt intelligatur.

QVONIAM IMAGO ET GLORIA DEI EST: MVLIER AVTEM GLORIA VIRI EST. Alia ratione propoſitum confirmat apoſtolus: nimirũ ex eo ſumpta quod vir ſit imago & gloria Dei; mulier autem gloria viri. Notandum Græca ſine cauſali vocula ſenſu tamen cauſali, ſic legere: *imago & gloria Dei exiſtens*, ὑπάρχων, id eſt, vt qui imago & gloria Dei exiſtat. Vbi videtur apoſtolus alludere ad etymon Græcę vocis ὑπάρχων: ac ſi dicas, ſupprincipãs; tanquam inſinuare velit hac voce, ita virum eſſe ſub principe Deo, vt tamẽ ipſe etiam principatum habeat in homines, id eſt, in ſexum muliebrem. Alioqui cauſa non apparet cur nõ vſus fuerit vſitatiſſimo participio verbi ſubſtantiui ὤν. Coniecturam auget quod in ſequenti parte, *mulier autem gloria viri eſt:* non repetiuit idem verbum ὑπάρχει; quia mulier non eſt ſupprincipans, ſed poſuit conſuetum verbum ἐστὶ. Porrò virum dicit imaginem Dei propter naturam intellectualem, ac libero præditam arbitrio, qua Deum velut exemplar ſuum ſecundum quod factus ſit, repræſentat. Ex qua natura ei competit poteſtas & dominium in reliquam omnem corpoream creaturam. Reſpicit autem procul dubio Paulus ad locum Gen. 1, vbi deſcribitur homo factus ad Dei imaginem. Vnde intelligitur idem ſignificari; quum dicitur homo ſic factus vt ſit Dei imago, & eſſe factus ad Dei imaginem. Qua de re diſputatur ad diſt. 16 lib. 2 ſentent. Porrò gloriam Dei virum vocat, vel quia ſub ſolius Dei principatu conſtitutus eſt: eaque ratione peculiarem habens cauſam gloriandi in Deo, vt cuius poteſtati ſit immediatè ſubiectus; quomodo qui regi aut ſummo pontifici parent immediatè, ſolent hoc ſibi glorioſum ducere. Quæ eſt Græcorum expoſitio. Vel ſecundum Latinos, Haimonem, Caietanum & & alios: quia Deus in homine tanquam pulcerrimo quodam opificio, quod & ipſe fecerit immediatè, & in quo perfectius reluceat opificis ſimilitudo, poteſt iure gloriari. Priori modo gloria Dei intelligitur, qua gloriatur homo in Deo; poſteriori, qua Deus in homine. Atq; hic poſterior ſenſus, quem & Auguſtinus inſinuat lib. de catechizandis rudibus cap. 18, mihi magis probatur: primùm quia textui congruit, vt quomodo vir dicitur imago Dei, quia Deus in illo repræſentatur: ita dicatur gloria Dei, quia Deus in illo gloriatur, aut, quod eodem recidit, glorificatur. Deinde quia Paulus alibi ſic loquitur, vt gloriam alicuius id vocet, in quo quis gloriatur, velut 2 Cor. 1, *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*. Et iterum, *Gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra in die Domini*. & cap. 8, *Apoſtoli eccleſiarum, gloria Chriſti*. Et 1 Theſſ. 2, *Vos eſtis gloria noſtra & gaudium*. Sic Prouerb. 17, *Gloria filiorũ patres eorum*. Sic & Dauid Deum gloriã ſuam vocat, quod in eo ſibi gloriandum ſit: pſal. 5 & 56. Iam quod ſequitur: *Mulier autem gloria viri eſt*, ſimiliter vtroque ſenſu poteſt accipi; vt gloria viri mulier eſſe dicatur, vel quod immediatè ſubiecta ſit poteſtati viri; vt per hoc in viro tanquam capite ſuo debeat gloriari: vel iuxta ſenſum probabiliorem, quia mulier opificium eſt ex viro factum: vt proinde in ea tanquam ex ipſo facta, vir non immeritò gloriari potuerit, imò gloriatus fuerit dicens: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt*, Gen. 2. Dubitari poteſt hoc loco, vtrum & mulier ſit imago Dei. Id enim negare videtur apoſtolus, dum hac ratione docet virum non debere velari, quoniam imago Dei eſt; quæ ratio nihilo magis de viro concluderet, quàm de muliere, ſi etiam mulier eſſet imago Dei. Itaque commentator Ambr. abſolutè negat mulierem ad imaginem Dei factam eſſe. Negat id quoque autor quæſtionum veteris & noui teſtamenti quæſt. 21, 24 & 45. Sed falluntur hi authores, ſi tamen diuerſi ſunt, & non, vt docti ſuſpicantur, vnus idemque. Nã mulierem factam eſſe ad Dei imaginem, & quod inde conſequens, eſſe Dei imaginem, manifeſtè tradit Moyſes Gen. 1. Cùm enim de homine dixiſſet: *Ad imaginem Dei creauit illum*, vt intelligeretur hoc ad vtrumque ſexum pertinere, mox addidit, *Maſculum & feminam creauit eos*. Itidem cap. 5, cùm dixiſſet: *Ad ſimilitudinem Dei fecit illum*, rurſus adiunxit, *Maſculum & feminam creauit eos*. Cõſtat idipſum ex propria ratione imaginis Dei, quę ſiue conſtituatur in intellectu, ſiue in libero arbitrio, ſiue in poteſtate dominandi, ſiue in his omnibus ſimul, iuxta varias orthodoxorum ſententias; vtique mulier ab ea excludi non poterit. Vnde ſimpliciter & apertè fatentur patres mulierem ad imaginem Dei factam eſſe, vt Baſilius oratione in S. Iulittam, & homilia 10 hexameron, necnon verus Ambroſius lib. 6 eiuſdem argumenti cap. 8. Item Auguſtinus lib. 12 de Trinitate cap. 7. Neque verò diuerſum quid hoc loco ſentit apoſtolus. Dicens enim virum eſſe Dei imaginem, non id omnino negat de muliere; ſed ſignificare voluit perfectius & principalius id viro competere, cùm propter rationem naturaliter in eo magis vigentem, vt ait in commentario Petrus Lombardus: tum propter dominium, quod viro competit amplius atque vniuerſalius quàm mulieri. Siquidem vir etiam in ipſam mulierem poteſtatem ac dominium à Deo accepit Gen. 3. Alij cenſent virum peculiariter ab apoſtolo dici imaginem Dei; quod ex Deo ſit immediatè, ac nullo alio cuius imaginem gerat, interueniente: mulierem verò, quod immediatè formata ſit ex viro in adiutorium ipſi ſimile, viri imaginem conuenienter appellari.

Vir ὑπάρχων.

Vir imago Dei, propter quid.

Idem eſt, imago Dei, & ad imaginẽ Dei.

Vir gloria Dei, quo ſenſu.

Latinorũ expoſitio probabilior.

Mulier gloria viri quo ſenſu.

An mulier imago Dei.

Indubitata reſponſio affirmatiua.

Vir imago Dei perfectiori ratione quàm mulier.

Vir imago Dei immediata, non mulier.

pellari. Quod etsi Paulus non expresserit, videri tamen potest ex priori membro intelligendum reliquisse: sicut intellexerunt Theodoritus & Oecumenius, dicentes ex mente apostoli mulierem esse imaginem viri, tanquam imaginem imaginis Dei. Neque enim alienus est hic sermo à scriptura sacra. Nam Gen. 5 dicitur Adam genuisse filium ad imaginem & similitudinem suam: ex quo consequens est, filium eius fuisse imaginem patris. Cur non igitur & mulier ex Adam formata, dicatur eius imago? Sanè apud Hugonē Victorinum quæst. 109 super hanc epistolam, textus apostoli citatur hoc modo: *Mulier verò imago & gloria est viri.* Videtur autem & Pseudambrosius hūc sensum spectasse. Cùm enim negasset mulierem esse factam ad imaginem Dei; mox sermonem temperat, de ea dicens: *Hæc autem est imago Dei in viro.* videlicet, vt imagine media. Denique valde probabilis efficitur hic apostoli sensus ex eo quod suprà dixit similiter, *Omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris vir.* Vbi Christum caput mulieris non negauit, sed cuius immediatè caput esset Christus, indicare voluit. Sed nūc quæritur, quomodo ex verbis apostoli iam explicatis ostendatur virum non debere velare caput suum. Bene respondet Thomas, maiorum commentarios secutus, id colligi dupliciter; primò, quia velamen impositum capiti significat potestatem suprà se alterius hominis, ordine naturæ superioris; & ideo vir qui Deo subijcitur immediatè, eius rei significandæ ac profitendæ causa non debet habere velamen super caput: Mulier autem viro naturaliter subiecta, debet velari. Secundò, quia gloria Dei non est occultanda sed reuelanda: hominis autem gloria occultanda, iuxta celebrem psal. 113 versiculum, *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Velanda est ergo mulier, quæ gloria viri est, non vir qui gloria Dei.

Ratio Pauli explicata.

Dei gloria nō est occultanda, sed hominis.

8 NON ENIM VIR EX MVLIERE EST, SED MVLIER EX VIRO. De prima rerum conditione loquitur, quando non vir ex muliere factus est, sed mulier ex viro. Quod facit ad prærogatiuam viri; vt meritò propter hoc mulier sub viri debeat esse potestate. Cuius rei signum est velamen capiti eius superpositum. Sic ferè Græci commentatores. Quanquam referri potest hoc ad id quod proximè præcessit, quo refert Aquinas: vt probatio sit huiusmodi: Mulier ex viro formata est, non contrà; & proinde mulier est gloria viri, id est, ea res in qua tanquam in pulcro opere ex se formato, vir meritò glorietur.

9 ETENIM NON EST CREATVS VIR PROPTER MVLIEREM, SED MVLIER PROPTER VIRVM. Alia ratio principatus viri supra mulierem; sumpta ex causa finali. Nam id cuius gratia, præcellit ea quæ propter ipsum sunt aut fiunt: & omnino finis est regula mediorum. Atqui palam est ex historia Gen. 2. non virum creatum esse propter mulierem, sed mulierem propter virum; *scilicet in adiutorium generationis; quomodo patiens est propter agens, & materia propter formam*, ait Thomas in commentario. Debet ergo vir mulierem regere, non mulier virum. Potest & hæc esse connexio; Mulier est propter virum, non contrà; & idcirco vir in muliere, tanquam propter se formata, gloriari potest.

Mulier propter virum facta, non contrà.

10 IDEO DEBET MVLIER POTESTATEM HABERE SVPRA CAPVT. Græcè διὰ τὴν κεφαλήν *super caput*, vel *in capite*, vt Erasmus vertit. Porrò quidam codices loco vocabuli *potestatem* habent *velamen*. At sincerior lectio est *potestatem*. Sic enim habent non Græca modò & Syriaca, sed & omnia penè mss. Latina. Nec aliter veteres commētatores legerunt: & omnibus antiquior Tertullianus, vt lib. 5 contra Marcionem cap. 8, & de velandis virginibus cap. 7 & vltimo: vbi etiam potestatem exponit dicens, *Velamen iugum illarum est.* Legitur quidem apud Irenæum etiam Græcum, lib. 1 aduersus hæreses cap. 1, *Oportet mulierem κάλυμμα velamen habere in capite:* sed ex persona Valentinianorum, qui Pauli sententiam ita citabant. Nec tamen id corrigit Irenæus, quia sensus nihilominus constabat: qui quidem eiusmodi est; Propter ea quæ dicta sunt, nempe quia mulier gloria viri est &c. per quæ declaratur eminentia viri supra mulierem, debet mulier potestatem, id est, signum potestatis viri supra se, quod est velamen, habere super caput suum. Est enim metonymia, qua signo tribuitur nomen rei signatæ. Nisi quis malit accipere potestatem pro viro potestatem habente: quem mulier habere debet supra caput, id est agnoscere & pati superiorem. Quo locutionis modo dicitur in psalmo 65, *Imposuisti homines super capita nostra.* Verùm prior sensus receptior est, atque etiam probabilior, & congruens cum eo quod sequitur.

Potestas pro signo potestatis.

PROPTER ANGELOS. En aliam adhuc rationem, à superioribus diuersam, propter quā mulier in ecclesiæ conuentu non nisi velata conspici debeat. Quidam Latini codices addita vocula copulante legunt: *& propter angelos.* Atqui in pluribus & melioribus non additur, vt nec in textu Græco & Syriaco: tametsi textus Ambros. sic habet; *etiam propter angelos.* Veruntamen interpretes plerique seorsum tractant hanc partem: & vt dixi, nouam hic rationem faciunt. Vnus Caietanus continuat cum verbis præcedentibus: verùm sensu subobscuro, satisque coacto: quem ab ipso petat lector. Angelos alij aliter interpretantur. Plurium sententia est, vsitato more vocabulum hoc accipi pro cælestibus illis ac beatis spiritibus: ac si dicat apostolus; Si non homines, saltem angelos reuerita mulier, gestet in capite velamen, pudoris ac subiectionis signum. Sūt enim angeli nobis vbique præsentes; maximè vbi conuentus fidelium habentur, & sacra mysteria celebrantur. Quocirca vel ad eorum reuerentiam oportet tam mulieres quàm viros, toto corporis habitu decenter & honestè compo-

Quos angelos intelligat apostolus.

Angeli vbique præsentes.

compositos esse: vt dicere possint Deo cum Dauide, *In conspectu angelorum psallam tibi*, psal. 137. Simile præceptum est Ecclesiastæ 5, *Ne dicas coram angelo: non est prouidentia.* Non dissimili ratione Christus pusillorum contemptum cohibet, à præcellenti dignitate eorum quos habent custodes: *quia*, inquit, *angeli eorũ in cælis semper vident faciem Patris mei*, Mat. 18. In quem locum scribens Hieronymus, de ijsdem angelis hominum custodibus hoc Pauli dictum accepit. De ijsdẽ & Augustinus lib. 12 de Trinitate cap. 7, hanc adferens rationem: *Grata est enim*, inquit, *sanctis angelis sacrata & pia significatio*. Sunt alij qui angelorum nomine sacerdotes seu ecclesię præfectos significari putant, quales nimirũ Ioannes in Apoc. 1, 2 & 3 commemorat angelos ecclesiarum, id est, episcopos. Qui quidem *angeli dicuntur*, ait Thomas, *quia diuina hominibus annunciant, secundum illud* Malac. 2, *Labia sacerdotis custodiunt scientiam; & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est*. Propter hos autẽ mulier esse debet velato capite in ecclesia; vel pro eorum reuerentia, vt de cælestibus angelis dicebamus: vel propter eorũ cautelam; ne scilicet illi feminis administrantes diuina sacramenta, ex earum liberiore cõspectu scandalum aliquod patiantur. Hic sensus est apud commentatorem Amb. nec nõ apud Nicolaum I respondentem ad consulta Bulgarorum cap 58. Tradunt eundem sensum Primasius & Sedulius, atque extendunt ad omnes altaris ministros & vniuersum clerum ecclesiæ. Est & tertia expositio Clementis Alexandrini lib. 3 hypotyposeon, quam referũt Theophylactus & Oecumenius; vt per angelos intelligantur iusti & sancti viri; propter quos iubeatur mulier habere velamen super caput, ne eos aperta facie scandalizet. Harum expositionum prima maximè probabilis est: continetque generalem & salutarem doctrinam; vt quisque in omni loco, quamuis etiam solum se putet, honestè & pudicè se gerat propter angelorum præsentiam. Reliquæ duæ expositiones suam quoque probabilitatem habent, præsertim secunda. Cæterùm illa prorsus improbanda: propter angelos cælestes idcirco velatas esse debere mulieres, ne illi prouocentur ad earum concupiscentiam: vt habet opinio quorundam, qui scripturam Gen. 6, vbi dicuntur filij Dei filias hominum visas adamasse, de cælestibus angelis intellexerunt, decepti versione LXX interpretum, prout olim ferebatur in quibusdam exemplaribus, quibus *angeli* pro filijs Dei scriptum erat: vt testatur Augustinus lib. 15 de ciuitate Dei cap. 23. Verùm huiusmodi sensus & opinio vehementer erronea est: quum ex fide catholica certum teneamus, sanctos illos spiritus amore carnali mulierum affici non posse, non ideo solum quia sunt incorporei, (quod ab ecclesia nondum videtur esse definitum: etsi apud doctos receptissimum) sed quia Dei faciem semper videntes omnino peccare non possunt. Adde quod, cùm angeli non solum in conuentibus ecclesiæ, sed & domi & foris circa nos assiduè versentur: oporteret hac ratione mulieres non in ecclesia tantum & in publico, sed vbique & semper habere caput obuelatum. Minus quidem absurda Tertulliani sententia, qui locum hũc apostoli intellexit de angelis malis & apostatis id est, dæmonibus: de quibus dictum suprà cap. 6, *Nescitis quoniam angelos iudicabimus?* quasi sensus sit; mulierem velatam esse debere, ne visam eius pulchritudinem angeli mali concupiscant: ijdem scilicet qui quondam filias hominum à se visas, quod essent pulcræ, carnaliter concupierunt. Loca Tertulliani sunt libro 5 contra Marcionem cap. 8, de velandis virginibus cap. 7 & 8, de corona militis capit. 14, de cultu feminarum cap. 3, & de habitu muliebri cap. 2. Verùm & hæc opinio procul est abijcienda; quoniam etsi (quod iam dudum explosum est) dæmones essent corporei, constat tamen inter orthodoxos, neque sexuum in eis distinctionem esse, neque gignendi facultate præditos esse, qua naturaliter incitentur ad coitum cum feminis: licet, vt sunt immundi spiritus, hominum immundicijs, & mulierum velamen aspernantium impudentia, summopere delectentur.

Angeli hominũ custodes.

Angeli sacerdotes & episcopi.

Angeli, iusti & sancti viri.

Generalis & salutaris doctrina.

Opinio reproba de angelis cælestibus

Refellitur

Angeli incorporei

De angelis malis Tertulliani sententiare futata.

11 VERVNTAMEN NEQVE VIR SINE MVLIERE, NEQVE MVLIER SINE VIRO IN DOMINO. Quoniam dixerat mulierem esse ex viro & propter virum, non contrà; & per hoc viri potestatem ac dignitatem supra mulierem extulerat: ne propterea mulier animo deijciatur, ac ne vir insolentius erga mulierem se gerat; nunc sermonem moderatur, ostendens virum & mulierem mutuis egere officijs: vt nec vir sine muliere, nec mulier sine viro possit ea quę familiæ procurandæ necessaria sunt, exercere: maximè quod ad liberorum procreationem & educationem attinet. Addit autem, *in Domino*, scilicet Christo, vt submoneat tam virum quàm mulierem, quomodo domum regere, natos educare & instituere, cæteraque mutuæ obligationis officia præstare debeant; scilicet ad normam legis Christianæ. Pro particula, *in Christo*, quidam Græci codices habent ἐν τῷ κόσμῳ *in mundo*, quod sensum habet perspicuum: fauetque Græcorum interpretum expositioni, qui pericopen hanc referunt ad natiuitates hominũ: vt sensus sit, Quamuis initio non vir ex muliere, sed mulier ex viro facta sit; postea tamen nihilo magis vir nasci potest sine muliere, quàm mulier sine viro. Cui sensui conuenit quod sequitur.

Vir & mulier mutuis egent officijs.

12 NAM SICVT MVLIER DE VIRO, ITA ET VIR PER MVLIEREM. *De viro* ἐκ τοῦ ἀνδρὸς, *ex viro.* Quẽadmodum, inquit, in principio mulier ex viro facta est; ita nunc vir ex muliere nascitur. Vir, id est, mas aut masculus. Nam hic quidem vir sexus tantummodo, non etiam ætatis nomen est. Mutat autẽ apostolus prepositionẽ *ex*

viro, per mulierem; quia mulier media est inter virum & virum. Nam primum omniũ mulier ex viro: postea verò etiam vir ex muliere.

Deus vniuersale principiũ & prima causa rerũ omniũ.

OMNIA AVTEM EX DEO. Reuocat particularia principia ad vnum principium vniuersale omnium rerum, quod est Deus: vt sub illo tanquam cõmuni capite & principio, tam vir qui est principiũ mulieris, quã mulier quæ etiam viri quodam modo principiũ est, pariter humiliẽtur. Hoc autem quod dicit, *Omnia ex Deo*, latissimè patet; vt intelligamus omne quod est, & Deus non est, in Deum vt originalem primamque causam referendum esse. Sic ad Rom. 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

13 VOSIPSI IVDICATE. *Vosipsi*, Græcè ἐν ὑμῖν αὐτοῖς, *in vobis ipsis*, quod quidam vertũt, *inter vosipsos*. At rectius, *intra vosipsos*: siue vt alij vertunt, *apud vosipsos iudicate*: id est, in suo quisque animo æstimate quod dico. Permissio rhetorica est, qua rem velut naturæ ac rationi consentaneam defert ipsorum ad quos scribit iudicio. Quæ res mirè facit ad suadendum. Ita capite superiori dixit, *Vt prudentibus loquor; vos ipsi iudicate quod dico.* Qui locus occasionem dedisse potuit, vt quod hic scriptũ erat *in vobis ipsis*, mutaretur in *vosipsi*.

DECET MVLIEREM NON VELATAM ORARE DEVM? Interrogatio est. Textus Ambros. *Decétne mulierem* &c. *Non velatam* rursus Græcè ἀκατακάλυπτον, à verbo κατακαλύπτεσθαι. De quo superius ex Chrysostomo. Num, inquit apostolus, decorum est (ita Græcè, πρέπον ἐστι) mulierem capite non cooperto Deum orare? quasi dicat, minimè. Siquidem etiam vulgo reputatur id indecorum. Non addit nunc apostolus prophetare; sed solam orationem nominat: quia nec si velata sit mulier, prophetare ei licet in ecclesia; quemadmodum docetur infrà cap. 14. Annotat hoc loco Caietanus, quod initio admonuimus, istum de capitis velamine tractatum, non aduersus viros institutum à Paulo, sed aduersus mulieres, more virorum inuelato capite exhibẽtes sese in ecclesia. Porrò quia de eo quod in humanis actionibus decorum aut indecorum est, naturaliter homines iudicare solent; ideo subiungit.

Argumẽtum ab indecoro.

14 NEC IPSA NATVRA DOCET VOS. Græcè cum notula interrogationis, *An nec ipsa* &c. Naturam vocat naturalem inclinationẽ: quæ docere dicitur, quatenus per eam accipitur notitia siue iudicium de re quapiam.

Natura pro naturali inclinatione.

QVOD VIR SI COMAM NVTRIAT, IGNOMINIA EST ILLI. Græcè, *Quod vir quidem si comatus sit, dedecus ei est*: id est, quod viro quidem comatum esse, dedecori sit. Comatus dicitur qui promissam gestat comam more muliebri. Tales enim notari solent vt molles & effeminati; & agentes contra decus virile. Non enim damnat apostolus, si vir capillos aliquantum alat valetudinis causa, ne frigus noceat capiti: quemadmodum est cõsuetudinis in frigidis regionibus; verũ si comam alat intonsam: quod feminarũ est. Ac eadẽ penè ratio, si cæsariem gestet prolixiorem, ornatui studens: velut olim apud Hebræos Absalõ, cui sua cæsaries exitio fuit, 2 Reg. 18. Quanquam illum & hodie multi non sine leuitatis ac molliciei nota iuuenes imitãtur. Quin etiã ex hoc loco B. Augustinus in lib. de opere monachorum tribus extremis capitibus, improbare non dubitat morem quorundam monachorum, siue anachoretarum, quos crinitos fratres vocat: quod crines intonsos & in humerum demissos gestarent, quadam, vt videri volebant, imitatione veterum Nazaræorum, Samsonis, Samuelis & aliorum; reuera autem ex eo facto sanctitatis speciem aucupantes. Attamen vbi more receptum est, anachoretas incedere comatos, vt hodie passim; modo bona adsit intẽtio; non arbitror esse dãnandum.

Comatus quis dicatur.

Capillitiũ alere quatenus indecens sit.

Criniti fratres apud Augustinum

Anachoreta comati.

15 MVLIER VERO SI COMAM NVTRIAT, GLORIA EST ILLI? Græcè, *Si comata sit, gloria eius est*? Sensus: coma promissa decet mulierem, & formam eius commendat: quemadmodum è diuerso deturpat eam capillorũ detonsio. Hinc illud ad sponsam mysticam, Cant. 7, *Coma capitis tui sicut purpura regis.* Sed hæc non suffragantur immoderato cultui feminarum circa capillos. Quod studium reprimunt Paulus 1 Tim. 2, & Petrus 1 epist. 3. Cæterùm ex hac sententia, *Mulier verò* &c. relinquit apostolus inferendum, ergo mulier debet velare caput. Hanc enim illationem probat id quod sequitur.

Coma promissa mulierem decet.

QVONIAM CAPILLI PRO VELAMINE EI DATI SVNT. Græcè, *Quia coma pro velamine data est*. Et est sensus: Ipsa natura, seu Deus naturę author præbet sexui muliebri comam pro velamine: videlicet ea re mulierem admonẽs, quod debeat esse velato capite. Quæres quare non sufficiat ei velamen quod natura suppeditat, id est, capilli: quidve sit opus, aliud superaddere? Respondet post Chrysostomum Theophylactus: *vt non ex sola natura, verum etiam ex consilio & voluntatis electione subiectionem* mulier *fateatur*. Et breuiter Ambr. commentator, *vt naturæ voluntas addatur*. Vult autem apostolus eandem esse rationem velaminis naturalis & assumpticij. Nam quæ natura tegit, eadem etiam studio & arte tegenda esse monemur. Viro quidem etiam capilli dati sunt à natura; non tamen pro velamine, sicut mulieri; sed tantum pro capitis conseruatione. Vnde & natura breuius est capillitium viri quàm mulieris; scilicet ad significandum, viro non aliud assumendum esse velamen, nisi quatenus id postularet capitis conseruandi necessitas. Porrò notandum est, hanc rationem à natura sumptam, quemadmodum & illam quæ à capite mystico (de alijs idem fermè iudicium) generalem esse; qua velamen viro detrahatur, ac mulieri imponatur, non solum in conuentibus ecclesiæ, verum etiam alibi; perinde vt res sese habet de velamine naturali. Neq; enim tantum vult apostolus hoc

Cur mulieri non sufficiat velamen naturale.

Viro non sunt dati capilli pro velamine

quod

quod vocat decorum naturale, seruari in ecclesia, sed in omni conuersatione, quantũ naturæ necessitas id permittit. Iam de barba si quæras; ea viro non est data pro tegumento, sed ad dignitatem & maiestatem. Est enim & ipsa symbolum non ignobile potestatis viri supra mulierem.

Barba nõ data viro pro tegumẽto, sed ad dignitatem.

16 SI QVIS AVTEM VIDETVR CONTENTIOSVS ESSE. Hoc est: Si quis rationibus à me allatis non acquiescit, sed pro sua contraria opinione, qua negat oportere velari fœminas in ecclesia, certare pergit; & per hoc contentiosum se ostendit. Nam contentiosus is dicitur, qui verbis certat, id agens vt vincat, non vt veritas appareat. Vnde Græcè etiam hoc loco φιλόνεικος dicitur, id est amans victoriæ; vt cui victoria potior est veritate. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos capit. 9 partem hanc ita legit; *Si quis autem putauerit se contentiosum esse.* Sed quamuis Græca non respuãt huiusmodi versionem, ea tamen non quadrat huic loco.

Contentiosus quis dicatur.

NOS TALEM CONSVETVDINEM NON HABEMVS, NEQVE ECCLESIA DEI. Hoc quod de consuetudine dicit, dupliciter intelligi potest. Vno modo; Nos consuetudinem non habemus contendendi; sed magistrorum præceptis absque contradictione obtemperandi. Sic Chrysostomus in commentario, & Ambrosius lib. 5 de fide in proœmio. Aliter: Nos eam consuetudinem non habemus, vt mulieres orent in ecclesia capite non velato. quasi dicat: Si quis contentiosè mecum agere velit, & diuersam opinionem pertinacius defendere; illi ego oppono nostram & ecclesiæ consuetudinem; quæ habet vt mulieres orent velato capite, viri non velato. Hunc sensum simul cum priore adferunt Theophylactus & Oecumenius. Sed posterior sensus, quem probat maior pars interpretum, sine dubio germanior est. Vbi notandum apostoli Pauli in docendo & persuadendo artificium; qui velut bonus orator, optimum argumentum vltimo loco reseruauerit: nempe quod petitur ab authoritate, consuetudine & traditione populi Dei. Quod quidem ad reprimendos homines præfractos & contentiosos, nec non eos qui rationum minus capaces sunt, adhibendum est: & tunc necessariò adhibetur, quando de eo agitur quod in scripturis non est expressum. Vnde B. Augustinus in epistola 86, quę est ad Casulanum presbyterum: *In his*, inquit, *rebus de quibus nihil certi statuit scriptura diuina; mos populi Dei, vel instituta maiorum, pro lege tenenda sunt.* Sed & Hugo Victorinus ad hunc locum ita generaliter annotat: *Hic habemus authoritatem, quod consuetudines sanctæ ecclesiæ tenendæ sunt: etsi rationem ignoremus, quare ab illa sic constituta sint. Deus enim suam ecclesiam in his quæ ad ipsum pertinent, non permittit errare.* Sic ille. Igitur exemplo Pauli licebit etiam nobis catholicis hoc pacto respondere nostris aduersarijs: vt quoties bonis rationibus & argumentis, quibus ecclesiæ doctrinam asserimus, non acquiescunt; absolutè eis dicatur: Nos huiusmodi consuetudinem, quam vos impugnatis, vt orandi pro defunctis, inuocandi sanctos, venerandi sacras imagines &c. habemus ex antiqua, ecclesiastica, apostolica traditione acceptam. Dicit autem Paulus, *Nos*, id est, apostoli, quorum tanquam magistrorum vestrorum instituta debetis sequi. Vel, secundum Thomam, *Nos*, id est, Iudæi, à quibus euangelium ad vos gentiles peruênit; quorum proinde bonas consuetudines imitari vos conuenit. Nam Iudæorum mulieres solere velatas incedere, meminit Tertullianus de veteribus traditionibus agens, in lib. de corona militis capit. 4. *Apud Iudæos*, inquit, *tam solenne est fœminis eorum velamen capitis, vt inde noscantur.* Pro *ecclesia*, Græcè pluraliter *ecclesiæ*. Sic & Latina quædam mss, & veteres concordantiæ: tametsi sensus idem est. Nam ecclesia vniuersalis ex multis particularibus ecclesijs consistit. Aquinas, vt membra distinguat, interpretatur ecclesiam per gentes toto orbe diffusam. Erant enim & ecclesiæ Iudæorum credentium Hierosolymis & alibi; quas vult comprehendi priore membro. Quanquam in priore possunt intelligi Iudæi in genere, vt significetur mos populi, velut in templo, & synagoga, & omnino in publico; sicut ex Tertulliano audiuimus: In posteriore, ecclesiæ Christi vndecunque collectę. Quem sensum vult Caietanus, cùm dicit hic adferri rationem *ab authoritate consuetudinis tum in veteri testamento, tum in ecclesijs Dei in nouo testamento.* Sciendum autem ex hac prima ecclesiarum per apostolos introducta consuetudine, profectum esse, vt omnes Christianæ mulieres, tam nuptæ quàm virgines, incederent velatæ; non quidem sacro, quod sacratis virginibus proprium est, sed communi tectæ velamine. Nam *etiamsi tunc contendebant Corinthij*, ait Chrysostomus, *nunc vniuersus orbis terræ hanc legem admisit & custodijt. Tanta est potentia crucifixi.* Ita sanctus ille.

Duplex intellectus huius loci.

Pauli in suadendo artificiũ. Optimũ argumẽtum ab authoritate ecclesiæ.

Notanda Augustini sententia.

Iudaicarũ mulierum honesta cõsuetudo.

Cõsuetudo Christianarũ mulierũ ab apostolis introducta.

17 HOC AVTEM PRÆCIPIO NON LAVDANS. Græci codices penè omnes sic habent: *Hoc autem præcipiens non laudo.* Quidam præceptum hoc referunt ad superiora, ac si dicat apostolus: Hoc quod dixi mulieres debere velatas orare; quodque tam argumentis à ratione ductis, quàm à consuetudine probaui: nunc etiam præcepto meo confirmo; & volo vt ita fiat. Ex quo statim transeat ad aliud, dicendo *non laudans* &cæt. Sic Augustinus de opere monachorum capit. 31. quem sequuntur vterque glossator, Lombardus & alij ex Latinis. Græci verò, quibus accedit Liranus, ad sequentia referunt, & hunc ferè sensum reddunt: Illud de quo nunc vobiscum agere institui, & præcepta dare, tale est quod laudare

non possum, imò vehementer improbo. Incipit autem à præcepto, non præmissis ad suadendum rationibus, vt in tractatu superiori: quod de re maximi momenti locuturus, ad ea vicia reprehẽdenda accedat, quæ nullum excusationis prætextum admitterent.

QVOD NON IN MELIVS, SED IN DETERIVS CONVENITIS. Id est: quod non ad vtilitatem & profectum spiritualem, sicut oportebat, conuenitis in ecclesiam; sed magis ad spirituale detrimentum. Ita conuentum agitis ecclesiasticum, vt ex eo non fructum pietatis, sed dispendium referatis. Siquidem, vt ad hunc locum eruditè S. Thomas annotat, omne animal gregale, putà columbæ, grues, oues, instinctu naturali conueniunt in vnum, vt sit eis corporaliter melius. Quare & homo, qui est animal sociale, conuentus instituere debet propter aliquod melius; idque vel temporale; propter quod fiunt conuentus ciuium; vel spirituale, cuius gratia fiunt conuentus fidelium. Atqui finem hunc peruertebant in suis conuentibus Corinthij: quemadmodum ex ijs quæ sequuntur patebit. Loquitur autem apostolus non de quocumque fidelium apud Corinthios conuentu; sed de eo qui fiebat ad celebrandam cœnam Dominicam. Hanc enim paulo pòst nominat, & quomodo ad eam in deterius conuenerint, refert. Cæterùm duo potissimùm reprehendit, quorum hoc quod sequitur vnum est.

Animalium conuentus naturaliter in melius.

18 PRIMVM QVIDEM CONVENIENTIBVS VOBIS IN ECCLESIAM. Græcè, *in ecclesia*, quemadmodum & Latina quædam mss. legunt, & Aquinas in commentario. Ecclesiam vocat vel locum deputatum conuentibus fidelium, vel ipsum fidelium conuentum. Vtraque enim acceptio huius nominis apud fideles vsitata est; sed prior dependet à posteriori. Nec ferè aliter quam hoc posteriori modo, nomen hoc in scripturis accipitur. Ita paulo pòst: *aut ecclesiam Dei contemnitis?* Dicuntur autem in ecclesiam vel in ecclesia conuenire, quia conuentus ipse ecclesiam cõstituit: quomodo senatorum conuentus senatum. Nonnulli illud Græcæ lectionis *in ecclesia*, iungunt cum eo quod sequitur.

Ecclesia bifariam accipitur.

AVDIO SCISSVRAS ESSE INTER VOS. *Scissuras*, σχίσματα. Quam Græcam vocem interpres alibi retinet, vt suprà cap. 1, *Non sint in vobis schismata*. Significantur autem dissidia, dissensiones. Quænam eæ fuerint, non expressit apostolus; sed ex sequentibus intelligi potest, vel de loco recumbendi, vel de tempore cœnæ inchoandæ, vel de cibis ipsis ac potibus, alijsve eiusmodi, disceptatum illic fuisse: maximè inter diuites & pauperes, quorum isti ab illis contemnebantur. Qui particulam præcedentem *in ecclesia* huc annectũt, ita sermonẽ ordinant: Conuenientibus vobis, audio dissensiones esse inter vos in ecclesia, id est, in ipso conuentu.

Schismata pro dissensionibus.

ET EX PARTE CREDO. *Ex parte*; Græcè, μέρος τι, *partem aliquam*. Erasmus, *aliqua ex parte*. Id intelligi potest, vel de parte rerum, vel de parte personarum. Vtroque enim modo exponunt interpretes; vel apostolum credere partem aliquam malorum quæ sibi narrata essent; vel ea quæ narrata erant, credere de aliquibus illorum, non de omnibus. Neque verò prudentis est statim omnia credere quæ referuntur, etiam à fide dignis. Nam & hos falli contingit. Simul hoc verbo mitigat apostolus asperitatem obiurgationis.

Prudentis est nec omnia nec omnibus credere.

19 NAM OPORTET ET HÆRESES ESSE. Græci codices addunt, ἐν ὑμῖν, *in vobis*, plerique hoc ordine: *Oportet enim & hæreses in vobis esse*; nonnulli verò sic: *Oportet enim & in vobis hæreses esse*; quasi dicat: Vestra ecclesia non magis exempta est ab hoc malo, quàm aliæ. Quanquam non videntur eam particulam Græci interpretes legisse. Cæterum ostendit apostolus hac sententia non esse mirandum, neq; rem accidere sibi prorsus inexspectatam, quòd dissensiones sint inter Corinthios. Nã, inquit, oportet & hæreses siue sectas exsistere: siue absolutè siue inter vos; iuxta varietatem lectionis. Chrysostomus cæteriq́ue Græci, quibus assentitur Caietanus, hæreses intelligunt hoc loco, non aduersus sanam & catholicam doctrinam erroneas opiniones: sed dissidia circa mensas, & locum & tempus accumbendi, de quibus superius; vt non aliud hic dicat apostolus hæreses, quàm quod iam dixerat scissuras seu schismata: quæ exoriri & esse oporteat, propter vitiosas & in malum pronas hominum affectiones: quales multi erant inter Corinthios; vt patet ex capit. 1 & 3 huius epistolæ. Ita dicitur à Domino Matthæi 18, *Necesse est vt veniant scandala*. Latini verò simpliciter hæreses intelligunt in doctrina: vt sit argumentum secundum dialecticos à minori: Oportet etiam hæreses suboriri; non igitur incredibile est, dissensiones quæ ad mores & ambitionem pertineant, excitatas esse inter vos. Atque hic intellectus nobis probabilior apparet; tum propter interpositam voculam &, id est, etiam, quæ solet diuersum aliquid adiungere: tum quia non sine causa vocabulum mutauit apostolus: vt qui prius dixerat schismata, nunc diceret hæreses; vtique volens non diuersum modò, sed & grauius aliquid significare: quando nec vocabulum hæresis in sacris literis vsquam ad morum discrepantiam refertur; sed semper ad diuersitatem religionis ac doctrinæ. Neque pro Græcis facit, quod secundum eorum lectionem addit apostolus, *in vobis:* cùm hæreses non sint in ecclesia, sed extra. Nam sicut hæretici latentes ac nondum separati sunt adhuc in ecclesia, donec inde vel eijciantur, vel proprio se iudicio condemnantes, sponte exeant, secundum illud 1 Ioan. 3, *Ex nobis exierunt:* sic & ipsas hæreses aliquo modo in ecclesia esse, non est absurdum. Quemadmodum

Hæreses hoc loco quadicãtur, Græcorũ sententia.

Latinorũ sententia melior.

Hæresis in scriptura sẽper ad diuersitatẽ doctrinæ refertur.

Hæretici occulti in ecclesia.

Hæreses quomodo in ecclesia

verò

Oportet hæreſes eſſe, quo ſenſu. Non hinc ſequitur, hæreticos non eſſe tollendos.

verò propter multorum fidelium imperfectionem oportet eſſe diſſidia de rebus minoribus; ita propter quorundam maliciam & animoſam pertinaciam, oportet eſſe diſſenſiones in doctrina fidei. Iam quod ex hoc loco quidam faciunt argumentum; Oportet hæreſes eſſe; ergo hæretici non ſunt è medio tollendi: nimium futile eſt. quaſi mala quæ impediri non poſſunt ne eueniant, tollere non liceat poſtquam euenerint. Qua ratione nec morbi curâ medicorum depellendi erunt; quoniam & ipſos propter hominum intemperantiam, & inæquales corporum affectiones, eſſe neceſſe eſt. Cur autem non potius ſic argumentantur, vt collectionis appareat abſurditas: Oportet hæreſes eſſe, ergo hæreſes non ſunt tollendæ? Hoc enim magis directè conſequens videbatur, ſi id quod neceſſe eſt euenire, non ſit tollendum.

Vt an cauſaliter accipiatur.

VT ET QVI PROBATI SVNT MANIFESTI FIANT IN VOBIS. *Et* abeſt in Græco & Syriaco: multiſque Latinis. Quibus volunt veteres, Tertullianus lib. de præſcriptionibus cap. 4. Cyprianus lib. de vnitate eccleſiæ, & libr. 3. ad Quirinum, teſtimonio 93. & Ambroſius de quadraginta duabus manſionibus manſione 30. Volunt autem expoſitores Græci particulam *vt* non cauſam denotare eius quod præceſſit, ſed euentum conſequentem. Malis enim diſſidia facientibus, manifeſtabantur boni; ſiue pauperes qui patienter ferebant ſe contemni, ſiue alij qui morem cœnæ ab apoſtolo inſtitutum adhuc ſeruabant. Verùm rectius Aquinas & Caietanus, cæterique Latini, cauſaliter hanc partem exponunt: non quòd ſignificetur quis ſit finis ipſarum hæreſeon; ſed in quem finem Deus illas ordinet; non excitando, ſed permittendo; vt magnum aliquod bonum ex eis eliciat. Etenim, vt ait Auguſtinus enchiridij 27, *melius iudicauit* Deus *de malis benefacere, quàm mala nulla eſſe permittere*. Nam dicere quis poterat; Non ita ſaltem oportet hæreſes eſſe, quin Deus hominum maliciam reprimendo vel corrigendo, poſſet illas impedire. Cur igitur id non facit? Ad hoc reſpondet hac parte: & ſenſus eſt: hæreſes non impediri, ſed permitti à Deo hanc ob cauſam, vt qui probati ſunt, id eſt, probi, integri ac ſinceri (id enim ſignificat nomen Græcum δόκιμοι pro quo Tertullianus legit *probabiles*, loco proximè citato & alibi) manifeſti fiant in eccleſia; dum ſectis non ſe iungunt, nec ab vnitate recedunt, quamuis tentati multorum exemplis; ſed fidei ſinceritatem cum charitate retinent. Quæ quidem manifeſtatio non ſolum eis honorifica eſt; verum etiam plurimum valet ad confirmandos in fide infirmos. Alludit autem apoſtolus ad probationem auri & argenti per ignem. Vnde B. Ambroſius poſt allegata apoſtoli verba ſubiungit: *Sincerior bonitas è tentationibus prodit: ſicut purius argentum è camino ignis.* Nec malè Tertullianus probatos ſeu probabiles interpretatur electos; de præſcriptionibus cap. 39, dicens: *Vt electi manifeſtentur, vt reprobi detegantur*. Nam abſolutè & vſque in finem probati, ſoli ſunt electi. Sciendum eſt, interpretem Syrum particulam *in vobis*, ſiue *inter vos*, ad medium reducere: *vt qui probati ſunt inter vos innoteſcant*. volentem, vt arbitror, eam conſtruere cum dictione *probati*. Quod etſi faciat ſenſum non improbandum, eſſe tamen videtur præter mentem apoſtoli, à quo in fine collocata particula non niſi coactè ad priorem dictionem referri poteſt.

Deus malis bene vtitur.

Probati qui dicãtur: & quomodo manifeſti fiant.

20 CONVENIENTIBVS ERGO VOBIS IN VNVM, IAM NON EST DOMINICAM COENAM MANDVCARE. *In vnum*, Græcè, ἐπὶ τὸ αὐτὸ, *in idem*, quod alias vertere ſolet, *in idipſum*. Et ſenſus eſt; *in eundem locum*, quomodo tranſtulit Eraſmus. Vocula *iam* in Græco & Syriaco non habetur: concinnè tamen addita ab interprete. *Non eſt*, οὐκ ἔστι, Eraſmus vertit, *non licet*: atque ita gloſſator interlinealis, Lõbardus, Aquinas & Liranus exponunt: vt ſit ſenſus; Ita agitis vt nõ liceat Dominicam cœnam celebrare, quemadmodum oporteat. Simili ſenſu vertit Henenius, *non contingit*. Quanquam id quod noſter interpres ex Græco ſimpliciter expreſſit, percommodum habet ſenſum: Quum conuenitis in vnum ad celebrandam cœnam Dominicam; id tamen quod agitis, non eſt edere Dominicam cœnam, ſed longè aliud. Ita Græci, & inter Latinos Heruæus & Caietanus. Quod autem quidam ſupplent hoc modo: non eſt, aut non licet edere ea concordia qua apoſtoli comederunt: parum aptè ſupplent. Nam apoſtoli non magna concordia comederunt: quando vnus eorum leuauit contra Dominum calcaneum ſuum, Ioan. decimo-tertio: & inter alios orta eſt *contentio, quis eorum videretur eſſe maior*, Luc. 22. Porrò quod apoſtolus hac parte commemorat, id alterum eſt eorum quæ in Corinthijs cœnam agentibus Dominicam reprehendit; priori tamen coniunctum. Vtriuſque verò cauſæ erant diuitiæ, luxus, faſtus, intemperantia. Sed quam apoſtolus vocet cœnam Dominicam, & quem ordinem ea habuerit ad celebrationem myſteriorum, quę paulo pòſt ab eo traduntur; explicandum nobis eſt. Sunt enim ea de re variæ ſententiæ. Quidam cœnam Dominicam intellexerunt ipſum epulum ſacrum, in quo ſumuntur corpus & ſanguis Domini. Quæ quidem Auguſtini ſententia eſt in epiſtola 118 ſcripta ad Ianuarium capit. 5, vbi affirmat apoſtolum *ipſam acceptionem euchariſtiæ Dominicam cœnam* vocaſſe. Quod & ſentiunt commentator Ambroſ. Pelagius, Gloſſator, Lombardus, Heruæus, Aquinas, Rickelius:

Cœnam Dominicã quam vocet Paulus.

Quorundam opinio.

& inter Græcos Theodoritus & Oecumenius; quorum verba sunt, *Dominicã cœnã vocat* Apostolus, *Dominicum sacramentum*. Huic intellectui fauere videtur apostolus, in eo quod traditionem Dominicam paulo pòst repetens, dicit, *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis* &c. vbi non aliam cœnam, præter eam in qua corpus & sanguis Domini sumebãtur, commemorat. Veruntamen istorum sententia probari non potest ita nudè accepta. Nam in communione sacræ eucharistiæ, nullo modo credibile est ea contigisse, quæ hic à Paulo referuntur: vt quisque suam cœnam, id est eucharistiam, præoccuparet, & alius quidem esuriret, alius autem ebrius esset. Neque enim illa mensa mystica ad hoc proponitur, aut aliquando proposita fuit, vt venter satiaretur: sed tantum vt mens reficeretur. Neque verò poterant ex ea mensa aliqui ita ingurgitari, vt ebrij dicerentur, ne sensu quidem inferius explicando: quandoquidem à ministris ecclesiæ seu presbyteris seu diaconis, quorum erat distribuere fidelibus corpus & sanguinem Domini, non pleni calices sæpius epotandi, sed certa ac determinata sacri liquoris portio semel sumenda, singulis dabatur: Sicut & inter Christi discipulos factum fuit in vltima cœna. Sed nec in huius celebratione mysterij locum habere poterat reprehẽsio Pauli, quæ est in fine capitis, quod alij alios non exspectarent: nisi culpa conijceretur in ipsos ministros, in quorum potestate erat non prius inchoare sacram actionem, quã omnes conuenissent. His accedit quod sola panis & vini sumptio non poterat esse cœna qualis à Corinthijs habita describitur: id est, in qua alij lautè ac splendidè, alij tenuiter ac malignè tractarentur. Nec verò suffragatur dictis authoribus Pauli narratio dicentis: *Ego enim accepi à Domino* &c. Non enim illic cœnæ Dominicæ historiam repetit; quod non erat necesse: sed mysteriorum, occasione cœnæ à Corinthijs indignè tractatorum, sacram institutionem exponit. Quod ad rem faciebat quàm maximè: quemadmodum plenius infrà declarabitur. Igitur aliorum sententia est, cœnam dominicam ab apostolo vocari conuiuium commune fidelium, in quo omnes tam pauperes quàm diuites reficiebantur; videlicet institutum ac solenni more celebrari solitum, ad exemplum & quandam repræsentationem illius cœnę quam Christus Dominus vltimam habuit cum suis discipulis, priusquã eorporis & sanguinis sui mysterium institueret. Hanc enim institutionem, & proinde etiam ipsius eucharistiæ sumptionem, nõ comprehendi in illa cœna, sed ea posteriorem fuisse; satis apertè significat Lucas euangelij sui cap. 22, & Paulus hoc loco, cùm dicunt Dominum calicem discipulis porrexisse *postquam cœnauit*: pro quo in canone liturgico absolutè dicitur, *postquam cœnatum est*. Quod idem de pane intelligendum. Non enim diuisum fuit hoc mysterium, vt vna pars institueretur ac sumeretur in cœna; pars altera post cœnã: sed actione continuata post cœnam vtraque pars, id est, totum sacramentum institutũ fuit. Hoc ferè modo de cœna Dominica loquuntur Chrysostomus & Theophylactus in commentarijs, ac rursum Chrysostomus in homilia peculiari super verbis apostoli, *Oportet & hæreses esse*. & inter Latinos Primasius & Sedulius: itemque recentiores Caietanus, Gaignæus, Hofmeisterus & alij: quibus annumero Galenum nostrum catechesi 124. Quamuis illorum nonnulli videantur nomine cœnæ Dominicæ non solum illud quod dixi, conuiuium accipere; sed vnà comprehendere ipsius eucharistiæ communionem, quæ sub idem tempus fiebat: quemadmodum & factum in cœna Domini cum discipulis. Vnde & interdum ita loquimur, vt vocabulum cœnæ Domini extendamus ad totum illud tẽpus, quo Christus cum discipulis, etiam cœna finita, recubuit. Ita vulgo dicimus, eum in vltima cœna corporis & sanguinis sui sacramentum instituisse, & longum sermonem ad discipulos habuisse. Nobis tamen verisimilius est, solum illud conuiuium fidelium, vt erat ab eucharistiæ participatione diuersum, apostolo dici cœnam Dominicam. Quod & Tertullianus non obscurè significat in Apologetico, & alijs locis à Pamelio obseruatis annotatione super Apologeticum, 517. Vocabatur autem cœna Dominica, quod, vt dictum est, fieret ad repræsentandam cœnam Domini nouissimam, in qua agnum typicum cum discipulis comedit: videlicet nomine rei significatæ ad signum translato. Chrysostomus quidem & sequaces eius Theophylactus & Oecumenius cœnam interpretantur prandium: quod idcirco cœnam vocarit apostolus, quia cœnã Domini repræsentabat. Sed huius expositionis nulla necessitas. Nam ad repræsentandam illam Domini cœnam, etiam ad vesperam celebrabatur à fidelibus hoc conuiuium; idque præmisso ieiunio: quemadmodum colligitur ex eo quod dicitur in fine capitis, *Si quis esurit, domi manducet*. Ieiunium autem ad vesperam protendebatur. Eiusdem rei quoddam adhuc vestigium vsque hodie cernitur apud monachos & canonicos, cœnam Dominicam agentes ipsa feria quinta cœnæ Domini nuncupata, non vtique tempore prandij, sed sub vesperam. Quoniam verò ad alendam inter fideles charitatem mutuam, præsertim inter diuites & pauperes, eiusmodi conuiuia ab initio plurimum conferre visa sunt; propterea Græco vocabulo ἀγαπαὶ, id est charitates, appellabantur; velut quædam fraternę dilectionis symbola: de quibus apud priscos authores frequens est mentio: & exstat insignis locus apud Tertullianum in apologetico capit. 39, vbi formam ac modum talium conuiuiorum describit. tametsi nomen hoc agaparum paulatim latius extensum fuit, vt etiam de alijs quibusdam solennibus ac publicis Christianorum conuiuijs diceretur. Qua de re Baro-

Refellitur aliquot argumẽtis.

Aliorum sententia verior.

Cœnã Dominì præcessit institutionem eucharistiæ.

Largior acceptio cœnæ Dominicæ apud nõnullos.

Cœna Dominica vnde dicta.

Non rectè prandiũ vocatur.

Vestigiũ cœnæ Dominicæ apud quos hodie.

Agapæ quæ conuiuia dicta.

nius

nius in suis annalibus multa diligenter collegit, ad annum Domini LVII. Quòd verò Primasius & ex eo Sedulius, morem illum celebrandi conuiuij, de quo loquitur apostolus, referunt ad gentilem superstitionem, prorsus est improbabile. Neque enim, si ita esset, correxisset apostolus eum morem apud Corinthios, neque vocabulo cœnæ Dominicæ honorasset: sed tanquam gentilitatis reliquias omnino sustulisset. Iam quod ad ordinem attinet huius conuiuij cum oblatione mystica; primum audiendi non sunt, qui medio conuiuio putant admisceri solitam oblationem & communionem mysteriorum: quod sectarij quidam volunt. Hoc enim est sacra cum profanis confundere. Portò Chrysostomi sententia est, tam oblationem quàm perceptionem eucharistiæ fuisse conuiuio priorem. Idem sentiunt reliqui Græci, & ex Latinis Pelagius: forte quod absurdum, & ab ecclesiæ more alienum videretur, post epulas accedere ad participationem horrẽdorum, vt ea Chrysostomus identidem appellat, mysteriorum. Sed tamen longè probabilius est id quod Augustinus insinuat in epistola ad Ianuarium ante citata: morem fuisse vt prius haberetur conuiuium illud commune; postea fieret oblatio & participatio sacræ eucharistiæ. Quamuis enim opinetur Augustinus Corinthios per abusum mensis suis sacra miscuisse: tamen, vt certo anni tempore post alios cibos eucharistia sumeretur à fidelibus, eum morem ad rationabilia maiorum refert instituta. Quod autem hoc ordine res acta fuerit in cœtibus primitiuorum fidelium, imprimis ea ratio suadet, quod vti dictum est, illa cœna quã Paulus vocat Dominicam, repræsentatio fuerit cœnæ Domini cum apostolis, & inde nomen acceperit: vnde consentaneum est, vt insignior esset commemoratio (quomodo loquitur ibidem Augustinus) celebratam fuisse eodem ordine quo Christus suam cum discipulis cœnam celebrauit. Quem profectò cõstat prius cœnasse cum discipulis: ac deinde corporis & sanguinis sui sacramenta eis tradidisse. Præterea dicit apostolus aliquos præsumere cœnam, alijs non exspectatis. Quod vtique non fieret, si (quod Græci volunt) omnes iam antè congregati eucharistiam accepissent. Ex quo satis intelligitur, conuiuium illud haberi solitum in principio, velut primum actum illius cõuentus fidelium, de quo hic agitur. Idem planè ex ijs apparet, quæ mox subijciuntur de indigna sumptione corporis & sanguinis Domini; déque probatione ante sumptionem necessaria. Nam hęc locum non haberent, si conuiuium & quę in eo peccata erant, facta fuissent post sumptam eucharistiam. Neque enim iudicatur quis indignè sumpsisse, propter peccata postea commissa. Denique sententiam hanc confirmat ea consuetudo, quæ vsque ad Augustini tempora in multis ecclesijs obseruata fuit, vt in anniuersario die cœnæ Domini, mysteria à non ieiunis sumerentur; videlicet ad imitationem & commemorationem eius quod in illa cœna factum fuerat. Meminit illius consuetudinis concilium Carthaginense tertium canone 29. Cui concilio B. Augustinum interfuisse prodit ipsius epistola 235. Canon autem sic habet: *Vt sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo cœna Domini celebratur.* Sentiunt cum Augustino quoad ordinem memoratum, cõmentatores huius loci Pelagius, Primasius, Sedulius, Haimo, Heruæus, Aquinas, Liranus, Caietanus, atque alij Latini: tametsi eorum nonnulli, nominatim Petrus Lombardus, etiam alterius ordinis ac sensus meminerint. Cæterùm mos ille sumendæ eucharistiæ post cœnam cibumue communem, excepta feria quinta cœnæ Domini, postmodum iusta ratione mutatus est ab ipsis, vt credibile est, apostolis. *Hoc enim placuit Spiritui-sancto* (verba sunt Augustini in eadem epistola cap. 6) *vt in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus; propterea prandi aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum conuenire debent. Namq; saluator, quo vehementius commenderet mysterij illius altitudinem; vltimum hoc voluit arctius infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur; vt apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum.* Sic ille. Nunc ad textus expositionem redeamus. Vestra conuiuia, inquit apostolus, ad quæ celebranda ex more conuenitis, vt quidem aguntur à vobis, haudquaquam repræsentant cœnam Dominicam: & proinde eo nomine sunt indigna. Dominus enim vnà cum suis discipulis in eadem mensa accubuit, & ijsdem cibis vsus est; quamuis ipse Dominus, illi serui essent: nec ipsum proditorem suum à communi mensa repulit. Vos autem priuatas vobis mensas facitis, & inæquale cõuiuium; qui fratres vestros & conseruos, eo quod pauperes sint, à mensis & epulis vestris excluditis: secundum id quod sequitur.

21 VNVSQVISQVE ENIM SVAM COENAM PRÆSVMIT AD MANDVCANDVM. *Suam*, Græcè, *propriam*; vt appareat antithesis inter cœnam istorum & cœnam Dominicam, quæ debebat esse communis. Argumentatur enim ab oppositis. *Ad manducandum*, Græcè, ἐν τῷ φαγεῖν, *in manducando* siue *edendo*, quemadmodum & legitur apud commentatorem Amb. id est, dum edit hoc quod vocatis cœnam Dominicam. Plerique vestrũm, inquit, pro eo quod cœnam Dominicam edere deberent, suam quisque cœnam occupant: dum videlicet edulia domi præparata, atque in ecclesiam allata, quæ debebant in commune conferre, sibi solis vendicant, alijs exclusis aut non exspectatis. Hoc enim est προλαμβάνειν,

Ordo cœnæ Dominicæ cum oblatione mystica.

Græcorũ sententia.

Aliorum sententia probabilior: quã & rationibus probatur.

Quo die mysteria aliquãdo sumpta a non ieiunis.

Vniuersalis consuetudo, vt eucharistia sumatur a ieiunis.

Cur Christus eam dederit post cœnã.

Iudas proditor admissus ad sumẽdũ corpus Domini.

Quid præsumere.

præsumere, antè seu prius sumere, quod vocant anticipare. Quidam sic; Antè comedit quàm veniat in ecclesiam: Sed obstat quod sequitur; *Nunquid domos non habetis ad manducandum* &c. Ex hac scriptura missas priuatas, vt vocantur, id est eas in quibus solus communicat sacerdos, calumniantur hæretici; quasi in ijs id fiat à sacerdote quod hic reprehendit apostolus in Corinthijs: qui Corinthij, vt Chrysostomus, atque ex eo Theophylactus & Oecumenius annotant hoc loco, cœnam Dominicam quæ communis esse debuit, priuatam fecerunt. Sed facilis est responsio; primùm, quia, sicut iam ostendimus, non de mensa mystica loquitur apostolus, sed de conuiuio, quod vel post, vti vult Chrysostomus, vel secundum alios, ante perceptionem mysteriorum celebrari solet in gratiam pauperum: idque ad imitationem quandam cœnæ Domini cum discipulis. Deinde, quia Paulus cœnam propriam seu priuatam intelligit & damnat, à qua excluduntur alij, non eam ad quam non coguntur. At missæ catholicorum priuatæ non excludunt alios communicare volentes. Imò verò optat ecclesia, vt qui missas audiunt, etiã communicent; teste concilio Tridentino sess. 22 cap. 6. Quare reprehendi non potest sacerdos, velut propriam sibi mensam statuens, si nemo alius velit accedere.

Missæ priuatæ neq; quaquã huic loco contrariæ

Quam Paulus cœnã propriã vocet

ET ALIVS QVIDEM ESVRIT, ALIVS AVTEM EBRIVS EST. Esuriebant pauperes quòd nihil attulissent, & à diuitibus negligerentur: illis interim lautè epulantibus, & tam cibo quàm potu replentibus sese supra modum. Quod enim de potu dicitur, id similiter de cibis intellige. Non est necesse ebrietatem hic ita propriè & strictè capi, quæ rationis vsum tollat: siquidem & citra deliquium rationis ebrij dicuntur homines, tam vulgo quàm more scripturæ sacræ, si præ nimio potu mens eis obnubilari ceperit. De ea re vide quæ diximus suprà ad illud capitis 5. *aut ebriosus*. Dupliciter ergo peccabatur à diuitibus in illa cœna; & quod ipsi gulæ plus satis indulgerent, & quod pauperibus quibus esse debebat cœna cõmunis, nihil aut parum impertirent.

Ebrietas quæ hic intelligatur.

Duplex peccatum diuitum.

22

NVNQVID DOMOS NON HABETIS AD MANDVCANDVM ET BIBENDVM? *Nunquid*, Græcè, μὴ γὰρ, *nũquid enim, num sanè domos* &c. Sensus: Si cœnam non vultis facere communem, sed priuatam; cur non in suis quisque priuatis ędibus comeditis & bibitis? Illic enim locus est priuatæ refectionis. Stapulensis ita vertit hanc partem: *Nunquid enim domos habetis ad edendum & bibendum?* sublata videlicet negandi particula, quam dicit intelligendam pro responsione; ac si dicat apostolus: Ad celebrandam cœnam Domini & spirituale illud conuiuium, priuatæ domus vestræ non sunt institutæ, sed locus publicus & sacer. Verùm hæc interpretatio vim facit textui, negationem è suo loco tollens, & aliò transferens: quum alioqui verba, vt ab apostolo scripta, sensum efficiant planum & perspicuum, quem dedimus.

Interpretatio Stapulensis improbatur.

AVT ECCLESIAM DEI CONTEMNITIS? *Aut* Græcè ἢ, quod æquè verti potest *an*, vti factũ ab Erasmo & alijs quibusdam: item ab interprete nostro capite præcedenti: *An æmulamur Dominum?* Ecclesiæ nomine Græci locũ intelligunt, id est domum materialem ad quã fideles diuina celebraturi conueniebant: vt hæc apostoli increpatio sit similis cum illa Saluatoris, *Domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam domum negociationis*, & *speluncam latronum*. Ioan. 2. & Luc. 19. Sic & Augustinus accepit in quæstione 57 super Leuiticum. Atque eum intellectum adiuuare videtur antithesis quam facit apostolus inter domos singulorum, & ecclesiam Dei. Veruntamen alij iuxta perpetuum ferè morem scripturæ, de ipsa fidelium congregatione dictum accipiunt, hoc sensu: An sacrum illum cœtum Christianorum, qui vocatur ecclesia Dei, quia conuocata à Deo, despicitis ac vilem habetis? per hoc nimirum, quia vacatis in eo comessationi & ebrietati. Nam ea res conuentum illũ non mediocriter dehonestabat. Sunt qui referant ad contemptum pauperum, qui erant bona pars ecclesiæ: vt de quibus admodum honorificè loquitur apostolus Iacobus epistolæ suæ cap. 2. Verùm sensus proximè datus literalior est, & conueniẽs cum superiore versu 18. Dicit autem Paulus non ecclesiam simpliciter, sed *ecclesiam Dei*: vt ostendat factum illorum in ipsius Dei iniuriam & contumeliam cedere, sub cuius nomine conuentus habebatur. Nunc sequitur de pauperum iniuria.

Ecclesia nomen accepit.

Ecclesia vnde dicta.

ET CONFVNDITIS EOS QVI NON HABENT? *Confunditis*, καταισχύνετε, *pudefacitis*. Eos, inquit, qui nihil attulerunt, eo quod non habeant quod conferant, pudore & probro afficitis coram tota ecclesia: dum vobis epulantibus coguntur esurire. Hoc enim erat pudorem illis ingerere, & inopiam quodammodo exprobrare.

QVID DICAM VOBIS? LAVDO VOS? IN HOC NON LAVDO. Græca sic habent: *Quid vobis dixero? Laudabo vos* &c. Syra similiter. Est autem varia distinctio tam in Græcis quàm in Latinis codicibus. Vna à nobis posita iuxta Romanam editionem, annuente textu Syriaco. quasi dicat apostolus: etsi in alijs laudare vos possim, & iam ante laudauerim: tamen in hoc facto laudare non possum. Altera; *Laudo vos in hoc? non laudo*. Sed parum refert vtram sequamur distinctionem; cùm sensus vtriusq; eodem recidat. Respicit autem ad id quod præfatus fuerat initio capitis: *Laudo vos quod per omnia* &c. Dixi, inquit, me vos laudare, quod per omnia mei sitis memores, & sicut tradidi vobis præcepta mea teneatis. Verùm in eo nunc cogor exceptionem facere. Nam in cœna Dominica & celebratione mysteriorum traditionem meam malè seruatis; ideoq; hac in re non laude, sed reprehensione digni estis.

Varia distinctio huius loci

23 EGO ENIM ACCEPI A DOMINO, QVOD ET TRADIDI VOBIS. *Tradidi*; non diuersum aliquid, sed hoc ipsum quod à Domino accepi. Repetit scripto doctrinam, quam verbo tradiderat de institutione sacræ eucharistiæ. Quod vtique non fecisset, si contra eam traditionem à Corinthijs non fuisset peccatum. Ex quo manifestum est, apostolis non fuisse propositum, vt omnia ad fidem Christianam pertinentia scripto mandarent: sed ea sola ab illis scripta fuisse, quæ pro rerum occasione scribenda occurrebant. Cætera remãsisse in traditionibus non scriptis. Veruntamen certo Dei consilio factum esse, vt mysterium hoc eucharistiæ etiam scripto traditum haberemus, non est ambigendum. Quod quidem adeò postulare videbatur mysterij magnitudo, vt non ab vno, sed à pluribus scriptũ exstaret. Etenim vt non satis fuit Spiritui sancto, testimonium illud Patris de Christo, *Hic est Filius meus dilectus* &c. à tribus euangelistis scriptum esse; sed etiam à Petro scribi voluit, tanquam quarto euangelista; videlicet propter excellentiam mysterij: ita nec satis ei fuit, à tribus euangelistis commemorari institutionem sacro-sanctæ eucharistiæ; sed etiam à Paulo velut quarto euangelista, voluit eam describi: quo magis tanti sacramenti fides & veneratio fidelibus esset commendata. Nec verò putauit Ioannes sibi faciendum vt scriberet, quod iam à quatuor euangelistis (Paulum dico quartum) vtpote perfecto scribarum numero, factum intelligebat. Sed iam quæres, quomodo hæc Pauli narratio cohæreat cum præcedentibus: aut quid omnino Paulum mouerit ad istius mysterij à Domino instituti descriptionem hoc in loco inserendam: quum in superioribus nihil de eucharistia dictum sit: sed tantum de eo reprehensi Corinthij, quod cœnæ Dominicæ, quam ab eucharistiæ perceptione diuersam fuisse monstrauimus, formam peruertissent. Græci interpretes omnes hanc adferunt rationem: vt exemplo Christi, qui omnes discipulos eadem mensa, ijsdemque mysterijs dignatus fuit, ne quidem ipso traditore suo remoto; doceat Corinthios, quemadmodum & ipsi Dominicam cœnam facere debeant omnibus fratribus communem. Verùm certe, ex ipso Paulo longè alia commemoratæ huius institutionis ratio colligitur. Etenim Corinthij cœnam Dominicam ita agebant, vt cõtra dignitatem ac reuerentiam sacrorum mysteriorum, quorum celebratio cœnam illam continuò sequebatur, grauissimè peccarent: vt qui ad ea participanda prorsus indigni venirent, post epulas, crapulam & ebrietatem: postque pauperũ iniuriam, & contemptum ecclesiæ Dei. Id ostendere volens apostolus, & tam grande peccatum corrigere; commemorat institutionem sacramenti; ex qua nimirum intelligatur mysteriorum magnitudo, simul & peccati grauitas, eorum à quibus illa tam indignè tractata fuissent. Hunc apostoli scopum manifestè probant ea verba quæ narrationem proximè sequuntur; & quibus illam suo applicat instituto; monens quid inter mysteria agere, & qualiter præparati ad ea sumenda accedere fideles debeant; atque terrorem incutiens eis qui malè & indignè sumere non vererentur. Est igitur verborum apostoli consequentia talis; Factum vestrum, ô Corinthij, non laudem meretur, sed seueram castigationẽ. Nam in illa mysteria dudum vobis à me tradita vehementer delinquitis. Quod vt intelligatis (videmini enim obliti traditionis meæ) repetam hoc loco ipsam sacramenti institutionẽ. Ego enim, inquit, accepi, id est edoctus sum à Christo domino. Accepisse se dicit à Domino, non per apostolos qui cum Domino in carne conuersati fuerant, aut per eorum discipulos, vt vult Theodorus Beza: qui etiam probabile putat Paulum ex euangelio Lucæ totum hunc locum desumpsisse; quum nec illud doceri possit, Lucam scripsisse ante Paulum. Ac isto sanè modo etiam Corinthij à Domino acceperant. Imò sic etiam nos à Domino accepimus, vtique per apostolica scripta & apostolicas traditiones. Sed à Domino sentit accepisse se, immediatè; scilicet per reuelationem, quomodo dicit ad Gal. 1 de suo euangelio: *Neque enim ego ab homine accepi illud, neq; didici; sed per reuelationem Iesu Christi.* Libenter hoc commemorat Paulus, vt doctrinę suæ dignitatem & authoritatem constabiliat aduersus æmulos suos & contemptores.

Non omnia ad fidem pertinentia scripto mãdata.

Eucharistiæ mysterium quomodo descriptũ à quatuor euãgelistis.

Narrationis Pauli cõnexio cũ præcedentibus quæ secundũ Græcos.

Aliter atio melior

Quomodo Paulus acceperit à Domino eucharistiæ institutionẽ.

QVONIAM DOMINVS IESVS IN QVA NOCTE TRADEBATVR ACCEPIT PANEM. Hoc, inquit, accepi & tradidi; Dominum Iesum eadem nocte, qua paulo pòst traditus fuit à discipulo proditore in manus Iudæorum, finita cum suis discipulis cœna legali, accepisse panem in manus. Meminit apostolus proditionis Christi; tum vt eius charitatem commendet, qui in proxima exspectatione tantæ iniuriæ, quam ab hominibus accepturus erat, symbola summi amoris hominibus tradiderit: tum vt indicet quanti faciendum sit hoc mysterium, quod Christus ad passionem & mortem iturus, in sui memoriam nobis extremũ reliquit. Panis quem accepit azymus erat. Quod enim hic narratur, id factum fuisse prima die azymorum ad vesperam, tres euangelistæ, Matthæus cap 26, Marcus cap. 14, & Lucas cap. 22, concorditer affirmant. Atqui illo tempore fermentatum aliquid in domibus Iudæorum ne reperiretur, grauiter interdictũ erat Exod. 12 versu 15 & 19. Sed neque Christus, quamuis legi non obnoxius, aliter omnino, quàm iuxta ritum lege prescriptum pascha cum discipulis comedisse putandus est: vt qui legis paternæ per Moysen datæ, per omnem vitam obseruantissimus fuerit: quod inter alios testatur Chrysostomus homil. 82 in Matthæum, de hac ipsa re differens, de qua nunc agimus. Quocirca malignè Græci schismatici Latinos, id est ecclesiam Romanam criminãtur, quod in azymo pane sacramentum cor-

Cur meminerit Paulus traditionis Christi

Christus consecrauit in azymo pane.

Christus paternæ legis obseruãtissimus. Græci schismatici Latinos de azymo criminãtur

poris

ris Dominici conficiant; non vt ipsi, in fermentato: stultè & contra sensum totius antiquitatis, contendentes Christum in fermentato cœnam agni paschalis celebrasse, aut certè sacramentum hoc instituisse. Quorum argumenta quæ pro suo fermentato adducũt, refellere non est huius loci. Respondent ad ea doctè & copiosè catholici scriptores, non solum Latini: verum etiam ex Græcis nõnulli: inter quos Gennadius Scholarius patriarcha Constantinopolitanus, in defensione synodi Florentinę cap. 2. Tantum illud adijcio; præcipuum Græcorum argumentum, quod petere solent ex illis verbis Ioan. 18, *Et ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha*. dilucidè iam olim solutum esse ab ipsorum præcipuo doctore Ioanne Chrysostomo scribente super Matthæum homilia 85. Tractans enim illa verba capitis 26, *At illi tenentes Iesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, vbi scribæ & seniores conuenerant:* dicit eos apud Caipham *pernoctasse vigilantes; adeò vt pascha ea nocte comedere neglexerint*. Ad quod probandum interpositis ex Ioãne verbis memoratis, ita prosequitur: *Vnde liquidò patet, cupiditate interficiendi Christum præuaricatos fuisse, ac alia die pascha comedisse. Non enim Christus tempus paschæ transgressus est: sed illi audacissimi homines, & mille transgredientes legis præcepta, quia sic inflammati erant, & sæpe conati ipsum capere, nihil facere potuerant; ex insperato nacti quod cupiebant, tempus paschæ transposuerunt, vt ardentes cæde animos suos explerent*. Hæc ille, manifestè significans Christum pascha celebrasse legitimo tempore: quo nimirum & reliquus populus: pontifices autem ne oblatam à proditore Christi perdendi occasionem amitterent, noctem illam qua pascha celebrãdum erat, transegisse consilijs aduersus Christum agitandis, & testibus conquirendis ac subornandis: pascha verò suum transtulisse in vesperam sequentem. Ita videlicet ipsi secum dispensabant (vt sic loquamur) in lege diuina: quod illis non erat infrequens. Hoc enim & Christus obiecerat Ioan. 7, *Nonne Moyses dedit vobis legem? & nemo ex vobis facit legem*. vtique loquens de lege cærimoniali: quam veluti regulam Lesbiam suis illi interpretationibus inflectebant ad affectus & commoditates priuatas. Chrysostomi sententiam Theophylactus itidem Græcus, etsi Latinis iniquior, in suo commentario super Matthęum per omnia secutus est: eandemque disertè explicat Gennadius supradictus. Sunt qui ad hoc argumentum Græcorum aliter respondeant, neq; id vno modo. Verum nobis id quod ex Chrysostomo attulimus, maximè promptum & probabile videtur.

Præcipuũ Græcorũ argumẽtum à Chrysostomo solutum.

Pontifices Iudæorũ pascha nõ suo tempore celebrarunt.

24 ET GRATIAS AGENS FREGIT. *Gratias agens*, in Græco aoristus est εὐχαριστήσας, præteriti significationem habens. Ordinem temporis exprimũt qui ita vertunt: *Et gratijs actis*, vel, *cum gratias egisset, fregit*. Significatur enim gratiarum actio præcessisse panis fractionem, nec non verborum, quæ statim recitãtur, prolationẽ. Gratias egit, haud dubium, Deo Patri: quod apertè canon missæ declarat verbis ad vtriusque symboli cõsecrationem præuijs. Vbi & hoc legitur: id eum fecisse *eleuatis oculis in cœlum*: quod & aliâs facere solet, magnũ aliquod miraculũ aggressurus: vt panes multiplicaturus, Matth. 14, & Lazarum à morte suscitaturus, Ioan. 11. Quanquam satis verisimile est id illi perpetuum fuisse, vt vel gratias agens Patri, vel orans, oculos in cœlum tolleret. Egit autem gratias Patri, tum generatim pro beneficijs ab eo vel in sua persona acceptis, vel in humanum genus collatis; tum speciatim pro beneficio sacramenti mox instituendi. Quod beneficium etsi nondum reipsa præstitum esset; præordinatum tamen sciebat & promissum à Patre, moxque exhibendum: qua ratione materies erat gratiarum actionis. Ac nihilominus coniunctam habuit hęc gratiarum actio precationem, qua dicti beneficij exhibitionem, id est, panis in suum corpus transmutationem idem Dominus à Deo Patre petebat. Quam bonam super pane precationem, euangelistæ benedictionem vocant; in eo quod dicũt Christum benedixisse. Qua de re satis egimus ad illud capitis superioris: *Calix benedictionis cui benedicimus* &c. Ab hac porrò gratiarum actione sacramentum, cuius hic institutio refertur, eucharistia vocata est: vt ipso nomine nos etiam ad agẽdas Deo gratias excitaremur. Hoc enim admoneri illa vox sacerdotis auspicaturi mysteria, *Gratias agamus Domino Deo nostro*. In quibus verbis imitatio quędã est εὐχαριστίας, id est, gratiarũ actionis, quam Christus fecit incipiens hoc mysterium: quemadmodum & illis verbis canonis: *Quam oblationem tu Deus* &c. imitatio est εὐλογίας, id est, benedictionis similiter à Christo factæ. De fractione, cuius hic mentio est, illud quæri potest, vtrùm præcesserit consecrationem panis, quem fregisse dicitur Dominus, an secuta fuerit. Sed eam rem explicãdi locus erit infrà, ad illa verba: *Quod pro vobis tradetur*.

Christus eleuans oculos in cælum.

Christus agẽs gratias Patri & pro quibus beneficijs.

Quid Christi benedictio super pane.

Vnde sacramentum hoc dictum eucharistia.

ET DIXIT. ACCIPITE ET MANDVCATE. *Dixit*, vtique discipulis suis duodecim: quos omnes & solos habebat illius epuli conuiuas. *Dixit*, inquam, *Accipite & comedite*. Quod in Græco sine copula legitur, λάβετε, φάγετε: quẽadmodum & apud Matthęum & Marcum. Sunt autem verba non tam præcipientis, quã inuitantis: tametsi hæc Domini inuitatio vim præceptionis in se continebat, apud eos ad quos dicta sunt verba.

HOC EST CORPVS MEVM. Græcè quidem alio ordine: τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, *Hoc meum est corpus*, sed absque variatione sensus. Et si qua Græca exemplaria non exprimunt verbum substantiuum (Sunt enim obseruata quædam huiusmodi;) neque sic tamen aliquid de sensu deperit: haud magis quàm in verbis calicis consecratorijs apud Lucam, vbi similiter non

Verbum est an à Christo expressũ in consecratione.

est ex-

eſt expreſſum. Nam familiare eſt Hebræis & Syris verbum ſubſtantiuum in enunciatione ſubticere & intelligere: vt veriſimile ſit Chriſtum Hebraicè aut Syriacè loquentem non addidiſſe: ſenſu nihilominus cõſtante. Quem vt percipiamus, ſciendum eſt hæc Chriſti Domini verba non ſimpliciter ac nudè enunciatiua eſſe, ſed operatoria; quibus nimirum id quod ſignificabat effecit. Non enim per ea Chriſtus intendit affirmare, panem quem manibus tenebat, eſſe corpus ſuum; quæ affirmatio (niſi quis hypoſtaticam hic fingat vnionem panis & corporis Chriſti, prorſus abſurdam & prioribus ſæculis inauditam) manifeſtè falſa foret: ſed intendit ac voluit his verbis aliquid operari, id eſt, ex pane corpus ſuum efficere; & hoc ipſum ijſdem verbis ſignificare. Vnde & Ambroſius lib. 4 de ſacramentis cap. 4, ſermonem hunc Chriſti vocat operatorium; ſicut operatorius fuit ſermo quo in principio fecit omnia. Et quidem potuiſſet Dominus ad efficiendum quod hic ſignificatur, vti verbo imperatiui modi dicendo, ſit, aut fiat hoc corpus meum: quomodo dixiſſe legitur in geneſi mundi, *Fiat lux*; & quomodo dixit operans in carne miracula; *Mundare*, *Surge*, *Reſpice*, Luc. 5, 7, 8 & 18. *Lazare veni foras*. Ioan. 11. Verùm ad confirmandam fidẽ eorum qui ſumpturi eſſent hoc ſacramẽtum, affirmatiuo ſermone, eóque præſentis temporis vti maluit: vt ne quis dubitaret ſimul cum verbo prolato illud eſſe, quod ipſa veritas Chriſtus enunciando affirmaret. Nam & aliàs interdum, miracula faciens legitur ad hunc modum locutus: vt quando dixit, *Filius tuus viuit*, Ioan. 4. *Mulier dimiſſa es ab infirmitate tua* Luc. 13. Quibus vtique verbis Dominus id quod enunciabat, operabatur. Sed & nos, ſi poteſtatem haberemus tranſmutandi rerum naturas, ſimili modo poſſemus conuenienter loqui: velut accepto lapide dicere, hic eſt panis; & accepta aqua, hoc eſt vinum. Itaque non maior eſt difficultas de intellectu verborum Chriſti; quàm eſſet de intellectu ſimiliũ verborum à nobis prolatorum. Cùm enim, vt dictum eſt, operatoria fuerint ea Chriſti verba, & idipſum quod operabantur ſignificantia, (id autem erat tranſmutatio panis in corpus Chriſti:) non poterat pronomen *(hoc)* monſtrare panem, quamuis ipſa prolatione durante adhuc ibi exiſtentem; ſed monſtrabat id quod per verba fiebat ex pane, quódq; completa verborum ſignificatione, ſcilicet in termino prolationis, ibi futurum erat, id eſt, corpus Chriſti; vt ſenſus loquentis hoc modo reddi poſſit; Id quod ex hoc pane facere intendo, & facio, eſt corpus meum. Vel, quod eodem redit, iſto modo: Hæc res ſingularis quam demonſtro (nimirum pro tempore completæ enunciationis) eſt corpus meum. Nam demonſtratio eſt rei ſingularis. Fit autem verificatio pro ea re cui competit prædicatum: non quidem durante pronunciatione, quando ſermo eſt operatorius, ſed ea completa: quod omnibus orationibus operatorijs eſt cõmune. Et hic ſenſus per priorem explicatur. Ex his etiam liquet, verbum *eſt* in hac enunciatione & quauis ſimili retinere propriam & conſuetam ſignificationem: ſicut & in verbis quibus calix conſecratur. Nam ſic exponere, *Hoc eſt corpus meum*, id eſt, hoc ſignificat corpus meum, hæreticorum eſt commentum iam olim ab eccleſia damnatũ. Neque enim verbum *eſt* vſquam accipitur, vt idem valeat quod ſignificat: quemadmodum oſtendimus ſuprà ad illud capitis 10, *Petra autem erat Chriſtus*. Et ſi ſic aliquando caperetur, tranſlatiuum eſſet verbum: & proinde caſum obliquum regere deberet; veluti quum ſumitur pro comedit, vt apud poëtam: *Eſt flamma medullas*: itaque pro verbis, *Hic eſt ſanguis meus*, vertendum eſſet, Hoc eſt ſanguinẽ meum. Quæ ſunt abſurda. Denique nec conſtat verbum *eſt* à Chriſto prolatum fuiſſe, vt ante docuimus. Igitur alij plerique ad metonymiam confugiunt, qua ſignum pro re ſignificata ponitur: ſenſum huiuſmodi facientes; *Hoc eſt corpus meum*, id eſt ſignum, typus ac figura corporis mei. quaſi non ſimili interpretatione, vt alias ſcripturas taceam, peruerti poſſet illud Dei Patris de Chriſto teſtimoniũ, *Hic eſt Filius meus*, dicendo ſenſum eſſe, Hic eſt typus & imago quædam Filij mei. Nimirum in iſtos veriſſimè competit quod ſcripſit Auguſtinus lib. 3 de doctrina Chriſtiana capit. 10, dicens: *Si* quorum *animum præoccupauit alicuius erroris opinio, quicquid aliter aſſeruerit ſcriptura, figuratum arbitrantur*. Sanè cum in his Domini verbis quæ tractamus, non magis repugnantia ſit inter prædicatum & ſubiectum, quàm in verbis illius teſtimonij paterni (non enim ait, Panis eſt corpus meum, ſed, *Hoc eſt corpus meum*): ſicut illa propriè, ſic & iſta propriè ſunt intelligenda; cum eo tamen diſcrimine, quod alter ſermo ſit æternæ veritatis, alter operatorius eius quod antè non erat: quemadmodum intellexerunt omnium ſæculorum orthodoxi patres atque ſcriptores. Omitto cæteras aduerſariorum expoſitiones (ſunt enim complures ac variæ) in id conſpirantes, vt panem piſtorium in ſacramento retineant, & veritatem tranſmutationis eludãt. Quibus omnibus nunc mihi ſatis ſit opponere ſynodum œcumenicam Tridentinam, quæ ſeſſ. 13 capite 1, inter alia docet ac declarat ex traditione totius antiquitatis, Chriſtum *redemptorem noſtrum in vltima cœna* quam cum diſcipulis habuit, *poſt panis viniq; benedictionẽ, ſe ſuum ipſius corpus ac ſuum ſanguinem illis præbere, diſertis ac perſpicuis verbis* teſtatum eſſe. *Quæ verba*, inquit, *à ſanctis euangeliſtis commemorata, & à diuo Paulo repetita, cum propriã illam & apertiſſimam ſignificationem præ ſe ferant, ſecundum quam à patribus intellecta ſunt; indigniſſimum ſanè flagitium eſt, ea à quibuſdam contentioſis & prauis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & ſanguinis Chriſti negatur, contra vniuerſæ eccleſiæ*

ſenſum re-

Verba Chriſti operatoria.

Vnio hypoſtatica panis & corporis Chriſti figmentum eſt.

Cur Chriſtus in cõſecratione non vſus verbo imperandi.

Pronomẽ hoc in verbis Chriſti quid mõſtret.

Refelluntur exponentes eſt per ſignificat.

Refelluntur qui corpus pro ſigno corporis poſitũ dicũt.

Verba cõcilij Tridentini notanda.

Corpus in verbis cõsecrationis quid significet.

sensum detorqueri, & quæ sequuntur. Porrò nomine corporis in Christi verbis significatur non tota hominis substantia, sicut nonnulli malè senserunt: sed altera substãtiæ pars, scilicet materialis & solida; quæ non solùm ab anima, verùm etiam à sanguine distinguitur. Sanguinis enim consecratio seorsum ac peculiaribus verbis perficitur. Et proinde nec sanguis illic exsistit sub specie panis, nec corpus sub vini specie, ex virtute verborum quibus consecrantur panis & vinum: sed tantum *vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius morituras, inter se copulantur.* Quod idem de anima Christi dicendum, respectu vtriusque speciei. Nihil enim est in huius sacramenti materia, quod in animã transmutetur; ac certè multo minus quod in diuinitatem: quæ tamen etiam in illo sacramento speciali ratione exsistit, nimirum *propter admirabilem ipsius cum corpore & anima Christi hypostaticam vnionem:* quomodo rem istam totam explicat Tridentina synodus cap. 3 supradictæ sessionis. Iam quod illis verbis, *Hoc est corpus meum* non solum ipse Christus panẽ consecrauerit in corpus suum; verùm etiam ex eius institutione id faciant ad hodiernum vsque diem, sacerdotes eius ministri; manifestum est ex eo quod Christus discipulos suos, & consequenter eorum in administrandis sacramentis successores, facere voluit ac iussit hoc quod ipse fecerat; dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*. Atque ea semper fuit ecclesię catholicæ mens & doctrina, Græcis consentientibus in concilio Florentino sessione vltima, declarata; non obstante diuersa quorundam Græcorum schismaticorum opinione: qui non verbis illis enũciatiuis à Christo prolatis, aut certè non solis, sed precibus quibusdam post ea verba à sacerdote recitatis, consecrationem fieri contendebant. Quorum argumenta videre est apud Nicolaum Cabasilam & Marcum Ephesium, opinionis assertores præcipuos. Sed ea doctè refellit ac dissoluit Cardinalis Bessarion in libro cui titulus: Quibus verbis eucharistia consecretur: vbi & sanctorum patrum adducit testimonia tam Græcorum quàm Latinorum, quibus veram & catholicam sententiam confirmet. Verùm huius quæstionis, vt & aliarum quæ circa hæc Domini verba moueri solent, exactior est tractatio ad dist. 8 lib. 4. sentent.

Quomodo sanguis sub specie panis, & corpus sub specie vini.

Anima & diuinitas Christi quomodo in hoc sacramẽto.

Sacerdotes consecrant ijsdem verbis quibus Christus.

Quorundam Græcorum diuersa opinio erronea.

QVOD PRO VOBIS TRADETVR. Scilicet in mortem. Hunc quidem sensum palàm exigit nostra lectio, quæ est in omnibus codicibus Latinis: vt traditionem intelligas, non qua Iudas, aut Iudæi, aut Pilatus tradiderunt Dominum: sed qua Dominus à seipso traditus est in mortem, iuxta scripturas Isa. 53, Galat. 2, Eph. 5, 1 Pet. 2. vt his verbis immensa charitas ipsius erga genus humanum insinuetur. Et quidem apud Lucam huius loco legitur, *quod pro vobis datur*. Cæterum alij euangelistæ nihil addunt verbis prioribus, vt nec canon liturgicus. At verò sciendum exemplaria Græca hoc loco constanter habere, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον *quod pro vobis frangitur*. Quibus & Syra consentiunt, & liturgia Basilij, nec nõ quæ feruntur liturgiæ Iacobi & Marci. Item textus commentarij Ambro. secundum priores editiones. Citat & Beda Pauli locum in commentario Luc. 22, his verbis: *Hoc est corpus meum quod pro vobis confringitur*; ne mentione quidem alterius lectionis quæ nunc codices occupauit, facta. Quæritur ergo quænã hæc sit fractio corporis Christi de qua, secundum codices & authores allegatos, Paulus loquitur. Quidam ex sectarijs significari putat corporis & animæ Christi separationem in cruce, quando mortuus est. Verùm ineptè. Nam si corpus frangitur, quia separatur ab anima: frangitur & anima, quia separatur à corpore. Caietanus quoque fractionem hanc refert ad passionem Christi subsequentem, sed ratione probabiliori. Dicit enim in passione *verum Christi corpus multipliciter fractũ fuisse. Nam & fractum fuit*, inquit, *quantum ad cutem, quando flagellatus est: & quatum ad carnem in manibus & pedibus cruci affixis; ac demum in latere lancea perforato.* Nec obstare vult Caietanus verbum præsentis temporis: quum tres euangelistæ referentes verba consecrationis calicis, iuxta Græcorum lectionem, æquè vtantur præsentis temporis participio ἐκχυνόμενον *qui effunditur*. Quod tamen, vt idem scriptor existimat & supponit, ad effusionem sanguinis Christi, quæ facta est in eius passione, referri debeat. Porrò communem vtriusque verbi seu participij præsentis pro futuro positi, rationem hanc reddit: vt significaretur *huiusmodi fractionem & effusionẽ non distantem tempore, sed tanquam præsentem esse:* eo quod paulo pòst esset futura. Fauere videtur huic commentario locus apud Augustinum in tractatu de quarta feria, vbi inter cætera sic alloquitur animam Christianam: *Mensa tui sponsi panem habet integrum & calicem sanctum: quem panem etsi fractum comminu umq; vidimus in passione, integer tamen mansit in sua cum Patre indiuidua vnitate*. Beda quoque loco proximè citato passionem Domini fractionem corporis eius vocat: *Frangit ipse panem*, inquit, *quem porrigit, vt ostendat corporis sui fractionem non sine sua sponte futuram; sed, sicut alibi dicit, potestatem se habere ponendi animam suam, & iterum sumendi eam*. Sic ille. Veruntamen nobis expositio Caietani non omnino solida videtur; primùm, quia durus & insolens est sermo, quo corpus hominis frangi dicitur, quia flagellatur aut pungitur, aut membrum aliquod eius perforatur: præsertim si nulla contingat ossium fractio. Quã in Christo patiente nullam fuisse nos docet veridica scriptura ab euangelistis citata, *Os non comminuetis ex eo*, Exod. 12, Ioan. 19. vt proinde nec cranium capitis eius à spinis impositis & impressis fuisse perforatum, probabile putemus. Deinde refellitur eo ipso argumento

Christus à seipso traditus in mortẽ.

Græca lectio, quod pro vobis frangitur

Expositio cuiusdam inepta.

Expositio Caietani.

Dicta expositio parum solida.

An caput Christi spinis perforatum.

mento quod pro ſe Caietanus adducit. Nam euangeliſtas vtentes verbo præſentis temporis, *qui effunditur*, non reſpicere ad effuſionem ſanguinis futuram in cruce, ſed ad eam qua ſub ſpecie vini fundebatur in cœna, ſcilicet è calice in ora diſcipulorum: oſtenditur ex verbis quæ ſunt apud Lucam. In quibus illud, *qui pro vobis effunditur*, non poteſt ad ſanguinem referri; videlicet caſu manifeſtè repugnante in Græco: ſed neceſſariò refertur ad calicem, τὸ ποτήριον τὸ ἐκχυνόμενον, *poculum quod effunditur*. Quod vtique non in cruce effuſum eſt, ſed in cœna. Quare ſimiliter hæc verba, *quod pro vobis frangitur*, ad eam fractionem quæ in cœna facta eſt, referri conuenit: in quem ſenſum & Græci interpretes hunc locum acceperunt. Dicitur autem frangi corpus Chriſti recepta & conſueta apud eccleſiaſticos authores locutione, quia ſpecies panis ſub quibus continetur, franguntur: nimirum ea ratione qua quæ circa ſpecies contingunt, fieri dicuntur circa corpus, vel in corpore Chriſti; quod ſpeciebus ſingulari quodam modo coniunctum eſt. Quoniam ergo propriè panis dicitur frangi, quando manibus diuiditur, idque phraſi in ſcripturis admodum frequentata; fit vt pane tranſmutato, fractio quæ fit in ſpeciebus, attribuatur corpori Chriſti, ſiue ſub nomine panis, vt ſuperiori capite; *Panis quem frangimus* &c. & in Actis apoſtolorum aliquoties: ſiue ſub nomine corporis Chriſti, vt in confeſſione Berengariana priore, qua dicitur Chriſti corpus *in veritate manibus ſacerdotum tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri*. Dicit autem Dominus, *quod pro vobis frangitur*; eo quod fractio corporis in ſacramento, myſtica quædam repræſentatio ſit paſſionis eius quam pro nobis ſuſtinuit in cruce: vt panis fractus intelligatur ille qui in cruce *attritus eſt propter ſcelera* noſtra, Iſa. 53. Et hoc voluit Auguſtinus, quando dixit panem fractum & comminutum in paſſione. Reſpicit enim ad fractionem panis in ſacramento, quæ ſignificat, vt dixi, Chriſti paſſionem in cruce. Nec tamen dicit Chriſtum aut corpus eius fractum & comminutum, ſed panem: conſueto videlicet vtens ſermone: quemadmodum & Ignatius martyr in epiſtola ad Philadelphienſes: *Vnus ſanguis*, inquit, *qui pro nobis effuſus eſt: Vnus etiam panis omnibus confractus* ſeu *comminutus eſt*, Græcè ἐθρύφθη. Cæterùm Beda quidem Domini paſſionem fractionem corporis eius appellat, non tamen exponens verba Pauli, ſed tantum indicans myſterium fractionis, de qua loquitur euangeliſta: atque ipſo nomine fractionis ad illud alludēs. Nam, quod notandum eſt, propter huius ſignificationem myſterij fit vt eadem fractio quandam incruenti ſacrificij, quod Chriſtus in hac ſacramenti inſtitutione offerebat, partem conſtituat. Id quod S. Thomas docet 2 2 quæſt. 85, art. 3 ad 3, vbi recenſens actiones in quibus euchariſtiæ ſacrificium conſtit, etiam fractionem nominat. Huius rei argumentum eſt, quod pro participio κλώμενον *quod frangitur*, ſcripto à Paulo, Lucas eius diſcipulus ſcripſerit διδόμενον, *quod datur*, id eſt offertur, vtique *pro vobis*, quod vterque expreſſit. Ex quo intelligitur fractionē iſtam ad ipſam oblationem ſeu ſacrificium pertinere, velut partem eius aliquam. Vnde qua ratione Lucas refert Dominum dixiſſe de corpore ſuo conſecrato, *quod pro vobis datur*: Paulus memorat eum de eodē dixiſſe, *quod pro vobis frangitur*. Totum nāq; ſacrificium ſecundum omnes ſuas partes propiciatorium eſt, valens ad ſalutem, & peccatorum remiſſionem, eorum pro quibus offertur. Verùm & de hac re plura diximus ad diſtinct. 12 lib. 4 Sentent. Quæritur autem, vtrùm fractio in his Domini verbis ſignificata, ſit eadem cum fractione de qua Paulus antè, & tres euangeliſtæ, quando commemorant Chriſtum panem acceptum fregiſſe. Sanè dici poteſt eandem eſſe. Nihil enim eſt in tota narratione, vel in textu Græco, quod repugnet: tametſi nonnulli duplicem faciunt fractionem: alteram conſecratione priorem in partes maiores; alteram poſteriorem in partes minores: ſed ſine neceſſitate: quandoquidem verbum *fregit*, quod apud omnes eſt, facilè referri poteſt ad tempus prolationis verborum, quibus dictum eſt, *quod pro vobis frangitur*: vt actionum Chriſti Domini in hoc ſacramento fuerit hic ordo, conſecrare, frangere, diſtribuere: qui idem eſt earum actionum ordo, quum fiunt à ſacerdote miniſtro: quemadmodum cenſet ac bene explicat Cardin. Beſſarion in libro cuius ſuprà memini.

HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM. Græcè quidem eſt, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, *in meam commemorationem*, ſeu recordationem: quia apud Græcos *meam* & *mei* non differunt. Latinè tamen potius diceretur, *in mei commemorationem*: ſicut Eraſmus vertit textum. Ambr. & annotationem Vallæ ſecutus; ſicut & in canone miſſæ legitur, *in mei memoriam facietis*. Referuntur hæc eadem verba à Luca; & hunc habent ſenſum: Quod ego nunc facio, quodque vos me iubente nunc facitis: id ego deinceps à vobis & ſucceſſoribus veſtris, cæteriſque fidelibus fieri volo: idque in mei commemorationem, id eſt, recolentibus memoriā paſſionis & mortis meæ pro vobis. Sic enim hanc commemorationem ſtatim ipſe Paulus exponit, ijs verbis: *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc & calicē bibetis, mortē Domini annunciabitis*. Illud tamē ſciendū, non omnes actiones præcepto quo dicitur, *Hoc facite*, cōprehēſas pertinere ad omnes fideles; ſed alias quidē præcipi diſcipulis, in quibus eorum etiam ſucceſſores intelliguntur; alias verò fidelibus in vniuerſum. Nam diſcipulis tanquam futuris deinceps Chriſti miniſtris ac vicarijs præcipitur, vt id faciant quod Chriſtus: id eſt, conſecrent, offerant, alijſque diſtribuant corpus

Calix effuſus pro nobis in cœna.

Verior interpretatio fractionis.

Corpus Chriſti quo ſenſu frangatur in euchariſtia.

Fractio panis conſecrati quid ſignificet.

Fractio pars quædam ſacrificij incruenti.

Totum ſacrificiū tam incruentum quam cruēntum propiciatoriū eſt. Quæ fractio hic intelligatur.

Quid facere in Domini commemorationem.

Quæ actiones ad ſacerdotes pertineant, & quæ ad cæteros fideles.

Domini; simulq; cum præcepto potestas datur hęc faciendi. Vnde & noui testamenti sacerdotes hoc verbo constituti sunt: non quod verbum *facite* sit idem quod sacrificate, quomodo nonnulli illud interpretati sunt, plane præter mentem scripturæ. (Nam & in eo quod in canone dicitur, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis:* facere nequaquam nisi coactè, per sacrificare potest exponi.) Sed quod eo verbo data sit potestas faciendi ea quæ Christus fecit; inter quæ procul dubio numeranda venit oblatio sacrificij secundum ordinem Melchisedec. Simul autem cum potestate præceptum huiusmodi fuisse datum, declarat synodus Tridentina sess. 22 cap. 1, cùm ait Christum *apostolis suis, quos tunc noui testamenti sacerdotes constituebat, eorumq; in sacerdotio successoribus, vt offerrent præcepisse, per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem:* addens ita semper ecclesiam Catholicam intellexisse & docuisse. Iam quod eadem verba secundum aliquas actiones, etiam ad cæteros fideles pertineant, quatenus scilicet in eis includitur præceptum accipiendi & edendi, idque in memoriam passionis Dominicæ; perspicuum est ex illis sequentibus apostoli verbis, *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc*, &c. quibus explicans hæc Christi verba ad discipulos dicta; *Hoc facite in meam commemorationem*; ea refert ad totam quam alloquitur ecclesiam Corinthiorum. Quæ non esset conueniens explicatio, si non ad omnes fideles ea verba pertinerent, sed ad solos sacerdotes. Idipsum patet ex canone missæ, in quo sacerdos post verba paulo antè citata, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*; statim inferendo subiungit, *Vnde & memores Domine nos serui tui, sed & plebs tua sancta*, &c. Nec moueat verbum *offerimus*, quod sequitur. Nam & actum offerendi non prorsus à laicis remouemus. Offerunt enim & illi suo modo, scilicet per ministerium sacerdotum pro ipsis offerentium: cui ministerio fidem, consensum ac deuotionem suam adiungunt; secundum illud quod in priori parte canonis dicit sacerdos: *Quorum tibi fides cognita est & nota deuotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*. Qua ratione & in lege veteri populus offerre dicebatur: vt Leuit. 17 versu 4. Num. 9 versu 13. 2 Paralip. 30 ver. 15. Ad eum ferè modum quem dixi, partem istam *Hoc facite*, explicat, & adductis patrum testimonijs illustrat Ioannes Hesselius in libro de communione sub vnica specie, tractatu 1 responsione ad quartum argumentum. Cuius authoris sententiam refert & laudat cardinalis Bellarminus libro 4 de eucharistia cap. 25. Porrò quod ex vocabulo commemorationis argumentantur hæretici, non esse institutum hoc sacramentum vt esset sacrificium, nec vllam vim habere propiciandi nos Deo: perfacilè refutatur. Non enim in solam ac nudam commemorationem institutum est; sed vt esset commemoratiuum sacrificium; & quidem tale per cuius oblationem, commemorando beneficium mortis Christi qua redempti sumus, copiosiorem eiusdem redemptionis effectum consequeremur. Quod sciens & agnoscens ecclesia, Deum in ipsius celebratione sacramenti sic orat: *Concede nobis hæc dignè frequentare mysteria: quia quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur*. & aliàs oratione ad Christum conuersa: *humiliter deprecamur, vt quæ in tui commemoratione nos facere præcepisti, in nostræ proficiant infirmitatis auxilium*. Dominica 9 & 22 post pentecosten. Sanè eodem argumento concludet aduersarius nullum in veteri lege fuisse sacrificium: nec propiciatoria tantum, sed & pacifica & holocausta excludet. Siquidem omnia vel ad commemorationem acceptorum beneficiorum, vel saltem ad significationem & spem futurorum, instituta fuerunt.

25 SIMILITER ET CALICEM POSTQVAM COENAVIT. Hic iam describit institutionem alterius partis huius sacramenti & sacrificij. *Similiter*, inquit, id est, simili ritu & ordine (Græcè ὡσαύτως, *ad eundem modum*) *& calicem* in quo vinum continebatur, accepit in manus suas, *postquam cœnauit*: pro quo legitur in canone missæ, *postquam cœnatum est*. Quod autem de calice dicit accepto & consecrato post cœnam; idem & de pane intelligendum admonuimus suprà, cùm de vocabulo cœnæ Dominicæ ageremus. Quæri tamen potest, cur Paulus (de Luca & canone eadem quæstio) hanc temporis determinationem, *postquam cœnauit*, non apposuerit cùm de pane loqueretur, sed hic tantum vbi de calice: quasi nimirum panis ante peractam cœnam consecratus fuisset. Ac scrupulum auget, quod Matthæus de panis consecratione loquens dicit, *cœnantibus illis*, siue, vt in Græco est apud Matthæum & Marcum, *edentibus illis*. Mouerunt hæc argumenta S. Thomam, vt putaret Christum tradidisse suum corpus discipulis inter cœnandum: sanguinem verò post cœnam. Cuius etiam rei rationem quandam mysticam reddere conatur. At certè multo verisimilius est quod diximus, vtrumque post cœnam datum fuisse. Nam quod ex Matthæo & Marco obijcitur, rectè sic intelligitur; *cœnantibus*, siue *edentibus*, id est quando tempus cœnæ seu refectionis vespertinæ adhuc durabat, mensa videlicet nondum ablata. Quod totum tempus interdum nomine cœnæ comprehendi, dicto loco ostendimus. Ad priorem verò dubitationem nihil apparet probabilius responderi posse, quàm Paulum, Lucam, & canonis authorem, in calice commemorando peculiariter adiecisse mentionem cœnæ peractæ, vt distinguerent hunc calicem à priore de quo solus Lucas meminit: quem

An facere idē quod sacrificare.

Potestas offerendi sacrificij data apostolis in cœna.

Offerre sacrificiū quomodo laicis cōpetat.

Soluitur obiectio petita ex vsu commemorationis.

Quæstio de tempore calicis oblati.

Responsio quædam minus probanda.

Alia sententia melior.

Obiectionum solutio.

Christus

Christus in cœna agni paschalis immolati, velut libamen illius sacrificij legalis, à se prægustatum ac discipulis propinatum, ire iusserat in orbem mensæ, vt omnes ex eo biberent. Hanc rationem adferunt & bene explicant Caietanus & F. Lucas in commentarijs super Lucæ caput 22. Præter hos autem distinguunt apud Lucam duos calices Hieronymus scribens in Matthæi caput 26, Beda & Theophylactus in caput Luc. 22. Quorum sententiam probant Io. Hesselius in commentario super Matthæum, & Arias Montanus super Lucam; vbi ritum bibendi illius poculi legalis, ex Iudæorum traditione declarat: item cardinalis Bellarminus libr. 1 de eucharistia capit. 11, & alij nonnulli. Notandum obiter, quem noster interpres in Paulo & apud euangelistas calicem vocat, ab illis communi vocabulo ποτήριον dici, id est poculum; quod & in textu commentatoris Ambros. legitur. Nam calix, Græcè κύλιξ, certum poculi genus est.

Calix idē quod poculum.

DICENS: HIC CALIX NOVVM TESTAMENTVM EST IN MEO SANGVINE. Apud Lucam rursus eadem sunt verba: nisi quod ille verbum *est* subticuit, Paulus expressit; ac vicissim ille addidit, *qui pro vobis effunditur*, quod Paulus omisit. Porrò quod antè diximus de verbis illis, *Hoc est corpus meum*, ea non esse simpliciter enunciatiua, sed operatoria eius quod enunciant; idem pariter & de his verbis dicendum. Intendit enim per ea Dominus aliquid operari, id est, ex vino sanguinem suum efficere, & hoc ipsum ijsdem verbis significare. Quamuis autem hæc verba, non solùm propter metonymiam qua cōtinens pro contento sumitur in vocabulo *calicis*; verùm etiam propter casuum variationē in cæteris, ipsumque verbum *est* à suppositō suo diuulsum, non minimam obscuritatē habeant: sensus tamen eorum haud difficulter accipi poterit, tum ex collatione verborum quibus panis in corpus Domini consecratur, quæ vtique plana & aperta sunt apud omnes; tum ex Matthæo & Marco, qui verba consecrationis calicis ista referunt; *Hic est sanguis meus noui testamenti:* pro quibus hęc in canone missæ leguntur: *Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti:* ac demum ex collatione verborum quæ Moyses in sanctione veteris testamenti locutus est ad populum, Exo. 24, dicens: *Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum.* Est igitur sensus istiusmodi: Id quod hoc poculo continetur, est sanguis meus, in quo, id est per quem, nouum testamentum sancitur & confirmatur. Etenim sicuti vetus testamentum confirmatum fuit effusione sanguinis vitulorum, eiusque in populum respersione; quemadmodum Exo. capite iam citato refert Moyses: ita nouum testamentum Christus, velut noui testamenti mediator, cōfirmauit ac ratum fecit effusione sui sanguinis, in populos sacramentaliter distribuendi: quam distributionem significauit ea quæ primum facta est in discipulos; tanquā semina quædam populorum qui postea credituri erant. Vocatur autem nouum testamētum ea promissio, qua Deus spiritualia bona, id est, fidem, spem, charitatem, veniam peccatorum, legis obedientiam, perseuerantiam, & vitam æternam electis suis se daturum promisit: quomodo vetus testamentum dicitur pactum Dei quod inijt cum Israëlitis, vt, si legem à se datam seruarent, temporalium bonorum abundantiam eis retribueret. Illud nouum appellatur, tum ratione temporis, quia nouissimis temporibus mundo propalatum est; tametsi iam olim & ab initio reuelatum, & ex parte præstitum electis: tum quia per nouum Adam, in cuius sanguine dedicatum est, ac nouo modo, id est gratis, hominem ex vetere facit nouum. Hoc autem vetus; tum quia priori tempore manifestatum fuit: tum quia peccati vetustatem ab homine non abstulit, sed occasione legis datæ potius auxit. De vtroque testamento locus est apud Ieremiam capit. 31, repetitus à Paulo in epistola ad Hebræos cap. 8. vbi Deus priori testamento reprobato, prædicit ac promittit nouum, id est effectus noui testamenti passim toto orbe multiplicandos. De quibus consule B. Augustinum libro de spiritu & litera cap. 19 & aliquot sequentibus. Est autem inter hæc duo pacta seu promissiones etiam illud discrimen: quod etsi pacti nuncupatio magis propriè competere videatur in vetus quàm in nouum: è diuerso tamen nouum magis speciali ac propria ratione testamentum dicitur quam vetus. Nam testamentum propriè dictum non confirmatur nisi morte testatoris: quemadmodum docet apostolus Heb. 9. Id autem factum à Christo; per cuius mortem & sanguinem aditus ad æternam hereditatem nobis patefactus est: cum alioqui vetus illud pactum non in ipsius testatoris, id est Dei qui mori non poterat, sed brutorum animalium morte & sanguine confirmatum esset. Verùm de significatione Græci vocabuli διαθήκη, pro qua testamentum vertunt interpretes, nec non de Hebraico ברית berith eis respondente, plura dicturi sumus partim in commentario Gal. 3 versu 15, partim ac plenius Heb. 9, versu 17. Quæret aliquis, an his Domini verbis ab apostolo positis fieri possit consecratio calicis. Negat hoc Thomas tam hoc loco, quàm in summa Theologica, parte 3 quæst. 78. artic. 3. idque non solum de verbis quæ referunt Paulus & Lucas, sed etiam de ijs quæ Matthæus & Marcus. Opinatur enim solis illis verbis fieri consecrationem, quibus ecclesia in canone missæ vtitur ex traditione apostolica: ac simpliciter ea omnia arbitratur ad consecrandum calicem esse necessaria sacramenti necessitate. Verùm si ita esset, præter alia sequeretur illud absurdi, Græcos sacerdotes qui ex vetusta patrum traditione diuersum à Latinis habent canonem, nec omnibus ijsdem

Nouum testamentū quod dicatur.

Itē vetus.

Vnde hoc nouum & illud vetus.

Discrimē inter duo pacta quæ vocantur testamēta

Quæstio.

Responsio Thomæ negatiua.

Oppugnatur.

Sensus verborum consecrationis calicis apud Paulum. Vtrūque testamētum sanguine cōfirmatū.

quibus Latini verbis ad conſecrationem calicis vtuntur; idque permittente & approbante Romana eccleſia: neque nunc, neque prioribus ſęculis ante ſchiſma, verè & efficaciter calicem conſecraſſe. Quo præcipuè motus argumento Caietanus à ſui doctoris opinione palàm recedit. Proinde non videtur vlla ratione dubitandum, quin ad conſecrationem calicis ea ſaltem verba ſufficiant quæ vel apud Paulum, vel apud quemlibet leguntur euangeliſtarum, vel quę habentur in liturgijs Græcorum: imò & probabile eſt admodum, hæc ſola ſufficere, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, vel, *Hic eſt ſanguis meus*; quemadmodum ad panis conſecrationem ſufficiunt iſta, *Hoc eſt corpus meum.* Continent enim vtraque totam ſignificationem eius quod efficitur. Quæ non ſolum Caietani ſententia eſt, ſed communis fermè omnium ſcholaſticorum, tam antiquorum, vt Alexandri, Alberti, Bonauenturæ, quàm recentiorum, Gabrielis exponentis canonem, & aliorum. Quanquam quod ad præcepti neceſſitatem attinet, tenetur vnuſquiſque ſacerdos in conſecrando corpore & ſanguine Domini ijs vti verbis, quæ ſibi ex traditione ſuæ eccleſiæ præſcripta habet; eſtque eadem ratio de azymo pane & fermentato. Sed de his ex profeſſo diſputatur in 4. ſent. diſt. 8.

Affirmatiua reſponſio ſine dubio vera.

Nota.

HOC FACITE, QVOTIESCVMQVE BIBETIS, IN MEAM COMMEMORATIONEM. *Bibetis*, πίνητε *biberitis. In meam*, ſeu *mei commemorationem*, expone quomodo ſuperiùs; ad recolendam memoriã paſſionis & mortis meæ. Quæ quidem expreſſius repręſentatur per calicem ſanguinis ſeorſim à corpore conſecratum & acceptum, quàm per ſolam conſecrationem & ſumptionem corporis Chriſti. Reſtringitur autem verbum *facite* per hoc quod additur, *quotieſcumque bibetis*, ad vnam actionem: quæ eſt bibere. Cæterùm ex eo quod hic non abſolutè dictum eſt, *Hoc facite in meam commemorationem*, ſicut abſolutè dictum fuerat poſt conſecrationem corporis; ſed cum determinatione, *quotieſcumque bibetis*; non improbabile ſumunt argumentum catholici ſcriptores, quo doceant vſum calicis non omnibus fidelibus eſſe neceſſarium. Non enim ſine cauſa Paulus, in quo ſpiritus Dei loquebatur, eam determinationem ſpecialiter adiecit hoc poſteriore loco. Nec verò apparet alia cauſa, quàm vt inſinuaret non eandem vtriuſque ſpeciei paſſim à fidelibus ſumendæ eſſe rationem: eo quod multæ cauſæ poſſint occurrere, quæ ſuadeant aut cogant à ſpecie vini abſtinendum eſſe: quas hic ſingulatim referre non eſt opus. Hac igitur parte non continetur præceptum hoc faciendi, id eſt, de calice bibẽdi: ſed præcipitur, vt quoties & quãdocumque de hoc calice biberent, in Domini cõmemorationem id facerent. Nunc ſequuntur verba Pauli, quibus commemorationem à Chriſto præceptam explicat.

Argumẽtum pro ſumptione ſub vtraque ſpecie.

26 QVOTIESCVMQVE ENIM MANDVCABITIS PANEM HVNC, ET CALICEM BIBETIS; MORTEM DOMINI ANNVNCIABITIS. Rurſus in Græco ſubiunctiui modi verba ſunt, ἐσθίητε, πίνητε. *comederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis.* Ita Cyprianus in epiſtola ad Cæcilium 62, *ederitis panem iſtum, & calicem iſtum biberitis.* Eo modo vertit interpres ſtatim poſt: *manducauerit, biberit.* Atque hic rurſum in vocabulo calicis metonymia eſt. Iam qua ratione corpus Chriſti panem vocet, dictum eſt ad illud capitis ſuperioris, *Et panis quem frangimus* &c. *Annunciabitis*, Græcè καταγγέλλετε, *annunciatis*, vel *annunciate*. Nam verti poteſt vtroque modo. Nec ſenſus diſcrepat. Eſt enim præceptio cum ſignificatione eius quod in eccleſia perpetuò fiat & futurũ ſit. Annunciare mortem Domini eſt mortis ac totius paſſionis eius pro nobis ſuſceptæ, gratã memoriam recolere. Vbi notandum, in oblatione & participatione ſacrificij incruẽti præcipuè quidem recolendam eſſe memoriã paſſionis Dominicæ, id eſt cruenti ſacrificij in cruce pro nobis oblati; hoc enim propriè per incruentum ſacrificium repræſentatur ex ipſa Chriſti inſtitutione: ſed tamen, in eadem oblatione ſolet ab eccleſia aliorum etiam quorundam Chriſti myſteriorum agi memoria: nominatim reſurrectionis, & aſſcenſionis in cælum, quæ ad gloriam Chriſti pertinent, ad quam per crucis ignominiam peruẽnit. Vnde in epiſtola ſynodi Epheſinæ ad Neſtorium ſic legitur: *Vnigenitii Filij Dei, hoc eſt Ieſu Chriſti mortem, & ex mortuis reſurrectionem annunciantes, eiuſdemq; in cælum aſſumptionem profitentes, incruentum in eccleſia Dei cultum obimus.* Quę eadem in canone Romanæ liturgiæ leguntur illa parte, *Vnde & nos memores* &c. Græcorũ autem Baſilij & Chryſoſtomi liturgiæ mentionem addunt etiam ſeſſionis Chriſti ad dexteram Dei Patris, & ſecundi atque glorioſi aduentus eius: de quo Paulus ſubdit, *donec veniat*. Quin & generaliter, euchariſtia iuxta ſuum nomen, ab eccleſia Deo offertur tanquam ſacrificium euchariſticum, id eſt gratiarum actionis de omnibus beneficijs à Deo acceptis. Notandum præterea Paulum non dicere; edendo & bibendo, id eſt ipſo comedendi & bibendi actu, *mortem Domini annunciabitis*: ſed *quoties*, id eſt quandocumque *edetis & bibetis*. Fit autem hæc comeſtio & bibitio ſiue à ſacerdote, ſiue ab alijs fidelibus, eo tempore quo ſacrificium offertur corporis & ſanguinis Domini. Aut ſi poſtea comeſtio fiat, velut ab infirmis ad quos defertur hoſtia; refertur tamen & ea comeſtio, pertinetque ad ſacrificium quo hoſtia fuit oblata (quod quidem etiam nomen hoſtiæ, quam dicere ſolemus ad infirmos deferri, ſatis innuit.) ſicque per hoſtiæ ſumptionem, etiam illi participes fiunt ſacrificij: Ipſum verò ſacrificium commemoratiuum eſt paſſionis & mortis Domini. Proinde, non ſolum qui de eo comedunt,

Quid annunciare mortem Domini. Quæ commemorãda in oblatione ſacrificij incruenti.

Euchariſtia reſtè offertur pro omnibus beneficijs à Deo acceptis.

Quinam participes fiant ſacrificij incruenti.

& bibunt;

& bibunt; verùm etiam qui alterum horum faciunt, tanquam ſacrificij commemoratiui participes, commemorant & annũciant mortem Domini: Nec hi ſolummodo, verùm & quicumque pia cordis deuotione pariter cum illis offerunt; etiamſi res oblatas ore non contingant. Quocirca malè & imperitè ex hoc loco Pauli colligunt aduerſarij, neceſſariam eſſe cunctis fidelibus vtriuſque ſpeciei communionem, vt annũciatio mortis Dominicę, quam Dominus præcepit, ab ijs fieri poſſit: quum nec vnius ſpeciei perceptio ad eam rem neceſſaria ſit. Quod & hoc argumento oſtenditur. Nam ſi in veteri lege nihil edentes de ſacrificio (quale holocauſtum, de quo nullus edebat, ne ſacerdos quidem: & ſacrificium pro peccato, de quo non edebat qui peccauerat) per ſolam tamen oblationem ſacrificij prænunciare poterant paſſionem Domini futuram, etiam cum fructu ſalutis ac propiciationis: poſſunt vtique & nunc qui vnà cum ſacerdote, ſicut ante dictum eſt, offerunt, etiamſi ſacramentaliter non communicent, eandem Domini paſſionem annunciare præteritam, idque cum fructu redemptionis animarum ſuarum. Vide Io. Heſſelium in tractatu ſuprà citato ad quintum argumentum, vbi rem iſtam latè & doctè declarat. Sanè quod attinet ad locum apoſtoli præſentem, in eo quod dicit, *Quotieſcumque manducabitis & bibetis*, facilè intelligitur ſupplendum reliquiſſe, vel alterum horum facietis: aut certè coniunctiuam particulam pro diſiunctiua poſuit. Hanc enim expreſſit in verſu ſequente, de indignè communicantibus agens. Denique & hoc addo: licet expreſſior ſit repræſentatio mortis Dominicæ in vtraque ſpecie ſeparatim ſumpta; ſit tamen etiam congruenter, dum ſpecies panis exhibetur abſque ſpecie vini: tanquam ſi corpus Domini præbeatur exſangue. Eſt enim & in ea re mortis non obſcura ſignificatio.

DONEC VENIAT. Non mors Domini, qui ſemel mortuus ac rediuiuus *iam non moritur*, Rom. 6. ſed ipſe Dominus. *Donec*, inquit, ipſe *veniat*, vel, vt in Græco, ἔλθῃ *venerit*. nempe glorioſus ad iudicium. Vbi *intelligi datur*, ait Thomas, *quod hic ritus eccleſiæ non ceſsabit vſque ad finem mundi*. Non enim hoc tantum dicit apoſtolus vt præcipiens: ſed etiam vt ſciens eam eſſe Chriſti ſacrificium hoc inſtituentis voluntatem, vt tam ipſum, quàm mortis ſuæ per ipſum annunciatio, continuata ſucceſſione perduret vſque ad ſuum aduẽtum. Nam qui voluit eccleſiã ſuam permanere ad finẽ vſq; ſęculi, voluit etiam inſtituta à ſe myſteria peridẽ tempus apud eam in obſeruatione cõtinua remanere. Et ita locũ hunc accepit Chryſoſtomus.

ITAQVE QVICVMQVE MANDVCAVERIT PANEM HVNC, VEL BIBERIT CALICEM DOMINI, INDIGNE; REVS ERIT CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI. Hic iam ſatis manifeſtè declarat apoſtolus, quorſum ſuperius interpoſuerit hiſtoriam inſtitutionis menſæ Dominicæ: ſcilicet vt dignitatem myſteriorum quæ in illa proponuntur, agnoſcentes & recogitantes Corinthij (videbantur enim obliti traditionis à Paulo acceptæ) diſcerent attentius, non ſolum quid illic agere deberent, nimirum Domini mortem annunciare, quod iam admonuit; verùm etiam, quemadmodum ad ea myſteria ſit accedendum; & quàm grauiter peccent, qui, ſicut illi fecerant, indignè accedunt: quod nunc deinceps oſtendit. Quidam Græci codices tam apud Eraſmũ quàm apud Ro. Stephanũ poſt ἀναξίως *indignè*, repetunt dictionem τὸ κυρίου, hoc modo, *poculum Domini indignè Domino*. quomodo legimus alibi, *dignè Deo, Domino, ſanctis*. 1 Theſſ. 2. Col. 1. Rom. 16. Sic etiam textus habet apud Oecumenium. Sed & inter Latinos commentator Ambr. ita legit: *Itaque quicumque ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indignè Domino, reus erit* &c. & huic lectioni reſpondentem ſubijcit commentarium. At Cyprianus in libro de lapſis, & aliâs, hunc apoſtoli locum recitans, nuſquam addit *Domino*, vt nec cæteri Latini, nec Syrus interpres. Quanquam id non multum refert: niſi quod additum facere videatur ad ſenſum illuſtrandum: alioqui nec infrà verſu 29 additum inuenitur in vllis codicibus. Quod autem in quibuſdam Latinis & pro *vel* legitur, *& biberit*: mendoſum eſſe conſtat ex conſenſu Græcorum codicum & veterum omnium Latinorum. Igitur ex eo quod diſiunctiuè dicit apoſtolus, *aut biberit*, non leue ducitur argumentum pro communione ſub vna ſpecie. Non enim ſic loqueretur, ſi non ſentiret vnam ſpeciem ſine altera ſumi poſſe. Potrò manducat aut bibit indignè, ſecundum apoſtolum; non is qui mente diſtracta ad ſæcularia negocia ſumit hoc ſacramentum, habitu ac virtute retinens debitam ad illud reuerentiam (tametſi talis indeuotio fructũ impediat huius ſacramenti, ſaltem ex parte & ad tempus, durante videlicet mentis euagatione ſiue culpabili, ſiue etiam inculpabili, tanquã obice quodam tranſitorio.) ſed qui vel cum irreuerentia ad ſumendum accedit, ſicut à Corinthijs factum fuerat; vel omnino qui ſumit, affectum gerens aut reatum peccati mortalis. Etenim menſa cõmunis ſymbolum eſt amicitiæ. Quare ſicuti regi terreno grandem facere cenſeretur iniuriam, qui menſæ eius ſeſe cõiuam admiſceret, vel animũ aduerſus eum retinens infenſum, vel certè nondũ recõciliatus; ita profectò maieſtatẽ Chriſti Domini ac regis noſtri non mediocriter lædit, qui ad eius mẽſam accedit, vel adhuc inimicitiã aduerſus eũ fouens in animo, vel poſt capitalem offenſam reconciliatione nondum obtenta: atque eo magis quod non qualemcumque cibum aut potum de menſa eius ſumpturus accedat; ſed ipſam illius carnem & ipſum ſanguinem.

Scopus narrationis Paulinæ declaratur.

Refellitur argumentum ſectariorũ pro communione vtriuſque ſpeciei.

In vtralibet ſpecie repræſentatio mortis Dominicæ.

Sacrificiũ incruentum perpetuum ex Chriſti inſtituto.

Rurſus argumẽtum pro cõmunione ſub vna ſpecie.

Quis mãducãs aut bibens indignè.

Menſa cõmunis ſymbolũ amicitiæ.

Igitur eum qui sic accedit, indignè accedere non est dubium: non ea solum indignitate quæ negatiuè, vt loquuntur, dignæ sumptioni opponitur; sed ea quæ contrariè: propter quam meritò dicatur *reus corporis & sanguinis Domini*, subaudi, indignè accepti, malè tractati, vel quid simile. Hieronymus supplet *violati* lib. 1 contra Iouinianum cap. 8. Sensus enim est: Quicumque panem hũc aut calicem indignè sumpserit; obnoxius erit pœnę, quantam meretur is, qui corpus & sanguinẽ Christi Domini malè & indignè tractauerit: quomodo reus fuit Iudas proditor, qui osculum ori eius impressit, & iuxta suam ipsius confessionem, sanguinem iustum tradidit: & quomodo rei Iudæi, qui manibus iniectis eum ligarunt, in faciem eius exspuerunt, colaphis ceciderunt, palmas in faciem dederunt, denique sanguinem eius fundendum Pilato tradiderunt. Ab his enim comparationem adferunt in huius peccati exaggeratione Theodoritus & Oecumenius. Est autem simile in eo; quod quemadmodum illi ipsummet sacratissimum Christi corpus & sanguinẽ ignominia affecerunt, ita & isti faciunt; illi, sceleratis manibus attrectando, isti, impuro ore sumendo. Iam ex hoc loco aduersus hæreticos duo catholica dogmata clarè statuuntur: alterum, Christi corpus & sanguinem verè & propriè esse in hoc sacramento. Non enim de nudo signo rectè diceretur; qui illud indignè sumpserit, eum effici reum ipsius corporis & sanguinis Domini. Alterum, corpus & sanguinem Christi verè sumi etiam à malis & indignè accedentibus. Accedit & tertium: sub vna specie vtrumque sumi, corpus & sanguinem. Cùm enim disiunctiuè dixisset apostolus, *ederit aut biberit indignè*: non tamen infert reum fore corporis aut sanguinis Domini, sed coniunctim vtriusque: tanquam qui, vel edens vel bibens, vtrumque sumpserit.

Quid reũ esse corporis & sanguinis Domini.

Catholica dogmata ex hoc loco stabilita.

Verum corpus & sanguis Christi in eucharistia.

Sumitur etiam à malis.

Vtrũque sub vna specie.

28 PROBET AVTEM SEIPSVM HOMO. Hebraismus, *homo*, id est, *vnusquisque*, vt alij quidam vertunt. Docet quid agere debeant, ne tanti criminis inueniantur rei. Quisque semet ipsum, inquit, examinet, conscientiam suam exploret: videatque num talis sit qualẽ oportet esse eum qui mensam Domini conuiua accedat, accepturus ex ea cibum, non humana arte paratum, sed planè cœlestem ac diuinum, id est ipsum corpus & sanguinem Domini conuiuatoris sui. Quod si talis non sit; talem se reddere studeat, emundando suam conscientiam à peccato, quod eum mẽsa Domini facit indignum. De qua probatione Tridentini concilij patres ita loquuntur sess. 13 capit. 7. *Ecclesiastica consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat: quod à Christianis omnibus, etiam ab ijs sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta synodus perpetuò seruandum esse decreuit: modò non desit illis copia confessoris* &c. Volunt hoc ipsum commentatores tam Græci quàm Latini: dum mentem & conscientiam à peccato puram exigunt; ac de ea probationem hanc exponũt. Vnde apud Basilium in liturgia põtifex clamat, *Sancta sanctis*. Cuius etiam vocis à diacono pronunciari solitæ, Chrysostomus meminit, inter alia quæ grauiter in hanc rem disserit, homilia 61 ad populum Antiochenũ. Ambrosius quoque libro 6 super Lucam capit. 9, tractans historiam quinque panũ multiplicatorum, ait: *Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus*. Et paulo post, *Vbique mysterij ordo seruatur, vt prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur; post alimonia mensa cælestis exuberet*. Hinc præcipit Augustinus tractatu 26 in Ioannem, *Innocentiam ad altare apportate*. Estque eiusdem sententia apud Prosperum citante Beda: *Ad altare Dei inuisibile, quo non accedit iniustus, ille peruenit, qui ad hoc præsens iustificatus accedit. Inueniet enim illic vitam suam, qui hic discreuerit causam suam*. Atque, vt altius ex antiquitate testimonium proferam, B. Cyprianus in libro penè toto de lapsis, apertissimè docet quàm sit pernicioſum ad eucharistiam accedere, vt ipse loquitur, *ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini, & minantis*, scilicet his verbis per apostolum, *Quicumque ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini*. & dicit eos qui sic accedunt, *vim inferre corpori eius & sanguini*. idẽq; in epistola 10 & 11 repetitis ijsdem apostoli verbis, acriter reprehẽdit presbyteros, quod eucharistiã darent lapsis qui nondũ egissent pœnitentiam, nec exomologesin fecissent peccatorum. His & manifestæ rationes accedunt; Primùm, quia mensa Domini est quæ ponitur; ideóque solos, vt ante dictum est, admittit amicos: tum quia panis filiorum, qui proponitur; non vtique mittendus canibus: deinde, quia sacramentum est vnionis fidelium; quæ fit per charitatem: præterea, quia spiritualis est alimonia, proinde non sumenda nisi ab eo qui spiritualiter viuit. Deniq; (quod apostolus potissimùm vrgere videtur) quia quod sumitur, ipsum corpus & sanguis Domini est; ad cuius sanè pertinet iniuriam, si in esum aut potum accipiatur ab eo qui non iuxta quãdam proportionem hominis ad Deũ, illo dignus sit. Non erit autem hoc pacto dignus, si non sit per gratiam Dei amicus. Porrò quod hæretici, præter omnium patrum sententiam, contendunt hic intelligi probationem fidei, id est, vt se probet homo an sit in fide: secundum illud 2 Cor. vltimo: *Vosmetipsos tentate si estis in fide; ipsi vos probate*; facilè refellitur. Nam vtcumque sit intelligenda fides de qua apostolus illic agit: (quod in commentario videbitur) certè constat hoc loco plus ab eo requiri quam solam fidem, siue fiduciã, vt aiũt, erga promissiones Dei. Corripit enim

Qua probatio hoc loco intelligatur.

Sancta sanctis.

Exomologesis criminũ præmittenda sumptioni eucharistiæ.

Quinque rationes dicta probationis.

Commẽtarius de probatione fidei refellitur.

apostolus

apoſtolus eos qui, (quemadmodum liquet ex ſuperioribus) in cœna Dominica ad ebrietatem vſque replebantur; & pauperes à ſuis mẽſis excludebant. Quos idcirco dicit edere & bibere corpus & ſanguinem Domini indignè. Hæc autem peccata propriè non fidei, ſed bonis moribus aduerſantur.

Articulus ſæpe emphaticã reddit orationẽ.

ET SIC DE PANE ILLO EDAT ET DE CALICE BIBAT. In Græco non eſt pronomen *illo*, ſed articulus tam pani quàm calici præpoſitus, qui ſæpe emphaticam reddit orationem: nec Latinè poteſt exprimi niſi pronomine demonſtratiuo. Senſus eſt: Cùm ſeipſum probauerit, & dignum repererit; tum demum, & non aliter, de pane illo edat, & de calice illo bibat. Neque enim hic præcipitur vnicuique calicis vſus: vti rurſus ex copulante vocula argutantur hæretici: ſed vult apoſtolus, ne quis niſi probatus ad hanc menſam accedat, vel comeſturus de illo pane, vel bibiturus de illo calice. Quod Caietanus hoc loco de probatione commentatur, dicens plus requiri ad dignè ſumendam euchariſtiam, quàm probare ſeipſum; quod tamen ſufficiat ad non indignè ſumendum: ac propterea Paulum dixiſſe, *& ſic de pane illo edat*; nõ autem, & dignè edat; tanquam aliqui probantes ſeipſos, ſecundum mentem apoſtoli, nec dignè communicent, nec indignè: non mihi probandum videtur; vt pote nec ipſius apoſtoli ſcopo conſentaneum, qui vult vt fideles dignè communicent, & non tantum vt non indignè; nec decreto concilij Tridentini, probationem illam à Paulo requiſitam exponentis, vt ſuprà dictum eſt.

Diſtinctio Caietani inter ſumere dignè & nõ indignè, reiicitur.

29 QVI ENIM MANDVCAT ET BIBIT INDIGNE, IVDICIVM SIBI MANDVCAT ET BIBIT. *Manducat & bibit*, ſubaudi, vel alterum horum facit. Non enim negari poteſt eum qui vel edit, vel bibit indignè, iudicium ſibi ſumere. Iudicium pro condemnatione dixit more ſcripturæ. Quiſquis enim, inquit, edit aut bibit indignè (quod contingit ei qui ſe non probauerit) iudicium ſibimet ipſi (ἑαυτῷ) edit aut bibit: hoc eſt, id faciens, ipſe ſibi damnationẽ accerſit. ac ſi dicat: Talis reatum damnationis incurrit, non ex natura myſteriorum quæ viuifica ſunt, ait Theophylactus, id eſt gratiæ & ſalutis per ſe efficacia; ſed per ſuam indignitatem. Syrus interpres ita reddidit: *Condemnationem animæ ſuæ edit & bibit*. Condemnationem autem intellige, qualem & quantam meretur is, qui corpus & ſanguinem Domini tractauerit indignè. Nam idem alijs verbis hic dicit, quod iam dixerat, *Reus erit corporis & ſanguinis Domini*. Significatur autem pœna mortis æternæ; quam paulo pòſt apertius denotat dicens, *vt non cum hoc mundo damnemur*. Quare neque hic audiendus Caietanus, qui iudicium hoc exponens dicit, *iuxta qualitatem indignitatis incurri pœnam vel æternæ dãnationis, vel temporalis afflictionis*; illam, *ratione peccati mortalis*; hanc, *ratione venialium*, velut *minoris reuerentiæ, modicæ deuotionis & huiuſmodi*. Planum eſt enim apoſtolum loqui de indignitate, quæ faciat hominem reum corporis & ſanguinis Domini: quem reatum omnes mortalem interpretantur. Quod & liquet ex parte ſubiuncta, rationem continente eius quod dictum eſt.

Iudicium pro cõdẽnatione.

Euchariſtia viuifica & gratia efficax.

Reatum mortis æternæ incurrit indignè cõmunicãs.

NON DIIVDICANS CORPVS DOMINI. Textus Amb. *Non diſcernens* &c. Cauſaliter hoc exponendum eſt, ſicut interpres expoſuit Græca ſuperius verſu 7. *Quoniam imago & gloria Dei eſt*. Iudicium, inquit, ſibi comedit & bibit, quia non diſcernit corpus Domini ab alijs cibis, id eſt, non æſtimat præ alijs vt oportet, non attendit quantæ ſit dignitatis hoc quod accipit: ſed accedit ad ſumendum corpus Domini perinde ferè, vt ad cibum promiſcuum & profanum. Quomodo multi accedunt, fidem integram de hoc myſterio retinentes, ſed moribus corrupti & praui: ne quis ex hoc loco coniecturam faciat, apoſtolum in verbis præcedentibus de fidei probatione locutum fuiſſe. Rurſus autem hinc euidenter ſtatuitur vtrumque catholicum dogma de quo ſuprà; nempe Chriſti corpus verè eſſe in hoc ſacramento; idemque ſumi etiam à malis. Non enim rectè quis damnatur quod euchariſtiam ſumens non dijudicet corpus Domini ab alijs cibis: ſi id quod ſumit, verè non eſt corpus Domini, ſed alius cibus.

Quid non dijudicare corpus Domini.

Duo catholica dogmata rurſus hinc ſtatuuntur.

30 IDEO INTER VOS MVLTI INFIRMI ET IMBECILLES. *Ideò*, διὰ τοῦτο, *propter hoc*. Propter eam, inquit, cauſam quam dixi, id eſt, quia indignè manducans & bibens, iudicium ſibi manducat & bibit: multi inter vos, qui indignè ad ea myſteria acceſſerunt, corpore infirmi ſunt & mala valetudine affecti; Deo videlicet eos temporaliter puniente, *in ſignum futuri iudicij*, vt ait Thomas: quomodo propter peccatum mendacij & furti Ananiam & Saphiram interijſſe legimus, Act. 5. Talia quippe exempla punitionis temporalis conueniebãt initijs eccleſiæ Chriſti; ſicut & miracula ſanitatum: vt per ea veritas religionis confirmaretur. Vbi & hoc notandum: quemadmodum qui Chriſtum occiderunt, ſeuerè in hoc ſæculo puniti leguntur, ſubuerſa ciuitate eorum & interfectis plurimis; ſic & eos qui corpus Chriſti in euchariſtia malè tractarunt, temporaliter punitos fuiſſe morbis & morte. Nam de morte ſequitur, *& dormiunt multi*. Inter infirmos & imbecilles ſecundum Græca vocabula quæ hic leguntur, ἀσθενεῖς & ἄῤῥωστοι, hoc intereſſe videtur, quod plus ſit infirmum eſſe quàm imbecillem. Nam infirmi dicuntur qui grauius ex morbo laborant: vt Iacobi 5, *Infirmatur quis in vobis*, Græcè ἀσθενεῖ. Imbecilles autem, id eſt, ἄῤῥωστοι ſunt haud bene valentes, etſi lecto non decumbant. Eraſmus reddit inualidos, in paraphraſi valetudinarios.

Pœna cõmunicantium indignè.

Indignè cõmunicantes cõparantur cum ijs qui Chriſtum occiderunt. Diſcrimẽ inter infirmos & imbecilles

ET DORMIVNT MVLTI. *Multi* Græcè ἱκανοί, quod etiam verti poteſt, *ſufficientes*, vt legit Auguſtinus in enarratione pſalmi 147, & ſermone 10 de diuerſis: vbi etiam exponit, *Sufficientes*, id eſt, *quatum ſufficit ad diſciplinam*

imponendam, multi in vobis dormiunt. Quem sensum refert etiam Oecumenius Græcus. Quanquam simplicius est, vt absolutè multi intelligantur; quomodo vertunt omnes interpretes: vt hac parte significentur immaturę mortes multorum. Nam dormire in sacris literis frequentissimè ponitur pro eo quod est è vita emigrasse, mortuum esse, in morte quiescere, excitandum aliquando ad vitam per corporis resurrectionem. De solis enim hominibus hoc in scriptura dicitur. Vide quæ suprà diximus ad illud capitis 7, *Quod si dormierit vir eius.*

Dormire pro mortuũ esse.

31 QVOD SI NOSMETIPSOS DIIVDICAREMVS; NON VTIQVE IVDICAREMVR. Græcè ad verbum: *Si enim nosipsos dijudicabamus, non vtique iudicabamur*. Sunt enim in Græco verba modi indicatiui διεκρίνομεν, ἐκρινόμεθα: sed quæ Latinè reddi debeant per subiunctiua, vel præteriti temporis imperfecti, *dijudicaremus, iudicaremur*, vt noster & alij pleriq; vertunt, vel præteriti plus quam perfecti, *dijudicassemus, iudicati fuissemus*, vt habet Erasmi versio. quam tamen rectè deserit in paraphrasi. Docet enim apostolus non tantum quid agere debuerint Corinthij; verùm etiam quid in posterum agere debeant tum Corinthij tum alij, vt huiusmodi punitiones temporales à se auertant. Quod autem in prima persona loquitur, modestiæ est qua se coniunxit cum fratribus delinquentibus; sciens nec se sine peccato viuere, nec paternæ correptionis esse immunem: simul vt innuat doctrinam se tradere generalem & ad omnes fideles pertinentem. Porrò dijudicare hoc loco trifariam ab interpretibus exponitur. Primùm, vt idem sit quod iudicare posteriore loco, id est punire; quomodo multi Latini intelligunt: hoc sensu; Si nosmetipsos pro peccatis nostris puniremus, scilicet per voluntarias afflictiones & satisfactiones manum Domini præueniendo: non vtique ab eo grauius flagellaremur, siue in hoc sæculo, siue in futuro. Qui sensus manifestè cõfirmat doctrinam catholicam de satisfactione fideliũ pro peccatis. Alio modo, vt dijudicare sit condemnare, etiam citra punitionem. Sic Græci intellexerunt. Inter quos Theophylactus: *Non dixit*, inquit, *si nos ipsos puniremus. sed tantum, si iudicaremus & condemnaremus nosipsos: nõ iam hic condemnaremur à Deo; verùm & præsentia & futura supplicia effugeremus*. Tertiò, vt dijudicare sit examinare, discutere. Ita sensus est: Quod si nosmetipsos examinaremus, id est probaremus, ac non nisi probati mensam illam sacram accederemus; prout ante dixi, *Probet autem seipsum homo & sic de pane* &c. nõ vtique iudicaremur, id est, puniremur à Deo ob indignam corporis & sanguinis Dominici sumptionem. Sic exponunt Haimo, Lyranus, Caietanus & alij ex Latinis nonnulli, sanè quàm probabiliter ac præcedentibus congruenter: fauetque commentator Amb. qui legit & exponit *discerneremus*. Nam quod prima habebat expositio, id à Græcis apertè reijcitur: ac meritò. Siquidem nec Græcum διακρίνειν, nec Latinum dijudicare, significat punire: sed vsitatissima eius significatio est quam attulimus tertio loco; iuxta quam paulo antè etiam dictum est, *non dijudicans corpus Domini*. Iam quomodo locus iste non sit contrarius illi in cap. 4 huius epistolæ, *Sed neque meipsum iudico*: facilè patet ex vtriusque sensu quem dedimus. Nam Paulus, etsi nihil sibi conscius, seipsum tamen quod sit fidelis ac sincerus euangelij dispensator, non iudicat infallibili iudicio: sed hoc iudicium Domino relinquit dicens, *Qui autem iudicat me, Dominus est*. Dijudicat autẽ se; & nobis, vt nosmetipsos dijudicemus atque probemus præcipit; non vt certum de se quisque ferat iudicium, sed vt cum ipso dicere possit, *nihil mihi conscius sum*.

Modestia Pauli cõiungentis se peccatoribus.

Dijudicare trifariã hoc loco exponitur

Tertia expositio melior cæteris.

Huius loci conciliatio cum altero eiusdem apostoli.

32 DVM IVDICAMVR AVTEM, A DOMINO CORRIPIMVR, Græcè κρινόμενοι, *qui iudicamur*. Verùm rectè participium exponunt interpretes, addito temporis aduerbio. Iudicari rursus est puniri. Estque hæc pars cõsolatoria, quasi dicat: Non tamen vobis durum videatur, neque spem vestram minuat quam habetis in Christo, quòd temporalibus flagellis ab eo puniamini. Sunt enim ea flagella filiorum, à Christo Domino vobis inflicta ad emendationem vestram & salutem. Nam huiusmodi correptionem significat verbum Græcum παιδευόμεθα, *castigamur*, vt pueri à patre & magistro. Cur autem hæc in prima persona loquatur Paulus, iam suprà dictum est. Nota, particulam *à Domino*, quamuis in medio positam, vt & præcedenti verbo iungi possit & sequenti: melius tamen cum sequenti cohærere. Sed & illud notandum, ideo Paulum dicere *à Domino*, id est Christo (sic enim Dominum in tota huius loci doctrina accepit) vt significet ipsum Christum esse, qui tanquam index omnium à Patre constitutus, iniurias suo corpori & sanguini illatas vleiscitur, vel pœnis temporalibus, de quibus ait *corripimur*; vel æternis, ad quas pertinet hoc quod sequitur.

Correptio qua significetur.

Christus iudex in eos qui indignè communicant.

VT NON CVM HOC MVNDO DAMNEMVR. Interpres seruare non potuit allusionem, quæ in Græcis est, non ingrata, huius verbi κατακρίνω cum præcedentibus διακρίνειν dijudicare, & κρίνεσθαι iudicari: nisi pro *dãnemur* verteret *contra iudicemur*, quod Latinitas non permittit. *Cum hoc mundo*, Græcè, *cum mundo*, id est cum infidelibus & peccatoribus, qui sæpè mundi nomine significantur in scripturis, propter immensam eorum multitudinem. Nam more scripturæ mundus passim ponitur pro magna hominum multitudine. Ostendit hic locus temporalia flagella valere ad euadenda supplicia æterna; si tamen illis vtamur vt flagellis paternis ad emendationem nostram & peccatorum castigationem: vt credibile est vsos fuisse de quibus dixit apostolus, *& dormiunt multi*. & proinde damnationem

Mundus pro infidelibus & peccatoribus.

Pœnæ tẽporales quatenus valeant ad euadendas æternas.

æternam

æternam euasisse. Quod vt rectè de illis sentit Augustinus sermone 10 de diuersis; ita dubitari potest, an etiam illud probabile quod eodem loco sentire videtur Augustinus; Ananiæ & Sapphiræ temporali morte punitis, Deum post hanc vitam pepercisse: quamuis hoc & apud Origenem legatur tractatu 8 super Matthæum, & apud alios nonnullos. Cùm enim ad increpationem Petri repentè exspirauerint, non apparet eis concessum fuisse spaciũ pœnitendi de peccato, vt in die iudicij salui esse possint.

Ananias & Sapphira an salus.

33 ITAQVE FRATRES MEI, CVM CONVENITIS AD MANDVCANDVM, INVICEM EXSPECTATE. *Ad manducandum*, id est, ad celebrandam cœnam Dominicam, de qua suprà. In qua nimirum ea fuerant commissa, per quæ indignè participauerant sacratissima mysteria. Præcipit autem, vt se mutuo exspectent; corrigi volens illud eorum peccatum de quo dixerat, vnumquemque suam cœnam præsumere ad manducandum. Atque hinc liquet apostolum non sustulisse cœnam Dominicam, id est, agapen, vt quidam volunt, sed reformasse.

Paulus non sustulit agapen.

34 SI QVIS ESVRIT, DOMI MANDVCET. Græcè, *Si autem quis* &c. Et sensus est: Si quis non potest tam diu ieiunus in ecclesia permanere, donec omnes conuenerint; prius domi comedat, aut certè præguſtet aliquid, ne sit ei molestũ exspectare cõmunem cœnã. Ex hoc loco satis liquet, cœnam Dominicam de qua agit apostolus, verè cœnam fuisse, non prandium, vt Græci autumant: & consuetudinem fuisse fidelium, vt ieiunarent toto die ad vesperam vsque, qua cœna celebrabatur. Nam alioqui non fuisset molesta exspectatio. Vult autem apostolus potius solui ieiunium ante tempus, ab ijs qui famem minus tolerare poterant; quã vt quicquam committeretur illo conuiuio & conuentu indignum.

Fidelium cõsuetudo ieiunandi vsque ad vesperam qua cœna celebrabatur.

VT NON IN IVDICIVM CONVENIATIS. Id est, ne conuentus ille institutus ad fouendam charitatem, & ad salutem, vestro vicio vobis cedat ad iudicium, de quo suprà, quando dixit, *iudicium sibi manducat & bibit*, hoc est ad ęternam damnationem. Quanquam & temporalis punitio de qua dixit, *non vtique iudicaremur*, eatenus hic comprehendi potest, quatenus illa signum erat iudicij futuri, sicut ante dictum est.

Quid in iudicium conuenire

CÆTERA AVTEM CVM VENERO DISPONAM. Græcè διατάξομαι, id est, ordinabo, constituam, ac sigillatim præscribam. Cætera, intelligit spectantia ad dignam, honestam & ordinatam mysteriorum celebrationem. *Vnde intelligi datur*, ait Augustinus ad Ianuarium scribens, *quia multum erat vt in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem vniuersa per orbem seruat ecclesia: ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diuersitate variatur*. Quæ sint illa cætera; scriptum non habemus, sed traditum: quorum quædam recenset Baronius in annalibus ad annum Domini LVII.

Agenda circa eucharistiæ oblationẽ & sumptionem Paulus ordinauit sine scripto.

E quibus vnum est, de eucharistia à ieiunis sumenda; quod satis eodẽ loco indicat Augustinus. An verò Paulus adhuc postea Corinthũ venerit, facturus id quod hic pollicetur; ex Actis apostolorum certò colligi non potest. Vide quæ ea de re dicturi sumus ad illud 2 Cor. 12. *Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos*. Illud in confesso est, vt proposita bona, sic & promissiones, iusta ratione posse licitè mutari. Quanquam, si per se non fecit quod hic promittit, per discipulos suos facere potuit; Certè õnino feciſſe credẽdus est: vt audiuimus ex Augustino. Sequitur apud Theodoritum tomus tertius huius epistolæ.

Eucharistia à ieiunis sumenda.

An Paulus Corinthum reuersus.

SVMMARIVM.

OSTENDIT eiusdem Spiritus sancti varia esse dona, diuersis ecclesiæ membris ad communem vtilitatem attributa: adhibita similitudine corporis humani, in quo diuersa membra diuersis officijs sunt deputata, sic vt alia aliorum opera adiuuentur.

CAPVT XII.

1 DE SPIRITVALIBVS AVTEM NOLO VOS IGNORARE FRATRES. Dictionem *fratres* quidam vetusti codices non habẽt. Græci ponunt in medio, *De spiritualibus autem fratres nolo* &c. Progressurus apostolus ad aliud quiddam reformandum, quod in publicis ecclesiæ conuentibus inordinatè fiebat; nẽpe quod spectabat vsum donorum spiritualium, quæ ab ipso in sequẽtibus χαρίσματα Græcè vocantur: prius docet quis eorum author sit, cuius arbitrio variè dispensentur in ecclesiæ membra: quod facit toto hoc capite: deinde quod donum ijs omnibus antecellat, & præ omnibus sit expetendum: quod facit capite proximo. Causa quæ Paulum impulit ad hæc scribenda, fuit ea, quòd cùm in Corinthios qui crediderant, effusa essent huiusmodi dona; alij propterea supra alios sese efferebant, neque illis ordinatè vtebantur: alij dolebant de non acceptis, aut quod minora alijs accepissent. Quare super hac tota re necessariò admonendi erant & instruendi. Dicit ergo: *De spiritualibus autem nolo vos ignorare fratres*: id est, de charismatis quibus ditati estis, vt initio epistolæ dixi, volo vos instruere. Vocat ea spiritualia ab authore Spiritu-sancto, id quod statim manifestè & ex professo docet. Cæterùm instructio quã promittit, extenditur per tria capita.

Qua causa Paulo scribendi de charismatis.

2 SCITIS QVONIAM CVM GENTES ESSETIS. Græcè οἶδατε ὅτι ὅτε ἔθνη ἦτε. *Scitis quod quando gentes eratis*. Sunt quidem non pauci codices in quibus omittantur ὅτε *quando*; Sed hanc quam posui germanam arbitror lectionem, quæ etiam est in editione Complutensi: & cum vulgata Latina conuenit. Nam & Græcos expositores, Chrysostomum ac cæteros

ita legisse, probant eorum commentarij. Sed cùm in Græco concurrant voces similimæ ὅτι & ὅπε, nata hinc est Græcorum codicum varietas, vt in quibusdam solum ὅτι, in alijs solũ ὅπε legeretur, idque iam olim. Quod liquet ex diuersis translationibus Latinis. Nã textus cõmẽt. Amb. (quẽ cito ex editione Romana) sic habet: *Scitis quia gẽtes eratis*. Augustinus verò lib. 21 contra Faustum capit. 8. ex alia versione; *Scitis quando gentes eratis*. Atqui plena lectio est, *Scitis quia quando gentes eratis*: non addita particula δὲ, *autem*. quæ in nullis est Græcis. Porrò gẽtes dicit cultu & religione. Nam natura & origine gentes esse non destiterant. Rursum gentes vocat à maiori parte; compellans ecclesiam Corinthiorum. Alioqui inter eos erant etiam ex Iudæis aliqui, in quos nec id quod sequitur, competebat.

Gẽtes quæ dicantur hoc loco.

AD SIMVLACRA MVTA, PROVT DVCEBAMINI, EVNTES. Supple *eratis*. Id enim ex priori membro commodè repetitur, ad absoluẽdam orationem aliâs imperfectam. Alij *euntes* pro *ibatis*, participium pro verbo positum dicunt Hebræa phrasi. Alij verò censent in Græco orationem esse perfectam: accipiẽtes vocabulum ὡς ἄν, in alia significatione. Sic enim vertunt Erasmus & Hentenius: *ad simulacra muta vtcunque ducebamini sequentes*, siue *abducti*. Hoc enim significat Græcum participium ἀπαγόμενοι, pro quo noster interpres reddit *euntes*. Sanè probabilis est horum interpretatio: qua significetur Corinthios ad muta simulacra colenda non consilio accessisse; sed vtcunque, id est, qualitercunque, temerè, pro nutu ducentium, & huc illuc eos circumagentium, abductos fuisse. Quãquam & hoc modo verti potest: *Ad simulacra muta quasi ducebamini abducti*; vt sit tacita comparatio cum brutis animantibus, quæ ducuntur hominum imperio: nec sine allusione; *ad simulacra muta* tanquam mutæ pecudes. iuxta illud: *Similes illis fiant qui faciunt ea, & qui confidunt in eis*, psal. 113. Et huc facit trãslatio qua vsus est Augustinus loco iam dicto. Sic enim habet: *Ad simulacra sine voce, quomodo ascendebatis* (fortè, *accedebatis*) *inducti*. In summa, sentit apostolus eos ad colenda simulacra (Græcè εἰδωλα) quę nec loqui, proinde nec intelligere quicquã possunt; (nam eiusdem est, sermonis & rationis esse participem) faciles & sequaces, more pecudum ductos & abductos fuisse; siue consuetudine, siue principum ac sacerdotum authoritate, & dæmonum fallacia. Sed quorsum istud tanquam præfationis loco, commemoret apostolus, nõ satis liquet. Græci putant eum velle insinuare discrimen inter vates idolorum & prophetas Christi: ac primum quidem signum quo discernantur, hac parte significari; nempe quod illi vates à dæmonibus arrepti, velut insani sine mente proferrent ea quæ suggererentur; nec haberẽt in potestate loqui, aut non loqui. In prophetis autem Christianis res haberet prorsus contrario modo. Nam vt cap. 14 dicitur, *Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt*; tametsi de illius intellectu sententiæ, suo loco videbimus. Alterum verò signum subsequentibus verbis significatum: quod illi Iesum blasphemarent; isti non sine honore nominarent. Verùm hæc Græcorum ratio videtur aliena à textu. Loquitur enim apostolus generaliter ad fideles ab errore gentili conuersos; nihil indicans de ijs qui fuissent aliquando vates idolorum, sed solam idololatriæ memoriam eis refricans. Neque conueniebat simulacra muta appellare, vbi de vaticinijs atque respõsis per ea editis sermo esset. Potius ergo dicẽdum est, idcirco Paulum eis veterem idololatriam rememorare, vt ex oppositio declaret ac doceat, quibus donis per susceptam Christi religionẽ ditati sint ac decorati; qui prius muta simulacra colentes nihil huiusmodi donorum habebant, sed ad cultum statuarum ducebantur velut pecora sermone & ratione carentia.

Gentiles more pecudũ ad idola colenda ducti.

Discrimẽ inter vates idolorũ & prophetas Christi duplex.

3 IDEO NOTVM VOBIS FACIO, QVOD NEMO IN SPIRITV DEI LOQVENS, DICIT ANATHEMA IESV. Græcè & Syriacè *Iesum*. Sic & nonnulla Latina, suffragãtibus antiquis concordantijs. Ita quoque legerunt Nouatianus lib. de Trinitate cap. 29. & Hilarius de Trinitate lib. 2. & 8. *In spiritu*, id est, per spiritum, Hebraismus. Sensus est: Quod cùm ita sit; imprimis scire vos volo, quod nullus per spiritũ Dei loquens, Iesum vocat anathema, id est, Iesum exsecratur, Iesu maledicit; interitum ei & exterminationem imprecatur. Nam anathema, Hebraicè חרמה *hharmah*, dicebatur res exsecrabilis & exterminãda. Vide quæ annotauimus ad illud Rom. 9. *Optabam anathema esse à Christo*. Quæres autem cur apostolus speciatim acturus de donis Spiritus sancti, primum generaliter ab eis remoueat hoc quod est, dicere anathema Iesum; quod apud fideles nullam poterat habere dubitationem. Neque enim propter vates idolorum id facit: quem commentarium iam prius reiecimus. Adde quod non spiritum Dei, sed Deorum illi iactabant. Nec omnino propter gentiles infideles ad hunc modum loqui videtur. Non enim illi dicebant Iesum anathema: quia vocabulum hoc apud gentiles non erat vsitatum in ea significatione quam diximus. Respondeo mihi maximè probari rationem quam adfert Caietanus: scilicet hoc à Paulo dici propter Iudæos, qui de spiritu Dei gloriantes, Iesu tamen maledicebant: atque eum non solum Christum negabãt, sed etiam dicebant anathema; nomen eius penitus exstinguere laborantes. Id quod etiamnum hodie facere dicuntur in suis synagogis: videlicet imitatores patrum suorum, qui spiritu maligno pleni clamabant ad Pilatum de Iesu, *Tolle, tolle, crucifige eum*, Ioan. 19.

Quid dicere Iesum anathema.

Quæstio.

Respõsio.

Iudæi & sque hodie dicunt Iesum anathema.

ET NEMO POTEST DICERE DOMINVS IESVS, NISI IN SPIRITV SANCTO. *Dominus Iesus*. Rursus Græcè & Syriacè *Dominum Iesum*. Atque ita legunt Ambrosij titulo commentarius, & ipse Ambrosius lib. 1 de Spiritu-

sancto

ſancto cap. 4 & 10. & lib. 3. cap. 12. Item alij veteres, Hilarius vtroque loco ſuprà citato, Hieronymus in commentario ſuper Iſaiam cap. 66, & ſuper Ioelem cap. 2. Proſper libro 2 de vocatione gentium cap. 7. Quæ lectio quamuis è Latinis codicibus exoleuerit; omnino tamen probanda videtur: exigente eam antitheſi, quæ eſt ad partem præcedentem. Vt enim illic negauit apoſtolus quemquam in Spiritu Dei dicere Ieſum anathema: ita nunc negat quẽquam niſi in Spiritu-ſancto Ieſum dicere Dominum. Confirmat eandem lectionem citatio Gaudentij Brixienſis epiſcopi, vetuſti ſcriptoris, ſermone 9 ad neophytos: *Quoniam*, inquit, *nemo confitetur Dominum Ieſum Chriſtum, niſi in Spiritu-ſancto.* Quod ergo noſtri codices habent: *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus*, ſic expone: Nemo poteſt dicere quod Ieſus eſt Dominus: quomodo Paulus ait Philip. 2. *Et omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus*, id eſt, quod Ieſus Chriſtus ſit Dominus. Dominum autem intelligit vt & alibi paſſim, iure redemptionis humanæ: propter quod dicere potuit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Matt. 28. Quo ſenſu Dominum eum prædicabant apoſtoli, & veri confitentur fideles. Nec tamen quicumque eo ſenſu prædicant aut confitentur Ieſum eſſe Dominum, id faciunt in Spiritu-ſancto: ſed qui pio cordis affectu talẽ prædicant aut confitentur. Hoc enim apoſtolo eſt Ieſum dicere Dominum: quod nemo poteſt, niſi ex dono Spirituſ-ſancti, tanquam authoris omnium bonorum ad pietatem & æternam ſalutem conducentium. Nam etſi Spirituſ-ſanctus, imò tota Trinitas, cuius indiuiſæ ſunt operationes, omnia operetur in omnibus; ſicut de Deo paulo pòſt dicitur: peculiari tamen ratione Spiritui-ſancto, cui bonitas appropriatur, in ſacris litteris ea ſolent aſſcribi, quæ ſpectant hominum ſanctificationem. Mouet hoc loco Caietanus & ſoluit aliquot obiectiones: ſed nos eas omnes ſoluimus, cùm illud *dicere* interpretamur, dicere pio cordis affectu. quemadmodum & Hieronymus interpretatur dictis locis. Nam & Auguſtinus lib. 2 de ſermone Domini in monte cap. 25 ſic exponit, *voluntate ac mente.* & tract. 74 in Ioan. *animo, verbo, facto: corde, ore, opere.* & Gaudẽtius addita particula, *vt oportet.* Huc ergo non pertinent verba dæmonum confitentium Ieſum eſſe filium Dei; & apoſtolos eius, ſeruos Dei excelſi, annunciantes hominibus viam ſalutis, Matth. 8. Act. 16. Sed nec hominum verba, qui Chriſto dicunt *Domine Domine*, nec tamen faciunt voluntatem patris eius, Matth. 7. Quos quidem diſertè excludunt ab hac apoſtoli ſententia Hieronymus & Auguſtinus antea citati. Quare nec illorum huc pertinet prædicatio, qui non ſincerè, ſed ex inuidia & contentione Chriſtum annunciabant, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis apoſtoli Pauli, Philip. 1. Hæc cùm dicimus; non diffitemur eam fidem quæ eſt in malis Chriſtianis, & informis vocatur, eſſe donum Spirituſ-ſancti: ſed predicationẽ eorum, & fidei confeſſionem, ſi non ex ſincero & pio cordis affectu procedat; in Spiritu-ſancto fieri, cum allegatis patribus negamus. Quod idem nobis dicendum videtur de cæteris Spirituſ-ſancti donis, de quibus conſequenter agit apoſtolus. Quæ res ex ijs quæ ſequentibus duobus capitibus ſcribit, ſatis intelligi poterit.

Fides etiã informis donũ Spiritus ſancti.

Quid dicere Dominum Ieſum.

Non omnes confitẽtes Dominum Ieſum, id faciunt in Spiritu-ſancto.

Opera Trinitatis indiuiſa.

Spiritui-ſancto aſſcribũtur quæ ſunt noſtra ſãctificationis.

4 DIVISIONES VERO GRATIARVM SVNT. *Diuiſiones* διαιρέσεις, id eſt *differentiæ, diſcrimina. Gratiarum*, Græcè χαρισμάτων. Auguſtinus in epiſtola 57 quæ eſt ad Dardanum, legit *donationum.* Et ad hũc modum vertit interdum noſter interpres. Sed alij rectius *donorum.* Quomodo legunt Hilarius in libris de Trinitate, & Hieronymus in epiſtola ad Hedibiã. Nam Græco nomine tametſi verbali ſignificantur ipſa dona. Senſus eſt, Chariſmata ſeu dona ſpiritualia variè per eccleſiam diſtributa ſunt: alia alijs donata.

Varia Spirituſ-ſancti chariſmata recenſentur

IDEM AVTEM SPIRITVS. Id eſt, vnus idẽque Spirituſ-ſanctus eſt, qui ea omnia largitur: cuius & dona vocantur.

5 ET DIVISIONES MINISTRATIONVM SVNT. Græcè διακονιῶν, *miniſteriorum:* vt alibi vertit: quemadmodum & legunt ijdem quos dixi, Hilarius & Hieronymus. Miniſteria quoque, inquit, variè diſtributa ſunt per eccleſiã. Quomodo differant miniſteria ſeu miniſtrationes à chariſmatis quæ dixit, & ab operationibus quas nominat in membro ſequenti, paulo poſt exponemus.

IDEM AVTEM DOMINVS. Græcè, *& idem Dominus:* ſcilicet Ieſus Chriſtus: à quo vt Deo, & per quem vt hominem, illa omnia conferuntur.

6 ET DIVISIONES OPERATIONVM SVNT. *Operationum*, Græcè ἐνεργημάτων. Quæ vox ſignificat operationes non quaſcũque, ſed potentes & efficaces, velut à diuina voluntate profectas. Senſus: Operationes item, hoc eſt operandi facultates & impetus multifariam per eccleſiam diſtributi ſunt.

IDEM VERO DEVS, QVI OPERATVR OMNIA IN OMNIBVS. Græca addunt ὁ δὲ, *Idem autem Deus eſt, qui* &c. Hic ſignificatur Deus Pater, qui eſt fons deitatis. Quidam hanc partem reſtringunt ad materiam præſentem, hoc ſenſu: Qui operatur hæc omnia in quibuſuis hominibus, *diuidens ſingulis prout vult*, vt infrà dicitur. Verùm nihil prohibet accipi generaliter: quomodo plerique Latini intelligunt: tanquam dicat apoſtolus: idem Deus eſt qui prorſus omnia in omnibus operatur: & proinde non dubitandum quin & harum omniũ operationum, de quibus hic agitur, ipſe ſit author. Dicitur autem Deus omnia in omnibus operans, eo quod intimè efficiat omnia & ſingula opera, tàm naturalia quàm ſupernaturalia, in omnibus operantibus, id eſt in omnibus cauſis ſecundis. Vnde S. Thomas in commentario. *Qui operatur*, inquit, *omnia, ſicut*

Deus omnia in omnibus operatur, quo ſenſu.

prima causa creans omnes operationes. Ne tamen alia causa videantur esse superflua; subdit, in omnibus: quia in causis secundarijs prima causa operatur. & probat ex scriptura Isa. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis.* Sic ille, subiungens, *operationes Deo attribui, sicut primæ causæ mouenti.* Atque huc facit verbum Græcum ἐνεργεῖν *inoperari*; videlicet aptissimum ad illam intimam Dei in omnibus operationem significandam. Hæc annotare visum est, ne quis opinetur Deum causalitatis ordine non præuenire causas secundas in producendis earum effectibus, sed eas comitari duntaxat. Quæ quidem opinio reuera tollere videtur à Deo rationem primi mouentis atque causantis, quoad omnes huiusmodi effectus. Porrò circa trimembrem hunc locum doctè studioséque obseruant commentatores tam Græci quàm Latini, insinuatam esse à Paulo Trinitatem personarum in diuinis: Patrem in eo quod ait, *Idem Deus qui operatur* &c. Filium & Spiritum sanctum in duobus prioribus mẽbris: & quidem ordine contrario; vt primus nominetur Spiritus-sanctus, deinde Filius, ac tertio loco Pater: nimirum ad indicandam trium personarum perfectam æqualitatem, quæ omnẽ dignitatis seu maiestatis ordinem ab ijs excludit. Rectè etiam & conuenienter charismata peculiariter asscribuntur Spiritui-sancto, tanquam spiritualium donorum largitori: ministeria Filio tanquam Domino; & operationes Patri, tanquam primo omnium principio. Sed nunc quæritur quomodo secundum apostolum distinguenda sint hæc tria, gratiæ seu dona, ministeria, & operationes. Græcorum quidem omnium commentarij manifestè ea confundunt: quasi tribus, vt dicunt, nominibus res eadem significare voluerit apostolus. Atqui melius ex apostoli mente, ea Latini distinguunt. Etenim constat non omnia charismata Spiritus-sancti Paulo vocari ministeria & operationes. Nam & in epistola ad Rom. cap. 12 ministerium ab alijs donis seiunxit dicens: *siue ministerium, in ministrando.* Similiter & Petrus 1 epist. 4, cùm de multiformi gratia Dei dispensanda loqueretur; secundo loco ministerium nominauit, inquiens; *Si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus.* Itáque dona seu charismata videtur apostolus generaliter intelligere quascumque gratias gratis datas, vti loquuntur Theologi. Sic enim post multarum enumerationem, dicit in fine huius capitis: *Æmulamini autem charismata meliora.* Certè ad Rom. 12 varia Spiritus-sancti dona recitaturus, ea communi nomine charismata vocauit: quæ noster interpres ibi vertit *donationes.* Cæterùm ministeria vocat officia ministrandi ecclesiæ, in quocunque gradu & ordine: cuiusmodi sunt apostolatus, episcopatus, diaconatus, &c. quemadmodum eandem vocem exposuimus Rom. 12. De qua vide etiam quę commentabimur in locum 1 Pet. 4. Pertinent huc ea quoque ministeria quæ in negocijs ecclesiæ committebantur feminis. Quarum de numero fuit illa Phœbe quam in ministerio Cenchreensis ecclesiæ fuisse Paulus testatur, Rom. vltimo. Operationes autem appellare videtur gratias curationum, eijciendorũ dæmonum; & in genere miraculorum edendorum. Hoc enim probabile fit, tum ex Græca voce, quæ vt suprà dixi, potentem & efficacem operationem significat; qualis maximè declaratur in miraculis: tum ex eo quod paulo pòst inter charismata nominat operationẽ virtutum: videlicet vtens eodem Græco vocabulo ἐνεργήμασι, quod est hoc loco. Si cui tamen placet, ad hoc vt consistat triũ mẽbrorum discrimen, charismata distinguenda esse à reliquis duobus, tanquam genus diuersum: is poterit charismatum nomine circumscribere ea Spiritus-sancti dona, quæ neque ministeria sunt, neque operationes. Cuius generis ea sunt quæ mox ab apostolo recensentur, sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, prophetia, discretio spirituũ, genera linguarum, &c. Aliter hæc tria distinguit Aquinas in cõmentario, necnon in 2 2 quęst. 171 in præfatione. Quam distinctionem apud ipsum videre est. Atque eam ferè sequuntur Liranus, Carthusianus & Caietanus. Sed quomodo consentanea sit ea distinctio verbis & contextui Paulino, & scripturis alijs, in quibus huiusmodi donorum mentio fit, mihi non apparet.

Deus ordine causalitatis præuenit causas secundas in operando. Deus in omnibus primum mouens & causãs

Trinitas personarũ à Paulo indicata hoc loco.

Cur ordine cõtrario.

Alia distinctio.

Aliorum distinctio minus probabilis

Quomodo distinguantur dona, ministeria, & operationes.

7 VNICVIQVE AVTEM DATVR MANIFESTATIO SPIRITVS AD VTILITATEM. Græcè πρὸς τὸ συμφέρον. Hilarius legit, *ad id quod vtile est.* Hieronymus, *ad id quod expedit.* Rectè noster interpres *ad vtilitatem.* Est enim Græcismus, qualis Rom. 2, τὸ χρηστὸν, *benignitas.* Continet hæc pars vtilem ac necessariam admonitionem. Sensus enim est: Cuicumque datur aliquod huiusmodi donorũ, per quod manifestatur eum accepisse Spiritum-sanctũ; non ei datur ad ostẽtationem, aut vanitatem, aut quæstum, nec omnino frustra: sed ad vtilitatem, scilicet ecclesiæ; id est, ad hoc datur, vt in cõmunem vsum populi fidelis, id quod accepit, conferat atque exerceat. Quam ob causam seruus illę piger, qui talento accepto nihil Domino suo superlucratus fuerat, tanquam inutilis mittitur in tenebras exteriores. Matth. 25. Sententiam consequenter explicat numerosa distributione donorum.

Charismata ad quẽ & sum data.

8 ALII QVIDEM PER SPIRITVM DATVR SERMO SAPIENTIÆ. Græcè, *Nam huic quidem per spiritum* &c. Ostendit non omnibus omnia, nec diuersis eadem dari dona, sed alijs alia tribui. Sic enim expedit toti corpori: vt dum membra mutuis egent officijs, mutuo charitatis inter se nexu contineantur. Quam rationem indicat ipse Paulus in sequentibus; vbi similitudinem adducit corporis & membrorum. Sermonem sapientiæ vocat gratiam, de ijs quæ ad doctrinam religionis ac pietatis spectant, differendi ex causis supremis. Id quod apostolus se fecisse testatus est cap. 2,

Non omnibus omnia, sed alijs alia charismata tribuuntur.

Sermo sapientiæ quis dicatur.

dicens:

dicens: *Sapiẽtiam loquimur inter perfectos.* Hoc autem fit, quando quis quasi detegit ac reuelat cælestis consilij mysteria, velut de redẽptione generis humani per humilitatem passionis Christi filij Dei; deque vocatione gentium & reprobatione Iudæorum, &c. sicuti feciſſe videmus apoſtolum in epiſtolis ad Romanos & Epheſios: Qua de re plura diximus ad locum memoratum capitis 2. Atque huiuſmodi doctrinam idem apoſtolus cap. 3 huius epiſtolæ vocat βρῶμα cibum, nempe ſolidum, vt ait Heb. 5, *Perfectorum eſt ſolidus cibus.* Cùm autem ſermo ſapientiæ non detur ſine ſapientia; nec tamen ſermo ſapientiæ ad gratias gratum facientes pertineat; ſatis apparet (licet in commentario Thomas diſſentiat) hanc ſapientiam in illo gratiarum genere non eſſe ponendam: Itaque ſeparari poſſe à charite, quemadmodum & ſcientiam, de qua cap. 8, *Scientia inflat.* & cap. ſequenti, *Si habuero omnem ſcientiam* &c. Nam & ſapientiam eo loco ſignificari in eo quod ait: *ſi nouerim omnia myſteria*, ibidem oſtendemus. Quocirca non eodem modo hic accipitur ſapientia, quo paſſim in ſcriptura veteris teſtamenti; vbi ſoli iuſti ac Deum timentes vocantur ſapientes, potiſſimùm in Pſalmis, Prouerbijs, Sapientiæ libro & Eccleſiaſtico. Quanquam & illic ſapientiam & ſcientiam charitatis exſortem interdum agnoſcit ſcriptura: vt Eccleſiaſtici 20, *Sapientia abſconſa & theſaurus inuiſus; quæ vtilitas in vtriſque? Melior eſt qui celat inſipientiam ſuam, quàm homo qui abſcondit ſapientiam ſuam.* & cap. 25, *Quam magnus qui inuenit ſapientiam & ſcientiam! ſed non eſt ſuper timentem Dominum.* Hieronymus in commentario Matthæi, exponens illud cap. 23, *Mitto ad vos prophetas & ſapientes & ſcribas*: ſapientes interpretatur eos *qui nouerint quando debeant proferre ſermonem.* Sed hoc potius ad virtutem prudentiæ pertinet: cuius eſt obſeruare circumſtantias agendi debitas in exercitio cuiuſque chariſmatis & virtutis. Vnde prudentiæ defectus erat in ijs quos infrà reprehendit apoſtolus capit. 14, quod non in tempore, nec cum ædificatione eccleſię, donis acceptis vterentur.

Sapientia gratiæ gratis data, non gratum faciens.

Alia ſapientiæ acceptio.

ALII AVTEM SERMO SCIENTIÆ SECVNDVM EVNDEM SPIRITVM. Sermo ſcientiæ gratia eſt diſſerendi de rebus Chriſtianæ religionis, ex ijs quæ ſunt humanæ ſcientiæ vel experientiæ. Quod fit dum ad explicandam & illuſtrandam fidei noſtrę doctrinam, adhibetur philoſophia ſæcularis, item exẽpla, cõparationes, & qualiacunque argumenta à rebus humanis, ad captum rudium & carnaliũ hominum accõmodata. Tale quid apud Corinthios ſe feciſſe teſtatur apoſtolus, dicens cap. 3, *Tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi:* nomine lactis appellans eam doctrinam, quam dixi. Vt enim ſapientiæ ſermo ſeruiebat ſpiritualibus atque perfectis, ipſo dicente, *Sapiẽtiam loquimur inter perfectos*; & iterum: *Spiritualibus ſpiritualia comparantes*, ſuprà cap. 2, ita ſermo ſcientiæ congruebat animalibus & imperfectis. Nam vt eodem loco ſubiungit: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* ideoque, *Non potui*, inquit tertio capit. *vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus.* Diſcrimen ſapientiæ & ſcientiæ quod dedimus, ab Auguſt. traditur lib. 13 de Trinit. cap. 19, & lib. 14 cap. 1. ac de eo diſputant Theologi in lib. 3 ſent. diſt. 35.

Sermo ſcientiæ quis dicatur.

Sapientiæ ſermo quibus ſeruiat, & quibus ſermo ſcientiæ.

9 ALTERI FIDES IN EODEM SPIRITV. Quod dixit *per ſpiritum, & ſecundum eũdem ſpiritum*, id nunc dicit, *in eodem ſpiritu:* nihil diuerſum (vt ab Oecum. diligenter annotatum eſt) his tribus præpoſitionibus ſignificare volens, ſed vnum & idem, ſcilicet habitudinem authoris ac principij, procedentis tamen ab alio. Quæritur autem, quomodo fidẽ numeret apoſtolus inter diuiſiones gratiarum: cùm ea ſit omnibus Chriſtianis cõmunis ac neceſſaria. Thomas in commentario, gloſſam interlinealẽ ſecutus, fidem accipi dicit pro ſermone fidei, id eſt pro gratia rectè & ſuaſibiliter ea proponendi quæ fidei ſunt. At hoc ſufficienter in duobus proximè præcedentibus continetur. Nec verò fides pro ſermone fidei vſpiam alibi legitur. Et, ſi id vellet apoſtolus, non mutaret tenorẽ orationis: ſed ſicut dixit ſermonem ſapientiæ & ſcientię, ita diceret ſermonẽ fidei. Quapropter idẽ doctor alteram addit expoſitionem, qua fides accipiatur pro certitudine fidei, quam quis excellenter habeat; velut ille de quo dicebat Chriſtus, *Non inueni tantam fidem in Iſrael.* & illa cui dixit, *Mulier magna eſt fides tua*, Matth. 8 & 16. Verùm fides hoc modo ſumpta pertinet ad gratias gratum facientes, ac per ſe laudem meretur: quẽadmodum ex laudatione Chriſti manifeſtum eſt. Eadem ratione refellitur eorum commentarius, qui fidem interpretãtur conſtantiã fidei profitendæ. Siquidem & illa per ſe laudabilis eſt. Igitur alij, præſertim Græci, rectius eam intelligunt fidem, de qua proximo cap. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferã, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Nam ſicut ibi dicit: *Si linguis hominum loquar, & angelorum*, &c. vt oſtendat genera linguarum, de quibus hoc loco, nihil prodeſſe ſine charitate, ita dicit: *Si habuero omnem fidem* &c. vt doceat fidem, de qua fuerat hic locutus, abſque charitate nihil prodeſſe: volens idem quoque de cæteris huiuſmodi donis intelligi. Eſt autem ea fides, non tam quo ad obedientiam aſſentiendi verbo Dei, intenſa & perfecta, (ſic enim accepta, voluntatis eſt, & per ſe laudem meretur, vti dictum eſt: nec proinde inter hoc genus chariſmatum, de quibus nunc agitur, numeranda veniret) quàm eiuſmodi, quæ coniuncta ſit cum ſingulari quadam illuſtratione intellectus; ac data in eum finem, vt quis per illam miracula operetur. Quã ideo Caietanus vocat fidem non credendorum, ſed agendorum, id eſt, patrandorũ miraculorum. Græci quoque fidem ſignorũ & miraculorũ

Quæ fides hoc loco intelligatur, diuerſæ opiniones.

Vera ſententia, intelligi fidem miraculorũ.

Fides miraculorũ tantũ est gratia gratis data.

appellant. Et hæc fides, secundum se, tantum est gratia gratis data, hoc est, ad aliorũ vtilitatem propriè concessa; quemadmodum prophetia & discretio spirituũ: licet ordinariè nõ exsistat absque perfecto quodam liberæ volũtatis assensu ad ea quæ diuinitus sunt reuelata atque promissa. Qualem assensum exigit Dominus à suis discipulis, per quos erat operaturus miracula, dicẽs: *Habete fidem Dei*, Mar. 11. porrò cõuenienter hoc loco posuit apostolus fidem miraculorum, tanquam fundamentum gratiarum operandi miracula, quas cõsequẽter recensẽt. Nam quod Ambrosiaster fidem mediam collocat inter gratiã sanitatũ, & operationẽ virtutum; textũ secutus est vicio sum.

Quam fidẽ Christus exigat à discipulis.

ALII GRATIA SANITATVM IN VNO SPIRITV. Græcè: *Alij verò charismata sanationum in eodem spiritu.* Tametsi Tertullianus lib. 5 contra Marcionem cap. 8, & Hilarius lib. 8 de Trinitate, legunt singulari numero *donum curationum:* nihil mendum est in Hilario. Nã lib. 2 eiusdem operis legitur pluratiuè *dona sanitatũ.* Charismata sanationum siue curationum (sic enim infrà vertit etiã noster interpres) vocat apostolus dona curandi lãguores & ægritudines corporales: siue id fiat impositione manuũ, quæ est *oratio super hominem*, Augustino teste lib. 3 de baptismo cõtra Donatistas c. 16. (Ita promittit Dominus Marci 16, *Super ægros manus imponent, & bene habebũt.*) Siue re quapiam corporali adhibita: quomodo legimus Christi discipulos ipso iubente multos ægros vnctione olei sanasse, Marci 6. Siue per solum signum crucis: quę cęrimonia fugãdi morbos, omnibus sæculis à sanctis in ecclesia viris vsurpata fuit. Pertinet hæc gratia sanationum ad operationes; vt & ea quæ sequitur.

Quæ dicatur gratia sanitatum. Manus impositio est oratio super hominem. Sanitates quibus modis cõferri solitæ.

10 ALII OPERATIO VIRTVTVM. Græcè ἐνεργήματα δυνάμεων, id est, *operationes*, siue vt Erasmus interpretatur, *efficacia potentiarum.* Hilario dicuntur *virtutum efficientia.* Significatur autem donum edendarum virtutum, hoc est, miraculorum: quę passim in scriptura noui testamenti virtutes appellantur, eo quod singulari virtute Dei supra naturam efficiãtur. Græci commentatores hanc partem à præcedenti ita distinguunt: quòd qui hoc dono præditi essent, etiam punire possent incredulos aut inobedientes: quomodo Petrus Ananiam & Sapphirã subita morte exstinxit, Act. 5. & Paulus Elymam magum excæcauit, Act. 13. quosdã etiam contumaces Satanæ tradidit, suprà cap. 5, & 1 Tim. 1. ad quæ faciẽda donum curationum non extendebatur. Sed quoniã hęc distinctio nec in scripturis, nec in vocabuli significatione fundamentũ habet; idcirco melius cũ plerisque Latinis ita distinguemus, vt hac parte significentur miracula maiora: per quę nimirum ea fiũt, quę naturali virtute fieri nullo modo possint. Eiusmodi miracula sunt, mortuos ad vitam reuocare, cæcos illuminare, claudis gressum, surdis auditum, mutis loquelam restituere, dæmones è corporibus obsessis eijcere, & quidquid his simile: quæ proinde virtutum seu potentiarum nomine κατ' ἐξοχὴν meritò designantur. Nam infirmorum curatio fit etiam arte humana, licet non æquè citò ac facilè.

Operatio virtutum quæ dicatur.

ALII PROPHETIA. Prosper legit, *alij prophetatio*, lib. 1 de vocatione gentium c. 24. Sed qui ita vertit, vocis ambiguitatem vitauit. Nã prophetia vocari solet etiam ipsum respõsum seu dictum propheticum, vt 1 Tim. 1, *secũdum præcedentes in te prophetias.* Hic autem significatur eo nomine donum prophetandi, id est, futura prædicendi, vel scripturas, præsertim propheticas explicandi. Quod vtrumque generali nomine reuelationis arcanorum, comprehendi potest. De hoc charismate vide quæ diximus ad illud capitis superioris, *Omnis vir orans aut prophetans* &c. & quæ dicturi plenius ad illud cap. 14, *Magis autem vt prophetetis.*

Prophetia quæ dicatur hoc loco.

ALII DISCRETIO SPIRITVVM. *Discretio*, Græcè διακρίσεις *discretiones.* Significatur autem donum quo quis discernere & dijudicare possit, à quo spiritu proficiscantur ea quæ tãquam prophetica proferuntur in medium: vtrùm à diuino spiritu, an ab humano aut dæmoniaco. Hoc enim est quod plurali numero dixit *spirituum.* De huiusmodi dono Paulum loqui, satis liquet ex aliorum locorum collatione. Sic enim ait infrà cap. 14, *Prophetæ duo aut tres dicant: & cæteri dijudicent.* & 1 Thess. 5. *Spiritum nolite exstinguere: prophetias nolite spernere. Omnia probate: quod bonum est tenete.* Quod postremum ad discretionem spirituũ pertinet. Estque donum præfectis ecclesiæ in dijudicandis scripturarum sensibus, qui varij à varijs adferuntur, summoperè necessarium. Simile donum in somniorum dijudicatione B. Augustinus asscribit matri suæ S. Monicæ lib. 3 confess. cap. 11. Exstat apud Ioannem Gersonium tractatus lectu dignus, de distinctione verarum visionum à falsis; vbi signa quædã adfert, quibus internosci queant ac discerni.

Donum discretionis spirituum.

Discretio spirituũ præfectis ecclesiæ perneces saria.

ALII GENERA LINGVARVM. Id est, donum loquendi varijs linguis. Quod quidem in ecclesia primitiua fuit admodum frequens: vt ex Actis apostolorum manifestum est.

Donum linguarũ & interpretationis earum.

ALII INTERPRETATIO SERMONVM. Græcè & Syriacè *linguarum.* Atque ita citat hunc locum Augustinus libro 12 contra Faustum capit. 8, & ante eum Tertullianus libro 5 contra Marcionem capit. 8. Sic etiam habet textus Ambros. iuxta codices priorum editionum, commentario respondente. Cæterùm apud Hilarium lib. 8 de Trinit. referentem huius loci verba, legitur in nostris codicibus *interpretatio sermonum.* Sed ex declaratione quam posteà subiungit, constat eum legisse *linguarum. Vel*, inquit, *in interpretatione linguarum (manifestatio spiritus est) ne ignoratione fides audientium periclitetur, cum linguam ignorantibus linguæ interpretator absoluat.* Eadẽ mutatę lectionis suspicio mihi est in loco Hiero. qu. 9 ad Hedib. Nec abs re putat Valla

Virtutes miracula maiora.

nostrum

nostrum quoque interpretem vertisse *linguarum*, non *sermonum*. *Verùm*, inquit, *aliquis existimans non rectè hìc scribi, linguarum; mutauit in, sermonum*. ac bene probat Græcam lectionem, ex eo quod dicitur in fine cap. *Nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur*, videlicet linguas. Hoc enim præcesserat: non sermones. Necnon ex illis verbis capit. 14, *Maior est qui prophetat quàm qui loquitur linguis: nisi forte interpretetur*, scilicet linguas, id est, ea quæ peregrinis linguis loquitur. Si tamen interpres vertit *sermonum*, sensus ex lectione Græca reddendus erit: quem dederunt Ambrosiaster & Sedulius. Quippe sciendum est, vti doctè Caietanus annotat, diuersa fuisse dona loquendi linguis, & eas interpretandi. Erant enim qui linguis loquebantur, nec tamen ea quæ dicerent, interpretari poterant: sed tantum in genere sciebant se diuina loqui, vtpote motos à Spiritu-sancto ad loquendum. Erant autem & alij qui donum haberent interpretandi ea quæ ab alijs peregrina lingua dicebantur. Vnde Paulus capit. 14 inter alia quibus hanc diuersitatem indicat, vult vt dum quis loquitur lingua, adsit quispiam qui interpretetur. *Si autem*, inquit, *non fuerit interpres; taceat in ecclesia.* Accedit igitur hoc donum interpretandi linguas ad donum linguarum, præstans ei vtilitatem: sicut discretio spirituum adhibenda erat prophetijs, vt sciretur quales essent, veræ an falsæ. Ex quo patet ordinis ratio, cur apostolus prophetiæ statim adiunxerit discretionem spirituum: & generibus linguarum, interpretationem earum. Successit autem huic interpretationis dono posterioribus ecclesiæ sæculis, officium eorum qui professores linguarum vocantur. Quarum sanè notitia ad intelligendas scripturas, quæ omnes, aut pænè omnes, partim Hebraicè, partim Græcè à primis suis authoribus conscriptæ sunt, perutilis est atque adeò necessaria.

Loquendi linguis & eas interpretandi dona diuersa.

Linguarum notitia ad interpretandas scripturas necessaria.

11 HÆC AVTEM OMNIA OPERATVR VNVS ATQVE IDEM SPIRITVS. Articulus inculcatus in Græco, τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, certum spiritum facit intelligi: vtique Spiritum sanctum, de quo toties suprà. Tacet autem hic reliquas duas in Deitate personas, & solum nominat Spiritum sanctum, qui in diuinis amor est: cui proinde bonitas, & ex ea fluens distributio donorum Dei congruenter appropriatur.

Spiritui-sancto cur donorum distributio appropriata.

DIVIDENS SINGVLIS PROVT VVLT. Græcè, *Diuidens priuatim vnicuique sicut vult.* Quod enim in Græco est ἰδίᾳ, ferè vertunt *priuatim*: tametsi *propriatim* melius diceretur, si sic vsus haberet. Nam priuatum publico opponitur. hæc autem dona conferenda sunt in vtilitatem publicam. Alij vertunt *seorsim*, *singulatim*, *peculiariter*. Sed noster interpres dicens *singulis*, videtur vna voce Latina complecti voluisse duas Græcas ἰδίᾳ ἑκάστῳ, *peculiariter vnicuique*. Quod si ex aduerbio ἰδίᾳ punctum subscriptum tollas, accentu in primam syllabam translato; facies plurale nomen ἴδια, *propria*. Quomodo Latinè legunt Hieronymus lib. 1 dialogi contra Pelagianos cap. 6, & Augustinus in epistola 57 ad Dardanum; & apud Augustinum author libri de Trinitate & vnitate Dei cap. 8. Iam quod addit apostolus, *prout vult*, referri quidem in Græco potest ad hominem: quia dicitur ἑκάστῳ, *vnicuique*: vt sit sensus: Spiritum sanctum diuidere vnicuique homini, prout quisque voluerit. Et ad hunc modum exponit Origenes in enarratione epistolæ ad Romanos, capit. 12. Verùm hic sensus manifestam continet falsitatem: & ipsius apostoli scopo repugnat ex diametro. Non enim ista dona de quibus apostolus huc vsque locutus est, diuiduntur hominibus prout illi volunt, vt ex consequentibus palàm est; sed prout ille voluerit, qui ea distribuit: vt quæ nullo modo dependeant ab hominum arbitrio, sed à sola voluntate ac beneplacito Dei. Id igitur est quod dicit apostolus, *prout vult*, scilicet ipse spiritus. Vnde ex hoc loco tam Græci quàm Latini patres aduersus Macedonij impietatem rectè docent Spiritum-sanctum non esse, sicut hæreticus ille dicebat, Patris & Filij ministrum: sed æqualiter cum vtroque Dominum ac Deum: vtpote qui non ex cuiusquam imperio, sed prout vult, id est, pro sua ipsius voluntate, quam cum Patre Filioque communem habet, diuina dona dispenset ac distribuat in homines. *Prout vult*, inquit Ambrosius lib. 2 de fide capit. 3, *hoc est, pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.* Significat hoc ipsum & illa Christi sententia, Ioan. 3, *Spiritus vbi vult spirat*; & illud apostoli Hebr. 2, *& Spiritus-sancti distributionibus secundum suam voluntatem:* Sed & ideo Paulus addidit *prout vult*, ne quis rationem in particulari quæreret huiusmodi distributionis donorum: simul vt cohiberet improbum & inordinatum desiderium eorum qui cum charismata, cuiusmodi iam enumerata sunt, vel omnino non haberent, vel non ea quæ vellent: propter hoc dolebant, & habentibus inuidebant: videlicet pluris æstimantes huius generis dona quàm oporteret; quum non essent de numero eorum quæ hominem Deo commendant gratumque faciunt. Denique phrasis ista, *prout vult*, spiritui attributa, nobis insinuat procedendi modum Spiritui-sancto proprium, qui est secundum actionem voluntatis. Quod ad dictionem & stylum attinet huius loci: *Totus hic sermo Pauli*, inquit Erasmus, *distributionibus, dictionum earundem iterationibus: idq; nunc in principio, nunc in medio, nunc in fine, membris, incisis, comparibus, similiter cadentibus ac desinentibus, periodisque floridus est.* Hæc obiter ex illo præstantis eloquij scriptore:

Charismata nõ pro Solũtate hominũ sed Dei distribuuntur.

Spiritus-sanctus Deus ostenditur ex hoc loco.

Modus procedẽdi Spiritui-sancto proprius.

Eloquentia Pauli.

propter eos qui eloquentiam apostolo nostro detrahunt.

12 Cõparatio corporis mystici cũ corpore naturali.

SICVT ENIM CORPVS VNVM EST, ET MEMBRA HABET MVLTA. Nunc adducta similitudine humani corporis & membrorum, quæ licet diuersas habeant facultates & officia, tamen vnitatem & concordiam inter se retinent in eodem corpore, ac mutuam præstant operam, eo quòd mutuis egeãt auxilijs: docet apostolus rem prorsus similiter habere in corpore Christi mystico, quod est ecclesia. Ex quo vult intelligi, nec eos qui plus acceperunt donorum spiritualium, insolescere debere, & alios despicere; nec eos qui minus habent, contristari & alijs inuidere: sed omnes sua dona conferre debere ad communem vtilitatem totius corporis. Imò incongruens id forè ostendit, si vnusquisque fidelis omnia habeat charismata: sicut absurdum foret in corpore naturali, omnia officia ijsdem membris attributa esse. Vtitur apostolus eodem simili Rom. 12, licet non in eundem finem. Illic enim admonet, ne per ambitionem aliquid sibi arrogent vltra mensuram donorum quę acceperint: quod vocat *plus sapere quàm oportet sapere*. Hic autem hortatur, vt quisque donum quod accepit, in vsum communem expendat.

Incõgruũ si in vnũ omnia charismata cõferantur.

OMNIA AVTEM MEMBRA CORPORIS CVM SINT MVLTA, VNVM TAMEN CORPVS SVNT. Græca pænè omnia addunt, *vnius*. *Omnia verò membra corporis vnius, multa cùm sint, vnum sunt corpus*: id est, corpus naturaliter vnum constituunt. Hanc apostoli propositionem qua dicit omnia membra corporis esse vnum corpus, obseruat Hugo Victorinus, *propter quosdam nolentes concedere quod partes omnes alicuius totius simul iunctæ, recipiant nomen totius: cùm etiam dicatur in symbolo, Anima & caro sunt vnus homo*.

Partes omnes simul sumptæ idem cum toto.

ITA ET CHRISTVS. Scilicet vnum est corpus, multa habens membra; quæ multa cùm sint, vnum tamen corpus sunt: non naturale sed analogicum; non politicum & sæculare, sed mysticum ac spirituale. Christus vocatur corpus, quatenus in Christo intelliguntur caput & membra, iuxta regulam scripturarum, quàm primam inter alias ex Tychonio quodam tradit Augustinus libro 3 de doctrina Christiana capit. 30 & 31. Quæ regula docet scripturam interdum loqui de Christo & corpore eius quod est ecclesia, tanquam de vna persona: quia reuera, quemadmodum ait Augustinus lib. de vnitate ecclesiæ capit. 4, *Totus Christus caput & corpus est. Caput vnigenitus Dei filius, & corpus eius ecclesia: sponsus & sponsa, duo in carne vna.* Quo respicit illa glossatoris ad hunc locum annotatio: *Caput & corpus dicitur Christus, propter ineffabilem vnitatem capitis & membrorum.* Huius ergo totius corporis caput Christus est: membra omnes fideles, vnà cum Christo capite corpus hoc mysticum constituentes.

Christus quo sensu corpus apostolo dicatur. Regula Tychonij.

13 ETENIM IN VNO SPIRITV OMNES NOS IN VNVM CORPVS BAPTIZATI SVMVS. Ita legimus ex Romana castigatione, & consensu Græcorum codicum, annuente versione Syriaca: licet in plerisque Latinis exemplaribus, sed hac in parte defectiuis, *corpus* non legatur expressum. Certè codex ms. Laudensis peruetustus expressit. Docet apostolus, quando & quomodo fideles facti sint vnum corpus: videlicet in baptismo, per quem insiti sunt Christo, & facti membra corporis illius, in quo Christus est caput. Etenim, inquit, per vnum & eundem Spiritum-sanctum, sanctificationis nostræ authorem, nos omnes fideles baptizati sumus in vnum corpus, id est, suscepto baptismi sacramento incorporati sumus ecclesiæ; ac veluti membra corpori coagmentata, vnum corpus effecti: licet alioqui genere & conditione diuersi. vnde sequitur.

Totus Christus caput & corpus est.

Fideles quãdo & quomodo facti vnũ corpus.

SIVE IVDÆI, SIVE GENTILES. *Gentiles*, ἔθνη, *Græci*. Quo tamen nomine gentiles in vniuersum comprehendere solet: eo quod Græcorum lingua per gentes latissimè pateret.

Græcorũ nomine gentiles significati.

SIVE SERVI, SIVE LIBERI. Seruos antepositi liberis, vt innueret in Christo nihil inter hos esse discriminis: secundum id quod ait de ijs qui sunt in Christo Iesu, Gal. 3, *Non est seruus neque liber*.

ET OMNES IN VNO SPIRITV POTATI SVMVS. *In vno spiritu*, Græcè, *in vnum spiritum*, sicut dixerat, *in vnum corpus*. Tametsi textus Ambros. astipulante Syriaco, & nonnullis manuscriptis Latinis, sic habet, *Et omnes vnum spiritum potauimus*. Quod & legitur apud Augustinum lib. 21 contra Faustum capit. 8. Idipsum etiam veteres exhibent concordantiæ. Sic & Erasmus vertit quod in Græco est: nisi quod loco *potauimus*, reddit *hausimus*. Cæterùm Oecumenius vno veteri codice suffragante, locum hunc ita legit: ἡμεῖς πάντες ἐν πόμα ἐποτίσθημεν εἰς ἓν πνεῦμα, hoc est, *& omnes vnam potionem potauimus in vnum spiritum*. Videtur enim apostolus, vti Theophylactus annotat, loqui de poculo mensæ Dominicæ, ex quo bibentes hauriunt gratiam Spiritus-sancti; sicut in priori parte meminit baptismi, per quem fideles spiritum sanctificationis accipiunt: vt mens apostoli sit: omnes fideles, velut vnius corporis membra, quemadmodum regenerationem habent communem per baptismum: ita nutritionem quoque communem habere per eucharistiæ sacramentum. Ex altera autem specie relinquit alteram intelligendam, id est, ex potu cibum. Sic enim è diuerso superius capit. 10, mystici corporis vnitatem commendauit ex vnius panis participatione, dicens: *Vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus*. Qui locus adiuuat huius loci intellectum: & suadet vt de

Sumentes eucharistiã hauriunt gratiam Spiritus-sancti.

eucharistia

eucharistia accipiatur. Itaque sensus esse videtur: Et omnes nos vno eodemque sanguinis Dominici poculo ad hauriendum eũdem spiritum, animas nostras sanctificantem, potati atque rigati sumus. Hanc expositionem de potu sacramentali adfert etiã Aquinas secũdo loco. Liranus eam solã ex illo asscripsit. Tradit eandem Caietanus. Nec improbant sectarij: quippe qui ex ea consequens esse putant, calicem Dominici sanguinis omnibus fidelibus esse porrigendum. Quod nequaquã consequens est. Non enim dicit Paulus quid necessariò fieri debeat, sed quid factum sit suo tempore: licet etiam tunc (quod dubitari non potest) exceptionem in quibusdam ipsa necessitas fecerit. Et tamen verum est etiam nunc omnes fideles suo quodam modo potionem hãc sacram potare: quomodo omnes dicuntur offerre. nempe per ministerium sacerdotis, cui in persona totius ecclesiæ sacrificanti atque sumenti, fide & deuotione consentiunt: maximè, si & ipsi de sacrificio partem aliquam sacramentaliter accipiant: Vt & hoc addam, quod corpus Domini non sumitur sine sanguine: cum sub vtralibet specie totus sit Christus. Verùm iustiùs nos aduersus Sacramentarios vrgemus vnam & eandem potionem quam potamus omnes: quæ profectò non est vna & eadem, si quod bibitur, nõ est reuera sanguis Dominicus, sed vinũ quod prius erat: sicut aduersus eosdem argumentabamur ex illis verbis capitis 10, *Omnes qui de vno pane participamus.* Porrò si cui magis placet hunc locum, iuxta lectionem communiorem interpretari de hausta seu potatione donorum Spiritus-sancti: quæ in scriptura fluminibus & aquis comparantur, vt Isa. 12, Ezech. 47, Ioan. 7, non repugnamus. Est enim multorum hic commentarius: tametsi priorem arbitror esse magis germanum.

Non hinc consequẽs calicem esse laicis necessarium.

Quomodo omnes fideles sumãt sanguinem Domini.

Veritas sanguinis Christi in eucharistia ex hoc loco probatur.

14 NAM ET CORPVS NON EST VNVM MEMBRVM, SED MVLTA. Accedit ad declarandam similitudinem ab humano corpore sumptam: vt eam postea suo applicet instituto. Etenim, inquit, non esset corpus, nisi multis ac diuersis constaret membris. Nam de corpore organico sermo est: cuius partes sunt instrumenta, diuersis vsibus attributa.

Corpus organicum multis cõstans mẽbris.

15 SI DIXERIT PES: QVONIAM NON SVM MANVS, NON SVM DE CORPORE: NVM IDEO NON EST DE CORPORE? Quasi dicat, minimè. Nam integritas & perfectio corporis organici, non solum requirit membra, per quæ fiant opera, vt sunt manus: sed etiam quibus ipsum corpus loco moueatur, vt sunt pedes. Sic igitur in corpore mystico, si quispiam inferiori ministerio velut contemptibili deputatus, tanquam pes in corpore, qui calcat terram, & pondus sustinet totius corporis; conqueratur se non esse membrum corporis, id est, nullo loco esse in ecclesia, propterea quod non sit manus, id est, honoratiori cuipiam officio destinatus: iniqua prorsus & falsa erit eiusmodi querimonia. Sicut enim pes æquè vt manus, membrum est corporis, tametsi loco & officio impar: ita in corpore mystico se res habet de membris ad imparia deputatis officia; siquidem & illius perfectio varietatem hanc membrorum exigit. Insinuat apostolus istiusmodi querelas fuisse inter Corinthios, propter donorũ & ministeriorum disparitatem. Erasmus hanc partem ita vertit: *Si dicat pes: non sum manus, non sum de corpore* &c. Sentit enim ὅτι, *quoniam*, esse πυρέλκον iuxta Hebraicum idioma; relinquens interim subaudiendam notam illationis, ideoque non sum de corpore. Similiter vertit partem sequentem. At plerique *quoniam* accipiunt causaliter: vt illatiuę particulæ supplemento non sit opus. Sunt etiam qui vtramque partem legant absq; interrogatione. Quod quidem Græca facilè permittunt: verùm si interrogatiuè legas, acrior est oratio. Quam præterea ab hoc loco & deinceps per multos versus ornat elegans personarum fictio in membris, eo gratior quod ad membra mystica, quæ personæ sunt, adhibeatur.

Corporis perfectio varietatẽ exigit membrorum.

Elegans in membris prosopopœia.

16 ET SI DIXERIT AVRIS; QVONIAM NON SVM OCVLVS, NON SVM DE CORPORE: NVM IDEO NON EST DE CORPORE? Per aurem & oculum quæ sunt sensuum instrumenta, possunt intelligi, qui in ecclesia vacant actionibus vitæ contemplatiuæ. Quo in genere doctores sunt vt oculi, discipuli vt aures: quemadmodum explicat Thomas: volens etiam per manus & pedes significari eos qui vitæ actiuæ dediti sunt; in qua prælati sunt vt manus, subditi vt pedes. Paulò tamen aliter Gregorius interpretatur hæc membra lib. 28 moralium cap. 6. *Quid enim*, inquit, *sancta ecclesia, nisi superni sui capitis corpus est? In qua alius alta videndo, oculus; alius recta operando, manus; alius ad iuncta discurrendo, pes; alius præceptorum vocem intelligendo, auris; alius malorum fœtorem, bonorumq; fragrantiam discernendo, naris est.* Hæc ille. Quanquam alijs placet, apostolum per hæc membra quæ expressit, simili relicto iudicio de alijs; tantum in genere voluisse significare membrorum corporis Christi varietatem secundum charismata, ministeria & operationes.

Auris & oculus in corpore mystico.

17 SI TOTVM CORPVS OCVLVS: VBI AVDITVS? Sensum pro instrumento sentiendi posuit, auditum pro aure. Similiter in eo quod sequitur.

SI TOTVM AVDITVS: VBI ODORATVS? Id est, si totum auris, vbi nares? Sic igitur & in corpore mystico, si omnia membra suprema ac velut honorabiliores haberẽt functiones; nulla essent quæ exercerentur in mediocribus aut minoribus; vt, si omnes magistri, nulli essent discipuli: si omnes vacarent contemplationi, non essent qui insisterent actioni. Itaque periret corporis organici ratio tam naturalis quàm mystici, requirentis diuersitatem membrorum pro varietate officiorum.

18 NVNC AVTEM POSVIT DEVS MEMBRA, VNVMQVODQVE EORVM IN CORPORE SICVT

VOLVIT. *Nunc autem*, in his & similibus locis quam vim habeat, dixi Rom. 3 ver. 21, amplius dicturus ad illud Heb. 11, *Nunc autem meliorem appetunt. Vnumquodque eorum*, Græcè ἕν ἕκαστον αὐτῶν. Augustinus legit, *singulum quodque eorum*. Erasmus vertit *vnumquodque singulatim*. Et sensus est: At verò Deus humanum corpus sic instituit, vt esset compositum ex varijs membris situ & officio distinctis. Vbi nota morem loquendi fidelium. Nam ethnicus quispiam orator aut philosophus hæc omnia referret in naturam, vti facit Cicero lib. 1 officiorum, de hac ipsa differens aptissima membrorum humani corporis cõpositione. At scriptura nos docet, omnia quæ vocantur naturæ opera, Deo opifici & authori asscribere: vt in omnibus Deus laudetur, à quo est ipsa natura, totaque eius operatio. Quod & Thomas obseruat dicens: *Nam etsi membrorum distinctio sit opus naturæ: hoc tamen agit natura, vt instrumentum diuinæ prouidentiæ.* Ad eundem modum & infrà cap. 15 loquitur apostolus de semine iacto in terram: *Deus*, inquit, *dat illi corpus sicut voluit: & vnicuique seminum proprium corpus.* Addit autem vtrobique, *sicut voluit:* vt doceat Deum non necessariò agere, sicut agit natura; ad quam solam infideles respiciũt; sed libera prorsus voluntate, in qua sit omnium agendorum ratio. Iam quod de corpore naturali dicitur, id similiter intellige de corpore mystico: quod instar corporis naturalis, Deus instructum ac distinctum esse voluit varietate membrorum atq; donorum. Simul animaduerte Paulum nunc de Deo loqui quoad naturalia; quomodo paulo ante de Spiritu-sancto quoad gratuita: nempe quòd membra in corpore ordinauit, & officia distribuit, sicut voluit. Quæ similitudo sermonis haud obscurè significat Spiritum-sanctum esse Deum.

Paulus in Deum refert humani corporis compositionẽ: ethnicus in naturã

Deus agit liberè, naturæ necessario.

Spiritum sanctum esse Deũ.

19 QVOD SI ESSENT OMNIA VNVM MEMBRVM; VBI CORPVS? Intellige corpus organicum, vt suprà: quale oportet esse corpus humanum, quod non cõsistit sine membrorum, tanquam instrumentorum, varietate. Sic ergo neque ecclesia rationem corporis haberet, si omnium fidelium par esset dignitas, eademque functio.

20 NVNC AVTEM MVLTA QVIDEM MEMBRA, VNVM AVTEM CORPVS. Atqui, inquit, ita res habet ex institutione & voluntate diuina, vt in homine multa sint membra, quæ vnum corpus constituant. Sic igitur & in ecclesia.

21 NON POTEST AVTEM OCVLVS DICERE MANVI: OPERA TVA NON INDIGEO. Docet in corpore sic institutam esse mẽbrorũ diuersitatẽ, vt mutuis egeant officijs ac ministerijs. Ex quo vult intelligi, rem similiter habere in membris corporis mystici. Quæ res præcipuè facit ad retinendam vnitatẽ & fouendã charitatem membrorũ inter se. Nominat autem duo membra præstantissima, oculũ & caput; quæ dicit indigere opera mediorum & infimorum, scilicet manuum & pedum: ne qui maiora dona acceperunt, ideoque sublimiore loco in ecclesia constituti sunt, inferiores præ se contemnant; sed modestè se gerant, scientes etiam horum operam sibi totique corpori esse necessariam. Sicut enim in corpore, exempli gratia, non solum manus indiget directione oculi vt operetur; sed & vicissim oculus indiget protectione manus ne lædatur, & lotione vel absterſione, vt mundetur: ita in ecclesia, non solum qui actioni incumbunt, & per manus appositè significantur, dirigi debent ab ijs qui tanquam oculi vacant contemplationi: sed & hi vicissim egent illorum opera, ad huius vitæ necessitates.

Membra diuersa mutuis egent auxilijs: etiã in ecclesia

AVT ITERVM CAPVT PEDIBVS: NON ESTIS MIHI NECESSARII. Nec, inquit, è diuerso caput dicere potest pedibus, opera vestra non indigeo. Repetit enim eandem locutionem, χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω. *Non est mihi opus vobis.* Caput inter membra corporis supremum obtinet locum, pedes infimum: Et tamen caput pedibus indiget, vt vnà cum reliquo corpore moueatur è loco in locum: qui motus corpori propter multa necessarius est; tam vt euitet noxia, quàm vt commoda prosequatur. Palàm est autem hoc ita de capite & pedibus ab apostolo dici, vt aptari possit corpori mystico quod est ecclesia. Est igitur in ecclesia caput aliquod, quod pedibus, id est, subditis dicere non possit, *Non estis mihi necessarij*. Hoc autem caput Christus vtique non est: qui cùm & Deus sit, & secundum hominem perfectè beatus; dicere potest omnibus ecclesiæ suæ membris, magnis & paruis, & ipsis angelis, *Non estis mihi necessarij*; ministerio vestro mihi non est opus. Nam & ad ecclesiam regẽdam, & ad sanctificandam, quicquid per ministros facit, siue in prædicatione verbi Dei, siue in sacramentorum administratione; id totum sine illis per seipsum facere potest. Ergo fatendum est, aliquod aliud esse in ecclesia caput, pedum ministerio indigens ad totius corporis regimen, tanquam ad motum spiritualem. Id autem non aliud est quàm caput Christo vicarium, quod Petro successit, id est, Romanus pontifex. Habemus igitur ex hoc loco contra nostri temporis acephalos, id est, sectarios omnes, quoddam ecclesiæ caput, quod non est Christus, nec alius quàm Christi vicarius ac minister; qui hodie Paulus quintus est. Nam Christum quidem esse ecclesiæ caput, idem apostolus alibi clarissimè docet, vt Ephes. 1 & 5, & Coloss. 1. Nec idcirco monstrosum est ecclesiæ corpus, quod habeat duo capita, alterum primarium, alterum secundarium: nihilo certè magis quàm politicum corpus debeat monstrosum videri, in quo princeps suum constituit vicarium cum potestate principali. Non enim humano corpori debet per omnia quadrare corpus metaphoricum: sed in his dumtaxat, propter quæ desumpta est inde translatio vel compa-

Quomodo caput egeat pedibus in corpore mystico.

Caput ecclesiæ pedibus indigens, est Rom. Põtifex.

Caput ecclesiæ Christus.

Nec ideo monstrosum ecclesiæ corpus.

comparatio. Quænam autem hic ea ſint, ſatis edocet contextus apoſtolicus. Nam alioqui nec plures manus quàm duas, itidem nec plures pedes, oculos, aures agnoſci in eccleſia oporteret: ne, quod verentur hæretici, monſtroſum fiat eccleſiæ corpus. At dicet aliquis, vnumquemque epiſcopum eſſe caput ſuæ eccleſiæ, atque in ijs impleri hanc analogiam capitis, quam conſiderauit apoſtolus. Reſpondeo non in ijs tantum. Sicut enim vnaquæque eccleſia particularis habet ſuum caput, quod non poteſt dicere pedibus, *Non eſtis mihi neceſſarij*: ſic tota & vniuerſalis eccleſia debet intelligi ſuum quoddam habere caput ex apoſtoli ſententia, quod pedum miniſterio indigeat. Nam planum eſt apoſtolum loqui de eccleſia vniuerſali, tanquam de vno corpore. Dicit enim Chriſtum nobiſcum eſſe vnum corpus; Dicit omnes fideles ſiue Iudæos ſiue gentiles, ſiue ſeruos ſiue liberos, in vnum corpus baptizatos eſſe; Dicit Deum in hoc vno corpore, quod eſt eccleſia, poſuiſſe apoſtolos, prophetas, doctores &c. Hæc autem omnia de vniuerſali eccleſia ab eo dici, manifeſtum eſt. Neque enim de vna aliqua particulari eccleſia veritatem habent, aut habuerunt aliquando. Quare & quod de capite dicitur indigente pedum miniſterio; ad vniuerſalem eccleſiam, ex eiuſdem apoſtoli mente, coaptandum eſt. Nam plures quidem eccleſiæ, quatenus ſingulæ ſuum habent caput, plura ſunt corpora, non vnum: quæ proinde vt in vnum corpus redigantur, ad vnum aliquod caput omnes reuocandæ ſunt, in quo locum habeat hæc doctrina Pauli; ſi eam conſtare volumus: ſcilicet vt dicere non poſſit pedibus, *Non eſtis mihi neceſſarij*. Quanquam nec particularibus eccleſijs ſingulis ſuum caput attribui volunt huius ſæculi nouatores: ſed eas regi debere dicunt à conſiſtorio quod vocant, id eſt, concilio ac cœtu ſeniorum: ſcilicet vt in ſua amonarchia vbique ſibi conſtent.

Refellitur effugium aduerſariorum.

Loquitur apoſtolus de eccleſia vniuerſali.

Sectariorũ amonarchia.

22 SED MVLTO MAGIS QVÆ VIDENTVR MEMBRA CORPORIS INFIRMIORA ESSE, NECESSARIORA SVNT. Græcè ἀναγκαῖά ἐστι, *neceſſaria ſunt*. Nec certè Latinum eſt *neceſſariora*. *Neceſſaria* legunt Latini veteres, Ambroſius lib. de Noe & arca cap. 8, & Auguſtinus lib. 21 contra Fauſtum cap. 8, & lib. 29 capit. 4 rurſumque lib. 4 contra Iulianum capit. 16. Item Beda, Lombardus, Heruæus, & veteres concordantiæ. Senſus tamen idem eſt. Nam aduerbium *magis* initio ſententiæ poſitum reſpicit nomen *neceſſaria*, faciens ipſum comparatiuè ſumi: vt ſenſus ſit, ea membra corporis quæ videntur infirmiora, multo magis eſſe neceſſaria, quam pleraque robuſtiora. Quidam putant apoſtolum tantum politiuè loqui: nec aliud velle quàm quòd ea membra quæ infirmiora ſunt, neceſſaria ſint: vt illud, *multo magis* ſit corrigentis, non comparantis: hoc nimirum ſenſu, Nec oculus nec caput dicere poteſt alijs membris: non eſtis mihi neceſſaria: quin potius, ea quæ putantur infirmiora; neceſſitate & vſu commendantur, eoque minimè contemnenda ſunt. Ita videntur intellexiſſe Chryſoſtomus & Theophylactus. Verùm pro priori ſenſu, qui ferè eſt Latinorum, atque etiam Theodoriti & Oecumenij, faciunt ſequentia. Nam in duabus proximis pericopis, manifeſta eſt comparatio honoris & honeſtatis membrorum quorundam ad alia. Sic igitur & hic neceſſitatis. Sunt autem huiuſmodi membra, cerebrum, venter, hepar, ſplen, veſica; quæ licet inualida ſint, facileque lædantur: ad vitam tamen corporis totius, præ multis alijs ſunt neceſſaria. Nonnulli his annumerant oculum: ſed non iuxta mentem apoſtoli, qui oculum vbique ponit inter ea membra, quæ maximi fiunt. Quem etiam conſtat ad vitam hominis non eſſe neceſſarium, ſed ad operationes tantum. Iam autem in corpore eccleſiæ membra infirmiora magiſque neceſſaria, poſſunt intelligi ſenes: qui etſi per ætatem debiles, adeò tamen neceſſarij ſunt, vt eorum inſtructione & conſilijs eccleſia carere non poſſit.

Membra infirmiora plerũque magis neceſſaria.

Qui mẽbra eccleſiæ infirmiora, magiſq; neceſſaria.

23 ET QVÆ PVTAMVS IGNOBILIORA MEMBRA ESSE CORPORIS, HIS HONOREM ABVNDANTIOREM CIRCVMDAMVS. Græcè, ἀτιμότερα εἶναι τὰ σώματος, id eſt, *inhonoratiora eſſe corporis*. Nam *membra*, hic in Græco non exprimitur: vt nec apud Auguſtinum ſcribentem contra Fauſtum, vbi legit *viliora*. Porrò *circumdamus*, Græcè περιτίθεμεν, *circumponimus*: dum videlicet ea membra diligenti cura contegimus: quod vocat honorem abundantiorem illis circumponere. Huiuſmodi membra ſunt pedes, & quæ ſeruiunt egeſtioni. Nam pedes quidem, quamuis infimo loco poſitos, & propter hoc inhonoratos, tegumento calceorum diligenter aduerſus frigora viarumque aſperitates munimus. Alias autem partes neceſſariò tegimus, ne ſenſus hominum offendant. Imò qui ſtudent ornando corpori, ſolent eas ſplendidiore cultu veſtire & circumtegere. Hac parte poſſunt intelligi in eccleſia ſerui & pauperes: qui etſi viles & contemptibiles habeantur; ſæpè tamen ſi cum dominis & diuitibus conferantur, plus habent in ſe virtutis & gratiæ diuinæ, propter quod à fidelibus honorari debeant. Vnde Iacobus epiſtolæ ſuæ capit. 2, *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide? vos autem inhonoraſtis pauperem. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos?* &c. Annotant Græci, Paulum non dixiſſe, quæ ſunt infirmiora vel ignobiliora corporis membra: ſed, quæ talia videntur aut putantur; eo quod plerumque quos infirmiores & viliores inter eccleſiæ membra reputamus, coram Deo meliores ſint. Cur autem in parte ſequenti non dicat apoſtolus, videntur, ſed abſolutè pronunciet; ipſa eius intelligentia docebit.

Quæ mẽbra corporis ignobiliora.

Qui mẽbra eccleſiæ ignobiliora.

ET QVÆ INHONESTA SVNT NOSTRA, ABVNDANTIOREM HONESTATEM HABENT. Alij transferunt ex Græco: *Et indecora nostri decorem abundantiorem habent.* Iulianus Pelagianus ita citabat: *Et quæ verecunda sunt nostra, maiorem honestatem habent.* Verùm Augustinus lib. 4 aduersus eũ scripto bene probat ex Græco ἀσχήμονα melius verti *inhonesta:* nec aliter vertere debuisse eum interpretem, qui εὐσχήμονα *honesta*, & εὐσχημοσύνην *honestatem* transtulerat. Sensus autem est: Ea membra quæ in corpore nostro inhonesta ac turpia sunt, habent ex arte & studio humano assciticiam quandam honestatem præ alijs membris: quia ab hominibus studiosè tegũtur, non sine ornatu, etiam vano & superfluo; quod satis probat experientia. Nam hac parte secundum omnes expositores intelligũtur membra genitalia: quæ vel ipso nomine, quo tanquam proprio, pudenda ab omnibus vocari solent, turpia & inhonesta esse comprobantur. Nihil enim pudendum nisi quod inhonestum & turpe est. Cur autem ea Paulus inhonesta appellet, hanc adfert rationem Augustinus lib. 29 contra Faustum capit. 4, *quia non habent eam speciem decoris, quam mẽbra quæ in promptu locata sunt.* Verùm id corrigit, ac veriorem rationem adfert lib. 2 retractationum cap. 7. *Sed*, inquit, *probabilior in alijs postea scriptis nominis reddita ratio est, cur ea dixerit etiam apostolus inhonesta: propter legem scilicet in membris repugnantem legi mentis, quæ de peccato accidit, non de prima nostræ institutione naturæ.* Sic ille: respiciens nimirum ad hæc & similia loca librorum suorũ quos postea scripsit, vt lib. 14 de ciuitate Dei capit. 26. lib. de peccato originali cap. 34. lib. 1. de nuptijs & concupiscentia cap. 6, & lib. 2 capit. 9. Denique contra Iulianum loco superius citato, vbi post alia sic ait: *Quæ igitur Deus honesta fecerat, dixit apostolus inhonesta. Causam requiro. Si hoc non peccato factum est, vnde factũ est? Quis honesta Dei opera dehonestauit, vt ea inhonesta sanctius apostolus diceret? vtrùm habitudo, in qua est solertia creantis; an libido in qua est pœna peccantis? Nam etiam nunc, quod Deus ibi facit, honestum est; quod origo contrahit, inhonestum. Et tamen contributum est diuinitus sensui naturali, vt quod dehonestauit concupiscentia, contegat verecundia.* Sic ille. Patet ex his inter ignobilia siue inhonorata membra, & ea quæ inhonesta vocat apostolus, id esse discriminis; quod illa remouentur ab aspectu hominum propter sordes sensibus ingratas & molestas, quibus egerendis deseruiunt: ista verò propter pudendam turpitudinem; propter quam etiam dictum est supra cap. 6, quod *qui fornicatur, in corpus suum peccat.* Per membra inhonesta possunt intelligi in ecclesia, vel homines coniugati, propter pudendam libidinem, sine qua non potest actus cõiugalis exerceri, (qui tamen non ideo contemnendi sunt; sed suo loco & ordine honorandi, tãquam à Deo coniuncti ad opus humano generi necessarium) vel qui propter crimen aliquod à se cõmissum, infames sunt aut infamia digni. Nam cæteri fideles magis esse debent solliciti pro conseruando vel redintegrando talium honore. & tegendo vel abolendo dedecore, præsertim apud eos qui foris sunt, ne malè audiat religio Christiana; quàm pro sanctis qui huiusmodi sollicitudine fratrum non egent. Atque hoc significatur per id quod sequitur.

Quæ mẽbra corporis inhonesta.

Cur inhonesta vocentur, ratio quædam ex Augustino.

Alia eiusdem Augustini ratio melior

Discrimẽ inter mẽbra ignobilia & inhonesta

Qui mẽbra ecclesiæ inhonesta.

24 HONESTA AVTEM NOSTRA NVLLIVS EGENT. Græcè, *non opus habent*, scilicet honestate forinsecus adhibita per tegumentum, vt facies, os, oculi, manus: quia nihil habent turpitudinis, propter quod abscondi debeant & contegi. Obserua lector ex superioribus tres membrorum differentias: primam firmorum & infirmorum: secundam nobilium & ignobilium: tertiam honestorum & inhonestorum.

Tres apud apostolũ membrorum differentiæ.

SED DEVS TEMPERAVIT CORPVS. *Temperauit*, Græcè συνεκέρασε, *contemperauit*, vel, vt vertit interpres Theophylacti, *commiscuit*, id est, ex tanta membrorum varietate vnum fecit. Ita quidem Græci exponunt: tanquam diceret apostolus; Ordinatissimè corpus ex membris composuit, velut temperatura quadam, vt sibi mutuo sint auxilio. Alij verò, temperauit corpus, inquiunt, membris indignioribus addendo supplementum seu compensationem quandam externi honoris. Cui commentario fauet quod sequitur.

Corpus quo sensu temperatũ à Deo.

EI, CVI DEERAT, ABVNDANTIOREM TRIBVENDO HONOREM. *Tribuendo*, Græcè δόντι, *dans, tribuens.* Et sensus est: Ei membro quod secundum se caret honore, qualia sunt, quæ iam dixit ignobilia & inhonesta; aliunde maiorem procurans honorem, scilicet eum de quo locutus est versu præcedente. Vbi nota apostolum nunc asscribere Deo, quod ante dixerat nos facere. Faciũt enim homines quodam instinctu naturæ, cuius Deus author est. Nam & Deus ipse legitur primis parentibus ad tegendam eorum nuditatem, vtique inhonestam & erubescendam, fecisse tunicas pelliceas, eosque induisse. Gen. 3.

Instinctus naturæ à Deo.

25 VT NON SIT SCHISMA IN CORPORE. *Schisma*, id est, *dissidium, scissura* apud Augustinum. Persistit enim apostolus in prosopopœia membrorum, secundum quam esset tumultus ac dissidium in corpore, si membra per se honoris expertia, & tamen reliquo corpori subseruientia, nullum honoris supplementum acciperent ab alijs membris. Eodem igitur modo & mysticum corpus contemperauit Deus: dum ordinauit & voluit vt aliorum membrorum ignobilitas aut dedecus ab alijs, honore quodam attributo, tegeretur. Quæ res multum facit ad vnitatem conseruandam, & schismatum occasiones auertendas. Non enim aliter imperfectiora membra in compage corporis mystici contineri possent.

Mutuus honor facit ad vnitatem ecclesiæ conseruandam.

SED IDIPSVM PRO INVICEM SOLLICITA SINT MEMBRA. Mendosi sunt codices, in quibus

quibus habetur: *Sed in idipſum.* Græca legunt, ἀλλὰ τὸ αὐτό, *ſed idipſum*: vt eſt in optimis quibuſque manuſcriptis. Pro quo legit Auguſtinus: *ſed idem ipſum*. Addendæ præpoſitionis occaſio fuit ex eo quod dicitur, *ſollicita ſint.* Atqui in Græco verbum eſt μεριμνῶσι: quod æquè reddas vno verbo Latino, *curent*. Idipſum igitur curare, eſt in commune cõſulere: quod fit dum membra alia pro alijs ſollicitudinem gerunt, ſupplendo quod cuique deeſt, tegendo, fouendo, remedia adhibendo, &c. Cuius ſollicitudinis inſtinctum naturalem membris indidit Deus: vt non ſit in corpore ſchiſma, per quod, vnitate amiſſa, corpus eſſe deſinat. Sic igitur & in corpore myſtico fieri oportet.

Membra idipſum curare, quid ſit.

26 ET SI QVID PATITVR VNVM MEMBRVM, COMPATIVNTVR OMNIA MEMBRA. *Et ſi quid*, Græcè, καὶ εἴτε. *Et ſiue*, quemadmodum & Auguſtinus legit: eamque lectionem poſtulat alterum colon huic reſpondens; *ſiue gloriatur* &c. Notandum etiam, in Græcis Complutenſibus & regijs, pro συμπάσχει *compatiuntur*, legi ſubiunctiuum συμπάσχῃ *compatiantur*: ac ſimiliter in parte ſequenti pro συγχαίρει *congaudent*, legi συγχαίρῃ *congaudeant*. Atque eo modo Latinè ſcriptum vidimus in illo miræ vetuſtatis codice Laudenſi: cuius & aliàs memini. Quam lectionem ipſe Pauli contextus exigere videtur. Præcedit enim, *vt non ſit ſchiſma in corpore*. vnde ſequentia dependent, efferenda eodem modo ſubiunctiuo: licet alij hunc verſum à præcedenti ſeparent, illatiuè exponentes; Itaque ſi patitur vnum membrum, *compatiuntur* &c. Porrò quod dicit apoſtolus, in corpore naturali manifeſtum eſt: eámque rem exemplo pulcrè declarat Auguſtinus in enarratione pſal. 130. *Nunquid*, inquiens, *quia in corpore pes quaſi longè videtur ab oculis, quando fortè pes ſpinam calcauerit, deſerunt oculi? & non, ſicut videmus, totum corpus contrahitur, & ſedet homo curuatus ſpina dorſi, vt quæratur ſpina quæ hæſit in plãta? Omnia membra quicquid poſſunt faciunt, vt de infimo & exiguo loco ſpina quæ inhæſerat, educatur.* Hæc ibi. Sanè videmus etiam in beſtijs, aliquo membro malè affecto, ſtatim cætera non ſolum moueri naturali ſollicitudine pro medela & ſalute illius membri: verum etiam communem inde paſſionem ac dolorem contrahere; ſic vt vno membro dolente totum corpus ægrè ſeſe habeat. Quam affectionem Græci συμπάθειαν vocant: nos condolentiam appellare poſſumus. Ad hunc modum & in corpore myſtico ſingulorum membrorum paſſiones & infirmitates, per affectum charitatis & miſericordiæ, debent omnibus eſſe communes. Quod quidem in ſeipſo præſtitit apoſtolus, ſecundum illud quod ait in epiſtola ſecunda cap. 11. *Quis infirmatur & ego non infirmor?* Nam & hæc ipſa paſſionis per charitatem communio facit ad leuamen membri patientis. Vnde Auguſtinus epiſtola 133 ad Italicam ſcripta: *Neſcio quo modo minus ſit, inquit, quod patitur vnum membrum, ſi compatiuntur alia membra. Nec ipſa mali releuatio ſit per communionem cladis, ſed per ſolatium charitatis.* Ex hoc loco, vbi docet apoſtolus eiuſdem corporis membra inuicem eſſe ſollicita, & vno patiente cætera compati: bene colligunt catholici doctores, ſanctorum animas cum Chriſto regnantes, ſuis orationibus nos adiuuare; & nos itidem noſtris ſuffragijs animas quæ ſunt in pœnis purgatorijs adiuuare debere: vt qui tam cum illis quàm cum his ſub vno capite Chriſto ſimus eiuſdem corporis, id eſt eccleſiæ membra. Compatiuntur autem beati noſtris malis, nõ doloris affectu, ſed amoris: quatenus ex charitate ſtudent à nobis, vt communibus membris, etſi longè infrà ſe poſitis, auertere & profligare mala quæ patimur.

Elegans exemplũ mutuæ compaſſionis mẽbrorum.

Sympathia mẽbrorum etiam in beſtijs.

Membrorum eccleſiæ ſympathia.

Beatorũ animas pro nobis orare: noſq; pro defunctis orare debere, ex hoc loco docetur.

SIVE GLORIATVR VNVM MEMBRVM, CONGAVDENT OMNIA MEMBRA. *Gloriatur*, Græcè συνχάιρει, *glorificatur*. Sicque legit commentator Ambroſ. necnon Auguſtinus paſſim, vt lib. 21 contra Fauſtum cap. 8, tractatu 3 in primam epiſtolam Ioannis, & lib. de continentia cap. 10. Cyprianus autem epiſtola 12 & 52 ita legit: *Et ſi lætatur vnum membrum, collætantur & cætera membra.* Item Sedulius: *ſiue lætatur*. Noſter interpres ſi vertit *gloriatur*, vſus eſt eo verbo paſſiuè, pro eo quod eſt, gloria afficitur, ſicut interdum vſurpat verbum, *operatur*; de quo vide quæ dicemus ad illud Galat. 5, *Fides quæ per charitatem operatur*. Certè Thomas in hunc ſenſum expoſuit: *Siue gloriatur*, inquit, *id eſt, quocunque modo vigoratur vnum membrum, congaudent omnia membra: quatenus ſcilicet vigor vnius membri in adiumentum cedit aliorum membrorum*. Igitur glorificatio membri in corpore naturali ea debet intelligi, qua membrum aliquod bene diſponitur: velut dum ex ægro fit ſanum, ex imbecilli robuſtum. Tunc enim omnia membra condelectantur, vt exponit Caietanus, delectatione quadam naturali: quæ non aliud eſt quàm quies in bona diſpoſitione: quam quierem ex vnius membri paſſione amiſerant. Conſimiliter in corpore Chriſti, quod eſt eccleſia, debet vnumquodque membrum alteri cuique bene habenti congratulari & cõgaudere. Iuxta quod idem apoſtolus præcipit Rom. 12, *Gaudere cum gaudentibus*. Siquidem & *gaudium eſt angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*, Luc. 15.

Gloriari paſſiuè ſumptum ab interprete.

Glorificatio mẽbri in corpore quæ dicatur.

27 VOS AVTEM ESTIS CORPVS CHRISTI. Hic iam accommodat ſimilitudinem corporis naturalis ad myſticum, alloquens fideles; Vos, inquit, eſtis corpus Chriſti myſticũ. Vos, id eſt eccleſia; in qua volo omnia quę de corpore naturali dixi, per ſimilitudinem intelligi & compleri. Quæ res iam ſuprà ſecundum ea membra, quæ apoſtolus nominauit, à nobis explicata eſt.

Fideles ſunt corpus Chriſti.

ET MEMBRA DE MEMBRO. Græca quæ nunc exſtant, ita habent, καὶ μέλη ἐκ μέρους, &

membra

membra ex parte. Quod & Origenes legit homilia 7 in Leuiticum. Eamque lectionem Græci commentatores sic exponunt: Non vos soli estis corpus Christi; neque estis omnia eius membra; sed pars quædam membrorum. Sunt enim & alia corporis Christi membra plurima, alijs in locis. Origenes autem interpretatur membra ex parte subiecta suo capiti, id est, Christo: non autem ex integro: quia secundum spiritum, non secundum carnem subiecta sunt hac vita durante. Cui sensui conuenit quod etiam sequenti capite de tempore vitæ præsentis dicitur, *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*, id est, imperfectè. Potest & hoc modo exponi: Singuli vos estis particularia ac singula membra corporis Christi; & proinde non vnus omnia habet dona; sed quisque suum, tanquam vnum aliquod membrum corporis, suo loco & officio contentum. Quem sensum etiam vult quod in Syriaco legitur, *Et membra in loco vestro*, siue *in locis vestris*. Id est, prout quisque diuersum in corpore locum obtinet ac functionem: vt symmetria seruetur. Et hic quidem sensus apostolico textui bene congruit. Cæterùm noster interpres vna litera variata legit in Græco, ἐκ μέλους, id est, *ex membro*, vel *de membro*. Legitur id quidem etiam in textu commentarij Ambros. Verùm ipse commentarius Græcæ lectionis interpres magis esse videtur. Sic enim loquitur: *quia non omnes possumus eadem: sed singuli pro qualitate fidei gratiam habemus concessam.* Quod si verè scriptum est à Paulo ἐκ μέλους, *de membro*; videri potest alludisse ad illud dictum in typo & persona Christi, de ecclesia; *Hoc nũc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, Genes. 2. Nam illuc sine dubio respiciens idem apostolus Ephes. 5. dixit: *quia membra sumus corporis eius; de carne eius & de ossibus eius.* Igitur *membra de membro*, Christo: quia membra corporis in quo Christus caput est: ideoque membra de carne & ossibus eius; iuxta sensum in eius loci commentario reddendum: quem etiam hic inter tres sensus primum adfert Thomas. Nam secundus quem recitat, membra de membro, id est, ex me apostolo vestro, qui membrum eiusdem sum corporis, dependentia: non multum habet probabilitatis. At tertius eiusmodi est: *Distinguimini & ordinamini adinuicem, sicut vnum membrũ ad aliud.* Cui sensui, proinde & Latinæ lectioni, fauet impensè locus Rom. 12, huic similis: vbi de membris in vno corpore non eundem actum habẽtibus allata similitudine, subiungit apostolus: *Ita multi vnum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra.* Videtur enim illud ipsum verbis nonnihil diuersis dicere hoc loco: *Vos autem estis corpus Christi: & membra de membro*. Quare *membra de mẽbro* non aliud erit quàm *singuli alter alterius membra*, id est, *membra inuicem connexa & dependentia*: vt Gaigneus exponit: ac si dicat apostolus: Estis in hoc corpore commembres: ac propterea mutuis operis atque officijs inter vos variè distributis adiuuandi. Sẽsus profectò congruentissimus huic loco.

Quo sensu fideles dicantur membra ex parte.

28 ET QVOSDAM QVIDEM POSVIT DEVS IN ECCLESIA. Græcè, καὶ οὓς μὲν, *& hos quidem*, siue *& alios quidem*: licet antapodoton desideretur: de quo supplendo dicemus infrà. Similitudinem corporis naturalis adaptat ecclesiæ ea parte qua dixerat: *Nunc autem posuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore, sicut voluit*. Hoc enim quod dixit Deum posuisse & ita voluisse, præcipuè studet inculcare Corinthijs; vt quisque suo loco quem ei Deus assignauit, & dono quod dedit, contentus viuat. Recenset autem ea dona, quę potissimum erant apud Corinthios in admiratione, & ambitiosius ab eis appetebantur: ordine tamen ea digerens, non æstimationis illorum, sed suæ dignitatis. Hunc enim ordinem significant aduerbia, *primùm, secundò, tertiò*, &c. Quę res à Chrysostomo, cęterisque Græcis expositoribus diligenter est annotata.

Corinthiorum in æstimandis donis corruptum iudicium.

PRIMVM APOSTOLOS. Iungendum hoc cum eo quod dixit: *Et alios quidem*. Et quia non sequitur redditio particulæ ὃς μὲν, supplenda est oratio ad istum modum: Et alios quidem ac primùm constituit apostolos: alios autem ac secundo loco prophetas, alios ac tertio loco doctores &c. Apostolos intelligit eos qui prædicabant euangelium apud infideles, & ecclesias fundabant: maximè qui vel à Christo in terris adhuc agente, quales primi duodecim, vel per reuelationem factam diuinitus, vt Matthias, Paulus, Barnabas; huiusmodi legationem accepissent. Quanquã hoc nomen etiam ad alios, absque peculiari reuelatione missos, postea cepit extendi; vt Rom. vltimo. *Qui sunt nobiles in apostolis*. Vide quæ commentati sumus ad illud Rom. 1, *Vocatus apostolus*. Cęterùm apostolis meritò, primus inter ecclesię membra locus ascribitur: quia sunt ecclesię fundamẽta, Ephes. 2 & Apoc. 21. Vnde & ecclesiarum principes, ac fidei duces à Patribus vocantur. Affectabant autẽ apud Corinthios hoc nomen obtrectatores Pauli; quos ipse pseudapostolos vocat, *transfigurantes se in apostolos Christi*, 2 Cor. 11. Quęret aliquis, cur in hoc ordine excellentium mẽbrorum ecclesiæ non ponatur, & quidem suo, id est primo loco summus pontifex. Hæc enim sectariorum quorundam aduersus primatum Petri & successorum eius, obiectio est. Breuiter respondeo Paulum hic non agere de gradibus hierarchicis: alioquin episcopos, presbyteros, diaconos, ex quibus propriè ecclesiastica constat hierarchia, prætermittere non debuisset. sed recensere quædam ecclesiæ mẽbra præcipuis Spiritus-sancti charismatis insignia: siue constituta sint in ordine hierarchico, siue non. Similis est locus Ephes. 4, vbi ad illud, *alios autem pastores & doctores*, pleniorem eiusdem quæstionis reperies explicationem.

Apostoli qui dicantur.

Quæstio.

Responsio

SECVNDO PROPHETAS. Non eos qui de

Quo sensu fideles mẽbra de membro.

Christo

Christo venturo prænuntiarunt; quos vnà cũ apostolis in ecclesiæ fundamento collocat Paulus Ephes. 2. Nam huius generis prophetæ iam in ecclesia non erant. *Lex enim & prophetæ vsque ad Ioannem*, Luc. 16. Sed eos dicit, qui ex inspiratione diuina, vel futura aliqua prædicebant, vel scripturas exponebant. Tales in ecclesia fuerunt Agabus, & quatuor filiæ Philippi, & prophetæ Antiochenæ ecclesię, & alij: de quibus omnibus in Actis apostolorum cap. 11, 13, 15, 21. Plura de his infrà cap. 14.

Prophetæ qui hic loco dicãtur.

Doctores qui dicãtur.

TERTIO DOCTORES. Id est, eos qui non quidem ex reuelatione sibi facta, sed tamen peculiari dono adiuti, traditam ab apostolis & prophetis fidei, morumque doctrinam fidelibus exponunt. Hos etiam Lucas Actorum 13 prophetis postposuit: ac rursum Paulus Ephes. 4. Porrò mirum cuipiam videatur, cur apostolus in hoc catalogo membrorum ecclesiæ, dona quædam omittat in superiori donorum enumeratione posita, quæ incipiebat à versu 8. Non enim hoc loco referuntur sermo sapientiæ, & sermo scientiæ; deinde nec fides, nec discretio spirituum. Sed sciendum, illa omnia huc facilè reuocari. Nam ad apostolos & prophetas maximè pertinet sermo sapientiæ: ad doctores sermo scientiæ: sed & discretio spirituum prophetas perficit. Denique charisma fidei, quæ fides miraculorum vocatur, parens est donorum quæ nunc proximè sequuntur.

Dubitationis cuiusdam solutio.

Virtutũ nomine qui appellentur.

DEINDE VIRTVTES. Seu *potestates*, Græcè δυνάμεις. Id est, eos per quos fiunt operationes virtutum: quas superius interpretati sumus miracula maiora, hoc est, à potentia naturali remotiora: quale est mortuo vitam reddere. Horum effectores appellat virtutes, simili locutione qua angelici quidam spiritus Virtutes in scripturis appellantur: vt psalmo 102, *Benedicite Domino omnes virtutes eius*. Nam virtutes hic ad personas referri, perspicuum est ex eo quod postea repetens dicit, *Nunquid omnes virtutes?* Obserua gratiam miraculorum ab apostolo postponi prophetię & doctrinæ.

Gratiã miraculorũ postponitur doctrinæ.

EXINDE GRATIAS CVRATIONVM. Græcè εἶτα χαρίσματα ἰαμάτων, *inde dona sanationum*. subaudi, posuit Deus in quibusdam: vel contulit ac distribuit quibusdam. Hic enim apostolus sermonem mutat, à personis transiens ad res, id est, ad dona personis impertita. Cur autem hoc donum postponat virtutibus, intelligi potest ex supradictis. Est enim minus à natura remotum, sanare hominem per miraculum, quàm virtutes operari: ac proinde minus quàm illud vtile erat ecclesiæ ad infideles conuertendos, fidemque CHRISTI plantandam.

OPITVLATIONES. Græcè ἀντιλήψεις, quas alij *subuentiones*, *subsidia*, alij Græcam vocem expressius Latinè reddere volentes, *susceptiones* vertunt. Et quidem Latini ferè exponunt de ijs qui cooperantur & opitulantur episcopis in instituenda ac regenda plebe fidelium: vt sunt parochi, decani, archidiaconi; quos episcoporum adminiculatorios quidam appellant. Verùm si hos intelligas, iam non seruabitur ordo dignitatis in ista donorum enumeratione. Constat enim hæc ministeria digniora esse miraculorum donis. Adde quod huiusmodi opitulationes pertinent ad numerum doctorum, quos tertio loco posuit apostolus. Quo pertinent ipsi quoque episcopi. Propter quod Ephes. 4 coniunxit pastores & doctores. Caietanus opitulationum vocabulo significari putat *ordinem eorum qui in ecclesia Dei operibus misericordiæ vacant*. At hoc munus debet omnibus fidelibus esse commune: Paulus autem de ijs agit quæ nec sunt nec esse debent omnibus communia. Quocirca melius hoc donum interpretantur alij de eo, per quod diuinitus acceptum quis aptus est ad fouendum ægrotos ac debiles, ijsque ministrandum: vt fit in nosocomijs. Non enim omnes boni fideles ad huiusmodi ministerium apti sunt. Hoc autem minus est quàm donum sanandi infirmos per miraculum. Hic commentarius est Chrysostomi, Theophylacti, & Oecumenij: idemque scripturæ consentaneus, in qua Græcum verbum ἀντιλαμβάνεσθαι frequenter accipitur pro suscipere: quomodo, velut manu protecta, suscipiuntur infirmi seu corpore seu animo, vt Actor. 20. *Sic laborantes, oportet suscipere infirmos*. Luc. 1. *Suscepit Israel puerum suum*. Psalm. 3, *Dominus suscepit me*. Hinc ἀντιλήπτωρ, *susceptor*, *adiutor*, dictio frequens in Psalmis. Igitur hoc donum opitulandi mihi videtur idem esse cum eo quod apostolus Roman. 12 significauit illis verbis, *Qui miseretur, in hilaritate*. Vide eius loci commentarium.

Opitulationes apostolo quæ dicãtur, opiniones.

Sententia Veror.

Suscipere & susceptor in scripturis quid significent.

GVBERNATIONES. Hac voce quidam existimant significari parochiales presbyteros, quibus gubernatio committitur particularium plebium. Sed hoc quã parũ sit probabile, iam ostendimus. Itaq; magis placet Theophylacti & Caietani sententia, qui hoc exponunt de ministerio eorum qui præsunt administrationi ac dispensationi rerum temporalium, quæ à fidelibus oblatæ sunt ecclesiæ. Erat enim & hoc peculiare donum, non omnibus congruens: ac forsitan idem cum eo quod Rom. 12 significatum est illa parte, *Qui tribuit, in simplicitate*. Nam tribuere illic impertire & dispensare est. Opitulationibus autem hoc loco postpositum est; quia versabatur in rebus tantum externis. Syrus paraphrastes hanc partem cum superiori de personis interpretatus est, *opitulatores* siue *adiutores*, & *gubernatores*.

Gubernationes quæ dicantur.

GENERA LINGVARVM. Id est, donũ loquẽdi diuerso genere linguę. Annotant expositores, præsertim Greci, postremò nominatũ ab apostolo donũ hoc quod à Corinthijs maximi fiebat,

Donum linguarũ cur ex ultimis positum.

fiebat, & primo ferè loco expetebatur, tanquam aliquid admirabile & glorioſum. Atqui Paulus ſtudioſè, ac meritò poſuit in extremis: quia minorem cæteris vtilitatem adfert, ſi ſolum ſit: quèadmodum docetur infrà cap. 14. Quapropter & cæteris donis in eccleſia manentibus, illud ſolum iam olim ceſſauit: vtpote in eum finem initio conceſſum, vt ſignificaretur eccleſiam per omnes gẽtes diſperſam omnium linguis locuturam. Qua ſignificatione completa; debuit vtique ſignum ceſſare; ſimili ratione qua in aduentu Chriſti ceſſarunt figuræ veteris teſtamenti.

Cur iam olim ceſſet in eccleſia

INTERPRETATIONES SERMONVM. Hæc pars in Græco & Syriaco non habetur: & interpretes Græcos eam non legiſſe ex eo manifeſtum eſt, quia non ſolum non exponunt, verum diſertè affirmãt donum linguarũ vltimo loco ab apoſtolo poſitum eſſe. Dicunt hoc ipſum, poſt gloſſam ordinariam, Lombardus & Heruęus. Sed & interlinealis gloſſæ ſuper hãc partem annotatiuncula eſt, *In pleriſque vacat.* Nam & Pelagius, Primaſius, Sedulius, Haimo in ſuis commentarijs non attingunt: & veteres concordantiæ nihil eius habent; & in multis codicibus tam ſcriptis quàm impreſſis non legitur. Suſpicio eſt huc attextam eſſe, vel ex ſuperiori catalogo, vbi ſecundum noſtros codices vltima ponebatur *interpretatio ſermonũ:* vel ex ſubſequenti donorum repetitione, in qua ſimiliter vltimum eſt illud, *Nunquid omnes interpretantur?* Verumtamen ijs libris in quibus hæc pars legitur, fauet commentator Ambroſ. qui eam & legit & exponit. Nec eſt improbabile primæuam lectionem Græcam hanc fuiſſe, *interpretationes linguarum*; vt ſuprà: ſed propter homæoteleuton cũ eo quod proximè præcedit, vt fit in talibus, excidiſſe. Senſum autem repete ex ſuperiore verſu 10.

Hæc pars an adiecticia.

29 NVNQVID OMNES APOSTOLI? Ac ſi dicat; minimè. Nam, vt ſuprà dixit, *Si totum corpus oculus, vbi auditus?* &c. Si enim omnes fideles ſint apoſtoli; vbi erunt in corpore myſtico, qui ab apoſtolis doctrinam accipient? Docet igitur his erotematis, vt in humano corpore, ſic & in eccleſia diuerſorum mẽbrorum oportere eſſe diuerſa officia; nec omnibus omnia donari debuiſſe.

Diuerſorũ membrorum diuerſa officia.

NVNQVID OMNES PROPHETÆ? Eadem reſpõſio negatiua. Nec repugnat quod Moyſes Num. 11 dicit, *Quis tribuat vt omnis populus prophetet?* Non enim abſolutè Moyſes optabat, vt omnes in populo prophetę eſſent: ſed non volebat ſuę perſonæ dignitatem, pro qua miniſter eius Ioſue zelo præpoſtero mouebatur, obſtare, quo minus omnes pròphetarent. Hoc enim præcedit, *Quid æmularis pro me?* tanquam diceret: Quod ad meam attinet perſonam, facilè patior, atq; etiam opto, gratiam prophetiæ quæ in me eſt, omnibus eſſe communem: nec volo quemquam ab ea prohiberi mei cauſa. Et ſanè hoc animo quo Moyſes, debent eſſe omnes illi in quos egregia dona à Deo collata ſunt, vt nec alios deſpiciant, nec eis inuideant ſimilia: ſed, quantum quidem ad ipſos, optent & cupiant ſuas dotes eſſe omnium.

Obiectio ex verbis Moyſi nata remouetur.

NVNQVID OMNES DOCTORES? Abſurdum. Si enim omnes in eccleſia doctores; vbi in ea diſcipuli? Liquet ergo veram eccleſiam Chriſti non eſſe apud eos, qui omnes ſe doctores profitentur, omnes ſacram ſcripturam interpretantur, omnes de quæſtionibus in religione controuerſis iudicant; id eſt, apud ſectarios noſtri temporis.

Verè eccleſia non eſt, vbi omnes volunt eſſe doctores.

30 NVNQVID OMNES VIRTVTES? De perſonis hoc dici manifeſtum eſt. Virtutes enim appellat eos, per quõs fiebant virtutes, hoc eſt, miracula maiora.

NVNQVID OMNES GRATIAM HABENT CVRATIONVM? *Gratiam*, Græcè χαρίσματα, *dona*, vt legitur in commentario Ambro. Veriſimile eſt interpretem ſcripſiſſe *gratias*, vti paulo ante. Locus hic etiam ad ſanctos cum Chriſto regnãtes aliquo modo referri poteſt. *Sicut enim*, inquit Auguſtinus epiſtola 137, *nõ omnes ſancti habent dona curationum: ita nec in omnibus ſanctorum memorijs iſta fieri voluit ille qui dinidit propria vnicuique prout vult.* Cæterùm opitulationes & gubernationes hoc loco breuitatis cauſa prætermiſit apoſtolus: aut ideo fortè, quod nõ eſſent hæc dona magnoperè à Corinthijs expetita.

Non in omnibus ſanctorũ memorijs fiunt miracula.

NVNQVID OMNES LINGVIS LOQVVNTVR? Hæc interrogatio poſt alias poſita, Corinthiorum increpatio eſt: qui volebant omnes loqui linguis.

NVNQVID OMNES INTERPRETANTVR? Subaudi, *linguas*. De hoc dono quale ſit, & quare dono linguarum adiungatur, dictum eſt ſuperius. Sentit enim apoſtolus nec omnes quidem eos qui loquuntur linguis, poſſe interpretari quod loquuntur. Itaque hæc additio facit etiam ad prioris doni, id eſt, linguarum depreſſionem: vtpote quod ſine dono interpretandi vix habeat vtilitatem.

Non omnes loquẽtes linguis, eas interpretari poterant.

31 ÆMVLAMINI AVTEM CHARISMATA MELIORA. *Meliora*, κρείττονα præſtantiora. Pro quo legitur in quibuſdam exemplaribus μείζονας, *maiora:* quomodo citat hũc locum Origenes in epiſtolam ad Rom. 12, & Hieronymus lib. 2 dialogi contra Pelagianos capit. 6, tametſi Theophylactus & Oecumenius poſt Chryſoſtomum ſtudioſè annotant, apoſtolũ non dixiſſe *maiora*, ſed *meliora*: id eſt, ad eccleſiam iuuandam vtiliora: cùm alioqui in ſpiritualibus ea maiora dicantur, quæ ſunt meliora. Retinet autem interpres hoc loco Græcam vocem χάρισμα: quum alibi ſemper eam Latinè reddat; vt *gratiam*, *donum*, *donationem*. Tertullianus lib. 1 ad vxorem capit. 3, *meliores donationes* legit. Porrò dubium eſt, *æmulamini* cuius modi ſit. Tam enim Græcũ quàm Latinum, vel indicatiuè vel præceptiuè poteſt accipi. Photius apud Oecumenium cenſet indicatiuum eſſe: & quidem legi vult cum interrogatione, qua Corinthios repre-

In ſpiritualibus ea maiora quæ meliora.

hendat

hendat apoſtolus, quod ambitiosè ad maxima quæque chariſmata anhelarent: quaſi dicat: Ambitis verò dona potiora? En vobis demonſtrabo, quod omnibus illis potius ſit ac maius. Exſtat idem ſenſus apud Theodoritum: ſub nomine tamen alieno, quaſi minus eum probet: vt nec probandus eſt. Non enim Corinthij reuera aſpirabant ad dona meliora: quippe qui donum linguarum, quod pœnè extremum erat; multis melioribus anteponebant. Igitur alij præceptiuè exponũt verbum ζηλοῦτε, *æmulamini:* tanquam exhortetur illos apoſtolus ad ea dona conquirenda, non quæ vulgi iudicio maiora ſint, id eſt, admirabiliora: ſed quæ ad vſum eccleſiæ potiora. Qui ſenſus haud dubiè melius explicat mentem apoſtoli. Nam initio cap. 14 repetit & proſequitur eandem exhortationem dicens, *Æmulamini ſpiritualia: magis autem vt prophetetis.* & in fine tandem concludit, *Æmulamini prophetare.* Verùm, ni fallor, plenius explicabitur mens apoſtoli, ſi non abſolutè, ſed tantum ex hypotheſi æmulationis, accipiatur iſta exhortatio. Non enim exhortandi erant fideles ad æmulandum, exempli cauſâ, donum operandi virtutes & ſanitates, id eſt, gratiam patrandi miracula; quæ periculoſa eſt tentatio: & *multi talia deſiderantes ceciderunt*, ait Auguſtinus in enarratione pſalmi 90. Sed & apoſtolus in ſuperioribus eiuſmodi deſideria cohibet, dum chariſmatum diuerſitates non ad hominum ſtudia refert, ſed ad beneplacitum eius qui diuidit ſingulis prout vult: quique poſuit vnumquodque membrum in corpore ſicut voluit: per hæc tacitè ſignificans, vnumquemque dono ſibi diuinitus attributo contentum eſſe debere. Neque enim erant huiuſmodi dona, quæ gratum aut gratiorem Deo redderent habentem: ſed magis talia, quæ, niſi charitas medeatur, infirmos animos ſoleant inflare. Quare ad ea æmulanda ſeu cõſectanda (id enim æmulandi verbum hoc loco ſignificat) non erat dandum fidelibus abſolutum præceptum. Senſus igitur eſt: Quoniam æmulamini chariſmata, quod non prohibeo; ſtudete conſequi meliora, id eſt eccleſiæ Dei vtiliora. Quem vtique ſenſum ſatis apertè nobis indicat id quod dicit cap. ſequenti: *Quoniam æmulatores eſtis ſpirituum: ad ædificationem eccleſiæ quærite vt abundetis.* Certè paraphraſtes Syrus, etſi ſenſum hunc non omnino ſit aſſecutus, intellexit tamen in apoſtoli præcepto conditionem latere, *Si æmulemini dona* &c. Iam huic intellectui quomodo non obſiſtant illa eiuſdem capitis, *Æmulamini ſpiritualia.* &, *Æmulamini prophetare:* patebit ex eorum interpretatione, quam dabimus.

Exhortatio Pauli non abſoluta, ſed ex hypotheſi.

Petere gratiam miraculorum, periculoſa tentatio.

Quid æmulari hoc loco.

ET ADHVC EXCELLENTIOREM VIAM VOBIS DEMONSTRO. Hæc ſententia velut exordium eſt eius quod agitur capite ſequenti. Vnde & Græci quidam codices hinc faciũt initium noui capitis: Latini verò nonnulli ab illa parte, *Æmulamini autem chariſmata mel. Excellentiorem*, Græcè καθ' ὑπερβολήν, id eſt, *ſecundum exceſſum*. Quod nonnulli referunt ad verbum δείκνυμι *oſtendo, demonſtro*. hoc ſenſu: Eſt adhuc via quam vobis diligentiſſimè demonſtro. Sed plerique, & quidẽ aptius, referunt ad *viam*, & cum ea conſtruunt tanquam adiectiuum cum ſubſtantiuo. Quod fecit noſter interpres, dum vertit *excellentiorem viam*. Significat enim apoſtolus viam quam monſtraturum ſe promittit, eximiam eſſe, &, vt loquuntur, exceſſiuè meliorem, id eſt, multo excellentiorem ijs donis, de quibus hactenus egit. Auguſtinus *ſupereminentem* legit tract. 6 in Ioannem, citante Beda, & alibi. Loquitur autem apoſtolus de charitate: quam viam vocat, hoc eſt modum ac rationem viuendi. Nam *via* pro genere vitæ, frequens eſt in ſcripturis, maximè in Actis apoſtolorũ. Vocat autẽ hanc viam præ alijs excellentem: quia per eam certiſſimè tenditur ad Deum: non item per alia dona. Porrò non ſatis liquet vtrùm charitatem, de qua conſequenter acturus eſt, velit vnum eſſe è numero chariſmatum, cæteris tamen excellentius: an verò eam ſimul cum fide & ſpe, quas nominat in fine capitis ſequentis, à genere chariſmatũ diſtinguat. Quod ſecundum verius eſt. Nam tres iſtas virtutes apoſtolus inter chariſmata nuſquam enumerat: imò magis initio cap. 14. ſignificat charitatem ab illis eſſe diuerſam, cùm ait, *Sectamini charitatem*; *æmulamini ſpiritualia*: nomine ſpiritualium chariſmata deſignans. Hinc ad Galat. 5 charitatem recenſet inter fructus ſpiritus, id eſt, virtutes quibus accepti reddimur Deo: & in earum catalogo primam nominat: vbi nihil habes iſtorum donorum de quibus hoc loco. Sanè Paulo apoſtolo non ſolum charitatem, ſed & fidem ac ſpem quas dixi, non eſſe de numero chariſmatum, vt hic ſumuntur, ex eo liquet: quia chariſmata non vult eadem omnibus eſſe communia: ſed alia alijs membris attributa, tanquam propria quædam officia ſeu miniſteria, ſicut in corpore humano. At fidem, ſpem, charitatem, ab omnibus exigit vt ad ſalutem neceſſaria. Neque tamẽ charitatem à chariſmatis ideo ſeiungit apoſtolus, quia charitas ex nobis eſt, & in noſtra poteſtate: quemadmodum ſecundum ſuam hæreſim Pelagius annotat hoc loco, & ad initium capitis ſequẽtis. Quod à Primaſio animaduerſum, rectè catholicéque correctum eſt: dum è contrario annotat charitatem in nobis diffundi per Spiritum-ſanctum: Sed hęc cauſa eſt, quia nomen chariſmatis vſu fidelium accommodatum erat ad ea dona ſignificanda, quæ à poſterioribus Theologis appellatæ ſunt gratiæ gratis datæ.

SVMMARIVM.

Docet non habenti charitatem cætera dona nihil prodeſſe. Virtutes & opera charitatis recenſet: ipſamq́, cæteris, eo quod ex parte ſint, ceſſantibus, oſtendit permanſuram: fide etiam ac ſpe maiorem eſſe.

CAPVT XIII.

Charitatis excellentia ſupra chariſmata, cæteraſq́s virtutes.

MOnſtrat apoſtolus hoc toto capite viam quam promiſit: excellentiam charitatis aſtruens, non ſolum ſupra chariſmata, de quibus iam egerat, verùm etiã ſupra ſocias virtutes, fidẽ & ſpem.

1 *Cur donũ linguarũ in primis expetitũ à Corinthijs*

SI LINGVIS HOMINVM LOQVAR ET ANGELORVM. Quoniam Corinthij donum linguarum præ cæteris admirabantur, ſiue quia primum hoc apoſtoli acceperant, deſcendente ſuper ipſos Spiritu-ſancto, Acto. 2. quæ ratio eſt apud Theodoritum; ſeu potius quia per ſe tale eſt, vt hominem vulgo faciat admirabilem, magis quàm ſcientiæ quæ de rebus ſunt: idcirco Paulus ab eo capit exordium. Si, inquit, dono linguarum ita polleam, vt omnium gentium linguis loquar: imò & angelorum. Hoc addidit ſecundum Caietanum, vt locutioni ſenſibili, quæ per linguas hominum ſignificatur, adiũgeret locutionẽ intellectualẽ, qualis eſt angelorũ: de qua diſputãt Theologi, nominatim Aquinas etiam hoc loco: vel potius, ſecundum alios, vt hoc ſchemate ſermonis, aliquid humanis linguis excellentius ſignificaret; quomodo dicimus egregia forma vel ingenio iuuenem habere vultum vel ingenium angelicum. Nã angelos propriè linguas ſeu linguarum genera non habere, conſtat apud omnes doctos, etiam eos qui corpora quædã ſubtilia illis tribuunt. Sed ſi linguas haberent, eſſent illæ profectò linguis omniũ hominum præſtantiores: in quantum eorum natura præſtantior eſt humanã. Non eſt hic de eloquentia ſermo, ſed de generibus linguarũ. Vnde ſenſum apoſtoli non reddunt, qui linguas angelorum interpretantur angelicam, id eſt, eximiam quandam gratiam dicendi.

Quæ linguæ Angelorum.

CHARITATEM AVTEM NON HABEAM. Quid nomine charitatis intelligat apoſtolus, paulò poſt exponemus. Loquitur autem in prima perſona, vt oſtendat ſe neminem excipere à generali ſententia.

FACTVS SVM VELVT ÆS SONANS, AVT CYMBALVM TINNIENS. *Velut* non eſt in Græco, ſed à quopiam additum explicandæ ſententiæ cauſa: quemadmodum & adiecit Syrus paraphraſtes. Auguſtinus ſine eo legit, *Factus ſum æramentum ſonans*, ſermone 50 de verbis Domini, & l. 15 de Trinitate capit. 18. Cymbalum apud veteres inſtrumentum erat ſonorum magis quam muſicum, quo mulieres vtebantur, à Caietano ſatis curiosè deſcriptum. *Tinniens*, Græcè ἀλαλάζον, quod etiam ſignificat *inbilans*, *vlulans*, *exſultans*. Faber vertit *inbilans*. vt opponatur linguis angelorum Deo iubilantium. At reuera cymbalo adiectum non aliud ſignificat, quàm quod noſter interpres & alij verterunt. Comparat apoſtolus eum, qui linguis loquitur charitate vacuus, æri ſonanti & cymbalo tinnienti: vel quia talis ſolum alijs prodeſt, non ſibi; velut hæc inanima, æs & cymbalum, ſonando ſeruiunt hominibus, ac ſeipſa deterunt & corrumpunt. Sic enim Latini ferè exponunt. (Atque huic perſimile eſt quod Cleanthes philoſophus, referente Laërtio, dicebat; Peripateticis idem accidere quod lyris, quæ cũ bene ſonant, homineſque oblectant, ſeipſas tamen non audiunt.) Vel ſecundum Græcos interpretes, quia non ſolum ſibi non prodeſt, ſed nec alijs. Cùm enim careat charitate quæ ædificat, non vtique dono linguarum vtitur ad aliorum ædificationem. Hic commentarius etiam apud Primaſium eſt, ac nonnullos Latinos recentiores; & conuenire videtur cũ eo quod ſequenti capite dicitur, eos qui temerè & indiſcretè linguis loquuntur, cùm non adſit qui interpretetur, non ædificare eccleſiam, ſed in aëra loqui, remque agere inutilem. Valet autem etiam ſecundum hunc intellectum comparatio: quia æs quidem reſonat, ſed ſonitu ſuo nihil certi ſignificat: cymbalum autem tinnitu tantum delectat: neutrum verò confert quicquam ad vſum vitæ humanæ. Nam quod ad ſonum vtriuſque naturalem attinet, ac niſi arte pulſentur, nullius certæ rei ſignificationem ingerunt audientibus: quomodo capite ſequenti de tibia, cythara & tuba dicitur, niſi diſtinctionem ſonituum, quæ fit ab arte, deſint, non intelligi quod ſonatur. Vnde quod ars præſtat inſtrumentis inanimatis, id charitas præſtat linguis, ſcilicet intellectum, vtilitatem, ædificationem. Illud etiam quod præcedit, *charitatem autem non habeam*, exponunt ijdem de charitate qua donum linguarum applicetur ad aliorum vtilitatem. Verumtamen prior ſenſus magis conuenit cum his quę proximè ſequuntur, vbi dicit, *nihil ſum, nihil mihi prodeſt*. tanquã id ſolum vrgens quod ſibi ſit inutilis. Alioqui ſanè conſtat eos qui dona de quibus hic agitur, acceperunt, etſi charitate deſtitutos, ſibique inutiles, ſæpè tamen alijs ſuo miniſterio prodeſſe, ſiue in exhibendis eccleſiæ ſacramentis, ſiue in prædicando verbo Dei, nonnunquam etiam in operandis miraculis: vt illi qui dicturi ſunt: *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, virtutes multas fecimus?* Tales multi ſunt in eccleſia mercenarij, quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti: per quos tamen nobis Chriſti ſalutaria doctrinæ pabula præbentur. Tales erant & illi qui Chriſtum annunciabant, non ſincerè ſed ex contentione: de quibus Paulus Philip. 1, *Dum omni modo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur: & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo*: non vtique gauiſurus, ſi fructum

Cur æri & cymbalo comparatus homo charitatis expers.

Qui caret charitate, poteſt alijs eſſe vtilis.

Tales in eccleſia mercenarij.

Quid cymbalũ.

ex eorum

Occupatio.

ex eorum predicatione nullū ſperaſſet. Quod autem capite ſequenti loquentem linguis abſque interprete, negat ædificare eccleſiam Dei: non ideo dicit, quod deſit illi charitas, ſed quia ſine interprete non intelligitur.

2

ET SI HABVERO PROPHETIAM. *Habuero*, ἔχω, *habeam*, vt ſuprà. *Prophetiam*, id eſt, donum prophetiæ, quam ſequenti capite linguis anteponit: cuius & in ſuperioribus meminit. Obſeruat Thomas Paulum hoc loco ordine repetere quatuor dona ad cognitionē pertinentia, quæ poſuit capite ſuperiori ver. 8, 9, 10. nēpe ſapientiā, ſcientiā, fidem & prophetiā: niſi quod hic à prophetia incipiat. Cuius rationē exiſtimo: quia ſpecialiter inſtituit cōparationem linguarū cum prophetia cap. proximo. Porro videtur ex ſequentibus ſupplēda per ſyllepſin vocula, *omnem*: vt ſicut in cæteris, ita & in hoc dono quædam excellentia ſeu perfectio ſignificetur. Et quidem *omnem prophetiam* legit Aug. ſer. 50 de verbis Domini.

Myſteria quæ dicātur.

ET NOVERIM MYSTERIA OMNIA. Myſteria, Latinè ſacramenta paſſim apud Auguſtinum. Significantur autem arcana diuina ac cæleſtia; quorum noticiam præcedenti capite verſu 8 ſapientiam vocauit. Vnde & ait: *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt*, ſuprà capite 2. Et hinc rurſum diſce ſapientiam à charitate ſeparari poſſe: quemadmodum & ſcientiā. Quod & Thomas agnoſcit hoc loco: tacitè corrigens quod de ſapientia & ſcientia diuerſum dixerat capite ſuperiori, ſermonē ſapientiæ & ſciētiæ exponēs.

Scientia quamuis operoſa, ſine charitate nil prodeſt habenti.

ET OMNEM SCIENTIAM. Hic repetendum eſt, *habeam*. tametſi quidam ex proximo repetunt, *nouerim ſcientiam*. Nam ſcire ſcientiam phraſi dicitur non inuſitata, præſertim Hebræis, vt peccare peccatum, retribuere retributionem. Scientiam intellige eandem quam cap. præcedenti. Dicit autem *omnem*, id eſt, omnium ſcientiam, ſcilicet eorū ad quę ſcientiæ donum extenditur. Neque hic de ocioſa tantum ſcientia ſermo eſt, ſed & de ea quæ in vſum expenditur, docendo & ſcribendo: de qua Hieronymus in commētario epiſtolæ ad Gal. 5 ita loquitur: *Interpretamur ſcripturas, ſæpe vertimus ſtylū, quæ digna lectione ſunt, ſcribimus: & niſi Chriſti cauſa fiāt, ſed memoriæ in poſteros & famæ in populos, totus labor irritus fiet: & erimus quaſi tympanū ſonans & cymbalū concrepās.*

Fides miraculoſa ſine charitate non prodeſt.

ET SI HABVERO OMNEM FIDEM, ITA VT MONTES TRANSFERAM, CHARITATEM AVTEM NON HABVERO. De ea fide loquitur quam ſuperius inter chariſmata recenſuit. Et ſenſus eſt: Si fidem habeam adeò perfectam, vt per eam miracula faciam etiam maxima, factuque difficillima; quale eſt, hominum opinione, montem loco dimouere, & aliò tranſferre. De qua fide Dominus in euāgelio Marci 11. *Quicumque dixerit huic monti, tollere & mittere in mare, & nō hæſitauerit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcunque dixerit fiat: fiet ei.* Perfectam autem fidem dico, non à charitate, quam formatam fidem vocant Theologi: ſed ab illuſtratione intellectus circa ea quæ creduntur & promiſſa ſunt, cū fiducia impetrādi quod petitur. Qua ratione fidei ſit attribuenda miraculorum operatio, doctè tradit Thomas in diſputatis de potentia q. 6. art. 9. Si quæras an quis aliquando montē tranſtulerit hac fide inſtructus: non dubium quidem eſt multos ſanctos tantam habuiſſe fidem, qua id facerent, ſi res eccleſiæ ita poſtulaſſet. Nam vnicuique datur *manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem*: vt dictum eſt cap. ſuperiori. Factum autem aliquando fuiſſe non oportet: cùm fecerint alia vel paria vel etiam maiora; quale eſt mortuos ſuſcitare. Et tamē etiam hoc factum fuiſſe teſtantur authores fide digni, vt de S. Gregorio Neocęſarienſi, Gregorius Nyſſenus in eius vita, & Gregorius Romanus l. 1 dialogi cap. 7. ibidemque de S. Nonnoſo Abbate: ac de alijs alij. Iam verò cum iſtud fidei donum includat in ſe fidem Chriſtianam & catholicam; ſolida ratione contra hæreticos ex hoc loco oſtenditur, fidem Chriſtianā & catholicam à charitate ſeparatam eſſe poſſe: quemadmodum & illud, gratiam miraculorum ſine charitate conſiſtere. Notandū hic eſt, ait Thomas, *quod fides firma etiam ſine charitate miracula facit.* Sed & Hugo Victorinus in quæſtionibus huius capitis notat & inculcat, errorem hic deſtrui negantium fidem eſſe poſſe ſine charitate. Nota quoq; eſt ſententia Auguſtini l. 15 de Trinitate cap. 18. vbi cùm, citatis huius loci verbis, intuliſſet quod *ipſam fidem non faciat vtilem niſi charitas*, ſubiunxit: *ſine charitate quippe fides poteſt quidem eſſe, ſed non & prodeſſe.* Quidam, inter quos Eraſmus in declaratione ad cenſurā Theologorum Pariſienſium ſuper propoſitione 16, 17 & 18, hoc argumētum ex apoſtolo ſumptum ſoluere conantur, dicentes ſermonem eius eſſe conditionalem, in quo ſit hyperbolē ſeu fictio quædam, ad exaggerandam laudem charitatis: proinde non eſſe conſequēs, vt id quod tali modo dicitur, euenire queat: id eſt, vt quis fide montes transferens, charitatem non habeat: quemadmodum ex eo quod ait Gal. 1. *Licet angelus de cælo euangelizet vobis, præter quod euangelizauimus vobis, anathema ſit*: non ſequitur poſſe fieri, vt angelus de cælo euangelizet, præter id quod Paulus euangelizauerat. Et huius ſuę reſponſionis authores adducunt Baſilium & Ambroſium: quorū ille epiſtola 75 ſcripta ad Neocæſarienſes, cùm apoſtoli verba ab huius initio cap. retuliſſet, ita ſubdit: *non quod quicquam eorum quæ commemorata ſunt, vnquam ſine charitate præſtari poſſit: ſed quod ſanctus apoſtolus, vt & ipſe dixit* (in fine capitis præcedentis) καθ' ὑπερβολήν, id eſt, *hyperbolico modo voluerit excellentiam omnia ſuperantem iſti aſcribere* dilectionis *præcepto*. Alter in epiſtola 74 ad Horontianum ſcripta, arbitrari ſe dicit, *propoſiti gratia hoc dixiſſe apoſtolū. Neque enim videtur mihi*, inquit, *qui habeat omnem fidem, ita vt montes tranſferat, charitatē non habere*: quod cōſequenter etiā cenſet de eo qui nouerit om-

Perfecta fides quæ dicatur.

Miracula quaratione tribuēda fidei. An quis aliquādo montem trāſtulerit.

Fidem Chriſtianā à charitate ſeparari poſſe: vt & gratiā miraculorum.

Opinio Eraſmi de hoc loco, eiuſq; rationes.

Ex Baſilio & Ambroſio.

Responsio ac refutatio.

nia mysteria & omnem scientiam. Primùm respondeo Paulum non quidem affirmare, quod fuerit, aut futurus sit aliquis, qui fide montes transferat, & charitatem non habeat: satis apertè tamen eum significare, quod nihil obstet quo minus illud contingere possit. Nam sanè, sicut apostolo nulla repugnantia est, aliquem linguarum aut prophetiæ dono aut noticia mysteriorum atque scientia excellere; quæ superius nominata sunt: aut in egenos esse profusum, aut corpus suum flammis tradere pro Christi nomine; quæ postea nominantur; & charitatem non habere: ita nihil repugnat ex eiusdem apostoli mente, vt quis habeat fidem qua montes transferat, & charitatem non habeat. Similiter enim de his omnibus loquitur. Quod verò Basilius affirmat nihil eorum quæ connumerauit apostolus, sine charitate præstari posse; non sentit illa dona, ne quidem si excellenter ea quis habeat, ita necessariò cum charitate cohærere, vt prorsus diuelli nequeant: sed Deum non solere tantam donorum excellentiam conferre, nisi in amicos suos, ac fortasse nunquam contulisse, nec collaturum esse. Hoc enim vocat, non posse præstari, scilicet potentia ordinaria quam vocant. Excipio duo postrema, quæ non dona sunt huius loci, sed secundum genus suum opera virtutum: facultates suas effundere in pauperes, & pro Christi confessione comburendum se tradere. Constat enim ab hæreticis & schismaticis interdum talia facta fuisse. Cæterùm Ambrosij verba minorem habent difficultatem. Non enim negat fieri illud posse: sed de facto loquitur, ac sentit vix aut nunquam contingere vt quis fidem habeat tam excellentem, qua montes transferat, nec tamen habeat charitatem. Idque dicit opinando, nimirum vtens his vocibus, *arbitror*, *videtur*: hoc ipsum autem & nos fatemur. Sed si fides illa tanta non eam habet necessariam cum charitate connexionem, vt non aliquando separari possit: quanto minus Christiana qualiscumque? Illud verò quod ex epistola ad Galatas obijcitur, non est simile. Nam eo loco Paulus, quo magis persuadeat, hypothesin adfert rei impossibilis: hîc autem id agit ex professo, vt ostendat charismata quantumuis excellentia, sine charitate nihil prodesse; supponens vtique ea sine charitate haberi posse.

Basilij locus explicatur.

Itē Ambrosij.

Alia obiectio refellitur.

Quid apostolo, nihil esse.

NIHIL SVM. Id est, nullius sum precij apud Deum; nihil istorum me Deo commendat; vel, vt mox exponit, *nihil mihi prodest*, scilicet ad amiciciam & participationem Dei, & ad salutem æternæ vitæ. Aquinas, *nihil sum secundum esse gratiæ*. Caietanus, *nihil sum in esse diuini consortij*. Quæ omnia idem valent. Dicet aliquis, Si nihil est homo sine charitate; ergo catechumenus & fidelis pœnitens, ante perceptum sacramentum baptismi vel reconciliationis assiduè se exercens in operibus pietatis, nihil est, nihil hæc illi prosunt. Non enim habet charitatem: quæ demum infusa diuinitus accipitur in sacramento, simul cum remissione peccatorum. Respondetur apostolum hoc loco non secernere eum qui remissionem peccatorum habet, ab eo qui non habet: sed eum qui Deum ac proximum rectè & sincerè sicut diligendus est, diligit, ab eo qui non diligit: siue ille sic diligens sit iam Deo reconciliatus, siue non. Etenim vult hac sua doctrina apostolus, vt opera nostra proficiscantur ex charitate, non ex cupiditate & amore sui: quomodo faciunt ea qui honoris aut gloriæ, aut pecuniæ, aut voluptatis appetitu, aut alio prauo affectu mouentur ad agendum quippiam; vtique charitatem intelligens, non habitum illum amiciciæ hominis cum Deo: per quem & amicus & filius Dei quis constituitur, & heres regni cælestis: quique proinde solis competit regeneratis & reconciliatis: sed affectum sinceri amoris erga Deum, vt summum nostrum ac beatificum bonum: & erga proximum ex eodem affectu diligendum. Cuiusmodi quidem affectus etiam in bono catechumeno, & in fideli pœnitente sacramentum desiderante, & ad Dei amiciciam aspirante, debet agnosci. Quibus haud dubiè prodest ad salutem & vitam æternam: quatenus ad peccatorum remissionem, Deique amiciciam perducit: & iustificationis initium quoddam est: licet perfectam meriti rationem non attingat. Hanc enim siue dilectionem siue charitatem significauit Dominus Lucæ 7, dicens de peccatrice: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Sic autem accipi hoc loco charitatem, imprimis obiectio iam dissoluta conuincit. Quis enim dixerit catechumenum siue pœnitentem feruenter Deum orantem, ieiunantem, eleemosynas largientem, peccatorum suorum veniam cum vera eorum detestatione, cumque spe & fiducia requirentem; iuxta Pauli mentem ac doctrinam, nihil esse: atque hæc omnia nihil ei prodesse? Sed & ea quæ sequuntur in textu, satis arguunt eam charitatis acceptionem quam dixi. Cùm enim dicit apostolus, nihil prodesse homini si charitatis expers omnia sua distribuat in pauperes, & corpus suum flammis tradat: non sentit homini nihil prodesse quod in bonis operibus Christianè se exerceat, si nondum sit receptus in gratiam & amiciciam Dei: Verùm de eo loquitur qui talia faciat non ex amore Dei & proximorum, sed gloriam captans humanam, aut interim fraterno laborans odio, aut extra ecclesiam schismati cuipiam adhærens: quales olim

Quæstio de catechumeno vel pœnitente, nōdum baptizato seu reconciliato. Resp̄sio.

Scopus apostoli, vt opera nostra procedant à charitate non à cupiditate. De qua charitate loquatur apostolus.

Charitas affectus sincerier ga Deum amoris.

Quæ charitas separata à gratia & amicicia Dei.

Bonus catechumenus ac pœnitēs dici nō potest nihil esse.

De quo charitatē non habē te Paulus loquatur.

fuere

fuere quidam Montaniſtæ, Nouatiani, Donatiſtæ, Ariani, mortem oppetentes pro confeſſione nominis Chriſti: quos eccleſia catholica nũquã martyrũ honore dignata eſt; ſed vt ſchiſmaticos & hæreticos reprobauit: vti variis locis teſtantur Cyprianus & Auguſtinus, ille contra Nouatianos agens, iſte contra Donatiſtas. His adde quod apoſtolo ſtudium fuit Corinthios contentionibus deditos, & factiones ac ſchiſmata quædam inter ſe facientes, (quemadmodum patet ex cap. 1, 3 & 11 huius epiſtolæ) ad amorem & concordiam fraternam reuocare, & ad colenda mutui amoris officia cohortari: ideoque inter encomia charitatis mox ſubdit, quod ſit patiens & benigna, quod non æmuletur, & cætera continuo ordine: quæ cuncta propriè ſpectant ad proximorum dilectionem. Non autem ex eo charitatem commendat, quod faciat amicos ac filios Dei, & heredes regni cæleſtis: aut quicquam tale. Quod tamen inter eius laudes tacere non debuit, ſi commendare volebat eam dumtaxat charitatem, quæ cum reatu mortis æternæ non conſiſtit. *Generalior charitatis acceptio apud Auguſtinum.* Eam generaliorem charitatis acceptionem paſſim agnoſcit Auguſtinus, vt lib. 3 de doctrina Chriſtiana cap. 10, vbi charitatem definit *motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum.* & vbicumque eam vocat ac definit rectam & bonam voluntatem, boníque cupiditatem, vt lib. 12 de ciuitate Dei cap. 9, & lib. 14 capit. 7; item lib. de gratia Chriſti cap. 21, de gratia & libero arbitrio cap. 17, & contra duas epiſtolas Pelagianorum lib. 2 cap. 9, necnon homilia 8 inter 50. Cæterùm Proſper lib. 3 de vita contempl. cap. 13 & 14, charitatem de qua loquitur apoſtolus, definit rectam voluntatem ab omnibus terrenis ac præſentibus auerſam: atque ijs notis ceu coloribus depingit, quæ partim in eam charitatem competunt, quæ eſt pœnitentium: partim in eam quæ eſt amicorum Dei; partim in generalem rationem charitatis: quale eſt illud, *ſine charitate quæ dicta eſt via, non ambulare poſſunt homines, ſed errare.* Quod autem fatendum ſit, aliquam eſſe Dei ſeu dilectionem ſeu charitatem (non enim hæc vocabula ſcriptura diſtinguit, cùm ſemper in Græco ſit ἀγάπη) quæ remiſſionem peccatorũ antecedat: quæ tamen charitatis illius ſpecialiter dictæ ſit inchoatio quædam, ſicut & illa huius perfectio: plenius oſtendimus ex ſcriptura & patribus, ad diſt. 27 lib. 3 ſententiarum.

Charitas recta & bona voluntas.

Proſperi locus de charitate.

3 ET SI DISTRIBVERO IN CIBOS PAVPERVM OMNES FACVLTATES MEAS. Pro quatuor vocibus, *diſtribuero in cibos pauperum*, in Græco vnum ac ſimplex verbum eſt ψωμίζω; quod & textus Ambroſianus vno verbo reddit, *eroganero*. Græca vox ſignificat in fruſta ſeu particulas eſcam diuiſam porrigere ac præbere in alimoniam. Nec dubium quin de alendis pauperibus apoſtolus loquatur; etiamſi *pauperum* nomen non expreſſerit. Sed & pro eo quod omnes Latini codices habent *omnes facultates meas*, & plerique Græci πάντα τὰ ὑπάρχοντά μου, in quibuſdam tantum legitur πάντα τά μου, *omnia mea*. Quod accidiſſe potuit propter repetitum τὰ. Quamquam & veteres Latini legunt *omnia mea*, Cyprianus ad Quirinum libro 3 teſtimonio 3, & Auguſtinus ſermone 50 de verbis Domini. Ex hoc loco forte quis ſuſpicetur apoſtolum Paulum non fuiſſe ex eorum numero qui dicere poſſent, *Ecce nos reliquimus omnia.* Dicit enim, *Si diſtribuero* &c, quaſi id non fecerit. Sed pari ratione probaueris eum non habuiſſe fidem ſatis magnam qua montes transferret: quia dixit, *ſi habuero omnem fidem, ita vt montes trãſferam*. Igitur reſpondeo Paulum priuata ſua bona diſſimulantem ea dixiſſe, quæ vnuſquiſque fidelis dicere & cogitare debet: quæcũque & quantacumque chariſmata habuerit, ſi charitate careat, omnia nihil ei prodeſſe. Porrò quod dixit de diſtribuendis in pauperes omnibus facultatibus, adduxit pro exemplo operis in ſpeciem valde præclari: quia magni ſolet hoc æſtimari ab hominibus: ſicut & id quod ſequitur.

Paulus an omnia ſua reliquerit.

ET SI TRADIDERO CORPVS MEVM ITA VT ARDEAM. *Ita* abeſt in quibuſdam codicibus, & in antiquis concordantijs. Quibus volunt textus Ambroſianus, & Primaſius: Item Cyprianus & Auguſtinus antea citati, rurſumque Auguſtinus in enarratione pſalmi 43, atque alibi, & Proſper in epiſtola ad Demetriadem. Denique nec Græcè nec Syriacè legitur. Additum videtur exemplo partis ſuperioris, *ita vt montes transferam*. Sanè quod ad ſenſum, non redundat modò, ſed & officit. Sciendum quoque pro verbo καυθήσομαι *ardeam*, in quibuſdam Græcis exẽplaribus vnius literæ varietate ſcriptum olim fuiſſe καυχήσωμαι, *glorier*: quemadmodum refert Hieronymus in commentario Gal. 5, & ita refert vt hãc poſteriorem lectionem exiſtimet veram, dicens apud Latinos, qui legunt *ardeam*, errorem inoleuiſſe. Qua in re Hieronymo non aſſentimur. Nam præterquã quod Græcorum commentarij nobiſcum faciunt, ipſe apoſtoli ſermo quo dicit, *ſi tradidero corpus meum*, niſi addatur, ad quid tradidero, vt ad mortem, ad gladium, ad ignẽ, mutilus & imperfectus eſt. Sunt enim qui corpora ſua tradunt ad molliciem & voluptates. Itaque conuenientiſſimè ſequitur, *vt ardeam*, per quod res vehementer ardua ſignificatur, ſicut per illud præcedens, *ſi diſtribuero omnes facultates meas*. Adde quod non ſatis aptè quis dicitur corpus ſuum tradere vt glorietur. Nam tradẽdo corpus ſuum, moritur: at nemo quid facit vt poſt mortem glorietur, eâ gloriâ quam Hieronymus vult intelligi: potiuſque dicendum erat, vt gloriam conſequar. Quod tamen vox Græca non ſignificat. Denique ſi ſcripſit apoſtolus, *vt glorier*, vel vt *gloriam conſequar*; quid iam opus erat addere, *charitatem autem non habuero*; cũ hoc in priori contineretur? Si enim gloriæ de-

Diuerſa lectio huius loci reijcitur.

ſiderio corpus ſuum quis tradit; non igitur ex charitate. Dicit igitur apoſtolus: *Si tradidero corpus meum vt comburar*, vtique pro confeſſione nominis Chriſti. Quod nonnulli ſic intelligunt; Si non ſolum patiar me tradi, ſed, quod quidam martyres fecerunt, ipſe me ſponte tradam & offeram ad ſupplicium, non qualecumque ſed incendij. Atqui verior intellectus eſt, ex apoſtoli ſententia tunc aliquē tradere corpus ſuum vt ardeat, quando data optione, vt aut Chriſtum neget, aut ignem patiatur, eligit potius ignem pati, & igne conſumi, quā Chriſtum negare: etiamſi nō ſeipſe ad hoc ſupplicij genus offerat; ac multo minus (quod olim Donatiſtæ faciebāt) ipſe ſe in ignem mittat. Ita locū hunc exponit Auguſtinus epiſt. 104 ad Donatum presbyterum: & probat ex ſcriptura Dan. 3, vbi de tribus illis viris, qui propoſito ſupplicio fornacis ardentis, iubebantur ſtatuam auream adorare, *ſcriptum eſt, quod tradiderunt corpora ſua, ne ſeruirent & ne adorarent omnem Deum, excepto Deo ſuo:* qui tamen nec ipſi ſe in ignem miſerunt, nec in ignem mittendos obtulerunt, ſed mitti ſeſe permiſerunt. Auguſtini verba videre eſt etiam apud Bedam in collectaneis.

Quid tradere corpus ſuum vt ardeat

CHARITATEM AVTEM NON HABVERO, NIHIL MIHI PRODEST. Græcè οὐδὲν ὠφελοῦμαι, *nihil proficio*, vt legit Cyprianus, id eſt, nihil vtilitatis capio: ſcilicet eo ſenſu quē ſuprà diximus. Duo nominauit opera; alterum inſignis miſericordię erga proximos, alterum eximiæ fortitudinis pro teſtimonio veritatis diuinæ; & vtrumque magnæ charitatis in Deū, eccleſiam, proximos, ſi ſecundum ſe conſiderentur huiuſmodi opera. Docet ergo non ſolum chariſmata quæ propriè nō ſunt virtutes, quibus homo bonus efficitur; ſed & opera virtutum quantumuis ſpecioſa, ac ſuo genere præclara & ardua, nihil homini ad ſalutē prodeſſe, ſi deſit charitas illa quæ præſtat vt Dei gloria quæratur imprimis & ſalus proximorū. Pulchrè B. Auguſt. in ſerm. 50 de verbis Domini c. 2, loquēs de ijs *qui falſo martyrij nomine in paſſionibus gloriātur: Ecce, venitur*, inquit, *ad paſſionē: ecce venitur & ad ſanguinis effuſionē: venitur & ad corporū incenſionē: & tamē nihil prodeſt; quia charitas deeſt. Adde charitatem, proſunt omnia: detrahe charitatem, nihil proſunt cætera.* Sic ille. Quod Hieronymus etiam ijs contingere poſſe qui ſunt in eccleſia, ſignificat his verbis in cōmentario epiſtolæ ad Gal. 5, *Timeo dicere, ſed dicendum eſt. Martyrium ipſum ſi ideo fiat, vt admirationi & laudi habeamur à fratribus; fruſtra ſanguis effuſus eſt.* Iam ſi quærat aliquis vtrum patientia hominis ſchiſmatici, *qua non pro errore qui eum ab eccleſia ſeparauit, ſed pro veritate ſacramenti ſeu verbi quæ apud eum remanſit, timore pœnarum æternarum pœnas patitur temporales, culpanda ſit, an laudanda:* & ſi laudanda, num *Dei donum ſit, an viribus tribuenda voluntatis humanæ:* & ſi ſit Dei donū, ad quid ei proſit: Reſpondet ad hęc tria B. Auguſtinus lib. de patientia cap. 26, 27 & 28.

Non ſolū chariſmata, ſed & opera virtutum ſine charitate nihil proſunt.

Notāda ſententia.

Martyrium ſine charitate nec in eccleſia prodeſt. Patientia ſchiſmatici pro vera fide, an & quid proſit.

Reſponſio Auguſtini.

Ad primū quidē, laudandā eſſe eam patientiā, non culpandam: ad ſecundū, eam eſſe donum Dei, nō tamē ex genere donorū quæ dātur filijs *illius Hieruſalē, quæ ſurſum libera eſt, mater noſtra*; ſed *quæ poſſunt accipere etiā filij cōcubinarū; quibus Iudæi carnales, & ſchiſmatici vel hæretici cōparantur.* Ad tertiū, *nihil eā prodeſſe ad regnū cælorū obtinendum*: ſed exiſtimandū, fortaſſe tolerabilius *illi futurum iudiciū, quā ſi Chriſtum negando*, tormenta, mortemque vitaſſet.

4 CHARITAS PATIENS EST. Vt nouerit quiſque, num in ſe habeat excellentiſſimum hoc Dei donum, id eſt, charitatem; deinceps ordine recenſet inſignes aliquot illius doni proprietates & officia, veluti notas ex quibus agnoſci queat. Vnde quantum quis certò proprietates iſtas in ſeipſo experitur & conſpicit; tantum certus eſſe poteſt ſe ipſam poſſidere charitatem. *Hæc eſt enim charitas Dei*, inquit Ioannes 1 epiſt. 5, *vt mandata eius cuſtodiamus.* Quæ quidem mandata in ſubiunctis charitatis officijs præcipuè continentur. Ac primùm ait: *Charitas patiens eſt*, Græcè μακροθυμεῖ, longanimis eſt. Pro quo Latini veteres ferè legunt *magnanimis* aut *magnanima eſt*, vt commentator Ambroſianus, Tertullianus lib. de patientia cap. 12, Cyprianus lib. de vnitate eccleſiæ & alibi, Auguſtinus de gratia & libero arbitrio cap. 17. ſed ex verſione minus bona. Nam voce Græca ſignificatur animi lenitas haudquaquam præcipitis ad iram aut vindictam. Quę virtus ſolet etiam apud Latinos nomine patientiæ deſignari.

Proprietates ac notæ charitatis.

Quid μακροθυμία.

BENIGNA EST. Græcè χρηστεύεται, pro quo textus Ambroſianus, *iucunda eſt*. Significat enim vox Græca comitatem & ſuauitatem morum: cui contraria eſt aſperitas ac difficultas, quam moroſitatem vocant. Vnde quidam vertit, *commoda eſt*. Sed melius noſter interpres, *benigna eſt*. Quod etiam Eraſmus & alij ſecuti ſunt. Nam quod apud Tertullianum legitur, *benefica eſt*, minus conuenit: niſi quod comitatem ſeu benignitatem hic ſignificatam, id eſt, veram & Chriſtianam, beneficentia comitatur. Veriſimile eſt illud apoſtolum ſignificare voluiſſe, quod de ſe dixit ſuprà cap. 9, *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos*. Hoc enim pręcipuæ charitatis eſt, omnium moribus attemperare ſeſe propter eorum ſalutem.

Quid benignitas hoc loco.

CHARITAS NON ÆMVLATVR. Græcè οὐ ζηλοῖ, Cyprianus, *non zelat*, libro de zelo & liuore. Hoc eſt, *non inuidet*. Nam ζῆλος, æmulatio, dū in vicio ponitur, inuidia eſt; præſertim vbi quis dolet alteri obtigiſſe, quod ipſe concupiebat, & non obtinuit. De eodem vide ſuprà cap. 3. item 2 Cor. 12, Gal. 5, & Iacobi 3 & 4. Pugnat hoc vicium ferè ex diametro cum charitate, cuius eſt velle bonum proximo tanquā ſibi; &, ſi habeat, gaudere. Aliter ζηλοῦν æmulari capitur in fine capitis præcedentis & initio ſequentis: vt ijs locis videre eſt. Obſerua Paulum per has charitatis proprietates dictas & dicendas, non tam ſigni-

Æmulatio pro inuidia.

ficare

Quatenus hæ proprietates charitati tribuantur.

ficare quid agat aut nō agat ipſa charitas, quæ qualitas animi eſt; quā quid agat, aut nō agat, homo charitate prædituſ, quatenus eam habet, & ſecundū eam operatur. Nā ſi quis charitatem habet, is patiens eſt & benignus, non inuidet &c. Quamquam & ipſa charitas ad omnes huiuſmodi actus imperiū ſuum extendit, & contrarios eodem imperio repellit.

Perperā agere quis dicatur. Varia

NON AGIT PERPERAM. In Græco & Syriaco repetitur à fronte *charitas*. Perperam agere Latinis dicitur, qui peruersè ac præpoſterè agit. Græcum verbum περπερεύεσθαι, quod hic legitur, quid ſignificet, haud quaquam cōuenit inter interpretes. Chryſoſtomus exponit, præcipitanter & inconſultè agere: quod eſt vicium prudentiæ oppoſitum. Theodoritus, *curiosè ſcrutari res alienas*. Alij, varium & inconſtantem eſſe. Alij, inſolentem eſſe; quod voluit Tertullianus, dum legit aut vertit, *nec proteruum ſapit*. Oecumenius quoque περπερον interpretatur temerarium aut proteruum: Theophylactus verò leuem, ſtolidum, mētis inopem. Syra verſio ſic habet, *charitas non tumultuatur*, id eſt, nō turbas & motus ciet. Cæterùm explicat hoc vocabulum Baſilius regula 49 inter breuiores: *Quid eſt*, inquit, περπερεύεσθαι. vbi malè adiecit interpres Latinus, præoccupans authoris reſponſionem; *hoc eſt impotenter gloriari, & ſe oſtentare*. Reſpondet autem Baſilius, *Omne quod non ob vſum neceſſarium*, ſed διὰ καλλωπισμὸν, id eſt, *ornatus ſuperflui cauſa aſſumitur*, περπερείας *accuſationem habet*. Et ante illum, eodem prorſus modo locū hunc interpretatus eſt Clemens Alexandrinus lib. 3 pēdagogi ca. 1. Apparet igitur apoſtolū ex ſpecie genus indicaſſe, vt hac parte omnē arrogantiā & oſtētationē à charitate remotā & alienā eſſe, ſignificatum ſit. Sunt tamen qui exiſtimēt Græcā vocem è Latina fluxiſſe, & ex ea interpretādā eſſe: quod fecit noſter interpres: ſiue *perperàm* aduerbialiter accipias, ſiue *perperā* nominaliter, quod nōnullis placet: vt ſit quartus caſus femineus adiectiui perperus, id eſt, ſtultus, inſulſus, temerarius. Omitto quæ refert Eraſmus in annotationibus, ac plenius in adagijs de Perperis fratribus, quorū procacitas & improbitas fabulis eſt nobilitata: à quibus Græcū verbū περπερεύεσθαι, confictum putat.

De hac voce S. Baſilij ſententia.

Græca vocis interpretatio.

Fabula de Perperis fratribus.

NON INFLATVR. Id eſt, Per charitatē nemo ſuper alios ſuperbè ſe extollit, aut alios infra ſe deſpicit, vt ſolēt homines magnis donis præditi, ſi charitate deſtituātur, ſecūdū illud: *Scientia inflat*, ſuprà c. 8. Quin potius charitas ab eo quē poſſidet, omnē faſtū excludit: quia per eā fit vt proximū ſicut ſeipſum diligat. Quę ratio ſingulis hiſce proprietatibus accōmodāda eſt. Cæterū in verbo *inflatur* metaphora eſt à rebus quę inflatu turgeſcūt; ita ſuperbū hominē inflat ac turgidū reddit opinio ſuæ excellētiæ.

Metaphora verbi inflatur.

NON EST AMBITIOSA. Id eſt, appetens honorū; quod viciū, ait Thomas, eſt principalis ſuperbiæ filia. Quāquam Græcè nō eſt φιλοτιμεῖται, ſed ἀσχημονεῖ, quod verbū ſignificat inhoneſtè ac præter decorē agere quippiam; aut pudefieri; qui inhoneſtæ actionis effectus eſt. At Chryſoſt. cæteriq; Græci in eū ferè ſenſum interpretātur, vt ſignificetur charitas non eſſe *faſtidioſa* (quēadmodū & vertit Eraſmus) nec proximorum cauſa, quos diligit, reſpuere vilia miniſteria, vel etiā indigna ſupplicia: q. d. apoſtolus: Charitas nō reputat ſibi pudori, quod fratribus ſeſe ſubmittat, aut abiectū & humile aliquid vel agat vel patiatur: quomodo Chriſtus ad pedes diſcipulorū lauādos ſe demiſit, & crucis ignominiā ſuſtinuit. In hunc ſenſum accipi poteſt & illa lectio quæ eſt apud Aug. lib. de gratia & libero arb. c. 17. *Non dehoneſtatur*, id eſt, nō reputat ſe dehoneſtari, non æſtimat ſibi inhoneſtū aut probroſum ſubſeruire fratribus: niſi fortè (*dehoneſtatur*) dixit interpres ille verbo deponēte, id eſt nihil agit inhoneſtū, iuxta ſenſū priorē; qui etiā eſt apud Clementē Alexandrinum: vbi vertit interpres ad mentē authoris: *non indecorè ſe gerit*. Quo ſpectat etiā Tertulliani lectio, *non proteruit*, id eſt, nihil agit proteruè. Quē ſenſum deniq; cōfirmat locus apoſtoli ſuprà c. 7. *Si quis turpē ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua* &c. vbi in Græco idē verbū eſt ἀσχημονεῖν, quod illic expoſuimus *indecenter agere*. Quamuis & ſi exponatur, pudefieri velut ob rem inhoneſtam; ſenſus eius loci conſtabit.

Charitas non eſt faſtidioſa

NON QVÆRIT QVÆ SVA SVNT. Græcè τὰ ἑαυτῆς, vt *ſua* reciprocū ſit ad charitatē, nō ad hominē, tametſi ſenſus eodē redit. Nā vt ſuperius annotaui, nō tam quid ipſa charitas agat, quā quid homo per charitatē, docere vult apoſtolus. Quærere quæ ſua ſūt, phraſis eſt ſcripturę ſacræ, pro eo quod Latinè dicimus, omnia metiri ſuis cōmodis: & quod vulgò, quærere ſemetipſos. Igitur quęrere quæ ſua ſunt, dicūtur qui in ſuis actionibus priuata cōmoda primū ac præcipuè curāt, eaq; tum vtilitati publicæ, tū bono diuino, quod eſt vniuerſale bonū, pręferūt. Hoc autē bonū eſt gloria Dei, quæ tanto magis promouetur, quo plures ad Dei noticiā & cultū adducūtur. Et ad hoc ſtudiū incitat amor Dei, id eſt charitas; vt è diuerſo ad quærendū quæ ſua ſunt, impellit amor ſui, quę eſt vicioſa cupiditas. Auguſtinus in regula: *Charitas*, inquit, *de qua ſcriptū eſt, quod nō quærit quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quia cōmunia propriis, non propria cōmunibus anteponit; & ideo quanto plus rem cōmunem quā propria veſtra curaueritis: tanto vos amplius profeciſſe noueritis: vt in omnibus quibus vtitur tranſitura neceſſitas, ſuperemineat quæ permanet charitas*. Hęc ille. Quę verba ſint etiā pro cōmētario eius quod dictū eſt cap. 10, *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius*. Vide quæ illic annotauimus. Neque verò iſtis repugnat quod dici ſolet, charitatem incipere à ſeipſa. Per hoc enim ſignificatur charitatem ſic ordinatam eſſe, vt poſt Deum magis homo ſeipſum amet, quàm alios: ſuamq; ſalutem prius curet quā proximi cuiuſque: quod quidē tunc vel maximè præſtat, quādo dictāte charitate totus in ſalutem

Quærere quæ ſua ſunt, qui dicantur.

De eodem locus inſignis apud Auguſtinum.

Quo ſenſu charitas incipere dicatur à ſeipſa.

proximorum incumbit. *Nam qui proximum diligit legem impleuit*, Rom. 13. &, *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam; quoniã diligimus fratres.* & iterum, *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est*, 1 Ioan. 3 & 4.

NON IRITATVR. Hoc est, non facilè concitatur ad iram, sed tolerans est iniuriarũ. Alij vertunt, *non excandescit, non exacerbatur.* Tertullianus legit, *non incitatur*, scilicet ad irã. id enim est, παροξύνεται.

Cogitare malum quid hoc loco.

NON COGITAT MALVM. Quidam generaliter hanc partem exponunt: non versat animo malas cogitationes. Alij specialiter, non machinatur in corde malum aduersus proximum, quamuis etiam iniurijs lacessita. Rursum alij, non suspicatur malum de proximo. Verùm ex Græco potius sic vertas: non reputat aut non imputat malum. Cuius authore Theodorito sensus est; Qui charitatem habet, etiamsi læsus ab aliquo fuerit, non tamen imputat iniuriam, neque vindictam expetit, sed dissimulat, excusat, ignoscit. Ita 2 Cor. 5 dicitur Deus non reputasse nobis delicta nostra; quia remisit. Quo quidem loco idem est verbum Græcum λογίζεσθαι. Quemadmodum & in illo versu psalmi 31, *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.* Quocirca sensum hũc omnino germanum arbitramur.

6 Quid gaudere super iniquitate.

NON GAVDET SVPER INIQVITATE. Græcè ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ, *super*, aut *de iniustitia.* Quod Latini sic ferè exponunt: non gaudet si quis malum quid, & iniustum faciat. Sed Græci restrictè hoc modo; non gaudet si quis afficiatur iniuria, non exsultat cum videt proximũ, etsi suum inimicum, ab alijs iniustum aliquid pati: quin potius dolet ac tristatur de eius malo. prout alibi præcipit idem apostolus, *Flere cum flentibus*, Rom. 12.

Veritas pro iustitia, siue generali, siue speciali.

CONGAVDET AVTEM VERITATI. Veritatem pro iustitia posuit more scripturæ frequentato, maximè in psalmis & prophetis. Potest autẽ hic intelligi, vel iustitia generalis, hoc sensu: Charitas congaudet proximis in omni bono quod agunt (Ita Ioannes apostolus in 3 epistola, *Gauisus*, inquit, *sum valde venientibus fratribus, & testimonium perhibẽtibus veritati tuæ: sicut tu in veritate ambulas*) Vel iustitia specialis: vt sensus sit, charitatem gratulari proximis, quum videt inter eos iusticiam coli; id est, neminem lædi: sed vnicuique quod suum est, attribui. Hoc fortasse probabilius propter oppositum membrum.

7 Quæ omnia suffert charitas.

OMNIA SVFFERT. Id est tolerat, tegendo ac dissimulando vicia & infirmitates proximorum, quantumuis molestas: quatenus tamen eis ad salutem expediat. Quod & alibi sæpe Paulus præcipit, & ipse in primis præstitit. *Debemus*, inquit Rom. 15, *nos firmiores imbecillitates infirmorũ supportare, & nõ nobis placere.* Et Gal. 6, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Quæ lex non alia est, quàm lex charitatis. Hunc sensum suggerit vox Græca στέγειν, quæ propriè significat tegere; & ad animum relata, dissimulare, tacendo tolerare. Sciendum est Cyprianum in libro de vnitate ecclesiæ, & testimoniorum lib. 3, pro, *omnia suffert*, legere, *omnia diligit.* Vnde conijcit Erasmus, interpretis illius codicem habuisse πάντα στέργει, addita literula verbo στέγει. Accedebat quod quum in textu proximè sequantur hæc duo; *omnia credit, omnia sperat:* desiderari videbatur tertium eiusdem generis, *omnia diligit.* Verumtamen idem Erasmus fatetur, id quod nostra habet editio, sibi magis probari.

Lex charitatis.

Quo sensu charitas omnia credat.

OMNIA CREDIT. Hanc partem cum duabus sequentibus Lombardus, Heruæus, atq; alij Latini mediæ ætatis interpretantur de officio charitatis erga Deum; sicuti duodecim attributis præcedentibus declaratum est eius officium erga proximos. Itaque secundum illos charitas omnia credit non hominibus, sed Deo: non est tarda ad credendum omnia quæ credenda diuinitus traduntur. Expositionem confirmant. Nam hominibus omnia credere leuitatis est, non charitatis. Est enim Deus verax: omnis autem homo mendax, Roman. 3. Quare credentem omnia quæ dicuntur ab hominibus, necesse est sæpenumero decipi. Hinc & in vicio ponitur Prouerb. 14, *Innocẽs credit omni verbo.* Sic & Augustinus hanc partem intellexit, cum alibi, tum lib. de spiritu & littera cap. 32 ita scribens: *Ipsa charitas quæ omnia credit, non omni spiritui credit: ac per hoc omnia quidem credit; sed Deo: quia non dictũ est, omnibus credit.*

Quo sensu omnia sperat.

OMNIA SPERAT. A Deo, non ab hominibus: Omnia, inquam, quæ Deus promisit, ac speranda proposuit. Sic ijdem authores. Et ne spes dilatione frangatur, tertium additur.

Quo sensu omnia sustineat.

OMNIA SVSTINET. Græcè ὑπομένει: verbum à superiore diuersum: atque hunc reddunt sensum. Patienter exspectat promissa Dei, quamuis in longum tempus dilata; faciẽs quod præcipit Habacuc propheta cap. 2, *Si moram fecerit, exspecta eum.* Et quod Iacobus apostolus cap. 5, *Patientes estote fratres vsque ad aduentum Domini.* Et hæc quidem Latinorum expositio est. At verò Græci commentatores, quibus annuunt ex Latinis Pelagius, Primasius & Sedulius, ista tria membra perinde vt duodecim præcedentia referunt ad charitatem proximi, sensu valde probabili. Nam institutum apostoli est hoc capite, commendare charitatem, quatenus exercetur erga proximos per officia hominibus conspicua. Ex quibus deinde, velut ab effectis & signis visibilibus charitatis in Deum inuisibilem, à qua nec separari possunt; cognoscẽdum cuique relinquit, vtrùm diligat Deum necne. *Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt*, id est, qui ei charitatis officia non impendit: *Deũ quem non videt, quomodo potest diligere?* 1 Ioan. 4. Sic igitur illi exponunt: Charitas *omnia credit* proximo vel de proximo quem diligit. Proximo quidem, quatenus non facilè suspicatur,

Aliorum de his talibus expositio probabilior.

cum

De proximis bona quã mala facilius credenda.

eum mentiri: de proximo autem, in quantum bona quæ de eo audit, facilè suscipit vt vera: nam vtique charitatis est bene sentire de proximis, ac benè ijs velle. Quo fit vt bona, quæ de illis dicuntur, facilius ac propensius credat, quàm mala. Qua tamen in re iudicium adhibet secundum dictamen prudentiæ, ne noxio fallatur errore. Est igitur in vocabulo *omnia* distributio accommoda, quam vocant. Eodem modo partem hanc, *omnia credit*, etiam Augustinus alicubi intellexit, vt lib. 10 confess. capit. 3.

De proximis semper sperãda meliora.

Item *omnia sperat*, id est, de proximo quem diligit, siue ille bonus sit, siue malus, & adhuc à recto deuius, assiduè sperat: de illo meliora; de hoc bona, resipiscentiam, profectum, perseuerantiam, & cætera; ad quæ tum orando, tum admonendo, corripiendo, castigando prouehere eum tenetur. Nihil enim horum rectè fit à non sperante: nec quisquam est tam malus, de quo dum viuit desperãdum sit. Postremò *omnia sustinet*, id est, mala quæcunque à malis hominibus inferuntur, vt maledicta, contumelias, obtrectationes, exilia, vincula, tormenta, mortem ipsam, æquo fert animo, tam propter ipsorum salutem à quibus hæc patitur, quàm aliorum: inter hæc etiam Deum pro inimicis orans, vt det illis pœnitentiam: quod profectò magnæ charitatis est. Hunc sensum Paulus suo-ipsius exemplo nobis declarat 2 Tim. 2, cùm de persecutionibus suis loquens ait: *Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur*: vbi similiter vt hîc, legitur πάντα ὑπομένω. Verũ tamẽ non ita sustinenda sunt mala, vt non etiam pro tempore & loco prudenter auertenda sint ac repellenda: quemadmodum & mali homines, quamuis à bonis tolerandi sint, adeò vt dicat Gregorius hom. 38 super euangelia: *Bonus non fuit qui malos tolerare recusauit*: non ita tamen tolerandi, vt non eorum maliciæ, quum res postulat, obuiàm eatur verbis & factis, etiam vsque ad separationem à cœtibus bonorum. Vnde laudatur angelus Ephesi ecclesiæ, Apoc. 2, quod malos sustinere non posset. Illud extremo loco notandum, charitatem omnia credere, sperare, sustinere actu imperato, vt loquuntur Theologi: Nam actu elicito charitas diligit, fides credit, & cætera. Vel certè hæc omnia in personam hominis charitatem habentis accipienda sunt: qui per charitatem hæc omnia facit: vti dictum est initio.

De nemine, dum viuit, desperandũ.

Quædam mala non solum sustinenda, sed etiam repellẽda

Nota.

8 CHARITAS NVNQVAM EXCIDIT. Deinceps vsque ad finem capitis charitatem præ cæteris donis commendat apostolus à permanentia seu perpetuitate. Commentator Amb. & non vno loco Augustinus legunt *nunquam cadit*. Sed Græcè est verbum compositum ἐκπίπτει, *excidit*, temporis præsentis. Quo verbo idem significatur quod illis sequentibus, euacuari, cessare, destrui. Nunquam igitur excidit charitas, intellige quantum ad temporis conditionem attinet: Sensus enim est, ita charitatem haberi in hoc sæculo, vt si quis eam retineat vsque ad exitum huius vitæ, permansura cum eo sit in vita futura. Quẽ sensum ea quæ sequũtur de alijs donis post hãc vitã cessaturis, palã ostendunt. Eodem redit illorum commentarius, qui dicunt apostolũ loqui de charitate in genere. Sentit enim charitatem non esse virtutẽ huius dumtaxat sæculi, sicut fidem & spem: sed permãsuram in vita beata. Quocirca malè quidã ex hoc loco docuerunt & docent fieri non posse, vt quis charitate semel donatus, eam amittat. Quod enim nonnulli sensum hunc faciunt; charitatem in hac vita nunquam cessare, eo quod semper nouas arripiat occasiones bene merendi de proximis, testãte August. in præfatione super psalmum 31, *Dilectio vacare non potest*, & Gregorio in homilia 30 super euangelia, *Probatio dilectionis exhibitio est operis*. ac rursum, *Amor Dei nunquam est otiosus. Operatur enim magna, si est: si verò operari renuit, amor non est.* Id, inquam, huic loco non quadrat; vbi charitas comparatur cum donis post hanc vitam cessaturis. Verùm dicet aliquis: Charitas, vti dictum est, patiẽs est, & omnia suffert, credit, sperat, sustinet: quare si fides, spes & patiẽtia locum non habebunt in futuro sæculo, vt ex sequentibus apparet; igitur nec charitas. Respondeo charitatem secũdum actus sibi proprios atque elicitos in futuro sæculo permansuram. Deum namque diliget perfectissima dilectione. *Si enim amamus quem non videmus, quomodo amaturi sumus, cum viderimus?* ait Augustinus in enarratione psalmi 91. Diliget & proximum in Deo, tanquam seipsum. Sed & alios præterea quosdam actus illi vitæ conuenientes imperabit. Congaudebit enim veritati & iusticiæ diuinæ, tam in glorificatione iustorum, quàm in damnatione impiorum. Denique & animæ beatorum ex charitate qua nos prosequi non desinunt, pro nobis intercedunt: vt bene ex hoc loco ratiocinentur catholici: Perdurat charitas animarum beatarum erga nos; Atqui perpetuum charitatis officium est orare pro dilectis si indigeant: ergo beatæ animæ pro nobis orant. Neque enim ignorare possunt perpetuam nostram in hac vita necessitatem. In quo argumento diluẽdo frustrà laborat Caluinus. Cæterùm patientiæ virtus vtrùm & quatenus in futuro sæculo permansura sit, alia quæstio est: de qua disputatur in 3. sent. distinct. 33.

Error eorum qui negant charitatẽ amitti posse.

Amor Dei nũquam est otiosus.

Obiectio.

Responsio.

Qui actus charitatis mansuri in futuro sæculo.

Animæ beatæ ex charitate pro nobis orant.

Patientiæ virtus an in futuro sæculo mansura.

Charitas nũquam excidit, quo sensu.

SIVE PROPHETIÆ EVACVABVNTVR. Græcè εἴτε δέ, *Siue autem*. Atque ita legitur in textu priorum editionum commẽtarij Amb. Et quidem tres Græci codices à Roberto notati tria hæc membra adhuc incîdunt, hoc modo: *Siue autem prophetiæ, abolebuntur; siue linguæ, cessabũt; siue scientia, abolebitur*: (sic enim Græca vertimus) quẽadmodum & interpres Theophylacti distinxit: tanquam sensus orationis sit: Cętera verò dona, siue sint prophetiæ, siue linguę, siue scientiæ, aliquando cessabunt.

bunt. Alioqui fatendum erit voculam δὲ redundare: quod fit interdum. Ceſſationē hanc donorum nō ad præſens ſæculum, vt quidam volunt, ſed ad futurum eſſe referendam (etſi prophetiæ & linguæ etiam nūc poſt iacta prima eccleſiæ fundamenta vt plurimū ceſſent) ea quæ ſequuntur, manifeſtè probant. Neque enim ſcientia deſtruetur in hoc ſæculo, quum eo durante ſemper ſit neceſſaria: ac perfectum illud de quo deinde loquitur, itemque videre facie ad faciē, non huius eſt ſæculi, ſed futuri. Prophetias numero plurali vocat prædictiones propheticas: cōprehenſis tamen eo nomine etiā expoſitionibus myſteriorum; vti capite ſequenti. Quæ quidē omnes abolendę ſunt, quia non erit illarū vſus in cæleſti patria, vbi omnes clarè videbunt Deū; nihilq; remotum à noticia beatorum erit illis annunciandū aut exponēdum. Porrò ceſſante vſu prædictionis propheticæ, conſequens eſt vt & ipſum ceſſet prophetiæ donum: vtpote quod non in habitu, ſed in actuali tātum reuelatione conſiſtit. Quanquam & habitus explicandi myſteria fidei, ceſſaturus eſt ſenſu Pauli, id eſt, quoad vſum; vt infrà docebimus. Non igitur ea ratio eſt ceſſaturæ prophetiæ, quod cognitio prophetica in ſua ratione obſcuritatem includat; vt bene docet Thomas 3 p. quæſt. 7 art. 8 ad 1 & 2, tacitè retractans id quod diuerſum dixerat in 2 2 quæſt. 174 art. 2 ad 3. Etenim Chriſtus qui omnia clarè cognouit, propheta fuit; ſéque ipſe prophetam fatetur Matt. 13, dicens: *Non eſt propheta ſine honore, niſi in patria ſua*. Sed ea ratio eſt, vt dixi, quoniam in vita futura vbi erit conſummata beatitudo, non habebit amplius locum annunciatio myſteriorum.

Ceſſatio chariſmatum in ſæculo futuro.

Prophetia quæ dicātur.

Cognitio prophetica an obſcuritatē includat.

Chriſtus propheta.

SIVE LINGVÆ CESSABVNT. Non dicit linguam ceſſaturam ſed linguas: Non enim poſt reſurrectionē ceſſabit vſus linguæ corporeæ, id eſt locutio ſenſibilis; ſed non erūt ibi genera linguarum, ac proinde nec donum linguarum. Neque enim huiuſmodi dono illic opus erit, vbi omnes electi erunt *labij vnius & ſermonum eorumdem*, multo magis quàm fuerūt homines ab exordio ſui generis vſque ad extructionem turris Babel, Gen. 11. Quare nec linguarum donum intelligi debet ideo ceſſaturum, quod imperfectionē includat. Si enim vna lingua loqui non eſt imperfectionis, igitur nec pluribus. Sed ratio eſt quam dedimus.

Omnes beati vna lingua loquentur.

SIVE SCIENTIA DESTRVETVR. Græcè καταργηθήσεται, *abolebitur*: quod in primo membro vertit interpres, euacuari. Quo ſenſu dicat apoſtolus ſcientiam deſtructum iri in futuro ſæculo, variæ ſunt interpretū ſententiæ. Chryſoſtomus ſuper hunc locum, & copioſius ſermone 1 de incōprehenſibili Dei natura, ſcientiam deſtruendā docet, eo quod ex imperfecta, qualis nunc eſt, perfecta fiet, atque ex minore maior; accedente noticia multarū rerum quas nunc ignoramus: vt illa deſtructio ſit potius incrementum & accumulatio quædam, & ad maiora prouectio. Chryſoſtomo ſubſcribit Theophylactus: nec aliud ſentire videtur Theodoritus, ita ſcribens: *Ceſſat autem quæ minor eſt cognitio, maiore ſuppeditata*. Verùm hoc pacto etiam charitas ceſſabit ac deſtruetur: quoniam ex imperfecta, qualis nunc eſt, perfecta fiet, & ex minore maior. Vt & hoc addā, nimis coactā videri expoſitionē, qua deſtrui & aboleri dicatur, quod perficitur & augetur. Quidam igitur putarunt apoſtolum ſentire, quod habitus ſciētiæ in hoc ſæculo acquiſitæ, cum ſenſibus corporis pereant in morte, tanquam ab illis neceſſariò dependens: cui poſtea ſuccedat alius habitus perfectior, animæ diuinitus impreſſus. Sed hoc bene refellit Thomas in commentario, & 1 quæſt. 89 art. 5. Nam ſcientia eſt in intellectu, non in ſenſu: à quo nec ſecundum ſpeciem actus dependet in anima ſeparata. Nec verò quicquam includit imperfectum in ſua ratione: propter quod ceſſare debeat in patria, ſicuti fides & ſpes; vt vult Caietanus. Nam Deo proprijſſimè competit ſcientiæ nomen: & in Chriſto fuit hoc donum, in quo omnia chariſmata fuerunt perfecta. Denique nota eſt & probata B. Hieronymi in epiſtola ad Paulinum illa cohortatio; *Diſcamus in terris, quorū ſcientia nobis perſeueret in cælo*. Quāquam illic concluſiones non ex principijs erunt colligendæ: ſed in ſuis principijs intuendæ: quemadmodum & hic facimus vtentes ſcientia prius percepta. Cenſet autem Aquinas ſcientiam deſtruendam eſſe quantum ad modum ſciendi; qui eſt per *inſpectionem phantaſmatum*, vt ait, *qua anima ſeparata non indigebit, habens eſſe & operationem abſque corporis communione*. Quod etſi verum ſit; non tamen id hoc loco ſignificatur. Quamuis enim anima ſeparata ſine phantaſmate contempletur; attamen poſt reſurrectionem nihil vetat beatos (quorum ſtatum maximè reſpicit apoſtolus) vti ſcientijs ſuis per conuerſionem ad phantaſmata: qui modus eſt homini naturalis; quemadmodum tradit idem doctor in 3 ſent. diſt. 31 ſub finem. Et alioquin, vt eſſe animæ ſeparatæ imperfectum eſt, ita & intelligere: niſi influentia diuini gratuitique luminis accedat: teſte eodem authore, 1 q. 89 ar. 1. Non ergo modum illum ſciendi qui proprius eſt animæ ſeparatæ, promittit apoſtolus tanquam aliquid perfectius, cum pronunciat ſciētiam hanc noſtram abolendā. Alijs itaque videtur huius loci germanior expoſitio, ſecundum quam ſcientia deſtruenda dicitur, quia donum ſcientiæ, de quo dictum eſt cap. ſuperiori; *alij datur ſermo ſcientiæ*: & rurſum hoc capite, *Si habuero omnem ſciētiam*: non habebit vſum ad proximos in futuro ſæculo. Ad hoc enim datū eſt, vt doctrina Chriſtiana per ea quę sūt humanæ cognitionis aut experientiæ, vel perſuadeatur ijs qui nondum credunt, vel ab ijs qui iam credunt, tenacius, firmiuſque retineatur. Quale nihil agetur in futuro ſæculo: quando, fide in ſpeciem conuerſa, perfectè adimplebitur illud Ieremiæ

Habitus ſcientiæ an maneat in futuro.

Anima ſeparata ſine phātaſmate contemplatur.

Scientia quo ſenſu deſtruēda varię ſententiæ.

Dona deſtruenda, quia vsū non habebunt ad proximos,

miæ 31, *Non docebit vltra vir proximum ſuum. Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum vſque ad maximum*. Hic ſenſus admodum probabilis eſt: Congruit enim cum ijs quæ præcedunt de ceſſaturis prophetijs & linguis. Atque eum tradunt Oecumenius in commentario, & Hugo Victorinus in quæſtionibus huius loci: itémque ex neotericis quidam. Nec repugnant ea quæ ſequuntur de cognitione ex parte, & de comparatione paruuli: vt ex commentario patebit. Quæres cur non etiam dixerit apoſtolus ſapientiam abolendam eſſe. Siquidem & hanc inter dona ad vtilitatem eccleſiæ conceſſa ſuperius enumerauit. Reſponderi poteſt non eandem eſſe rationem ſapientiæ & ſcientiæ, quantum pertinet ad vſum fidelium. Cùm enim ſapientia ſit ea noticia myſteriorum quæ habetur ex cauſis ſupremis: in futuro autem ſæculo Deum, qui eſt prima & ſuprema omnium cauſa, omnes viſuri ſint: erit illic etiam quoad vſum cognoſcendi, perfectiſſima omnium ſapientia. Quod de ſcientia quæ cauſas inferiores conſulit, ſimiliter dici non poteſt. Auguſtinus quoque lib. 12 de Trinit. capit. 14 ſapientiam referri dicit ad contemplationem, ſcientiam verò ad actionem. Atqui in futuro ſęculo ceſſabit actio, & ſola remanebit contemplatio. Verùm puto rectiùs dixeris, etiam ſapientiam quatenus donum eſt ad aliorum vtilitatem datum, abolendam eſſe: vt quod hic de ſcientia dicitur, etiam de ſapientia dictum intelligatur; præſertim cùm ſapientia ſit quædam ſcientia; quemadmodum memorato loco docet Auguſtinus, & probat ex eo quod infrà dicitur, *Nunc ſcio ex parte: tunc autem cognoſcam*, &c. Certè enim, ſi de iſtorum donorum actibus abſolutè loquamur: ſicuti ſapientia habebit in patria quoſdam actus ſuos, ita nihil obſtat, quin & ſcientia ſuos quoſdam illic habitura ſit; cuiuſmodi eſt, in cauſis creatis effecta cognoſcere: imò & Deum in creaturis cernere: videlicet eo modo quem tradit idem Auguſtinus lib. 22 de ciuitate Dei cap. 29 ſub finem.

An etiam ſapientia deſtruēda

Reſponſio affirmatiua.

9

EX PARTE ENIM COGNOSCIMVS, ET EX PARTE PROPHETAMVS. Non ideo ex parte, quod ſcientia & prophetia aliquid imperfectum includant in ſua ratione (iam enim de vtraque contrarium oſtendimus) ſed quia tantum ſeruiunt huic ſæculo: nam & de dono linguarum idem eſſe iudicium teſtatur Aquinas in commentario: ſed idcirco prętermiſſum quod his duobus imperfectius, id eſt, minus ſit. Itaque ſenſus eſſe videtur: Donum ſcientiæ ac prophetię nobis datur ob imperfectionem huius ſæculi: quia per ſcientiam homines ſpiritualium rudes, ac rebus ſenſibilibus dediti, ab ipſis ſenſibilibus ad capienda fidei myſteria veluti manu ducendi ſunt; per donum autem prophetiæ de reconditis ſcripturarum ſenſibus inſtituendi. Quorum neutrum agetur in futuro ſæculo; vbi perfecta erunt omnia. Igitur illud *ex parte* habet quidem imperfecti ſignificationem, quod ſatis arguit antitheſis eius ad perfectum in ſententia proximè ſequenti: ſed diſcernendum, cuius rei notetur imperfectio. Nam dona quæ dantur ſolum ad vtilitatem aliorum, imperfectionem & inopiam monſtrant, non eorum in quibus ſunt, ſed aliorum quibus erudiendis & inſtruendis ſeruiunt, vt linguæ, ſcientia, prophetia, & alia ſuperiori capite enumerata: Fides autem & ſpes, quas quiſque habet propter ſe; imperfectionem habent in ſemetipſis; vt infrà declarabitur. Iuxta hanc expoſitionem non ſolum de linguis, vti dictum eſt, verùm etiam de dono ſapientiæ erit eadem ratio, quæ de ſcientia & prophetia: nempe ex parte nos ſapere. Generaliter enim de chariſmatis ſuperiori capite dictum eſt: *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem*, ſcilicet aliorum. Eſtque Pauli intentio, docere quod cæteris abolitis ſola charitas ſit remanſura. Conſequens item eſt, etiam Chriſtum Dominum in hac vita conuerſantem, cognouiſſe & prophetaſſe ex parte: ſenſu videlicet iam explicato. Sciendum tamen in quibuſdam exemplaribus Græcis, cuiuſmodi quinque ſignat R. Stephanus, pro γὰρ legi δὲ, *Ex parte autem cognoſcimus*; quemadmodum & Faber vertit ex Græco: vt hæc pars non ſit probatio præcedentis, ſed noua ratio, qua doceat chariſmata ceſſatura; quia nimirum ex parte ſunt, id eſt, imperfectionem habent in ſe: quomodo locum hunc alij intellexerunt. Quanquam dici poteſt, ſi vera lectio eſt horum codicum, coniunctionem *autem* pro *enim* poſitam eſſe: quæ heteroſis apud Hebręos non eſt infrequens.

Quid ex parte cognoſcere & prophetare.

Ex parte, ſignificat imperfectum.

An Chriſtus cognouerit & prophetauerit ex parte.

10 CVM AVTEM VENERIT ID QVOD PERFECTVM EST, EVACVABITVR QVOD EX PARTE EST. Græcè addito temporis aduerbio: *tunc quod ex parte, abolebitur*. Senſus: Poſteaquam aduenerit fidelibus perfecta noticia Dei & omnium myſteriorum, ſcilicet in futuro ſæculo: tunc abolebitur & ceſſabit non ſolum quicquid donorum in ſe imperfectionem habet, verum etiam quicquid eorum ideo datum eſt, vt proximorum imperfectioni ſeruiat. Tunc enim nulli iam erunt quibus dicatur, *Cognoſce Dominum*. Hic quæri ſolet, quomodo charitas non etiam abolenda ſit in futuro ſæculo: quandoquidem vti cognoſcimus, & prophetamus ex parte, ſic etiam diligimus ex parte. Omnis enim noſtra dilectio in hoc ſtatu viæ, imperfecta eſt. Verùm reſponſio patet ex dictis. Nam prophetia, linguæ, ſcientia, non ideo ceſſabunt quod in ſeipſis imperfecta ſint; ſed quia tantum propter aliorum imperfectionem data. Fides autem & ſpes ceſſabunt, eo quod in ſua ratione imperfectionem includant: fides obſcuritatem & ineuidentiam cognitionis; ſpes autem, rei deſideratæ abſentiam. At charitas nec ſolum, nec

Cur charitas non abolenda, cùm ſit ex parte.

Reſponſio

propriè datur ob vtilitatem aliorum, ſicut dantur chariſmata de quibus ſuperiori capite (licet illa per hanc maximè vtilia reddantur:) neque in ſua ratione claudit imperfectionem, vt fides & ſpes: ideoque ceſſare non debet; ſed imperfecta mutabitur in perfectam, eadem numero permanens. Quanto enim perfectius cognoſcetur Deus, tanto magis amabitur & ipſe, & in eo omnes electi.

11 CVM ESSEM PARVVLVS, LOQVEBAR VT PARVVLVS, SAPIEBAM VT PARVVLVS, COGITABAM VT PARVVLVS. Græcè hoc ordine: *Cùm eſſem paruulus, vt paruulus loquebar, vt paruulus ſapiebã, vt paruulus cogitabam. Paruulus*, Græcè νήπιος. Quæ vox puerum infantem ſignificat, id eſt, qui necdum perfectè fari queat, à νη particula priuatiua, & ἔπος, ſermo, verbum. Hanc ſimilitudinem hominis ex puero proficientis in virum, adhibet ex ſua perſona apoſtolus, vt doceat aliud congruere nobis in hoc ſæculo, velut in ætate puerili aliud in futuro, tanquam in ætate virili. *Cùm*, inquit *eſſem paruulus*, loquebar, ſapiebam, cogitabam vt paruulus, id eſt, omnia hæc agebam imperfectè, prout imperfectus in paruulo ſeu puero infante eſt vſus rationis. Vbi nota verbum Græcum ἐφρόνουν, pro quo vertit interpres, *ſapiebam*, etiam verti poſſe *ſentiebam*, quatenus ad animum refertur ſentire. Significatur enim iudicium mentis de rebus; non autem ea quæ propriè ſapientia vocatur; quæ in infantibus nulla eſt: ne quis hoc cum nonnullis ad donum ſapientiæ detorqueat. Cęterùm cogitare, quod Græcè eſt λογίζεσθαι, rationis diſcurſum indicare videtur. Eſt autem hoc totum de paruulis manifeſtum. Loquuntur enim balbuticdo; ſtultè ſapiunt, precioſa contemnentes & vilia appetentes; itemque confusè cogitant ac ratiocinantur. *Videtur autem apoſtolus*, inquit Aquinas, *ordine præpoſtero hæc tria ponere. Nam locutio præexigit iudicium ſapientiæ; iudicium verò præſupponit cogitationes rationis. Sed hoc ſatis congruit imperfectioni puerili; in qua eſt locutio ſine iudicio, & iudicium ſine deliberatione*. Sic ille.

QVANDO AVTEM FACTVS SVM VIR, EVACVAVI QVÆ ERANT PARVVLI. Atqui vir factus, inquit, aboleui, abieci ac miſſas feci iſtas imperfectiones: & cæpi loqui, ſapere, cogitare vt vir. Græci codices, in quibus pro κατήργηκα legitur κατήργην aut κατήργη, mendoſi ſunt. Nam hæc Græcè dici non autumo. Lectioni vulgatiori ac meliori ſuffragantur interpretes Græci, itemque codex regius cũ reliquis omnibus R. Stephani. Cõparationem hanc ab apoſtolo interpoſitam plerique referunt ad ſuperiora, vbi ſermo fuit de donis ad aliorum vtilitatem conceſſis: & ita ſingula ſingulis applicant: vt loquela pertineat ad linguas, ſapere ad prophetiam, cogitare ad ſcientiam. Quod ſi recipimus; tum qui eiuſmodi dona habent, intelligi debent ſimiles eſſe pueris imperfectè loquentibus, ſapientibus, cogitantibus: non quod hæc dona ex ſua ratione imperfecta ſint: vt propterea nequeãt in beatis permanere: ſed propter vſum, vt ſæpè dictum eſt. Etenim quia ſtatus præſentis vitæ reſpectu futuræ eſt velut infantia quædã aut puericia ad virilem ſtatum comparata; idcirco quibus dona data ſunt ad aliorum inſtructionem, ij debent ſeſe alijs tanquam paruulis accommodare, & cum eis quaſi pueriliter loqui, ſapere, ratiocinari; more boni præceptoris, aut nutricis. Vnde eſt quod ait apoſtolus ſuprà cap. 3, *Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi*. Et cap. 12 ſequentis epiſtolæ, *Factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis*. & 1 Theſſ. 2, *Facti ſumus paruuli in medio veſtrũ; tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos*. Verũtamen nihil vetat hanc comparationem referri ad ſequentia, vbi de cognitione fidei agitur: vt hac parte tranſitus ſit à donis propter alios datis, ad donum fidei quod vnicuique propter ſe datur. Hoc quippe donum non ſolum ipſum ex ſuo genere imperfectum eſt ob rationem paulo ante dictam; verùm etiam imperfectionem ſuam trãsfundit in alia, de quibus actum eſt huc vſque. Sic igitur explicari poterit comparatio: Quemadmodum homo paruulus pueriliter loquitur, ſapit, cogitat; idem autem vir factus, puerilem ſermonem, ſenſum & cogitationem exuit, ac viriliter, id eſt, perfectè omnia hæc agit: ita nos in hoc ſæculo, tãquam in pueritia, de Deo ac myſterijs diuinis loquimur, ſapimus, & cogitamus obſcurè & imperfectè: quia ſolam de ijs habemus fidei cognitionem, quæ per ſe obſcura & imperfecta eſt. *Dum* enim *ſumus in corpore* hoc mortali; *per fidem ambulamus & non per ſpeciem*, 2 Corint. 5. Simulatque verò futuri ſæculi ſtatum illum beatum attigerimus; omnem iſtam loquendi, ſapiendi, cogitandi imperfectionem, quam ſecum trahit noticia fidei, prorſus abijciemus: fide ſcilicet in viſionem, & ſpe in apprehenſionem commutata. Huic ſenſui liquidò fauent quæ ſequuntur.

12 VIDEMVS NVNC PER SPECVLVM IN ÆNIGMATE. Græcè, *Videmus enim nunc* &c. Et in quibuſdã legitur ὡς ἐν αἰνίγματι, *velut in ænigmate*. Sic & Tertullianus aduerſus Praxeã capit. 14, *tanquam in ænigmate*. Syrus autem hoc ordine ſententiam reddidit: *Caterùm nunc tãquam per ſpeculum cernimus in ænigmate*. Rem eandem declarat apoſtolus alia ſimilitudine, nempe viſionis ſpecularis & obſcuræ, collatæ cum viſione clara & directa. Videmus igitur nunc tanquam per ſpeculum, & tanquam in ænigmate: quia Deum ac res diuinas in hoc ſæculo cognoſcimus admodum imperfectè. Cùm enim res in ſpeculo repreſentata minus perfectè videatur, quàm ſi eam directè & in ſeipſa contueamur: imperfectionem adhuc auget quod addit, *in ænigmate*. Per hoc enim non ſolum obſcuritas ſignificatur, ſed etiam cognoſcendi difficultas. Nam ænigma propriè quæſtio eſt ſeu propoſitio, qua ſub inuolucris ſignorum quæritur aut dicitur aliquid: quæ proinde ad coniectandum & explican-

dum

Quomodo qui habẽt chariſmata, paruulis ſimiles.

Paruulus quis dicatur.

Donum fidei per ſe imperfectum, etiã in alia transfundit imperfectionem.

Quid ſapere.

Quid cogitare.

Videre per ſpeculum & in ænigmate quid ſit.

Quid ænigma.

Caietanus quid per ſpeculum intelligat.

dum difficilis eſt. Exiſtimat Caietanus, per ſpeculum videre ſic intelligi poſſe, quomodo videmus per ocularia vitrea, quæ perſpicilla vocantur: ſed non eſt veriſimile. Solent enim huiuſmodi adhiberi ad clarius videndum, maximè ab ijs quibus ob ſenium viſus deficit; ideoque hæc ſimilitudo ſeu metaphora non ſeruiret rei propoſitæ. Probabilior fortaſſe coniectura, ſi dicatur apoſtolus illud hac phraſi ſignificaſſe, quod Latini dicunt, aſpicere per tranſennam, id eſt, non propè, neque diſtinctè, ſed procul & ſummatim, ac confuſo modo ſpectare rem aliquam. Neque enim hic Græcè eſt κάτοπτρον: quo nomine ſolet vſitatius apud ſcriptores profanos ſpeculum ſignificari; quod & legitur apud LXX, Exod. 38. ſed ἔσοπτρον, vocabulum minus frequens. Deinde non ait Paulus, *in ſpeculo*, ſicuti loquitur Iacobus capit. 1, ſed *per ſpeculum*, quaſi volens ſignificare modum quo per cancellos aut tranſennam cerni quippiam dicitur. Quæ locutio ſanè videri poteſt aptior ad deſignandam obſcuram & imperfectam viſionem, quam de Deo diuiniſque myſterijs in hoc ſæculo habemus. Nam quod propriè ſpeculum dicimus, claram, diſtinctam & expreſſam exhibet rei ſimilitudinem: adeò vt ipſe Dei filius, ſub nomine ſapientiæ, propter repreſentandi perfectionem vocetur *ſpeculum immaculatum Dei maieſtatis*, Sap. 7. Quanquam non negamus idem vocabulum quod hic ponitur ab apoſtolo, etiam alibi in ſcripturis vſurpari pro ſpeculo: nempe locis iam indicatis Iacobi & Sapientis; ſicque etiam Græci commentatores accipiunt hoc loco: ſed ad denotandam viſionis obſcuritatem, quæ per viſionem ſpecularem minus ſignificatur, dicunt additum eſſe *in ænigmate*. Porrò Latini poſteriores, vt Aquinas, Liranus, Caietanus & alij cenſent apoſtolum idcirco noticiam quam in hac vita de Deo habemus comparare viſioni quæ per ſpeculum, aut in ſpeculo fit: quia non immediatè ſed tantum per aliud, nimirum per viſibilia mundi præſentis, id eſt, per creaturas ſenſibus obiectas & cognitas, in quibus velut in ſpeculo quodam apparet, atque in oculos mentis noſtræ reſultat imago bonitatis, ſapientiæ, potétiæ diuinæ; Deum ipſum cognoſcimus: ac nihilominus addidiſſe Paulum, *in ænigmate*: quod illa cognitio Dei per creaturas adhuc magnam in nobis ob naturæ corruptionem habeat obſcuritatem & difficultatem; eáque ratione à ſimilitudine viſionis quę fit in ſpeculo recedat. Nam & hominem integrum vidiſſe Deum in ſpeculo ſiue per ſpeculum creaturarum: non tamen in ænigmate. Sed huic expoſitioni quamuis doctæ & aliàs probabili, poteſt opponi, quod iſtum modum cognoſcendi Deum, ſcilicet per res creatas atque viſibiles, etiam philoſophis ethnicis aſſcribat apoſtolus Rom. 1. hic autem agat de noticia Dei & myſteriorum, quam per fidem habemus, pérque eam ſcientiam quæ inter Spiritus-ſancti chariſmata numeratur. Quare ſuperior expoſitio, quæ eſt antiquorum, probanda magis videtur.

Aliorum de ſpeculo coiectura.

Cur noticia noſtra de Deo, comparata viſioni ſpeculari.

Primus homo Deũ videbat per ſpeculum ſed non in ænigmate.

TVNC AVTEM FACIE AD FACIEM. Subaudi videbimus. Hebraiſmus eſt quo ſignificatur viſio perfecta, qua nimirum videtur res in ſeipſa, & *ſicuti eſt*, vt loquitur Ioannes 1 ep. cap. 3, id eſt, non tantum in ſimilitudine, ſed per ſuam ipſius eſſentiam. Theophylactus appellat noticiam omnino reuelatam. Quidam hoc loco viſionem intelligunt ſolius Dei, vt idem Theophylactus, & poſt eum Oecumenius, ac ferè Latini poſteriores. Alij, præſertim veteres, comprehendunt omnium myſteriorum quæ de Deo ſunt cognitionem. Qui intellectus textui Paulino conſentaneus eſt. Non enim Deum nominat; ſed dicit nos ea viſuros facie ad faciem, quæ nunc ex parte cognoſcimus, & in ænigmate videmus. Ea verò ſunt omnia fidei myſteria: principaliter autẽ ipſe Deus. Horum igitur omnium perfecta cognitio nobis promittitur atque ſeruatur in futurum ſæculum. Vnde & illorum error reuincitur, qui negant animas iuſtorum eſſentiam Dei conſpecturas ante generalem mortuorum reſurrectionem. Nam vtiq; futurum ſæculum incipit, vbi deſinit ſæculum præſens, id eſt, poſt mortem vniuſcuiuſque. Quare niſi peccati debitum aliquod obſtet, fateri neceſſe eſt ex apoſtoli ſententia, iuſtorum animas ſtatim vt hinc euolarint, ad beatificam Dei viſionem admitti. Quod verò Theodoritus hanc partem nõ de Deo qua Deus eſt, ſed de Chriſto Domino ſecundum aſſumptam naturam videndo, vult intelligi, propterea quod natura diuina à nullo cerni queat: id recipi nullo modo poteſt: quum ſit nõ ſolum à ſenſu Pauli remotum (vt qui non hic agat de viſione corporali, ſed de ea quæ mente fit) & ab aliorum omnium interpretum, etiam Græcorum expoſitione diuerſum: verùm etiam ſanæ doctrinæ contrarium: quæ tradit intellectualis creaturæ beatitudinem in viſione diuinæ eſſentiæ conſiſtere. *Sicut* igitur *in præſenti*, inquit Hugo Victorinus, *omnis creatura eſt quaſi quoddam ſpeculum in quo videtur Deus: ſic in futuro, ipſe Deus erit ſpeculum omnis creaturæ, in quo omnia videbuntur verius quàm in ſemetipſis*. Vtrùm autem viſio diuinæ eſſentiæ, Chriſto Domino excepto, contigerit alicui, ſaltem ex priuilegio, in hac vita mortali; & quomodo ſint intelligenda quæ de Iacob Geneſ. 32, déque Moyſe Exod. 33 & Num. 12 referuntur: nempe quod alter Dominum facie ad faciem viderit: cum altero Dominus facie ad faciem collocutus fuerit; atque ab eo viſus palàm & non per ænigmata aut figuras: ſolet à Theologis accuratè diſputari in ſecundum ſentent. diſt. 8, vbi & nos opinionem negantem oſtendimus ſacris literis ac ſanctorum patrũ dictis eſſe magis conſonam; nec obſtare ei loca ſcripturæ memorata. Siquidem in illis ſermonem eſſe conſtat de angelo contrectabilem atque

Quid videre facie ad faciẽ.

Error negantium animas iuſtorum viſuras Deũ ante generalẽ reſurrectionem.

Error Theodoriti negãtis diuinitatem poſſe videri à beatis.

Intellectualis creaturæ beatitudo in Dei viſione conſiſtit. Notanda Hugonis ſententia. Vtrum in hac vita quiſquam Dei eſſentiam viderit.

Pars negatiua probabilior oſtenditur.

visibilem exhibente sese in assumpta specie corporis humani. Cuius proinde vultum qui corporeis suis oculis intuebatur, siue collustãs, vt Iacob; siue colloquens, vt Moyses; siue quis alius, de quo simile quid alicubi legitur: ipsum Dominũ, cuius personam angelus ille gerebat, facie ad faciem videre dicebatur. Alioqui faciem, hoc est, essentiam Dei ab homine mortali videri non posse, Dominus ad Moysen id ausum postulare, testatur his verbis: *Non poteris videre faciem meam: Non enim videbit me homo & viuet.* ac rursus; *Faciem meam videre non poteris*, Exodi 33.

Quid hoc loco cognoscere ex parte.

NVNC COGNOSCO EX PARTE. Pluralem numerum primæ personæ mutat in singularem: ne quis ambigat hæc in ipsum etiam Paulum competere, quamuis aliquando raptum in tertium cælum & in paradisum; vbi audiuerat arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ex parte nunc se cognoscere dicit: non solum quia pauca cognoscat ex multis, id est, mysteriorum partem aliquam, non omnia mysteria; quomodo nonnulli interpretantur illud *ex parte*, nominatim Syrus paraphrastes, quum vertit *parum ex multo:* sed etiam quod ea quæ sibi sunt reuelata, cognoscat imperfectè & obscurè; nimirum per fidem, quæ est *argumentum non apparentium*, Heb. 11. Quem sensum volunt tam ea quæ proximè præcedunt de speculo & ænigmate, quàm hoc quod sequitur, *sicut & cognitus sum*. Locum hunc Augustinus lib. 12 de Trinitate capit. 14 ita legit; *Nunc scio ex parte:* dicitque sapientiam, qua Deum contemplamur, hic vocari scientiam.

Beati Deũ perfectè cognoscũt, sed non comprehendunt. Gratia præuenies

TVNC AVTEM COGNOSCAM, SICVT ET COGNITVS SVM. Supplendum, à Deo. Sicut Deus, inquit, me cognoscit, & ab æterno cognouit, clarè & perfectè: sic & ego Deum resque diuinas in futuro sæculo cognoscam clarè & perfectè. Verùm hæc cognoscendi similitudo magnam adiunctam habet inæqualitatem: Nam Deus omnia nouit perfectissimè, nos autem Deum cognoscemus perfectè, quomodo potest creatura creatorem cognoscere, nempe per essentiam, omni remota obscuritate. Non igitur hinc sequitur beatos Deum comprehendere, sicut Deus illos, & seipsum comprehendit. Annotant Theophylactus & Oecumenius post Chrysostomum, hic à Paulo gratiam insinuari præuenientem, qua nos Deus prior cognouit, vt nos eum cognosceremus: & per hoc etiam imperfectam quam de Deo habemus scientiam, non ex nobis esse, sed gratuito Dei munere nobis obuenire. Quare secundum horum commentarium non nuda cognitio, sed amore comitata, quã approbationis noticiam vocant, hac parte significatur, vt sensus sit. Quemadmodum Deus me longè aberrantem, & à sui noticia penitus alienum prior cognouit, requisiuit, attraxit ad se, vt ego eum cognoscerem, quærerem, & amarem: sic & ego eum in futuro sęculo cognoscam, & ad eum accurram, scilicet per amorem atque iusticiam prius ab ipso acceptam, in qua tunc conspectui eius apparebo, Psalm. 16. Consonat locus Gal. 4, *Cum cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo.* & Philipp. 3, *Sequor autem si comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu.* Potest & hic sensus intelligi: Tunc quum imago ad exemplum suum accesserit; eo gradu perfectionis cognoscam, ad quem ab æterno præcognitus ac prædestinatus sum à Deo. Cui sensui fauet textus Syriacus: *Tunc autem cognoscam, sicuti factus fui cognoscere.*

13 NVNC AVTEM MANENT FIDES, SPES, CHARITAS, TRIA HÆC. *Manent*, Græcè μένει, *manet*, quod & in vetustissimis Latinis legitur. Sed ad sensum nihil interest: nam per syllepsin ad omnia tria verbum refertur. Videtur autem apostolus in his verbis ad charitatem commendandam vti nouo ac diuerso argumento: Non enim eam hic, vt suprà, comparat cum donis quæ solum ad aliorum dantur vtilitatem, & propriè charismata dicuntur: sed cum donis seu virtutibus, quæ eiusdem cum ipsa sunt ordinis, & à Theologis virtutes Theologicæ vocantur, quod Deum vt bonum beatificum ac supernaturale pro obiecto, fine & regula habeant; omnibus hominibus ad propriam ipsorum salutem necessariæ. Nam fides quam hic nominat, alia est à fide superius inter charismata numerata, licet in ea includatur. Porrò tres hasce virtutes enumerat secundum gradus generationis. Quod enim ad ordinem naturæ pertinet, prima gignitur in nobis fides, qua Deo credimus: secunda spes, qua Dei promissa ab ipso exspectamus: tertia charitas, qua Deum vt summum bonum nostrum diligimus. Potestque fides in hac vita haberi sine spe & charitate, non contrà: Spes item sine charitate, non contrà. Dicit ergo Paulus, hæc tria Spiritus-sancti dona, fidem, spem, & charitatem manere nunc, id est, in hac vita; ad differentiam charismatum, quæ ne quidem hoc sæculo durante permanent omnino; vt annotatum est à Græcis. Nam donum linguarum iam olim cessat; prophetia paucorum est; miraculorum gratia paucissimi prædita sunt: donum quoque scientiæ non omnibus est necessarium. At ista tria fides, spes, charitas hac vita durante simpliciter manent: quia, sicut dictum est, omnibus hominibus ad salutem necessaria sunt. Hinc Augustinus lib. 1 de doctrina Christiana capit. 39 dicit hominem fide, spe, & charitate subnixum, eaque inconcussè tenentem, non indigere scripturis, nec omnino codicibus, nisi ad alios instruendos. *Vnde in illis*, inquit, *arbitror iam completum esse quod dictum est: siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt,*

Virtutes Theologicæ, fides, spes, charitas & cur ita dicta.

Ordo naturæ harũ triũ virtutum.

Fides sine spe & charitate potest esse, nõ contrà.

Quædam charismata cessant etiam in hoc sæculo

Fides, spes, charitas hac vita durãte simpliciter necessaria

siue

Vtrũ mẽsura in altera vita.

siue scientia destruetur, & quæ sequuntur. Sciẽdum autem, veteres quosdam ita locum hunc accepisse, ac si sensus apostoli sit, ista tria, fidem, spem, charitatem esse mansura etiam in altero sæculo. Sic Irenæus aduersus hæreses lib. 2 cap. 47, rursumque lib. 4 cap. 25, & Tertullianus libro de patientia capit. 12. Tradit eandem expositionem Photius apud Oecumenium. Nec adeò obsistit huic sensui vocula *nunc*, tanquam præsens tempus designet. Non enim hic in Græco legitur ἄρτι, quod superiore versu semel & iterum; cui τότε *tunc* respondebat: sed νυνὶ δὲ, *nunc autem:* quo Paulus vti solet pro vocabulis, atqui, at verò, vt suprà cap. 12 vers. 18 & 20, & alibi. Quare & Photius disertè negat dictionem νυνὶ *nunc*, hoc loco significatiuam esse temporis: ideóque nec Syrus interpres eius rationem habuit; sed ita vertit: *Tria enim sunt quæ manent, fides, & spes & charitas*. Verùm hæc non efficiunt vt sensus apostoli sit, ea permansura in sæculum futurum: nam etsi temporis aduerbium non vrgeamus, attamen ista permansio commodissimè refertur ad sæculum præsens; quasi dicat apostolus; Interim verò manent hæc tria, tanquam prorsus necessaria; cæteris, vti dictum est, haud omnino manentibus. Nam quod charitati peculiare sit nullo vnquam tempore excidere; ne tunc quidem cùm venerit quod perfectum est, cumque ea quæ nunc credimus & cognoscimus, facie ad faciem videbimus: iam suprà dixit, nec hic putauit repetendum. Huiusmodi verò permanentiam qui communem fecerunt fidei ac spei; in fide considerasse videntur certitudinem cognitionis, non obscuritatem; atque in spe, spei perfectionem, id est, rei speratæ possessionem: cum alioqui iuxta apostolum fides *sit argumentum non apparentium*, Hebr. 11, & *spes quæ videtur non sit spes*, Rom. 8. Ad hunc certè modum Photius vtcumque seipsum explicat. Iam quod Erasmus diuersam ab illis ingressus viam, in suis annotationibus ostendere conatur, has tres virtutes ita ab apostolo restringi ad vitam hanc præsentem, vt secundum illum nec ipsa charitas mansura sit in vita cælesti; charitatem intelligens ea parte qua studet prodesse proximis: an satis id cohæreat cum doctrina superiore, qua charitatis permanentiam apostolus asseruit, expendat diligens lector. Illud demum admoneo, Paulum non sine causa numerum expressisse dicendo *tria hæc:* vel quod numerus ille diuinus sit; vt fides ad patrem referatur, à quo symboli, quo fidem profitemur, initium est; spes ad Filium, per quem adducimur ad patrem; charitas ad Spiritum-sanctum, qui nexus & amor est Patris ac Filij; vel ideo certè, ne quis hæc dona confundat, vt faciunt hæretici, qui fidem à spe & charitate non distinguunt; aduertere nolentes quàm apertè & numeratè Paulus hoc loco ea discriminet.

Charitati peculiare numquã excidere.

Quomodo secundum quosdam fides & spes mansura in altero sæculo.

Erasmi sententia locũ hunc restringẽtis ad vitã præsentẽ.

Cur Paulus numerum harũ virtutum expresserit.

Has virtutes malè sectarij cõfundũt.

MAIOR AVTEM HORVM EST CHARITAS. Atticissimum retinuit interpres, pro eo quod Latinè diceret, *maxima horum* aut *inter hæc, est charitas*: aut, vt mauult Erasmus, ad euitandum incommodum generis, horum, aut harum; *maxima in his est charitas*. Quod enim in vetustis quibusdam codicibus, & apud Augustinum in Speculo legitur, *maior his est charitas*; meritò Vallæ displicet, vt absurdè dictum: neque enim charitas seipsa maior est. Similis enallage graduum comparationis est Luc. 22, *Quis eorum videretur esse maior*, id est, *maximus*. Vtitur & poeta Latinus, *Hesperе qui cælo lucet iucundior ignis*. Portò cur maxima trium sit charitas, ex antedictis intelligendum relinquit apostolus. Non enim fides, neque spes, sed sola charitas reliquarum virtutum officia secum adducit: earumque perfectio est. Eadem sola nunquam excidit, sed permanet in patria: quando & fides in visionem, & spes in apprehensionem commutabuntur. Et quãuis apostolus fidem & spem superius expressè non recensuerit inter ea quę cessabunt hoc sęculo finito: satis tamen ex ijs quæ dixit intelligitur, ex eò maximè: *Cùm venerit perfectum, euacuabitur quod ex parte est*. Nam fidem & spem ex parte esse constat: illam, quod sit eorum quæ non videntur; istam, quod eorum quæ non habentur. Vbi & hoc notandum est, apostolum has duas virtutes facere quasi medias inter ea quę charismata vocat, & charitatem.

Charitas triũ maxima, & quare.

Fides & spes mediæ inter charismata & charitatẽ.

SVMMARIVM.

Donum linguarum dono prophetiæ postponit: adeoq; inutile esse, si desit qui interpretetur, variis rationibus ostendit. Regulam ac ordinem præscribit, ijs donis vtendi in ecclesia. In qua postremò mulieribus silentium indicit.

CAPVT XIV.

SECTAMINI CHARITATEM. Conclusio est exhortatoria. Quoniam, inquit, charitas tã excellens & necessaria virtus est, eam *sectamini*, vel vt Græcè est, διώκετε, *persequimini*: quemadmodum & Primasius legit. Quo quidem verbo significatur magnum & ardens studium consequendi. Sic Rom. 12, *Hospitalitatem sectantes*. & 1 Tim. 6, *Sectare iustitiam*. His enim locis in Græco idem cum isto verbum est. Syrus suo idiomate sic expressit: *Currite post charitatem*.

Persequẽda charitas.

ÆMVLAMINI SPIRITVALIA. Græcè, *æmulamini autem spiritualia*. Nec ociosa est cõiunctio: sed addita, ne ex æquo videatur adhortari ad vtrumque genus: quum iam ostenderit charitatem esse spiritualibus excellentiorem. Nam spiritualia quæ vocet, dictum est initio capitis 12, nempe ea quæ postea appellat charismata. Sensus, Non prohibeo quo minus aspiretis ad charismata; quin studium

Æmulatio charismatum permissa.

ea consequendi (hoc enim vocat æmulari spiritualia) facilè vobis permitto: Verũ (quod consequenter audietis) id volo vos facere cũ iudicio & ex charitate; non excellendi studio sed ædificandi. Vnde dixerat in fine capitis 12, *Æmulamini charismata meliora*, id est, ecclesiæ vtiliora. Vide quæ illic annotauimus. Versatur autem apostolus in eo argumẽto pænè toto hoc capite. Cum enim Corinthij stulta quadam opinione donum linguarum permagni facerent, ac cæteris anteferret; eoque præterea, vt & alijs donis, ad gloriam magis suam quàm ad vtilitatem publicã vterentur; deinde nec ordinem loquendi in ecclesia seruarent: apostolus post ea quæ præmisit de charismatum authore & varietate ca. 12, déque charitatis excellẽtia præ cæteris capite proximo; nunc demum aggreditur eorũ peccata, quæ commemoraui, corrigere; ac primũ docet, quodnam inter charismata potius æmulari debeant, dicens:

Corinthiorum præposterũ de charismatis iudicium.

MAGIS AVTEM VT PROPHETETIS. Quoniam, inquit, donorum æmulatores estis, maximè præcipuéq; studete dono prophetiæ cõsequendo. Vtitur autẽ verbo actum significãte, vt innuat dona non esse expetẽda nisi propter vsum. Porrò commendat hic & deinceps donum prophetiæ præ cæteris charismatum generibus, potissimùm ijs quæ in cognitione versantur; ac speciatim præ dono linguarum. Quapropter & cap. 12, vbi suo ordine charismata recensuit, primum post apostolos locum dedit prophetis, postremũ linguis. & ad Rom. ca. 12, vbi docet quomodo charismatis ad ædificationẽ vtendum sit; in capite posuit donum prophetiæ, dicens: *siue prophetiam secundum rationem fidei* &c. Vt autem hęc charismatum seu donorum comparatio, quam nunc facit, rectè intelligatur: explicandũ hoc loco plenius (nam in superioribus prioris huius epistolæ cap. 11, 12 & 13, & Rom. 12, eam rem breuiter tantum attigimus) cuiusmodi fuerit donum prophetiæ, de quo loquitur apostolus; itẽ cuiusmodi fuerit donum linguarum; præsertim cùm de his inter expositores haud prorsus conueniat. Igitur donum prophetiæ (quemadmodum ex dictorum locorum atque aliorum collatione satis liquet) non in eo solum consistebat vt quis futura prædiceret; quod propriè est προφητεύειν, prophetare, prædicere: sed generaliter erat donum quo quis ex inspiratione diuina cognosceret ac proferret occulta quædam, siue illa futura essent; quomodo prophetauit Agabus, quando significabat per spiritum, *famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum*, Act. 11. & rursus, quando Paulo prædixit quod in Ierusalem alligandus esset à Iudæis, & tradendus in manus gentium, Act. 21. necnon eodem capit. discipuli quidam, *qui Paulo dicebant per spiritum, ne ascenderet Hierosolymam*: siue essent scripturarum difficilium & obscurarum, maximè propheticarum explanationes; siue alia quędã ad Christianã doctrinam illustrandam, aut pietatẽ promouendã pertinẽtia. Nam his saltem modis prophetę fuerunt, de quibus Lucas Act. 13, *Erant*, inquit, *in ecclesia Antiochena prophetæ & doctores, in quibus Barnabas & Simõ* &c. Tales item quatuor filiæ Philippi euãgelistæ, *virgines prophetantes*, vt dicitur Act. 21. Talis & ipse earum pater, quando locum Isaiæ exposuit eunucho Candaces reginæ, neganti sine eo qui ostendat & præeat, intelligere se posse; Actor. 8. De hoc generali modo prophetandi, etiam illud accipiẽdum quod Paulus dicit, 1 Thess. 5, *Prophetias nolite spernere*. quodque Petrus 2 epist. 1, *Omnis prophetia scripturæ*, id est, expositio scripturæ quæ prophetia dici mereatur, *propria interpretatione non fit*. nec non illud Sapientis Prouer. 29, *Cùm prophetia defecerit, dissipabitur populus*. Sic autem generaliter accipi prophetiæ nomen in hoc capite, facilè potest ostendi: ac primùm ex eo quod statim dicit eum qui propherat, loqui *ædificationem, exhortationem, consolationem*: ne quidem facta mentione prædictionis futurorum. Deinde ex eo quod post multa dicit, *omnes per singulos prophetare* posse, *vt omnes discant & omnes exhortentur*. Per hæc enim significatur vsus prophetiæ, consistens in doctrina & exhortatione. Rursum ostenditur ex illis verbis, *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota*; *conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus. Occulta cordis eius manifesta fiunt* &c. Non enim hæc contingunt infideli vel idiotæ, si non aliud quàm futura loquantur illi prophetantes: quæ vera non cognoscuntur, nisi comprobante euentu, Ieremiæ 28. Iam nec verisimile est omnes illos ad prænunciandum futura diuinitus inspiratos fuisse, quibus hoc loco Paulus, & in Actis apostolorum Lucas, attribuunt gratiam prophetandi. Nec erat cur tantopere Paulus hortaretur Corinthios ad studium huius doni consequendi, si prophetare non erat nisi futura prædicere; cùm id semper fuerit paucorum: sed nec ædificaret propriè, (quod de eo tamen inculcat apostolus) nisi postquam res quæ prædicta fuerat, euenisset. His adde, quod & prophetæ veteris testamenti per quos scripturæ propheticæ nobis ministratæ sunt, non tantum prophetasse dicuntur, quando ventura prænunciarunt: sed tunc etiam quando diuinitus inspirati protulerunt sermonem doctrinæ, exhortationis & increpationis. Qua ratione toti eorum libri prophetici sunt. An autem ad hanc prophetandi seu gratiam seu facultatem, de qua Paulus agit, aliquid contulerit humanum studium; dubitari potest. Equidem existimo doctrinam sacram labore & studio quæsitam, non tam fuisse partem aliquam huius doni, quàm accessionem & ornamentum. Qui enim hoc dono diuinitus infuso prędditi erant, vt apostoli & horum discipuli, etiam studio sacrarum literarum incumbebant.

Charismata nõ expetẽda, nisi propter vsum Donũ prophetiæ quibus charismatis præstãtius.

Prophetiæ donum Paulo quodnam sit.

Probatur generalis acceptio prophetiæ

Prophetæ antiqui etiam generaliratione prophetæ.

An ad donum prophetiæ cõtulerit aliquid studium humanũ. Respõsio.

Vnde

Vnde Paulus non ſolum hortatur diſcipulum ſuũ Timotheũ dicẽs, *attende lectioni*, 1 Tim. 4. verũ etiam ad ſe libros, vtique quos legat, adferri præcipit, 2 Tim. 4. Reſpondet ad hũc ferẽ modum Origenes ſcribẽs in cap. 12 epiſtolæ ad Rom. Qua in re tamẽ notandũ eſt (propter Origenem minus catholicè loquentem) totum etiam illud quod ſcientiæ diuinitus inſpiratæ per noſtram induſtriam & curam accedit, æquè referendum eſſe in Deum authorem, qui *operatur omnia in omnibus*; ſuprà capit. 12. Quod ad donum linguarum attinet, quidã opinantur tale fuiſſe, quo quis peregrinam linguam non loqueretur ſolùm, ſed etiã intelligeret. Abſurdum enim eis videtur, quẽpiam à Spiritu-ſancto moueri ad proferẽdum verba non intellecta. Quocirca putant omnes eos qui linguis locuti fuiſſe leguntur tam hoc capite, quàm in Actis apoſtolorum; intellexiſſe verba quæ loquerentur: non tamen omnes percepiſſe myſteria verborum, id eſt, eas res quas Spiritus-ſanctus per ea quæ verbis proximè ſignificabantur, vlterius intelligi volebat. Hanc iſtius doni acceptionem præ alijs clarè explicãt Liranus & Carthuſianus. Verũ perdifficile eſt omnia quæ hic ab apoſtolo dicuntur de ijs qui linguis loquuntur; cum huiuſmodi ſenſu bene conciliare. Quę res fortaſſe mouit Auguſtinum, vt donum linguarum, prout de eo Paulus diſſerit hoc capite, multo aliter acciperet. Nam lib. 12 de Geneſi ad literam cap. 8, dicit inter alia, apoſtolum *tranſlato verbo linguam appellaſſe, quamlibet ſignorum prolationem priuſquam intelligantur*. Itaque linguam eſſe, cum quis loquitur *obſcuras & myſticas ſignificationes, velut imagines rerum ac ſimilitudines, quæ vt intelligantur, indigent mentis intuitu*. Quod deinde cap. 9, declarat exemplo Pharaonis & Nabuchodonoſor regum; in quibus linguam fuiſſe dicit, quando ſua ſomnia à ſe non intellecta recitarunt: quorum interpretes fuere Ioſeph & Daniel, Gen. 41 & Dan. 4. Auguſtini verba refert Beda: ſenſum expreſſit gloſſa ordinaria. Meminerunt etiam Hugo, Lombardus & Aquinas: non ita tamen vt per omnia ſequantur. Ac ſanè videtur hic commentarius longiuſculè petitus, nec vllo modo conſonans ijs quæ de dono linguarum in Actis apoſtolicis referuntur: denique nec reſpondens illi principio capitis ſuperioris, *Si linguis hominum loquar & angelorum*. Nec enim veriſimile eſt Paulum hic aliter accipere linguas, quam vel ipſe in præcedentibus acceperit, vel Lucas in Actis. Igitur ad id veniendum eſt quod diximus exponentes illa verba Pauli cap. 12, *Alij interpretatio ſermonum*. &, *nunquid omnes interpretantur*? ſcilicet eos qui ſolo præditi erant dono linguarum, non potuiſſe ea quæ peregrina lingua loquebantur, nota ac vulgari ſua lingua reddere, quod eſt interpretari: propterea quod non intelligerent ea quæ dicerent. Erant enim dona diſtincta, loqui linguis, & eas interpretari; quemadmodum & diſtincta erant, interpretari linguas, & prophetare: quod vtrumque patet ex ipſorum diſtincta enumeratione ſecundò aut tertiò repetita, eodem cap. 12. Hoc modo linguas ſeu linguarum donum intellexerunt Chryſoſtomus & Theophylactus: & quidem notanter ad illud, *Spiritus meus orat; mens autem mea ſine fructu eſt*: vbi & Theophylactus huiuſmodi locutionem defendit ab inſania prophetarum Montani. Sed & commẽtator Ambroſianus quàm in eiuſdem loci expoſitione rem exemplo notificat inquiens; *ſicut aſſolent Latini homines Græcè cantare, oblectati ſono verborum, neſcientes tamen quid dicant*: vtique palàm oſtendit quid de hoc dono ſenſerit. Primaſium quoque non aliud ſenſiſſe, probant hæc eius verba: *Nam ſi dicam lingua quod non intelligo; velut afflatus ſpiritu, in ecſtaſi loquor*. Quin & Thomas etſi priora huius capitis duobus prioribus modis exponat, poſtea tamen ad hanc tertiam ſententiam inflectitur. Explicans enim illum verſum, *Nam ſi orem lingua, ſpiritus meus orat* &c. id contingere dicit homini idiotæ qui recitat pſalmum aut precem Dominicam, non intelligens ea quæ loquitur. Eandem rem luculentè Caietanus in ſuo commentario declarat: Sciendum, inquit, *quod de ratione doni linguarum nec erat intelligi ab alijs; nec etiam intelligi ab ipſo loquente verba quæ donum porrigebat: ſed accipiens donum linguarum mouebatur à Spiritu-ſancto ad loquendum magnalia Dei, prout Spiritus-ſanctus dabat ei loqui; nec ſolum mouebatur lingua ad proferendum illa verba; ſed ſimul mouebatur à Spiritu ſancto affectus loquentis in Deum, motu cuiuſdam deuotionis ad laudandum Deum*. Ita Caietanus, addens hæc omnia ex textu haberi. Nec ideo quis putet apoſtolos ſiue in die Pentecoſtes, ſiue poſtea aliquando linguis loquentes non intellexiſſe quæ dicerent. Nam apoſtoli non ſolo præditi erant dono linguarum, ſed etiam donis intelligentiæ, & interpretationis & prophetiæ: vt & ipſi intelligerent, & alijs interpretari poſſent: & inſuper recondita verborum ſenſa aperire. Nec mirum; quandoquidem & alijs quibuſdam fidelibus hæc ſimul conceſſa leguntur, vt ijs de quibus dicitur Actorum 19, quod *cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus-ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis & prophetabant*. Nec verò ea ſola quæ dixi conceſſa fuerunt apoſtolis in hoc genere: ſed & illud donarum, vt ipſis vna lingua loquentibus, alij diuerſarum linguarum homines, abſque interprete ſuam quiſque linguam audirent: vti factum eſſe in die Pentecoſtes, Petro multitudinem, in qua homines erant alij alijs vtentes linguis, alloquente; multorum probabilis eſt ſententia. Iam ex memorata Caietani declaratione patet, cur abſurdum videri non debeat, quempiam ita moueri à Spiritu-ſancto ad loquendum,

Donũ linguarum quale fuerit, quorundam opinio.

De eodem Auguſtini ſententia.

Aliorum ſententia verſor.

Res ex Caietano declarata

Donum linguarũ in apoſtolis quale.

Quid apoſtolis in hoc genere peculiare.

Loqui lingua non intellecta cur non abſurdũ.

vt tamen non intelligat ea quæ loquitur: quando nimirum & pia ſunt verba quę loquitur, (neque enim alia Spiritus-ſanctus inſpiraret) atque eodem authore pius accedit loquentis affectus: præſertim ſi non deſit opportuno tempore qui interpretetur. Nam, vt ait apoſtolus, *Diuiſiones gratiarum ſunt; idem autem ſpiritus*, ſuprà cap. 12. Ac fortaſſe dicto modo quoſdam ad loquendum mouere voluit Spiritus-ſanctus in eccleſia primitiua; vt eo exemplo diſceremus non eſſe contemnendas orationes & laudes illas, velut inutiles coram Deo, quas multi fideles recitant verbis non intellectis. Qua de re plura dicemus infrà ad verſum 14. Illud poſtremum adijcio, donum linguarum in ijs qui non intelligebãt, fuiſſe velut impreſſionem ſeu motum tranſeuntem, non vt habitum permanentem. Non enim poterant lingua peregrina loqui quoties & quæcumque vellent: ſed tunc ſolũ quando ad hoc actualem habebant Spiritus-ſancti motionem; & ea ſola ad quæ loquenda mouebantur. In alijs verò, quibus etiam dabatur vt intelligerent, videtur linguarum donũ fuiſſe habituale & permanens: quod de apoſtolis non dubitamus. Nam & de Paulo ſatis id apertè ſignificant illa eius verba in hoc capite, *Gratias ago Deo meo quod omnium veſtrũ (magis) lingua loquor.* His ita præmiſſis ad expoſitionem textus apoſtolici redeamus. Prophetiam linguis antecellere, multipliciter probat apoſtolus; ac primum hoc modo.

Precesnon intellectæ non ſunt inutiles.

Donum linguarũ in quibus motus tranſiens, & in quibus habitus permanens.

2 QVI ENIM LOQVITVR LINGVA, NON HOMINIBVS LOQVITVR, SED DEO. Sermo eſt de lingua peregrina, & ignota. *Qui*, inquit, *loquitur lingua*, ſubaudi tantùm, ac nemine interpretante, *non hominibus loquitur*, ita nimirum vt intelligatur; qui proprius eſt vſus locutionis: *ſed Deo*, qui non ſolum intelligit verba loquentis, ſed etiam inſpicit affectum cordis. Quod hominibus non loquatur, probat: *Nemo enim audit*, videlicet cum intellectu: id eſt, nullus intelligit ea quæ loquitur. Non eſt enim qui interpretetur. Audire pro eo quod eſt audita intelligere, frequens eſt in ſcripturis, vt Gen. 11, *Confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui*, id eſt, intelligat. Marci 4, *Loquebatur eis verbum prout poterant audire*, id eſt intelligere. Act. 1, *Audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes.* & iterum, *Audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram in qua nati ſumus.*

Quid loqui hominibus, & quid Deo.

Audire frequens pro intelligere.

SPIRITV AVTEM LOQVITVR MYSTERIA. Quaſi dicat; nec ipſe quidem loquens ſeipſum intelligit: ſed tantum ſpiritu loquitur occulta quædam Dei. Malè quidam codices habent, *ſpiritus* pro *ſpiritu*: quamuis & Aquinatem & alios ante eum mediæ ætatis interpretes ita legiſſe, produnt eorum commentarij. Sed vera lectio probatur tam ex Græco Syroque textu, Greciſque commentarijs, quã ex Latinis codicibus mss. quibus & veteres concordantiæ ſuffragantur. Exponunt eandem lectionem Latini vetuſtiores, Ambroſiaſter, Primaſius, Sedulius. Alij veræ lectionis dubij vtramque interpretantur, vt Lombardus & Heruæus. Porrò Græcè quidem caſus eſt datiuus πνεύματι, vt proinde verti poſſet, *ſpiritui loquitur*: quomodo dixerat, *Deo loquitur*. Sed quia apud Græcos datiuus ablatiuum ſupplet, quo illi carent, rectè Latinus interpres ad ſenſum apoſtoli reſpiciens vertit, *ſpiritu*. Quod & Græci tractatores volunt, dũ πνεύματι interpretantur ex ſpiritu vel per ſpiritum. Tametſi Gaignæus ex abundãti etiam datiuum exponit. Sed quæres, quo ſpiritu? Plerique Spiritum-ſanctum intelligunt: vt ſit ſenſus; Spiritu Dei mouente loquitur arcana Dei. Verumtamen alij tam ex antiquis quàm ex recentioribus, de ſpiritu hominis interpretantur: vt per ſpiritum intelligatur affectus animi, ad quem pertinet deuotio. Quem ſpiritum à mente, id eſt intelligentia, Paulus in ſequentibus apertè diſtinguit. Ita ſenſus erit: eum qui lingua loquitur occulta quædam, ac ſibi non intellecta, loqui cum pio deuotionis affectu quo in Deum ſuſtollitur. Qui ſenſus optimè conuenit cum ijs quæ deinceps ſequuntur.

Quis ſpiritus hoc loco intelligatur.

Spiritus affectus animi.

3 NAM QVI PROPHETAT, HOMINIBVS LOQVITVR AD ÆDIFICATIONEM ET EXHORTATIONEM ET CONSOLATIONEM. *Nam qui prophetat*, Græcè, ὁ δὲ προφητεύων, *Prophetans autem. Caterum qui prophetat.* Similiter & Syrus legit. Eſt enim aſſumptio argumentationis apoſtolicæ, ſiue altera pars comparationis: non autem probatio partis præcedentis. Rurſum Græcè & Syriacè ſine præpoſitione legitur: *hominibus loquitur ædificationem & exhortationem & conſolationem*. Quam lectionem exhibent etiam Latina quædam mss. & veteres concordantiæ; exponit autem diſertè Sedulius. Porrò ſenſus huiuſmodi eſt: Qui autem prophetat, loquitur hominibus; quia ab hominibus intelligitur, ijſque proficit: loquitur, inquam, verba ædificationis, vel quibus infirmi ſtabiliantur, vt Theophylactus exponit; vel quibus excitetur affectus ſpiritualis, vt Aquinas & Caietanus. Quanquam nomen ædificationis generale eſt ad omnem profectum ſpiritualem. Item loquitur verba exhortationis ad ſtudium bonorum operum: & verba conſolationis, quibus in ſpẽ promiſſorum cæleſtium erigantur afflicti & puſillanimes. In his itaque verbis obſerua materiam prophetiæ, de qua agitur hoc loco. Deinde nota diſcrimen prophetantis ab eo qui lingua loquitur, non in eo ſolum conſtitui, quod alter hominibus loquatur, alter ſoli Deo; verùm etiam in eo, quod iſte myſteria loquatur, id eſt occulta nec ſibi nec alijs intellecta: ille verò proferat ad homines verba ædificationis & exhortationis & conſolationis. Quamuis enim diuerſum eſſet donum prophetiæ à dono doctrinæ & exhortationis, vt patet ex ijs quæ ſuprà c. 12, & Rom. 12 dicũtur; vix tamen erat vt propheta non etiã doctrinæ & exhortationis gratia prædituſ eſſet.

Propheta loquitur ædificationem, & cætera.

Materia prophetiæ huius loci

4 QVI LOQVITVR LINGVA, SEMETIPSVM ÆDIFICAT. Aliud discrimen, seu potius superioris discriminis explicatio. Qui loquitur lingua peregrina, se ipsum ædificat, id est, sibi ipsi proficit, vni sibi prodest: non quod intelligat ea quæ loquitur; sic enim etiam interpretari posset: sed quia per Spiritum sanctum, à quo mouetur ad loquẽdum, etiam affectus eius excitatur ad laudem Dei. Nam etsi mente non loquatur, spiritu tamen loquitur, vt dictum est. Quod si semetipsum ædificat is qui loquitur lingua quam non intelligit: non igitur inutile est aut orare, aut laudare Deum verbis non intellectis.

Non inutile Deũ orare precibus non intellectis

QVI AVTEM PROPHETAT, ECCLESIAM DEI ÆDIFICAT. *Dei* vocabulum videtur adiecticium. Nam in plurimis Latinis ijsq; probatissimis non habetur, vt nec in Græcis vllis ac Syriacis: nec apud commentatores Ambros. & Sedulium. Sensus tamen constat, siue addatur, siue non. Nec enim aliam quam Dei ecclesiam Paulus intelligit. Qui prophetat, inquit, conuentui fidelium proficit; per hoc nempe quod loquitur ædificationem, exhortationem, consolationem.

5 VOLO AVTEM OMNES VOS LOQVI LINGVIS. Occupatio est. Non hæc, inquit, scribo, quasi improbẽ quod aliqui inter vos linguis loquãtur. Imò verò placet mihi; & quod ad me attinet, opto vos omnes loqui linguis: Est enim donum Spiritus-sancti; quemadmodum & prophetare & interpretari. Sed quomodo optat omnes loqui linguis, & (quod subiungit) prophetare: cum ea res paritura sit confusionem ordinis, quem suprà cap. 12 docuit esse debere inter membra mystici corporis quod est ecclesia? Ad hũc enim ordinem pertinere dixit, vt alij detur *prophetia, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum:* non autem vt omnes habeant omnia. *Nunquid*, enim, inquit, *omnes prophetæ? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?* Respondeo de Paulo, quod cap. 12 de Moyse: non absolutè eum optare, vt omnes aut linguis loquantur, aut prophetent: sed vt dixi, quantum ad se suámve personam attineret. Neque enim ipse cuiquam aliquod horum donorum inuidebat: sed quatenus expediret, omnibus optabat omnia.

Paulus optat omnes loqui linguis, & quatenus.

MAGIS AVTEM PROPHETARE. Græcè, *magis autem vt prophetetis:* quemadmodum & legitur in textu Ambrosiano. Hoc, inquit, magis volo & opto vt prophetetis, id est, prophetiæ donum præfero. Quasi dicat: eò tendit hęc mea oratio, vt intelligatis quid cui prępònere debeatis.

Prophetia linguis præfertur

NAM MAIOR EST QVI PROPHETAT QVAM QVI LOQVITVR LINGVIS. Probatio est ab vtilitate maiore. Nam vt ex dictis & dicendis patet, maiorem intelligit eum, qui maiorem ecclesiæ præstat vtilitatem. Quamquam & alijs modis donum prophetiæ pręstabat dono linguarum: vt videre est apud S. Thomam 2 2, quæst. 176, ar. 2.

NISI FORTE INTERPRETETVR. Voculam *fortè* adiecit interpres de suo: sicut interdum & alibi, vt Matth. 26, *ne fortè tumultus fieret in populo.* Nam in Græco nihil respõdet, nec in Syriaco. Veteres etiã expositores Ambros. & Sedulius non legerunt. Sedulij glossema sic habet: *nisi interpretetur ex ignota lingua in aliquam notam.* Hoc enim propriè erat interpretari.

VT ECCLESIA ÆDIFICATIONEM ACCIPIAT Ipso videlicet interpretante. Nam si, qui lingua loquitur, interpretetur sua verba, & ad aliorum intelligentiam proferat: tum non seipsum solum, sed etiam alios fideles ædificabit: & hac ratione conferri poterit, cũ eo qui prophetat; vtpote qui perinde vt prophetans, ecclesiam ædificet. Ex hoc loco satis apparet dono linguarum ex ipsius doni ratione non fuisse coniunctam intelligẽtiam verborum: atque adeò fuisse non paucos in ecclesia primitiua linguis loquentes, quibus deesset donum intelligentiæ & interpretationis.

Multi linguis loquentes non habuerunt donum intelligẽtiæ.

6 NVNC AVTEM FRATRES, SI VENERO AD VOS LINGVIS LOQVENS; QVID VOBIS PRODERO? A seipso probat eum qui tantum linguis loquitur, non ædificare ecclesiam; & proinde minorem esse eo qui prophetat. *Nunc autem* apostolo quid passim significet, alibi diximus. Sensus: Sanè & ipse ego, quamuis apostolus vester, & linguarum dono præ multis alijs instructus, si veniam ad vos, & in conuentu vestro linguis loquar peregrinis & ignotis: *quid vobis prodero?* id est, quid vtilitatis spiritualis ex me capietis? nihil profecto: nisi vobis loquar, &c. prout sequitur. Ratio manifesta est ex antedictis: quia loquentem me nullus intelliget. Legimus quidem Act. 10, quosdam accepto Spiritu-sancto linguis fuisse locutos, non facta mentione interpretationis: Verùm nec illis intelligẽtiam defuisse, proinde nec interpretandi facultatem, colligi potest ex eo quod de ijsdem additur, *& magnificantes Deum.* quomodo de alijs Act. 19 additum est, & *prophetabant.* Nec enim verisimile est minus datum fuisse eis qui Petro prædicante, quam qui Paulo ministrãte, Spiritum-sanctum acceperunt. Certè vbi Petrus aderat, non deerat qui interpretaretur. Imò quoties aliqui in ecclesia primitiua diuinitus specialiter impulsi, linguis loquebãtur: credendum est eos simul intelligentiæ donũ accepisse, quo sua verba possent interpretari: vel saltem locutos fuisse talibus præsentibus, qui intelligerẽt ac interpretari possent. Quod addo propter Samaritanos viros ac mulieres à Philippo diacono baptizatos, Acto. 8. Qui omnes apostolis manus imponentibus acceperunt Spiritum-sanctum, vtique cum signo visibili locutionis linguarum: *quia tunc*, vt ait Augustinus in enarratione psalmi 130, *per miraculum demonstrabatur aduentus Spiritus sancti, vt linguis loquerentur quas non didicerant, omnes super quos veniebat Spiritus-sanctus.* Nec

Qui linguis locuti etiam donum intelligẽtiæ acceperint.

Samaritani accepto Spiritu-sancto linguis locuti.

verò cupiuisset Simon ille pecunia comparare potestatem dandi Spiritum-sanctum, cuius illapsum visibili signo probare nō potuisset. Illi igitur, si non omnes interpretari potuerunt; habebant tamen præsentes qui id possent, Petrum & Ioannem & Philippum. Cæterùm apostoli in die Penrecostes varijs loquentes linguis, seipsos interpretati nō fuerunt, quia non deerant qui loquentes intelligerent: *quoniam*, vt dicit scriptura, *audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes*, Actorum 2.

NISI VOBIS LOQVAR AVT IN REVELATIONE, AVT IN SCIENTIA, AVT IN PROPHETIA, AVT IN DOCTRINA. *In* pro *per* Hebraismus est. Vnde alij vertunt: *aut per reuelationem, aut per scientiam* &c. Laborant interpretes in his quatuor distinguendis. Vt autem omittam Sedulium & Primasium hæc referentes ad quatuor mysticos scripturę sensus; quod nimis coactum est: inter multos cōuenit, reuelationem intelligi mysteriorum Dei, circa quæ versatur sapientiæ donum: vti dictum est ad illud capitis præcedentis, *si nouerim mysteria omnia*. vt sensus huius primi membri sit: nisi proferam vobis mysteria diuina, quorum est sapiētia; sic enim saltem perfectis & spiritualibus vtilis ero, faciens illud quod dixi suprà cap. 3, *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Conformiter accipiunt secūdum membrum, hoc nimirum sensu: nisi proferam vobis ea quorum est scientia, quæ ex humanis rationibus diuina credibilia facit. Hoc enim fit per sermonem scientiæ ad rudiores accommodatum. Quod verò sequitur, *aut in prophetia*, vt aliquatenus à primō mēbro distinguatur; alij de prædictione futurorum accipiunt: alij ad explicationem occultorum scripturæ sensuum restringunt; alij generaliter accipiētes vtrumque comprehendunt: quod est probabilius. In postremo membro doctrinam ferè intelligunt eam, quæ est de moribus: licet alijs placeat acceptio generalior. Non enim ad mores restringi solet doctrinę vocabulum. Est & alius huius loci commētarius; quatuor hæc quæ Paulus recenset, duo iuga efficere, vt coniugata sint reuelatio & prophetia; ac rursus coniugata scientia & doctrina. Nam reuelationi prophetia respondet, tanquam illius enunciatrix ad homines: & similiter sciētiæ respondet doctrina, id est, docendi gratia, per quā id quod scimus, alijs communicamus. Quem sermonem scientiæ vocauit apostolus suprà cap. 12, versu 8. Ita sensus apostoli erit: nisi loquar vobis aut per reuelationem, aut per scientiam: idque aut per prophetiam qua reuelationem vobis aperiam & explicem, aut per doctrinam qua scientiam vobis communicem. Commētarius hic probabilis fiet aliorum locorum collatione. Nam scriptura passim distinguit prophetas & doctores: & illos istis anteponit, tanquam annunciantes sublimiora & secretiora; cum doctores ea tradant quæ capi possint ab omnibus. Quamobrem pastores oportet esse doctores, Ephes. 4. Loca scripturæ sunt, Acto. 13, Rom. 12, & quod modo citaui, Eph. 4, ac denique huius epistolæ cap. 12, versu 28 & 29. Quæ res etiam ex capite 13, vbi scientia prophetiæ semel iterumque postponitur, facilè potest colligi. Porrò memineris supplēdum esse Pauli sermonem, additis huiusmodi verbis: Atqui nihil horum facere potero linguis loquens, nisi interpretationem adhibeam vt intelligatis. Significat ergo interpretationem esse necessariam linguis loquenti: tametsi propter rerum obscuritatem sæpe nuda interpretatio non sufficiat: sed opus sit propheta aut doctore. Quod notandum etiam propter hodiernos linguarum peritos & interpretes: ne prophetis aut doctoribus, hoc est, sapientiæ aut scientiæ dono præditis, etsi fortè linguarum minus peritis, anteponere sese velint aut æquare.

Reuelatio, scientia, prophetia, doctrina quomodo differant.

Linguarū interpretatio sola sæpe non sufficit. Nota.

7 TAMEN QVÆ SINE ANIMA SVNT VOCEM DANTIA. Rem eandem declarat ab instrumentis musicis, quæ sunt quædam artificiales & facticiæ linguæ hominum. *Tamen*, Græcè ὅμως, pro quo Faber legendum putat ὁμοίως, aut contractè ὁμῶς, *similiter, perinde*; quemadmodum & vertere ausus fuit, nullius exemplaris fultus præsidio. Subscribit eius sententiæ Gaignæus: sed eam bene refellit Erasmus in annotationibus. Vertit autem ipse, *Quin & inanima*. Græcè, τὰ ἄψυχα. Alij, *atqui inanima*. alij, *certè inanima*. Simplicius existimo sensum ita reddi posse: Nam & instrumenta animæ expertia, quæ sonum reddunt voci similem. Quippe vox propriè non est nisi animalium.

Vox propriè tantū est animalium.

SIVE TIBIA, SIVE CITHARA. Sub tibia comprehende quæcumque instrumenta flatu sonant: sub cithara, quæ tactu.

NISI DISTINCTIONEM SONITVVM DEDERINT. *Sonitum*; Græcè, τῇς φθόγγοις, *sonis*. & ita legit Ambrosiaster. Apud Primasium legitur *sonitus*, sed corruptè, ni fallor, pro *sonis*. Potest autem hoc accipi vel tertio casu, vel sexto. Si tertio; sensus est, ipsa instrumenta musica arte pulsata aut inspirata, dare suis sonis distinctionem, id est, sonos efficere distinctos. Alij sextum casum malunt, vt sensus sit; Nisi sonis suis variè secundum artem redditis, distinctè significent vel argumentum cantionis, vel affectum ad quem excitandum cōposita est. Constat enim alios sonos modosq; musicos alijs affectibus excitandis seruire. Quod non fiet, si temerè & sine arte tibia infletur, aut cithara pulsetur. Facit tamen pro priore sensu vocabulum διαστολή, quam interpres distinctionem vertit. Significat enim apud Musicos harmonicam in tonis discretionem, qua sublata corrumpitur vsus instrumenti. Tale quid etiam Oecumenius annotauit.

Διαστολὴ Musicis quid significet.

QVOMODO SCIETVR ID QVOD CANITVR AVT QVOD CITHARIZATVR. Melius ex Græco, *quod tibia aut cithara canitur*. Hoc est, quod tibiæ aut citharæ sono redditur? Id

quod

De ijsdem quatuor alius cōmētarius probabilis

Quid doctrina.

Scriptura prophetas doctoribus anteponit.

quod Græci πόιημα, poëma vocant. ac ſi dicat; nullo modo id intelligi ac diſcerni poterit.

8 ETENIM SI INCERTAM VOCEM DET TVBA. Subiungit alterum exemplum inſtrumenti notiſſimi. Quod ſi, inquit, tuba ſonet incertum quid, haud diſtinguens ipſo ſonitu, ad quid vocet homines, aut quid agendum moneat: Nam tubarum ſonus velut lingua quædam publica ad populum, multa & varia ſignificare ſoler: vt videre eſt Num. 10. quẽ admodum & hodie multiplex eſt, vt ita dicam, locutio Campanorum æramentorum, quæ in locum tubarum ſucceſſerunt.

Tubis tãquã linguis publicis cãpanæ ſucceſſerunt.

QVIS PARABIT SE AD BELLVM? Græcè, *quis apparabitur ad bellum?* id eſt, quis parabit ſe ad pugnam, ad prælium? vtique nemo: quia ſonus tubæ indiſtinctus non hoc loquitur.

9 ITA ET VOS PER LINGVAM, NISI MANIFESTVM SERMONEM DEDERITIS. *Manifeſtum*, Græcè εὔσημον, id eſt, qui bẽne & clarè ſignificet. *Significantem* legit Ambroſiaſter, vertitque Eraſmus. Sic etiam, inquit, niſi vos lingua peregrina loquentes, ſermonem veſtrum interpretando feceritis intelligibilem: Sequitur.

QVOMODO SCIETVR ID, QVOD DICITVR? Id eſt, quomodo id quod loquimini, ab alijs intelligetur? Nã Græcè eſt λαλούμενον paſſiuum: quod quia proprio verbo Latinè reddi non poteſt, interpretes tranſtulerunt *id quod dicitur.*

ERITIS ENIM IN AERA LOQVENTES. Prouerbialis ſermo eſt, locutionem ſignificans inutilem, vt quam nullus intelligit: ſicut aërem verberare, pugnam ſignificat inutilem; vt qua non læditur aduerſarius. Quidam exponunt, tanquam in aërem loquentes. Idque Syrus expreſſit; ſed non eſt neceſſe.

Quid in aera loqui.

10 TAM MVLTA VTPVTA GENERA LINGVARVM SVNT IN HOC MVNDO. Græcè & Syriacè, *in mundo*. quemadmodum & in vetuſtis quibuſdam Latinis legitur. *Vtputa*, Græcè ἐι τύχοι: quod Eraſmus vertit, *verbi gratia*, & in paraphraſi, *videlicet*. Hentenius ex Græco propius, *ſi res ferat*: alius quiſpiam, *vt contingit*: alius, *prout inciderit*. Equidem opinor ita commodè verti poſſe, *tam multa paſſim genera vocum*. Dico *vocum*: ſic enim eſt in Græco: nõ *linguarum*: etſi Latinis omnibus reclamantibus, atq; etiam Syriaco textu. Valla ſuſpicatur *vocum* à quopiam mutatum in *linguarum*, ne videretur inepta repetitio; *nullum genus vocum ſine voce eſt*. Nam ſequitur:

ET NIHIL SINE VOCE EST. Græcè, καὶ οὐδὲν αὐτῶν ἄφωνον, & *nihil*, ſeu potius, *nullum eorum vocis expers*, quod Eraſmus reddit *mutum*, Hentenius Græcam vocem retinuit, *aphonum*. Dixi *nullum*, vt referatur ad genus. Porrò tota ſententia bifariam exponi poteſt; vel de linguis, maximè ſecundum Latinam lectionem: vel de inſtrumentis ſonandi inanimatis. Prior intellectus eſt; tam multa ſunt inter homines linguarum & idiomatum genera, vt numerari non poſſint: quorum vnum quodq; ſuam habet vocẽ, id eſt loquelã ab alijs diuerſam. Poſterior; tam multa ſunt inſtrumentorum genera, vocem, id eſt, ſonũ voci ſimilem reddentia; & nullum eorũ mutum eſt, ſed vnumquodque ſonũ reddit proprium. Oecumenius vna expoſitione ſimul vtrumque ſenſum complexus eſt; extenditq; ſententiam etiam ad voces beſtiarum: quod non eſt neceſſe, cùm illę natura iter tantum ſignificent. Poſterior expoſitio quãdam cum præcedentibus connexionem habet: ac ſi dicat apoſtolus; Quid ſingula numerem inſtrumenta ſonãtia; cùm ſint pęnè innumera: quorum cuique tamen proprius & ab alijs diuerſus ſit ſonus? Prior verò, quam tradunt etiam Chryſoſtomus & Theophylactus, nouum continet argumentum; & cum ea probè cohæret quod ſequitur.

Huius loci duplex expoſitio.

Genera linguarũ innumera.

11 SI ERGO NESCIERO VIRTVTEM VOCIS, ERO EI CVI LOQVOR BARBARVS: ET QVI LOQVITVR MIHI, BARBARVS. Græca ſic habent: *Si igitur neſciero virtutem*, ſeu *vim vocis, ero ei qui loquitur barbarus: & qui loquitur, in me barbarus.* Conſonat & Syriaca verſio. Virtutem vocis ſignificationem eius appellat. Nã proprius vſus vocis eſt in ſignificando. Barbari primum Græcis dicti ſunt, quicumque diuerſam à Græca ſonabant linguam; ſic nimirũ μιμητικῶς appellati ab aſperitate ſermonis: quum Græci ſuam linguam reputarent ſuauiſſimam: vt ſuam hodie Galli. Sed ab hoc nomine poſtea Romani ſeſe exemerunt; ac barbaros dixerunt quicumque alia quã Græca aut Latina lingua vterentur. Tranſlatum deinde vocabulum ad omnem eum qui lingua loquitur, quam alius non intelligat; quãuis etiam Græcè aut Latinè loquatur. Quo ſpectat illud Anacharſidis Scythę philoſophi dictum; Scythas barbaros eſſe apud Athenienſes: ſed Athenienſes itidem eſſe barbaros apud Scythas. & illud Ouidij apud Getas exulantis; *Barbarus hic ego ſum, quia non intelligor vlli.* Hoc igitur modo barbarum accipit apoſtolus. Quare Caietanus annotat *quod eſſe barbarum eſt relatiuum*; *ac nullum hominem eſſe abſolutè barbarum*: quia nemo eſt qui non cum aliquibus in idiomate communicet. Senſus igitur & connexio talis eſt: Cùm tam multa ſint linguarum genera, ad ſignificandum mutuas animorum conceptiones inter homines inſtituta; fruſtra ſanè quiſque loquitur quacumque lingua, ſi non intelligatur: eritque alter alteri non intelligenti barbarus. In verbis apoſtoli, ſiue vt in vulgata verſione leguntur, ſiue vt habentur in Græco, videtur aliquid huiuſmodi ſupplendum: Si & ego neſciero virtutem vocis, & qui mecum loquitur, neſcierit; ero ei cui loquor, & qui mihi loquitur, id eſt, cum quo mihi colloquium eſt, barbarus: & viciſſim is qui loquitur, erit mihi, id eſt, meo iudicio meaque reputatione barbarus. Sic enim exponunt quod Græcè eſt, ἐν

Virtus vocis ſignificatio eius eſt. Barbari qui & vnde dicti.

Eſſe barbarum relatiuũ eſt.

Locus ſupplemento indigens.

ἐμοὶ, *in me*, pro quo etiam Syrus scripsit *mihi*, Erasmus vertit, *apud me*. Quamquam etiam verti potest *erga me*, sensu non planè diuerso, quasi dicat; mei respectu barbarus erit, etiamsi Græcè vel Latinè, atque etiam disertè loquatur.

12 SIC ET VOS, QVONIAM ÆMVLATORES ESTIS SPIRITVVM: AD ÆDIFICATIONEM ECCLESIÆ QVÆRITE VT ABVNDETIS. *Spirituum*, dixit, pro *spiritualium*, nempe donorũ. Sic enim ait suprà, *æmulamini spiritualia*: nisi fortè scripsit πνευματικῶν, quod imprudens scriba mutauerit in πνευμάτων. Certè Syrus interpres tam hic quàm priori loco transtulit *dona spiritus*. Pro verbo *abundetis*, Ambrosiaster legit *prophetetis*. Sed qui ita vertit, legit in Græco προφητεύητε, loco verbi περισσεύητε, quod hodie est in omnibus codicibus, & à Chrysostomo cæterisque Græcis exponitur: & quidem in eum sensum quo significat *abũdetis*; quomodo noster interpres vertit: pro quo minus bene Erasmus, *excellatis*. Cõstat enim Græca voce copiã magis quã excellentiã significari. Erátque tolerabilior in Corinthijs appetitus abundantiæ donorum huiusmodi, quàm ex ijs amor excellentiæ. Habet autem huius loci constructio nonnullam difficultatem. Nam consequentia sermonis apostolici poscere videbatur vt diceret: sic & vos barbari estis vobis inuicem, quando inter vos linguis loquimini non intellectis. Verùm apostolus eo omisso quod per se poterat intelligi, maluit exhortatione concludere sermonem: ita tamen vt eius quod omissum est, adhibito supplemento, sententia perficienda sit; hoc aut simili modo: *sic & vos eritis vobis inuicem barbari*. Quod ne contingat: *quoniam æmulatores estis spirituum, ad edificationem ecclesiæ quærite vt abundetis*. Eodem redit distinctio quam huc adfert Theophylactus: vt illud: *sic & vos*, suppletum, vt dixi, finiat versum superiorem: deinde ab alio principio sequatur. *quoniam* seu *postquam æmulatores estis spirituum*. Quam distinctionem & explicationem videre est etiam in glossa interlineali. vbi nihilominus vt oratio cohæreat, supplenda foret Græca particula δὲ vel ἂν, *quoniam autẽ*, vel *quoniam igitur æmulatores* &c. Cæterùm Oecumenius ita construit & exponit: *ita & vos*, id est, *propterea & vos, ne sitis vobis inuicem barbari: (quoniam dona concupiscitis) ad ædificationem* &c. Ex his eligat lector quod putabit maximè probabile. Partem illam, *quoniam æmulatores estis spirituum*, sic interpretamur: Quandoquidem vestra sponte & studiosè, nec sine æmulatione consectamini dona Spiritus sancti; cui studio vestro non resisto. Sequentis autem exhortationis sensus est: Quærite & operam date, vt abundantia donorum quam affectatis, cedat ad profectum spiritualem ecclesiæ. Non igitur hortatur apostolus vt abundantiam charismatum quærant, ac multo minus vt per ea studeant alijs antecellere: sed appetitum quidem abundantiæ permittit; præcipit autem vt eam si obtigerit, ad ecclesiæ referant ædificationem: ideóque si linguis loquantur, gratiam petant interpretãdi. Hoc enim sequitur.

Syntaxis huius loci explicata.

Charismata non studiosè quærẽda, sed beneijs vtendum.

13 ET IDEO QVI LOQVITVR LINGVA, ORET VT INTERPRETETVR. *Et ideo*, Græcè διόπερ, *quapropter*. Et sensus est: Proinde qui donum habet loquendi linguis, ne inutile donũ circumferat, oret Deum largitorẽ donorum, vt ipsi adijciat donum interpretandi: quo ea quæ peregrina lingua loquitur, ad aliorum intelligentiam proferre possit. Sciendum glossam interlinealem altera expositione verbum *oret* accipere pro *loquatur*, vt sensus sit: Qui lingua loquitur, ita loquatur vt etiam interpretetur. Iuxta quam orationis significationem exponit etiam sequentia. *Quod & Photius facit apud Oecumenium, & recentiores nonnulli. Sed bene reijcit illã glossam Aquinas, velut alienam ab intentione Pauli. Nam & verbum προσεύχεσθαι non loqui, sed orare significat, in scripturis maximè: & quæ sequuntur, huiusmodi sensum non nisi coacta recipiunt.

Quædam glossæ expositio reijcitur.

14 NAM SI OREM LINGVA, SPIRITVS MEVS ORAT, MENS AVTEM MEA SINE FRVCTV EST. *Sine fructu*, ἄκαρπος, *infructuosa, fructu carens*. Tacitam remouet obiectionem apostolus. Nam dicere quis poterat: Etsi lingua peregrina alloquens alios, nihil eis confero quia me non intelligunt: attamen cum Deũ oro, quamuis lingua mihi & alijs incognita; ille & intelligit, & cor meum inspicit, & orantem exaudit. Respondet apostolus nec eum qui sic orat, percipere ex sua oratione fructũ, quem caperet si eam intelligeret. Loquitur autem ex sua persona, quo magis persuadeat. Spiritum tribus modis S. Thomas interpretatur, vulgares quasdã glossas secutus: primò Spiritum-sanctum; qui orare dicitur, quia inclinat & mouet ad orandum, vt Rom. 8, *Ipse spiritus postulat pro nobis*. secundò, rationem; quæ orat quatenus dictat orandum: tertiò, virtutem imaginatiuam; quam orare dicit, in quantum similitudines rerum corporalium sunt in imaginatione orantis, absque eo quod intellectu percipiantur. Qui sensus etiam est apud Hugonem Victorinum. Quarta expositio Theophylacti est & Oecumenij: qui spiritum exponunt spirituale donum loquendi linguis, ipsum nempe quod mouet linguam. Quinta Primasij, Gaignæi & Erasmi: qui per spiritum intelligunt sermonem quem lingua sonat; vel, vt Erasmus in paraphrasi, halitum quo verba pronunciantur. Has expositiones sigillatim expendere & refellere non est animus. Certè præ omnibus ijs placet Lirani, Carthusiani & Caietani sententia; per spiritum significari partem animi superiorem quæ affectiua est: affectum rationalem seu spiritualem dicere possumus. *Spiritus enim*, vt ait Liranus, *importat vim quandam motiuam, & ideo vt iuntas quæ est affectus intellectiuus, vocatur hic spiritus, quia mouet alias animæ potentias*

Varię expositiones vocabuli spiritus.

Verior expositio per spiritum significari affectũ rationalẽ.

ad

ad agendum. Ita ſpiritum accepit apoſtolus ſuprà, dicens: *Spiritu autem loquitur myſteria.* Et quidem ſpiritum pro voluntate ſiue affectu rationali ſumi, non eſt infrequens in ſacris literis, vt Act. 17 de Paulo, *incitabatur ſpiritus eius in ipſo.* & cap. 18 de Apollo, *& feruens ſpiritu loquebatur.* De quo ſpiritu dictum eſt & illud à Domino, Matth. 26, *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Porrò mentis nomine ſignificatur pars intellectiua, quatenus eiuſmodi. Tale igitur eſt quod dicit apoſtolus: Nam & ſi Deum orem lingua, id eſt, ad orandum Deum vtar dono linguæ, non habens donum intelligẽtiæ: ſpiritus quidem meus orat, id eſt, affectus eleuatur in Deum, (hoc enim perpetuò coniunctum erat locutioni procedenti ex dono linguæ, vt annotatum eſt ſuprà.) Cæterùm mens, id eſt, intellectus meus, quia verborum ſignificationem ac ſenſum non aſſequitur, fructu proprio priuatur, qui eſt intelligere, & intelligendo reſici. Vnde conſequenter fit vt nec meditari nec contemplari de rebus per verba ſignificatis queat. Iſtud ſanè quod apoſtolus dicit, accidere conſtat ijs qui Latinitatis ignari Latino ſermone preces recitant. Hi namque ſpiritu quidem & affectu deuotionis in Deum feruntur, ſi verè orant: ſed quia verba non intelligunt, mens eorum ſine fructu eſt, videlicet intelligentiæ. A quibus non multum differunt tam clerici quàm laici, Latinè quidem docti, vt per hoc verba ſecundum grammaticam eorum ſignificationem vtcumque intelligant, ſi attentè legant; ſed qui propter tropos ac figuras in illis latentes, ad ſenſum orationis non penetrant: vt ferè contingit in pſalmorum lectione. Nam exempli gratia, quotuſquiſque recitans illa pſalmi 59 verba, *Moab olla ſpei meæ: in Idumæam extendam calceamentum meum.* vel iſta pſalmi 67, *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ* &c. vel hęc eiuſdem pſalmi, *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum* &c. ſententiam aſſequitur orationis; quamuis ſingula per ſe verba quid ſignificent, etiam exactè nouerit? Verùm non ob id damnandæ ſunt precationes, vel hoc, vel etiam priori modo non intellectæ, tanquã ſint inutiles. Nam etiamſi qui ſic orant, fructum intelligentiæ non percipiant, ideóque nec paſcantur ſenſibus per verba ſignificatis: habent tamen fructum mentis eleuatæ in Deum. Id enim eſt oratio, mentis in Deum eleuatio cum decentium petitione: nec à vera oratione fructus iſte ſeparari poteſt. Habent ijdem etiam fructum reuerentiæ erga preces ſacras: quas etſi non intelligant, bonum tamẽ & ſalutare eſſe quod ijs ſignificatur, non dubitant; atque hoc ipſum ſibi petunt à Deo donari. Quin etiam contingit, vt quiſpiam ſic orãs, plus apud Deum mereatur & impetret, quam alius intellectu ſenſum aſſequens orationis: ſi nimirum maiori cum humilitate, pietate, feruore Deum oret. Ac certè verborum intelligentiam ſæpe non ſolum compenſat, verùm etiam in hominibus verborum & ſenſuum alioqui peritis, interdum abſorbet deuotionis in Deum magnitudo. Quocirca rectè docet in commentario S. Thomas: cùm triplex ſit intentio orantis: vna ad verba quæ dicit, altera ad ſenſum verborum, tertia ad finem, id eſt, Deum: primam attentionem, imò & ſecundam, aliquando nocere, *in quantum impedit deuotionem*: tertiam verò eſſe optimã ac neceſſariam. Per hęc tamen nolumus ijs patrocinari, qui Dominicam orationem ita Latinè recitant; vt non curent eam intelligere. Nam quæ in illa peruntur, non ſatis eſt cõfusè cognoſcere quod bona ſunt: ſed ea diſtinctè, & ſcire quæ ſint, & à Deo petere tenẽtur omnes Chriſtiani. Vnde ſapienter ac neceſſariò multis iam ſynodis epiſcoporum cõſtiturum eſt: vt quiſque fidelis orationem Dominicam ea lingua quam intelligat, recitare norit. Cęterum de fructu orationis etſi non intellectæ, videat ſtudioſus Aquinatem & Caietanum in commentarijs.

Mentis nomine quid ſignificetur

Qui ſint ſpiritu orantes, nõ mente.

Orantes verbis nõ intellectis quẽ fructum percipiant.

Orans & non intelligens interaũplius meretur & impetrat quã alius intelligens.

Triplex intentio orãtis: & quæ optima ac neceſſaria.

Oratio Dominica ab omnibus Chriſtianis intelligi debet.

15 QVID ERGO EST? Id eſt: quid igitur opus vt faciam? Syrus interpres, *quid igitur faciam?* Sic infrà verſu 26, *Quid ergo eſt fratres?* Sibi reſſpondet verbis ſequentibus.

ORABO SPIRITV, ORABO ET MENTE. Græcè addito δὲ, *orabo autem & mente:* quemadmodum & Auguſtinus recitat lib. 12 de Geneſi ad literam cap. 9. Eraſmus, *ſed orabo & mente.* Senſus: Operam dabo vt non ſolum ſpiritu, id eſt, cum deuotionis affectu, Deum orem; verùm vt etiam verba orationis intellectu capiam. Sic enim maiorem vtique fructũ ex oratione reportabo, quàm ſi ſolo ſpiritu oratem. Vnde eccleſia coniungit vtrumque, canens de B. Virgine: *Cuius precibus nos adiuuari mente & ſpiritu deuotiſſimè poſcimus.*

Quid orare ſpiritu & mente.

PSALLAM SPIRITV, PSALLAM ET MENTE. Græcè, *Pſallam autem & mente.* Eraſmus, *ſed canam & mente.* Senſus: Laudem & gratiarum actionem Deo canam, non ſolo deuotionis affectu, verùm etiam cum intelligentia verborum. Pſallere pro eo quod eſt laudes Deo canere, ſiue id voce fiat, ſiue inſtrumento muſico; vocabulum eſt eccleſiaſticum, à LXX interpretibus frequentatum. Nam apud authores profanos laxior eſt eius ſignificatio. Iacobus apoſtolus hæc duo, orare & pſallere, ſimiliter coniunxit ac diſtinxit cap. 5 dicens: *Triſtatur aliquis veſtrum? oret. Æquo animo eſt? pſallat.* Quidam illa verba, *orabo & mente, pſallam & mente*, ſic exponunt: Ita orabo & canam, vt ab alijs non audiar modò, ſed etiam intelligar: ſatis violentè. Nam orare & pſallere propriè Deum reſpicit: vbi non eſt neceſſe nos ab alijs audiri & intelligi, cùm ſcriptum ſit: *Ora Patrem tuum in abſcondito*, Matt. 6. Nec verbo indicat apoſtolus, ſe loqui, in hoc quidem loco, de intelligentia tranſmittenda ad alios.

Quid pſallere ſpiritu & mente.

Pſallere quid ſignificet.

16 CÆTERVM SI BENEDIXERIS SPIRITV. *Cæterum*, Græcè, ἐπεὶ, quod ſuprà verſu 12

tranſtulit,

translulit, *quoniam:* & ita reddit Erasmus hoc loco. Syrus & Henrenius *alioqui*. Sic enim & noster interpres vertit Heb. 9, *Alioquin nondum valet*, &c. Dictio *spiritu* in multis abest Græcis exemplaribus: tamesi Theophylactus & Oecumenius declarant se legisse. De Chrysostomo non liquet. Sunt qui opinentur apostolum hic loqui de benedictione sactæ eucharistiæ: propterea quod in parte consequenti, *quomodo dicet amen super tuam benedictionem?* Græcè legatur, ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ; quod interpretantur, *super tua eucharistia*; ac rursum propter illud quod subiungit, *nam tu quidem bene gratias agis*. vbi Græcè, εὐχαριστεῖς: velut ipso vocabulo designaret, vt illi putant, sacramentum corporis & sanguinis Domini, quod eucharistia vocatur. Sed hæc nihil conuincunt. Nam ista verba εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν significatione generalia sunt, & passim in scripturis obuia, cuiuscumque tandem benedictionis & gratiarum actionis mentio fiat. Neque enim sacri scriptores, qui Græcè scripserunt, ipsique LXX interpretes, ad hæc significanda alijs vsi sunt vocabulis. Nec sanè probabile est vllo modo, Paulum hic loqui de consecratione & oblatione eucharistiæ. Nam illa præscriptis verbis apud Corinthios atque in alijs Græcorum ecclesijs, nec aliter quàm Græca lingua, fiebat ex apostolica institutione. At neque contra sacerdotes siue presbyteros agit apostolus hoc loco: sed in genere eos reprehendit, qui linguarum dono præditi, preces & laudes diuinas proferebant in conuentu fidelium, quas nec ipsi nec alij intelligerent. Quæ res amplius adhuc patebit ex sequentibus. Igitur benedicere sumitur hic vt alibi sæpissimè, præsertim in psalmis, pro eo quod est laudare & gratias agere. Sic enim mox seipsum apostolus exponit. Refertur autem ad Deum sine dubio, sicut orare & psallere: nō quod eadem prorsus sint, Deo benedicere & Deo gratias agere: sed quia maximè laudari solet Deus grata beneficiorum eius commemoratione; quod est gratias agere. Quare & eorum commentarium, qui locum hunc exponunt de publica benedictione qua sacerdos populo benedicit, alienum arbitror à mente apostoli: quippe qui post interpositam verbis præcedentibus tacitæ cuiusdam obiectionis solutionem, nunc sermonem prosequitur de eo qui ex dono peculiari in conuentu lingua loquitur peregrina: docetque rem absurdam consequi, si non intelligatur; quia non erit qui respondeat & approbet eius verba; sicut habet ecclesiæ consuetudo. Hoc enim est quod sequitur.

An locus hic accipiendus de benedictione eucharistiæ.

Responsio negatiua.

Benedicere quid hoc loco significet.

Commentarius de sacerdotali benedictione refellitur.

QVI SVPPLET LOCVM IDIOTÆ. In multis Latinis codicibus legitur: *Quis supplet locum idiotæ?* Eámque lectionem exponunt, nō solū Latini posteriores Haimo, Lombardus, Hernæus, Aquinas, Liranus, & ante eos glossa interlinealis: sed & veteres, Pelagius & Primasius. Verumtamen hanc nostram quæ Louanienſis ac Romanæ castigationis est, veram esse lectionem monstrāt probatissimi quique codices mss. veteresque concordantiæ, palā suffragante textu Græco atque Syriaco. Ἰδιώτης *idiota* Græcis propriè dicitur homo priuatus ac nullo fungens munere publico. Vnde & in castris idiotæ dicebantur, vt annotant Theodoritus & Oecumenius, qui militiæ non erant astricti. Deinde quadam consequentia significat indoctum & illiteratum: quod priuati homines indocti esse soleant. Vnde Erasmus vertendum putauit: *qui implet locum indocti*. Verùm Lucas Acto. 4 distinguere videtur illiteratum ab idiota, cùm de Petro & Ioāne dicit, *comperto quod homines essent ἀγράμματοι καὶ ἰδιῶται, illiterati & idiotæ*. Quare magis placet idiotam hic intelligi propriè, id est plebeium siue *laicum*, vt interpretātur omnes Græci. Laicum verò intellige respectu ecclesiæ, id est, eum *qui nullo gradu ecclesiastico fungitur*; vt exponit Pelagius. Quæritur autem quisnam apostolo sit is *qui supplet locum idiotæ?* Theophylactus ipsum idiotam seu laicum significari putat. Quod etiam Chrysostomus & Oecumenius sentire videntur: eo nimirum argumento, quia mos erat antiquitus vt precibus sacerdotum ipse populus acclamaret. id quod etiam declarant veteres liturgiæ tam Chrysostomi quàm Basilij. Nam & in ecclesia Romana fuisse eum morem testatur Hieronymus in præfatione lib. 2 commentariorum epistolæ ad Galatas, inquiens: *Vbi sic ad similitudinem cælestis tonitrui Amen reboat?* Meminit eiusdem acclamationis etiam Iustinus sub finem apologiæ secundę pro Christianis. Hūc Græcorum commentarium inter neotericos secuti sunt Caietanus, Guiliaudus & Gaignæus; non tamen exponentes, cur apostolus idiotam significare voluerit per eum qui supplet locum idiotæ: quum fit phrasis insolens. Quis enim ita loquitur, vt regem ipsum significare volens dicat, is qui supplet locum regis? Sunt qui respondeant apostoli verba, ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου, non significare secundum vsum linguæ Græcæ, *qui gerit vices idiotæ*: sed *qui adimplet locum idiotæ*, id est, qui locum occupat idiotarum, vnus quispiam videlicet ex idiotis. Arqui minus habet consuetudo vel Græci vel Latini sermonis, vt idiotam dicere volens, vtatur hac circumlocutione, *qui adimplet locum idiotæ*. Quapropter Erasmus, quamuis ita verterit; *qui implet locum indocti*: quasi impleat, non suppleat: in paraphrasi tamen hoc modo reddit: *qui plebis vice fungitur*, quod est supplere. Qua in significatione rursus eodem verbo Paulus vsus est infrà cap. vltimo: *id quod vobis deerat, ipsi supplerunt*. Sed & Græcos vti dictione τόπος, perinde vt Latini loco pro vice, Græca lexica docent: & manifestè probat illud in fine canonum concilij Chalcedonensis subinde repetitum, τοποτηρητὴς τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, locū tenens, id est, vicarius apostolicæ sedis. Proinde, mea quidem sententia, simplicius est & rectius, vt secundum id quod sonant verba nostri

Idiota quis dicatur.

Quis supplens locum idiotæ.

Precibus sacerdotū populus olim acclamabat.

Sententia probabilior de supplente locum idiotæ.

nostri interpretis, ad amussim Græco textui respondentia, significari dicamus aliquem ab idiota diuersum, eoque doctiorem, qui partes sustineat idiotæ vel idiotarum, id est plebis (nam enallage numeri hic intelligẽda est) quique pro plebe respondeat, approbando orationes, psalmos, benedictiones siue laudes, quæ pronuntiabantur in conuentu publico. Hoc enim officium est, atque olim fuit ministrorum ecclesiæ, qui in clerum adscripti essent. Nam quod apud nos interdum in ipsius etiam sacrificij celebratione (de qua tamen hic non agitur) idiota supplet locum idiotarum, contingit ex defectu ministrorum altaris: & toleratur magis quam probatur. Porrò quod aiunt ipsos idiotas, id est, populum acclamare solitum: id fatemur de diuinis officijs, & publica scripturarum lectione; quæ non fiebant lingua peregrina, sed Græca apud Græcos; vt apud Hebræos Hebræa. Hic autem agitur de precibus & canticis spiritualibus, quæ proferebant in medium fideles, prout quisque diuinitus esset inspiratus, etiam in lingua aliena; vbi vnus intelligens pro cæteris respondebat: cuius tamen vocem mox etiam cæterorum acclamatione exceptam fuisse, verisimile est.

An rectè idiota suppleat locũ idiotarum.

Obiectio remouetur.

QVOMODO DICET AMEN SVPER TVAM BENEDICTIONEM? Græcè, *super tua gratiarum actione*, scilicet ea de qua dixerat, *si benedixeris*. Quo respiciens interpres *benedictionem* vertit. *Amen* dictio confirmantis & approbantis est apud Hebræos: Latinè *fiat*, verum, firmum, ratumque sit. De qua voce plura diximus Rom. 1, versu 25. Morem acclamandi (Amen) ad preces laudesque publicas, & omnino preces ea voce terminandi, accepit ecclesia à Iudæis: apud quos populum ita solitum acclamare, testatur scriptura non vno loco, vt Deuteron. 27, 1 Paral. 16, 1 Esdræ 8. Vnde est & illud psalmi 105, *Et dicet omnis populus, fiat, fiat*, Hebraicè, *amen, amen*. Nunc sensum reddamus totius sententiæ. Quod si, inquit, tu qui lingua peregrina loqueris, Dei laudes pronunciaueris spiritu tantum, & non mente, id est, cum pio in Deum affectu, sed verba ipse tua non intelligens; vt proinde nequeas ea interpretari: quomodo, non dico idiotę, sed is qui supplet idiotarum locum, & cuius est vice populi respondere dicturus est Amen ad tua verba, quibus Deo laudes & gratiarum actionem depromis?

Mos acclamandi Amen, à Iudæis acceptus.

QVONIAM QVID DICAS, NESCIT. *Quoniam* ἐπειδὴ, *quandoquidem*, verba tua non intelligit, vtpote peregrina.

17 *Bene gratias agit etiam qui verba non intelligit. Alter, id est proximus.*

NAM TV QVIDEM BENE GRATIAS AGIS. Nimirum quatenus spiritu, id est, pia animi deuotione id facis. Hoc est quod suprà dixit, eum qui loquitur lingua, loqui Deo, & spiritu loqui mysteria, & semetipsum ædificare.

SED ALTER NON ÆDIFICATVR. *Alter* ὁ ἕτερος, id est, *proximus*, vti suprà ca. 10, *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius*. & Roman. 13, *qui diligit alterum*, vt in Græco est, *legem implent*. Sed, inquit, frater & proximus tuus nullum ex verbis tuis percipit fructum, non promouetur ad salutem: quum tamen ea quę fiunt in conuentu publico, referri debeãt ad bonum publicum. Ex huius loci doctrina Caietanus haberi dicit, quod sit *melius ad ædificationem ecclesiæ, orationes publicas quæ audiente populo dicuntur, dici lingua communi clericis & populo, quàm dici Latinè*. Sectarij verò ex eadem Pauli doctrina planè contendunt publicas ecclesiæ preces, hymnos, cantica, totumque diuini cultus officium agi ac recitari debere ea lingua quam vniuersus populus intelligat: vt apud Germanos Germanica: apud Gallos, Gallica. Quibus primùm respondeo: Paulum non id velle, vt totus populus intelligat, sed vt is saltem, qui sua responsione & approbatione vicem populi supplet: quem profectò cæteris doctiorem esse conuenit; & in quo, tanquàm suo vicario, populus quodãmodo intelligit. Deinde loquitur apostolus de lingua peregrina, qualis erat Corinthijs Persica vel Æthiopica, fortè etiã Latina. Nam & eam adfert Chrysostomus pro exẽplo. Verũ ista nobis peregrina non est, cũ sit maximè cõmunis ac nota, non solum ecclesiæ ministris, verũ etiam multis extra clerum: adeò vt episcopi quondã ad populum Latinè concionati fuerint, non in Italia modò, verũ etiam in Africa & Gallia, tametsi multis è plebe nõ intelligentibus. Nam de Africa exemplum habemus Augustini: de Gallia testimonium Prosperi l. 1 de vita cõtempl. cap. 23. Ac de Hispania arbitror idem esse iudicium, propter vsum Romanæ linguæ illuc præcedentibus sæculis importatum. His adde, quod non eadem est ratio, cur Amen dicendum sit ab intelligente, nunc & tempore primitiuæ ecclesiæ, quo Paulus hæc scripsit. Tunc enim adferebantur ab ijs qui linguæ donum habebant, orationes & laudes quædam nouæ ac prius inauditæ: quo fiebat vt qui ad eas responderet Amen, prorsus nesciret quid approbaret, quãdo nec verba intelligebãtur, nec preces essent ecclesiæ iudicio receptæ. Nunc autem qui respondet Amen, etiamsi verba fortè non intelligat, nouit tamen bonum & sanctum esse quod significatur; vtpote iam olim ab ecclesia approbatum. Præterea notandum est ea ad quæ respondet minister in sacrificio missæ, pauca admodum esse: vt propter illa mutari non debeat lingua totius missæ: cùm facilè laici discere possint ea pauca quid significent; & Synodus Tridentina iam præcepit sess. 22 capite 8, vt talia pro concione inter missarum celebrationem populo à pastoribus exponantur. Denique non esse contra apostolum vt aliquid omnino dicatur in missa vel officio diuino ea lingua quæ vulgo ignota sit, hinc manifestum est: quia secundum apostolum, is qui supplet idiotę locum, respondet Amen, vtiq; voce Hebræa.

Opinio Caietani de precibus publicis lingua vulgari recitandis. De ijsdem quid sectarij dicant.

Ad vtrosque responsio.

Lingua Latina nõ est nobis peregrina, sed valde cõmunis. Episcopi quondam Latinè cõcionabantur, etiã multis nõ intelligẽtibus.

Amen cur nunc dici possit à nõ intelligente.

De quibus intelligẽdis docendus populus.

Probatio ex vocabulo Amẽ.

Certè si minister respondens debet intelligere verba sacrificantis aut benedicentis; multo magis intelligere debet sua ipsius verba. Si ergo quod dicit Amen aliena lingua, intelligit, quia docetur quid significet; similiter doceatur de pauculis alijs verbis Latinis quæ ad populum loquitur sacerdos, & ad quæ ipse populi nomine, respondet; cuiusmodi sunt, *Dominus vobiscum*, *Sursum corda*, *Gratias agamus Domino Deo nostro*. Nã quod ad orationem Dominicam attinet, quod omnes eam aut Latinam intelligere debeant, aut sua lingua posse recitare, iam ante diximus. Porrò quamuis per se bonum sit, vt officia diuina celebrentur ea lingua quam plebs intelligat (id enim per se confert ad plebis ædificationem, vt bene probat hic locus: vnde & formaliter atque abstractè considerata, vera est Caietani sententia,) non tamen illud bonum est consideratis omnibus circumstãtijs. Primùm enim ex tanta varietate linguarum admissa in officijs diuinis & sacramentorum celebratione, non leue periculum esset dissensionum & schismatum in ecclesia: ad cuius vnitatem conseruandam non parum conducit, imò penè necessaria est vniformitas diuini cultus. Deinde quorundam idiomatum absurditas risum & contemptum adferret sacris actionibus & mysterijs. Huc accedit quod indocti ac mysteriorum rudes, etiamsi verborum significationem caperent, non tamen sensum orationis assequerentur; velut in psalmis, prophetijs & multis alijs: sed pro carnali suo captu sensus alienos imaginatione voluerent, animoque conciperent; atque ita non solum fructu veræ carerent intelligentiæ, verùm etiam malè intelligendo nouos ac periculosos errores sibi confingerent. Quod ex promiscua lectione bibliorum in vulgares linguas translatorum accidisse, plus satis experientia docuit. Quę rationes, aliæque similes ostendunt haud quaquam expedire, vt missæ sacrificium ac cætera diuina officia & sacramenta vulgari lingua passim per ecclesias celebrentur.

Orationẽ Dominicã omnes intelligere tenẽtur

Cur non expedíat officia diuina celebrari lingua vulgari.

Ratio prima.

Secunda.

Tertia.

18 GRATIAS AGO DEO MEO, QVOD OMNIVM VESTRVM LINGVA LOQVOR. Hæc, inquit, non dico, quod ipse doni linguarum inops sim: quomodo solent homines deprimere scientias, quarum ipsi sunt ignari. Nam possum equidem ex dono mihi diuinitus collato, omnium vestrûm lingua loqui; de quo *gratias ago Deo meo*, id est, Deo *cuius sum ego, cui & seruio*, Acto. 27. Ad hunc modum (*quòd omnium vestrûm lingua loquor*) habent omnes codices Latini. Quorum tamen interpretes in reddendo sensu variant. Cùm enim Corinthiorum Græca fuerit lingua, non alia: meritò dubitatur quomodo dicat apostolus, *omnium vestrûm lingua*; quasi multæ essent eorum linguæ. Commentator Amb. sic intelligere videtur; omnium vestrûm siue Græcorum siue Hebræorum. Qui quidem Hebræi, inquit, *aliquando Syra lingua, plerumque Hebræa in tractatibus aut oblationibus vtebantur ad commendationem*. Alij generaliter interpretantur, *omnium vestrûm*, id est, omnium fidelium; qui iam ex varijs gentibus & linguis ad fidem conuersi erant. Haimo de omnibus Græcæ linguæ dialectis exponit; quæ à Grammaticis quinque numerantur, Attica, Ionica, Æolica, Dorica & communis. Atqui id non erat pluribus linguis loqui: sed vnam eandemque linguam cum nonnulla soni differentia pronunciare. ad quod non opus erat dono linguarum: quum facilè se mutuò intelligant qui sola dialecto differunt. Probabilior huius lectionis expositio est, quam tradunt Heruæus, Aquinas & alij; Paulum loqui de linguis quarum dona effusa erant in Corinthios: ac si dicat, ait Heruæus: *Nullus vestrûm aliqua loquitur lingua, qua & ego non loquar, quoties volo*. Verum scire oportet Græca ad verbum sic habere. *Gratias ago Deo meo, omnium vestrûm* (Latinè, *omnibus vobis*) *magis linguis loquens*: id est, de eo quod magis quàm omnes vos, linguis loquor. Quam lectionem etiam Syrus expressit. Iuxta quam significat apostolus, se pluribus loqui linguis, quã quispiam Corinthiorum; vel potius quàm omnes illi simul. Atque hæc Græcorum expositio est. Hieronymus autem in epistola ad Hedibiam qu. 9 de Paulo scribit in hæc verba; *Gratias agit Deo, quod cunctis apostolis magis linguis loquatur. Qui enim multis gentibus annunciaturus erat, multarum linguarum acceperat gratiam*. Ex quibus satis apparet Hieronymum sic legisse, vt habent Græci codices. Qua autem ratione comparationis notam referat ad cæteros apostolos, (nisi corrupta lectio est) non video: cum aliquanto pòst in eadem quæstione testetur apostolos die Pentecostes accepisse *diuersitatem linguarum omnium gentium, vt annunciaturi Christum nullo indigerent interprete*. Porrò locus hic apostoli satis ostendit donum linguarum non, vt quidam volunt, temporarium in apostolis fuisse, sed perpetuum, quo vterentur quando vellent, ac quoties ita res poscceret. Nam quod de Paulo dicit Chrysostomus homilia 4 super 2 Tim. 2, *Hebræam tantum nouerat linguam*: id intellige, extrà donum linguarum. Hebræa namque, seu Syra potius, erat illi materna; nec aliam didicerat, quam expeditè loqui posset. Quod autem obijciunt eum Tito vsum fuisse interprete, eoque argumento contendunt linguarum promptitudinem illi ad votum non adfuisse: quantum valeat, expendemus in expositione capitis 2 epistolæ 2, vbi de Tito agetur. An verò donum linguarum apostolis id præstiterit, vt eo vtentes nusquam in sermone solœcissarent, nec peregrinas phrases admiscerent, nec aliter quiequam efferrent quàm pro consuetudine eorum quibus lingua erat propria; haud temerè affirmauerim: cùm Paulus

Sensus probabilior.

Græcorũ lectio melior.

Solent homines quæ ignorant, confingere

Quo sensu dicat Paulus: omnium vestrum lingua loquor.

Apostoli linguas omnium gentium tenebant.

Donum linguarũ in apostolis non tẽporarium sed perpetuum.

An Paulus vsus interprete.

Donum linguarũ an præstiterit apostolis sermonis puritatẽ atq; nitorem.

ac cęteri

ac cæteri apoſtoli Græcè ſcribentes, multum referant ex proprietate linguę natiuę; nec per omnia ſermo eorum purus ſit à vicijs quæ grammatici notare ſolent; vt & Hieronymus alicubi fatetur. Neque enim donum efficiebat, vt omnia purè, proprie & exactè eloquerentur, (alioqui viſi fuiſſent elegantia ac nitore ſermonis attraxiſſe homines ad fidē Chriſti, magis quàm virtute Dei,) ſed vt loquerentur intelligibiliter, quantum opus erat iuxta vulgarem collocutionis modum: quemadmodum bene docet Thomas 2 2, quæſt. 176 ar. 1 ad 1.

19 SED IN ECCLESIA VOLO QVINQVE VERBA SENSV MEO LOQVI. *Volo*, ſubaudi potius, id eſt malo, propter *quàm* ſequens. Qui Hebraiſmus eſt. *Verba*, Græcè λόγους, quod verti etiam poteſt, *ſermones, ſententias. Quinque* dixit pro paucis. Hieronymus quidem in epiſtola ad Paulinū quæ biblijs præfigitur, quinque verba quinque Moyſi libros interpretatur: & Theophylactus ea refert ad quinque ſenſus corporis. Aquinas & Liranus cenſent ideo Paulum nominaſſe *quinque: quia doctor debet quinque docere, ſcilicet credenda, agenda, vitanda, ſperanda, timenda*. Alij alia ſpeculantur in hoc numero: ſed hæc omnia tantum accommodatè dici, nec apoſtoli mentem attingere facilè liquet. Non ineptè Pelagius, ab ijs qui quærunt quæ ſint quinque verba, dicit è contrario quærendum quæ ſint decem millia verborum, in eo quod ſequitur. Cæterùm placet annotatio Lirani: Paulum innuere, quod cum breuitate ſermonis tradenda ſit populo doctrina ſalutis. Quod & Tridentina ſynodus omnes parochos admonendos putauit ſeſſ. 5, cap. 2 reform. *Senſu meo*, Græcè διὰ τοῦ νοός μου, *per mentem meam*: licet in nonnullis τῷ νοί μου, *mente mea* legatur: quæ videtur etiam veterum lectio fuiſſe: niſi quod Oecumenius adiungit & alteram. Porrò Græcam vocem ipſe noſter interpres iam aliquoties verterat *mentem*.

Quinque pro paucis

Doctor debet hæc quinque docere.

Doctrina ſalutis populo tradenda cum breuitate ſermonis.

VT ET ALIOS INSTRVAM. Verbum Græcum κατηχήσω inſtituere ſignificat; quomodo inſtitui ſolent rudiores. Vnde Latinum catechizare.

Decem millia numerum ſignificāt infinitum

QVAM DECEM MILLIA VERBORVM IN LINGVA. *Decem millia*, Græcè μυρίους, qua voce ſignificari ſolet numerus infinitus, quomodo Latini dicunt ſexcenta aut mille. Senſus periodi eſt; Ego quamuis vos omnes ſuperem dono linguarum; malo tamen in eccleſia, id eſt, in publico cœtu fidelium, loqui paucula quædam verba cum intellectu; quò poſſim & alios inſtituere, interpretando & explicando quæ dico: quàm innumerabilia verba fundere peregrina lingua ſine intellectu. Sic igitur & vos affectos eſſe velim. Hinc infert Caietanus, *eſſe eligibilius, vt in eccleſia dicantur diuina (horæ ſcilicet canonicæ & miſſæ) intelligibiliter ſine melodia muſica, quàm ſic vt intelligi non poſſint*: quod fit dum verba partim commiſcentur ſonis organorum, partim ita redduntur à canentibus, vt ob artificioſam modulationem vocuḿque multitudinem, ab auditoribus etiam attētis, ægrè percipi queāt: Quod rurſum nos quoque verum fatemur, cæteris paribus. At paria non ſunt, dum eiuſmodi concentus ſuauitate, quamuis verbis non intellectis, animi fidelium, præſertim infirmiorum, quales plurimi ſunt, excitantur efficacius ad diuina, quàm ſi nudè verba pronunciarentur. Quod vtique ſpectauit eccleſia, quando muſicam hanc ſeu vocum ſiue organorum modulationem tacito conſenſu paſſim in templa recepit: Dauidis pijſſimi regis exemplum ea in re ſecuta; qui Deum inſtrumentis muſicis tum ipſe laudauit, tum alios ad Dei laudes excitauit; atque in templo veteri cantores muſicos ac muſicis inſtrumentis vſuros ad Deum laudandum inſtituit. Tantùm opus, vt quod à ſynodo Tridentina ſeſſ. 22, & à quibuſdam etiam particularibus epiſcoporum ſynodis cōſtitutum eſt; ne quid laſciuum, impurum, leue, aut omnino irreligioſum, in eccleſia muſicis cantibus aut organis admiſceatur; exactè ſeruandum curent illi, quibus id muneris incumbit.

Melodia deuotionē excitat.

Dauidis exēplum.

Nihil laſciuum muſicis in eccleſia cantibus admiſcēdum.

20 FRATRES, NOLITE PVERI EFFICI SENSIBVS. Admonitio eſt cum increpatione, quod puerili quodam ſenſu ac iudicio minora bona conſectarentur poſthabitis melioribus; vt linguas præ dono prophetiæ. *Nolite effici*, Græcè μὴ γίνεσθε, quod etiam verti poteſt, *ne ſitis*; & quidem commodius hoc loco. Pro *ſenſibus* Auguſtinus tam hic quam infrà legit *mentibus*, vt in enarratione pſalmi 130, & lib. 13 confeſſ. cap. 13, & alijs locis à Beda citatis: tametſi in Græco legitur φρεσὶν, vocabulum diuersū ab eo quod interpres ſuperius modò mentē, modò ſenſum tranſtulit. Significatur autem animus qua parte iudicat de rebus. Et vtūtur Græci plurali pro ſingulari per omnes caſus. Eraſmus quoque reddidit *ſenſibus*; etſi malim *ſenſu*. Quod nomen etiam Latini interdum vſurpant pro mētis iudicio. Vnde & vſu eccleſiaſtico ſenſati dicuntur qui de rebus bene iudicant, id eſt prudentes. Fratres, inquit, ne ſitis pueris ſimiles in rebus quas eligere vel agere debeatis, æſtimandis ac dijudicandis: ne mala bonis, aut minora bona maioribus anteponatis.

Puerile eſt minora bona eligere poſt habitis melioribus.

Senſus pro mentis iudicio.

SED MALICIA PARVVLI ESTOTE. *Parvuli eſtote.* Græcè vno verbo νηπιάζετε, *puerascite, pueri eſtote*, pro quo legit Auguſtinus, *infantes eſtote*. Senſus: Tanquam infantes ſeu pueri, ſitis experres maliciæ. Hac parte pueros imitamini, neſi illa.

Malicia paruuli eſſe iubemur.

SENSIBVS AVTEM PERFECTI ESTOTE. *Senſibus* vt ſuprà, id eſt, mente, animo. Quod attinet, inquit, ad iudiciū animi de rebus agēdis, ſimiles eſtote viris adultis & ætate perfectis: vt quemadmodum illi per naturam bene diſcernunt inter bona & mala huius vitæ: ſic & vos tanquam perfecti in Chriſto, ſenſus habeatis exercitatos ad ſpiritualem boni maliq́ue diſcretionem, Heb. 5. Congruit illud

Senſibus perfecti.

An officia diuina recitanda ſine melodia intelligentiā impediēte

eiusdem apostoli, Rom. 16, *Volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.*

21 IN LEGE SCRIPTVM EST. Quod in quibusdam codicibus additur, *enim*; *In lege enim*, neque in Græco est aut Syriaco, neque in melioribus Latinis. Aquinas legit & studiosè exponit, *In lege quid scriptum est?* sed vsus exēplari deprauato ex alterius loci memoria, qui est Lucæ 10. Tale quid etiam Lombardo accidit. Legis nomine cōprehendit apostolus totum vetus instrumentū. Nam quod hic citat, apud Isaiam legitur cap. 28. Eadem legis acceptio est Ioannis 15, ver. 25, & Rom. 3, ver. 19.

Lex pro tota scriptura veteris testamenti.

QVONIAM IN ALIIS LINGVIS ET LABIIS ALIIS LOQVAR POPVLO HVIC. *Alijs linguis* in Græco composita dictio est ἑτερογλώσσοις, ambigua ad masculinum & neutrum: vt proinde ad personas referri possit hoc modo; in loquentibus vel per loquentes alteris siue alienis linguis. Verùm interpretes ferè omnes neutraliter accipiunt, vt idem sit cū eo quod sequitur, atque in Græco distinctè ponitur, ἐν χείλεσιν ἑτέροις, *in labijs alteris*, id est, diuersis, alienis. Vbi tamen nonnulli codices casum paternum habēt ἑτέρων, *aliorum*, id est alienorum, scilicet hominum. Citat autem hunc prophetæ locum apostolus, sensum potius quàm verba reddens. Nam & verba transposuit, & personam mutauit, tertiam in primam. Siquidem apud prophetam locus sic habet interprete Hieronymo: *In loquela enim labij & in lingua altera loquetur ad populum istum.* Sensus autem apostoli est: Ego Dominus loquar populo huic Iudaico, varijs & peregrinis linguis: scilicet per apostolos meos. Quod quidem præcipuè fuit impletum in die Pentecostes Act. 2. Sciendum tamen pro eo quod Paulus habet, *In labijs alijs*, quodq; Hieronymus transtulit, *In loquela labij*, Hebræa (si peritis illius linguæ neotericis credendum est) sic habere, *in blæsitatibus labij*. quod ita vertunt, *blæsis & balbutientibus labijs*: tametsi contendit Leo Castrensis scribens super Isaiam, ex Hebræo potius vertendum *subsannantibus labijs*: & Adamus Sasboldus, *in labijs irrisionis*, siue *in irrisione labiorum*. Cui sententiæ subscribit etiam Tremellius Iudæus, annotās ad locum Isaiæ, Hebræa sonare, *ridiculis labio*. Quin & LXX suffragantur interpretes, apud quos totus versus ita legitur: *Propter irrisionem labiorum, per linguam alteram, quia loquentur populo huic.* Græcè, διὰ φαυλισμὸν. Sic enim habent codices. Pro quo si legas, διὰ φαυλισμοῦ, vna literula in alteram simillimam mutata, *per irrisionem labiorum*, conueniet cum eo quod sequitur διὰ γλώσσης ἑτέρας, *per linguam alteram*. Nec enim erat ratio cur variarent casum, simul & significatum præpositionis, cùm in Hebræo sit vniformis oratio, bene à Paulo, nec non ab alijs interpretibus expressa. Quocirca facilè mihi persuadeo, LXX quoque scripsisse διὰ cum eodem casu in vtroq; membro. Sed siue vertendum sit ex Hebræo, *in balbutientibus labijs*, siue *in subsannantibus* ac *irridentibus*; non hęc inducunt sensum diuersum ab eo quem dedimus verborum Pauli, qui scripsit, *in labijs alijs*. Nam qui loquuntur linguis alijs seu peregrinis, quasi balbi sunt, & vt suprà dictum, barbari, non intelligentibus: & deridere videtur auditores, & ipsi vicissim audientibus habentur ridiculi, imò & insani; infrà versu 23, vel etiam temulenti. Vnde quidam eorum qui apostolos audiebant varijs loquentes linguis (quos verisimile est non intellexisse, eo quod digni non essent habiti vt intelligerent) *irridentes* dicebant: *quia musto pleni sunt isti*, Act. 2.

Apostolus sensum magisquā verba prophetæ reddit.

Loquētes peregrinis linguis, balbi, barbari, insani & ebrij videntur non intelligētibus.

ET NEC SIC EXAVDIENT ME, DICIT DOMINVS. Apud propheram hæc verba non habentur continuò post superiora; sed quibusdam interpositis, sic legitur tam in Hebræo quàm apud LXX, *Et noluerunt audire*. Nam illud, *dicit Dominus*, additum est ab apostolo ad designandam personam loquentis. Sensus: Et ne sic quidem, id est, viso huiusmodi signo quod eis daturus sum, audient, siue exaudient me, id est, credent, obtemperabunt verbis meis quæ per apostolos loquar. Quāuis enim ex Iudęis aliquot millia prędicatione apostolorum conuersa fuerint ad Christum, vt in Actis habetur: numerus tamen ille comparatione totius populi qui remansit incredulus, tantum exiguæ fuerunt reliquiæ: testante Isaia cap. 10, & Paulo referente Rom. 9, *Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris; reliquiæ saluæfient.* Sed cur memoratum prophetæ testimonium de varijs linguis in medium adduxerit apostolus, docet conclusio sequens.

Iudaici populi incredulitas

22 ITAQVE LINGVÆ IN SIGNVM SVNT NON FIDELIBVS, SED INFIDELIBVS. Græcè, *non credentibus sed incredulis*. Et sensus est: Ex prophetico testimonio consequitur donum linguārum datum esse ecclesiæ, vt esset signum ac testimonium diuinum veritatis fidei, non fidelibus qui iam credunt, sed infidelibus vt credant.

Verior lectio.

Linguæ in signum infidelibus.

PROPHETIÆ AVTEM NON INFIDELIBVS, SED FIDELIBVS. Græcè, *credentibus*. Et *prophetia* numero singulari, id est, prophetandi donum: quemadmodum & legitur in textu Ambr. necnon apud Pelagiū & Primasium, prodente vtriusq; cōmentario; licet textū aliquis mutauerit. Annuūt mss. quædam & veteres concordantiæ. Partem hanc apostolus non colligit ex allatis Isaiæ verbis, in quibus de prophetia nihil dictum est: sed tanquā manifestam & Iudæis minimè aduersam simpliciter affirmat. Neq; hic repetendū est illud, *in signū*; sed tantūmodo supplendū est, aut data est, aut vsui est, aut quid tale. Nā vsus prophetię, quomodo de ea hic loquitur apostolus, nō est vt fit loco signi seu miraculi, quo quis ad fidem inducatur; sed ad doctrinam & instructionem fidelium pertinet. Verùm interrogabit quispiam, quomodo dicat apostolus linguas non esse datas in signum fidelibus: cum legamus Act. 10 & 19, fideles linguis

Vsus prophetiæ ad doctrinā fidelium. Quæstio prima.

locutos

locutos fuisse apud solos fideles; quibus & signum erant effusi in illos Spiritus-sancti; ac ne nunc quidem vetet apostolus; quo minus linguis loquãtur Corinthij in ecclesia, ad quã soli fideles conueniunt: imò verò id probet, modo nõ desit interpres. Rursum, quomodo dicat linguas datas esse infidelibus in signũ: cũ ipse statim pòst testetur infidelẽ, si ingressus in ecclesiæ conuentũ, videat omnes loqui linguis, dicturũ quod insaniãt. Item, quomodo dicat prophetiã non esse datã infidelibus; cũ infrà consequenter dicat, si omnes prophetent, intret autem quis infidelis; eum ab omnibus cõuinci & dijudicari, & occulta cordis eius manifestari; adeò vt cadẽs in faciẽ adoret Deũ, & pronunciet quod verè Deus in eis sit. Ad hæc duæ sunt responsiones: Prior, eaque cõmunior, sensum apostoli esse; quod linguæ in signũ datæ sint præcipuè propter infideles, vt nouitate miraculi cõuerrantur; tametsi interdum etiam fidelibus instruendis & confirmandis seruiant: prophetiam verò præcipuè datam fidelibus ad institutionem; licet interdum etiam valeat conuertendis infidelibus. Altera Caietani, qui sentit apostolũ loqui de solis Iudęis, quondam fidelibus, quando habuerunt prophetas; postea infidelibus, quãdo in signum exhibitæ sunt eis linguæ, misso in discipulos Christi Spiritu-sancto: per quas tamen iuxta prophetæ vaticiniũ nõ crediderũt. Vterq; sensus probabilis est, & per vtrumque facilè diluũtur obiecta. Quanquam expositio Caietani multo magis videtur quadrare textui. Nã linguas in signum esse non fidelibus sed infidelibus, inferr apostolus ex testimonio prophetę, qui de solo loquebatur Iudaico populo, qualis erat futurus post aduentũ Messię: quando fuit impletum illud, *Nec sic exaudient me*. Iam verò colligendum ex his relinquit apostolus, quanto prophetia linguis potior sit: quãdoquidem illa fuerit vtilis populo Iudaico, vtpote fideli, quia per illam instruebatur, & in cultu veri Dei retinebatur: donum autem linguarum, etsi nouum & mirandum, tamen inutile fuerit eidem populo, quamuis signa petẽti: quia per illud nõ credidit, sed eo ipso tẽpore quo datũ est hoc signũ, per suam non credẽdi pertinaciã transiuit in genus infidelium, cùm antea populus esset fidelis.

Secunda.

Tertia.

Ad dictas quæstiones responsio prior.

Altera responsio Caietani probabilior.

Iudei dato linguarum signo non crediderunt.

23 SI ERGO CONVENIAT VNIVERSA ECCLESIA IN VNVM, ET OMNES LINGVIS LOQVANTVR. *Vniuersa*, Græcè ὅλη, *tota*, id est, alicuius loci totus populus fidelis. Pergit ostendere prophetiæ dignitatem supra linguas: idque ex ijs quæ accidebant vel accidere poterant in publico conuentu fideliũ. Si, inquit, ecclesia tota simul conueniat, siue apud vos, siue alibi; & omnes loquantur linguis, nemine interpretante; Sequitur.

INTRENT AVTEM IDIOTÆ AVT INFIDELES. Dubium est quos intelligat idiotas: nisi quod apparet eũ de fidelibus, aut certè de catechumenis loqui; nã distinguit eos ab infidelibus. Et quidem Theodoritus, atque ex Seueriano Gaignæus, docent intelligi catechumenos: vt qui adhuc neq; fidelium numero censerẽtur, neque tamẽ infideles essent, sed scholæ Christianæ velut elementarij. Verùm huic intellectui videtur obstare: primũ, quod nusquã legitur idiotæ nomen hac significatione; deinde, quia catechumeni solebãt vnà cum fidelibus ad ecclesiam conuenire, scripturas & earũ expositiones pariter audituri, precesq; & hymnos dicturi; eo tantũ excepto quod à mysterijs excludebãtur. Non ergo de ijs sic loqueretur apostolus, quomodo de infidelibus, quod ad ingressum attinet in conuentũ ecclesiæ. Nã infideles ius intrandi non habebãt; sed vel casu incidebãt in huiusmodi conuentũ, vel occultè sese ingerebant, vbi nondũ erãt oratoria peculiariter in eũ vsum exstructa. Iã & illud quod est in vers. sequenti, *conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus*: quã aptè cõpetat in catechumenũ Christianę religionis cãdidatũ, haud scio. Quibus itidẽ argumentis æquè vel etiã magis improbari potest cõmentarius Pelagij & Primasij, per idiotas intelligentiũ neophytos, quos vocãt *nuper credentes*. S. Thomas interpretatur eum qui nõ intelligit nisi linguã maternã. Quo accedit aliorũ ferè omniũ expositio, dũ vel indoctos ac linguarũ expertes intelligunt, vel eos qui nullo ministerio in ecclesia fungebãtur, minusq; diligenter ecclesiæ conuentus frequẽtabant. Nã & hi ferè indocti erant. Atq; iste sensus satis conuenit cum significatione idiotæ suprà versu 16.

Idiotæ qui dicantur hoc loco, opiniones.

Expositio probabilior.

NONNE DICENT QVOD INSANITIS? Hoc est, reputabunt vos insanos, fanaticos, arreticios. Hi namq; ea loqui solent quæ nec ipsi nec alij intelligant. Itaque reuera qui linguis loquuntur, vbi nullus adest interpres; ea parte similes se reddunt hominibus insanis: adeoq; suspicionem insaniæ sibi-ipsis accersunt. Sic igitur vndo gloriam venabãtur Corinthij, inde probrũ referebant: quẽadmodum annotatũ est à Græcis. Mẽdosè legitur in quibusdam codicibus *quid insanitis?* vtpote contra fidem omnium veterũ exẽplariũ & cõmẽtariorum, necnõ Græci textus ac Syriaci. Apud Ambrosiastrum legitur *quia insanitis:* quẽadmodũ & noster interpres aliàs reddere solet Græcũ ὅτι. S. Ambrosius legit, *quod insanitis*, libro 3 de Spiritu-sancto cap. 19.

Lingua loquens sine interprete, insano similis.

24 SI AVTEM OMNES PROPHETENT. Prophetare accipitur vt suprà, pro eo quod est ex inspiratione diuina proferre quædam occulta, præsertim pertinentia ad explicationem scripturarum; atq; ex ijs auditores instruere. Non vult apostolus omnes simul prophetare, sed vicissim acordine: quẽadmodum infrà præcipit. Neq; enim ex eo quod omnes simul prophetarent, fructus sequeretur quẽ statim cõmemorat; sed magis excitaretur scandalum apud auditores ex inordinata & confusa locutione multorum. Deinde nec omnes intelligit absolutè, sed hoc sensu; Si verò omnes qui in ecclesiæ cõuentu loquũtur, propheté: id est, si soli loquantur prophetæ; nimirum

Quid prophetare.

tacentibus ijs qui linguarum donum habent. Sequitur.

INTRET AVTEM QVIS INFIDELIS VEL IDIOTA, CONVINCITVR AB OMNIBVS, DIIVDICATVR AB OMNIBVS. *Conuincitur*, Græcè ἐλέγχεται, quod plerique vertunt, *arguitur*, vel *coarguitur*; idque, ni fallor, significantius ad rem præsentem. Sensus enim apostoli est: Si omnes loquamini linguis, arguet vos infidelis aut idiota tanquam insanos. At contrà fiet, si omnes prophetetis, id est, ex dono sancti Spiritus explanetis legem Dei scripturis comprehensam; ac proferatis ea quæ in illis de Dei potentia, bonitate, iusticia, sapientia traduntur. Sic enim infidelis aut idiota, qui fortè conuentum vestrum introgressus fuerit, arguetur, & dijudicabitur ab omnibus vobis: hoc est, per doctrinam omnium, eo quo dictum est modo prophetantium, auditam & intellectam, ipse à semetipso atque à sua conscientia redarguetur, ac discussione facta iudicabitur (id enim est ἀνακρίνεσθαι) tanquam impius & peccator. Siquidem infidelis conferens errorem in quo versatus fuit, itemque superstitiones suas & immundicias, ac cæteras actiones vitæ suæ, cum ea doctrina quam audit in ecclesia; clarè videt suam iniquitatem & turpitudinem. Similiter idiota de peccatis & prauis affectibus, quibus ex ignorantia laborabat, ex eadem doctrina apud se conuincitur, ac reus ostenditur. Et ratio manifesta est: Cognita namque regula, statim per regulæ applicationem cognoscitur, quicquid iniquum est, & à regula deuium.

Infidelis aut idiota quomodo conuincēdus aut dijudicādus ab omnibus.

Regulæ officium.

25 OCCVLTA CORDIS EIVS MANIFESTA FIVNT. Quidam codices, *Occulta enim cordis* &c. sed in vetustis *enim* non additur: vt nec in Græcis; quæ legunt, *Et sic occulta cordis eius* &c. Sensus; Dum sic apud se per doctrinam prophetarum redarguitur & dijudicatur infidelis aut idiota; manifesta ei fiunt quæ prius in corde ipsius ita latebant, vt nec ipse qualia essent, agnosceret. Discit enim, exempli causa, cultum idolorum esse impietatem; superstitiosas obseruationes esse dæmonum cultū; fornicationem esse legi diuinæ contrariam; & ita de alijs. Non igitur ostendit hic locus apostolum loqui de prophetia propriè dicta, qua vel res futuræ, vel occultæ cogitationes hominum cognoscuntur atque alijs reuelantur; quia non est sensus, occulta cordium manifestari prophetis; sed illis ipsis in quibus sunt & latent.

Occulta cordis sui quomodo infideli manifestafiant.

ET ITA CADENS IN FACIEM ADORABIT DEVM. Id est, tota cordis & corporis humilitate verum Deum agnoscet, sibique deinceps colendum statuet. Hoc propriè dictum videtur de infideli. Quanquam & idiota iam fidelis rectè dicitur adoraturus Deum, quatenus per ea quæ audit, magis in religione veri Dei confirmatur.

PRONVNCIANS QVOD VERE DEVS IN VOBIS SIT. *Pronuncians*, Græcè ἀπαγγέλων, vel vt in nonnullis, ἀναγγέλων, eadem significatione, id est, *renuncians* aut *denuncians*: id verò est *profitens*, palàm affirmans & testificàs. Plerique sic exponunt; apertè confitens Deū Christianorum esse verum Deum; quomodo legimus Dan. 2, Nabuchodonosor Regem audita somnij sui relatione ac interpretatione, cecidisse in faciem, & ad Danielem dixisse, *Verè Deus vester Deus Deorum est*, & cæt. Quem locum velut huic persimilem adducunt Primasius, Theophylactus & alij. Verū potest etiam hoc modo non incongruenter exponi: pronuncians quod non à malo spiritu tanquam insani & arrepticij, moueamini ad loquendum; sicut dicere possent, si solum linguis loquentes vos audirēt; sed quod Deus seu Dei Spiritus sit qui vos implet & ad loquendum mouet. Quo sensu poëta dixit: *Est Deus in nobis*. Indicat hunc quoque sensum Theophylactus, & diuus explicat Theodoritus. Vnde & colligunt Spiritum-sanctum esse Deum: quod & ante eos ex hoc loco collegit Ambrosius lib. 3 de Spiritu-sancto capit. 19.

Deus in prophetis.

Spiritum-sanctum esse Deū.

26 QVID ERGO EST FRATRES? Hoc est, Quid igitur facto opus est? Transit apostolus hac interrogatione ad instruendos Corinthios, quo modo & ordine donis à Deo acceptis vti debeant in conuentu publico: vt & fructus sequatur, & confusio vitetur. Ac primùm generaliter præcipit vt omnia faciant ad ædificationem.

CVM CONVENITIS, VNVSQVISQVE VESTRVM PSALMVM HABET. Non sentit omnes fideles habere hæc omnia, quæ deinceps enumerat; quomodo Caietanus intellexit, exponens vnumquemque omnia habere in communi: sed præter mentem apostoli. Neque rursus significat, vnumquemque aliquid istorum habere quæ hic enumerantur. Erant enim inter fideles qui nullum huiusmodi donum haberent. Sed sensus est: Quando conuenitis ad res diuinas; alij alijs donis instructi estis, & ea in medium promere parati. Nam verbi gratia, alius habet psalmum, id est canticum aliquod spirituale quo Deum laudet. Ad hoc enim quidam peculiariter inspirabātur; de quo dono suprà versu 15. Syrus paraphrastes contextum exponit & supplet hoc modo: *Cuicumque ex vobis est psalmus, loquatur*: addito scilicet verbo, quod in singulis etiam membris sequentibus repetendum reliquit: tametsi reuera textus apostoli non eget hoc supplemento.

Quid psalmus.

DOCTRINAM HABET, APOCALYPSIN HABET. *Apocalypsin*, id est *reuelationem*, vt suprà versu 6, vbi similiter nominauit reuelationem & doctrinam. Ex cuius loci commētario potest intelligi, quam hoc loco vocet doctrinam, & quam apocalypsin seu reuelationem: & cur nec scientiæ, nec prophetiæ faciat mentionem, quas illic expressit. Nam doctrina sermo scientiæ est, ideoque scientiam comprehendit: Apocalypsis verò, quæ reuelatio est altiorum mysteriorum, comprehendit

Quid doctrina, & quid apocalypsis.

dit prophetiam, tanquam sermonem sapientiæ per quem enuncianda est. Hoc igitur est quod dicit: Alius in promptu habet ex Dei inspiratione, quod doceat, ex humanis rationibus suasurus ea quæ diuina sunt: Alius verò quispiam accepta de secretis mysterijs aut scripturæ sensibus reuelatione, paratus est in medium proferre quod accepit. Scribit Hieronymus super illud Gal. 1, *per reuelationem Iesu Christi*, vocabulum ἀποκαλύψεως esse peculiare scripturæ sacræ, excogitatū à LXX interpretibus. Porrò visum fuit interpreti nostro retinere Græcum vocabulum hoc loco, quemadmodum & initio libri Apocalypsis; quod alibi semper Latinè reddit *reuelationem*.

Apocalypsis vocabulum peculiare scripturæ sacræ.

LINGVAM HABET, INTERPRETATIONEM HABET. Græca quę nunc sunt in manibus, linguam mediam collocant inter doctrinam & apocalypsin. Sed nostrę lectionis ordini suffragantur Græcorum commentarij, nominatim Theophylacti & Oecumenij. Nā Chrysostomus & Theodoritus quomodo legerint, ex eorum sermone percipi non potest. Annuit etiam nobis interpretatio Syriaca. Estque procul dubio congruentior hic ordo. Nam doctrinam & apocalypsin quare coniunxerit apostolus, facilè patet ex dictis. Lingua quoque non debuit diuelli ab interpretatione; siquidem & cap. 12 semel iterumque, linguis proximè subiuncta fuit interpretatio. Sensus igitur est: Alius ex dono paratus est loqui peregrina lingua; alius verò donum habet quo linguas interpretetur.

OMNIA AD ÆDIFICATIONEM FIANT. *Ad ædificationem*, id est, ad promouendam ecclesiam Christi, & singula eius membra, in vita spirituali. Nam vt dictum est suprà ca. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem*. Potest autem hæc pars iungi cum illa præcedente, *cum conuenitis*, hoc sensu: Quandocumque conuenitis, omnia quæ in conuentu agitis, ad ędificationem facite. Itaque cætera accipi poterunt vt interiecta per parenthesin, ad declarandam varietatem eorum quæ in conuentu fiebant. Quanquam non ea sola quæ fiunt in publicis conuentibus, ad ædificationem fieri debent, sed & quæ alibi. Charitatis enim studium est, vbique ædificare, quatenus adest ædificandi materia. Nam & si alius non est quem ædifices, te ipsum ædifica.

Omnia ad ædificationē agēda.

Charitatis studiū est vbique ædificare.

27 SIVE LINGVA QVIS LOQVITVR. Post generale præceptum, nunc speciatim docet ac præscribit quomodo linguarum dono sit in conuentu publico vtendum: deinde quomodo vtendum dono prophetiæ. Quod si, inquit, lingua quis loquitur, vnus aut plures: Sequitur.

Linguarū dono quomodo vtēdum.

SECVNDVM DVOS, AVT VT MVLTVM TRES. Interpres Græcismum retinuit in reddenda præpositione κατὰ, *& multum* dixit quod Græcè est πλεῖστον, *plurimum*. Latinè sic efferas: *duo aut ad summum tres loquantur*; scilicet in vno conuentu. Erasmus, *Fiat per binos, aut ad summum ternos.*

ET PER PARTES. Id est, quisque seorsum: id enim significat phrasis Græca ἀνὰ μέρος: quam Syrus Hebraismo reddit: *vnus, vnus*. Vult apostolus, vt si plures quàm vnus locuturi sint linguis, id faciant vicissim, non simul.

ET VNVS INTERPRETETVR. Hoc est, vnus aliquis interpretandi dono præditus, statim interpretetur quod alius lingua peregrina dixerit: videlicet ne fructu careat huiusmodi sermo à nemine intellectus.

28 SI AVTEM NON FVERIT INTERPRES; TACEAT IN ECCLESIA. Quod si, inquit, nullus adsit qui possit interpretari; publicè in ecclesia non loquatur is qui donum linguę habet. Neque enim debet eo dono vti inutiliter & absque ędificatione. Rursus hinc clarè liquet (vti diligenter annotat Caietanus) dono linguarum non semper fuisse coniunctam intelligentiam. Nam alioqui non debuisset apostolus de interprete esse solicitus: quandoquidem ipse qui loquebatur, si verba sua intelligebat, interpretari ea poterat lingua vulgari.

Dono linguarū nō semper adiuncta intelligētia.

SIBI AVTEM LOQVATVR ET DEO. Tacitus & in corde loquatur sibi ipsi: id est, ad suam priuatam ędificationem; quia iam alios ædificare non potest. Item loquatur Deo; quamuis non mente & intelligentia, spiritu tamen & pio affectu, quo ad orādum aut laudandum Deum mouetur: quem vtique affectum Deus, qui dedit, inspicit. Quod si faciat, non erit ei prorsus inutile donum hoc, etiamsi interprete destituatur. Similia dixit apostolus huius capitis initio. Quod enim hic ait, *sibi loquatur*, ibi dixit, *qui loquitur lingua, semetipsum ædificat*. Et quod hic, *Deo loquatur*; ibi dictum; *Qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo*. Quare & ex hoc loco patet, orationem non intellectam, ei qui orat, haudquaquam inutilem esse: quamuis per eam ecclesia non ædificetur. Ob quam causam hic tandem expresse prępcipit, quod antea nondum dixerat; vt talis, si desit interpres, taceat in ecclesia. Sequitur de vsu doni prophetiæ.

Quid sibi, & quid Deo loqui

Non inutiles preces non intellectæ.

29 PROPHETÆ AVTEM DVO AVT TRES DICANT. Græcè, *loquantur*. Et hoc intellige, non simul, sed vicissim; vti mox docebit. Non addit hoc loco, *vt plurimum*, quod de loquentibus lingua dixerat: quia prophetiæ donum vtilius erat ecclesiæ; ideoq; numerus prophetantium non pari lege restringendus. Sanè ex sequentibus apparet, apostolum permittere maiorem numerum, si sic vsus ferat.

Dono prophetiæ quomodo vtendum.

ET CÆTERI DIIVDICENT. *Cæteri*, Græcè οἱ ἄλλοι, *alij*, quod idem est. Sensus: quamuis fortè multi sint in ecclesia vestra prophetæ; tamen satis erit si duo aut tres in vno conuentu loquantur. Aliorum verò officium erit dijudicare, id est, examinare & probare, num vera & sana sint quæ dicuntur à loquentibus. Non ergo cæteros intelligit omnes auditores,

Nõ omnes fideles iudicãt, sed prophetæ & qui donũ habẽt discretionis. Aliud iudicium potestatis, aliud scientiæ & discretionis.

aut reliquum cœtum; vti volunt sectarij, quò doceant ad vnumquemque fidelem spectare iudicandi potestatem de doctrina religionis: sed de solis loquitur prophetis; (id quod series sermonis satis ostendit) ac de ijs maximè quibus etiam donum discretionis spirituum non deesset. Qui tamen ipsi non iudicabant potestate, vt in ecclesia faciunt episcopi; sed scientia & discretione, tanquam doctrina pariter & discretionis gratia præditi: quo sensu dictum est suprà cap. 2. spiritualem omnia iudicare. Similis est locus & similiter exponendus 1 Thess. 5, *Prophetias nolite spernere: omnia probate.* Nam contingebat vt aliqui non à spiritu diuino, quemadmodum veri prophetæ, sed vel à spiritu mendacij, id est, à dæmone, sicut vates ethnici, vel certè à proprio spiritu mouerentur ad proferenda quædam noua. Quare ne fideles fallerentur, opus erat examine ac dijudicatione.

30 QVOD SI ALII REVELATVM FVERIT SEDENTI, PRIOR TACEAT. Impersonaliter dixit *reuelatum fuerit*, id est, reuelatio facta fuerit. Sedentem autem vocat exsistentem in numero auditorum. Mos enim erat, vt audientes sederent, loquentes starent. Quod & hodie ferè seruatur in ecclesiæ conuentibus. Præterea cum Caietano notandum, duos ab apostolo insinuari modos prophetandi: alterum velut ordinariè prophetantium, id est, eorum qui ad conuentum venirent instructi ex præuia Dei inspiratione: de quibus præcipit apostolus, vt *duo aut tres dicant*: alterum eorum qui in ipso conuentu noua reuelatione ad prophetandum mouebantur. Ac de tali nunc loquitur. De priore genere rectè acceperis illud quod ante dixit, *apocalypsin habet.* Porro quod apostolus dicit, huiusmodi est; Si prophetante aliquo repentè fiat manus Domini super alium propheram sedentem inter auditores, fiatque ei reuelatio; *prior taceat*, id est, is qui iam loquebatur, cedat illi qui nouam ex tempore reuelationem accepit: detq; ei locum dicendi. Spiritus enim hoc extraordinario modo suggerens alteri reuelationem, velle videtur, vt ille statim & sine dilatione audiatur. Locum hunc de prophetis, B. Cyprianus in epistola 71 quę est ad Quintum, accommodat ad episcopos. Recitatis enim his Pauli verbis, *Prophetæ duo aut tres loquantur, & cæteri examinent; Si autem alij reuelatum fuerit sedenti, ille prior taceat:* ita subiungit de episcopis agens; *Qua in parte docuit & ostendit multa singulis in melius reuelari; & debere vnumquemque, non pro eo quod semel imbiberat & tenebat, pertinaciter congredi: sed si quid melius & vtilius exstiterit, libẽter amplecti.* Refert & laudat Augustinus lib. 2 de baptismo contra Donatistas cap. 8.

Mos vetus, vt audientes sedeant, loquentes stent. Duo modi prophetãdi à Paulo insinuati.

Notanda B. Cypriani sententia.

31 POTESTIS ENIM OMNES PER SINGVLOS PROPHETARE. Non omnes fideles; quia iam dixerat cap. 12, *Nunquid omnes prophetæ?* sed omnes prophetiæ donum habentes. vt sensus sit; Quamuis ex spiritu prophetico loquamini, mirari tamen non debetis quod iub eam priorem tacere, & loquendi vices alteri concedere. Nam in potestate vestra est eum seruare ordinem, vt singulatim alius post alium, etiam omnes prophetetis. Certè in eo quod dicit *omnes*, permittere videtur vt aliquando plures tribus in vno conuentu prophetent.

VT OMNES DISCANT, ET OMNES EXHORTENTVR. *Exhortentur*, Græcè, παρακαλῶνται. quod etiam verti potest, *consolentur*; idque Erasmus interpretatur passiuè, *consolationem accipiant*. Sed magis huic loco quadrat exhortationis significatio. Nam & suprà versu 3 huius capitis distinxit apostolus exhortationem, Græcè παράκλησιν, à consolatione, quam vocauit παραμυθίαν. Iam illud, *exhortentur*, tam Græcè quàm Latinè medium verbum est, vt tam actiuè quàm passiuè exponi posse videatur. Si capiatur actiuè, quomodo ferè Latini exponunt, vt Sedulius, Haimo, Lombardus, alijque glossam interlinealem secuti; sensus erit: Ita fiet vt omnes prophetæ discant, dum omnes audiunt alios, etiam ille qui loquebatur, vtpote dans locum alteri, seque collocans inter sedentes: & vt omnes doceant atque exhortationis verba proferant, dum singuli nemine excepto, permittuntur loqui. Nam exhortandi officium ad prophetas pertinere, constat ex initio capitis. Sensus hic perspicuus est: quo significãtur duo commoda prouentura ex eo quod omnes prophetæ vices suas ad loquendum habeant. Nam si vnus solus loqueretur, is tantum doctor esset, non etiam auditor: & proinde non omnes discerent. At si plures quidem loquerentur, sed non omnes; iam incommodum sequeretur, quod non omnes paratam habentes prophetiam, quam proferant ad ædificationem & exhortationem; audirentur. Si verò passiuè sumatur exhortari, hic erit sensus: Quod si non vnus tantum propheta, sed plures, aut etiam omnes ordine loquantur in conuentu: futurum est vt ijdem omnes etiam discant & exhortationem accipiant; dum nullus eorum est qui non etiam auditor fiat. Dico eosdem omnes, scilicet prophetas. Nam *omnes*, ad prophetas refertur, vt prius: non ad auditores in genere; vt quidam volunt. Siue enim vnus propheta loquatur, siue plures: discere, & exhortationem accipere cæteris auditoribus omnibus est commune. Sensus hic Græcorum est, & inter Latinos Heruæi, ac neotericorum qui Græcos sequuntur: idemque priori, quantum arbitror, necessariò præferendus. Nam etsi Græcum verbum genere medium sit; significatione tamen non nisi passiuum est. Neque enim reperio, præsertim in sacris literis, vbi sumatur actiuè. Porrò coniungit apostolus hæc duo, discere & exhortationem accipere; significare volẽs eos dupliciter proficere, & intellectu & affectu. Nam discere ad intellectum pertinet: exhortatio affectum excitat. Vnde & dona distincta erant docere &

Exhortẽtur, actiuè, ac passiuè exponendum.

Passiua expositio melior.

Discere & exhortari quare ab apostolo coniuncta.

exhortari,

Nullus doctor in ecclesia, cui non sit opus alios audire.

exhortari, Rom. 12, *Qui docet, in doctrina: qui exhortatur, in exhortando*. Ostendit autem hic locus, nullum esse doctorem in ecclesia tam perfectum, cui non sit opus alios audire; quorum vel doctrina proficiat, vel monitis ad officium stimuletur.

32 ET SPIRITVS PROPHETARVM PROPHETIS SVBIECTI SVNT. *Et*, pro nam, etenim, positum videtur. Intendit enim probare aliquid dictorum. Id autem quod sit, infrà declarabimus. Pro *subiecti sunt*, in quibusdam codicibus suffragante Syriaca versione, legitur numero singulari *subiectus est*: eamque lectionem exponunt commentator Ambros. Pelagius, Sedulius, Heruęus, & alij nonnulli posteriores. Sed pluralem, *subiecti sunt*, exhibent optimi quique codices mss. & veteres concordantiæ: exponit autem vtraque glossa: nec non Primasius, Haimo, (qui tamen etiam prioris meminit lectionis) Lombardus, Aquinas, Carthusianus, ac ferè recentiores. Legit etiam ad hunc modum Hieronymus in prologo commentariorum super Isaiam. Et vt ad Græcos transeã, Origenes super illud Rom. 8, *Nosipsi primitias spiritus habentes*, pluraliter legit, & numerum expendit. Theodoritum quoque πνεύματα legisse, patet ex eius commentario. Cęteri verò Græci vtrum legerint, ex ijs quę commentantur, haud liquet: ac magis suspicio est, eos singularem numerum legisse. Græci quidem codices constanter habent πνεύματα: sed existimat Catharinus *falsatos esse ab ijs qui metuebant à tropo, si diceretur spiritus qui est Deus, subijci prophetis*. Vero fortasse propius, olim variasse codices, occasione verbi quod singulare est; vt quidam propterea nomen etiam singulare scribere maluerint, ablata syllaba τα: quãquam constat Græcam syntaxin id non requirere. Sed non multum refert, vtrum legas: quum facile sit vtramque lectionem ad eundem sensum coaptare. Iam etsi præsentis temporis verbum sit ὑποτάσσεται: quod proinde Erasmus & alij quidam vertunt *subijciuntur*: vsitatius tamen ac melius Latinè redditur per participium, seu malis nomen, & verbum substantiuum, *subiecti sunt*, aut *subditi sunt*. Sic enim etiam Erasmus æquè ac noster interpres alibi vertunt, vt Rom. 13, ver 1, Eph. 5, ver. 22 & 24, & Col. 3 ver. 18. Porrò spiritus prophetarum nonnulli interpretantur ipsum Spiritum sanctum prophetas inspirantem, vt author glossæ ordinariæ: complures dona prophetica: alij impetum propheticum. Certè Spiritui sancto qui Deus est, & vnus idéque cum sit, diuidit singulis prout vult: vt dictum est suprà cap. 12, parum aptè conuenit vocabulum pluralis numeri; multoque minus, vt subiectus prophetis esse dicatur. Sed ipsa dona prophetica rectè dicuntur prophetis subijci, siue quo ad vsum & actionem prophetandi, siue quo ad horum dijudicationem: iuxta diuersas huius loci interpretationes. Nam dona Spiritus-sancti nomine spirituum etiam suprà significata sunt, vbi dixit, *quoniam æmulatores estis spirituum*. Potest item eo nomine intelligi impetus siue instinctus ille diuinus, quo propheta commonetur, vt vel loquendo vel scribendo proferat id quod sibi reuelatum est. Ad hoc enim illuminatur, vt illuminet alios. Porrò locus iste dupliciter exponitur: alijs subiectionem, cuius hic est mentio, referentibus ad eosdem prophetas, alijs ad diuersos. Qui ad eosdem referunt, in hunc ferè sensum exponunt: Donum prophetiæ quo ad vsum & actum enunciandi reuelata; necnon impetus ille prophetam incitans ad loquendum, in ipsius est prophetæ potestate: vt possit se cohibere & tacere, & commodum loquendi tempus exspectare; *scient; tempus tacendi & tempus loquendi*, Ecclesiastæ 3. Non quidem in potestate prophetæ est illustrari diuinitus: sicut in potestate est viri docti contemplari de his quæ nouit. Nam, vt ait Thomas, *Prophetæ donum non est habitus sicut scientia, sed vis quædam aut impressio qua Deus tangit & illuminat corda prophetarũ*. Hoc igitur à sola dependet Dei voluntate reuelantis mysteria. Sed in potestate prophetæ est accepram à Deo reuelationem, aut statim manifestare alijs, aut manifestandam in tempus differre, aut omnino celare, non obstante impetu vel instinctu interiore, quo ad manifestandum incitatur. Est enim hic instinctus instar affirmatiui præcepti, cui sit obsequendum, non statim, sed primo quoque tempore opportuno. Nam celare posse prophetas reuelatum sibi verbum Dei, liquet ex facto Ionæ prophetæ: qui missus ad prædicandam euersionem Niniues, fugit à facie Domini, donec secundam acciperet iussionem, Ionæ 1 & 3. Vnde & apud Ieremiam cap. 23 increpantur quidam prophetæ celantes verbum Domini quod habebant: *Qui habet sermonem meum*, ait Dominus, *loquatur sermonem meum verè*. Quod autem in tempus differre possint manifestationem, satis docent exempla sanctorum prophetarum, qui tempus exspectabant opportunum referendi ad populum verbi Dei. Atque ea res discernebat veri Dei prophetas à vatibus falsorum deorum; qui furore quodam extra se rapti, nec intelligebant, nec tacere poterant ea quæ dicenda malus dæmon ingerebat. Tradunt hanc quam diximus expositionem plerique Latini interpretes, Lombardus, Heruæus, Aquinas, alijque posteriores: Græci quoque, Theophylactus & Oecumenius: & ante eos Origenes atq; Hieronymus locis suprà citatis. Et secundum eam probat hac parte Paulus illud quod dixit, *Prior taceat: potestis enim omnes &c.* ne quis putaret ideo prophetis non esse præscribendum ordinem loquendi & tacendi, quia spiritum propheticum, quo ad loquendum mouentur, cohibere non possent, more vatum in quibus loquuntur dæmones. Vtuntur interdum hoc Pauli testimonio patres aduersus Montanistas, qui inter alia docuerunt veteris testamenti prophetas arrepticios fuisse, nec

Dubia lectio, subiecti sunt, an subiectus est.

Spiritus prophetarum hoc loco qui dicantur.

Prophetæ illuminantur vt illuminent alios. Duplex huius loci expositio.

Prophetiæ donum nõ est habitus manẽs sed impressio transiens. In potestate prophetæ est eloqui aut tacere.

Discrimẽ inter prophetas Dei & vates dæmonum.

Montanistarum hæresis de prophetis antiqui.

sui

sui compotes, quando prophetizabant: vtpote in ecstasi & amentia positos, vt loquitur Tertullianus ad hæresin Montanistarum delapsus. Quales nimirum ipsorum erant prophetæ, Montanus ipse, Prisca & Maximilla. Quod eorum dogma catholica ecclesia semper vt falsum & peruersum damnauit. Refellit autem copiosè & doctè Epiphanius in hæresi 48, quæ est Montanistarum. Nec vera est exceptio, quam adfert Liranus, de propheta Balaam: quem dicit contra voluntatem suam fuisse motum à spiritu ad loquendum, ita vt tacere non posset. *Hoc enim*, inquit, *erat ad gloriam Dei:* sed fallitur. Cùm enim Balaam dicit ac repetit Num. 22 & 23, se non aliud loqui posse, quàm quod Deus posuisset in ore ipsius: non sentit se ad prophetandum aliqua necessitate compelli, cui per suam volũtatem resistere non posset; sed necessitatem præcepti significat, cui refragari non audebat, ne grauissimam aduersum se vindictam Dei prouocaret. Vnde dicebat, *Nũ aliud possum loqui, nisi quod iusserit Dominus?* ac si diceret: præceptum eius necessitatem mihi imponit loquẽdi ea tantùm, quæ ille mihi inspirat. Aliud facere sine periculo meo non possum. Ita Petrus & Ioannes Acto. 4, *Non enim possumus*, inquiunt, *quæ vidimus & audiuimus, non loqui.* Porrò quod hic de prophetis dicitur, idem & de alijs similiter intellige, quicumque ex dono Spiritus-sancti quippiam agunt: nempe donum siue impetum quo ad agendum mouentur, esse eis subiectum, vt possint non agere. Hinc & ijs qui linguis loquebantur, iam ante præcepit apostolus, vt certo ordine id faciant, & si desit interpres, taceant. Ex ea autem doctrina rectè contra hæreticos ostenditur, voluntatem hominis ad agendum & non agendum liberam esse. Neque tamen huius doctrinæ sensus est, operationem Dei subiectam esse operationi hominis: quomodo quidam imaginantur auxilium gratiæ Dei in nobis operantis, esse in potestate liberi nostri arbitrij: quod negant Patres aduersus Pelagium disputantes, Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem cap. 3, Augustinus libro de gestis Pelagij cap. 14, 17 & 35, & Prosper in carmine de ingratis cap. 15 & 34. Sed sensus est: illud habituale quod est in homine velut scientiã, sapientiam, donum linguarum, instinctum agendi quippiam siue naturalem siue supernaturalem, ita esse in hominis potestate, vt eo vti possit & non vti: qualis est etiam occultorum notitia menti prophetæ diuinitus impressa: non autem auxilium Dei speciale, id est, ipsa Dei operatio, qua voluntatem efficaciter mouet, liberam in ea bonam sibique gratam actionem producens. Iam qui in verbis apostoli non eosdem sed diuersos prophetas significari putant, sensum hunc reddunt: Spiritus prophetarum subiecti sunt alijs prophetis, id est, aliorum prophetarum iudicio: vt respiciatur ad illud quod ante dixerat, *& cæteri dijudicent:* sicque hæc pars illius declaratio. Nam si voluisset apostolus eosdem intelligi, potius dixisset, Spiritus prophetarum subiecti sunt eis: quomodo loquitur Dominus Matthæi 20, *Principes gentium dominantur eis.* Ac sanè videtur apostolus aliquid peculiare velle dicere de prophetis, quod ad eos qui linguis loquebantur, non pertineret. Alioqui generalem attulisset de vtrisque sententiam, spiritus eorum eis subiectos esse: præsertim quia confusio magis nascebatur ab ijs qui loquebantur linguis, quam à prophetantibus. Atqui non id facit. Imò verò in tota hac adhortatione supponit eos qui donum vel linguarum vel prophetiæ habebant, posse tacere, tempusque ad loquendum opportunum exspectare. Id quod etiam experientia notum erat. Cæterùm de prophetis peculiariter dicit, eorum spiritus esse prophetis subiectos, id est, ab alijs prophetis dijudicandos: quod de ijs qui donum linguarum habebant, consimiliter dici non poterat. Nam qui illo solo dono potiebantur, idonei non erant qui iudicarent de alijs simile donum habentibus: sed de illis, hoc est de sermone eorũm, iudicare poterant & debebant prophetæ, si linguam intelligerent. Quod si interpres deesset; tacendum illis erat, vt dictum est suprà. Huic posteriori interpretationi fauent commentarij veterum, Chrysostomi, Theodoriti, Pelagij, necnon Theophylacti priori loco: quos & neoterici quidam sequũtur; inter quos Ioannes Hofmeisterus omnium clarissimè sensum hunc explicat; etsi prioris etiam meminerit. Huc igitur referendæ sunt scripturæ, *Alij discretio spirituum*, id est, dijudicatio, suprà c. 12, *Probate spiritus si ex Deo sint*, hoc est, dijudicate, 1 Ioan. 4, *Prophetias nolite spernere*; sed *omnia probate*, 1. Thess. 5. Quod ad hæresin attinet Montanistarum, ea si non hac parte, satis tamen & abundè destruitur per illa superiora: *Prophetæ duo aut tres dicant: quod si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Potestis enim omnes per singulos prophetare.* Nihil enim horum præstari poterat, si prophetæ in ecstasi & per amentiam effundebant inspiratas sibi reuelationes. Quare & Hieronymus in præfatione commentariorum super Habacuc prophetam, Montani dogma refellens, vtitur apostoli verbis quæ iam dixi, prætermissa sententia quam nunc tractamus. Rursus idem in præfatione commentariorum Isaiæ, aduersus eandem hæresin pluribus agens, cum & hoc vsurpasset Pauli testimonium, *Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt*; continuò subiunxit: *Quod si cui videtur infirmum, illud eiusdem apostoli audiat: Prophetæ duo aut tres loquantur*, &c. vtique subindicans ad probandum quod volebat, in isto testimonio non multum esse firmitatis.

33 NON ENIM EST DISSENSIONIS DEVS SED PACIS. *Dissensionis* Græcè ἀκαταστασίας; quæ dictio propriè confusionem denotat, hoc est, turbatum rerum ordinem, vt in tumultu aut seditione. Vox Syriaca tumultum significat

Tertul-

Exceptio Lirani de Balaam non vera.

Libertas arbitrij probatur.

An auxilium speciale Dei sit in potestate liberi nostri arbitrij.

Habitus sunt in potestate nostra, non Dei in nobis operatio.

Quid auxilium speciale.

Alius sensus præsentis loci.

Spiritus prophetarũ à prophetis dijudicandi

Montanistarum error refellitur.

Tertullianus l. 4 contra Marcionem capit. 3, legit *euersionis:* non malè: quod per ἀκαταστασίαν euersio rerum contingat. Iuxta priorem sensum partis præcedentis, probatio talis est: Deus qui inspirat & mouet propheras, non est dissensionis Deus, sed pacis: id est, non vocatur Deus dissensionis, tãquam eius author; sed vocatur Deus pacis; quia nimirum pacis author est: ergo non sic inspirat & mouet prophetas, quin opportunum loquendi tempus exspectare possint; & quum opus est, à loquendo desistere: quod ad ordinem & pacem ecclesiæ pertinet. At iuxta sensum posteriorem hæc erit probatio; Deus inspirans prophetas non est author confusionis aut contentionis, sed pacis: igitur non debent prophetæ pro sua quisque sententia certare, sed aliorum iudicio libenter ac sponte sese submittere. Quod & doctoribus in more positum est, vt cùm sententiam dixerint aut scripserint, adijciant illud; saluo doctiorum iudicio. Deum pacis etiam alibi nominat apostolus; vt Roman. 16, vers. 20, & 2 Corin. 13, vers. 11.

Deus non dissensionis Deus, sed pacis.

Mos doctorum laudabilis

SICVT ET IN OMNIBVS ECCLESIIS SANCTORVM DOCEO. Græcè & Syriacè tantùm legitur, *Sicut in omnibus ecclesijs sanctorum.* Quæ lectio in nonnullis etiam Latinis mss. exstat: eandemque veteres exhibent concordantiæ. Nec amplius legisse Pelagium & Primasium, satis arguit eorum expositio. Quidam suspicantur illud *doceo* huc assciptum ex alijs locis, vt ex cap. 4 huius epistolæ, *sicut vbique in omni ecclesia doceo.* vel ex cap. 7, *& sicut in omnibus ecclesijs doceo.* Quanquã nec ibi Græcè est *doceo*, sed *ordino* siue *constituo.* Veruntamen nostræ lectioni suffragantur plures ac sinceriores codices Latini; necnon commentator Ambro. & Haimo, reliquique posteriores, eo solum excepto, quod cum Græcis atque Syris, & particulam omittunt. Huius lectionis sensus obuius est: Sicut in omnibus alijs sanctorum, id est, fidelium ecclesijs ad meam curam spectantibus, doceo: scilicet Deum non esse dissensionis Deum, sed pacis: & per hoc omnes adhortor ad studium pacis & concordiæ: & ad vitandam in ecclesijs cõfusionem. Secus Aquinas, & ante eum Lombardus, alijque nonnulli: qui partem hanc referunt ad ea quę superius dicta sunt de ordinato vsu linguarum & prophetię: quasi dicat apostolus, Non vobis solis ista præcipio; sed & in cæteris ecclesijs eadem doceo. Græcam verò lectionem alij aliter contexunt ac supplent. Plerique præcedentibus adiungunt, vel hoc sensu; sicut in omnibus ecclesijs lex pacis obtinet: vel; sicut in omnibus ecclesijs obseruatur quod dixi de vsu donorum; ita & apud vos fieri conuenit, ne ab aliarum ecclesiarum laudabili more discrepare videamini. Cæterùm Caietanus refert ad id quod sequitur.

Vera huius loci lectio inuestigatur.

MVLIERES IN ECCLESIIS TACEANT. Huius partis connexionem cum ea quæ proximè precedit; iuxta Græcam eius lectionem, cum Caietano sic explicamus. Quemadmodum suprà ca. 11 reprehendens apostolus Corinthios; quod apud eos mulieres non velatæ orarent, allegauit pro authoritate consuetudinem ecclesiarum Dei; ita nunc ex more omnium ecclesiarum confirmat quod de silentio mulierum præcipit. Quin & author glossæ ordinariæ, quamuis Latinam exponat lectionem partis prædictæ; tamen eam cum hac parte connectit. Ac certè nõnihil fauet textus Græcus & Syriacus, necnon Latinus Ambro. in quibus addito pronomine legitur, *mulieres vestræ:* tanquam dicat apostolus: Sicut in omnibus ecclesijs sanctorum, maximè Iudæorum qui primi fuerunt in Christo; ita & apud vos & in vestris ecclesijs mulieres taceant. Sermo similis cum eo quo dicit infrà cap. 16, *De collectis quæ fiunt in sanctos; sicut ordinaui ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite.* Ex quo etiam loco coniectura non leuis sumi queat, eosdem hîc quoque sanctos intelligi, nempe primos illos fideles ex Iudæis, qui fide feruẽtes, à suis contribulibus multa aduersa passi fuerant; quos appellatione sanctorum specialiter designat apostolus etiã alibi, vt 2 Cor. 8, ver. 4, & cap. 9 ver. 1 & 12, & Rom. 15 ver. 25, 26 & 31.

Argumẽtum ab authoritate ecclesiarum.

Sancti votati primi Iudæi fideles.

NON ENIM PERMITTITVR EIS LOQVI. Subaudi, in alijs ecclesijs, aut, in ecclesijs sanctorum. Quare nec in vestris ecclesijs permittere debetis vt loquantur. Nam Græcè est ἐπιτέτραπται, permissum est, scilicet ecclesiarum consuetudine, quæ obstat ne fiat. Hæc locutio mulieribus in ecclesijs prohibita, non comprehendit preces quæ ad Deum fiunt, (tametsi preces earum submisse esse debent: quemadmodum orasse legimus Annam matrem Samuelis 1 Reg. 1, cuius orantis *vox penitus non audiebatur*) sed intelligenda est de sermone ad homines; siue proferatur ad docendum & ędificandum alios; velut loquẽdo linguis, interpretando, propherando, psalmũ aut hymnum canendo: siue ad interrogãdum & discendum. Nam de doctrina sic idem apostolus præcipit 1 Tim. 2, *Docere mulieri non permitto.* Vnde & hic sequitur.

Loqui in ecclesia quatenus prohibitũ mulieribus.

SED SVBDITAS ESSE. Supplenda sententia: sed oportet eas viris subditas esse. Non enim hoc permissionis est, sed præcepti, legisque diuinæ. Id enim sequitur:

SICVT ET LEX DICIT. Legem accipit vt suprà versu 21, pro scriptura veteris testamenti, quæ lex vocatur, quia verbum Dei est. Neque enim respicit ad legem Mosaicam, sed ad locum scripturæ Gen. 3, *Sub viri potestate eris.* Ex hoc autem probat mulieres in ecclesia loqui non debere, docendo alios; quod nimirũ sint in statu subiectionis, idque ratione sui sexus. Ne autem existiment sibi licitum, loqui saltem interrogando de quibus dubitant, id est, discendi causa, non docendi: sequitur etiam de interrogatione.

Lex Dei scriptura sacra.

Mulieres ratione sui sexus sunt in statu subiectionis.

34 35 SI QVID AVTEM VOLVNT DISCERE;

Mulieri in ecclesia nec interrogare licitum.

DOMI VIROS SVOS INTERROGENT. Docet ne quidem interrogando mulieres in ecclesia loqui debere: sed tacendo & auscultando discere: quemadmodum præcipit ad Timotheum 1 ep. 2 scribens: *Mulier in silentio discat cum omni subiectione.* Cæterùm, inquit, si quid adhuc dubitent, & discere velint; domi viros suos interrogent. Vbi obserua Paulũ mittere mulieres discere & interrogare volẽtes; ad viros *suos*, siue vt Græcè est, *proprios*; nõ autem ad viros alienos, etsi fortasse doctiores & ad docendum aptiores: ne videlicet occasionem habeant euagandi, & locum dent sinistris suspicionibus. Annotat hoc loco Primasius, viros tam doctos esse debere, vt vxores suas docere, & de fidei veritate instruere possint. Sed quid si, vt hodie plerique, indocti sint viri proprij: vt ad vxorum interrogata respondere nequeant? Quid verò facient mulieres quæ viros habent infideles? Breuiter respõdeo, quod melius est illis ignorare quædam non necessaria, quàm ea cum detrimento pudoris, aut cum aliorum scandalo discere. Cùm enim docere eis in ecclesia non permittatur; non est quod adeò magnum studiũ ponant in discendo. Neque tamen vetat apostolus, quin consulant interdum alios viros, pios ac prudẽtes, à quibus instrui possint: dummodo absit omne periculum & suspicio mali.

Mulieres domi à viris suis docendæ.

Nota.

Quæstio.

Respõsio.

TVRPE EST ENIM MVLIERI LOQVI IN ECCLESIA. Græcè & Syriacè *mulieribus*. Quod & Ambr. legit. Pro quo Sedulius *mulieres*. Congerit apostolus argumenta. Primum erat à consuetudine ecclesiarum: secundum ex lege seu verbo Dei: tertium hoc sumitur à ratione naturali; qua turpe iudicatur & inhonestum, si mulier in ecclesia fideliũ, aut in quocumque cœtu publico, quæ generali nomine est ecclesia, loquatur. Id enim est contra verecundiam illi sexui naturaliter inditam. Propter quod & aduocandi munus lege ciuili mulieribus interdicitur. Consequens est autem ex præsenti doctrina Pauli, ne prophetissæ quidẽ, aut insigniter eruditæ mulieri, permittendum vt in ecclesia loquatur. Nam vtique de prophetis agebat apostolus, quando hoc continuò subiecit præceptum de silentio mulierum; quasi diceret, Veruntamen mulieres in ecclesijs loqui non audeant; nec quidem si dono prophetiæ præditæ sint, aut reuelationem acceperint. Possunt enim tacere, & ea quæ spiritus suggerit, extra ecclesiam loqui, apud mulieres, aut etiam apud viros, saluo pudore & honestate. Hic quæri posset, quomodo præsenti doctrinæ apostolicæ, qua mulier in ecclesia tacere iubetur, non sit contrarium, quod idem apostolus suprà cap. 11 dixit: *Omnis mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum.* Vbi certè videtur mulieri permittere potestatem vt orandi, sic & prophetandi, ac proinde loquendi in ecclesia, modò id faciat velato capite. Sed eam quæstionem enodatam reperies in illius loci commentatio. Atque interim occurrit etiam aliud, quod non absurdè dici posse videatur. Quid si enim apostolus tantùm scripserit, *Omnis mulier orans non velato capite* &c. vt illud *aut prophetans* asscriptum fuerit à librario vel oscitante vel nimium diligente, ex similitudine versus superioris, in quo dictum erat, *Omnis vir orans aut prophetans* &c. Talia namque in transscribendis libris interdum contigisse, plus satis experiuntur, qui in castigandis scriptis bonorum authorum operã collocant. Sed hæc tantum coniectura est, quam aliorũ prudentiori iudicio submitto. Remouimus eodem loco obiectionem de Anna prophetissa, cuius euangelista Lucas cap. 2 meminit: atque ostendimus, si in templo locuta fuit, quod non liquet, non tamen in ecclesia locutam fuisse: quia non in publico conuentu fidelium. Non enim quoties puer aliquis in templo præsentandus erat, aut offerendum sacrificium, aut quid simile agendum secundum legem, ecclesia conueniebat; sed ad hæc sufficiebat eorum præsentia, sine quibus actus eiusmodi cærimonialis peragi non poterat. Sanè quod ad synagogas attinet, quæ Iudæorum erant ecclesiæ, & à quibus honestatis formam acceperunt ecclesiæ gentium: non est verisimile mulieribus, etiamsi prophetissæ essent, in illis docendi loquendive potestatem factam fuisse. Potest & illud obijci, quod suprà dictum est hoc eodem capite, *Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis aut idiota*, futurum esse vt ille *cadens in terram* adoret Deum &c. Ex quo consequens appareat, ad Dei honorem pertinere, si omnes etiam mulieres in ecclesia prophetent. Sed respondetur ea verba apostoli (quod & illic indicatum est) intelligi debere secũdum doctrinam subiectam; in qua duo continentur, alterum vt qui prophetant, ordine id faciant, alterum vt mulier omnino taceat. Quare de solis ijs quibus in ecclesia loqui licet, accipiendum illud, *Si omnes prophetent*. Alia obiectio est de confessione peccatorum sacramentali, quam in ecclesia faciunt etiam mulieres, idque perpetuo ecclesiæ more; non solum referentes presbyteris sua peccata, verum etiam interrogantes si quid discere volunt, quod conscientiam attingat. Sed bene respondet Caietanus, eas siue confitẽtes, siue interrogãtes, nõ loqui in ecclesia, id est in conuentu fidelium: ita nimirum vt cõuentus audiat, & ad ipsum vel propter ipsum locutio fiat. Id enim Paulo est loqui in ecclesia. Quocirca nec sanctimoniales in oratorijs suis diuinas laudes canentes, loqui in ecclesia dicendæ sunt, quia non est ibi fidelis populi conuentus, qualem hic apostolus ecclesiam vocat. Porrò si quid alicubi indecenter aut inhonestè fit in ecclesia: quale est mulierculas siue sacratas, siue laicas (nam vtrumque factum nouimus) ministrare sacrificio missæ, viro aut puero, qui id faciat, non comparente: nos malarum consuetudinum nolumus esse patroni; sed vehementer optamus,

Argumẽtum à ratione naturali.

Aduocãdi munus feminis interdictum.

Mulieri in ecclesia prophetare non licet.

Quæstio.

Responsio.

Coniectura nõ improbabilis

Anna prophetissa an locuta fuerit in ecclesia

Obiectio.

Solutio.

Alia obiectio.

Responsio.

Moniales canentes in oratorijs, non loquũtur in ecclesia

Mulieres inseruire missæ non est ferendum.

mus, vt huiusmodi deformitatibus omnino sublatis, sicubi adhuc reliquæ sunt, ecclesia decori suo pristino restituatur.

36 AN A VOBIS VERBVM DEI PROCESSIT? Græcè ἐξῆλθεν, *exiuit*. Et sensus est: An vos primi credidistis; à quibus ad omnes alios euangelica doctrina propagata sit? minimè. Nam primi credentes fuerunt Iudæi, & ab illis verbum Dei processit ad alios; iuxta vaticinium Isaiæ capit. 2, *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem*. Proinde Iudæorum ecclesias in supradictis imitari debetis: non ipsi nouas in ecclesiam introducere consuetudines. Ostendit hic locus, vbi de doctrina aut consuetudine quæstio in ecclesia suscitatur; ad antiquitatem respiciendum esse, quid apostoli, quid primi fideles, quid eorum ordine successores docuerint atque tradiderint.

A Iudæis verbū Dei processit ad gentes.

Ad antiquitatem respiciendum in negocio doctrinæ & cōsuetudinis.

AVT IN VOS SOLOS PERVENIT? *Aut*, Græcè ἢ *an*, vt prius. *In vos*, εἰς ὑμᾶς, *ad vos*. *Peruênit* κατήντησεν, Erasmus, *incidit*. Rectius Augustinus in speculo, *deuênit*: quomodo vertit etiam noster interpres Act. 18, ver. 19. Sensus: An vos soli credidistis? Tale igitur est quod dicit: Neq; primi, neq; soli estis Christiani. Vestra ecclesia nec prima est nec sola. Debetis ergo priores imitari, & alijs ecclesijs vos cōformare. Vtitur autē erotematis, quæ vim & acrimoniā addūt orationi; propter contradictores quosdā & refractarios, opinione sapientię tumidos, vt eorum fastum deprimat, & cogat acquiescere ijs quæ præcipit.

Erotematis cur vtatur apostolus.

37 SI QVIS VIDETVR PROPHETA ESSE AVT SPIRITVALIS. *Si quis*, inquit, eminet inter vos & habetur tanquam excellens propheta aut homo spiritualis. *Videri*, pro eo quod est esse in precio, Græca phrasis est: quam etiam Gal. 2 vsurpat dicens: *Seorsim autem ijs qui videbantur*. Alioqui non dubitabat apostolus, quin aliquis esset in ecclesia Corinthiorum propheta aut spiritualis. Potest etiam hic sensus reddi: Si quis sibi videtur propheta aut spiritualis: quēadmodū suprà c. 3, *Si quis* sibi *videtur inter vos sapiēs esse*. & c. 8, *Si quis se existimat scire aliquid*. Spiritualē vocat quem suprà c. 2 modò perfectum, modò spiritualē, id est, eum *qui pro consuetudine exercitatos habet sensus ad discretionem boni & mali*: quomodo perfectum definit Heb. 5. Quamuis autem ordinariè omnis propheta sit etiam spiritualis: nō tamen è diuerso omnis spiritualis est propheta: idcirco post prophetam, etiam spiritualem nominauit apostolus: ac si diceret, Si quis apud vos videtur esse propheta, aut omninò spiritualis. Sequitur:

Videri, id est, esse in precio.

Spiritualis quis apostolo dicatur.

Omnis propheta spiritualis, non contrà.

COGNOSCAT QVÆ SCRIBO VOBIS, QVIA DOMINI SVNT MANDATA. Legit Augustinus singulari numero, *quia Domini est mandatum*, in epi. 102 ad Euodiū, & tract. 98 super Ioan. Sic & Primasius & Haimo legisse videtur. Sed pluralē numerū habent tā Græca quam Syra. Portò *quia* pro *quod* dixit interpres, vt aliàs sæpissimè. Nā sensus est: Ille propheta aut spiritualis iudicet atque cognoscat, ea quæ scribo vobis, esse præcepta Christi Domini: propheta quidē, ex dono prophetico; nā suprà de prophetis dixit, *cæteri dijudicēt*: spiritualis autē ex dono sapiētię, per quod *spiritualis iudicat omnia*; vt dictum est cap. 2. Hoc igitur argumentum omnium fortissimum, vt ait Theophylactus, vltimo loco posuit apostolus, sumptum videlicet ex authoritate Christi præcipientis, ac si diceret: Hæc per me vobis præcipit Christus: idéque veri prophetæ & spirituales ignorare non debent. Mandatum Domini sunt qui intelligant, quod ab ipso Christo legislatore datum est, siue loquente suis apostolis, siue reuelante: eaque videtur Aquinatis esse sententia. Dicit enim hinc colligi posse, quod *verba apostolorum sunt ex familiari reuelatione Spiritus-sancti & Christi, ideoq; seruanda sicut præcepta Christi*. Caietanus verò, & ante eum Liranus, & alij, mandatum Domini extendunt ad ea, quæ etiam mediatè à Christo profecta sunt, congrua nimirum principijs ab illo traditis: vt sunt præcepta apostolorum & ecclesiæ. Estque hoc probabilius. Nam propheta aut spiritualis suo iudicio cognoscere non poterat hæc mandata à Christo immediatè esse profecta: poterat autem cognoscere, quod essent Christi doctrinæ consentanea, atque ecclesiæ eius vtilia. Deinde nec verisimile est, omnia quæ Paulus in hoc capite præcepit de ordine & honestate seruanda in conuentibus ecclesiæ, esse tradita à Christo immediatè per sermonem aut reuelationem: Sed enim Spiritus-sanctus assistebat apostolis, quemadmodum & assistit ecclesiæ, vt nihil præcipiant, quod non conducat ad eundem scopum cum præceptis & doctrina Christi. Hinc apostoli dicebant Actor. 15, *Visum est Spiritui-sancto & nobis*. Et Paulus de seipso suprà cap. 7, *Puto quod & ego spiritum Dei habeam*. & 2 Cor. 13, *An experimentū quæritis eius qui in me loquitur Christus?*

Præcepta apostolorū & ecclesiæ sunt Domini mandata.

Spiritus-sanctus assistens apostolis & ecclesiæ.

38 SI QVIS AVTEM IGNORAT, IGNORABITVR. In Græco sic legitur, *Si verò quis ignorat, ignoret*. Quæ eadem est lectio textus Syriaci: eamque Græci tractatores, & cum ijs Caietanus exponunt in hunc ferè sensum: Cognoscant prophetæ & spirituales, ea quæ scribo, Domini esse mandata. Si qui verò id ignorāt, nec facilè persuadentur vt illa tanquam Domini mandata recipiant: eos sibi suæq; ignorantiæ relinquendos censeo, potius quàm vt cum ijs longiori sermone concertem. Agnoscat & obtemperet qui volet. Sic & alibi Paulus, vt suprà cap. 7, *Quod si infidelis discedit, discedat*. Et Ioannes Apoc. 22, *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*. Atqui nostram lectionem exhibent omnes Latini codices & commentarij: recitatq; ad hunc modum Hieronymus super Hosee 4, nec non Augustinus duobus locis suprà citatis: quos & Beda suis inseruit collectaneis. Sēsus autē huius lectionis est, Si quis non agnoscit hæc esse Domini mādata, nec meis verbis, nec iudicio prophetę

Huius loci duplex lectio.

Quidam suæ ignorantiæ relinquūdi.

Ignorans ignorabitur, quo sensu.

aut hominis spiritualis acquiescit, sed mauult ignorare; viciſſim ignorabitur à Domino, auditurus illud cum reprobis, *Nescio vos*, id est, Dominus eum non agnoscet pro suo. Idque vult Augustinus epistola 102, & ex eo Primasius, cum *ignorabitur*, exponunt *improbabitur*. Dicit eodem loco Augustinus apostolum his *verbis coercere & ad pacificum ordinem reuocare inquietos, tanto ad seditionem faciliores, quanto sibi videbantur spiritu excellere, cùm superbiendo cuncta turbarent*. Ex hac scriptura sic intellecta, rectè docetur ignorantiam eorum quæ scire oportet, non solum esse causam peccatorum, verùm ipsam quoque in peccatum reputari: quatenus voluntaria sit directè aut indirectè. Quod & aliæ docent scripturæ, vt psal. 24, *Ignorantias meas ne memineris*: item psal. 70 & Ieremiæ 10, *Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt*. Igitur hæc Latinorum lectio grauiùs exaggerat peccatum ignorantis, quàm illa Græcorum: quamuis ea fortasse verior sit.

Ignorantia quædã & causa peccati est, & ipsa peccatum.

39 ITAQVE FRATRES, ÆMVLAMINI PROPHETARE. Doctrinam totius capitis concludit in summam. Disseruit enim de dono prophetiæ, & de dono linguarum, ea comparans inter se; & de ordinato eorum vsu. Hæc tria complectitur epilogo. *Æmulamini prophetare*, Græcè τὸ προφητεύειν, *ipsum prophetare*. Præceptum est ex hypothesi. Quoniam, inquit, æmulatores estis spirituum, id consequi studete quod magis ædificat, id est, donum & actum prophetandi potius quàm loqui linguis. Repetitio est exhortationis positæ initio capitis: *Æmulamini spiritualia, magis autem vt prophetetis.*

Epilogus doctrinæ huius capitis.

ET LOQVI LINGVIS NOLITE PROHIBERE. *Loqui*, τὸ λαλεῖν. De linguis tanquam de humiliori dono loquitur, non dicens *æmulamini*, sed *nolite prohibere*, id est, ne reijcite tanquam malum aut inutile. Habet enim & illud suam vtilitatem, modò quis in tempore vtatur. Hoc autem admonet, ne propter ea quæ ad depressionem linguarum dixit, existimet aliquis illud donum abijciendum.

40 OMNIA AVTEM HONESTE ET SECVNDVM ORDINEM FIANT. *Autẽ* abest in Græcis. *Honestè*, εὐσχημόνως, quod alij vertunt *decenter*. Ad honestatem & decẽtiam pertinet, ne mulieres in ecclesia loquantur. Id enim turpe est, vt antè dixit. Ad ordinem, ne quibus loqui licet, plures simul loquantur, sed singuli, alius post alium. In multis codicibus additur *in vobis*, sed in melioribus non legitur: vt nec in Græco & Syriaco, nec apud Ambr. At neque Pelagius, Primasius, Sedulius legisse videntur: tametsi facit ad complementum sententiæ. *In vobis*, id est, in publico vestro conuentu. Sequitur huius epistolæ tomus apud Theodoritum quartus, idémque vltimus.

Honestas & ordo seruandus in publicis ecclesiæ cõuẽtibus.

SVMMARIVM.

AB exemplo resurrectionis Christi, multis oculatis testibus, quorum ipse vnus, comprobata, fidẽ resurrectionis mortuorũ astruit; quam mox & alijs argumẽtis confirmat. Eiusdẽ ordinẽ, modum & formam tradit, corporũ resurgentium qualitates, ac gloriæ differentiam describens; postremò mortem prorsus abolendam concludit.

CAPVT XV.

1 NOTVM AVTEM VOBIS FACIO, FRATRES, EVANGELIVM QVOD PRÆDICAVI VOBIS. Erant apud Corinthios, qui etsi Christo nomen dedissent; humanæ tamen philosophiæ plus satis addicti, persuaderi non poterant id quod fides Christiana docet, mortuos aliquando resurrecturos esse. Hoc enim & philosophis illis Athenienſibus, de quibus Lucas Acto. 17, absurdũ & incredibile, dignũq; risu visum fuit. Vnde & de Paulo Christũ ipsis annunciante, dicebant: *Nouorum dæmoniorũ videtur annunciator esse: quia* nimirũ *eis Iesum & resurrectionẽ annunciabat*. Admonitus igitur ea de re Paulus, & mederi volens tanto malo (quantum enim malum sit resurrectionem mortuorũ non credere, ipse in progressu declarat) graui oratione de ea disserit hoc toto capite: multipliciter eam probans atq; confirmans, modũq; eius exponens. Ac primũ ne videatur nouam adferre doctrinam, statim in ipso exordio declarat ac profitetur, se non aliud, quàm illud ipsum euangelium quod eis ab initio prædicauerat, quodque illi se prædicante receperant, ad memoriam ipsis reuocare. Nam verbum Græcum γνωρίζω, *scire facio*, per ὑπομιμνήσκω, *reminiſci facio*, Græci interpretantur. *Prædicaui*, Græcè *euangelizaui*. Est autem euangelium doctrina de Christo saluatore hominibus annunciata. Ad quã pertinet in primis dogma resurrectionis mortuorum.

Mortuorũ resurrectio philosophis incredibilis habita.

Euangeliũ quid.

QVOD ET ACCEPISTIS, IN QVO ET STATIS. *Accepistis* seu recepistis credendo. *Statis* autẽ, id est, adhuc permanetis: tametsi non omnes. Nã qui dicebant, *quoniam resurrectio mortuorũ non est*, infrà ver. 12, ab euangelio sibi tradito & accepto magna parte iam deciderant.

2 PER QVOD ET SALVAMINI. Per quod receptũ & creditum etiã salutẽ consequimini. Dicit autem *saluamini*, in præsenti, quia salus Christianorum quã accipiunt per fidem euãgelij, incipit in hac vita, perficitur autẽ in futura. Quare & præteriti tẽporis verbo vtitur apostolus interdum, vt Eph. 2, *Gratia estis saluati per fidem*. & Tit. 3, *Secundum suã misericordiam saluos nos fecit*.

Salus Christianorum incipit in hac vita.

QVA RATIONE PRÆDICAVERIM VOBIS. Rursus hic græcè est, *euãgelizaui vobis*. Et illud *qua ratione*, τίνι λόγῳ, proquo Erasmus, *quo pacto*. Verti etiã potest, *quo sermone*: quẽadmodũ Hetenius & alij quidã verterũt. Nã & in textu

Ambro.

Ambro. *sermone* legitur, & in Syriaco *quibuſnã verbis*. Verſio noſtri interpretis hunc ſenſum poſtulare videtur: Per quod euãgelium ſaluamini, receptum à vobis & creditum iuxta eam rationem & eum intellectum quo illud vobis à me annunciatum eſt. Hoc additum putant propter eos qui reſurrectionem mortuorum credere quidem ſe fatebantur, ſed peruersè eam intelligebant: quales erant *Hymenæus & Philetus*, *dicentes reſurrectionem eſſe iam factam*, 2 Tim. 2. De altera verſione dicemus infrà.

Reſurrectio mortuorum à quibuſdã praueè intellecta.

SI TENETIS. Græcè κατέχετε, id eſt, *retinetis*, firmiter tenetis. ac ſi dicat, Si retinetis vſque in finem euangelium quod prædicaui vobis, eaque ratione qua prædicaui. Refertur autem ad verbum *ſaluamini*. Nam ſalutem nõ erant adepturi per euangelium ſuſceptum, ſi non illud ad finem vſque retinerent.

NISI FRVSTRA CREDIDISTIS. Id eſt, alioqui fruſtra credideritis. Nam niſi retineatis euangelium quod accepiſtis, non pertingetis ad ſalutem propter quã credidiſtis. *Qui* enim *perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*, Matth. 10. Hæc verborum apoſtoli conſtructio & expoſitio quam dedimus, accommoda eſt vulgatæ verſioni, ſecũdum quam legimus, *quaratione*. Quod ſi verò cum alijs interpretibus quos citaui, legamus, *quo ſermone*, (quæ acceptio Græcæ vocis vſitatior eſt apoſtolis) poterit hic locus, medijs quibuſdam parentheſi comprehẽſis, ad iſtum modum ordinari & exponi: Fratres, reddo vos memores; *euãgeliũ quod prædicaui vobis (quod & accepiſtis in quo & ſtatis, per quod & ſaluamini)* quo ſeu quali ſermone vobis prædicauerim, id eſt, quibus & quã magnis ac multis argumẽtis, quibuſq; teſtimonijs illud vobis prædicãs cõfirmauerim. Hæc enim ſermonẽ prædicãtis fortẽ reddunt ac irrefragabilẽ. Et videtur apoſtolus loqui de ſermone, quomodo de literis ad Gal. 6. dicẽs: *Videte qualibus literis ſcripſi vobis*, id eſt, cuiuſmodi epiſtola: quẽadmodum exponit eũ locum Hieronymus. Id verò quod ſequitur, *Si tenetis, niſi fruſtra credidiſtis*, tale eſt, ac ſi diceret: Ex hac mea rememoratione cognoſcere poteſtis, nũ adhuc teneatis id quod vobis prædicaui. Nã ſi nõ tenetis, *fruſtra credidiſtis*, hoc eſt, fruſtra facti eſtis Chriſtiani. Nam ſine fide reſurrectionis mortuorum, reliqua fides inanis eſt, & ad ſalutem inutilis. Quod infrà plenius declaratur.

Alia lectio huius loci probabilis.

Eiuſdem lectionis ſenſus.

3 TRADIDI ENIM VOBIS IN PRIMIS, QVOD ET ACCEPI. Repetit doctrinam quam Corinthijs tradiderat de mortuorũ reſurrectione. Et hinc intelligitur quo ſermone prædicauerit apud eos euangeliũ reſurrectionis; id eſt quantis argumẽtis ac teſtimonijs ſuum de reſurrectione ſermonẽ apud eos prędicãs inſtruxerit. *Tradidi vobis*, inquit, verbo prædicationis, etſi nõ ſcripto: quod ne nunc quidẽ facerem, ſi id quod verbo prędicaui, conſtãter retinuiſſetis. *Tradidi* verò *in primis*, Græcè ἐν πρώτοις, id eſt, inter prima ac præcipua euangelij mei capita: *quod & accepi*, ſcilicet à Chriſto Domino: quẽadmodum expreſſit ſuperius c. 11, de euchariſtiæ ſacramẽto locuturus: & quomodo generaliter de ſuo euãgelio dicit Gal. 1, *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.*

Traditio nõ ſcripta

QVONIAM CHRISTVS MORTVVS EST PRO PECCATIS NOSTRIS. Hoc, inquit, in primis tradidi vobis & docui, quod Chriſtus in lege & prophetis promiſſus, mortẽ, quæ peccati pœna eſt, ſuſtinuit, nõ propter ſua peccata, quæ nulla habuit; ſed propter noſtra, id eſt, ad redimẽdas pœnas peccatis noſtris debitas. Oſtẽdit hic locus, excepto Chriſto, nullũ hominẽ expertẽ eſſe peccati: quia pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. Et quoniã infantes propriæ actionis peccata non habent, conſequẽs eſt, eos naſci cum peccato originis.

Excepto Chriſto nemo peccati expers: ne infans quidem recens natus.

SECVNDVM SCRIPTVRAS. Intellige propheticas & reliquas veteris teſtamẽti. Nã alienè quidã huc aſſcribũt ex euãgelijs & epiſtola Petri priore teſtimonia. Referendũ eſt autem hoc, *ſecũdũ ſcripturas*, non ad ſolã Chriſti mortẽ, ſed ad totũ illud: *mortuus eſt pro peccatis noſtris*. De quo luculenta prophetia eſt apud Iſaiam toto ferè capite 53. Eandemque fidem nobis prænunciarunt ſacrificia legis.

4 ET QVIA SEPVLTVS EST. Sepulturæ meminit: vel vt doceat etiã ſepultos reſurrecturos: vel ideo potius, vt declaret veritatẽ mortis Chriſti, & ex ea veritatem reſurrectionis. Non enim ſepelitur niſi qui verè mortuus ſit. Pendet autẽ fides reſurrectionis à veritate mortis: quia reſurrectio nõ eſt, vbi mors non præceſſit. Hic non additur *ſecundum ſcripturas*: quia fides ſepulturæ Chriſti ſuppoſita morte, non habet difficultatem, nec ab infidelibus oppugnata fuit. Alioquin ex ſcripturis facilè eſt eam probare, vt Iſaiæ 11, ver. 10, & cap. 53. ver. 9, & Ionæ 2, ver. 1.

ET QVIA RESVRREXIT TERTIA DIE. Huius articuli ſtudioſè meminit, eo quod Chriſti reſurrectio fundamentũ ſit noſtræ reſurrectionis: vti poſtea docet: ideoque & ad hunc probandum mox adducit teſtimonia. *Reſurrexit*, Græcè ἐγήγερται, *excitatus eſt*, ſcilicet à morte. Similiter in ſequentibus. Quod tertia die reſurrexerit, ſecundum euangelia ſcrupulũ non habet. Sed illud quæri ſolet, quomodo cũ eo nõ pugnet ipſius prædictio Mar. 8, *quod oporteat filiũ hominis occidi, & poſt tres dies reſurgere*: ac rurſus Matth. 12, quod, *ſicuti Ionas in ventre ceti, ſic & filius hominis* futurus ſit *in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*. Verùm hæc per ſynecdochen eſſe dicta, nec aliter à Chriſti diſcipulis, & ab ipſis etiam aduerſarijs intellecta, quàm quod tertia die reſurrecturus eſſet, ex collatione diuerſorum locorũ facilè poteſt intelligi: nominatim Matth. 27. v. 63 & 64, & Luc. 24 v. 21.

Chriſti reſurrectio fundamẽtum noſtræ reſurrectionis.

Quæſtio de triduo mortis Chriſti.

Reſpõſio.

SECVNDVM SCRIPTVRAS. Hæc particula *ſecundũ ſcripturas*, etiã à patribus addita fuit in ſymbolo Cõſtãtinop. Additionis ratio manifeſta eſt: quia reſurrectio Chriſti, & cõſequẽter

Cur additũ, ſecundum ſcripturas.

reliquorũ mortuorũ, creditu perdifficilis est: vtpote sensui humano & philosophię naturali in speciem vehementer repugnans: adeò vt & inter ipsos fideles aduersus hunc articulũ iam tunc hæreses exorirentur; vel dicentium, *quoniam resurrectio mortuorum nõ est*, infrà ver. 12. vel eorum qui dicebãt *resurrectionem esse iam factam*, 2 Tim. 2. vbi & ipsum Timotheum admonet his verbis, *Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis, ex semine Dauid, secundum euangelium meum*. Quare ad hunc articulum resurrectionis Christi, ex qua resurrectio cæterorum dependet, bene stabiliendum, opus fuit allegatione scripturarum, cuiusmodi sunt Psal. 2 & 15. & Ionæ 2. quarum primam ad probationem Dominicæ resurrectionis adduxit Paulus Actor. 13. Secundam Petrus Acto. 2, nec non Paulus Acto. 13. Tertiam Christus ipse semel & iterum, vt Matthæi 12 & 16. Quamuis autem illud *secundum scripturas*, referri possit ad hoc totum, *resurrexit tertia die*. (nam tertia die se resurrecturum ostendit Christus in locis euangelij memoratis, ex figura Ionæ prophetæ, de quo iam dictum est) Quamuis insuper referri possit etiam ad particulam præcedẽtem, *sepultus est*; quam ex scripturis probari posse iam monstrauimus: Attamen videtur apostolus vel solum vel præcipuè propter ipsam resurrectionẽ hoc addidisse. Nã resurrectione Christi cõstituta; facilè constare potuit, etiam ex solis apostolorum testimonijs, quo die facta esset.

Scripturæ probantes resurrectionem Christi.

Quo referenda particula, secundum scripturas

5 ET QVIA VISVS EST CEPHÆ. Quoniam fides nostra fundata est in doctrina prophetarum & apostolorum; idcirco post scripturas prophetarũ dicit se etiã adduxisse pro suæ doctrinę cõfirmatione testimonia apostolorũ: vt qui fuissent oculati testes Dominicæ resurrectionis. Iã enim authoritatẽ apud fideles obtinuerãt apostoli, qui cũ Christo ante & post eius resurrectionẽ fuerãt conuersati. Notãdum autẽ hic à Paulo recẽseri Christi post resurrectionẽ apparitiones, nec omnes eas, nec solas, quas euangelistæ cõmemorant. Non omnes; quia non meminit earum quæ factæ sunt mulieribus; eo quod (vt plerique annotant) muliebre testimonium in re tam ardua parũ ponderis esset habiturum apud contradicẽtes, & ad credendum tardiores. Fortè etiam idcirco, ne facere videretur contra suum ipsius præceptum paulo antè datum de silentio mulierum in ecclesia; si earũ testimonia velut authentica referret in scriptum, publicè in ecclesia legendum. Sed nec illius meminit apparitionis quę facta est Cleophę & socio eius cũtibus in Emmaus. Non enim erant isti tantæ authoritatis, vt hic nominandi viderentur. Deinde nec solas illas recenset. Nam quod Iacobo, quodque ipsimet Paulo Christus apparuerit; in euangelijs omnino non legitur: Quòd quingentis fratribus, non est expressum. Primo autem loco dicit Christum visum esse Cephę, id est, Petro; vel quia Petri tanquam apostolorum principis prima erat authoritas; qui proinde primò nominandus erat: vel quia inter viros primus reuera fuerit Petrus, cui Christus à morte rediuiuus apparuit. Vtraque ratio legitur apud expositores tam Græcos, quàm Latinos. Et vtramque breuiter Oecumenius est complexus, dicens: *quod inter viros primùm apparuit Petro tanquam primario duci, venerandi discipulorum chori*. Nam quod primùm Petro, colligi potest ex eo quod Lucas cap. 24 narrat vndecim apostolos duobus discipulis ex Emmaus, vbi Dominum cognouerant, redeuntibus dixisse: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni:* tanquam dicerent, Nõ est incredibile quod narratis, Dominum à vobis visum & cognitum. Iam ante enim Simoni Petro visus est. Quod quidem verisimile est mane contigisse, post apparitionem mulieribus factam. Loquitur autem apostolus de apparitione quæ Petro singulariter facta fuit. Nam postea Petro simul cũ alijs frequẽter apparuit Dominus, vti constat ex euangelijs.

Antoritas apostolorũ apud fideles.

Apparitiones Christi resuscitati, quæ recensita à Paulo.

Muliebre testimoniũ põdus nõ habet.

Alia apparitio omissa.

Cur apparitionem Petro factã referat primo loco.

ET POST HOC VNDECIM. Græcè ἔπειτα τοῖς δώδεκα. *Deinde duodecim*. Consentit in numero Syra versio. Græcum articulum τοῖς expressit textus Ambros. qui habet *illis vndecim*; nec non Augustini citatio, quæst. 117 super Genesin, quæ habet, *illis duodecim*. Cæterum vtriusque lectionis Latinę meminit idem Augustinus l. 3 de consensu euangelistarum cap. vltimo: tametsi putat eam veriorem quæ habet *duodecim*. Id enim à nonnullis mutatum in *vndecim*, quod duodenario apostolorũ numero Iudas iam esset subtractus. Eiusdem lectionis ex Augustino mentionem faciunt post glossam ordinariam Lõbardus & Aquinas. Sed & Beda vtrumque locum Augustini in sua collectanea compegit. Laborant autem Græci cõmentatores in eo quod Paulus dicit *duodecim*: quum Iudas proditor ab illo numero iam defecisset, nec in eum cooptatus adhuc esset Matthias. Certè ipso resurrectionis die tantùm decem apostolis apparuit Dominus. Aberat enim Thomas, quo post octo dies præsente apparuit vndecim; vti patet ex Ioannis narratione, cap. 20. At de vtraque hac apparitione, aut saltem de posteriori præsens locus omnino intelligendus est. Adferunt ad hunc nodum soluendum Græci responsiones quasdã parũ probabiles; quas videre est apud Theophylactũ & Oecumeniũ. Vera respõsio est, quã ex Augustino Thomas explicat; maiorẽ numerum, eumq; cõsuetum & ordinariũ synechdochicè positũ esse pro minori non ordinario: velut si dicas decemviros aliquid statuisse, quum fortè vnus aut alter abfuisset à collegio. Recidit huc solutio Caietani dicentis duodecim non esse hic nomen numeri, sed ordinis apostolici, quem in numero duodenario Christus instituerat. Quam ob causam etiam Ioannes ita loquitur capit. 20, *Thomas vnus ex duodecim non erat cum eis*. Quod si legas, *vndecim*, quomodo legit etiam Hieronymus in epistola ad Fabiolam, mansione sexta; dicendum erit vndecim vocari,

Lectionis varietas in numero.

Quo sensu duodecim apostolis Christus apparuisse dicatur.

Vera responsio.

Quo sensu iudicatur vndecim apparuisse

cari, quod apostolorum tunc numerus in vndecim consistebat; etiamsi fortè contingeret aliquem abesse. Sic enim Marcus & Lucas scribunt, Christum ipso die quo resurrexit, vndecim discipulis apparuisse; quum vtiq; Thoma absente, decem tantum fuisse cõstet.

6 DEINDE VISVS EST PLVSQVAM QVINGENTIS FRATRIBVS SIMVL. *Simul*, Græcè ἐφάπαξ *semel*, sed eodem sensu. Fratres vocat fideles. Hæc apparitio vel prætermissa est ab euangelistis, vel potius eadem dicenda cũ illa quam Mattheus cap. 28 cõmemorat factam discipulis in monte Galilææ, *vbi constituerat illis Iesus*: vt illos fratres hic intelligamus, de quibus ibidem Dominus ait mulieribus: *Ite, nunciate fratribus meis vt eant in Galilæam. Ibi me videbunt*. Nam quod quidam intelligunt de ea qua discipulis apparuit in monte Oliueti, inde ascensurus in cælum: de qua Lucæ 24, & Act. 1. non solũ ex eo refellitur, quod duas adhuc posteriores apparitiones apostolus enumerat, ante ascensionem eius factas: verũ etiã quia tanto numero circa Hierosolymam congregari Christi fideles minimè fuissent ausi, propter metum Iudæorum. Eandem verò hanc esse apparitionem cum illa, quam in Galilæa factam scribit Matthæus, omnium ferè consensus est: idq; ea probabili ratione Caietanus ostendit, quod illa fuerit generalis ac solemnis apparitio, ab ipso Domino, quemadmodum euangelistæ testantur, ante passionem, & rursus ipso resurrectionis die promissa, Matth. 26 & 28, Marci 14 & 16. Videtur enim Christus locũ illũ ab Hierosolyma remotũ apparitioni suæ designasse, vt ad eum discipuli, seu fideles, quicumque vellent, liberè ac sine periculo congregarentur, Dominũ suum qui mortuus fuerat, viuentem conspecturi. Nec sanè dubitandum, quin inter hos quingẽtos fratres, præter vndecim apostolos, quorum expresè Matthæus meminit, etiam fuerint septuaginta discipuli, & in horum numero Matthias & Barsabas: de quibus Acto. 1 testatur Petrus, eos ex illis viris fuisse, qui cũ apostolis fuerant conuersati toto tempore quo Christus inter eos *intrauit & exiuit, à baptismate Ioannis vsque in diem qua assumptus fuit* in cælum: & proinde idoneos esse, qui vnà cum apostolis testes fiãt resurrectionis Dominicæ. Quanquam & si extra numerum septuaginta discipulorum fuissent: Petri tamẽ de his duobus narratio non sinit nos dubitare, quin & ipsi, inter tam multos alios, Christum post resurrectionem viderint. Hoc specialiter annotandum duxi, propter Græcos, qui de Matthia quæstionem mouentes nihil certi statuũt, an & quando Christus illi visus fuerit: magisq; verisimile putant, visum ab eo fuisse, postquam ascendit in cælum: quemadmodum & Paulo post ascensionem visus fuit. Quod profectò nulla necessitate, ac sine probabili ratione de Matthia dicitur. Admonet Chrysostomus, & post eũ Theophylactus & Oecumenius, quosdã aduerbium ἐπάνω, quod noster interpres dixit *plusquam*, interpretari *desuper*, è superiore loco, id est, cælitus: vt secundũ hos facta sit ista Christi apparitio post ascensionem eius in cælum, ipso desuper in sublimi conspicuum se tot fratribus exhibente: videlicet ad firmandam fidem suæ in cælum assumptionis. Siquidem & aliàs in scripturis ἐπάνω pro *supra* accipitur, vt Matth. 5, *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita*. & Lucæ 10, *Dedi vobis potestatem calcandi supra serpẽtes & scorpiones*. & Ioan. 3, *Qui desursum venit, supra omnes est*. & iterum, *Qui de cælo venit, supra omnes est*. Nec obstat huic acceptioni scrupulus quem mouet Erasmus de casu: quod nimirum ἐπάνω genitiuum postulet: vt patet in exemplis allatis: hic verò datiuus ei adiungatur, πεντακοσίοις ἀδελφοῖς. Non enim ἐπάνω præpositio est hoc loco, sed aduerbium: regiturque casus sequens à præcedenti verbo ὤφθη, visus est. Nam & alibi capitur aduerbialiter, vt Matth. 2, *Vsque dum veniens* (stella) *staret suprà, vbi erat puer*. Quare si quis huius loci sensum esse putet, Christum quingentis fratribus è loco sublimi visum fuisse; nempe quo facilius à tam multis conspiceretur: nihil sentiet improbabile; modò locum sublimem intelligat aëreum; & de tempore loquatur, quod ascensionem Domini præcessit. Nam qui referunt ad Christum iam in cælos sublatum, velut illi quorum opinionem Græcis narrantibus audiuimus: rem certè dicunt parum consonam ijs quæ Lucas memorat gesta circa Domini ascensionem Acto. 1. Deinde nec ordinem seruant apparitionum, quas Paulus enumerat: quum duæ sequentes, altera quando Iacobo visus est Dominus; altera quando apostolis omnibus; ante eius ascensionem contigerint. Verũtamẽ arbitror retinendam potius esse communem omnium pẽnè Græcorũ & Latinorum interpretationẽ, quã & Syriacus textus exhibet: vt aduerbium ἐπάνω numerum respiciat, non locum: ac si dicat apostolus, *supra quàm quingentis fratribus*, vti vertit Faber, id est, amplius quingẽtis; quẽadmodum & alibi sumitur, vt Marci 14, *Poterat vnguentum istud venundari plusquam trecentis denarijs*; & apud LXX sæpissimè, vt passim in Numeris, *à viginti annis & supra*. Porrò cum tam multis post suã resurrectionẽ Christus Dominus apparuerit; illud notãdum est, de nullo eorum auditum aliquando, quod postea defecerit à fide Christi, dicẽs sibi cæteriscq; vana & phãtastica apparitione fuisse illusum, vt esse videretur qui non erat. Nec verò, si qui illorum defecissent, Paulus eos integro numero testes huc adduceret. Quod profectò magnum est argumentum veræ & indubitatæ resurrectionis Christi.

Quando & vbi Christus visus quingẽtis fratribus.

Generalis ac solennis apparitio Christi in mõte Galilææ.

Inter quingentos fratres qui comprehensi.

Matthiæ Christus quando visus.

Quarundã opinio de Christo quingẽtis fratribus viso post assensionem.

Expenditur significatio vocis ἐπάνω.

Nota sensum non improbãdum.

Sensus verior.

De ijs quibus Christus apparuit, res notanda.

EX QVIBVS MVLTI MANENT VSQVE ADHVC. *Multi*, Græcè *plures*. Quorũ, inquit, maior pars adhuc supereſt, vt ab illis peti possit testimoniũ. Alij cõparatiuum per positiuũ exponunt, *plures*, id est multi, complures. Verùm pars sequens indicat cõparatiuè dictum esse.

QVIDAM AVTEM DORMIERVNT. Græcè: *Quidam autem & dormierunt*. Ac si dicat: Etsi quidam eorum dormierunt, vt iam testes audiri nequeant; alij tamen plures adhuc in viuis sunt, vt interrogari possint. Sed & qui dormierũt, in hoc testimonio ad finem vsque perseuerarunt. *Dormierunt*, id est, *obdormierunt*, quomodo vertunt alij hoc loco: & ipse noster interpres Acto. 7, *Et cùm hoc dixisset* (Stephanus) *obdormiuit*. Non enim significatur somnus præteritus, sed præsens. Similis in scripturis vsus est verbi *sederunt* pro consederunt: vt & de ijs dicatur qui adhuc sedent, velut Matth. 23, *Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi*. Marci 16 de Christo, *Sedit à dextris Dei*, iuxta codices emendatiores. Itaque sensus apostoli est: Mortui sunt, iamque dormiunt in spe resurrectionis. Sic autem loquitur, vt ipso vocabulo, resurrectionis fidem confirmet. Neque enim mors bestiarum, sed hominum in sacris literis somnus appellatur. De eo diximus ad caput 7 huius epistolę v. 39.

Dormierunt pro obdormierunt.

Mors hominũ somnus appellatur in scriptura.

DEINDE VISVS EST IACOBO. Sunt qui Iacobum hunc faciant socium Cleophæ, de quo Lucæ 24, sed nulla fulti ratione; & præter ordinẽ temporis in recẽsendis apparitionibus cęteroquin à Paulo seruatum. Nam Cleophę, eiusque socio prius apparuit Dominus, quam fratribus illis quingentis: imò & prius quàm apostolorum collegio. Deinde cur ex duobus, quibus simul apparuit, alterum solum nominaret apostolus? Porrò doctorum omnium sententia est, eademque verissima, Paulum loqui de Iacobo fratre Domini, primo Hierosolymorum episcopo, qui cognominatus est iustus, & cuius apud fideles, præsertim Iudæos, erat permagna authoritas. Quæ causa est, cur apparitionem illi factam, Paulus non putauerit prætermittendam. Erat enim testis omni exceptione maior. At verò consequens ex hoc loco non est (quod nonnulli consequens esse volunt) Iacobum fratrem Domini non fuisse ex apostolorum numero, de quibus iam dictũ est: *Et post hoc vndecim* siue *duodecim*: nihilo magis quàm si inde colligas Petrum ex eo numero non fuisse: quoniam & de illo seorsum ait; *Visus est Cephæ*. Tantùm ergo significare voluit, Christum his duobus, Petro & Iacobo singulariter, hoc est, vtrique soli visum fuisse. Cęterùm pleniorem refutationem eorum qui Iacobum hunc expungunt è catalogo duodecim apostolorum, diuersum facientes ab vtroque Iacobo apostolo; reijcimus in alium locũ opportuniorem, qui est Gal. 1. Illud hoc loco quærendum, quando contigerit ista apparitio Iacobo facta. Est cui videatur probabile, contigisse post ascensionẽ Domini. Sed rationem non adfert: &, si ita sit, vltimo loco ponenda erat cum ea qua Paulo visus fuit. Extat apud Hieronymum in catalogo scriptorum ecclesiasticorum de Iacobo *post resurrectionem Saluatoris* huiusmodi narratio, ex euangelio secundum Hebræos, quod & Nazaræorum vocatur, deprompta: *Dominus autem cùm dedisset sindonem seruo sacerdotis, iuit ad Iacobum & apparuit ei. Iurauerat enim Iacobus se non comesturum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis. Rursusq; post paululum: Afferte, ait Dominus, mensam & panem. Statimq; additur: Tulit panem & benedixit ac fregit, & dedit Iacobo Iusto, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum: quia resurrexit filius hominis à dormientibus.* Hæc apud Hieronymum: quæ eadem ex illo referũt Sedulius & Heruæus; memineruũt etiam Haimo, Thomas, Liranus & alij. Quæ si vera sunt; dicendum erit Dominum apparuisse Iacobo statim à resurrectione, saltem ipso die quo resurrexit; non autem demum post alias iam memoratas apparitiones: quarum postrema longè post diem resurrectionis contigit: maximè quod inedia Iacobi, de qua Hieronymus, non debuerit, nec verò naturaliter potuerit extendi vltra tempus prædictarum apparitionum. Verùm istam de Iacobo narrationem vt fabulosam & fidei sacrorum euangeliorum contrariam, reijcit Ioannes Hesselius in explicatione resurrectionis Dominicæ: nec id immeritò, quantum arbitror. Pugnat enim cum eo quod hoc loco scribit apostolus, Dominũ Iacobo visum, posteaquam visus est quingentis fratribus. Nec est quod dicas, illud (*deinde*) non ordinem temporis significare, sed narrationis. Nam temporis ordinem hic ab apostolo seruari, vel ex eo satis apparet, quod Dominum sibi omnium nouissimè visum fuisse referat: vtiq; iuxta seriem temporis. Alij vt Paulum cum euangelio Nazaræorum concilient, fingunt duas apparitiones Iacobo factas. Sed ineptè. Quorsum enim Paulus omissa priore tantum commemoraret posteriorem: ac non potius vtramque? Deinde refellitur illa narratio: quia clarum est ex euangelijs, omnes apostolos in Christi passione & morte fuisse scandalizatos; nec quicquã sibi promisisse de eius resurrectione post triduum futura. Propter quod Augustinus in enarratione psalmi 74 ad illud, *Liquefacta est terra*, &c. non dubitauit affirmare, quod *in passione Domini, omnes apostoli desperauerunt*. Vnde & ad credendam eius resurrectionem sibi nũnciatam tardi difficilesque fuere. Nam & qui primi erant inter illos, Petrus & Ioannes, ipso Ioanne teste cap. 20, *nondum sciebant scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere*. Atqui iuramentum illud Iacobi certò fuisse persuasum arguit de Christo paulò post resurrecturo. Iam si Christus resurgens, vt habet narratio, sindonem secum abstulit, & dedit seruo sacerdotis: quomodo verum est secundum Ioannem cap. 20, & Lucam cap. 24, resurgente Domino linteamina relicta fuisse in sepulcro: videlicet in argumentum resurrectionis? Nam lintea cum sindone, cui inuolutum fuit corpus Domini mortuum, euangelistis eadem esse, (excepto fortè sudario capitis integumento, de quo Ioannes ibidem: & institis seu fascijs, quibus manus & pedes mortuorum ligari solent, vt

7

Opinio de Iacobo socio Cleophæ refellitur.

De Iacobo fratre Domini loquitur Paulus.

Cur apparitionem ei factam referat.

Iacobus frater Domini apostolus.

Quando Iacobo Christus apparuerit.

De Iacobo narratio ex euangelio Nazaræorũ.

Refellitur ea narratio vt fabulosa.

Aliud cõmentum.

Iacobus in Christi morte scãdalizatus cũ cæteris.

Nota.

Quod narratum de sindone refutatur

de Lazaro refertur Ioan. 11, quæ cuncta generali nomine linteaminum comprehendi poterant) ex historia sepulturæ Dominicæ satis euidenter apparet: in qua Ioannes lintea vocat, quam tres cæteri sindonem. Denique nulla est authoritas illius euangelij, quod constat apocryphum esse, & propter quædam etiam alia ab euangelijs dissona fidem non mereri; licet eo Hieronymus interdum vtatur, vbi commodum est. Igitur ea narratione repudiata, quam nec ipse Hieronymus approbare se declarat; teneamus hanc apparitionem, de qua Paulus, Iacobo factam fuisse multis diebus post Domini resurrectionem; eo scilicet ordine temporis quo facta recensetur à Paulo. Quod & Aquinas sentit, eodem argumento à ratione temporis sumpto, suspectam reddens illam de voto Iacobi fabulam. Annotauit hoc ipsum etiam Lorinus scribens in Acta apost. 1 v. 13.

Euangelium Nazarænorum apocryphũ

Vera sententia.

DEINDE APOSTOLIS OMNIBVS. Non dicit vndecim, aut duodecim, sicut suprà: sed omnibus apostolis. Quo nomine etiam alios quosdam extra duodecim illos scriptura subinde comprehendit. Chrysostomus & Theophylactus ad LXX discipulos extendũt: quod & Caietano placet. Eadem ferè sententia est Hieronymi scribentis ad Fabiolam mansione sexta. Differens enim de LXX Christi discipulis per LXX palmas significatis, ita subiungit: *De quibus & Paulus refert, quod apparuerit Dominus primùm vndecim, deinde apostolis omnibus: alios volens intelligi primos, & alios secundos Christi discipulos.* Sic ille, subindicans solos LXX discipulos hoc loco significatos esse: cũ verius sit, quod alij sentiunt, hic etiam primi ordinis apostolos comprehendi. Est autem sermo, non de manifestatione facta in monte Galilææ; vti sentit Ambr. commentator, nam de ea tertio loco dictum est: sed de postrema, quæ facta fuit ipso die Dominicæ assc̃ẽsionis, siue Hierosolymis, siue in mõte Oliueti. Quæ duæ pro vna supputantur propter continuatione: quia sicut ait Lucas; *Eduxit eos foras in Bethaniam*. id est, ex Hierosolymis ad montem Oliueti: in cuius latere Bethania sita erat. Multos autem illic adfuisse præter vndecim apostolos, satis colligitur ex historia Actor. 1. Quod verò Oecumenius extra duodecim apostolos, Thaddæum nominat; quum à Matthæo cap. 10, & Marco cap. 3, Thaddæus inter duodecim recẽseatur; idem nempe quem Lucas euangelij cap. 6 & Acto. 1 Iudam Iacobi vocat: id ne quem moueat, sciendum est Oecumenium in ea re sequi Græcos quosdam authores, qui præter Thaddæum apostolum iam dictum, commemorant & alterum eiusdem nominis, è LXX discipulis vnum: quem ferunt ad Abagarum regem missum, vt Christi fidem ei annunciaret. Vnde & in Græcorũ menologio duo Thaddæi collocati sunt; apostolus quidem ille ad diem 19 Iunij, sub nomine Iudæ apostoli fratris Domini: discipulus autem ad 21 Augusti, sub nomine Thaddæi apostoli: Sed hæc Græcorũ de duobus Thaddæis opinio, à quibusdam etiam Latinis recepta, num veritate subnixa sit, non est huius loci disquirere. Vide quæ ad eam rem sedulò collegit Lorinus super Acta cap. 1 v. 13.

Apostolorum nomẽ ad alios multos extẽsum.

Hæc apparitio quãdo cõtigerit.

Græcorũ opinio de duobus Thaddæis.

8 NOVISSIME AVTEM OMNIVM TANQVAM ABORTIVO VISVS EST ET MIHI. *Omnium* vel apostolorũ, vel potius vniuersè eorũ quibus visus est. Nam præter apostolos etiam alijs visum, iam antè memorauit. Cur autem dicat *tanquam abortiuo*, (Gnosticorum omisso commento, quod refert Irenæus l. 1, capit. 1.) ratio quærenda est. Et quidem à multis hæc ratio redditur: quia sicuti fœtus abortiuus extra tempus nascitur, ita Paulus extra tempus aliorum apostolorum Christo renatus est. Nã illi renati ante Spiritus-sancti aduentum, iste pòst. Atqui id non est renasci extra tempus: nisi fateamur omnes fideles quicumque post aduẽtum Spiritus-sancti Christo renati sunt, extra tempus esse renatos; & per hoc abortiuos censeri: quod nemo dixerit. Quin etsi rationem hanc ad apostolos restringas, constare non poterit: nisi & Barnabam abortiuum agnoscamus; quod non credimus esse ex sententia Pauli. Certè natũ esse post alios patre iam ex humanis sublato, non abortiuum facit, sed posthumum. De quo locum hunc parum appositè quidam interpretantur. Nam Græcum ἔκτρωμα posthumum nullo modo significat. Ab alijs hæc adfertur ratio: quia sicut abortiuum violentè educitur, ita Paulus vi forinsecus adhibita compulsus est ad Christum venire, eique renasci: quemadmodum docet historia conuersionis eius, Acto. 9. Verùm nec ista ratio congruit. Nam siue violentè eijciatur fœtus, siue, quod sæpè fit, ex aliqua causa sponte prorumpat, ordinarium nascendi tempus præueniens; vt immaturi fructus arborum aliquando sponte decidunt; abortiuus vocatur, velut ad ortum intempestiuus, ideoque imperfectus. Quare potius hac imperfecti ratione putandus est Paulus abortiuum se vocare, tanquam apostolum cæteris imperfectiorem atque minorem, nec cum illis conferendum, adeoque & apostoli nomine indignum. Hanc enim rationem ipsemet allegat verbis consequentibus: eandemque Græci tractatores attendunt: & Aquinas post duas priores adfert tertio loco, sic vt alijs præferre videatur. Hoc autem apostolus Paulus humiliter de se scribit; nec minus tamen veraciter, vt infrà docebimus. Nõ hic præteribo opinionem, quam tradunt recentiores quidam, vt Cardinalis Baronius ad annũ Domini 44, & Lorinus super Actus apost. cap. 9, v. 3 nempe Paulum inter apostolos abortiuum se vocare, quia supernumerarius erat, id est, extra numerum duodenarium ad apostolatum assciscitus vnà cum Barnaba; quemadmodum legitur Actor. 13. Nam vt refert Suetonius in Octauio cap. 35, senatores illi vulgo vocabantur apud Romanos abortiui, qui supra iustum numerum per gratiam & præmium in sena-

Christus nouissimè visus Paulo.

Cur Paulus abortiuo se cõparet, opiniones.

Prima opinio refellitur.

Alia opinio, quæ & refellitur.

Vera ratio cur abortiuum se vocet.

Alia quædam ratio expẽditur

Improbatur.

tum allegebantur, alioquin indigni. Verùm ingenuè fateor hanc rationem mihi non posse probari: tum quod verisimile nō sit Paulum, qui Græcè scripsit, nec adhuc Romam viderat, vsum Romani vocabuli tam rarum ac remotum præoculis habuisse: tum, quia non respicit hoc loco ad determinatum numerum apostolorum, sed generatim ad eos de quibus dixerat, *deinde apostolis omnibus*. Nec verò Barnabam vnà secum putaret conferendum cum senatoribus indignis, &, quod deterius est, dignitatem per ambitum consecutis. Iam quod ad hanc apparitionem Dominicā Paulo factam attinet (quæ sine dubio post ascensionem Domini contigit) illud etiam indubitatè tenendum est, talem fuisse qua Christus semetipsum corporaliter atque oculis corporeis videndum Paulo ostenderet: ad quem modū & alijs omnibus suprà memoratis visus est. Nā nisi talis visio fuisset etiā hæc de qua nunc Paulus loquitur; quomodo se perinde vt cæteros, testem adduceret oculatū ad probandam veritatē resurrectionis Christi: Quocirca reijciendum omnino quod scribit Ansbertus Ambrosius, & ex eo verbatim refert Haimo l. 1 commentariorum in Apocalypsin, exponens illud capitis 1, *Mittens per angelum suum seruo suo Ioanni*. nempe, *Credi posse quod B. Paulo apostolo Dominus post suam ascensionem non in sua natura apparuerit, sed potius per angelum in ea forma, in qua recognosci ab hominibus solet.* Deinde prosequitur Haimo vel suis vel Ansberti verbis: *Quod hinc etiam probari potest: quia si B. Paulus nuper conuersus, in sua eum substātia vidisset, consequens esset vt præomnibus dilecto discipulo, sibiq; ab adolescentia dicato, non per angelum, sed per semetipsum appareret.* Hoc, inquam, recipiendum non est. Nam visio corporis ab angelo formati & assumpti, quod Christi hominis speciem repræsentaret, haudquaquam Paulo sufficeret ad ferēdum oculare testimonium resurrectionis eius, quò post alios testes adhibitos qui Dominum viderant, ipse etiam dicere posset, *Visus est & mihi*. Neque si tale corpus apostolorum oculis oblatum fuisset, idcirco credidissent eum resurrexisse: quod satis ex euangelica patet historia. Quanto minus id credidissent ex apostolorum testimonio cęteri homines, si scirent illos non aliud vidisse? Nec valet argumentum de Ioanne: vt qui Christum ipsum post eius resurrectionem vnà cum Petro, cæterisq; apostolis viderit sæpenumero. Quanquam & huiusmodi beneficia non semper exhibentur melioribus, magisve dilectis; sed prout expedit, ac plurimum ob rationes nobis occultas, solique Deo cognitas. Certè congruens erat, ac quodammodo necessarium, vt Paulus portaturus Christi *nomen coram gentibus & regibus, & filijs Israel*, Act. 9, plusq; omnibus laboraturus, infrà versu 10; similiter vt cæteri apostoli, quibus dictum erat, *Eritis mihi testes*, Act. 1. Christum Dominum à morte rediuntem facie ad faciem videret. Vnde cum illis sese conferens suprà cap. 9, dixit, *Non sum apostolus? Nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi?* Sed quando & vbi viderit, quæritur. Id enim ibi reijciebamus ad hunc locum. Et quidem Caietanus id nescīri putat. *Nam*, inquit, *in Actis apostolorum quamuis narretur Iesum allocutum fuisse Paulum & auditum à Paulo: nusquam tamen narratur Iesus visus à Paulo; sed potius oppositum significatur, narrando quod lux tanta Paulum inuāserit, vt eum priuauerit actu videndi.* Ita Caietanus hoc loco. Sed manifestè fallitur, haud memor eius quod priùs alibi scripserat, vt in commentarijs super summam Theologicam S. Thomę, 3 quæst. 57 ar. 6 ad 3, vbi cum suo doctore planè contrarium affirmat, non sine graui reprehensione eorum qui in dubium reuocant, an tunc quādo Paulo dictum est à Domino, *Quid me persequeris?* Acto. 9, Dominus ei corporaliter visus fuerit. Quos meritò sanè reprehēdit. Nam Paulum illo tempore suæ cōuersionis, quum iret Damascum, non tantum audiuisse Dominum sibi loquentem, sed etiam vidisse, ex subsequenti narratione clarum est. Dicit enim ad eum Ananias: *Dominus misit me Iesus qui apparuit* (Græcè ὁ ὀφθεὶς *qui visus est*) *tibi in via*. Et cap. 22, *Deus præordinauit te vt videres Iustum, & audires vocem ex ore eius*. Rursum capit. 9 Barnabas de eo narrat apostolis, *quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei*. Sed & Dominus ad Saulum prostratum, ipso referente cap. 26, sic ait: *Ad hoc enim apparui* (Græcè ὤφθην, *visus sum*) *tibi, vt constituam te ministrum & testem eorum quæ vidisti*. Moxq; ibidem Paulus ad Agrippam, *Non fui*, inquit, *incredulus cœlesti visioni*. Satis igitur constat de eadem illa visione Paulum hic loqui. Quod etsi Græci tractatores silentio prætermiserint, à Latinis tamen Primasio, Haimone, Lirano & alijs Pauli interpretibus expressum fuit. Quod & Tertullianus asserit in libro aduersus Praxeam cap. 15. Nec his obstat argumentum Caietani de cæcitate Pauli. Nam prius Dominum vidit, mox autem præ vehementia lucis quæ eum circumfulserat, offusa est oculis eius caligo, vt videre non posset: vti contingit ijs qui directis oculis solē intuentur. Nam & solis splendorem illa lux superabat, Act. 26. Videtur autem hoc ordine & modo res contigisse: Saulus visa tanta luce statim in terram cadens oculos clausit, vt solent homines ad ingentia fulgurā. Sed simulatque vocem audiuit dicentis sibi, *Saule, Saule, quid me persequeris?* ad loquentem conuersus oculos aperuit, & Dominum vidit in maxima illa luminis claritate; qua perstrictos & offensos oculos iterum clausit, & clausos tenuit vsq; dum sermo Domini secum loquētis finiretur. Tum surgens apertis oculis nihil vidit. Durauitque ea cæcitas per triduum. Itaque Caietani argumentum bene concludit visionem istam non fuisse factam (vt quidam opinati sunt) intra triduum illud, quo, visu priuatus oculorum, erat intentus orationi. Quod verò multi præ-

ter

Paulus Christum verè corporaliter vidit.

Ansberti opinio reijcitur.

Cur necesse fuerit Christū Paulo apparere.

Quando & vbi Paulus Christum viderit.

Caietanus sui immemor

Paulus Christum vidit in via Damasci.

Obiectio de cæcitate Pauli diluitur.

Ordo, meduſq; rei gestæ.

Apparitio non fuit facta Paulo in triduo orationis.

Item alia opiniones refelluntur.

ter visionem quæ in via Damascena contigit, etiam mentionem huc ingerunt illius visionis, quam Paulus sibi Hierosolymam reuerso & in templo oranti, narrat oblatam fuisse, Acto. 22, tanquam illuc fortasse respiciat hoc loco; satis id refellitur ex eo quòd, ipso Paulo teste, ecstatica fuerit illa visio, siue, vt interpres noster vertit, *in stupore mentis* facta. Iam autem ostendimus visionem corporalem hic intelligi debere. Sed neque ad raptum in tertium cælum, atque in paradisum, de quo scribit 2 Cor. 12, referenda est hæc visio. Nam etsi etiam in illo raptu visionem quandam fuisse non sit negandum (sic enim ait: *Veniam autem ad visiones & reuelationes Domini*, id est, mihi à Domino factas:) non tamen ibi scribit se Dominum vidisse. Et vt vidisset, nescire tamen se dicit, vtrùm in corpore, an extra corpus ipsi raptus ille & visio contigerit: & vt in corpore contigerit, quod est probabilius; ecstaticam tamen fuisse, mēte videlicet à sensibus corporeis abstracta, cōuenit inter Theologos. Nec, si per sensum oculorum facta fuisset ea visio, Paulus id nescire potuisset. Hic verò certum perhibet testimonium, se corporaliter, vt alios apostolos, Christum vidisse. Colligit ex hac apparitione S. Thomas loco superius citato, Christum post assensionem in cælum, aliquando corporaliter ad terram descendisse. Quippe verisimile non est, Christi vocem qua Paulum allocutus est, è cælo empyreo demissam fuisse vsque ad terram. Quamuis enim potuerit Christus se conspiciendum præbere Paulo, & audiendum è supremo cælo; sicut Stephano conspiciendum se præbuit: (scribit enim de eo Lucas Acto. 7, quod *intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei: & ait, Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.*) contextus tamen & series historiæ apostolicæ Act. 9, prorsus intelligi vult, è propinquo rem gestam esse: quemadmodum bene declarat Lorinus in eius loci commentario: præsertim quum non dicatur, nec ibi, nec alibi, sicut de Stephano, Paulum vidisse cælos apertos, & Iesum stantem à dextris Dei, aut aliquid tale, ex quo colligi posset quod eum viderit & audierit è summo cælo loquentem. Habet etiam vetus traditio, Christum Petro corporaliter apparuisse, quando Roma fugiēti obuium se dedit, & quónam iret, interrogatus, respondit; *Eo Romam iterum crucifigi.* Cuius rei meminerunt Hegesippus iunior l. 3 excidij Hierosolymitani cap. 2, & Ambrosius oratione in Auxentium inuectiua, nec non Gregorius, seu quisquis author, in expositione psalmi quinti pœnitentialis. Sed hæc & si qua sunt his similia, quomodo facta sint, vtrúmne per descensum Christi motumque localem è cælo in terram, ita vt tantisper in cælo esse desineret; quod sentit, nec absurdum putat Aquinas: an verò sic vt in cælo manens nec inde recedēs, simul etiam in terra se præsentem localiter exhiberet: quod multis videtur non impossibile: id, inquam, disquirere, prolixioris operæ est, nec loci præsentis. Egimus ea de re pridem in oratione quadam publicè recitata.

Paulus in raptu an Dominū viderit.

An Christus post assēsionē in cælum descenderit aliquando in terram.

Christus Paulo visus è propinquo.

Christus Petro visus in porta Romana.

Opinio S. Thomæ.

Aliorum opinio.

9 EGO ENIM SVM MINIMVS APOSTOLORVM. Declarat qua ratione se dixerit abortiuum: simulque gloriam apparitionis Dominicæ sibi factæ, humilitate comprimit, dicens se esse minimum apostolorum: eo nimirum sensu quo Eph. 3 se vocat minimum *omnium sanctorum*, id est, Christianorum. Respicit enim ad statum vitæ suæ præteritæ, quādo persecutus fuit ecclesiam Dei. Si considerentur, inquit, merita vitæ meæ precedentia vocationem meam ad apostolatum: talia sunt vt causam habeam nemini apostolorum me præferendi, sed omnibus postponendi. Vbi nomine apostolorum Chrysostomus etiam LXX discipulos, vti paulò ante, vult cōprehendi. Quæ res ad maiorem facit humilitatis Paulinæ cōmendationem.

Paulus minimū apostolorū se dicit, & quo sensu.

QVI NON SVM DIGNVS VOCARI APOSTOLVS. *Dignus*, Græcè ἱκανὸς, idoneus, quomodo vertunt Erasmus & alij quidam. Sed apostolus vsus est Græca voce pro digno: quēadmodum & euangelistæ Matthæus capit. 3, Marcus 1, & Lucas 3, referentes verba Ioannis de Christo, *Cuius non sum* ἱκανὸς *dignus soluere corrigiam calceamentorum.* Pro quo Ioannis 1, & Acto. 13 legitur ἄξιος, quod propriè dignū significat. Ita rursum Matth. 8, & Lucæ 7, *Domine non sum* ἱκανὸς *dignus, vt intres sub tectum meum.* Quanquam vtrumuis hoc loco legatur (nam & Augustinus legit *idoneus*, locis à Beda collectis) sensus eodem recidit. Non solum, inquit, sum minimus apostolorum, sed nec idoneus sum ad apostolatum, & proinde nec dignus eo munere ac nomine; siquidem merita vitæ meæ prioris spectentur. Nam sequitur:

Quo sensu Paulus haud dignus apostolatu.

QVONIAM PERSECVTVS SVM ECCLESIAM DEI. *Quoniam*, Græcè ὅτι, *propterea quod*. En manifestam rationem indignitatis, etiam præ cæteris apostolis. *Eo quod*, inquit, *persecutus fuerim* (& quidem supra modum Gal. 1, & *vsque ad mortem*, Acto. 22) *ecclesiam Dei*, id est, fideles Christi, *viros ac mulieres*, Acto. 9 & 22, qui sunt ecclesiæ Dei mēbra. Hoc autem aliorum apostolorum nemo fecisse legitur. Laudanda Pauli humilitas, apertè confitentis tam grande peccatum vitæ præteritæ, quo commendatiorem reddat gratiam à Deo sibi impensam. Quod & alibi facit; vt Gal. 1, vers. 13, & 1 Tim. 1 vers. 13.

10 GRATIA AVTEM DEI SVM ID QVOD SVM. *Autem* pro *sed* aduersante particula posuit, *Sed gratia Dei sum id quod sum*. Sensus: Quod sum apostolus, & quidem idoneus, eoque nomine non indignus; id totum acceptū refero gratiæ, id est, gratuitę beneficentię Dei. B. Ambrosius lib. 1 de Abel & Cain cap. 7, generaliter accepit hanc sententiam de omni bono quod in Paulo erat: *Bene*, inquit, *apostolus non gloriabatur in virtute sua, sed minimum*

Insignis gratiæ Dei commendatio.

apostolorum se esse dicebat; & quicquid esset, gratia diuinæ esse, non meriti sui: nihilq; nos habere quod non acceperimus. Sic ille.

ET GRATIA EIVS IN ME, VACVA NON FVIT. Illud *in me* cohæret ei quod præcedit. Nam Græca sic habent: *Et gratia eius quæ in me*, siue *ad me, non inanis fuit*, aut *facta est*. Ac sensus est, Gratia eius in me collata (reddit Erasmus, *in me profecta*) hoc est, gratia apostolatus, seu muneris apostolici, ad quod me vocauit, & cùi me aptauit, dignumque reddidit, non fuit inanis. Tantum beneficium nõ sum passus apud me residere ociosum ac inutile. Obseruanda est hic diuersa gratiæ Dei acceptio. Nam in parte præcedenti gratiam Dei dixit gratuitam eius beneficentiam seu beneficam operationem: quemadmodum & infrà cùm ait, *Non ego, sed gratia Dei mecum*. Hic autem illius gratiæ significat quendam in se effectum, id est, gratiam functionis apostolicę bene & cum fructu exercẽdæ. De qua Eph. 3, *Mihi*, inquit, *omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus euangelizare*, &c.

Gratia apostolatus in Paulo non vacua

Duplex gratiæ acceptio hoc loco.

SED ABVNDANTIVS ILLIS OMNIBVS LABORAVI. Scilicet in ea gratia muneris apostolici. Dicens *illis omnibus* respicit ad apostolos generaliter acceptos, vti suprà semel & iterum. Neque tamen sensus est, abundantius seu copiosius quàm omnes illi simul, sed, quã singuli, id est, vnusquisq; illorum. Igitur plus illis omnibus laborauit, quia nullus illorũ tot loca percurrit, totque ac tantas tulit aduersitates ac molestias euangelij causa, atque Paulus. De quo specialiter prædixerat Dominus ad Ananiam: *Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati*, Acto. 9. Nam & illius libri magna portio consumitur in vnius Pauli laboribus commemorandis, etsi quibusdam hac epistola posterioribus: vbi tamen non omnes commemorati sunt, sed multi prætermissi: quod palam est ex eius epistola ad Corinthios 2 cap. 11, quo in loco breuem texit catalogum laborum & afflictionum suarum pro Christo. Pertinet eodem, quod non multo post hanc epistolam, scripsit Rom. 15, sese *ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuisse euangelium Christi*. Porrò locum hunc ita quidam accepisse videntur, quasi charitatis ac meritorum ratione Paulus sese cæteris anteponat. Sic enim de eo loquitur Ambrosius lib. de Noe & arca cap. 8, *Quoniam plus ei dimissum est; plus cepit diligere, abundantius cæteris apostolis laborare*. Et Hieronymus in epistola 13, quæ est ad Paulinum: *Paulus nouissimus in ordine, primus in meritis est: quia extremus licet, plus omnibus laborauit*. Verùm Paulus labores comparat, non merita: sciens merita non semper æstimari secundum labores. Et tamen hoc ipsum, quod se plus omnibus laborasse dicit; non arroganter dicit, sed ad stabiliendam sui testimonij authoritatem vtiliter ac necessariò: prius quoque suam ipsius indignitatem, simul & Dei gratiam professus; moxque eandem gratiæ professionem repeti-

Paulus plus omnibus apostolis laborauit, & quo sensu.

Lucas in Actis multa de Paulo prætermisit.

An Paulus meritorum ratione se cæteris anteponat.

Paulus labores cõparat, non merita.

turus. De qua sic Augustinus in enarratione psalmi 130, *Paulus apostolus*, inquit, *ex persecutore factus prædicator, abundantiorem gratiam consecutus est in omni labore apostolico, quàm cæteri apostoli: vt magis Deus ostenderet suum esse quod dat, non hominis: quomodo solent medici potentiam suæ artis in desperatis ostendere*, &c. Vbi & hoc ad laborem eius abundãtiorem refert, quod plures scripsit epistolas quàm omnes cæteri.

Augustini de Paulo notanda sententia.

NON EGO AVTEM, SED GRATIA DEI MECVM. Græcè, ἡ σὺν ἐμοὶ, *quæ mecum est*. Quomodo semel ac iterum allegat Hieronymus l. 2 dialogi contra Pelagianos, ca. 3, ac rursum in epistola ad Principiam, qua exponit psalmum 44. Erasmus vertit, *quæ mihi adest*, id est quæ mihi auxilio est. Solet enim auxiliũ eiusmodi locutione significari in scripturis: vt psalmo 22, *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Ieremię 20, *Dominus mecum est, quasi bellator fortis*. 4 Reg. 6, *Plures nobiscum sunt, quàm cum illis*. Auxilium autem non est nisi agente etiam eo qui adiuuatur. Igitur hic insinuatur cooperatio gratiæ & liberi arbitrij: sic tamẽ vt gratiâ principalius operetur. Nam gratia voluntatem adiuuans non ab ea vicissim adiuuatur: & quidem sic adiuuat voluntatem, vt faciat eam operari, mouens ad operandum: vti loquitur S. Thomas in commentario: citans etiam scripturas Isaiæ 26, *Omnia opera nostra operatus es nobis*. & Philip. 2, *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere*. Eãdem ob causam vtitur apostolus correctione quadam, dicens: *Non ego, sed gratia Dei*: quasi dicat: Non ego principaliter: aut, non tam ego quàm gratia Dei. Sic Dominus in euangelio: *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*, Matth. 10, cùm antè dixisset ipsos locuturos. Non sufficit autẽ hic sensus, quẽ adferunt nõnulli: Non ego solus, sed gratia Dei mecum. Sic enim sermo conuerti posset; non gratia Dei, sed & ego: quia nec gratia sola facit. Quæ res etiam exemplo alterius sententiæ iam allatæ facilè declaratur. Itaque more scripturæ negatur quod minus est, dum præ illo commendatur quod maius est aut principalius; velut ibi, *Misericordiam volo, & non sacrificium*, Hosee 6, & Matth. 9. Annotat hoc loco Primasius Hieronymum alicubi sic ponere præsens testimonium: *Non autem ego, sed gratia Dei qui in me est*. Vbi legendum arbitror, *quæ in me est*. Nam & Catharinus affirmat se legisse in quibusdã Græcis codicibus, ἡ εἰς ἐμὲ, *quæ in me*. Sed verisimile est mutationem factã imitatione eius quod paulo antè præcessit.

Auxiliũ non est nisi agẽte eo qui adiuuatur. Cooperatio gratiæ & liberi arbitrij. Gratia principalior in opere bono: mouet enim volũtatem ad operandũ.

SIVE ENIM EGO, SIVE ILLI, SIC PRÆDICAMVS, ET SIC CREDIDISTIS. In Græco non est γὰρ *enim*, sed οὖν *igitur*: quemadmodum & in textu Ambro. legitur. Non enim probat apostolus; sed à digressione qua per occasionẽ apparitionis Dominicæ, quã sibi factam narrauit, de suo apostolatu quædam interlocutus est; redit ad prius institutum, in summam

Sensus huius loci insufficiẽs quorundã

colligens

colligens testimonia resurrectionis Christi. Igitur, inquit, *sive ego* apostolorum minimus, *sive illi*, id est, alij apostoli quibus Christus post resurrectionem visus est: omnes vno ore, tanquam testes oculari, sic prædicamus vt dixi, nempe Christum à morte resurrexisse. & vos quoque per nostram prædicationem sic credidistis, id est, ea fide estis imbuti.

Vnanimis prædicatio & fides resurrectionis Christi

12 SI AVTEM CHRISTVS PRÆDICATVR QVOD RESVRREXIT A MORTVIS. Adde ex parte præcedenti; & si sic creditur. Id enim supplendum relinquit apostolus. ac si dicat: Hoc iam & prædicatum est, & creditum etiam à vobis.

QVOMODO QVIDAM DICVNT IN VOBIS, QVONIAM RESVRRECTIO MORTVORVM NON EST? *In vobis*, ad *quidam* referendum. Hic enim ordo est in Græco, & apud Ambro. *Quomodo dicunt quidam in vobis*, siue *inter vos*? id est, quidam vestrum. veluti suprà capit. 11, *In vobis*, siue *inter vos multi*, id est, multi vestrum. Si quis malit *in vobis* referre ad *dicunt*, non repugno. Nam & ita sensus erit haud incommodus, *dicunt in vobis*, id est, serunt inter vos huiusmodi sermonem. Et hoc nimirum voluit noster interpres, quando verbum *dicunt* retraxit ad particulam *in vobis*. Concludit apostolus ex resurrectione Christi, resurrectionem aliorum mortuorũ in genere. Quod si, inquit, Christus à mortuis resurrexit; erit igitur & aliorum mortuorum resurrectio: & proinde malè ei à quibusdam vestrum cõtradicitur. Sed quæritur, quo argumẽto ex Christi resurrectione sequatur cæterorum mortuorum resurrectio; cùm non oporteat beneficium Christo omnium dignissimo præstitũ, omnibus hominibus esse commune, etiam reprobis. Quidam faciunt argumentum à simili, quale est illud: Anima Petri immortalis est, ergo omnes animæ sunt immortales. At istud meritò reijcit Thomas. Nam rationem similitudinis in Christo & cæteris hominibus quo ad resurrectionem, non est facilè assignare: & certè negaretur illa ab aduersarijs. Alij dicunt esse argumentum à causa meritoria: quia Christus omnium meruit resurrectionem. Verùm & hoc æquè vel magis ignotum erat ipso consequente. Et, si hunc modũ causæ significare voluisset apostolus, non resurrectionem Christi, sed passionem pro argumento adduxisset. Per hanc enim Christus meruit, non per illam. Rectius igitur S. Thomas ac plerique tam Græci quàm Latini commentatores, explicant argumentum Pauli de causa exemplari: differenter tamen. Nam alij Christum resurgentem volunt esse causam exemplarem resurrectionis omnium hominum, etiam impiorum: alij verò tantum electorum. Quæ posterior sententia nobis omnino vera videtur; eademque vel maximè confirmatur ex ijs quæ deinceps hoc capite Paulus disserit. Agit enim toto capite de sola resurrectione bonorum, id est, ea quæ bonis in præmium promittitur & ab ijs exspectatur, atque speratur; iuxta symbolum Constantinopolitanum, in quo dicitur, *Et exspecto resurrectionem mortuorum*. Nam & huius spei paulo pòst, ex consequenti, meminit, dicens: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus* &c. Deinde & Christum primitias dormientium vocat: reliquum autem fructum, eos qui sunt Christi, id est, electos eius & membra. Ac denique resurrectionem gloriosam à Christi exemplo nobis describit, non eam quæ malis communis est. Vnde idem apostolus Rom. 8 de solis electis consimili modo ratiocinatur his verbis: *Quod si spiritus eius qui suscitauit Christum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum Christũ à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis*. Nam *si quis spiritum Christi non habet*, vt ibidem dicitur, *hic non est eius*: & per hoc non deputandus in numero eorum de quibus hic ait, *Deinde ij qui sunt Christi*. Verùm ista res ex sequentibus, atque eorum declaratione magis eluceſcet. Est autẽ Christus resurgens, exemplar resurrectionis hominum electorum, quatenus gloria resurrectionis ac beatæ immortalitatis in Christo tanquã capite perfectissimè declarata, suo quodam modo & ordine declaranda est in omnibus eius membris, id est, electis. Nam resurrectionis tempore membra eius soli erunt electi. Innititur ergo ratio exemplaris quam apostolus considerat, vnitati & conformitati totius corporis mystici, quod est ecclesia, cuius caput Christus est. Quæ conformitas exigit, vt omnia membra participent de vita & gloria capitis. Valde siquidem inconueniens foret, ipsíque capiti dedecorosum, sub capite viuo reliquum corpus mortuum remanere: totumque corpus ex capite viuo & membris mortuis constare: ex quo iam nec corporis appellationem mereatur, cuius membra cum capite vitalem connexionem nec habeant, nec amplius habitura sint, sed in perpetua morte mansura. Est igitur optima Pauli ratiocinatio: si Christus resurrexit, alios quoque mortuos qui sunt eius, resurrecturos esse. Porrò non rectè dici, quod Christus resurgens sit exemplaris causa resurrectionis etiam impiorum hominum, nos rationibus aliquot demõstrauimus ad dist. 43 l. 4 sent. Idque profectò satis apertè significat apostolus Rom. 8, versu 28 & 29, vbi conformitatem imaginis filij Dei solis promittit ijs qui secundum propositum vocati sunt sancti. Neque verò propterea disputatio Pauli imperfecta videri debet, quòd solam hic probet electorum resurrectionem: quomodo nec fuit imperfecta argumentatio Christi, qua cõtra Sadducæos resurrectionem probauit eorum tantum qui congregãdi sunt cum Abraham, Isaac & Iacob: quique futuri sunt æquales angelis Dei, Lucæ 20. Nam resurrectio quæ est ad vitam beatam, propriè consolario est fidelium; quam præcipuè spectarunt Christus & Paulus: & ea constituta fidéq; recepta, non difficile est credere etiam

Ex resurrectione Christi probatur resurrectio mortuorum in genere.

Quæstio.

Christus resurgens quatenus exemplar resurrectionis electorum.

Quorunda responsio reiecta.

Aliorum responsio improbata.

Vera responsio, Christi resurrectionem esse causam exemplarem resurrectionis cæterorum electorum: nõ autem reproborũ

Disputatio Pauli de resurrectione mortuorũ cur non imperfecta.

impios

impios ad supplicium resurrecturos: vt & ipsi plenam recipiant suorum operum retributionem.

13 SI AVTEM RESVRRECTIO MORTVORVM NON EST, NEQVE CHRISTVS RESVRREXIT. Argumentatur à negato consequente ad negationem antecedentis. Quo etiam negato; quæ incommoda sequantur, deinceps ostendit.

14 SI AVTEM CHRISTVS NON RESVRREXIT, INANIS EST ERGO PRÆDICATIO NOSTRA: INANIS EST ET FIDES VESTRA. *Ergo* Græcè ἄρα, *certè, videlicet, vtique*, particula vehementiam addens illationi. Prædicationem dicit, vel eam specialiter de qua dixit, *Sic prædicamus*: vt intelligatur prædicatio resurrectionis Christi: vel in genere prædicationem euangelij de Christo. Consimiliter fidem significat, vel eam specialiter de qua dixit, *Sic credidistis*, id est, fidem resurrectionis Christi; vel in genere fidem euangelij de Christo sibi prædicati. Porrò vtraque inanis, prædicatio nimirum & fides: vel quia falsa & veritatis vacua, iuxta priorem vtriusque intellectum: vel quia inutilis & frustranea, iuxta sensum posteriorem: ac si dicat apostolus, exponente Oecumenio: *Omnia perierunt, & vana facta sunt, tam prædicatio nostra, quàm fides vestra*, si Christus non resurrexit. Etenim sublato articulo resurrectionis Christi, tota spes quam in Christo habemus, concidit: quemadmodum in sequentibus declaratur; vbi repetit hoc argumentum: *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra.* Proinde posterior hic sensus magis probabilis est. Nam à falsitate prædicationis speciale est argumentum, hoc quod sequitur.

Sublata Christi resurrectione fides Christianorum inanis est.

15 INVENIMVR AVTEM ET FALSI TESTES DEI. *Falsi testes*, Græcè ψευδομάρτυρες. Hic duo significantur absurda: dedecus apostolorum, & iniuria Dei. Si Christus non resurrexit, *inuenimur*, inquit, hoc est, arguimur, deprehendimur (quod in apostolo turpissimum est) *falsi testes Dei.* Nam testes Dei sunt, quorum est veritatem Dei nũciare hominibus: falsi testes Dei, qui pro veritate Dei falsa prædicant. Iniuriam Dei probatio sequens exaggerat.

Testes Dei. Falsi testes Dei.

QVONIAM TESTIMONIVM DIXIMVS ADVERSVS DEVM, QVOD SVSCITAVERIT CHRISTVM. Dicit, *aduersus Deum*; quia quicumque falsum aliquid annunciat tanquam Dei verbum; facit Deum mendacem. Et huiusmodi testes sunt omnes, qui falsas reuelationes, & falsa miracula pro veris euulgant. In quos competit illud Iob 13, *Nunquid Deus indiget vestro mendacio, vt pro eo loquamini dolos?* Atque huius peccati, imò sceleris, grauitatem doctè expendit Aquinas in commentario. Cæterùm Erasmus pro *aduersus Deum* vertere maluit *de Deo*. Quod & alij quidam sequũtur: eaque versio facilem habet sensum: ac patrocinatur ei textus Syriacus. Verùm Græca præpositio κατὰ cum genitiuo, addita verbo testificandi, vt hoc loco κατὰ τοῦ Θεοῦ, nescio num vspiam aliud significet quam *aduersus*, seu *contrà*. Et quidem huius significationis exempla passim obuia sunt, vt Matth. 26, v. 59 & 62. & cap. 27 v. 13. Mar. 14 ver. 55, 56, 57. Sapientiæ 4 v. 6. Quocirca Græci interpretes vno consensu de calumnia Deo impacta locum hunc exponunt. Textus item Ambros. habet, *aduersus Deum*. Nec secus legit Tertullianus l. de resurrectione carnis capit. 48. Quiddam simile est apud Ieremiam cap. 28, vbi ad Hananiam, qui falsa, licet felicia, tanquam à Domino missus prædixerat; ait propheta: *Hoc anno morieris. Aduersum enim Dominum locutus es.*

Falsas reuelationes ac miracula prædicantes sunt falsi testes Dei.

QVEM NON SVSCITAVIT, SI MORTVI NON RESVRGVNT. Nempe iuxta superiorem ratiocinationem. *Si*, Græcè εἴπερ ἄρα, *si videlicet*. Quanquam hoc totum, *si mortui non resurgunt*, in quibusdam Græcis exemplaribus, ac nonnullis etiam Latinis abesse testatur Isidorus Clarius. Et tamen si scriptum non fuit, intelligi debet.

Defenditur versio vulgati interpretis.

16 NAM SI MORTVI NON RESVRGVNT, NEQVE CHRISTVS RESVRREXIT. Repetitio est argumenti superioris ducentis ad absurdum. Ratio quoque sequelæ patet ex supradictis. Indecens enim est caput resurgere sine membris.

17 QVOD SI CHRISTVS NON RESVRREXIT, VANA EST FIDES VESTRA. Repetit argumenti confirmationem ex altero absurdo superius illato, mox & alia subiuncturus ad idem confirmandum pertinentia. Sunt quidem diuersa, etiã in Græco vocabula, κενὴ ἡ ματαία, *inanis & vana*, siue superuacanea: res tamen eadem videtur intelligi: vt fides inanis & vana, sit fides inutilis ac nullius fructus. Id enim declarant quæ sequuntur.

Fides inanis & vana qua dicatur.

ADHVC ENIM ESTIS IN PECCATIS VESTRIS. Causalem particulam Græca & Syra non addunt. Iuxta nostram lectionem probatio est consequentiæ præcedentis, vt si dicat apostolus: Ideo vanam & inutilem arguo fidem vestram, si Christus non resurrexit, quia si non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris, nempe quoad reatum mortis æternæ: id est, nondum accepistis remissionem peccatorum, quam fides promittit. Cuius ratio: quia si Christus non resurrexit, nondum estis iustificati: cùm in fide resurrectionis Christi vobis sita sit iusticia. *Resurrexit enim propter iustificationem nostram*, Rom. 4. Quod si Græcam lectionem sequamur, poterit hæc pars illatiuè deduci vel ex illa præcedente: *Christus non resurrexit*; idque per rationem iam datam: vel ex ista, *vana est fides vestra.* Hinc enim vlterius sequebatur, sic vanè credentes adhuc esse in peccatis suis: quia purgatio peccatorum fieri debet per fidem; quæ hic ponitur vana, inutilis & inefficax propter falsitatem. Notandum in textu Ambrosiano secundum priores editiones in hoc versu non repeti, *vana est fides vestra.* Tantum enim legitur, *Quod si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris.* Nec quidem in commentario, partis illius vlla

In fide resurrectionis Christi sita nostra iustitia.

Purgatio peccatorũ per fidem.

mentio

mentio fit: vt nec apud Oecumenium. Atque inde est fortasse, quod Græcorum codices in vniuersum careant vocula causali.

18 ERGO ET QVI DORMIERVNT IN CHRISTO, PERIERVNT. *Dormierunt*, id est obdormierũt. Vide suprà vers. 6. Sequitur hoc absurdum ex præcedẽtibus, & porissimum ex postremo. Si, inquit, qui in Christũ crediderunt, adhuc sunt in peccatis suis, nec ab ijs per fidem liberati: igitur & qui mortui sunt in fide Christi cum spe salutis, perierunt, fide & spe sua frustrati; vtpote in peccatis mortui. Perierunt autem, siue animæ ponantur immortales, siue non. Nam etsi immortales sint animæ; perierunt ratione iam dicta, qui mortui sunt in Christo. si mortales; ergo prorsus ac penitus interierũt, instar pecorum mortuorum. Videtur autem apostolus emphaticè dixisse, *qui dormierunt in Christo*, hoc est, qui nobis Christianis vocãtur dormientes in Christo, ob spem certam resurrectionis. Quæ consideratio auget absurdum: scilicet eos perijsse, quos ipsa loquendi Christiana cõsuetudine vocamus dormientes, & per hoc excitandos aliquãdo testamur. Quãquam & vocantur *mortui in Christo*, 1 Thes. 4. & *mortui in Domino*, Apo. 14. Porrò quia dicere quis poterat, fidem Christi prodesse saltem ad bona huius vitæ: consequenter id etiam remouet, dicens:

Emphasis in vocabulo dormientes.

19 SI IN HAC VITA TANTVM IN CHRISTO SPERANTES SVMVS; MISERABILIORES SVMVS OMNIBVS HOMINIBVS. *Sperantes sumus*, Græcè ἠλπικότες ἐσμὲν, pro quo Erasmus, *sperauimus*. Participium est præteriti temporis, quo Latini carent in participijs actiuæ formæ. Diuerso verbo reddi posset, *cõfisi sumus*. Verùm obseruanda est huius verbi proprietas ex Hebræo. Nam in præterito significat actum, non qui trãsijt, sed qui ita susceptus & inchoatus est, vt maneat: *sperauimus*, id est, spem nostram posuimus, collocauimus, *fixamque habemus*, vt quidam vertũt. Ita passim capitur hoc præteritum in scripturis, *In te Domine speraui*, ps. 30 & 70. *Quoniam in me speranit, liberabo eum*, psal. 90. Similis obseruatio in verbo *possedi*, id est, acquisiui, possidere cepi; vt Genes. 4, *Possedi hominem per Deum*. Tale quid annotarum est iam ante in verbis *dormierunt*, & *sederunt*. Ordo verborum in Græco est: *Si in vita hac sperãtes sumus in Christo solum*, &c. Sensus tamen postulat ordinem nostræ versionis: vt *solum* seu *tantum* referatur non ad Christum, sed ad vitam hanc: quò referunt etiam Græci commentarij. Constat autem ad actum sperandi referri non posse; qui reuera tantum est huius vitæ, non permansurus in altera, vbi spei res ipsa succedet. Sensus igitur argumentationis Paulinæ est: Si spes nostra quam defiximus & habemus in Christo, non extenditur vltra terminum huius vitæ mortalis, id est, si non ab eo exspectamus bona futuri sæculi, sed præsentis tantum: sumus ergo miserabiliores cęteris hominibus: vel, quemadmodum etiam ex Græco verti potest, sumus omnium hominum miserrimi, maximeq; miserabiles, vt sit Atticissimus; qualis suprà cap. 13, *Maior*, id est, maxima *horum est charitas*. Huius sequelæ ratio manifesta est: tum quia Christus præcipit abstinendũ à voluptatibus huius vitę, & iniurias tolerari vult, non vindicari, & multa his similia secundum vitam carnalem dura & aspera, à suis cultoribus exigit: tum quia constat experientia, pios Christi fideles ob studium virtutis & confessionem nominis Christi, infidelium & malorum hominum infestationibus expositos esse. *Omnes* enim *qui piè viuere volunt in Christo Iesu, persecutionem patientur*, 2 Tim. 3. Tametsi potest hic locus accipi de solis apostolis, in quorum persona Paulus loquatur: vt sit probatio ab exemplo apostolorum; quos sanè perabsurdum sit, cæteris omnibus esse miseriores; cùm ipsi profiteantur, omnibusque vẽditent doctrinam salutis. Nota apostolum non dicere, peiores sumus omnibus hominibus, sed *miserabiliores*: nam sublata spe felicitatis futuræ post hanc vitam, vana quidem esset fides ac religio Christiana: non tamen cessaret necessitas viuendi secundum rectam rationem, quomodo viuunt boni Christiani. Vnde præclarè scribit Augustinus l. 21 de ciuit. Dei cap. 15. *Si, quod absit, illius tanti boni spes nulla esset; malle debuimus in huius conflictationis molestia remanere, quam vicijs in nos dominationem, non eis resistendo, permittere*. Sic ille. Porrò contra totam hanc disputationem Pauli, qua ex negata Christi & mortuorum resurrectione colligit omnem spem nostram inanem esse, nec vlla futuri sæculi bona nobis exspectanda; in promptu obiectio est ex animarum immortalitate. Nam Christus non solum meruit nobis resurrectionem corporum, verùm etiam beatitudinem animarum præstandam antè resurrectionis diem. Quare circumscripta & secluſa corporum resurrectione, adhuc manebit alterum bonum ex Christi merito nobis exspectandum, scilicet animarum æterna felicitas. Respondet Caietanus apostolum in hac sua disputatione, ac speciatim in postrema ratiocinatione, *Si in hac vita tantum*, &cæt. non æquiparare negationem resurrectionis negationi alterius vitæ simpliciter, sed quo ad homines: significanter enim apostolum dixisse, *sperantes sumus*, & *miserabiliores sumus*, nempe nos homines: & significantius addidisse, *omnibus hominibus*, vt de hominibus, non de hominum animabus eum loqui intelligamus. Animæ autem quæ post mortem corporum supersunt, non sunt homines: neque iam homines constituunt. Verùm hæc responsio, tametsi legatur etiam apud Aquinatem, non admodum solida videtur. Est enim vsitatissima synecdoche, qua homines vita functos, ac secundum animam solam superstites, ipsorum hominum nominibus appellare solemus, cum in vulgari sermone, tum in litanijs

Peculiaris vsus verbi præteriti sperauit.

Cur Christiani in hac vita cæteris hominibus miserabiliores.

Sublata spe vitæ æternæ viuendum adhuc esse secundum virtutem.

Contra pauli disputationẽ obiectio ex animarum immortalitate.

Responsio Caietani, qua non videtur solida.

Synecdoche, qua homines mortui prioribus adhuc nominibus appellantur.

ecclesiæ dicendo: *S. Petre, ora pro nobis* &c. Cuius rei nec in scripturis exempla desunt. Nã iuxta hunc tropum Lazarus in sinu Abrahæ conspicitur à diuite, Luc. 17. Samuel Sauli dat responsa, 1 Reg. 28, & Ecclesiastici 46. Onias & Ieremias orant pro populo, 2 Machab. 15. Christus quoque, sicut habet fidei nostræ confessio, descẽdit ad inferos. Ipse etiã Paulus alibi de seipso sic loquitur, vt Philip. 1, *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* & 2 Cor. 5, *Bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominũ.* Quare nõ est verisimile, Paulum hoc loco (quod aliàs non solet) attẽdere vocabuli proprietatẽ de qua Caietanus, atq; ita doctrinam suã restringere ad tẽpus quo sumus homines ex anima & corpore cõpositi; tãquam de animabus separatis earumq; statu quæstione dissimulata. Quod si faceret; haud quaquã lectoris animo satisfaceret, nec difficultatẽ propositã expediret, quę mouetur de spe bonorũ futuri sæculi, siue cõperant homini propriè, siue animæ soli: vt quæ, etiã separata, beatitudinis capax est, eaq; donatur. Neq; enim in hac vita tantum in Christo sperãtes sumus, si beatitudinẽ secundum animas saltem (quæ nobilior nostri pars est, qua formaliter homines sumus) post hanc vitã exspectamus. Alij proinde respondent, eos qui tempore apostolorũ negauerũt resurrectionẽ mortuorũ, negasse etiam animas post mortẽ corporum supersse. Hanc enim Sadducęorum hæresim fuisse docet Lucas Act. 23, scilicet non solum resurrectionem non esse; sed *neque angelum, neque spiritum*, id est, animam humanam à corpore separatam. Quare, secundum illos, sublata resurrectione nihil restabat exspectandum post hanc vitam. Idq́ue adeò significasse videtur scriptura 2 Mach. 12, sic loquẽs de Iuda Machabæo, qui iusserat offerri pro peccatis mortuorũ sacrificium: *Bene & religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanũ orare pro mortuis.* Quod vtique vanum videri non posset, agnito felici statu animarum post hanc vitam, quamuis excluſa spe resurrectionis corporũ. Huic responsioni consona quædã adfert etiã Thomas, dicens, Si negetur resurrectio corporum; difficile sustineri posse immortalitatem animæ; videlicet propter naturalem eius inclinationẽ ad corpus. Verùm obstat, quod hæc ab apostolo scribuntur nõ contra Sadducæos, sed vt initio diximus, cõtra philosophiã humanã: cui probabilis quidẽ est animarum vita post mortẽ corporũ; (multi namq; & clari philosophi ita senserunt) improbabilis autẽ, imò impossibilis, resurrectio corporũ. Secundũ hos igitur remanet nodus quæstionis adhuc insolutus. Quocirca dicendum videtur, Paulũ nõ negare, quin Christus, si ita Patri visum fuisset, per mortẽ suã genus humanũ saluũ facere potuisset quo ad animas solas; ita vt neq; ipse resurgeret, neque quisquam alius ex eius merito; sed sola post hanc vitam exsisteret felicitas animarum sine fine regnantium cũ anima Christi: neq; Paulum voluisse quæstionẽ ingredi, num ita fieri potuisset: sed loqui ex hypothesi diuinæ ordinationis de Christo & nostra per eũ salute. Deus enim, qui omnia sapiẽter apteq́; disponit, nõ voluit mortẽ Christi Filij sui sine eius ad vitã resurrectione, qua morte superaret: ac cõsequẽter nõ voluit mortẽ illius quicquã nobis prodesse, nec ad salutẽ corporis, nec animæ, si nõ esset à morte resurrecturus, & per resurrectionẽ glorificãdus: tũ quia Christi glorificatio, finis erat principalior passionis & mortis eius, quàm salus nostra: tũ quia per Christi resurrectionẽ spes salutis quã in ipso haberemus, excitãda erat atque erigenda: quę alioqui nulla aut vix vlla futura esset. Quis enim crederet ac speraret in Christũ mortuũ, nec amplius victurũ: de quo deinceps & in æternum diceretur; non est Christus? Hinc in eius persona psalmistes ait: *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* ps. 29. Spem verò nostram & fidem & iustificationem ab eius resurrectione pẽdere, expresè docet apostolus Petrus 1 epistolæ 1, de Deo loquens, *Qui regenerauit nos*, inquit, *in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis*. Et iterum, *Qui suscitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides vestra esset in Deo.* & Act. 5, *Hunc principem & Saluatorem Deus exaltauit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli & remissionem peccatorũ.* Scribit his cõsentanea S. Thomas 3 quæst. 53 art. 1, vbi rationes adfert ob quas necessarium fuit Christum resurgere. Cũ igitur, hac supposita diuina ordinatione, mors Christi sine eius resurrectione non fuerit nobis ad iusticiam & peccatorum remissionem profutura: bene colligit Paulus; *Si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris.* & bene infert vlterius: *Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt:* quippe mortui in suis peccatis. Ex quo iam patet nihil nobis felicitatis à Christo, si non resurrexit, exspectandum in futuro sæculo: ne quidem quo ad animam solam: ac multo minus in vita præsenti, in qua miserabiliores sumus omnibus hominibus.

NVNC AVTEM CHRISTVS RESVRREXIT A MORTVIS, PRIMITIÆ DORMIENTIVM. Hic iã apostolus ex absurdis quæ nemo Christianus concesserit, redit ad statuendã suã propositionem, qua negata sequebantur absurditates illę. Ea propositio est, Christũ resurrexisse à mortuis. Ex qua deinceps ratiocinatione directa probat institutum principale, id est, aliorum mortuorum resurrectionẽ. Ac primũ argumento à fructuum primitijs sumpto: quia nimirum Christus resurrexit tãquam *primitiæ dormientiũ*. Quod in Græco sic habetur: ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων ἐγένετο, *primitiæ eorum qui dormierunt, factus est*, siue *fuit*, vt vertit Erasmus. Græcæ lectioni Syriaca suffragatur: tametsi verbũ ἐγένετο in vetustis quibusdã Græcis non additur. *Dormierunt* autem, id est, obdormierũt & adhuc dormiũt: vt rectè verterit

interpres

Aliorum responsio.

Sadducæi resurrectionẽ & angelũ & spiritum negabant.

Sublata resurrectione corporũ periclitatur immortalitas animarum.

Alia responsio melior.

Explicatur ordinatio diuina de Christo & nostra per eum salute.

Christi glorificatio finis principalior passionis eius, quàm salus nostra.

Spes, fides, iustificatio nostra pendet à Christi resurrectione.

Mortuorũ resurrectio probatur ex resurrectione Christi. Christus primitiæ dormientium, & quo sensu.

interpres noſter in præſenti, *dormientiũ*. Nunc autem, inquit apoſtolus, quod omnes fatemini, Chriſtus à mortuis reſurrexit. Verũ, quod ſcire debetis, ita reſurrexit, vt reſurgẽdo factus ſit mortuorum ac dormientium primitiæ, id eſt, quaſi primitiuus fructus, è terra, in quam velut granum frumẽti per mortem ceciderat, exortus ac renatus. Dicuntur enim primitiæ, primi fructus è terra percepti, ac Deo offerendi. Cũ ergo primitiæ referantur ad ea quorum primitiæ ſunt: conſequitur & alios mortuos è terra ſurrecturos eſſe. Tametſi præterea videtur apoſtolus ad ritum veteris legis alludere: de quo Num. 15 & Deut. 26. vt quemadmodũ illic in primitijs Deo oblatis, totius anni prouẽtus quodãmodo ſanctificabatur: ita ſentiat in Chriſto, qui reſurrexit primus, omnium noſtrum futuram reſurrectionem dedicatã eſſe. Porrò Chriſtũ primitias ſeu primitiuum fructũ reſpectu dormientium vocat apoſtolus; quod primus mortuorũ à morte reſurrexerit: primus, inquam, tempore & dignitate. Nam vtrumq; Latini interpretes vrgent. Ac tẽpore quidem primus, quia ad immortalem vitam nullus ante eũ ſurrexit, ſed omnes alij poſt eũ. Siquidem & illi, de quibus ſcribit Matthæus 27, *Multa corpora ſanctorum qui dormierant, ſurrexerunt* (quos omnino veriſimile eſt ad immortalem vitam reſurrexiſſe) iuxta ſententiam multorum valde probabilem, non ante ſed poſt Chriſtum reſurrexerũt, velut glorioſę eius reſurrectionis comites & aſſeclæ. Quod enim apud Matthæum deſcribitur horum reſurrectio ſtatim poſt narrationem mortis Dominicæ, non autem reſurrectionis: prolepſis eſt hiſtorica, non infrequens in ſcripturis. Etenim occaſione prodigiorũ quæ narrat euãgeliſta mortẽ Domini continuò fuiſſe conſecuta, inter quæ erant terræ motus & monumẽtorum apertio vi terræ motus facta: reſurrectionem mortuorum, qui è monumentis illis apertis, etſi tertio demum die, egreſſi ſunt viui; putauit eadem ſerie narrationis attexendam. Cæterùm dignitate primus dormientiũ Chriſtus; quia præſtantiſſimus & optimus omnium: vt ſolent primitiæ meliores eſſe reliquo fructu. Quæritur autem, quorum dormientium primitiæ Chriſtus, omniúmne, an iuſtorum duntaxat. Ambroſius libro de fide reſurrectionis poſt medium, extendit ad omnes dormientes; ſiue, vt ille loquitur, quieſcentes, id eſt, ad omnes mortuos, etiam iniuſtos: ſignificans horum quoque reſurrectionem ex merito Chriſti tanquam communis benefactoris prouenire. Verùm ſalua tanti doctoris reuerentia, videtur id non rectè dici. Nam iniuſti ac reprobi, meritorum Chriſti poſt hanc vitam participes fieri nequeunt: vt qui fidem (ſine qua Chriſti merita nõ poſſunt eis applicari ad cætera beneficia per ipſum conſequenda) vel nunquam habuerunt, vel ſi habuerũt, peccãdo ſibi inutilem fecerunt. Dicẽdum igitur apoſtolum ſolos in Chriſto dormientes hic intelligere; ſiue, quemadmodum loquitur Aquinas, mortuos *qui in ſpe reſurrectionis quieſcũt*, id eſt, ſolos iuſtos atq; electos, qui mẽbra ſunt Chriſti. Nã vt ex reſurrectione capitis Chriſti nõ rectè ducitur argumentum ad reſurrectionem omniũ hominum, ſed eorum tãtum qui mẽbra ſunt ſub illo capite: ſic ex reſurrectione Chriſti tanquam fructus primitiui, non procedit ratio niſi ad fructum ſequentẽ. Etenim primitiæ tãtum ad fructus referuntur. Fructuũ autem nomine nuſquam in ſcripturis mali ac reprobi ſignificantur, ſed ſoli boni. Nam malos ſcriptura paleas appellat, & zizania, & ſpinas ac tribulos, vt Matth. 3 & 13, & Heb. 6. Quare vel ex ipſo vocabulo primitiarum ſatis argumenti eſt, ad excludendum hoc loco malos ac reprobos. Et obſerua Chriſtum hic ita nuncupari primitias dormientium, quemadmodum alibi primogenitum mortuorum, vt Col. 1, & Apoc. 1. Non eſt autem primogenitus, niſi reſpectu fratrum ex eodem patre per adoptionem genitorũ: quos Deus *prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui; vt ipſe ſit primogenitus in multis fratribus*, Rom. 8. Quare nec primitiarum nomen ei competit, niſi reſpectu eorum qui fructuum appellationem mereantur, id eſt, ſequentium Chriſtum: vti bene ratiocinatur Oecumenius ſuper Epheſ. 1. Nec pluribus opus: quando Paulus ipſe ſenſum ſuum aliquanto pòſt apertè declarat, dicens, *Primitiæ Chriſtus, deinde ij qui ſunt Chriſti*. Quorum nempe reſpectu primitiæ Chriſtus.

21 QVONIAM QVIDEM PER HOMINEM MORS, ET PER HOMINEM RESVRRECTIO MORTVORVM. *Quoniam quidem*. Græcè ἐπειδὴ γάρ, *Quandoquidẽ enim*. Cauſalẽ particulam *enim* habent etiã mss. quędã Latina, & veteres cõcordãtiæ. Legunt itẽ Irenæus Latinus li. 5 c. 13, & Hilarius li. 11 de Trinitate. Eſt itaq; ſententia tota hypothetica cauſalis, ſeu rationalis potius (neque enim antecedens eius propriè cauſam indicat cõſequentis) continens argumentum à cõparatione quæ fit per antitheſin, (quo etiã argumento vſus eſt Rom. 5 verſ. 12.) & hoc modo explicanda. Nam quia per vnũ quendã hominem mors inuecta fuit in genus humanũ: conſentaneum eſt vt & mortuorum reſurrectio per vnum quendam hominem introducatur. Qui proinde vnus homo reſurgẽs à morte, primitiæ dormientium ad reſurrectionem factus eſt. Quærunt aliqui quomodo per hominem mors; cum ea neceſſariò conſequatur naturam humani corporis, quod ex contrarijs actiuis & paſſiuis compoſitum, non poteſt non tandem corrumpi. Sed breuiter reſpondetur, in hanc ipſam neceſſitatem ex vnius peccato nos omnes incidiſſe: quum vnus ille tranſgreſſus Dei præceptum, immortalitatis ſtola gratuita, quam in creatione ſupra naturam acceperat, ſeſe nudauit: vt meritò iam audiret; *Quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. Geneſ. 3. Hinc de eo beatus Auguſtinus lib. 6 de Geneſi ad literam cap. 25, *Mortalis erat*, inquit, *conditione*

Chriſtus ante omnes alios reſurrexit ad vitam immortalem.

Reſurrectio eorũ de quibus Matthæus qualis, & quando facta.

Prolepſis hiſtorica in ſcripturis.

Quorum dormiẽtiũ primitiæ Chriſtus.

S. Ambroſij opinio, reſurrectionem malorum eſſe beneficium Chriſti.

Verior aliorũ ſententia, Chriſtum eſſe primitias electorum tantum.

Mali non ſunt fructus, ſed palea, zizania, ſpinæ & tribuli.

Chriſtus primogenitus mortuorum.

Vt per hominem mors, ita per hominem reſurrectio mortuorũ.

Quomodo per hominem mors, cum ſit ex natura.

Reſponſio.

immortalitas corporis ſupra naturam.

corporis animalis: immortalis autem beneficio cõditoris. De eodem differẽs Richardus à S. Victore lib.1 de Emmanuele c. 11, mutationem illã hominis qua mortalis factus est, vocat denudationẽ immortalitatis, honoris degradationem, dignitatisque detractionem: denique exspoliationẽ incorruptibilitatis. Portò resurrectionẽ mortuorum hoc loco non pauci, inter quos & Pseudambrosius, generaliter accipiunt, vt ad malos ac reprobos etiã pertineat: quasi illi quoq; per vnum hominem recipiant vitã, sicuti per vnum hominem inciderunt in mortem. Sed id dici non posse, satis opinor, ex supradictis ad versus 12 & 20, manifestum est. Rectius igitur qui sentiunt apostolum loqui de resurrectione quæ est ad vitam beatã, qualis infrà describitur: & de qua dicebat vnus martyrum Machabæorum ad Antiochũ regẽ, *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* Et alius, *Tibi resurrectio ad vitam non erit*, 2 Mach. 7. De qua & Dominus apud Ioannem cap. 5, *Procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ.* Huius quippe resurrectionis authorem se declarat idem Dominus Ioan. 6, dicens: *Hæc est voluntas eius qui misit me, Patris; vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo; sed resuscitem illud in nouissimo die.* Quod & identidem repetit in eodem sermone. Et hæc est resurrectio, quam filijs Dei propriam facit Lucæ 20, vbi Sadducæis respondens ait: *Qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent*, &c. *æquales enim angelis sunt: & filij sunt Dei, cùm sint filij resurrectionis.* Quapropter & hunc apostoli locum, dicentis; *& per hominem resurrectio mortuorum*, non dubitauit Augustinus de beata resurrectione interpretari, in epistola ad Hilarium 89 quæst. 3, quum recitatis apostoli verbis ita prosequitur. *vtique resurrectionem dicit iustorum, vbi est vita æterna: non resurrectionem iniquorum, vbi mors erit æterna.* Vide eiusdem & alia loca apud Bedam. Sed & inter recentiores Carthusianus hanc resurrectionem ad eos contrahit *qui immutabuntur.* Nam, inquit paulo pòst, quod *impij resurgent, non erit merito Christi, sed diuina eius virtute.* Similiter & Hofmeisterus studiosè monet *Paulum tantum loqui de resurrectione electorũ, qui verè in vitam resurgent*: nã impios quidem etiam resurrecturos, *sed in eam vitam, quæ mors secunda dicitur.* Iam quos apostolus duos homines dixerit, alterum mortis, alterum resurrectionis authorẽ, ipse consequenter exponit.

Nota.

Sola ad vitã beatam resurrectio per Christum.

Quæ resurrectio filijs Dei propria.

22 ET SICVT IN ADAM OMNES MORIVNTVR; ITA ET IN CHRISTO OMNES VIVIFICABVNTVR. Græcè & Syriacè, *Sicut enim & in Adam* &c. Quemadmodum & habet textus Ambro. & passim legit Augustinus. Potest autem hæc sententia bifariam exponi, vel hoc modo: Sicut omnes qui moriuntur, per Adã moriuntur: ita & omnes qui viuificabuntur, per Christũ viuificabuntur. Qui sensus ab Augustino traditur non vno loco. vt in epist. 28 quæ est ad Hieronymum: *Per hanc*, inquit, *apostolicam sententiam euidẽter elucet, neminem ire in mortem, nisi per Adam: neminem ire in vitam æternam, nisi per Christum.* Vnde & colligit paruulos sine baptismo quo Christo incorporentur, viuificari non posse. Et in epistola 157 ad Optatum: *Sicut in regno mortis nemo sine Adã: ita & in regno vitæ nemo sine Christo.* Item lib. 13 de ciuit. Dei cap. 23, & alijs locis à Beda collectis. Vel isto modo: Sicut per Adam moriuntur omnes qui sunt Adæ, id est, omnes homines: ita per Christum viuificabũtur omnes qui sunt Christi, id est, omnes electi. Hic sensus est apud Leonẽ epist. 23, vbi referens hæc verba, *ita & in Christo omnes viuificabuntur: Hi vtique omnes*, ait, *qui licet in Adam sint nati, in Christo tamen inueniuntur renati.* Itẽque sermone 15 de passione Domini: vbi de ijs exponit qui sunt mẽbra Christi. Vtrũq; enim intellige finaliter. Quin & Augustinus vtitur hoc sensu l. 20 de ciuit. Dei c. 20. Quem & nos vt probabiliorem amplectimur, tum quia plenior est, tũ quia conuenit cum simili sententia Rom. 5, *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condẽnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Denique Paulus ipse statim infrà declarat, de quibus omnibus in Christo viuificandis loquatur; nẽpe de ijs qui Christi sunt. Igitur hi omnes & soli per Christum viuificabuntur, id est, excitabuntur ad vitam beatam. Hanc enim viuificationem electis propriam, nõ autem eã quæ reprobis communis erit, vterque commentarius iam dictus supponit. De eadem Heruæus: *Hæc*, inquit, *viuificatio propriè ad electos pertinet.* Sed & glossa interlinealis eam ad filios adoptiuos restringit: ac rursũ ad electos Carthusianus, eos scilicet *qui merito Christi beatam immortalitatem adipiscentur: de quibus & Christus dixit, Omnia traham ad meipsum*, Ioan. 12. Cæterũ quo causalitatis modo per Adã mors, & per Christum vita, declaratum est in commentario Rom. 5. Nam quod Pelagius interpretatur per Adã mortem intrasse, *quia primus ipse est mortuus*, & per hoc *morientium forma*: ac similiter de Christo respectu resurgẽtium: videlicet solum agnoscens in illis moriendi & resurgendi primum exemplũ: quasi neq; mors sit ex illius peccato, neq; resurrectio ex huius merito: secundum hæresin suã sapit & scribit.

Duplex huius loci intellectus

Alter sensus probabilior.

Omnes & soli electi per Christum viuificandi.

Pelagij cõmentarius Pelagianus.

23 VNVSQVISQVE AVTEM IN SVO ORDINE. Græcè *in proprio ordine*. Subaudi, viuificabitur: ea nimirum viuificatione, de qua Paulum ostendimus esse locutum. Ordinem intellige dignitatis ac meritorum, vt bene exponit Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 48. nõ autem temporis, vt vult Caietanus. Certè constat non inter omnes resurgentes fore tẽporis ordinem. Et nobiscum sentiunt alij plerique; tam Græci quã Latini interpretes; ac fauẽt huic sensui quæ de diuersitate gloriæ electorũ infrà dicuntur versu 40, 41, 42. Quod enim Theodoritus ordinem hunc refert ad separationem agnorum ab hædis, de qua Matth. 25, videlicet accepta viuificatione generaliter,

Electi resurrecturi non temporis ordine, sed dignitatis.

id ex

id ex dictis facilè refellitur: deinde nec cohæret cum sequentibus.

PRIMITIÆ CHRISTVS. Hoc est: ante omnes in Christo viuificandos, ipse Christus tanquam primitiæ dormientium, ideoq; primus dignitate, iam viuificatus est.

DEINDE II QVI SVNT CHRISTI, QVI IN ADVENTV EIVS CREDIDERVNT. Multi codices pro *aduentu* legunt *aduentum*, minus rectè. Vtrũuis autẽ legas, poterit hic sensus dari: Post Christũ, cuius resurrectio iam præcessit, viuificabũtur ij qui ad Christũ pertinẽt, id est, electi, quiq; aduentũ eius secundum & glorioſum crediderunt & credẽdo exſpectarunt; viuificabũtur, inquam, tempore & dignitate Christo posteriores: & ipsorũ vnusquisque in ordine suo. Sic ferè Latini. Nã quod Stapulẽsis & alij nõnulli sensũ esse putãt: qui in priore eius aduẽtu crediderunt: minus cõgruit. Non enim in illo aduentu, sed post illum ecclesia fidelium collecta est, & colligitur vsque ad finem sæculi. Porrò sciendum, in Græco & Syriaco tantum hæc haberi verba; *Deinde, seu postea qui sunt Christi, in aduẽtu eius.* Quę lectio visitur etiã in Latinis quibusdã mss. & in antiquis cõcordantijs: nisi quod cõcordãtiæ legũt *aduentum* quarto casu, mss. verò casum variẽt. Exhibet eandẽ Græcã lectionem textus Ambrosiastri & Primasij, cõmentario vtriusq; respondẽte: licet in editione recentiore cõmentarij Ambr. legantur verba vulgatæ versionis. Ad eundẽ modum citant Hieronymus in cõmentarijs Isaiæ c. vltimo, & Ruffinus in expositione symboli. Itẽ Augustinus tract. 68 super Ioannẽ, & quæst. 69 lib. 83 quæstionũ: quibus locis ita legit: *Deinde qui sunt Christi, in præsentia eius.* Nam Græcum nomen παρουσία significat etiã præsentiam: tametsi melius huic loco quadrat aduentus: estq; ea vocabuli significatio frequẽtior in sacris literis. Lõbardus quoq; glossam ordinariã secutus annotat aliã literã sic habere: *Deinde qui sunt Christi in aduentu eius.* Et hanc lectionẽ ita cõmendat Haimo, vt codices id habẽtes quod vulgò legitur, affirmet esse deprauatos. Eã porrò Græcã lectionẽ Caietanus exponit hoc modo: Deinde resurgẽt qui erunt Christi in aduentu eius ad iudiciũ venientis: id est, resurgẽt iusti: vt hoc dictũ sit *ad differentiam eorũ qui sunt Christi* dũtaxat *in hac vita*, scilicet *professione Christiana*, non operũ veritate. Sic ille quidẽ, sed præter apostoli mentẽ; vt qui etiã in hac vita solos iustos agnoscit esse Christi. Dicit enim Rom. 8, *Si quis spiritũ Christi nõ habet, hic non est eius.* Rectius igitur Theophylactus hoc modo: Christus primus resurrexit: postea verò qui Christi sunt, hoc est iusti, viuificabuntur ac resurgent *in aduentu eius*, id est, ipso adueniẽte: quando videlicet *ipse Dominus*, vt ait apostolus 1 Thes. 4, *in iussu & in voce archãgeli & in tuba Dei descendet de cælo:* tunc enim *mortui qui in Christo sunt, resurgẽt.* Posset etiã Græca lectio cum eo quod præcedit, ordinari & exponi in hũc modũ: Vnusquisq; in ordine suo viuificabitur in aduentu Christi, id est, Christo ad iudiciũ veniẽte: vt illa verba media (*Primitiæ Christus: deinde ij qui sunt Christi*) parẽtherica sint. Sed hãc constructionẽ fateor esse coactiorem, nec difficultate carere. Notandum est autẽ apostolũ nullã hic facere mentionẽ resurrectionis malorũ: vt cui propositum sit de sola beata resurrectione quæ iustorum est, differere.

Sensus vulgatæ lectionis huius loci.

Græca lectio probatur sincerior.

Græcæ lectionis sensus secundum Caietanũ

Alius sensus melior

Paulus agit de sola, resurrectione bonorũ

Post resurrectionẽ iustorũ finis.

Caietani & Græcorũ opinio, reprobos resuscitãdos post electos.

24 DEINDE FINIS. Supple, erit. Sed cuius rei finis? Quidã finem hominis intelligunt, cum nẽpe, cuius gratia cõditus est, id est, perfectam felicitatẽ, qua deinceps & in æternum homo fruetur. Caietanus hac parte significari putat tertium ordinẽ resurgentiũ, scilicet omnũ reproborũ: quibus demũ post electos suscitatis finẽ accipiat vniuersalis hominũ resurrectio. Cui cõmentario fauẽt Theophylactus & Oecumenius. Existimãt enim iustos, qui iuxta apostolũ 1 Thes. 4, rapiẽdi sunt in aëra, obuiam Domino, prius excitandos esse: deinde peccatores, qui infrà positi iudicandi sunt. Sed hæc opinio Theologis nõ probatur: neque ex apostoli verbis elici potest; qui de malorũ resurrectione non agit. Sẽsus ita q; simplex & planus est, quẽ Chrysostomus tradit; post resurrectionem eorum qui Christi sunt, mox finẽ, id est, cõsummationem fore omnium rerũ: eo quod nulla sit amplius in exspectatione futura rerum mutatio; nimirum peracto iudicio, & eo completo quod sequitur.

CVM TRADIDERIT REGNVM DEO ET PATRI. Vtiq; Christus homo, significatus per illum hominẽ nobilẽ, qui *abijt in regionẽ longinquã, accipere sibi regnũ & reuerti*, Lucæ 19. Hoc autẽ Christi regnũ ecclesia eius est, *quã acquisiuit sanguine suo*, Act. 20, & quę dicit in omnibus sanctis agno Christo: *Fecisti nos Deo nostro regnũ*, Apoc. 5. Igitur ijs qui Christi sunt, id est, electis omnibus ad vitam euocatis, in quibus solis ecclesia tũc cõsisteret, hoc ipsum regnũ suũ tradet Christus *Deo & Patri*: nõ quod ipse tũc non sit amplius regnaturus; de quo prædixit angelus ad virginẽ, quod *regni eius nõ erit finis*, Lucæ 1, sed quia perfectè regno suo potitus (quod futurũ est post omniũ resurrectionem, subactis penitus aduersarijs; ita vt regno eius nulla iã hostilitas possit vel minimum nocere) nõ sibi victoriã de tot tãtisq; hostibus debellatis attribuet homo ille: nec ingentẽ illã & ineffabilẽ gloriã sui regni iã omni ex parte pacati, sibi vẽdicabit: vt ferè solent reges terræ victorias ac regni felicitatẽ & gloriã, suæ virtuti asscribere; quorum vnus referẽte Daniele c. 4, cũ magno animi tumore dicebat, *Hæccine est illa Babylon magna, quã ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Nõ ita Christus Dominus rex noster: sed tradet regnũ Deo & Patri: id est, cũ subiectione & gratiarũ actione glorioſum illud regnũ suũ Deo Patri suo offeret, profitens vniuersam regni sui gloriã illi authori se acceptã referre: eamq; professionem suam omnibus tam angelis quam hominibus, nec electis modò, verùm etiam reprobis, faciet manifestam:

Christi regnum est ecclesia.

Christus regnum tradet Deo & Patri, quo sensu.

Superbia regis Nabuchodonosor.

Christus uniuersã regni sui gloriã Deo fert acceptam.

vt omnes agnoſcant potentiam & gloriam eſſe ſolius Dei: denique ad eum vt principium, & in eum vt finem omnia eſſe conferẽda. Qui ſenſus huius loci magis etiam ex ſequentibus pateſcet: vbi tandem concludit: *Vt ſit Deus omnia in omnibus:* eundemque ſenſum præalijs expreſſit inſcriptus Ambroſio commentarius; & pluribus explicat Caietanus. Cæterùm Hilarius quidem lib. 11 de Trinitate, & poſt eum Auguſtinus l.1 de Trinitate cap.8, & Hugo Victorinus in quæſtionibus huius capitis, cenſent ita dictum eſſe; *Cum tradiderit regnum Deo & Patri*, ac ſi diceretur: cùm perduxerit electos ſuos, in quibus nunc ex fide viuẽtibus regnat, ad contemplationem Dei & Patris. Eſtque hic etiam ſenſus doctus & pius; quem & alij Latini ſuis inſeruerunt commentarijs. Verùm prior intellectus, vt dixi, magis conuenit cum ijs quæ in apoſtolo ſequuntur. Dicit autem *Deo & Patri*, id eſt, Deo qui idem eſt Pater ſuus, (eſt enim in Græco tantum vnus articulus, vtrumque complectens.) quia ſicut Chriſtus vt homo omnia refert in Deum: ita idem ipſe vt Dei filius, omnia refert ad Patrẽ, qui fons eſt & principium in deitate. Liquet ex dictis, quàm futile ſit ex hoc loco petitum argumentum Arianorum, quo regnum futuri ſæculi Chriſto adimebant: quia ſi traderet illud Patri, non ſibi ipſe retineret. Ad quod perappoſitè reſpondet Hilarius l.11 de Trinitate: *Videamus*, inquit, *an traditio regni defectio ſit intelligenda regnandi: vt quod tradidit Filius Patri, tradendo non teneat. Quod ſi quis contendet, fateatur neceſſe eſt, Patrem cùm tradidit omnia Filio, (Lucæ 10) amiſiſſe tradendo: ſi tradentem traditis egere ſignificet.* Hæc ille.

CVM EVACVAVERIT OMNEM PRINCIPATVM ET POTESTATEM ET VIRTVTEM. In Græco ſignum vniuerſale ſecundo loco repetitur, *& omnem poteſtatem & virtutem.* Textus Ambro. addit *& dominationem*. Sed alij non agnoſcunt. *Euacuauerit*, Græcè καταργήσῃ, *aboleuerit*. Virtutem, δύναμιν *potentiam*. Per hęc tria, *principatum & poteſtatem & virtutem*, Caietanus intelligit omnes magiſtratus qui modò conſtituti ſunt ad regimen humani generis, ſupremos, medios & infimos, tam angelicos quàm eccleſiaſticos. Nam poſt omnium reſurrectionem, huiuſmodi præfecturis iam non erit opus. Licet enim remanſuri ſint, (vti Thomas in commentario docet) ordines angelorum diſtincti, quantum ad eminẽtiam gloriæ, qua alijs alij præcellunt: non tamen quantum ad exſecutionem poteſtatis aut officij circa homines. Senſum illum generalem etiam tradit vtraque gloſſa. Sed alij ferè Latini, authore S. Auguſtino l.1 de Trinitate ca.8, reſtringunt apoſtoli verba ad angelicos ordines: quorum hæc vtique nomina ſunt, Principatus, Poteſtates & Virtutes: ita tamen vt ſub his etiam cæteros cæleſtium ſpirituum ordines comprehenſos velint. At verò Græci commentatores, imò & veteres Latini, Ambr. Pelagius, Primaſius & Sedulius, interpretantur hunc locum de poteſtatibus aduerſarijs, id eſt, dæmonibus, nomina videlicet ordinum angelicorum è quibus eiecti ſunt, retinẽtibus: de quibus idem apoſtolus Eph.6, *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes*, ſeu *principatus & poteſtates.* & Rom.8, *Neque angeli, neque principatus, neque virtutes poterũt nos ſeparare à charitate Dei.* Igitur iuxta memoratos interpretes hic erit ſenſus; Quod facturus eſt Chriſtus, id eſt, regnum Deo & Patri traditurus; poſtquam aduerſarias poteſtates aboleuerit, hoc eſt, debellauerit ac protriuerit, & poſuerit eas ſcabellũ pedum ſuorum; ſic vt iam nemini qui ſit ex parte ipſius, quicquam mali poſſint inferre. Senſum hunc exigunt planè ea quæ ſequuntur. Patet etiam ex eo, non eſſe conſequens (quod quidam opinati ſunt) dæmones poſt tempus extremi iudicij nullam amplius poteſtatem exercituros in homines damnatos. Nã de tali poteſtatis abolitione nõ eſt hic ſermo. Quid autem de ea ſentiendum ſit, diſputari ſolet ad diſt.47 lib.4 Sententiarum. Sanè cõſtat impios & iudicatos nunquam è poteſtate diaboli liberandos eſſe. Non enim liberat niſi Chriſtus, cuius beneficiorũ illi participes eſſe non poterunt. Quare ſicut ira Dei manebit ſuper eos, ita & diaboli, dæmonumq; poteſtas, quibus à Deo iudice tradentur. Quod ſignificare videtur Chriſtus Matth.18, dicens de quodam: *Et iratus dominus tradidit eum tortoribus, quoad vſque redderet vniuerſum debitum*; id eſt, in æternum cruciandum. Nõ enim habebat *vnde redderet.* Vnde B. Auguſtinus l. de catechizandis rudibus cap. 25, *Fuge frater*, inquit, *illa tormenta, vbi nec tortores deficiunt, nec torti moriuntur.* Loquitur autem de tormentis gehennæ, futuris poſt reſurrectionem corporum. Et in tractatu de vrbis excidio, capit.4, *Ibi æternus eſt, & qui torquet & qui torquetur.* In eandem ſententiam pronus eſt S. Thomas in ſcripto ſuper dictam diſt. quæſt.1. ar.2, q.4. Porrò de nominibus ordinum angelicorum, quæ hic & alibi apud apoſtolum leguntur, quónam modo differant, difficile eſt pronunciare. Diſputant ea de re Theologi in ſententijs ad diſt. 9 libri 2.

25 OPORTET AVTEM ILLVM REGNARE, DONEC PONAT OMNES INIMICOS SVB PEDIBVS EIVS. In Græco ſic habetur: *Oportet enim eum regnare, donec poſuerit omnes inimicos ſub pedes ſuos.* Nam Græci codices qui nunc in manibus verſantur, habent αὐτὸν cum ſpiritu denſo. Sed ſciendum veteres non ſolere vocabulis Græcis accentus aſcribere nec ſpiritus: quomodo nec Hebræi punctis vtebantur. Poſteriores verò, qui ſenſum putarunt eſſe reciprocum, aſcripſerunt notam denſi ſpiritus: & hoc ſecuti interpretes recentiores verterũt *ſub pedibus ſuis*, aut *ſub pedes ſuos*, non ſatis expenſa mẽte Pauli, & ſenſu ſcripturæ ad quam ille reſpicit. Arbitrati ſunt enim Paulum velle dicere quod Chriſtus ipſe ſibi ſubiecturus ſit inimicos ſuos. Atqui reſpicit ad verſum pſalmi 109,

Ad Deum vt principiũ & ſinẽ omnia referenda.

Aliorum ſenſus bonus, ſed minus germanus

Cur dictũ Deo & Patri.

Pater fõs & principium in Deitate. Arianorũ ex hoc loco argumẽtũ refellitur

Per principatum, poteſtatẽ, virtutem qui intelligantur, opinio Caietani.

Ordines angelorũ quatenus remanſuri poſt iudicium.

Auguſtini & aliorũ ſententia.

Opinio de poteſtatibus aduerſarijs probabilior.

An dæmones poſt extremũ iudicium poteſtatẽ exercituri in damnatos. Pars affirmatiua probabilior.

Nota de accẽtibus, ſpiritibus, & punctis.

Pauli sensus explicatur.

mi 109, quo Pater ait ad Filium: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedũ tuorum.* Vbi certè non de Filio dicitur, sed de Patre, quod inimicos Filij sit subiecturus pedibus eius. Sentit ergo Paulus Christum regnaturum, donec Deus & Pater (quem nominauit versu proximo) posuerit omnes illius inimicos sub pedes eius, nempe Christi Filij. Quam rem bene considerans, & ad psalmi locum referens apostoli verba Tertullianus li. 5 aduersus Marcionem capit. 9 legit, *sub pedes eius*. Quo etiam loco (vt id obiter adijciam) cum Græcis legit *Oportet enim*. quemadmodum & commentator Ambr. atque Sedulius & Hilarius lib. 11 de Trinitate, & passim Augustinus. Sensum quem diximus, præterea probant quæ hic apud apostolum sequuntur: *Omnia enim subiecit sub pedibus eius*, vel *sub pedes eius*, vti vertunt omnes. & paulò pòst, *Præter eum qui subiecit ei omnia.* Quæ quamuis ad alium psalmum, id est, octauum pertineãt, sensum tamen loci præcedentis declarãt. Iam *regnare* quid sit hoc loco, videndum. *Regnare*, inquit Oecumenius, *non vulgari modo capitur, sed vt sit regnantis opera exercere, putà inimicos debellare, suis auxiliari, illos quidem euertere, hos verò liberare.* Simili sensu Caietanus exponit; & apud Theophylactum Gregorius Theologus. Cæterùm Primasio regnare est iudicare. Mouit hos authores, vt ita exponerent, quod apostolus addendo, *donec ponat omnes inimicos* &c, significare videatur Christum postquam subiectos habuerit inimicos sub pedibus, non amplius regnaturum. Quod verum esse non potest, si regnare consueto more accipiatur. Atqui res nota est, aduerbium *donec* in sacris literis non semper determinare ac præcidere tempus verbi præeuntis, vt nimirum quod sequitur, excludatur: sed frequẽter indeterminatum relinquere tempus, maximè quando qui loquitur, intendit illud potissimum affirmare vel negare de quo posset esse dubium: vt Isaiæ 22, *Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini.* Non enim sperare poterant, vt post mortem dimitteretur. Et Matthæi 1, *Non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum.* Nam sanè post partum minor erat ratio cognoscendi. Et (quod præsenti loco persimile est) psal. 111, de homine iusto: *Non commouebitur, donec despiciat inimicos suos.* Nunquid enim commouebitur post despectos, id est, depressos inimicos? Imo verò significatur illud quod in eodem psalmo præcedit, *Quia in æternum non commouebitur.* Sic igitur & hoc loco *donec* inclusiuè capitur quo ad tempus præcedẽs, non exclusiuè quo ad id quod sequitur. Affirmat enim apostolus Christum regnaturum, vsque dum Pater omnes inimicos pedibus eius substrauerit, id est, perfectè ei subiecerit: de quo dubitari poterat, ne forte propter hostium infestissimorum potentiam ac fortitudinem, (vocantur enim principatus, & potestates & virtutes) tandem deficeret in pugna aduersus eos suscepta, regnumque amitteret. At verò quin deuictis penitusq; subactis hostibus esset regnaturus, nulli dubium esse potuit. Hunc sensum bene explicant Theophylactus & Thomas Aquinas, nec non Oecumenius adferens eum secundo loco. Conuenit autem optimè sensus iste cum scripturis, quæ regnum Dei & Christi prædicant semper duraturum, vt Exodi 15, *Dominus regnabit in æternum, & vltra.* Lucæ 1, *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Apoc. 11, *Factum est regnum huius mundi Domini nostri & Christi eius: & regnabit in sæcula sæculorum.* Denique confirmatur ex ipso psalmi versiculo, quem Paulus attendit: vbi loco eius quod Paulus dicit *regnare*, Psalmista dixit: *Sede à dextris meis*. Igitur Christum regnare, secũdum apostolum, eiusdem rationis est cum eo, Christum sedere à dextris Patris. Atqui sedere ad dexteram Patris non desinet postquam posuerit Pater inimicos sub pedibus eius. *In sempiternum* namq; *sedet in dextera Dei*, Heb. 10. Proinde nec regnare tunc desinet. Quin etiam multo perfectius ex illo tempore ei competet vtrumque, & sedere ad dexteram Patris, & regnare; videlicet hostibus in plenissimam potestatem redactis. Nam priusquam id factum sit, regnat quidem Christus pugnans & vincens: postea verò regnabit perfectissimè triumphans. Porrò quod dicit apostolus, *Oportet illum regnare*, vel propter æternum & immutabile Dei decretum dicit, quo regnum hoc Christi, & ordo modusque regnandi, prædestinatus est: vel, quòd necesse sit impleri scripturam propheticam, quam tacitè allegat. Inimicorum Christi nomine quidam comprehẽdunt omnes homines etiam electos, nam hos ponendos dicunt sub pedibus Christi, quatenus per fidem & obedientiam ei subijcientur, ex inimicis in amicos conuersi. Verùm profectò nõ sic de electis scriptura loquitur; eos pedibus Christi supponendos esse. Sed de ijs tantum hoc dicit, qui inimici permanent: vt sunt aduersariæ potestates, quarum apostolus iam meminit; itemque homines reprobi, qui sunt ex parte diaboli: sumpta nimirum metaphora ab hostibus deuictis, qui subijciuntur inuiti; & quorum prostratorum colla pedibus suis premere solent victores. De electis verò dicit apostolus Eph. 2, quod Deus eos *Christo consedere facit in cælestibus*; scilicet vt amicos & filios, & regni consortes. Nam & apud eũdem apostolum *fidelis est sermo: Si sustinebimus, & conregnabimus*, 2 Timoth. 2.

Regnare quid hoc loco.

Vsus aduerbij donec in scripturis.

Explicatur sensus huius loci.

Christi regnum æternum.

Christus ad dexteram Dei sedet in æternum.

Christus quomodo regnans.

Qui inimici subijciendi pedibus Christi.

26 NOVISSIMA AVTEM INIMICA DESTRVETVR MORS. Quod in quibusdam libris legitur *nouissimè* pro *nouissima*, mendum est haud dubiè. Nomen habent tam Græci codices & Syri, quàm Latini quique probati. Nec in Græcis additur coniunctio. Nec futurum legunt, sed præsens καταργεῖται, *destruitur, aboletur:* tametsi loco futuri positum. Vnde & Latini passim citant in futuro, *destruetur, euacuabitur.* Sciendum autem ex Græco vbi θάνατος

masculini generis est, ita verti posse: *Vltimus inimicus*, siue (quod Valla mauult) *hostis abolebitur mors*. Et hoc modo legunt Tertullianus libro de resurrectione carnis cap. 51, & Hieronymus super Isaiam cap. 24 & 27. Noster interpres femininũ genus reddidit, quod morti responderet. Veruntamen lectio masculina apprimè quadrat contextui. Nam quia dixerat apostolus, *donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius*; ostendit hac parte cæteris inimicis subactis, etiam mortem (quam fictione quadam personæ hostem nominat: quia reuera magnum malum mors est, grassans in vniuersum genus humanum: quę etiam Christo Domino non pepercit) extremo loco destructum atque abolitum iri. Id autem fiet per beatam omnium electorum à morte suscitationem. Vbi interim obserua subtilitatem disputationis Paulinæ, qua ex perfecto Christi regno, quod omnium hostium eius interitum ac destructionem exigit, institutum suum probat, id est, mortuorum resurrectionem: quia nimirum non dæmones solum, & peccatum, fomesque peccati sunt hostes illius regni; verùm etiam mors ipsa, quæ pœna peccati est. Hæc autem in electis non destruitur, nisi vita, quam mors ademerat, eis reddatur: & talis vita, quam mors vltrà auferre non possit. Cõsequens igitur est, eos à morte reuocandos ad vitam, eamque immortalem. Cæterùm in reprobis secundum morem loquendi scripturis vsitatum mors non destruetur. Quamuis enim & ipsi resurrecturi sint, nec amplius animarum à corporibus separatione morituri: nõ tamen ea resurrectio erit illorum à morte liberatio, sed ad statum morte deteriorẽ translatio: quomodo si quis è carcere ducatur ad supplicium, non eum è carcere liberatum dicimus. Satis etiam ex dictis intelligitur, apostolum non tam velle dicere, quod mors sit hostis nouissimus: quasi sensus sit, inter hostes vitæ præsentis mortem esse vltimam, vt exponit Caietanus: quàm quod inter hostes electorum mors vltimo loco sit destruenda, videlicet per resurrectionem eorum beatam in fine sæculi; vt hic sit ordo, Mors hostis destruetur nouissimus. Miror autem nonnullos hunc hostem interpretari diabolum; quum apostolus expresè mortem esse dicat: quo nomine scripturæ non solent diabolum appellare. Destructionem autem diaboli iam antè expediuit apostolus illis verbis, *Cum euacuauerit omnem principatum*, &c.

Mors inimicis Christi annumeratur.

Mors quomodo destruenda. Pauli in disputãdo subtilitas.

In reprobis mors non destruetur.

OMNIA ENIM SVBIECIT SVB PEDIBVS EIVS. Vel, *sub pedes eius*, vt est in Græco. Generali propositione nunc probat omnes inimicos Christo subijciendos esse: & proinde mortem ipsam quoque destruendam. Nam mortis subiectio destructio eius est. Ea propositio sumpta est ex psalmo 8, cuius bonam partem in Christum interpretatur idem apostolus Heb. 2. Sed quia psalmus ille non ad literam de Christus scriptus est, sed mystico sensu ad eum refertur vel totus vel pars eius: idcirco non est mirum, phrasim illam, subijcere sub pedibus, hic extẽdi ad subiectionem omnium angelorum & hominum, etiam electorum. Sensus autem est: Deus Pater omnia Christo subiecit prædictione prophetica, cõtinente promissionem quod omnia sit ei subiecturus. *Nunc* enim *necdum videmus omnia subiecta ei*: sicut dicit apostolus eodem loco epistolæ ad Hebr. sed id tandem futurum est. Nam electi quidem omnes ei subijcientur per obedientiam & iusticiam perfectam. Hæc enim subiectio conuenit amicis Dei. Reprobi verò tam dæmones quàm homines intelliguntur Christo subijciendi: tum quia regno Christi, regnique eius consortibus, vt erunt omnes electi, nihil amplius incommodi inferre poterunt, ablata penitus ab eis omni potestate nocendi: tum quia meritas hostilitatis suæ pœnas luent: à quibus eos nemo poterit eripere. In his enim duobus consistit inimicorum perfecta subiectio. Erunt igitur & hi perfectè subiecti Christo; sed ea subiectione quæ inimicis apta est, non quæ amicis. Atque eam subiectionem iam ante diximus significatam per illud, *donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius*. Nec verò solos angelos & homines complexus est apostolus hoc vniuersali signo, *omnia*: sed & alia quæcumque, quatenus vel seruiunt ecclesiæ, id est, regno Christi, vel ei aduersantur: vt sunt peccatum, mors & tota creatura. Horum enim vnumquodque suo modo, suóque tempore Christo subijcietur. Et hanc vniuersalem omnium subiectionem probat versus sequens, vbi solus Pater excipitur.

Aliter electi Christo subijciendi, aliter reprobi.

Omnia Christo subijciẽda.

27 CVM AVTEM DICAT. Nempe scriptura, siue psalmista loco iam dicto.

OMNIA SVBIECTA SVNT EI. Græcè, *quod omnia subiecta sunt*, supple ei. Hoc scriptura dicit illis verbis, *Omnia subiecisti sub pedibus eius*.

SINE DVBIO PRÆTER EVM QVI SVBIECIT EI OMNIA. *Sine dubio*, Græcè δηλονότι. *Palam*, vel *palam quod*, tanquam δῆλον ὅτι; vt hoc modo rectè vertas: *palam est quod* (hoc dicitur) *extra* seu *præter eum qui subiecit ei omnia*. Id autem est, præter Deum Patrem. Nam statim pòst Filium nominat: tametsi in Patre tota Trinitas intelligitur. Græci putant hoc additum ab apostolo, ne quis gentilium suspicaretur Christum etiam Patrem sibi subiecturum: quomodo Iupiter olim secundũ Græcas fabulas Saturnũ patrẽ sibi subegit, regnoque exuit. Primasius ideo dictum existimat, vt intelligatur Patrem *nullam conditionem assumsisse qua debeat esse subiectus*. Verùm magis placet ea ratio quam Aquinas & Caietanus adferunt: scilicet hoc apostolum addidisse ad significandum vniuersalem subiectionem omnium sub Christo, vt dum solus excipitur pater (qui profectò comprehendi non poterat, cùm ipse sit omnia Christo subijciens) intelligamus omnia cætera sine exceptione Christo fore subiecta: & proinde bene cõcludi, quod

Cur Patrẽ dicat exceptum à subiectione.

etiam

etiam mors ipsa tandem ei subijcienda sit, & ab eo destruenda per vniuersalem electorum resuscitationem. Eandem subiectionis omniũ generalitatem apertissimè expressit Hebr. 2, *In eo*, inquit, *quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei.*

28 CVM AVTEM SVBIECTA FVERINT ILLI OMNIA. Nimirum, morte destructa nouissima.

TVNC ET IPSE FILIVS SVBIECTVS ERIT EI, QVI SVBIECIT SIBI OMNIA. Græcè: *subijcietur ei qui subiecit ipsi omnia*: ac si dicat: Non Pater Filio subijcietur, sed Filius Patri. Iustum est enim, vt qui omnia Filio subiecit, non solum exceptus sit ab illa subiectione; verùm magis è diuerso Filius illi subijciatur, tãquam beneficiarius suo benefactori. Sed quomodo subiectus, cùm si æqualis? Sabelliani & Marcionitæ, teste Ambrosio lib. 5 de fide capit. 7, dicebant futuram hanc Christi ad Deum Patrem subiectionem, *vt in Patrem Filius refundatur*. quo nimirum Filius esse desinat, in Patrem refusus. Alij, quorum meminit Augustinus libro contra sermonem Arianorum c. 37, *illam tunc Filij subiectionem, ipsius humanæ formæ in diuinam substantiam commutationem intelligendam putauerunt*. Sed his omissis, quæ sanæ fidei repugnant, orthodoxorum sensus adferamus. Chrysostomus dicit apostolum his verbis velut per hyperbolen ostendere voluisse *magnam Filij cum Patre concordiam: & quod is est principium bonorum & causa prima, qui eum genuit, qui tam multa potest*. Subscribũt Chrysostomo Theophylactus & Oecumenius, nec dissentit Ambrosiaster, cuius verba sunt: *Tunc & Christus propter vniuocam authoritatem Patris, Deum quidem se ostendet, sed de Deo, vt vnius principij sublimis & ineffabilis authoritas maneat*. Horum igitur sententiâ Filius Patri subiectus esse dicitur secundum naturam diuinam: eo quod esse & posse & omnia habeat à Patre gignente, tanquã Deus de Deo. Verùm hic sermo, Filium esse subiectum Patri secũdum naturam diuinã, quamuis catholicè exponatur, offendit non minus, quàm si secundum diuinam naturam Filius minor Patre dicatur: quod & Hugo Victorinus fatetur in quæstionibus huius loci. Deinde nec conuenit ille sensus instituto. Nam apostolus agit in toto contextu de vera proprieque dicta subiectione. Sunt alij, qui de corpore Christi quod est ecclesia, locum exponant, hoc sensu: Tunc totum corpus Christi mysticum erit Deo planè subiectum, & per omnia obtemperans. Sic interpretati sunt hãc Filij subiectionem Athanasius libro de humana natura suscepta à Verbo, & Theodoritus in commẽtario; nec non Gregorius Theologus à Theophylacto citatus: & inter Latinos Ambrosius loco proximè citato. Sed & Augustinus quęstione 69 inter 83, fatetur non absurdè sic intelligi posse. Quãquam nec iste sensus accommodus est rei præsenti. Nam de eo loquitur apostolus, cui omnia subijcienda sunt: quod non competit in corpus Christi mysticum, sed in caput Christum. Adde quod emphaticè dicit: *Tunc & ipse Filius*. vt ipsius Filij singularem personam intelligas. Superest igitur vt hanc subiectionem accipiamus *iuxta dispẽsationem carnis assumtæ*: quomodo loquitur Hieronymus libro 1 dialogi aduersus Pelagianos cap. 6, id est, secundum naturã eius humanam. Quæ & Augustini est expositio duobus locis iam allegatis, & li. 3 contra Maximinum cap. 18, eademque Latinorum ferè omnium huius loci interpretum. Quæ & textui quàm optimè conuenit. Hactenus enim de Christo vt homine Paulus disseruit, eo perducta disputatione, quod ipsi tandem omnia subijcienda sint, excepto Patre qui subiecit ei omnia. Cui proinde & ipse, videlicet vt homo, subiectus esse debeat. Dicit autem apostolus tunc subiectum fore, cùm subiecta fuerint ipsi omnia: non quod interim non sit subiectus; sed quia de illo tempore quo Christus iam perfectè regnabit ac dominabitur, omnibus in potestatem redactis, dubitare quis posset, an ipse Christus vniuersalis Dominus cuiquam alteri tunc subiectus futurus sit. Tale igitur est quod dicit: Non idcirco desinet Filius esse subiectus Patri, quod subiecta sint ei omnia. Imò iustissimum est vt maneat ei subiectus, qui ipsi omnia subiecit. Portò subiectus erit re & confessione: quia agnoscet & confitebitur Deum Patrem se maiorem; sicut in euãgelio dicit, *Pater maior me est*, Ioan. 14. suumque regnum & omnia bona cum gratiarum actione Patri referet accepta. Conuenit enim hic locus cum illo superiore, vbi dixit Christum traditurum regnum suum Deo & Patri.

VT SIT DEVS OMNIA IN OMNIBVS. Sensus: Ita denique palam omnibus fiet, Deum esse principem etiam Christi hominis; & authorem omnium bonorum, tam ipsius quàm totius regni eius, quod est ecclesia; quæ tunc omnibus & solis constabit electis. *Tunc manifestabitur*, ait Thomas, *quod quicquid boni habemus, est à Deo*. Vel pleniori sensu: Tunc in omnibus Deus erit omnia, quia nihil in electis erit mali, sed omnia bona, ac proinde nihil quod non sit Dei. Vnde Leo sermone 14 de passione Domini, dicit *non istius esse vitæ sed æternæ, vt sit Deus omnia in omnibus*. Hunc sensum consequitur, vt in omnibus laudetur & glorificetur solus Deus: quomodo quidam istud apostoli intellexerunt. Quamuis enim sancti & electi Dei verè sint laudabiles: attamen omnis eorum laus tunc quodammodo resoluetur & colliquescet in laudem vnius Dei, qui erit omnia in omnibus: adeò vt de statu beatorum loquens S. Bernardus sermone 5 de omnibus sanctis, dicat quod ibi *non vicissim alter alterum laudat, quia in laudem conditoris intenti & extenti, in quo tota eis reposita est beatitudo, mutuis nunquam vacare laudibus possunt, dicente propheta: Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt*

Quomodo Filius Patri subiectus, cũ sit æqualis Duæ expositiones peruersæ.

An secundũ naturã diuinam Christus Patri subiectus.

Christus Patri subiectus in corpore suo, quod est ecclesia

Christus Patri subiectus vt homo.

Christus Patri subiectus re & confessione.

Deus omnia in omnibus, quo sensu.

Quicquid boni habemus, est à Deo.

Solus Deus in omnibus laudãdus.

Nota.

bunt te. Liquet ex his, id quod dicit Paulus, *vt sit Deus omnia in omnibus*, etsi de Deo Patre dicatur, ad totam Trinitatem pertinere. Nam Christus homo non tantum Patri, sed & Spiritui-sancto, & sibi ipsi vt Verbo, subiectus erit. Est enim etiam seipso minor iuxta naturam assumptam, testāte Paulo Philip. 2, quod *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Præcipuè verò Patrem nominat apostolus, tumquia de Filij subiectione loquebatur, tum quod à Patre exsistant aliæ personæ: vt hac etiam altiori consideratione ad vnum omnia principium referantur.

Christus toti Trinitati subiectus vt homo.

Ad vnum omnia principiū referenda 29

ALIOQVIN QVID FACIENT, QVI BAPTIZANTVR PRO MORTVIS, SI OMNINO MORTVI NON RESVRGVNT? Post demonstratam mortuorum resurrectionem ex Christi resurrectione & regno, subnectit apostolus ad idē probandum alia quædam argumēta: quorum istud sumitur ab exemplo eorum qui baptizantur pro mortuis. Quod vtique non facerent, si mortuos non sperarent aliquando resuscitandos ad vitam. Sed quid sit baptizari pro mortuis, obscurum est, & ab authoribus variè exponitur. Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 48, & apertius lib. 5 contra Marcionem cap. 10, significat fuisse tempore apostolorum, qui, quamuis vanè & ex errore, pro amico qui fortè sine baptismo defunctus esset, se baptizandos curarent. Quod sanè illi non fecissent, nisi mortuorum corpora, quibus, vt idem Tertullianus scribit, proficere volebant huiusmodi lotionem, aliquando resurrectura credidissent. De his igitur post Tertullianum intellexerunt hunc locum Ambrosiaster, Haimo, Heruæus, Aquinas: & in suis paraphrasibus Erasmus & Titelmannus. Annuit & glossa tam ordinaria quàm interlinealis. Verùm hanc expositionem reijciunt Epiphanius hæresi 28, quæ est Cerinthianorum, & Chrysostomus, eumque secutus Theophylactus in commentarijs: fatentes quidem fuisse post apostolorum tempora, qui tale quid in more haberent, & ex hoc loco Pauli factū suum defenderent; sed falso eius intellectu. Tribuit illud Epiphanius Cerinthianis; Chrysostomus verò & Theophylactus asscribunt Marcionitis: ac ritum referunt perquàm ridiculum, quo id ab eis fieri soleat. Exstat etiam vetus prohibitio, *ne mortuos baptizari posse, fratrum infirmitas credat*; canone 6 cōcilij 3 Carthaginensis. Meritò autem reijcitur sensus ille. Neque enim verisimile est apostolum ex facto quorundam grauiter errantium voluisse capere argumētum pro resurrectione mortuorum. Qua ratione etiam Liranus eam expositionem improbat. Alij sic exponunt: *pro mortuis*, id est, pro peccatis abluendis. Nam peccata ab eodem apostolo vocantur opera mortua, quasi mortifera, quia mortem generant Heb. 6, v. 1, & cap. 9, v. 14. Qui commētarius est apud Sedulium, Lombardum & Liranum. Refert etiam ex ordinaria glossa Aquinas, sed minus probat; nec certè proban-

Quid apostolo baptizari pro mortuis. Prima expositio Tertulliani.

Reijcitur ab Epiphanio & alijs.

Secunda expositio.

dus est. Nam apostolus manifestè significat non de operibus, sed de personis mortuis se loqui, cùm addit: *si mortui non resurgunt.* Item vocabulum (mortua) nisi quid addatur, vt opera, nusquā peccata significat. Porrò Chrysostomus baptizari pro mortuis exponit baptizari pro fide & spe resurrectionis mortuorum, quam ante baptismum profitentur catechumeni, dum symbolum recitant, dicentes post alia, quemadmodum testatur idem Chrysostomus, *Credo in resurrectionem mortuorum, & in vitam æternam.* Placet hic commentarius etiam Theophylacto & Oecumenio: sed alijs coactior videtur: eo quod hic sermo, *pro mortuis*, ad illum sensum ægrè trahi possit. Non multum dissimilis est expositio eorum, qui illud *pro mortuis* ad hunc modum explicant: agentes seu repræsentantes mortuos: eo quod immersio & emersio quæ fit in baptismo, sit mortis ac resurrectionis quædā repræsentatio. Quem sensum tradit Caietanus hoc loco: latius autem prosequitur in iētaculo secūdo quæst. 3. Eodem alludit Theodoritus. Chrysostomus etiam hunc sensum priori adiungit. Vtrique porrò affinis est, quem ex commentario Pelagij sumptum adferunt Primasius ac Sedulius, *pro mortuis* exponentes, in morte Christi, id est, vt Christo commoriantur, cum eo resurrecturi: sicut apostolus exhortando docet Rom. 6. Sed & hi duo sensus à verbis Pauli longius recedunt. Denique facit contra iam dictas quatuor expositiones, quod apostolus videtur tantum de quibusdam loqui, non de omnibus fidelibus. At istæ quatuor omnibus baptismum susciepientibus accommodantur. Sunt igitur alij quidam recentiores, qui baptizari interpretantur affligi: quomodo sumitur in verbis Domini Lucæ 12 dicentis, *Baptismo habeo baptizari.* & Marci 10, *Potestis baptismo quo ego baptizor, baptizari?* Quò referunt etiam illud Ioānis Baptistæ de Domino, *Ipse vos baptizabit in Spiritu-sancto & igne*, Matt. 3. Nā baptismū ignis eo loco Hieronymus intelligit pœnam purgatorij. Proinde sensum hunc faciūt: Frustra quidam pro mortuis iuuandis orando, ieiunando & alia quædam dura subeundo sese fatigant & affligunt; si mortui non resurgunt. Ita Carthusianus, Catharinus, alijque nonnulli. Gaigneus quoque baptismum hūc similiter afflictionem interpretatur & supplicium: sed apostolum exponit de ijs qui *affligūtur vel pro spe mortuorum ad vitam non interituram resurgendi, vel pro asserta mortuorum resurrectione.* Quod posterius amplectitur Guilliaudus. Verùm certè non multum probabilitatis habere videtur istiusmodi commentarius, primùm, quod illa baptismi significatio valde figurata sit ac rara; nec ab alio quàm à Christo Domino vsurpata. Quod enim ad verba præcursoris attinet, loquentis de baptismo ignis Matth. 3, melius ea referuntur ad rem gestam in die Pentecostes, quando super apostolos Spiritus-sanctus in igne descendit,

Refellitur.

Tertia expositio Chrysostomi: sed coactior.

Quarta expositio Caietani.

Quinta.

Refelluntur præcedentes expositiones.

Sexta expositio quorundā recentiorum.

Parum probabilis ostenditur

Acto. 2. quemadmodum bene probat Ianſenius cap. 13 Concordiæ euangelicæ. Nam & Chriſtus illuc refert prædictionem Ioannis, Acto. 1, & ipſe Hieronymus eum ſenſum adfert priore loco: quem & alij docti ſequuntur. Deinde refellitur ille commentarius; quia baptiſmus ijs duobus locis qui allegantur, non ſignificat afflictionem ſeu paſſionem quamlibet, ſed vehementem, eamque forinſecus illatam aut irruentem; vt ſunt in ſcripturis vndæ perſecutionum ac tribulationũ, quibus qui merguntur & obruuntur, baptizari videantur. Hoc autem ad voluntarias afflictiones, vt ſunt orationes, eleemoſynæ & ieiunia, quæ pro mortuis adiuuandis ſuſcipiũtur, accommodari non poteſt. Quas ſi Paulus omnino ſignificare voluiſſet, non dixiſſet *qui baptizantur*, tanquam ab alijs, ſed, qui baptizant ſeipſos *pro mortuis:* quomodo ſecundum ſcripturam qui voluntaria ſubeunt ieiunia, ſeipſos aut animas ſuas affligere dicuntur; vt Leuit. 16 & 23, & alibi. Ne prolixiores ſimus, omitto nouam expoſitionem Ariæ Montani, qui locum hunc de ijs interpretatur, qui Spiritum-ſanctum accipiunt ante baptiſmum, veluti Cornelius cum cognatis ſuis & amicis, Acto. 10. Quos dicit baptizari pro mortuis, quia iam prius mortui peccato, & in vitam iuſticiæ reſtituti, rationem non habeant cur baptizentur, niſi vt ipſa ſuſceptione baptiſmi qui peragitur immerſione & emerſione, profiteantur ſpem futuræ reſurrectionis ex morte corporis. Viderit author qua probabilitate commẽtarium hunc ſuum aſtruat. Mihi profectò violentus ac longiſſimè petitus videtur. Multo probabilius illi, qui putant apoſtolum argumentari ex facto Iudæorum: quemadmodum & aliàs ex eo quod apud Iudæos fiebat, argumentum capere ſolet, vt ſuprà cap. 9, cùm de ſuſtentatione miniſtrorum euangelij diſſereret, & cap. 10, cùm ageret de idolothytis. *Videte*, inquit, *Iſrael ſecundum carnem*, &c. Dicunt igitur apud Iudæos conſuetudine receptum fuiſſe, vt ſi quis legaliter immundus moreretur priuſquam ab ea immundicia ſecundum legem Num. 19, ablutus eſſet, alius quiſpiam pro eo baptizaretur, id eſt, lauaretur: quod exiſtimarent huiuſmodi lotionem proficere mortuo ad emundationem. Id verò ita ſollicitè ab illis ſolere fieri, ne quid ſpiritui hominis mortui noceret immundicia in qua mortuus fuerat, ſimul vt ea cærimonia proteſtarentur fidem immortalitatis animarum & reſurrectionis mortuorum, aduerſus hæreſim Sadducæorum per id tempus in populo Iudaico multos occupantem. Ac ſanè non eſt incredibile, tale quid à Phariſæis, (de quorum numero Paulus ſe fuiſſe teſtatur Actor. 23 & Philip. 3) odio ſectæ Sadducæorum fuiſſe factitatum. Nam & ex euangelio conſtat, frequentes baptiſmos ſeu lotiones Phariſæis in vſu fuiſſe, vt Matth. 15, Marci 7, Lucæ 11. Facit etiam nonnihil pro hoc intellectu, quod apoſtolus ſubiungit, *Vt quid & nos periclitamur omni hora?* Quaſi dicat: Non ſolum ex eo quod agunt Iudæi, ſumitur argumentum pro reſurrectione mortuorum; verùm multo magis ex eo quod nos patimur, qui Chriſtiani ſumus. Adfert hanc expoſitionem Fran. Turrianus libr. 4 pro epiſtolis Pont. cap. 14, eamque confirmat authoritate quorundam veterum, ſcilicet Ephræm diaconi, qui in teſtamento ſuo, ſiue in ſermone de morte ſua, locum apoſtoli ſic intellexerit. Item Apollinaris antiqui ſcriptoris, interpretantis locum memoratum Numerorum: & Euſtratij preſbyteri Conſtantinopolitani in libro de immortalitate animæ. Quamuis autem hæc expoſitio non ſit contemnenda, (nititur enim non leuibus coniecturis) eſt tamen & alia meritò, ni fallor, huic & cæteris omnibus anteponenda, quam à prioribus acceptam ſuo calculo probat Epiphanius loco ſuperius citato: nempe eos pro mortuis baptizari, qui cùm nullam ſpem huius vitæ reliquam habeant, baptiſmum tamen petunt & ſuſcipiunt: vtique reipſa declarantes ſe tantum baptizari pro mortuis, ſiue pro ſtatu mortuorum, id eſt, ad hoc vt baptiſmus ijs profit eo tempore, quo preſenti vita defuncti erunt: qui eſt ſtatus hominis poſt mortem. Tales erant qui infirmi ac moribundi baptiſmum miniſtrari ſibi volebant: qui quod lecto decumbentes baptizarentur, olim Græco vocabulo, Clinici dicebantur. Id autem frequens erat primis eccleſiæ temporibus, quando multi baptiſmum differebant vſque ad extremum vitę. De quibus etiam à baptiſmo minimè repellendis exſtant veterum cõciliorum & pontificum decreta. Quidam Epiphanij ſenſum non bene capientes, exiſtimant eum id velle: *baptizantur pro mortuis*, id eſt, tanquam mortui: quomodo dicimus aliquem ſublatum aut derelictum pro mortuo. Qui ſenſus quia minus cõuenit, refellendam ſumſerunt expoſitionem Epiphanij. Quod non feciſſent, ſi ſenſum quẽ vult Epiphanius, rectè fuiſſent aſſecuti. Nam mortuorum nomine ſtatum mortuorum in ſcripturis ſignificari, patet ex vſitatiſſima phraſi, qua quis à mortuis reſurgere dicitur. Vnde & de ſolo Chriſto loquens apoſtolus, reſurrectionem mortuorum nominauit Roman. 1. Illud porrò *quid facient?* à nonnullis ſic exponitur: quo euadent? quid illis futurũ eſt? planè peribunt. vt ſuprà dixit, *ergo & qui dormierunt in Chriſto, perierunt*. Verùm ipſe paulo pòſt in alio verſu videtur exponere, dicens, *quid mihi prodeſt?* ita hic *quid facient?* ac ſi dicat, quid lucrifacient? quid illis prodeſt? Igitur totum hoc erotema apoſtoli ſic explicandum videtur: Alioquin, id eſt, ſi omnino non eſt mortuorum reſurrectio, quem fructum reportabunt qui baptizantur iam iam morituri, & per hoc profitentur ſe baptizari propter ſtatum futurum poſt hanc vitam? Hic ſenſus apertus ac ſimpliciſſimus eſt; & ad probandum id quod apoſtolus inſtituit, aptiſſimus: preſertim ſi cum Tertulliano locis antea citatis.

Septima expoſitio noua, & improbabilis,

Octaua expoſitio probabilis

Iudæorũ conſuetudo lauãdi mortuos legaliter immũdos.

Conſuetudinis ratio duplex.

Nona expoſitio Epiphanij cæteris probabilior, de baptiſmo Clinicorũ

Clinici à baptiſmo non repellendi. Explicatur mens Epiphanij.

citatis, vrgeamus baptismum corporibus adhiberi, non animabus. Sic enim ille contra Marcionem ratiocinatur; Corpora baptizantur, ergo corpora resurgent. Dum enim sacramentum impenditur corpori, corpus consecratur immortalitati. Spes autem immortalitatis & resurrectionis euidentius apparet in illis qui tunc baptismum requirunt, quando sunt ex hac luce migraturi. Valet igitur ratio à spe & fide eorum qui morituri baptismum petebant. Quæ eorum pietas meritò commendatur. Hanc de baptismo Clinicorum expositionem ab Epiphanio traditam docti quidam libenter approbãt, & inter eos Ioannes Hesselius in commentario prioris epistolæ Petri cap. 4. Eandem velut antiquitati consonam, explicat Galenus noster, catechesi III.

Argumẽtatio Tertulliani ex baptismo pro resurrectione.

VT QVID ET BAPTIZANTVR PRO ILLIS? *Vt quid* hic & statim pòst interpres suo more posuit pro Græco τί, *quid. cur. Pro illis*, Græcè & Syriacè, *pro mortuis*? Habet autem hæc repetitio vehementiam. Sensus enim est: Quorsum, inquam, aut, quorsum quæso, etiam pro statu post mortem futuro baptizantur, si à morte non est reditus ad vitam? Ac si dicat: Si vana est exspectatio resurrectionis, & spes nostra non extenditur vltra terminum huius vitæ; soli ergo victuri deberent baptizari; non qui ilico morituri sunt.

30

VT QVID ET NOS PERICLITAMVR OMNI HORA? Aliud argumentum à periculis, quibus se exponebant apostoli Christum prædicantes. Quorsum, inquit, & nos apostoli causa euangelij versamur in quotidianis & continuis vitæ periculis, si non est mortuorum resurrectio? Nam profectò, qui non sperant aliã vitam cupiunt istam omni modo producere, vitantque eius amittendæ pericula quantum possunt. Huiusmodi multa sua pericula recenset apostolus in 2 epistola cap. 11. Ac de ijsdem subiungit.

Qui desperant resurrectionem, nolunt finire hanc vitam.

31

QVOTIDIE MORIOR PER VESTRAM GLORIAM, FRATRES. Ex apostolis vnum, id est, seipsum, qui propriè Corinthiorum apostolus erat, in exemplum adducit. *Fratres* in Græco non additur. Cæterùm variant Latini codices illa parte, *per vestram gloriam*. In multis enim legitur *propter vestram gloriam*. Apud Ambrosium habet quidẽ textus *pro vestra gloria*: sed commentator exponit *propter gloriam promissam à Domino*. tametsi *pro vestra gloria* legitur etiam in nonnullis mss. Hieronymus in epitaphio Marcellæ epistola 16 cap. 3 citat *propter vestram salutem*, antiqua quædam, vt conijcit Erasmus in scholijs illius loci, exemplaria secutus. Vtramque lectionem *per* & *propter* exponunt interlinealem glossam secuti Lombardus, Aquinas & Carthusianus. Verùm in plerisque & probatioribus mss. id habetur quod nos legimus, *per vestram gloriam*. Et ita legit & exponit Haimo: qui tamen etiã illius lectionis meminit, quam diximus esse textus Ambrosiani. Item legit & exponit Heruæus, licet apud eum temerè & repugnante commentario, quispiam *per* in *propter* mutauerit. Similiter legit Pelagius: sed qui studiosè monet iuxta suam hæresim, ne quis hinc colligat apostolum iurasse. Sedulius vtrumque exponit, *pro gloria vestra*, & *per gloriam vestram*, in altero Ambrosiastrum, in altero Pelagium secutus. At verò B. Augustinus non solum legit *per gloriam vestram*; verùm etiam ex eo docet apostolum Paulum iurasse: & proinde iuramentum non esse Christianis simpliciter & vniuersè prohibitum, vt Pelagius volebat. Loca sunt apud Augustinum l. 1 de sermone Domini in monte, capit. 17, sermone 28 de verbis apostoli cap. 5, in explanatione epistolæ ad Galatas cap. 1, & in epistola 89 ad Hilarium quæstione 5. Quibus omnibus locis, vt indubitatè probet apostolum iurasse, Græcũ textum allegat, in quo legitur νὴ iurantis aduerbium. Rursumque de eodem agens lib. 3 de doctrina Christiana cap. 4, dicit quendam interpretem ex Græco vertisse, *Quotidie morior, per vestram iuro gloriam*. Sic autem & Syrus paraphrastes, *Iuro per gloriam vestram fratres mei*. Vt iam dubium non sit, hanc quæ in nostris est codicibus, esse germanam lectionem. Chrysostomus quidem & sequax eius Theophylactus, videntur vocula νὴ interpretari per διὰ, *propter*. Et Photius apud Oecumenium adfert eam expositionem secundo loco. Verùm fortasse Chrysostomus, cuius studium semper fuit suos auditores à iurationibus auocare, dissimulandum putauit commentarium de iuramento: quum alioqui sensus iste promptissimus sit: ac νὴ pro διὰ vix vsquam reperiatur. Neoterici quoque Faber & Catharinus Græcæ lectionis non ignari, iuramentum tamen esse negant; non alia ratione ducti, quàm quod absque necessitate non sit iurandum: quasi Paulo non fuerit satis iusta causa iurandi in re tanti momenti, quam volebat persuadere: præsertim cùm essent inter Corinthios nonnulli, qui suspicarentur ipsum secundum carnem ambulare, 2 Cor. 10. Porrò sciendum est *gloriam* pro gloriatione positam ab interprete. Nam Græca non habent δόξαν, sed καύχησιν. Itaque sensus est, Quotidianis vitæ periculis expositus sum, & vt ita dicam, quotidianas mortes patior: ita iuro per gloriam seu gloriationem, qua de vobis glorior tanquam meis in Christo filijs. Nam in hoc & alibi magnificè gloriatur; vt cap. 4 & 9 huius epistolæ. Sic autem dixit gloriam vestram, id est, de vobis, aut in vobis, quomodo dicit Rom. 3 gloriam Dei, id est, in Deo. Et sic per illam gloriàm suã iurat, quomodo Iacob per timorem seu reuerentiam patris sui Isaac iurasse legitur, Gen. 31. Nam in huiusmodi locutionibus quæ sæpius occurrunt, genitiuus est obiecti, nõ subiecti. Iam quod aliqui Græci codices, quos Laurentius, Faber, Erasmus & Caietanus sequũtur, habent ὑμετέραν pro ἡμετέραν, *nostram* pro *vestram*; deprauata lectio est ex ignorantia locutionis apostolicæ introducta. Namque vetusti codices & tra-

Huius loci varia lectio.

Germana lectio, per vestram gloriam.

Pelagij dogma, nõ esse licitũ iurare.

Exemplo Pauli docetur iurameñtũ non esse Christianis absolutè prohibitum.

Paulo iusta causa fuit iurandi.

Gloria pro gloriatione.

Per quam gloriam Paulus iuret.

ctatores Græci cum Latinis omnes constanter legunt *vestram*. Ne verò videatur arroganter ingerere mentionem gloriæ suæ quam ex Corinthijs habebat, adiungit.

QVAM HABEO IN CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO. Id est, qua glorior per Christum Dominum, ex cuius merito & passione mihi prouenit omnis gloriandi materia: nempe secundum illud Gal. 6, *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.*

32 SI SECVNDVM HOMINEM AD BESTIAS PVGNAVI EPHESI, QVID MIHI PRODEST, SI MORTVI NON RESVRGVNT? *Ad bestias pugnaui*, in Græco vnũ verbũ cõpositum est ἐθηριομάχησα, *cum bestijs pugnaui*. Interpres *ad bestias* dixit, locutione tunc, vt arbitror, vsitata, propter aliquid subauditum: ac si diceretur, Si ad bestias dãnatus pugnaui. Sciẽdum autẽ fuisse duas ac diuersas pœnarũ species; bestijs obijci, & pugnare cũ bestijs. Nã bestijs obiecti statim laniabantur: pugnabãt autẽ cum bestijs, qui in arenã armati procedebãt, euasuri & vita donãdi, si possent bestiã conficere. Vtriq; tamen ad bestias dãnati dicebãtur. Cæterùm de Paulo, quod aliquãdo cum bestijs seu feris cõmissus fuerit, aut feris obiectus, nulla prodit historia: nisi quod Nicephorus li. 2 hist. ecclesiast. c. 25, ex quodã libro profectionum Pauli (verisimile est eundem esse, quẽ Origenes li. 1 periarchôn c. 2 vocat actus Pauli) cõmemorat eum Ephesi præside quodã Hieronymo, primum leoni, mox alijs immanibus feris in eum immissis, expositum fuisse: quæ tamen illum attingere nõ fuerint ausæ: leonẽ verò procurrisse quidẽ, sed ad pedes eius consedisse. Verum actus illi, non dubium, apocryphi sunt, ipso etiã Nicephoro teste lib. 2 ca. 46. Propriè nihilominus acceperunt apostoli verba, cõmentator Ambrosianus, Theodoritus & Caietanus: scilicet ipsum Ephesi verè bestijs obiectũ fuisse, & Dei gratia liberatum. Nec abnuit Primasius, licet id alibi scriptum nusquã reperiatur: quia, vt aiunt, nõ omnia scripta sunt, quę passi sunt apostoli. Sed hũc istius loci intellectum doctè refellit Cardinalis Baronius tomo 1 annalium ad annum Christi 55. Neque enim Paulus dicit se bestijs obiectum fuisse, sed cum bestijs pugnasse. Nõ est autẽ credibile, nec ratio dignitatis apostolicæ permisisset, Paulũ armatum in arenã aut theatrum prodire, pugnaturum cum bestijs: quod nec de alio quoquã martyre legitur. Nã obijci feris solebant martyres, non pugnã cum feris inire. Huc accedit quod vtrumque illud supplicij genus viliũ erat personarum: vti constat ex l. 3 ff. ad legem Corneliam, de sicarijs. Quare Paulus, qui ciuis Romanus erat, eo supplicio dãnari non potuit; nisi prærogatiuã hanc suam tacuisset: quod de eo non est opinandum, qui ad minora quædam effugienda ciuem Romanum se protestatus est, Acto. 16 & 22. Denique rẽ tam memorabilem idẽ apostolus in epist. 2 cap. 11, vbi suas afflictiones & pericula longo ordine recitat, haud quaquam silẽtio prætermisisset. Quare potius ijs accedẽdum, qui metaphoricè bestias seu feras interpretantur homines ferinis animis ac moribus, qui in Paulũ insurrexerũt. Sic enim & Ignatius vir apostolicus in sua ad Romanos epistola scribit: *A Syria Romam vsque terra mariq; cum bestijs depugno*: cùm de militibus, quorum custodiæ traditus erat, loqueretur: vt verba eius sequentia declarant; vbi & leopardos eos appellat: & ipse Paulus 2 Tim. 4, *Liberatus sum*, inquit, *de ore leonis*. quod de Nerone dictum interpretes non dubitant. Nam & aliâs sæpe de sæuis hominibus, vt de feris bestijs, scriptura loquitur, præsertim in psalmis, *Tauri pingues obsederunt me. Salua me ex ore leonis. Ne tradas bestijs animas confitentes tibi*, Psal. 21 & 73. Sic igitur & Paulum hîc locutum intellexerunt Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius in cõmentarijs, & ante eos Tertullianus libro de resurrectione carnis c. 48. item Latini interpretes Pelagius, Sedulius, Haimo & alij, ferè glossam interlinealẽ secuti. Quã sententiã adfert etiã Primasius priore loco. Minus autẽ probabile est, tametsi sensu non adeò diuersum, quod Hieronymus in præfatione libri 3 cõmentariorum epistolæ ad Ephes. bestias hîc interpretatur diabolum & satellites eius, id est dæmones, ad doctrinã Pauli ex principe Asiæ ciuitate pelli se dolentes, & idcirco Paulũ totis viribus opprimere nitentes: nisi potius per agmina satellitum diaboli (sic enim loquitur) homines diaboli ministros intellexit. Nã homines hoc loco rectius intelligi, satis ex dictis apparet. Quæritur ergo quænã fuerit illa Pauli cũ hominibus pugna, quã Ephesi sustinuit. Tertullianus & Hieronymus locis iam indicatis referũt ad Asiaticã pressurã, de qua Paulus ad eosdem Corinthios 2 epistolæ 1 ita scribit: *Non enim volumus vos ignorare de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem; ita vt taderet nos etiam viuere*. Verum illuc referri non posse, vel ex eo liquet, quia Paulus illam pressuram memorat vt recentem, & quæ post scriptam priorem epistolã contigerit. Porrò multorum sententia est, hãc Pauli cum bestijs pugnam esse contentionem illam grauem ac periculosam quæ ei fuit cum Demetrio argẽtario & socijs artificibus, totã Ephesi ciuitatem propter Dianæ iniuriã aduersus eum cõcitantibus, vt habetur Acto. 19. Ita sentiunt Theophylactus & Oecumenius. item Latini Pelagius, Haimo, Heruęus, Aquinas & alij. Sed hi reipsa abeunt in priorem sententiã, quã modò refutauimus. Nam ista contentio non diuersa fuit, sed eadem cũ illa pressura Asiatica, cuius meminit in secunda epistola: quemadmodum bene docent eius loci interpretes. Quanquam & absque eo, satis ex ratione temporum constat, Demetrianum tumultum accidisse post hanc epistolam scriptam: nimirum, vt ex historia Actorum apertè colligitur, extremo tempore quo Paulus Ephesi moratus est. Dicendũ igitur est, vt bene concludit Baronius, huius pugnæ seu pressuræ Lucam in Actis non memi-

Pœna diuersa, bestijs obijci, & pugnare cum bestijs.

An Paulus aliquando cũ bestijs pugnauerit.

Fabula de Paulo feris obiecto.

Actus Pauli liber apocryphus.

Refutatur dicta opinio.

Verior expositio per bestias intelligi feros homines.

Per bestias dæmones intelligi, minus probabile.

De qua pugna Paulus loquatur, opinio quorundam.

Refellitur

Aliorum opinio.

Item refellitur.

 nisse.

Vera responsio.

Iudai bestiarum nomine significati

miniſſe. Siquidē & alia multa geſtorū & afflictionū Pauli ab eo fuiſſe prætermiſſa, vel vnū illud caput 11 epiſtolæ ſecundæ ad Corinthios manifeſtè cōprobat. Veriſimile eſt autem Iudæos fuiſſe, quos beſtiarū nomine denotauit. Nā Iudæos ferarum more paſſim in Paulum, vbicumq; ille per gentes euāgeliū prędicabat, impetum feciſſe, ex Actis apoſtolicis abundè notum eſt. Ac fortaſſe commota fuit aduerſus Paulum hæc pugna ab illis, qui diſputāte eo & ſuadente de regno Dei, indurabātur aduerſus eius doctrinam, *maledicentes viā Domini coram multitudine*; vt eodem cap. refert Lucas. Erant enim Iudæi, quorū in ſynagoga res agebatur; nec id multo poſt aduentum ipſius Pauli in Epheſum ciuitatē. Iam & illud, *ſecundū hominē*, variè exponunt interpretes. Quidā hoc ſenſu: Si humanæ vitæ reſpectu, ſolumq; in hoc mūdo præmium exſpectans, tanta paſſus ſum. Verūm ſic fruſtra adderetur, *ſi mortui nō reſurgūt*. Siue enim mortui reſurgāt, ſiue non: nihil proſunt pericula ſuſcepta reſpectu tantum vitæ præſentis. Caietanus interrogatiuè exponit hoc modo: Nunquid ſecundū hominē, & non ſecundum Chriſtum, id eſt, humana ratione & non diuina, pugnaui: &c. quaſi dicat, minimè. Gloſſa ordinaria ſic habet: *Secundum hominē, id eſt, rationabiliter agēs, quia hominis eſt credere non mori hominē vt beſtiam.* Sequuntur hoc Lōbardus & Aquinas. Cæterùm Oecumenius ex Photio, *ſecundum hominem* interpretatur, *quātum mihi erat poſſibile.* Sed Gaignæus ex ſentētia Photij coniungendum putat hoc totum, *ſecundum hominem ad beſtias*. ac ſenſum facit: quantū homini poſſibile eſt, vſq; ad extremū ſpiritū, more beſtiarū ſcilicet, pugnaui pro defenſione euāgelij. Eſt prēterea qui ſic exponat; *ſecundum hominem*, id eſt, vt mos eſt hominum dicere. Nā qui patiūtur malos homines vehementer infeſtos, pugnare cum beſtijs dicūtur. Nobis eorum ſententia maximè probatur, qui particulā hanc claudunt parentheſi, & dictam accipiūt ſimili ſenſu, quo eā alibi Paulus vſurpat, nempe Rom. 3 v. 5, & huius epiſtolæ cap. 3 v. 8. item Gal. 3 v. 15, vt opponatur ei quod eſt *ſecundum Deū* in 2 Cor. 11, vbi ſic ait: *Quod loquor, non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in inſipientia:* id eſt, ſecundum hominem. Quocirca totus hic locus ad iſtum modum exponendus videtur: Quod (vt hominum more loquar, qui libenter cōmemorare ſolēt pugnas ſuas & pericula, è quibus glorioſè euaſerūt) cum aduerſarijs meis, velut cum feris cōgreſſus, depugnaui Epheſi, & impetum eorū ſuſtinui: *quid mihi prodeſt?* Græcè, *quæ mihi vtilitas*, ſcilicet ex ea pugna, preſſura & tolerantia; ſi non eſt mortuorū reſurrectio? Quomodo valeat hæc ſequela, cùm obijci poſſit animarum immortalitas & felicitas poſt hanc vitam; petendum relinquo ex ſuperioribus. Id tamen addo, ex mente Tertulliani Paulū inſinuare ſpē reſurrectionis corporis ſui, quod in corpore talia paſſus eſſet. Namq; per martyria paſſioneſque corporales pro Chriſto ſuſceptas, ipſa corpora conſecrantur beatæ reſurrectioni; quēadmodum per almoniam corporis & ſanguinis Domini, iuxta doctrinam ſanctorum patrum, etiā corpora noſtra ſpem accipiunt immortalitatis. Atq; hæc omnia ſatis poſſe dunt apoſtolo tantum ſermonem eſſe de bona meritoq; ſperanda reſurrectione. Porrò notādum Græcos, excepto Theodorito, partem illam *ſi mortui non reſurgunt*, abrumpere à ſuperiori ſentētia, & adiungere ſubſequenti: quod & Hieronymus facit lib. 5 cōmentariorum in Iſaiæ 22. Sed nobis Latinorum diſtinctio magis placet.

Secundū hominem variè exponitur.

Per martyrium & Euchariſtiæ ſacramentum corpora fidelium conſecrātur reſurrectioni.

MANDVCEMVS ET BIBAMVS, CRAS ENIM MORIEMVR. Græcè φάγωμεν καὶ πίωμεν, αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν, *morimur.* & ita legi in nonnullis editionibus Latinis teſtatur Valla. Mimeſis eſt, recitatis verba, quæ dicere, ſaltē apud ſe & in cor de ſuo, poſſent homines perſuaſi mortuos nō reſurrecturos: ac ſi dicat apoſtolus, Si non eſt futura mortuorum reſurrectio: reliquū eſt vt omnes virā ducant Epicuream, & delicijs ac voluptatibus ſeſe expleāt, dicātque, Comedamus & bibamus, genialiter viuamus dū licet. Nā breui moriemur, ipſa morte penitus interituri. Verba ſunt apud Iſaiam c. 22, &, vt hîc in Græco leguntur, eadē omnino cū ijs quæ reddiderunt LXX. Nam in Hebræo verbū eſt futuri tēporis. Scribuntur autē à prophetā perſonam inducente Iudæorū, non tā negantium mortuos aliquando reuicturos, quàm deſperantium ex obſidione Chaldaica (hanc enim eo loco prædicit) ſeſe euaſuros; aut certè ſuum prophetam, Ieremiā dico, verbis eiuſmodi irridentium: quaſi dicerent; Edamus, bibamus, epulemur: quia vt aſſiduè canit propheta noſter, breui moriemur. Vnde Hieronymus in illius loci commētario, dicit apoſtolum huius teſtimonij exemplo abuſum eſſe, quando ea verba accommodauit hominibus reſurrectionem mortuorum deſperantibus. Annotāt Oecumenius & Valla, prouerbium eſſe Laconicum. Quod vt ita ſit; nobis certum eſt, apoſtolum ex Iſaia ſumſiſſe. Similis eſt locus in lib. Sapientię c. 2. vbi iſtiuſmodi multa dicūtur ex perſona impiorū.

Mimeſis.

Deſperatio reſurrectionis homines reddit Epicuraos.

NOLITE SEDVCI. *Nolite decipi.* Ne ſinatis vos abduci in errorem. Doctrinæ ſubijcit exhortationem, occaſione verborum quæ proximè dixit ex eorum perſona qui reſurrectionem non credūt. Ea namque ſpectant ad ſeducendos fideles.

Senſus maximè probabilis

CORRVMPVNT MORES BONOS COLLOQVIA PRAVA. Siue *mala*, vt habent plerique noſtri codices. Græcè ὁμιλίαι κακαί. Pro quo vetus trāſlatio, citante Hieronymo in epiſtola ad Nepotianū, habebat, *cōfabulationes peſſimæ.* Cyprianus recitat hoc modo: *Corrūpunt ingenia bona cōfabulationes peſſimæ.* l. 3 teſtimonio. c. 95, li. de vnitate eccleſiæ, & in epiſt. 55. In Græco ſenarius eſt: quē Menandro comico poëtę pleriq; omnes aſſcribūt. Socrates tamē hiſtoricus l. 3 c. 14, & ex eo Niceph. l. 10 c. 26, tribuūt Euripidi. Quē verſum, verbis vulgatæ verſionis trāſpoſitis, conuertit Eraſmus in Latinū ſenariū: *Mores bonos colloquia corrūpūt mala.* Ad-

Corrumpunt mores bonos colloquia mala.

fert

Paulus vtitur testimonijs scriptorũ gentilium. Quatenus idem alijs liceat exemplo Pauli.

fert autẽ & alibi Paulus è scriptoribus ethnicis testimonia, sicubi res postulat; vt Act. 17, & Tit. 1. Ex qua re discimus, non esse vicio dandũ doctoribus aut cõcionatoribus Christianis, si quãdo scriptis suis aut sermonibus sententias inserãt ex authoribus profanis: dum tamen & sobriè & opportunè id faciãt: nõ vt quidã, passim & affectatè. Simile quid etiã Thomas annotauit, authorẽ citans Hieronymum: qui cũ alibi, tũ ex professo in epist. 84, quæ est ad Magnum oratorẽ, ostendit exẽplo Pauli & aliorũ veterũ ecclesiæ scriptorũ, rectè id fieri, rectéq; à se factum esse. Affirmat idem Hieronymus scribẽs ad Demetriadem virginẽ, epist. 8, c. 10, quòd hunc *secularem* Menandri poëtę *versum assumens apostolus, fecit ecclesiasticum.* Quod & Tertullianus sensit, quũ ad vxorẽ scribẽs lib. 1, c. 7 eam hortatur his verbis: *Connictũ atq; commercia Deo digna sectare; memor illius versiculi sanctificati per apostolum, Bonos corrũpunt mores congressus mali.* Sic enim ille Græcũ versũ reddit eodẽ metro; sed libertate Latinæ comędię. Quod si sanctificatus & ecclesiasticus factus est per apostolũ Menãdri versus; igitur quod à Menãdro scriptum, erat verbũ hominis; idem postea dictãte Spiritu-sancto scriptũ à Paulo, factũ est verbum Dei. Porrò Græci interpretes ἤθη χρηστὰ, *mores bonos*, intelligunt cõmodos seu placidos, & in quãuis partẽ duci faciles. Quẽ admodũ & ex Syriaco legimus *mores benignos*, aut alio interpretãte, *mentes suaues.* Nam χρηστὰ tale quid etiam significat. Vnde & illud *iugum meũ suaue*, ὁ ζυγός μου χρηστός, Matt. 11. Veruntamen vt mores boni, id est, probi intelligantur hoc loco; cõtextus planè requirit. Estq; veritas sententiæ nimis quàm nota per experientiam. Subindicat autem apostolus inter Corinthios fuisse, qui ratiunculis, vti verisimile est, ex sæculari philosophia petitis (vt erant apud eos non pauci sapientiæ sæcularis amantes) fidem resurrectionis apud fideles, in priuatis colloquijs, tentarent labefactare.

Versus Menãdri à Paulo sanctificatus.

34 EVIGILATE IVSTI. Græcè, δικαίως aduerbiũ, *iustè*: Syro textu annuẽte. Quædam etiam Latina mss. *iustè*, legunt; & cũ ijs veteres concordantiæ: nec non Ambrosius in enarratione psalmi 118 octonario 10. Nec tam opus erat vt iustos hortaretur apostolus ad euigilandũ, quã illos de quibus statim sequitur, *Ignorãtiã enim Dei quidã habent.* Non mirũ autem si (*iustè*) sit mutatũ in (*iusti*) quod apud plerosq; Latinos legitur: facilis enim fuit scribarũ lapsus in vna litera: cũ præsertim quid sit euigilare iustè, non intelligerẽt. Pro *euigilate* quidã legũt *sobrij estote*, vt Ambrosius loco iã citato, Augustinus in epist. 137, quæ est ad plebẽ Hipponẽsem, & in enarratione psalmi 128, & Sedulius in hũc locũ. At Primasius vtrumq; cõiunxit, *Euigilate, sobrij estote.* Etenim Græcum verbum ἐκνήψατε, vtrãq; significationem complectitur; vt dum quis ebrietate digesta è somno expergiscitur, sobrietati redditus. Inde est quod alij verterũt *euigilate* siue *expergiscimini*: alij, *sobrij estote.* Legitur idem verbum apud LXX, 1 Reg. 25, vbi ex Hieronymi versione nos legimus de Nabal Carmeli: *Diluculo autem cùm digessisset vinum*, &c. Plenus igitur sensus est: Ab erroris & voluptatũ ebrietate experrecti, iã sapite, & ad eaquę iusta & recta sũt, animũ applicate. Significat ex illis aliquos iã seductos fuisse prauis colloquijs: quos ad sanã & sobriã mentẽ reuocat.

Quid euigilare iustè.

ET NOLITE PECCARE. Hoc duobus modis exponitur. Quidam accipiũt *peccare*, velut effectum negatæ resurrectionis; vt sensus sit: Ne vos tradite voluptatibus desperatione vitę futuræ; ad quod incitant vos prauorũ hominum colloquia. Græci verò *peccare* accipiũt vt causam negãdæ resurrectionis; hoc sensu: Ne vos tradite voluptatibus: quia qui voluptuariè & perditè viuunt, libenter ac facilè sibi persuadent non esse futurũ quod non sperant, id est, resurrectionem iustorum. Cõuenit quod idẽ apostolus 1 Tim. 1 dicit de quibusdam, ex quibus erat Hymenæus, quod *bonã conscientiã repellentes, circa fidẽ naufragauerũt*, resurrectionis videlicet: vt satis colligitur ex epistola 2 ad Timo. 2, vbi idem Hymenæus est vnus eorũ qui dixerunt *resurrectionem esse iam factam*.

Peccare effectus & causa negatæ resurrectionis.

IGNORANTIAM ENIM DEI QVIDAM HABENT. Hæc, inquit, moneo, quia nonnulli vestrũm ita affecti sunt animis & studijs; ita viuunt, ac si Deũ ignorent. quomodo de Iudæis quibusdam dicit, *Confitentur se noße Deum, factis autem negant*, Tit. 1. Opprobriũ hoc in eos maximè quadrat, qui se totos immergũt voluptatibus, vt ne cogitẽt quidem de Deo. Quod cõtingebat eis qui spẽ resurrectionis amiserãt. Quidã interpretãtur apostolũ loqui de ignorantia virtutis diuinę, quã Dominus improperat Sadducæis resurrectionẽ negãtibus, dicẽs: *Erratis, nescientes scripturas, nec virtutẽ Dei.* Sed quod priùs dixi, puto magis apostolũ voluisse.

Ignorare Deũ qui dicantur.

AD REVERENTIAM VOBIS LOQVOR. Græcè πρὸς ἐντροπὴν, *ad pudorem* seu *verecundiã vobis dico. Verecundiam* vertit suprà c. 6 v. 5, vbi eadem hęc periopę legitur. Vsurpat interpres vocabulum reuerentiæ pro pudore, etiã aliàs, vt psal. 34, *Induãtur pudore & reuerentiã.* & 68, *Tu scis improperium meum, & confusionẽ meã, & reuerẽtiam meam.* Sensus est, Hæc scribo, vt pudorem vobis ingerã, inter quos sint tales, id est, Deum ignorãtes: vtq; vel pudore cogente corrigatis tãtum malũ. Non sibi cõtrarius est apostolus, qui suprà cap. 4 dixit, *Non vt cõfundam vos, hæc scribo:* Tum quia de diuerso ac grauiore eorũ peccato agit etiã c. 6, quod erat velle iudicari apud infideles: magis autẽ hoc loco. Nã multo grauius est resurrectionem mortuorũ negare, quã fide salua apostolo suo neglecto alios magistros colere; quod c. 4 reprehendebatur: Tũ quia suã quodãmodo causam illic agẽs, noluit eis apertè pudorem ingerere: quẽ tamẽ nõ excludit; sed negat se eos admonentẽ id per se spectare vt pudefiãt, tanquã in eo gaudeat: vt solent homines qui non affectu charitatis, sed vt stomacho satisfaciãt, ijs à quibus se lęsos arbitrãtur, exprobrãt ipsorũ vicia. Nã affectũ paternũ declarat illud, quod ibidẽ

Pauli diuersa loca conciliata

Pudor vitus.

sequitur: *Sed vt filios meos carissimos moneo.*

35 SED DICET ALIQVIS. Hactenus docuit mortuos esse resurrecturos. Nunc instituit docere, quomodo resurrecturi sint, & quæ resurgentium corporum qualitates: velut de vtroque perlata ad se quæstione.

Mos hæreticorum id negare, cuius modum non intelligãt.

QVOMODO RESVRGVNT MORTVI? Id est, quis modus erit resurrectionis? Familiare est hęreticis, ac cæteris infidelibus, rem negare cuius modum non intelligunt. Vnde dicebãt Capharnaitæ, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Ioan. 6. Ad hanc de modo resurrectionis quæstionem infrà respondebit apostolus suo loco. Subiungit autẽ alterã quæstionẽ, responsurus ad eã continuò.

QVALIVE CORPORE VENIENT? Multi codices habent, vt est in Græco, *quali autẽ corpore*. Et pro futuro *venient*, in Græco & Syriaco verbũ est præsentis tẽporis *veniunt*. Quod & legitur in multis Latinis. Quanquã Græcum ἔρχομαι quandam habet etiam futuri significationem in sacris literis, vt Matth. 11, *Tu es qui vẽturus es?* ὁ ἐρχόμενος. Quare & Erasmus & alij transtulerunt futurũ *veniẽt*. Hac parte quęritur qualia futura sint resurgentium corpora: nũ qualia modò sunt, animalia, mortalia, terrena: an verò diuersę qualitatis. Nã & Pharisæi & (Thoma referẽte) philosophorum quidam sunt opinati, resurrecturos homines ad eadem vitæ officia quæ nunc aguntur; vt sunt edere, bibere, coniugibus copulari, & cætera huiusmodi. Quæ eadẽ est doctrina sectæ Mahometanæ. Soluerat quidẽ hãc quæstionẽ Dominus in euangelio, vbi Sadducæorũ obiectioni, quã Pharisæi dissoluere non potuerant, respondit Mat. 22 dicens, *In resurrectione neq; nubent, neq; nubentur: sed sunt sicut angeli Dei in cæle.* Verũ & apostolus nunc eandẽ quæstionẽ pluribus explicat. Ostẽdit autẽ hæc apostoli explicatio, sicut & illa Christi respõsio; quæstionẽ præcipuè motã fuisse de beata & optabili resurrectione.

Pharisæorum & quorundã philosophorum error dẽ resurrectione.

36 INSIPIENS; TV QVOD SEMINAS, NON VIVIFICATVR, NISI PRIVS MORIATVR. Græcè & Syriacè, *nisi mortuũ fuerit*; absque *prius*. Quod interpres adiecisse videtur de suo. Pronomẽ *tu* sequentibus adhæret. Sensus enim est: Homo stulte & insipiẽs, vt qui carnaliter de mysterio resurrectionis cogitas, neq; sensum tuũ humanũ subijcis sapientiæ diuinæ, & ideo tardus es ad credẽdum: Disce ex rebus tibi per experiẽtiam notis, assurgere ad capiẽdum ea quæ tibi credẽda proponũtur. Nã id quod tu seminas, id est, semẽ quod in terram proijcis, nõ fit corpus viuens, quale nasciturum è terra speratur; nisi prius obrutum terra cõputruerit, & quasi mortuum fuerit. Nã putrefactio rei, licet inanimatæ, mors quædã eius est. Sic Dominus in euangelio, *Nisi granum frumenti cadens in terrã mortuum fuerit*, Ioan. 12. Est autẽ hoc primum simile, quo ad declarandã qualitatẽ corporum resurgentium vtitur apostolus: prius tamẽ indicãs (quod notãdum est propter ea quæ dicẽtur infrà versu 51) non nisi morte intercedente corpora nostra ad vitã esse resurrectura: quomodo semen nõ exsurgit in corpus viuens, nisi prius moriatur: vt mors corporum nostrorum sit seminario quædã eorum ad vitam. Ex quo tamen simili nõ est consequẽs, resurrectionem mortuorum fieri virtute naturali: quasi in puleueribus resolutis insint rationes quædã seminales effectiuæ resurrectionis corporum, vt quidam opinati sunt, referẽte S. Thoma. Non enim ad id docẽdũ adducit istã similitudinem apostolus; sed tantũ ad hoc quod diximus; videlicet ostẽdens diuina virtute futurũ in corporibus nostris, quod in semine fit per naturã.

Resurrectio non fiet virtute naturali.

37 ET QVOD SEMINAS, NON CORPVS QVOD FVTVRVM EST, SEMINAS: SED NVDVM GRANVM; VT PVTA TRITICI, AVT ALICVIVS CÆTERORVM. *Quod futurũ est*, Græcè τὸ γενησόμενον, *nasciturũ*, siue *quod nascetur*. *Vt puta*, Græcè εἰ τύχοι, quod Erasmus vertit, *exempli causa*. Alij, *videlicet*. Vide quę de ea voce diximus suprà, c. 14 ver. 10. Addo B. Augustinũ ex veteri quadã translatione legisse *fere*, epistola 146 ad Cõsentium, & li. 5 de Genesi ad literam c. 20, nisi mendum est. Nã posteriore loco mss. codices habent, *fortè*, quod Græco verbo melius respõdet: ac si dicas, *prout inciderit*. Notandum etiã articulum τὸ *quod futurũ est*, non quid, sed quale monstrare. Sensus enim apostoli est: Id quod seminas, nõ tale est quale nascetur: quia seminatur nudũ granũ siue tritici siue alterius cuiuspiã seminis; nascetur autẽ granum herba & aristis ornatum atq; vestitũ. Ita corpus nostrum seminatur mortale; resurget autẽ vestitum immortalitate & gloria: quemadmodum infrà declaratur. Non ergo considerat apostolus in hac similitudine diuersitatẽ rei, sed qualitatis & cõditionis. Quod & quæstio requirebat, *Quali corpore venient?* Itaq; falluntur qui ex his apostoli verbis corpora non eadem secundum substantiã esse resuscitãda, colligunt. Quod qui dicunt, resurrectionẽ reuera tollũt. Non enim resurgit, nisi id ipsum quod cecidit.

Corpora resurrectura eadẽ secundum substantiam, non secũdum qualitates.

38 DEVS AVTEM DAT ILLI CORPVS SICVT VVLT. Grẽcè θέλησε, *voluit*. Quod & legitur in multis mss. & in cõcordãtijs, & apud Ambrosiastrum: nec non apud Augustinũ duobus locis modò citatis, & in Bedæ collectaneis. Quo nimirũ præteriti tẽporis verbo significatur æterna & immutabilis Dei de vnaquaq; re dispositio. Refert autem apostolus generationes plãtarũ è seminibus, ad Deũ eiusq; voluntatẽ, non ad naturã: vt significet Deum non minus posse mortua nostra corpora reuocare ad vitã absque opere naturæ, si ita velit: quã possit interueniẽte actione naturæ semina putrefacta viuificare. Siquidẽ vtrobique tota causa est in Dei voluntate, à qua vt est tota natura, sic & omnis actio naturę. Deus est enim *qui operatur omnia in omnibus*, suprà c. 12. Ad quã rem vrget Augustinus ad Cõsentiũ scribens, apostolũ nõ dixisse *dedit aut disposuit, sed dat illi corpus:* sicut & Dominus in euangelio, *Si fœnum agri Deus sic vestit*, Matth. 6. quemadmodum & de Sapientia dictum est, quod *disponit omnia suauiter*, Sap. 8. Potest nihilominus hoc quod ait,

Æterna Dei voluntas rerum omnium causa.

Cõparatio à semine ad declarãdam corporum resurrectionem.

Omnis actio naturæ à Deo intimè operante.

sicut

ſicut voluit, in hunc ſenſum accipi; ſicut initio mundi inſtituit: vt reſpiciat ad opus primæ creationis, qua ſeminibus indidit proprias virtutes. Ad hunc enim intellectum mouet quod ſequitur.

ET VNICVIQVE SEMINVM PROPRIVM CORPVS. *Proprium corpus*, Syrus paraphraſtes dixit, corpus naturæ ſuæ, id eſt, quod cuiuſque naturæ conuenit. Nam ex ſemine tritici naſcitur triticum, ex ſemine hyſſopi hyſſopus, & ita de alijs; iuxta ſcripturam Geneſ. 1, *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum.* Hac parte ſimilitudinis apoſtolus non intendit docere quòd eadem numero corpora ſint reſurrectura; nam id ſupponere videbatur quæſtio, *Quali corpore venient?* cui nunc reſpondet. Neque ſanè ad hoc probandum quòd reſurgẽt eadem numero, valeret propoſita ſimilitudo. Non enim ex ſemine naſcitur corpus idem numero, ſed ſpecie tantùm. Verum docet; quemadmodum vnicuiq; ſemini datur à Deo proprium corpus: ita Deum, quod ad qualitates attinet corporũ noſtrorũ reſurgentium, redditurum vnicuiq; corpus proprium, id eſt, tale quale pro meritis ei conueniat. Quã rẽ clarius explicat per alias ſimilitudines ſubiunctas.

Vnicuiq; reddendũ proprium corpus, quo ſenſu.

39

NON OMNIS CARO EADEM CARO. Hoc alterũ ſimile eſt, quo declarat, quali corpore vẽturi ſint mortui. Sẽſus eſt, Nõ omnis caro eiuſdẽ eſt naturæ, conditionis & præſtãtię. Carnẽ, nõ corpus nominat, vt inſinuet in vera carne mortuos reſurrecturos, non in corpore, quod vel aëreæ vel æthereæ ſit naturæ. Ideo cõfitemur in ſymbolo fidei *carnis reſurrectionem.*

SED ALIA QVIDEM HOMINVM, ALIA VERO PECORVM, ALIA VOLVCRVM, ALIA AVTEM PISCIVM. Plenius in Græco: *Sed alia quidẽ caro hominũ, alia verò caro pecorũ, alia verò piſciũ, alia verò volucrũ.* Non dubiũ quin piſciũ quoq; ſit caro, ſicut pecorũ & volucrũ: idq; ſecundum propriã carnis ſignificationem: licet nos Chriſtiani, qui in diebus edomãdæ carni deſtinatis ſic à carnibus abſtinemus, vt tamẽ eſum piſciũ nobis permittamus, ita loquamur, vt piſces à carnibus diſtinguamus. Alioqui piſciũ carnẽ legimus Num. 11, vbi filij Iſrael eſum carnium expetẽtes dicebãt: *Recordamur piſciũ, quos comedebamus in Ægypto.* Quãdo & Moyſes Deo promittẽti & dicẽti: *Dabo eis eſum carniũ mẽſe integro:* reſpõdit interrogãs, *Nunquid ouiũ & boum multitudo cædetur? vel omnes piſces maris in vnũ congregabuntur, vt eos ſatient?* Porrò ſentit apoſtolus, ſicut diuerſorũ animantiũ diuerſa caro eſt: ita diuerſorũ hominũ fore diuerſa in reſurrectione corpora, quo ad gradus gloriæ, reſpõdentes gradibus meritorũ. Diuerſitatem reſurgentium hic ſignificatã nonnulli etiã ad malos extendunt: vt per homines quidẽ boni intelligantur, qui ſecundum rationem viuũt; per pecora verò luxurioſi, per volucres ſuperbi, per piſces auari. Cæterùm Tertullianus libro de reſurrectione carnis cap. 52 ſpeculatur ad hunc modum: *Alia caro hominis, id eſt, ſerui Dei: alia iumenti, id eſt ethnici: alia volucrum, id eſt, martyrum: alia piſcium, id eſt, quibus aqua baptiſmatis ſufficit.* In quibus verbis hunc verſum excepto ſecundo membro, quod interpretatur de eo qui *aſſimilatus eſt irrationabilibus iumentis*, totũ refert ad bonos. Optimè verò S. Auguſtinus in epiſtola ad Conſentium (cuius etiam à Beda, Lõbardo & Heruæo verba repetuntur) totum ſine exceptione ad electos retulit: quorum *in reſurrectione diſtabit gloria meritorum.* Ad quã rem amplius declarandam adducit apoſtolus tertium ſimile.

Piſcium caro propriè.

Cur Chriſtiani piſces à carnibus diſtinguant

Gradus gloriæ reſpondẽtes gradibus meritorũ.

De ſola bonorum reſurrectione diſſerit Paulus.

40

ET CORPORA CÆLESTIA, ET CORPORA TERRESTRIA. Supple hoc modo quo vertũt alij: *Et ſunt corpora cæleſtia: & ſunt corpora terreſtria.* Cęleſtia quidẽ Græcè ἐπουράνια, *quæ in cælo ſunt*; vt ſol, luna, ſtellæ: terreſtria verò, Græcè ἐπίγεια, *quæ in terra ſunt*; vt arbores ac cætera vegetabilia terræ infixa: quæ tamen omnia ſuã ac propriam habent formam, pulcritudinem & quaſi gloriam. Vnde ſequitur.

SED ALIA QVIDEM CÆLESTIVM GLORIA, ALIA AVTEM TERRESTRIVM. Ne quis ſuſpicetur apoſtolũ meminiſſe corporũ terreſtriũ, quod per ea ſignificare voluerit rediuiua corpora reproborũ; tribuit etiã illis gloriam, etſi multo minorẽ gloria cęleſtiũ. Id verò conſtat ad reproborũ corpora accõmodari nõ poſſe. Facit hoc etiã ad conſolationẽ imperfectorũ: ne dũvident ſe lõgè poſitos infra perfectos tãquã cæleſtes, deſperent beatã reſurrectionem. Eſt enim & terreſtriũ gloria. Tãtũ ergo ſignificat pro meritorũ diuerſitate, quæ inter bonos fideles maxima eſt, permagnã quoq; futurã in corporibus reſurgentiũ gloriæ diuerſitatẽ: velut ſi gloriã cæleſtiũ corporũ conferas cũ gloria terreſtriũ. Quod enim Aquinas per cęleſtia corpora contẽplatiuos intelligit, qualis Maria deſcribitur Luc. 10. per terreſtria actiuos, qualis Martha; nõ adeò placet: cũ in vtroque genere reperiãtur perfecti. Minus probandũ, per terrena Iudæum, per cęleſtia Chriſtianum ſignificari, quod vult Tertullianus. Nõ enim Iudæo gloria, ſi non ſit Chriſtianus. Nã quod Theophylactus & Oecumenius, qui cũ Chryſoſtomo terreſtria corpora peccatores interpretantur, dicunt in illo mẽbro, *alia terreſtriũ*, non eſſe ſubaudiendũ *gloria*, ſed *vita* aut *conuerſatio*, minimè quadrat. Quæ enim cõuerſatio corporũ terreſtriũ, de quibus hic loquitur apoſtolus, id eſt, arborum aut aliorum huiuſmodi? Tribuit autẽ apoſtolus gloriã corporibus cæleſtibus & terreſtribus metaphoricè: quatenus habent eiuſmodi in ſe qualitates, ex quibus quodãmodo laudẽtur & glorificẽtur.

Terreſtrium gloria qua

Vt meritorum, ita gloriæ permagna diuerſitas

Per cæleſtia & terreſtria qui ſignificati.

41

ALIA CLARITAS SOLIS, ALIA CLARITAS LVNÆ. In Græco cõiunctiuè, *& alia claritas lunæ.* Claritatẽ verò dicit interpres, quam modò dixit gloriam: cùm Græcè ſemper idẽ ſit vocabulũ δόξα, *gloria.* Senſus: Sed & inter ipſa cæleſtia corpora, magna eſt gloriæ differẽtia. Nã ſolis lumẽ multis partib⁹ excellẽtius eſt lumine lunę. Gloriã & quaſi maieſtatẽ ſolis & lunę & ſtellarũ pulcrè deſcribit Eccleſiaſticus c. 43.

De gloria lunæ loquitur apostolus, secũdùm quod hominum aspectibus apparet, & vsibus seruit: qua ratione & Moyses Gen. 1 stellis eam præponit, & alteram facit magnorum luminarium. Alioqui constat iuxta veram astronomiam, omnibus penè stellis lunam minorem esse.

Luna stellis penè omnibus minor.

ET ALIA CLARITAS STELLARVM. Non solum alia gloria stellarum à gloria solis & lunæ; sed etiam alia ac differens ipsarum inter se. Nam sequitur.

Inter perfectos magna diuersitas.

STELLA ENIM A STELLA DIFFERT IN CLARITATE. Significat apostolus etiam inter electos perfectiores, qui velut luminaria cæli sanctitate vitę fulserint in terris, magnam adhuc fore diuersitatem gloriæ, pro diuersitate meritorum huius vitæ. Porrò Tertullianus hanc à cælestibus sumptam similitudinem, ad electos ita refert loco superius citato: *Alia solis gloria, id est, Christi: & alia lunæ, id est, ecclesiæ: & alia stellarum, id est seminis Abrahæ.* Liranus verò post Aquinatem, per solem dicit intelligi posse Christum: per lunam virginem Mariam: per stellas reliquum cœtum electorum. Aliter glossator, qui commentarium Ambrosianum secutus, putat rectè sic intelligi: *vt claritati solis illorum dignitas exæquetur, qui centesimum numerum habent: lunari claritati, qui sexagesimum: stellis verò, qui tricesimum quæsierunt.* Ad huiusmodi sensum alludit illud Augustini serm. 46 de verbis Domini: *Aliter ibi lucebit virginitas, aliter castitas coniugalis, aliter sancta viduitas.* Quanquam fortè nihil horum specialiter intendit apostolus: sed tantum in genere, magnam in electorum corporibus futuram gloriæ diuersitatem.

Per solẽ, lunã, stellas, qui significat.

42 SIC ET RESVRRECTIO MORTVORVM. Supple, erit, aut sese habebit. Applicatio est trium similium quę attulit, ad rem propositã. Sicut enim vnicuique seminum datur proprium corpus; & sicut aliorum animalium alia caro est; & aliorum corporum alia gloria: sic & resurgentium corpora quibusdam gloriæ gradibus different inter se, iuxta differentiam meritorum. Quod si in corporibus futurum: certè & in animabus, & consequenter in toto homine. Totus igitur hic locus ostendit contra nouos Iouinianistas, Deum hominibus largiturum præmia beatitudinis pro ratione meritorum diuersa: quod Dominus in euangelio significauit, dicens: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, Ioan. 14.

Iouinianista refelluntur, meritorũ paritatẽ statuentes

SEMINATVR IN CORRVPTIONE, SVRGET IN INCORRVPTIONE. Iam deinceps ostendit apostolus, quas dotes communiter habitura sint omnium ad vitam æternam resurgẽtium corpora. Facit autem id iucundo schemate sermonis, quam epanaphoram vocant Rhetores, quartùm repetitis ijsdem verbis *seminatur* & *surget* siue *surgit*. Nam pro futuro *surget* hoc loco & in tribus membris sequentibus Græcè & Syriacè verbum est præsentis temporis. *surgit, resurgit, suscitatur*. Quædam etiam mss. Latina & veteres concordantiæ legunt in præsenti *surgit*. Quod & Irenæi dedit interpres l. 5 c. 7. Tertullianus quoque lib. de resurrectione carnis cap. 52, *resurgit* identidem legit: nec non libro 5 contra Marcionem cap. 10. & post eum Cyprianus l. 3 ad Quirinum testimonio 58. tametsi nullam id parit in sensu diuersitatem. Nã præsens verbum more Hebræis familiari absoluitur à tempore. Subauditur autem corpus, quod quarto demum membro exprimitur. Seminari vocat mori instar seminis, quod vt tale, sic moritur in terram proiectum, vt etiam meliori modo vitam recipiat: quemadmodum superius est declaratum. Non quod in humano corpore mortuo & in cineres resoluto vis aliqua naturalis insit ad resurrectionem, sicut inest seminibus ad generationem: sed quia Deus sic ordinauit, vt corpora nostra non reformentur ad vitam gloriosam, nisi per mortem: quemadmodum rursus hoc loco studiosè S. Thomas annotauit. Breuiter ergo sensus est: Moritur corpus corruptibile; resurget incorruptibile. Vbi incorruptionem siue incorruptibilitatem, Græcè ἀφθαρσίαν, non eam oportet intelligi, quæ omnium resurgentium, etiam malorum corporibus erit communis, qua nimirum fiat ne corpora mori possint amplius, aut aliquatenus ad mortem disponi: sed quæ præter huiusmodi corruptionẽ, etiam excludat quamlibet noxiam passionem, siue ab interna causa, siue ab externa proficiscentem. Quam impassibilitatis dotem appellant Theologi. Agit enim apostolus, vt sæpe monui, de resurrectione iustis propria. Quod quidem manifestè patet ex ijs quæ sequuntur: idque adeò diserte Thomas admonet: cuius in totum hunc locum commentarius illustris est, lectuque dignus.

Seminari, id est mori, vt melius resurgat.

In corpore mortuo nulla vis naturalis ad resurrectionẽ.

Incorruptio quæ electorum corporibus propria.

Dos impassibilitatis.

43 SEMINATVR IN IGNOBILITATE, SVRGET IN GLORIA. Ignobilitatem pro *ignominia* posuit interpres. Hanc enim propriè significat Græcum nomen ἀτιμία. Sicque legunt Ambrosiaster & Sedulius. Nam quod apud Augustinum in epistola ad Consentium & alibi legitur *in contumelia*, minus placet. Sensus: Moritur corpus multis ante mortem miserijs & fœditatibus obnoxium: suscitabitur idem corpus omni ex parte gloriosum. Vbi Thomas specialiter significari putat dotem claritatis. De qua etiam Primasius hanc partem exponit ita scribens, *Surget in gloriam splendoris sicut sol.* videlicet alludens ad verba Saluatoris, Matth. 13, *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.*

Dos claritatis.

SEMINATVR IN INFIRMITATE, SVRGET IN VIRTVTE. *Virtute*, Græcè δυνάμει, *potentia*. Sensus: Moritur corpus infirmitatibus subiectum: resurget autem valentissimum, id est, in quo perfectus sit vigor omnium potentiarum atque membrorum. Virtutem hanc Aquinas interpretatur dotem agilitatis: cuius beneficio tãta virtute corpus ab anima moueri possit secundum quamlibet loci differentiam, vt nullam prorsus ei difficultatem ad motum exhibeat:

Dos agilitatis.

exhibeat: ſicut nunc exhibet corpus infirmũ & inualidum, etiam ad motus naturales. Porrò Græci commentatores, & inter Latinos Haimo gloſſam ſecutus interlinealem, illa ſuperiora, *In corruptione, & in ignobilitate* ſiue *ignominia*, referunt ad corpora iam mortua, quæ ſeminantur, id eſt, putreſcunt in corruptione, fœditate ac deformitate. Eodem referunt hoc tertium, *in infirmitate*; dicentes corpus in infirmitate ſeminari, quia non poteſt mortuum corpus vel ad paucos dies reſiſtere corruptioni. Verùm coactior eſt hæc interpretatio. Quis enim cadaueri tribuat infirmitatem, Græcè ἀσθένειαν? nihilo magis quàm mortuos vocet infirmos. Manifeſtius autem redarguit eos illud quod proximè ſequitur, ſimile tamen ſuperioribus, quod nullo modo poteſt de corpore mortuo intelligi. Quare & in eo coguntur mutare expoſitionem.

Græcorũ cõmentarius refellitur.

44 SEMINATVR CORPVS ANIMALE, SVRGET CORPVS SPIRITVALE. *Corpus animale*, Græcè ψυχικὸν, ab anima dictum. Hoc autem quidam intelligunt corpus obnoxium paſſionibus ac neceſſitatibus, nec omnino ſpiritui ſubiectum. Non diſſimiliter Photius apud Oecumenium, animale corpus definiẽs, quod *animalibus ſubſeruit affectionibus*, idem videlicet cum eo, quod prioribus membris dictum eſt ſeminari in corruptione, ignominia, infirmitate. Verùm repugnat huic intellectui probatio, quam mox ſubijcit apoſtolus ex Geneſi, *Factus eſt primus homo in animam viuentem.* Nam primus homo non ſic conditus eſt vt corpus haberet, quomodo iſti deſcribũt, animale. Rectius igitur Aquinas, Caietanus & alij, corpus animale dicunt ab apoſtolo vocari, quod ſuſtentatur actionibus animæ, quatenus ipſum animat, id eſt, vegetat: hoc eſt, actionibus potentiæ vegetatiuæ, quarum præcipua eſt nutritio: quæ quidem abſque alimẽto fieri non poteſt. Itaque corpus animale idẽ eſt quod corpus ad ſui conſeruationem indigens alimẽti ſubſidio. Cuiuſmodi fuere etiam corpora primorum parẽtum ante peccatum.

Quid corpus animale.

Corpus autem ſpirituale ſecundum eoſdem vocat apoſtolus, cui ſpiritus ita dominatur, vt ei ad perpetuam vitam & omnem actionem ſolus ſufficiat, abſque vlla alimenti neceſſitate. Eſt autem, vt ijdem authores bene tradũt, res eadem in nobis, anima, à qua dicitur corpus animale; & ſpiritus, à quo ſpirituale: ſed in anima, ſecundum morem ſcripturæ, ſolet intelligi vita vegetabilis; in ſpiritu nuda vis operatiua: vt videlicet anima recipiat appellationem ſpiritus, quatenus per ſe & ſine externo ſubſidio conſeruat, mouet ac regit corpus viuens, habens illud ſibi perfectè ſubditum ad omnem quam voluerit operationem. Hoc ferè modo diſtinguit animale & ſpirituale corpus Auguſtinus compluribus locis, vt enchiridij cap. 91, lib. 12 de Geneſi ad literam cap. 7, & lib. 13 de ciuitate Dei capit. 20, 23 & 24. Nec diuerſum ſentit in epiſtola ad Conſentium, vbi corpus animale per mortale exponit. Nam & ante peccatum mortalis erat homo, quodam ſenſu: quia ſic conditus, vt mori poſſet, ac moreretur ſi peccaret. Alioqui diſertè eodem loco vocat Auguſtinus *corpus animale, quale animatum eſt Dei flatu, cùm factus eſt homo in animam viuentem*: quando certè nondum erat ita mortale, vt mori deberet. Porrò Græci ferè eandem cum Auguſtino differentiam tradunt corporis animalis & ſpiritualis: niſi quod ſpirituale dictum putãt, non ab humano ſpiritu, qui ſit eadem res cum anima, ſed à Spiritu-ſancto. Quem intelligi volũt in eo quod ſtatim ſequitur, *Nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem*: vt corpus ſpirituale dicatur, cui perpetuam vitam & operationem abſque ciborum adminiculo Spiritus-ſanctus ſubminiſtrat. Verùm de illius loci intelligentia paulo pòſt agemus. Illud conſtat, ex hac voce *ſpirituale* conſequens non eſſe, quod per reſurrectionem corpora noſtra vertentur in ſpiritus: vt quidam errantes opinati ſunt: quorum meminit Auguſtinus in epiſtola memorata ad Conſentium. Nam præterquam quod illa non eſſet reſurrectio corporum ſed abolitio: ſatis euidenter eum falſum intellectum excluſit apoſtolus, dum expreſsè repetiuit vocabulum corporis, dicẽdo; *Surget corpus ſpirituale*. Neque rurſum ſequitur corpora noſtra fore ſimilia aëri aut vento, qui ſpiritus dicitur; tanquam ſpiritualia futura ſint, eo quod aërea: quod ſenſit Origenes. Non enim ab huiuſmodi ſpiritu ſpirituale corpus vocat apoſtolus, ſed à ſpiritu viuificante: quemadmodũ ipſe mox declarat. Igitur *in reſurrectione ſpirituale erit, non ſpiritus*, inquit Thomas; *ſicuti nũc eſt animale, non anima*. Accommodat autem hoc membrum idem doctor ad dotem ſubtilitatis: qua videlicet corpus vt inſtrumentum expeditè & perfectè ſubijcietur animæ ad quamuis actionem organicam. Nam per agilitatem ſubijcietur vt mobile ad quemlibet motum. Sic enim rectè diſtinguuntur hæ duę dotes. Veruntamen vt idem doctor eruditè demonſtrat, ex hac dote ſubtilitatis non id conſequetur corpus glorioſum, vt alia corpora queat penetrare: ſed id ei competet ex virtute diuinitatis in eo exiſtẽtis: quomodo nec Chriſti corpus eam vim habuit ex gloria reſurrectionis; ſed ex virtute diuinitatis ſibi vnitæ.

Spirituale corpus à quo ſpiritu dicatur.

Corpora non vertentur in ſpiritus.

Corpora reſurgẽtiũ non erunt aërea.

Dos ſubtilitatis, & quomodo à dote agilitatis diſtinguatur.

Dos ſubtilitatis nõ præſtabit corporibus, vt poſſint alia penetrare.

SI EST CORPVS ANIMALE, EST ET SPIRITVALE. Voculam *ſi* Græca & Syriaca non habent. Sic autem Græca legunt: *Eſt corpus animale, & eſt corpus ſpirituale*. quaſi dicat apoſtolus: Non abſurdè nominauit corpus animale & corpus ſpirituale. Nam vtraque hæc differentia corporis reperitur atque exiſtit. Hoc autem probat verbis ſequentibus: & priorem quidem partem ex ſcriptura, dicens.

SICVT SCRIPTVM EST. Græcè & Syriacè *Sic & ſcriptum eſt*. Lombardus meminit alterius lectionis: *Sic enim ſcriptum eſt*.

45 FACTVS EST PRIMVS HOMO ADAM IN ANIMAM VIVENTEM. In quibuſdam Græcis

homo non additur. Legunt enim: *Factus est primus Adam in* &c. Et quadrat quod sequitur: *Nouissimus Adam* &c. Potest additum videri *homo*, ex scriptura Gen. 2, quam Paulus allegat: *Et factus est homo in animam viuentem*. Qui quidē homo erat Adā, idemq; omniū hominū primus, ex quo cæteri omnes orti secundū carnē. Dicitur autē *factus in animā viuentē* Hebræa phrasi, id est, factus anima viuens: quo locutionis modo dictum est: *Ego ero ei in patrem: & ipse erit mihi in filium*, 2 Reg. 7. id est, ego futurus sum illi pater, & ille mihi filius. Factus autem anima viuens synecdochicè, id est, animal viuens. Vel fortasse rectius secundum alios intelligitur factus in animam viuētem, id est, habens animam viuentem; donatus anima viuente. Sic enim commodius etiam exponetur secundum membrum. Animam viuentem appellat, qua corpus viuit vita vegetatiua: quod proinde necesse sit alimentis foueri & conseruari in vita, alioqui moriturum. Hoc autem est corpus animale. Bene igitur per hanc scripturam probat apostolus esse, rectéque dici corpus animale; scilicet ab anima viuente. Cùm autem illud à Moyse dictum fuerit de primo homine nondum lapso in peccatum: consequens est eum, quod antè diximus, eodem tempore innocētiæ habuisse corpus animale.

Adā quo sensu factus in animā viuentem.

Quid anima viuens.

NOVISSIMVS ADAM IN SPIRITVM VIVIFICANTEM. Hoc scriptū non erat, neque vt scriptum ab apostolo citatur: sed adiungitur, vt priori membro respondens; idque ad perficiendam probationem, quòd sicut est corpus animale, ita est & spirituale. Nouissimum Adam Christum intelligit, Qui quidem vocatur Adam, quia primus Adam huius figura quædam fuit per comparationem à cōtrario: quēadmodum de eo Paulus testatur Rom. 5, dicens: *qui est forma futuri*. Nam vt ille fuit humani generis princeps secundum carnalem propagationem, sic iste princeps est secūdum regenerationem spiritualem. Ille, princeps secundum esse naturæ; iste, secundum esse gratiæ & gloriæ. Nouissimus autem dicitur, quia tempore posterior, & post eum nemo alius in alterutro genere princeps. Nam & Deus vocatur non solum primus, sed & nouissimus, Apoc. 1 & vlt. quòd nihil post eum sit futurum. Quanquam & nouissimum, ἔσχατον, more scripturæ dicitur quod tempore, loco vel honore posterius est; etsi nō vltimum: quemadmodum & primum accipitur comparatiuè pro priore. vt Luc. 14, *Non discumbas in primo loco*, id est, priore, honoratiore. *& tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere*, id est, inferiorem, minus honoratum. Et iterum, *Recumbe in nouissimo loco*. Sic & Matth. 12, *Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*. Græcè *primis*. & cap. 27, *Erit nouissimus error peior priore*. & apostolus 2 Tim. 3, *In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa*. cùm de tempore proximè futuro loqueretur. Ita nouissimum hoc loco sumi, probabile fit ex eo quod pro nouissimo statim dicit secundum: *Secundus*, inquit, *homo de cælo, cælestis*. Quem *verò spiritum viuificantem* dicat apostolus, non liquet. Græcorum vt dixi, sententia est, Spiritū sanctum intelligi: de quo nimirum ita scribit Rom. 8, *Si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis*. Dicitur autem hic spiritus viuificans, vel quia vitam corporibus quæ resuscitauerit, incorruptibilem tribuit: vel quia ab eo corpora resuscitata, tanquam ipso repleta, omnem suam accipiunt operationem. Ita sentiunt Chrysostomus, Theophylactus, & authore Methodio Oecumenius; atque inter Latinos Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 53, & commentator Ambr. Quibus & aliæ scripturæ fauere videntur, quæ viuificationē Spiritui-sancto attribuunt, vt Iob 33, *Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificauit me*. Ioan. 6 & 2 Cor. 3, *Spiritus viuificat*. Nec dubium quin ad huiusmodi scriptutas respexerint authores symboli Constantinopolitani, quando Spiritui-sancto asscripserunt pro epitheto *viuificantem*. At verò Latini plerique spiritum intelligunt animam humanam: quæ spiritus dicitur, vel quatenus *intellectualis est ordinis, & supernis communicat*, vti post Aquinatem explicat Caietanus: vel hac potius ratione, quia per se valet ac sufficiens est ad conseruandum, mouendum & regendum corpus, ita vt alimentis corporalibus illi non sit opus: quemadmodum ex mente S. Augustini, quem Beda, Lombardus, Heruæus & alij sequuntur, suprà declaratum est. Qui sensus etiam ab Hilario significatur sub finem expositionis psalmi 67, in eo quod dicit beatis fore naturam *quæ se-ipsam alat conseruetq;*. Quo denique spectat illa ab Aquinate & aliis huc allegata B. Augustini sententia scribentis ad Dioscorum epistola 56, *Tam potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius plenissima beatitudine, quæ in fine temporum sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo, quæ fruentis & intelligentis est propria; sed plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor*. Hæc ille. Consonat huic intelligentiæ alius scripturæ locus, qui est 1 Petri 3, vbi Christus dicitur *mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu*. In quibus vtique verbis antithesis inter carnem & spiritum postulat, vt spiritu humano viuificatus intelligatur: quare & hoc loco spiritum humanum conuenit accipere. Vtiouis tamen modo spiritum accipias, phrasis apostoli sic explicanda videtur: vt factus dicatur Christus in spiritum viuificantem, quia factus est habens, id est, incepit habere spiritum viuificantem: non quidem, vt aliqui volunt, quando conceptus est in vtero materno: tunc enim factus est in animam viuentem, ad exemplum primi Adam, ex quo nascebatur secundum carnem. Sunt autem secundum apostolum

Christus Adam nouissimus cur dictus.

Nouissimi significatio in scripturis.

Quid spiritus viuificans. Secundū Græcos Spiritus-sanctus.

Secundū Latinos anima humana.

Notanda Augustini sententia.

Christus quo sensu factus in spiritum viuificantem: & quando.

opposita,

oppoſita, factum eſſe in animam viuentem, & in ſpiritum viuificantem: quemadmodum oppoſita ſunt corpus animale & corpus ſpirituale: ſic vt eidem ſimul competere nequeãt. Sed talis factus eſt quando reſurrexit à mortuis. Nam tunc demum incepit ſpiritus eius abſque ſubſidio alimenti perpetuam vitam corpori ſubminiſtrare. Quamuis enim ſpiritus Chriſti ſemper beatus vitam huiuſmodi corpori ipſius præſtare potuerit ab initio, quo conceptus eſt; non tamen ab initio præſtitit: ideoque nondum erat ſpiritus actu viuificans, donec id actu præſtaret. Atque hunc ſenſum exigit conſequentia textus. Docet enim apoſtolus nos per reſurrectionem Chriſto futuros in eo ſimiles, vt & ipſi ſimus in ſpiritum viuificantem, corpora ſpiritualia accepturi.

46 SED NON PRIVS QVOD SPIRITVALE EST, SED QVOD ANIMALE, DEINDE QVOD SPIRITVALE. Græcè, *Sed non primum ſpirituale, ſed animale: deinde ſpirituale.* Supplendum verbum *eſt*, ex illa parte præcedenti, *Eſt corpus animale, & eſt corpus ſpirituale.* Nam hæc duo nunc ordinat; dicens, non corpus ſpirituale prius eſſe tempore, ſed animale; tam in Chriſto quàm in nobis: vt poſtea fiat ſpirituale: ſanè conuenienter; Nam & *in natura videmus*, inquit Thomas, *quod in vno & eodem prius eſt imperfectum, quam perfectum.* Et alioqui ſpirituale corpus abſolutè perfectum non eſſet, ſi poſtea commutandum foret in animale, id eſt, imperfectum. Simul innuit apoſtolus hac parte, non ideo Chriſtum vocari nouiſſimum Adam, quòd primo Adam aliqua parte ſit inferior: ſed potius eo nomine ſignificari maiorem præ illo perfectionem: ſiquidem ordine generationis perfectum eſt imperfecto poſterius.

Animale prius ſpirituali, tã in Chriſto quàm in nobis.

47 PRIMVS HOMO DE TERRA TERRENVS. Græcè χοϊκὸς, id eſt, limaceus, vti citat Tertullianus libro de reſurrectione carnis c. 49. Rationem adfert apoſtolus congruentiæ, cur Adam factus ſit corpore animali, Chriſtus corpore ſpirituali. Nam quia primus homo de limo terræ formatus eſt, ideo conueniebat eum fieri terrenum, id eſt, habentem corpus quod mori poſſet, & in terram reſolui. Quãuis enim corpus primi hominis ab initio non fuerit mortale, ſic vt neceſſe eſſet ipſum mori: tale tamen erat vt mori poſſet; adeoque neceſſariò moriturum, ſi externa ciborum ſubſidia deeſſent. Ita partem hanc exponit Auguſtinus lib. 13 de ciuit. Dei cap. 23 & 24. Nec aliter intellexerunt Aquinas, Liranus & Carthuſianus, dum terrenum interpretantur animalem: nempe qualis etiam ante peccatum fuit, vt expreſsè Carthuſianus declarat. Quidam, præſertim Græci, terrenum intelligũt factum primum hominem, non ex conditione naturæ, ſed peccati merito: terrenum interpretantes mortalem, quia poſt tranſgreſſionem audiuit, *Puluis es, & in puluerẽ reuerteris*, Gen. 3, ſiue ſecundum LXX, *Terra es, & in terram redibis.* Et huic ſenſui accommodatè etiam ſequentia exponunt: quod diligenter à Chryſoſtomo factum videre eſt. Admiſcent & alterum ſenſum: vt terrenus dicatur homo carnalis & terrena ſapiens: qualis quidem non à Deo factus eſt primus homo, ſed à ſeipſo per receſſum à Deo. Verùm iuxta has expoſitiones non idem erit homo corpus habens animale, & homo terrenus: ſicut eundem è diuerſo facit apoſtolus hominem corpus habentem ſpirituale, & hominem cæleſtem.

Primus homo de terra terrenus.

Corpus hominis ab initio terrenum, quo ſenſu.

Aliorum ſententia minus probanda.

SECVNDVS HOMO DE CÆLO CÆLESTIS. Græca conſtanter ad hunc modum legunt: *ſecundus homo Dominus è cælo.* Eamque lectionem ediderũt omnes Græci tractatores. Nam & Theodoritus omnium breuiſſimus, ita ſe legiſſe ſubindicat in tranſcurſu, dicens: *Erimus etiam participes gloriæ Domini cæleſtis*, id eſt, Domini qui è cælo eſt. Syra quoque verſio ſic habet: *Filius hominis ſecundus Dominus è cælo.* At æquè conſtanter Latini legunt id quod habet noſtra vulgata verſio: quam lectionem Eraſmus quoque cenſet veriorem: vt quę magis reſpondeat ei quod præceſſit, *de terra terrenus.* Imò Tertullianus Marcionis hæretici falſitatem traducit, lib. 5 aduerſus eum ſcripto cap. 10, quod & ſuperius pro nouiſſimo Adã, *Dominum poſuerit nouiſſimum:* & hîc, nomine hominis ſuppreſſo ſcripſerit *ſecundus Dominus de cælo.* Ex quo loco Tertulliani quidam conijciunt adiectionem vocis *Dominus* in Græcis codicibus, reliquam eſſe ex corruptelis Marcionis. Quanquam nos Græcam lectionem minimè reijcimus, vt quæ nihil habeat periculi: diſtinguenda eſt autem & ſupplenda hoc modo: *Secundus homo*, nempe Chriſtus *Dominus, è cælo eſt:* ideoque ἐπουράνιος, *cæleſtis.* Porrò Chriſtum Dominum apoſtolus ſecundum hominem vocat, ea ratione qua prius appellauit nouiſſimum Adam. Cur autem dicat eum eſſe de cælo, quærenda ratio eſt. Ac primum conſtat non ideo Chriſtum dici de cælo, quod corpus è locis cæleſtibus attulerit: vt veteres hęretici Valentinus, Marcion & Apollinaris docuerunt, & noſtro ſæculo docent Anabaptiſtæ. Namque ſecundum fidem catholicam Chriſtus de terra corpus aſſumpſit, id eſt, de corpore B. Virginis, quod de terra erat. Vnde S. Auguſtinus ait in enarratione pſalmi 56, *Portabat terram Ieſus, carnem quam acceperat de terra*; videlicet matre ſua. Sed de cælo eſſe dicitur iuxta quorundam expoſitionem, quia diuino prorſus ac cæleſti miraculo conceptus eſt de Spiritu ſancto, & natus ex Virgine. Quo ſenſu Prudentius in hymno Epiphaniæ Chriſtum canit *cælitus incorporatum*: quem tamen eundem ſtatim poſt *cum carne terreſtri* veniſſe teſtatur. Verùm hac ratione fuit etiam primus homo de cælo: quia licet factus ſit de limo terræ, non tamen ſine grandi miraculo diuinæ virtutis: vt de eo peculiariter ſcriptum ſit Luc. 3, *qui fuit Dei.* Quin eadem ratione dicemus etiam Iſaac patriarcham de cælo fuiſſe: quem quia ſupra facultatem naturæ conceptus fuit

Varia lectio huius loci.

Idẽ homo ſecundus & nouiſſimus.

Chriſtus non è cælo, ſed è terra corpus accepit.

Chriſtus cur de cælo, ratio quorundã

Refellitur

ex matre

ex matre sterili, scribit apostolus Gal. 4, *natum fuisse secundum spiritum*: idemque fatendum erit de omnibus, quibus conceptus aut natiuitas supra naturam contigit. Atqui de cælo esse ex mente Pauli ita proprium est Christo, vt non solum à primo homine, qui solus immediatè de terra formatus est, eum discernat: verùm etiam ab omnibus alijs. Rectius igitur illi, qui sentiunt secundum hominem Christum dici de cælo esse, propter originem cælestem: quia licet corpus habeat è terra, verusque sit homo ex homine natus, idem ipse tamen per vnionem personalem humanæ naturæ cum diuina, verè Dei filius est, vt qui natus sit ex Patre cælesti, id est, ex Deo. Sic exponunt plerique interpretes tam Græci quàm Latini; tametsi quidam eorum etiam priorem sensum adiungant. Exigunt autem huiusmodi intellectum & aliæ scripturæ, similiter de Christo loquentes, vt Ioan. 3, *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo.* & iterum, *Qui de cælo venit, super omnes est.* Qui & cap. 6 dicit, ac subinde repetit, se descendisse de cælo. Nec ob aliud ibidem se vocat panem qui de cælo descendit, quàm vt eo sermone cælitus, id est, à Deo Patre naturâ se accepisse doceret. Eiusdem mysterij significatio est in illa parte symboli ecclesiastici: *Qui propter nos homines descendit de cælis.* Generaliori quidem ratione de cælo est omne bonum, quatenus Deum habet authorem. Quo sensu baptismus Ioannis erat è cælo, Matth. 21. sicut & ipse confitetur hac generali sententia, *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo*, Ioann. 3. Testatur etiam Iacobus apostolus ca. 1, omne bonum esse *desursum, descendens à Patre luminum*. Et vnus septem martyrum, de quibus 2 Machab. 7, linguam & manus amputandas proferens, aiebat: *E cælo ista possideo*. Sed hic intellectus præsenti loco non conuenit. Hac enim ratione etiã primus homo de cælo erat; & cæteri omnes de cælo sunt. Sensus igitur est; Secundus homo Christus Dominus, qui de cælo est, id est, diuinam habens originem, vrpote natus ex Deo; per resurrectionẽ factus est etiam corpore cæleſtis, id est, qualitates suæ dignitati congruentes etiam secundum corpus accepit, factus scilicet immortalis, impassibilis, & omni ex parte glorioſus.

48 QVALIS TERRENVS, TALES ET TERRENI. Quæ dixit de duobus hominibus, primo & secundo; nunc ad cæteros applicat, quorum illi sunt principes. Irenæi interpres lib. 1 ca. 1, & Tertullianus de resurrectione carnis cap. 49, Græca voce retenta legunt, *Qualis choicus, tales & choici*. Cyprianus verò sic legit, *Qualis ille de limo, tales & qui de limo*, lib. de zelo & liuore, & de disciplina virginum, & ad Quirinum lib. 2 testimonio 10, & lib. 3 testimonio 11. Potest autem apostoli sermo sic explicari; Qualis fuit primus homo, nempe terrenus; tales & nos sumus eius posteri, scilicet terreni: vel quia corpus habemus quòd in terram resolui possit per mortem; vel, exponente Thoma, quia mortalitatem qua relabimur in terram, ex primo parẽte contraximus; vel denique, secundum alios, quia carnales sumus ac terrena sapimus. Quarum trium rationum prima maximè contextui inhæret. Nam terrenum interpretatur eodem modo in nobis & in primo homine; secundum illud quod dictum est suprà, *Primus homo de terra terrenus*, id est, habens corpus quod ratione suæ materiæ esset in terram resolubile, & quidem subtractis alimentis necessariò resoluendum. Non enim hîc considerat apostolus eam mortalitatem quę est pœna peccati, sed illam quæ erat hominis facti in animam viuentem: tametsi vtrumque, & mori posse, quod erat ante peccatum, & oportere mori, quod est ex peccato; sub vno nomine mortalitatis continetur: & prius in posteriori includitur.

ET QVALIS CÆLESTIS, TALES ET CÆLESTES. Hoc est, Qualis est secundus homo, nempe cæleſtis; tales & nos qui ad illum pertinemus, & quorum ille princeps est, erimus, id est, cæleſtes; vtique secundum corpus per resurrectionem: vti superius expositum est: & alibi declarat apostolus, ita de Christo loquens: *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*, Philippens. 3.

49 IGITVR SICVT PORTAVIMVS IMAGINEM TERRENI, PORTEMVS ET IMAGINEM CÆLESTIS. Græci codices sic habent: *Et sicut portauimus siue gestauimus imaginem terreni; portabimus, siue gestabimus imaginem cæleſtis.* Nam vox Græca Φορεῖν proprie significat gestare, quomodo vestem, annulum, sceptrum gestare quis dicitur. Græcis Syra consonant, *& quemadmodum induimus imaginem illius qui ex terra, siue ex puluere; sic induemus imaginem illius qui è cælo*. Atqui lectio nostra *portemus* apud omnes Latinos est, non solum expositores huius epistolæ, verum & alios. Sic enim legunt Tertullianus aduersus Marcionem lib. 5 c. 10, & de resurrectione carnis cap. 49, & Cyprianus omnibus locis suprà citatis. Item Hieronymus enarrans Isaiæ caput 52, & alibi. & Augustinus passim, imò & Irenæus eiusve interpres lib. 5 cap. 9. Qui tamen omnes in eo cum Græcis conueniunt, quod illatiuam voculam *igitur*, non agnoscunt: vt nec Ambrosiaster nec Sedulius, nec Haimo. Et quidem Tertullianus ita contendit pro sua lectione, vt diuersam reijciat, *Portemus enim inquit*, ait priore loco, *non portabimus: præceptiuè non promissiuè*. Et in altero, *Portemus enim præceptiuo modo dicens, huic tempori loquitur*, &c. Iuxta hanc ergo lectionem apostolus doctrinæ exhortationem intermiscet, admonens vt sicut in nobis peccando exhibuimus imaginem, id est, expressam valde similitudinem terreni Adam, qui primus peccauit: ita deinceps exhibeamus in nobis imaginem hominis cæleſtis, id est, Christi, per sanctam cõuersationem ac vitæ nouitatem eum imitantes, vt ad similem cum eo gloriã peruenire possimus. Portò

iuxta

Aliaratio Gerson.

Christus quo sensu descendit de cælo.

Generali ratione omne bonum de cælo est.

Christus quo sensu cæleſtis.

Cur nos terreni.

Vera ratio.

Quomodo nos futuri cæleſtes.

Græca lectio diuersa à Latina.

Sensus Latinæ lectionis.

Sensus Græca lectionis.

iuxta lectionem Græcam, continuatio doctrinæ est de resurrectione, seu quædã explicatio sententiæ præcedẽtis: vt sensus sit, Et sicut gestauimus in nobis imaginem terreni Adam, quatenus etiam ipsi terreni facti sumus, & per hoc ei similes: ita quoque gestabimus in nobis imaginem hominis cælestis, scilicet Christi; quatenus & ipsi secundum corpora cælestes erimus per beatam resurrectionem, proindeque futuri quædam illius imagines. Sensus hic Græcorum interpretum est, Theodoriti, Theophylacti & Oecumenij: quorũ duo priores eam lectionem quæ Latinorum est, apertè reijciunt. Græcè enim, inquit Theodoritus, φορέσομεν per prædicationem, non φορέσωμεν *admonitoriè, ab eo dictum est*. Similiter Theophylactus, posthabito sensu Chrysostomi exhortatorio (qui tamen vtro modo legerit, non liquet) studiosè monet apostolum indicatiuè loqui de re futura: quale scilicet in resurrectione corpus accepturi simus. Pro quo sensu Oecumenius etiam Methodium testem adducit, ex libro de resurrectione. Mihi certè scopum ac progressum disputationis Paulinæ consideranti, Græca vulgata lectio (licet in nonnullis exemplaribus Græcis quæ hodie exstant, diuersum legatur) sincerior ac germanior apparet; nec solum præcedentibus consentanea, sed & his quæ proximè sequuntur.

Græca lectio sincerior.

50 HOC AVTEM DICO FRATRES. Hoc est, inquit, quod volo dicere.

QVIA CARO ET SANGVIS REGNVM DEI POSSIDERE NON POSSVNT: NEQVE CORRVPTIO INCORRVPTELAM POSSIDEBIT. *Possidere*, Græcè κληρονομῆσαι, *hereditare, hereditate consequi*. Et pro *possidebit*, præsentis temporis verbum est, κληρονομεῖ, *hereditat, hereditate consequitur*. Iuxta duplicem lectionem eius quod præcessit, variatur etiam huius sententiæ commentarius. Per hanc enim exponere vult apostolus id quod proximè dixit. Itaque priori lectioni quæ Latinorũ erat, & exhortationẽ cõtinebat, respõdebit hic sensus: Caro & sanguis, id est, opera carnis, quę vtique peccata sunt, Gal. 5 v. 19, non assequẽtur hereditatem regni Dei: neque corruptio, id est peccatũ, assequetur statũ incorruptionis, seu beatæ immortalitatis. Nã corruptionis nomine peccatum aliquãdo significari, probat illud 2 Petri 2, *Libertatem illis promittentes; cùm ipsi sint serui corruptionis*: etsi verisimiliter eo loco nõ omne peccatũ nomine corruptionis significetur. In hoc sensu metonymia est, qua opera carnis accipiũtur pro hominibus qui carnis operibus addicti sunt; & corruptio, id est peccatũ, pro homine peccatore. Cæterùm posteriori lectioni quæ Græcorum erat, iste sensus respõdet: *Caro & sanguis*, id est, homines ex carne & sanguine constantes, ideóque natura mortales, vt tales sunt, habere locũ non poterunt in regno Dei. quasi dicat: in illa regni felicitate corpora iam non erunt vt in hoc sæculo, quæ mori & corrumpi possint. Qui sensus explicatur, per id quod sequitur: *Neque corruptio incorruptelam possidebit*, aut *possidet*, hoc est, nulla corruptibilitas erit in illo statu perfectæ incorruptionis. Hunc intellectum confirmant aliæ scripturæ, quibus caro & sanguis accipitur pro homine mortali: vt Matth 16, *Caro & sanguis non reuelauit tibi*, id est, nemo mortalium. Eph. 6, *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ*, id est, aduersus homines mortales. Hebr. 2, *Quia pueri communicauerunt carni & sanguini; & ipse communicauit ijsdem*, id est humanam naturam assumsit mortalem. Item Ecclesiastici 14, *Generatio carnis & sanguinis*, id est, hominum mortalium, *alia finitur, & alia nascitur*. Nec segus accipitur Galat. 1, dicente Paulo, *Non acquieui carni & sanguini*. quẽadmodum illic ostendemus. Hæc autem mortalitas & corruptibilitas ea debet intelligi, quæ sit etiam communis homini vt primum factus est in animam viuentem, corpus habens animale; id est, posse mori, posse corrumpi. Porrò meminerunt vtriusq; sensus expositores tam Græci quam Latini pænè omnes: ac præterea Augustinus in epistola 146 ad Consentium: vbi præsentem locum apostoli totum diligenter excutit: & hunc posteriorem sensum potiorem esse docet: *quia*, inquit, *non de operibus, sed de modo resurrectionis loquebatur apostolus*, cùm hæc scriberet. Rursusque eundem sensum probat lib. 1 retractationum cap. 17, & lib. 2 cap. 3. Est apud Latinos interpretes præter hos duos & alius sensus non admodum alienus: vt per carnem & sanguinem intelligatur vita animalis, quæ requirit vsum ciborum & procreationem filiorum. Cuiusmodi vitam post resurrectionem exspectant Iudæi & Saraceni, & in vniuersum Mahometani. Quem sensum amplectitur Caietanus: qui etiã corruptionem interpretatur defluxum interni ac naturalis humidi. Cùm autem sensus omnes prædicti probabiles sint & catholici; perperam sanè veteres quidam hæretici istis apostoli verbis significatum putarunt, quod non resurgent caro & sanguis secundum substantiam, sed in spiritum vel aërem, vel in æthereum corpus transmutata. Non enim de substantia, sed de qualitate carnis & sanguinis apostolo sermo est. Atque eum sensum erroneum refellit Augustinus in plerisque locis ante citatis. Valet autem in primis ad istum errorem elidẽdum, id quod Christus post resurrectionem de suo corpore dixit ad discipulos; *Palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*, Luc. 24. Et quod in symbolo nos credere confitemur, *carnis resurrectionem*.

Duplex huius loci commentarius.

Caro & sanguis dicuntur opera carnis.

Corruptio pro peccato, non quolibet tamen.

Caro & sanguis in scripturis pro homine mortali.

Caro & sanguis vita animalis. Iudæorũ, & Mahometanorũ error de resurrectione.

Error veterum hæreticorum de resurrectione.

Refellitur

51 ECCE, MYSTERIVM VOBIS DICO. Hic iam alterius quæstionis quæ de modo & ordine resurgendi mota fuerat, explicationem aggreditur apostolus. Præfatur autem aperire se mysterium, id est, magnum aliquod arcanum religionis Christianæ: quod ante eũ à nemine fuisset ita clarè explicatum. De huius mysterij intellectu deinceps amplius aliquid dicemus

Mysterium.

OMNES QVIDEM RESVRGEMVS: SED NON OMNES IMMVTABIMVR. Huius loci variæ fuerunt olim & etiamnum exſtant lectiones: de qua varietate conſulendus eſt in primis Hieronymus in epiſtola ad Minerium & Alexandrum, numero 152, vbi ad eam rem Græcos citat authores, quorum alij aliter legunt hunc locum, alij varietatem ipſam indicant. Legendus item Auguſtinus lib. 20 de ciuitate Dei capit. 20, & ad Dulcitium quæſt. 3, & epiſtola ſæpe citata ad Cõſentium. itemque Pelagius & Oecumenius in commentarijs. Ex quibus colligere eſt tres diuerſas lectiones: Quarum vna eſt hæc noſtra vulgatæ verſionis. Secunda, *Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur*. Tertia ſecundę ex diametro oppoſita, *Omnes quidem dormiemus: nõ omnes autem immutabimur*. Quas omnes tres referunt Hieronymus & Pelagius. Primam & tertiam Auguſtinus tribus locis memoratis. Secundam & tertiam Oecumenius. Harum lectionum prima frequentior erat in Latinis codicibus, in quibus & hodie ſola reperitur; in nullis autem erat Græcis, Hieronymo teſte in calce dictæ epiſtolæ. Sed nec hodie in vllis Græcis habetur. Tertia in paucioribus erat Latinis: ſecunda & tertia ferebatur in Græcis, vt Hieronymus, Pelagius & Oecumenius teſtantur. Verùm hodie Græci codices plerique omnes, aſtipulante Syriaco textu, ſecundam exhibent lectionem. Certè Robertini nullam aliam annotant. Ea verò quæ ſcripta eſt ad marginem Complutenſium, & ex ijs Regiorum, πάντες μὲν οὖν κοιμηθησόμεθα, ἀλλ' οὐ πάντες ἀλλαγησόμεθα, hoc eſt, *Omnes quidem igitur dormiemus, ſed nõ omnes immutabimur*, mutato videlicet οὐ in οὖν, meritò ſuſpecta eſt. Nam poſt illa verba, *Ecce, myſterium vobis dico*, nullo modo conuenit illatiuus ſermo, *Omnes quidem igitur dormiemus*. Eadẽ porrò ſecunda lectio Chryſoſtomi eſt & Theophylacti: imò & Theodoriti: quod ex eius expoſitione facilè eſt coniectare: licet textum neſcio quis appoſuerit noſtræ vulgatæ verſionis, non eo tantum loco, ſed per totum commentarium: Adeoq; miror Acacium Cæſarienſem, cuius verba recitat Hieronymus, aſſirmare lectionem quę habet: *Omnes quidem dormiemus* &cæt. in pluribus Græcorum codicibus inueniri: præſertim cum iſti iam memorati, quos ferè ſolos habemus è Græcis antiquioribus epiſtolarum Pauli interpretes, illius lectionis omnino non meminerint. Sed & alij Græci his anteriores eadem cum ipſis vſi ſunt lectione: Primùm Origenes ſemel & iterùm in tertio volumine enarrationis epiſtolæ 1 ad Theſſal. (cuius verba ſunt apud Hieronymum in epiſtola antedicta) ac turſus in libro aduerſus Marcionẽ ſcripto, qui in Vaticano exſtat nondum typis excuſus. Item Theodorus & Apollinarius, ibidem ab Hieronymo allegati: nec non Iuſtinus, ſeu quiſquis author, (fuit enim Origene poſterior) ad orthodoxos quæſt. 61 & 109. Interi Latinos quoq; legit ad eundem modum ipſe Hieronymus in commentarijs Iſaiæ 51, niſi quod pro *dormiemus* dixit *reſurgemus*. *De ſanctis*, inquit, *ſcriptum eſt, Non omnes quidem reſurgemus, ſed omnes immutabimur*. Idque conſonat ijs quæ ſcribit idem Hieronymus in epiſtola ad Marcellam numero 148, ſimpliciter aſſerens immutationem ſanctorum, qui reperientur viui in aduentu Domini, futuram ſine morte, *qua corpus ab anima deſeratur*. Sed nunc breuiter ſenſum reddamus ſingularum lectionum. Prima, quæ Latinorum eſt codicum, facilem & obuium habet ſenſum: Omnes quidem homines (licet hoc Tertullianus & alij quidam ſpecialiter reſtringant ad mortuos) tam malos quàm bonos reſurrecturos eſſe, ſed non omnes immutandos in ſtatum beatæ ac glorioſæ immortalitatis. Tertia quoque lectio non diſſimilem habet ſenſum, Omnes homines dormituros eſſe ſomnum mortis, & inde ſuſcitandos: ſed non omnes immutandos; vt dictum eſt. Ad ſecundam lectionem quod attinet, ſcito ſenſum non mutari, ſiue legas: *Omnes quidem non dormiemus*, qui ordo verborum in Græco eſt; ſiue (quomodo legit Hieronymus & plerique Latinè vertunt) *non omnes quidem dormiemus*. Senſum autem Græci interpretes reddunt huiuſmodi: Nõ omnes quidem nos fideles & ſancti dormiemus, id eſt, moriemur: non enim illi dormient, qui in aduentu Domini ſuperſtites inuenientur: ſed tamen omnes ſine exceptione immutabimur in ſtatum beatæ immortalitatis: omnes, inquam, fideles & ſancti. Hanc autem eſſe veram & germanam apoſtoli ſcripturam (vt ſaluo meliore iudicio dicam quod mihi videtur) his rationibus ſuaderi poſſe puto. Primùm, quia de ſola bonorum reſurrectione Paulus agit hoc capite: quemadmodum & Chriſtus in euangelio, Sadducæorum hæreſin refellẽs: quod & in præcedentibus non ſemel admonui. Nam quæcumque diſſeruit hactenus, & quæ deinceps dicturus eſt vſque ad finem capitis, ad ſpem reſurrectionis confirmandam pertinent, qua futurum ſit vt mors penitus aboleatur. At ſecundum reliquas duas lectiones præter illud ſuum inſtitutum velut ex abrupto mentionem huc interſerit de reſurrectione quæ etiam nobis eſt communis. Quã tamen ſi vellet ſignificare, non omnino de malis & impijs, deque æterno ſupplicio quod eos manet, aliquid expreſsè dicere prætermiſiſſet: vt alibi ſcriptura ſolet exprimere, quum de reſurrectione & iudicio omnibus communi loquitur, velut Dan. 12, Matth. 13 & 25, Ioan. 5. velut etiam ipſe Paulus expreſſit Roman. 2, & 2 Cor. 5. Secundò, quia iuxta Latinorum ſenſum potius dixiſſet in tertia perſona, *Omnes quidem reſurgent, ſed non omnes immutabuntur*. Nam ſatis incongruens atque extrà morem apoſtolici ſermonis id eſſe videtur, vt de reprobis agens vtatur verbo primæ perſonæ: quale eſt iſtud, *non omnes immutabimur*, id eſt, aliqui noſtrũm non immutabuntur,

Tres huius loci lectiones.

Lectio ſuſpecta.

Græca lectio multorum codicum & authorũ.

Senſus primæ lectionis.

Senſus tertiæ lectionis.

Senſus ſecundæ lectionis ſecundum Græcos.

Græca lectio germana probatur aliquot argumentis.

tut,

tur, ſed in æterna manebũt corruptione: cùm vtiq; ſoleat apoſtolus vbiq; electis ſuam perſonam adiungere. Quod inter alia argumentũ eſt Caietani Græcam lectionem probantis. Tertiò, quia nõ cohæret hic ſermo, *Non omnes immutabimur in momento, in ictu oculi* &c. Oportet enim hyperbatõ facere, vt illud, *Omnes quidem reſurgemus* referatur ad hanc partem, *In momento* &c; ſitq́ue media parentheſis, *ſed non omnes immutabimur*. Atqui ſecundum lectionẽ Græcorum optimè ſentẽtia cohæret, *Omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi* &c. Quartò, quia cũ huius lectionis ſententia valdè conuenit id quod ſtatim pòſt ſubijcit, *Mortui reſurgẽt incorrupti, & nos immutabimur.* vtiq; ſignificãs diuerſos fore eos qui ex mortuis reſurgent ad incorruptionem, ab illis qui viui reperientur, ac nihilominus immutabuntur. Nã incorruptionem beatam illic omnino intelligẽdã eſſe, eo loco docebimus. Quintò, quia poſt illud, *& nos immutabimur*, continuò ſubiungit apoſtolus: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionẽ*, &c. quod certè magis ad eos videtur pertinere, qui viui tũc reperiẽtur, nec morte cõſumpti corruptiq́ue erũt, etſi corruptibiles: quã ad eos qui iã ante mortui in corruptionem deuenerunt: quẽadmodum illic ex alterius loci collatione monſtrabimus. Deniq; plurimum facit ad hãc lectionẽ ſtabiliendã eiuſdẽ apoſtoli locus 1 Theſſ. 4, qui ſic habet: *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentũ Domini, non præueniemus eos qui dormierunt.* & iterum: *Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgẽt primi: deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis* &c. Qui quidẽ locus huic vt in Græco legitur, perſimilis eſt, adiunctis ſimul ijs quæ hic ſequuntur: cùm è diuerſo perdifficile ſit horum locorũ alterum cum altero conciliare, ſi lectionem quæ Latinorum eſt, hic ſequi voluerimus. Sanè etiam B. Thomas in fine lectionis octauæ, fatetur id quod Græci legunt, ijs cõſonare quæ ſcribit apoſtolus in epiſtola ad Theſſalonicẽſes. Accedit & alius locus eiuſde apoſtoli, 2 Cor. 5, vbi rurſus inſinuat aliquos non dormituros; ſcilicet eos qui veniẽte Domino *veſtiti* corpore *& non nudi inuenientur*. His omnibus adde, quod facilior ac procliuior eſt mutatio Græcę lectionis in Latinam, velut prima facie magis apparentem ac veriſimilem: quàm contrà, Latinæ lectionis in Græcam. Fit enim plerũque, vt vbi variant codices, ea lectio germanior ſit, quæ ſpecie tenùs à vero ſeu veroſimili remotior eſt: ideoq́; variationi magis obnoxia. Satis, vt arbitror, oſtẽdunt hæc quæ dixi, nequaquã improbabilẽ eſſe Græcorũ codicũ lectionẽ: imò verò multis modis probabilẽ: tantum abeſt vt temeritatis ac proteruiæ ſit accuſandus, qui eã ſequatur aut probet: quẽadmodum accuſat in ſuo cõmentario Catharinus, ipſe potius incõſiderati ac temerarij in ea re iudicij condẽnandus. Sed iã quæritur, an ſecundũ Græcã lectionẽ fatendũ ſit non omnes homines eſſe morituros: & proinde nec omnes reſurrecturos: vtpote eos quos viuentes deprehẽdet aduentus Domini. Fatentur hoc Græci, Chryſoſtomus, Theophylactus & alij, ſuorũ codicũ lectionẽ ſecuti, quã in eũ ſenſum accipiũt, quẽ ſuperius attuli: nõ omnes morituros eſſe, ſed omnes immutãdos. Cui ſententiæ præter alia Pauli loca ſuperiùs allegata, 1 Theſſ. 4 & 2 Cor. 5, ſuffragari videatur etiã illa fratrum, id eſt, fidelium opinio, Ioannẽ non moriturum, eo quod mãſurus eſſet donec veniat Dominus, Iona. 21. tanquã valeat ſequela, Manebit in vita vſque ad aduentum Domini, ergo nõ morietur. Porrò cũ Græcis ſentiunt ex Latinis Tertullianus lib. de reſurrectione carnis c. 41 & 42, & Hieronymus, vt antè dixi, in epiſtola ad Marcellã: qui locus totus in gloſſã ordinariã relatus eſt: licet idem Hieronymus ad Minerium & Alexãdrum ſcribẽs, in diuerſam ſententiam magis propendeat. Subſcribit eidẽ ſentẽtiæ Caietanus, nõ hoc ſolum loco, ſed & alibi, vt in cõmẽtario 2 Cor. 5, 1 Theſ. 4, 2 Tim. 4, & Act. 10. Eſtq́; notandum, Græcos etiã reprobis facere cõmune, quod nõ omnes ſint morituri. Quod & Caietanus ſenrit, maximè propter ſymbolũ & ſcripturas, quæ tradũt Chriſtum iudicaturũ viuos & mortuos. Porrò Latinorum cõmunis in diuerſum ſententia eſt, eademq́; multis ſcripturarũ teſtimonijs ſubnixa: quæ ſicut à morte nullum excipiunt mortalem, ita nec à reſurrectione quenquã excipi ſinunt: cùm certiſſimè tenendum ſit, omnes mortuos ad vitã reſuſcitãdos eſſe. Sunt autẽ præcipuæ ſcripturæ, quæ moriendi neceſſitatẽ referunt ad peccatũ originale: quod cũ infecerit totum genus humanum, etiã totum in mortẽ trahi, quæ pœna eſt illius peccati, cõſequenter docent. Hinc eſt illa primi parentis maledictio totum genus cõprehendẽs, *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, Gen. 3. Cuius ſententiæ generalitatem Paulus exponens Rom. 5, teſtatur *mortem in omnes homines pertranſiſſe per vnum hominem, in quo omnes peccauerunt*. Quin & ſuperius hoc ipſo capite ſic loquitur: *Et ſicut in Adã omnes moriuntur ita & in Chriſto omnes viuificabũtur*. Ex quo cõſequẽs videtur iuxta ſenſum quẽ illic dedimus, omnes homines morituros eſſe, & omnes electos reſurrecturos. Quod & poſtea docet cõparatione ſeminis: *Tu*, inquit, *quod ſeminas, nõ viuificatur, niſi priùs moriatur*. Quibus argumentis ex hoc capite ſumptis vtitur Auguſtinus libr. 20 de ciuitate Dei c. 20, ad id probãdũ quod ei tunc fortaſſe videbatur probabilius, à morte neminẽ exceptũ fore. Cũ hac autem ſententia quẽadmodum conciliari poſſit lectio Græca præſentis loci, quæ videtur Auguſtino fuiſſe ignota, conatur oſtẽdere Oecumenius ex quorundã etiã Græcorum interpretatione ſcribens in hunc modũ; *Alij verò dicũt apoſtolum dixiſſe, Nõ dormiemus, de lõga morte, quaſi corruptione ac diſſolutione opus ſit. Si quidem in puncto tẽporis ſubitoq́; impetu & mori & reſurgere dormitionẽ eſſe negãt.* Ac rurſus infrà; *Iſtud, Nõ omnes dormiemus, hoc modo oportet accipere,*

Opinio Græcorũ, & quorũdam Latinorum.

Secundũ Græcos nec omnes reprobi morituri. Latinorũ ſententia quod õnes morituri.

Probatur ex ſcripturis.

Lectionis mutandæ quæ plerumque occaſio.

An ſecũdũ Græcã lectionem nõ omnes homines morituri.

Græca lectionis cũ Latinorũ ſententia cõciliatio ex Oecumenio

quod nõ dormiemus diuturna dormitione, vt opus sit sepulcro ac solutione ad corruptionem: sed breuem mortem sustinebunt qui tunc reperientur. Hæc ille non improbabiliter. Neque enim dixit apostolus, Non omnes moriemur: sed, Nõ omnes dormiemus. Atqui dormire, in hac phrasi scripturæ non est mori; sed mortis somno teneri, veluti quadam quiete quæ mortem cõsequatur. Vnde fideles defuncti, in Christo quiescere dicuntur, propter moram & continuationem temporis post mortem. Quare qui reperientur viuentes in aduẽtu Domini, mortem quidem gustabunt: verùm quia statim reuiuiscent, summum mortis non capiẽt: sed erit eis mors illa momentanea velut nictus dormitantis. Hinc sequitur, & illam Græcæ lectionis expositionem, quam suprà diximus à Græcis adferri, *nõ omnes dormiemus*, id est, moriemur; haud plenè reddere quod ea lectione significatũ est. Cæterùm putabit aliquis huic sensui quem ex Oecumenio retulimus, illud obstare, quod præfatus est apostolus dicens, *Ecce, mysterium vobis dico.* Quid enim mysterij est, si illi qui tunc viui reperientur, dicãtur morituri quidem, sed non detinendi in morte? quum non detinendos esse res ipsa apertè loquatur, iudicio generali tunc futuro. Respõdeo, Paulum non in eo ponere mysteriũ, quod mortui non sint in morte detinẽdi: sed quasi interrogatus à Corinthijs dicentibus: Audimus quæ loqueris de resurrectione mortuorũ; quod eorum corpora seminata in terra, resurgent gloriosa, spiritualia, cælestia. At nobis quid fiet, aut alijs post nos, qui viui in aduentu Domini reperientur: quorum proinde corpora nõ fuerint seminata in terra? Nũquid ea remãsura sũt vt erãt, in gloria, animalia, terrestria? Occurrit interrogationi, declarãs mysteriũ, ac dicẽs illos nihil minus habituros istis qui dormierũt. Etsi nãq; eorũ corpora non erunt in terra more seminis mortua ac putrefacta: futurũ nihilominus, vt vnà cũ alijs quæ è terra surrectura sunt, immutẽtur, easdẽ cũ illis qualitates acceptura. Breuiter ergo sententia Pauli est: Quãuis *nõ omnes dormiemus* in terra, præuenti à iudice: *tamẽ omnes immutabimur:* & quidẽ omnes simul *in momento*, &c. proüt sequitur. Et hoc est mysteriũ quod vobis dico. Iã si quæras, quo loco sit habenda eorũ opinio, qui licet nõ dubitent omnes mortuos resurrecturos esse: propter ea tamẽ quę hic & ad Thessalonicẽses ab apostolo scribũtur, sentiunt cũ Græcis, nõ omnes homines esse morituros. (qua de re ex professo disputauimus ad dist. 43 li. 4 sentẽ.) Paucis hic respõdemus, in ea sententia nihil esse periculi. Nã & Latini patres qui diuersum senserunt, nusquam eam dãnarunt. Imò Hieronymus in vtrãq; partẽ scripsit, & quidẽ magis asseueranter pro ea quæ Græcorũ est. Sed & Augustinũ nihil huius quęstionis apud se definitũ habuisse cõstat, tã ex ijs quæ scripsit priùs ad Mercatorẽ, postea ad Dulcitiũ, quã ex li. 2 retract. c. 33, vbi repetẽs ex li. 2 de baptismo paruulorũ c. 31 ista verba: *Hoc quibusdam in fine largietur, vt mortẽ repentina cõmutatione non sentiãt: hæc*, inquit, *dixi, seruãs locũ diligẽtiori de hac re inquisitioni. Aut enim non morientur, aut de vita ista in mortẽ, & de morte in æternã vitã celerrima cõmutatione, tanquã in ictu oculi trãseundo, mortẽ non sentient.* Sic ille. Nec illud ignotũ quod super hac quæstione scriptũ legitur in libr. de ecclesiasticis dogmatibus c. 7. vbi cũ author cõmunẽ Latinorũ sententiam posuisset, ita subiecit: *Verũ quia sunt & alij æquè catholici & eruditi viri, qui credũt, anima in corpore manẽte immutandos ad incorruptionẽ & immortalitatẽ eos, qui in aduẽtu Domini viui inueniẽtur; & hoc eis reputari pro resurrectione ex mortuis, quod mortalitatẽ immutatione deponãt, nõ morte: quolibet quis acquiescat modo, nõ est hæreticus, nisi ex contentione hæreticus fiat. Sufficit enim in ecclesiæ lege, carnis resurrectionẽ credere futurã de morte.* Hęc ille, simul indicãs quid ad testimonia partis affirmãtis probabiliter respõderi posset ab ijs qui negantẽ sustinere vellẽt; Tametsi illũ librũ non esse B. Augustini, quod à multis creditum est, sed Gẽnadij presbyteri pro cõperto habemus. Sed quæret aliquis: Si moriẽtur quos aduẽtus Domini viuos inueniet; quo tandẽ modo sint morituri. Quidã existimant morituros in ipso raptu, quo, sicut dicitur 1 Thes. 4, rapiẽtur *obuiam Christo in aëra*; Deo videlicet eos exstinguẽte eadẽ virtute, qua statim excitaturus est: quẽadmodum indicat Augustinus li. 20 de ciuitate Dei c. 20. Sed hoc cur minus sit probabile, dicemus in illius epistolæ commentario. Quanquã & raptus tantũ erit electorũ. Verisimilius autẽ est modũ mortis generalẽ & omnibus tã electis quã reprobis cõmunem fore. Nec apparet quid cõuenientius & verius dici possit, quam quod ignis conflagratorius, vt eũ vocãt Theologi, qui secundũ scripturas antecessurus est iudicẽ, omnes viuentes cõprehẽdet, cruciaturus malos, purgaturus bonos: qui deniq; simul omnes bonos ac malos examinaturus sit, ilico vitæ restituẽdos ac iudicio sistẽdos. Qua de re pluribus egimus in dictatis super 4 sent. dist. 47. Huius autẽ modi mẽtionem apud Augustinũ non fieri, nihil mirũ est: cùm ille mundi cõflagrationem ac renouationẽ ponat extremo iudicio ac mortuorũ resurrectione posteriorẽ: in fine lib. 20 de ciuitate Dei & alibi: contrà quã sentiunt alij plerique. Sed de his sermo nobis redibit, vt ventum erit ad dictũ locũ epistolæ 1 ad Thess. Illud postremò notandũ: cũ dicit apostolus, *Nõ omnes dormiemus*, eũ nõ astringere sermonẽ ad homines sui tẽporis: tanquã sentiat esse ex illis aliquos qui non sint dormituri: atq; per hoc significet aduentum Domini non vltrà differendũ quã illi viuant. Etenim huiusmodi intellectũ subortum etiam ex verbis quæ scripsit 1 Thess. 4, excludit ipsemet in 2 Thess. 2, dicẽs, *Ne terreamini quasi instet dies Domini: quoniã nisi venerit discessio primũ* &c. Sed generatim loquitur in persona electorum, comprehẽsis etiam ijs qui post se futuri essent vsque ad tẽpus aduentus Dominici, quod incertũ habebat: ac si planis

apertisque

Dormire phrasi scripturæ quid sit.

Mysteriũ de quo Paulus, in quo consistat.

Opinio Græcorũ non est dãnanda.

Quomodo morituri, qui viui reperiẽtur in aduẽtu Domini.

Non in raptu.

Sed per ignẽ conflagrationis.

Falsus intellectus verborum Pauli remouetur.

apertisq; verbis diceret; Nō omnes electi dormient somno mortis: omnes tamē immutabūtur in statum beatæ immortalitatis: vt, sicut in superioribus dictum est, corpus ex corruptibili, inglorio, infirmo & animali, fiat incorruptibile, gloriosum, validum & spirituale: denique ex terreno cæleste.

52 *Momentū quid.*

IN MOMENTO. Græcè, ἐν ἀτόμῳ, *in indiuisibili*. Tertullianus Græca voce retenta legit, *in atomo*, locis suprà citatis. Id alij punctum temporis vocant.

Quid ictus oculi

IN ICTV OCVLI. Græcè, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, voce translata ab ictu seu potius iactu, qualis est teli aut fulminis. Nā & ex Syriaco alius ictū alius iactū transtulit. At olim in quibusdā codicibus teste Hieronymo, & Didymo, cuius verba refert Hieronymus in epistola ad Minerium & Alexandrū, legebatur ἐν ῥοπῇ. Quo vocabulo motus significatur, vt est inclinatio lācis in libra. Vnde Tertullianus Latinè legit *in momentaneo oculi motu*. Erasmus siue hanc siue illā vocem attendens vertit, *in momento oculi*. Suspicantur Laurentius & Faber interpretem vertisse *in nictu oculi*: tanquā sit allusio ad dormitionem cui nictus opponitur. Porrò Chrysostomus & Theophylactus palpebrę motum hic accipiūt: Theodoritus motū pupillę: quod est probabilius. Iste enim propriè est oculi motus, idemq; ad denotandū id quod in tēpore minimū est, aptissimus. Igitur hæc duo, *in momento*, & *in ictu oculi*, Paulo summā celeritatē significant, hoc est, instantaneā. Sunt autē referenda secundum Latinam partis superioris lectionē, ad verbū *resurgemus*. Sed melius atque cōmodius secūdum Græcā lectionem ea referas ad proximum verbum *immutabimur*. Vt sensus sit, illā immutationē omniū electorum in statū incorruptibilē, non exigere morā tēporis quo fiat ac perficiatur: (erit enim opus diuinæ virtutis, cuius actionē nulla remoratur ineptitudo materiæ) proinde posse fieri, imò Dei voluntate futurū, vt peragatur in puncto tēporis, id est (vt scholę loquuntur) in instanti. Id verò nō tantū de singulis immutādis, id est, electis accipiendū est, sed de omnibus simul. Non enim id solū sentit; vniuscuiusq; eorum immutationē instātaneā fore, sic vt absq; præuia dispositione statim ac perfectè glorificētur corpora singulorum: sed omnes electos, tā eos qui viui reperiētur, quā qui antea mortui fuerint, vno eodemq; puncto tēporis ad gloriam immutandos. Iam ipsa corporum resurrectio, cui in omnibus electis resurgentibus cōiuncta erit immutatio, num similiter in instāti futura sit, si quæratur; respondeo cū S. Thoma commētante in hunc locum, eam instantaneā fore quantū ad vnionem animarū cum corporibus attinet: non instantaneā verò sed subitaneā ac breuissimi tēporis, quo ad puluerū collectionē: Quæ cum sine motu locali fieri nequeat, oportere vt tēpus aliquod intercedat. Hic locus satis euidēter ostēdit, omnes electos simul eodemq; momento gloriam corporū suorum adepturos: &, si quidem omnes morituri sint, omnes simul resurrecturos. Proinde quod suprà ver. 23 dictū est: *Omnes viuificabūtur, vnusquisq; in suo ordine*, malè à quibusdā de ordine tēporis exponi. Quod autem dicitur 1 Thes. 4, *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos qui viuimus*, &c. quomodo nō sit huic loco contrarium, ex eius cōmentario patebit.

Resurrectionis & immutationis summa celeritas.

Immutatio & resurrectio omnium simul futura, & quo sensu

Quæ tuba nouissima

IN NOVISSIMA TVBA. Hoc est, ad vltimam tubam, canente vltima tuba: quam 1 Thes. 4 vocat tubā Dei, & vocē archangeli. De qua etiā Dominus Mat. 24, *Et mittet* (filius hominis) *angelos suos cum tuba & voce magna*. & Ioan. 5, *Omnes qui in monumētis sunt, audient vocē eius*, nēpe filij hominis. Vocatur enim vox filij hominis, id est, Christi, quod ipsius iussu sit excitanda. Vocatur etiā *clamor*, in parabola decem virginū, Matt. 25. Significatur autē metaphoricè signū aliquod vniuersale, *euidentissimū & præclarissimū* (vt vocat Augustinus epistola 120 ad Honoratū c. 34) quo velut instrumēto quodam diuinæ virtutis, omnes mortui suscitandi sint ad vitā, & conuocandi ad tribunal iudicis Christi: quomodo tubæ sonitu solebat olim populus cōuocari. Qua de re præceptū exstat Num. 10. Hinc illud apud Prophetam, *Canite tuba in Sion, vocate cœtum, congregate populum*, Ioel. 2. Erit autē hoc signum, vt est verisimile, vehementissimus quidam sonitus, angelorum ministerio per vniuersum orbē terrarū diffusus: Qui quidem ad excitādos mortuos ita valeat; quomodo valuit ad excitandum à morte Lazarum vox illa Domini, *Lazare veni foras*, Ioan. 11. Qua de re plura diximus ad dist. 43 lib. 4 sent. Theophylactus existimat tubā Paulo *nihil aliud esse, quàm iussum & nutū Dei omnia penetrantem*. Aquinas etiā Gregorio assc ribit, tubam *nihil aliud designare, quam præsentiā Christi mundo manifestatā*. Sed cùm scriptura aduentum Domini describens, toties tubæ & vocis meminerit, moxq; Paulus iterum subiūgat: *Canet enim tuba*: certè videtur præter præsentiā ac iussum Domini, externū ac vehemēs aliquod signū denotari; quale iā descripsimus. Cur autē nouissima tuba vocetur, eā adferunt rationē Didymus apud Hieronymū in epistola ad Minerium & Alexandrū, & Oecumenius, & alij quorum meminit Theophylactus: quia septē tubæ cōmemorantur in Apocalypsi Ioānis ca. 8, quarum sex non excitāt mortuos, sed viuentes affligunt & interimunt: septima verò tuba quæ & vltima, de qua Apoc. 11, regnū Christi annunciat, & tēpus resurrectionis atq; iudicij mortuorum, Sed ad Apocalypsim quæ post mortē Pauli scripta est, respicere Paulus hoc loco non potuit. Nec verò septima tuba mortuos excitatura dicitur in Apocalypsi; sed quid breui post eā futurū sit, indicatur. Sūt qui nouissimā tubā interpretentur extremū tubæ signū: quasi nō plures tubæ, sed eiusdē tubæ plura sint signa, quorū hoc sit extremū. Nobis eorū expositio magis probatur, qui tubā nouissimā intelligūt, nō quā aliæ tubæ, aut eiusdē tubæ alia signa præcesserint; sed quā alia nulla sequatur; aut potius, quæ finem sæculi diemq;

Quomodo valeat tuba sonus ad excitandos mortuos. Theophylacti sententia de tuba refellitur.

Cur nouissima tuba vocetur.

nouiſſimũ adeſſe nunciet; ac ſi dicat, canente tuba extremi tẽporis ac iudicij nuncia. Refertur autẽ & hęc pars eôdẽ quo præcedẽs, id eſt, iuxta probabiliorẽ lectionẽ verſus antecedẽtis ad verbũ *immutabimur*. Porrò quæ ſequũtur, pertinẽt ad explicationẽ eorũ quæ dicta ſunt.

CANET ENIM TVBA. In multis mss. tantum legitur *Canet enim*. Pro quo Græcè σαλπίσει γὰρ, id eſt (vt vno verbo Latinè reddatur) *buccinabit enim*, vel *tubabit enim*. quo poſteriore modo vertit Origenis interpres tra. 30 ſuper Matthæũ. Ambiguũ eſt autẽ in noſtra lectione, *tuba* ſítne primi caſus, vt pleriq; ſumũt, an poſtremi. Nã vtique Græcum verbũ σαλπίζειν, tuba canere ſignificat: & ſubaudiri poteſt ex epiſtola ad Theſſal. archãgelus. Aut certè impersonaliter, id eſt, abſq; perſonæ ſignificatione poterit accipi verbum *canet*, ſeu malis *clanget*, hoc ſenſu, Tubæ cãtus ſeu clangor edetur, perſtrepet. Qui loquẽdi modus non eſt infrequẽs in ſcripturis. Exẽpla ſunt Luc. 6, *Dabũt in ſinũ veſtrũ*. & 12, *Animã tuã repetunt à te*. Quid verò per tubę cantũ intelligatur, iã expoſitum eſt. Hanc partem in quibuſdã libris videre eſt incluſam parentheſi: vt ea quæ ſequuntur, *& mortui reſurgẽt incorrupti, & nos immutabimur*, ſuperioribus adiungãtur, initio periodi facto ab illa parte, *In momento* &c. Iuxta quã diſtinctionem hæc erit ſententia, *In momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba*, ſimul hæc duo fient: *& mortui reſurgẽt incorrupti, & nos immutabimur*. Quæ quidem diſtinctio pænè neceſſaria eſt interpretantibus hunc locũ ſecundum lectionem Latinam illius partis, *Omnes quidem* &c. At verò ſecundum quod in Græco legitur, melius & cõmodius ei ſequens aſynthetõ annectitur vno contextu, proũt nos interpretati ſumus. Quocirca nobis hac parẽtheſi nihil eſt opus: cùm ſine ea ritè procedat oratio.

Varia huius partis conſtructio.

ET MORTVI RESVRGENT INCORRVPTI. Hebraiſmum obſerua: *Canet tuba, & mortui reſurgent*, id eſt, canente tuba mortui reſurgẽt. Sic in pſalmo 103, *Auferes ſpiritum eorum, & deficient. Emittes ſpiritum tuum & creabũtur*, id eſt, auferente te ſpiritum eorũ deficient: emittente ſpiritum tuum, creabuntur ſeu recreabũtur. Eſt igitur ſenſus: eos qui mortui erũt & in Chriſto dormientes, ad ſonitũ tubæ ſuſcitãdos ac reſurrecturos eſſe incorruptibiles, hoc eſt immortales & impaſſibiles. Nã ſignificatur incorruptio perfecta, quã dotẽ impaſſibilitatis appellãt Theologi, id eſt, quæ omnẽ offenſiuã paſſionem excludat: eadem ſcilicet quæ ſuprà ver. 42, *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione*. & ver. 50, *Neque corruptio incorruptelam poſſidebit*. Atque hunc intellectũ præſentis loci palã exigit apoſtoli probatio, quam mox adfert ex propheta dicẽte: *Abſorpta eſt mors in victoria* &c. Quibus accedit, quod incorruptionẽ ſcriptura ſemper accipit in bono: nec vſquã reprobis eam attribuit, ſed ſolis electis: vt proinde cõmentarius eorũ qui partẽ hanc de omnibus mortuis interpretantur, etiã malis, quos incorruptos fore dicunt, quia mori non poterunt; nobis parum probabilis videatur.

Nota Hebraiſmũ.

Incorruptio perfecta reſurgentiũ electorum.

ET NOS IMMVTABIMVR. Cohæret cum præcedẽtibus hoc modo: Canente tuba mortui reſurgẽt incorrupti, & nos immutabimur. Sentit enim, ad cantum tubæ futurum ſimul vtrũque. Huius autem partis ſenſus eſt: Et nos qui in aduentu Domini reperiemur viuentes, ideoq; non reſurgemus vnà cũ mortuis (intellige è ſomno mortis, ſicut illi) ſimul tamen cũ illis immutabimur ad eundẽ ſtatum incorruptionis. Loquitur enim apoſtolus, vti ſuperius, in perſona iuſtorum atque electorũ quos viuos aduentus Domini deprehendet: quemadmodũ loquitur, & quidẽ expreſſius 1 Theſ. 4 dicens: *Nos qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentum Domini, non præueniemus eos qui dormierunt*. & iterum, *Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis* &c. Porrò Græci commentatores, aſtipulante Caietano, tam hunc locum quã eum qui eſt ad Theſſ. ſic accipiunt, tanquam ſentiat apoſtolus eos qui viui reperientur, abſque morte media commutandos in ſtatum incorruptibilem: quaſi diceret, Nos etſi nõ reſurgemus ſicut illi, quia non erimus mortui: immutabimur tamen vt illi. Verùm ſuprà docuimus ex Oecumenio, ſic apoſtolum intelligi poſſe, vt non à morte ſed à ſomno mortis excipiat eos qui in aduẽtu Chriſti ſuperſtites erunt. Deniq; patet ex ſenſu quẽ dedimus, id quod dicit, *& nos immutabimur*, nõ diſſonare ab eo quod prius dixit ſecundum Græcam lectionem, *omnes autem immutabimur*. Omnes enim electi immutabimur: ſed nos quia non dormiemus, immutabimur tantum.

Ad tubæ cantum fiet immutatio viuorum ſimul & reſurrectio mortuorum.

Græcorũ opinio, eos qui viui reperiẽtur non morituros.

53 OPORTET ENIM CORRVPTIBILE HOC INDVERE INCORRVPTIONEM. Interpretatur immutationem quam dixit. Ea namque fiet, dum corruptibile hoc corpus ablata corruptibilitate induet, id eſt, aſſumet & accipiet incorruptibilitatem illam beatis propriam.

ET MORTALE HOC INDVERE IMMORTALITATEM. Repetit idem alijs verbis. Quamuis enim differãt corruptibile & mortale, ſicut annotat Theophylactus, quod mortale de ſolis dicatur animatis, corruptibile etiã de inanimatis: hoc tamẽ loco vbi de humanis corporibus ſermo eſt, ferè pro ſynonymis vſurpantur: niſi quod mors à qua dicitur mortale, ſit terminus corruptionũ præcedentium. Alioquin etiam omnis corruptio, quatenus ad imperfectum mutatio, mors quędam eſt. Vt autem incorruptio nominata in priori membro, ſic & immortalitas iſta, ſolis cõpetet electis. Admonent interpretes apoſtolũ cum demonſtratione & emphaſi dicere, *hoc corruptibile, & hoc mortale*: ne quis corpora propter qualitates quas ſortientur à prioribus longè diuerſas, diuerſa fore ſuſpicetur, & non eadem. Notandum eſt autem vtrumque membrum peculiariter ad eos referri, quos dies Domini viuentes inueniet: quorum in perſona dixit: *Et nos immutabimur*. Nam de mortuis iam dixerat, quod *reſurgent incorrupti*.

Mortale & corruptibile an differant.

Omnis corruptio mors quædam eſt.

De

Dę his verò quasi non morituris, quos tamen immutandos dixit, nunc prosequitur sermonem dicens, quod in eis corpus hoc corruptibile & mortale, tametsi non corruptum nec mortuum, induet incorruptionem & immortalitatem: quia videlicet tabernaculum corporis illorum non deponetur in terram; secundum id quod ait apostolus Petrus 2 epistolæ 1, *Velox est depositio tabernaculi mei:* sed statim in aduentu Domini immortalitatis stola donabitur: vt sic quodammodo fiat quod Paulus optare nos dicit 2 Cor. 5, cùm ait: *In hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cælo est, superindui cupientes.* ac rursum: *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati: eo quòd nolumus exspoliari (tabernaculo corporis nostri) sed superuestiri,* scilicet immortalitate: *vt absorbeatur quod mortale est, à vita.* Qui locus omnino cum isto conferendus est: facit enim ad eius intelligentiam. Vnde & hic de mortalitatis absorptione mox sequitur.

In quibus mortale induet immortalitatem.

54 CVM AVTEM MORTALE HOC INDVERIT IMMORTALITATEM. Græca & Syriaca repetunt vtrumque, *Cùm autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem.* Atque eo modo citant hunc locum Cyprianus ad Quirinum lib. 3 testimonio 58, & Augustinus varijs locis quæ paulo pòst indicabimus. Sunt & mss. codices vetusti, quorum vnus mihi visus, qui sic legant: *Cũ autem corruptum hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc* &c. Suffragantur item veteres concordantiæ.

TVNC FIET SERMO QVI SCRIPTVS EST. *Tunc*, & eo ipso, *fiet*, implebitur hæc scriptura.

ABSORPTA EST MORS IN VICTORIA. Græcè εἰς νῖκος, *in victoriam*, vel *ad victoriam*. Augustinus passim legit, *in victoriam*. Hieronymus alicubi, *in contentione*, vt in commentario Oseę 13. nec non Hilarius lib. 11 de Trinitate. Alij, *in contentionem*, vt Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 51 & 54, & Cyprianus in testimonio proximè citato. Sed hæc varietas vulgatior est in parte sequenti. Accidit autem ex variata Græca voce, quæ cum diphthõgo scripta νεῖκος contentionem significat, sine diphthongo νῖκος, victoriam. Cæterùm vbi scriptus sit ille sermo, statim inuestigabimus, postea sensum dicturi.

Varia lectio.

55 VBI EST MORS VICTORIA TVA? VBI EST MORS STIMVLVS TVVS? In Græco legitur hoc ordine & ad hunc modum: *Vbi tuus mors stimulus? vbi tua inferne victoria?* Legunt eodem ordine Syrus interpres, Irenæus lib. 5 cap. 13, Tertullianus de resurrectione carnis cap. 47, 51 & 54, & Cyprianus loco supra dicto. Sed sciendum multos pro *victoria*, legere cõtentionem, cui Græcum νεῖκος respõdeat: vt Tertullianum, Cyprianum & Hilarium locis allegatis; item Hieronymum in commentarijs Isaiæ 14 & Oseę 13, nec non in epistola 61 scripta aduersus errores Ioannis Hierosolymitani cap. 14. Augustinus etiam tametsi lib. 3 de peccatorum meritis & remiss. cap. 11 legisse videtur, *vbi est mors victoria tua?* (nam id prorsus arguere videntur eius verba quæ de mortis victoria consequenter subijcit) alibi tamen constanter ei legitur *contentio.* vt lib. 2 contra Iulianum cap. 3, de perfectione iusticię cap. 6, de vera religione capit. 12, de moribus ecclesiæ catholicæ cap. 30, enchiridij cap. penultimo, sermone 43 de verbis Domini, sermone 2, 3 & 6 de verbis apostoli, tractatu 41 super Ioannem, in enarratione psalmi 64, & quæstione 70 inter 83. Denique sic legit & exponit Primasius in commentario. Sed iam quæritur, vbi scripta sint hæc quæ citat apostolus. Plerique totum referũt ad locum Oseę 13. Verùm illic habentur verba multum diuersa. Sic enim legimus ex Hieronymi trãslatione: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua ô mors; ero morsus tuus inferne.* Sed & Hebræa ad verbum ita sonant: *De manu inferni redimam eos, de morte redimam eos. Ero pestes tuæ, mors: ero excisio tua, inferne.* Dicendum est posteriorem allegati sermonis partem haberi loco memorato Oseę secundum versionem LXX interpretum: nisi quod Paulus scripsit νῖκος, id est, victoriam, vel νεῖκος, id est, contentionem, pro eo quod apud illos legitur δίκη, id est causa, qualis apud iudicem agitur. Sic enim habent nostri codices editionis LXX: *Vbi causa tua, mors? vbi stimulus tuus, inferne?* Porrò νῖκος & νίκη idem significant. Vt autem νίκη fieret δίκη, procliue fuit vnius literæ mutatione. Sed tamen siue νίκη, siue δίκη legatur, (nam LXX δίκην scripsisse testatur Hieronymus) idem ferè sensus accipi poterit. Victoria namque pænes eum est qui causam obtinet. Excidit autem victoria qui cadit causa. Quod si Paulus scripsit νεῖκος, id est contentionem, iuxta lectionem illam vetustam Latinorum: propius adhuc accessit ad significationem vocabuli quod legitur apud LXX. Nam causa agitur apud iudicem contentione partium. Notandum est autem Hebraicam vocem דבר *dabar* aut *deber*, pro qua LXX δίκην causam, Hieronymus mortem transtulit, diuersis punctis additis nunc verbum, nunc pestem seu mortem significare: vt priori modo cum Aquila & quinta editione vertas: *Vbi verba tua, ô mors?* illa scilicet verba quibus aduersus hominem contendebas, & damnatum ac superatum occidebas stimulo tuo, quod est peccatum, vt infrà dicitur. Hoc autem conuenit cum eo quod LXX dixerunt causam, & Paulus victoriam vel contentionem. Alteram verò significationem attendit Hieronymus, ita vertens: *Ero mors tua, ô mors.* Quæ eadem huius vocis ambiguitas etiam in Isaiæ cap. 9 diuersas peperit translationes: Hieronymo vertente, *Verbum misit Dominus in Iacob:* pro eo quod LXX verterãt, *Mortem misit Dominus* &c. Iam & illa diuersitas inter Hieronymum vertentem *Ero*, & LXX qui verterant *Vbi*, ex simili vocis ambiguitate nata est. Nam אַיֵּ *ehi*, cuius nota

Quæstio de loco scripturæ allegato.

Resp̃sio.

Hebræa voces ambiguæ variè translatæ.

Rursus varia lectio.

significatio est *ero*, significat etiam *vbi*, vel ipsius Hieronymi suffragio: qui paulo superius eandem vocem ita vertit in illis verbis, *Vbi est rex tuus?* Quocirca Leo quidam Hebræus interpres non dubitauit hunc prophetę versum proximè cum eo quod est apud LXX, reddere in hunc modum: *Vbi causa tua, ô mors? Vbi pernicies tua, ô inferne?* Cæterũ possunt ambæ lectiones, affirmãs & interrogans, ita contexi, vt altera sit alteri consequens, hoc pacto: Ero mors tua, vel pestis tua, ô mors. Vbi ergo tunc erit ô mors, stimulus tuus? Ero mors tua vel excisio tua, ô inferne. Vbi ergo tunc erit, ô inferne, victoria vel causa tua? Restat quærendum, vbi scripta sit allegati testimonij pars prior, *Absorpta est mors in victoria.* Plerique expositores, vti dicebamus, referunt ad eundem Osee locum: sed alij aliter. Quidam vt Haimo, Liranus, Carthusianus, dicũt eam partẽ à Paulo citari ex Osee iuxta versionem LXX. Qua in re manifestum est eos falli. Nam apud LXX non magis legitur, quã in Hebræo. Alij dicunt eã quo ad sensum contineri in verbis illis prioribus, *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* Christus enim hoc faciẽdo mortẽ deuicit, ac velut absorpsit. At verò S. Thomas incertũ esse dicit, vbi legatur: posse tamen referri ad locum Isaiæ 26, *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent.* vel eiusdem prophetæ cap. 25, *Præcipitabit mortem in sempiternum.* Quod posterius sine dubio verius est. Nam illic in Hebræo sic legitur, *Absorbebit mortem in sempiternum.* Pro quo alius quidam nihilominus ex Hebræo fonte vertit, *Mortem absorbet vincendo.* Ac rursum alius, *Absorbebit ipsam mortem in victoriam.* Hoc autem quid aliud est, quàm quod apostolus allegat; *Absorpta est mors in victoriam?* Sciendum est enim vocabulum נצח *netsahh*, quod in Hebræo legitur, vtrumque significare, *victoriam & perpetuum.* Porrò Fran. Forerius, qui & ipse vertit ex Hebræo, *Præcipitabit mortem victoriosè*, annotat in eiusdẽ loci cõmentario, significari eã præcipitationem, quæ fit in absorptionibus & deuorationibus. Idẽ sentit apostolum ex illo loco suam de qua nunc agitur, sententiam deprõsisse, adeoq; verba prophetæ cõuertisse ad hunc modum: *Absorpta est mors in victoriã.* Sed & Hieronymus eum locum Isaiæ exponens hanc Pauli sententiã illuc adducit, tanquam inde desumptã, licet in eo fortè lapsus memoria, quod *in perpetuũ* scribat pro eo quod Paulus *in victoriam*. Nec illud prætereundum, apud LXX interpretes eundem prophetæ locũ sic legi: κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας, id est, *absorpsit mors prævalens.* siue vt Hieronymus citat in commentario Osee, *Deuorauit mors inualescens*. Quod etsi planè contrarium sensum habeat: (ideoq; à nõnullis exponatur de morte Christi, quæ prævaluit morti introductę per peccatũ primi parẽtis, eamq; absorpsit, id est, cõsumsit ac perdidit) valet tamen ad id quod volumus illustrandũ; quatenus in eo singulæ dictiones proposito cõueniunt; scilicet, absorbere, mors, prævalentia seu victoria. Deinde si coniecturæ locus est, videri potest à LXX scriptum fuisse θάνατον quarto casu, vt verior ac plenior lectio sit: *absorpsit mortem prævalẽs*, scilicet Deus. Nam & proximè sequentia verba de Deo dicuntur apud LXX. In Hebræo autẽ etiam præcedentia. Quanquã Franciscus Ribera scribens super Osee 13, vbi de hoc Pauli loco prolixè disserit, actiuum verbũ apud prophetam pro passiuo positum putat, *absorpsit*, pro *absorpta est*: vt fit interdum in verbis præteritis Hebraicæ linguæ. Quam rem etiam exemplis declarat: Hinc Paulum idiomatum suę linguæ peritissimum pro κατέπιεν *absorpsit*, ex mente prophetæ scripsisse κατεποθη *absorpta est*. Quod etiam Athanasij, Eusebij ac Hieronymi testimonijs probare nititur. Quibus addo Tertullianũ passiuè legentem prophetæ locũ, lib. de resurrectione carnis cap. 54, *Deuorata est*, inquit, *mors inualescendo*. Iam ex his etiã apparet, errore factum esse vt hoc loco (quem ex Isaia desumptum ostẽdimus) Græca quædam olim νεῖκος, id est, contentionem habuerint: cùm ex eo quod in Hebræo & apud LXX legitur, verti non posset nisi quod νῖκος, id est *victoriam* significet. Postremò satis iam liquet non ex vno scripturæ loco Paulum hæc omnia verba sumsisse, sed apostolico more ex diuersis compegisse. Sic enim ipse aliàs; vt Rom. 3 & 9. & Petrus 1 epistolæ 2, & Marcus euangelij sui initio. Nunc verborum sensum reddamus. Est autem huiusmodi; Mors absumta est & abolita vsque ad perfectam de ea victoriam; ita prorsus, vt nihil eius reliquum maneat; sed simul cum ea sublata sit omnis mortalitas & corruptio; nec metus sit ne vires aliquando resumat. Id plenius significant erotemata sequentia, quæ in mortem, cui persona affingitur, insultatoria sunt, & sarcasmi speciem habent; Vbi est, inquit, ô mors (vel secundum Græcos, ô inferne) victoria tua? scilicet ea qua de humano genere per diabolum decepto, triumphasti. Nam *per peccatum mors in mundum intrauit, & in omnes homines pertransijt* atque *regnauit*; Rom. 5, Mors autem inferni ianua est. Nam inferni nomine mortuorum status significatur, etiam iustorum, in quantum mortui sunt. Item, Vbi est, ô mors, stimulus siue aculeus tuus? id est spiculum, quo pungebas & ad exitium vrgebas vniuersum genus humanum. Ac si dicant apostolus & propheta: Mors ita penitus & perfectè destruetur atque delebitur, vt nusquam exstent amplius in sempiternum vllæ eius reliquiæ. Sed hoc intellige cõplẽdum in electis. De ijs enim solis apostolus loquitur. De ijsdẽ & propheta sub typo populi Israëlitici. Nã ad reprobos, qui resurgent quidem, sed vt semper moriantur, pertinet illud Ioannis 1 epistolæ 3, *Qui non diligit, manet in morte*. Et illud apud eundem Apo. 20, *Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.* Atque hoc est quod secũdum Hieronymi interpretationem de Domino dicit Isaias: *Præcipitabit mor-*

Cõtextus vtriusque lectionis.

Quæstio de altera parte testimonij allegati.

Resp̃sio.

Rursus lectio varia ex Hebræo ambiguo.

Expensa versio LXX.

Græcorũ quorundã codicum lectio mẽdosa.

Mos apostolicus plura scripturæ testimonia colligare. Perfecta de morte victoria qua.

In mortẽ insultatio

Mors inferni ianua. Quid infernus.

Mors destruenda in electis, non in reprobis.

tem

tem in ſempiternum. Porrò quem mortis ſtimulum dixerit apoſtolus, exponit ſequentibus verbis.

56 *Stimulus mortis peccatum, & quo ſenſu.*

STIMVLVS AVTEM MORTIS PECCATVM EST. Stimulum ſiue aculeum mortis peccatũ eſſe dicit, interpretante Auguſtino lib. 3 de baptiſmo paruulorum ca. 11, quia peccato velut aculeo mors facta eſt. Nam, vt ait, *peccati punctu mortificatum eſt genus humanum.* Quomodo lignum vitæ dicitur, quo vita hominis fiat aut conſeruetur: & poculum mortis, quo quis mortuus ſit aut mori poſſit. His enim ſimilibus rẽ explicat. Adfertur hic ſenſus etiã à Fulgentio libr. de incarnatione & gratia Chriſti cap. 14. Sed cõſiderandum eſt, apoſtolum de morte loqui quaſi de perſona, cui tribuat regnũ, imperiũ, victoriam: quẽadmodum & de ea locutus eſt Rom. 5. Vnde & ſuprà v. 26 mortem vocauit hoſtẽ qui nouiſſimus deſtruetur, (eſt enim Græcè θάνατος maſculi generis) & nunc proximè eidem velut hoſti prius victori, poſtea deuicto ac proſtrato inſultauit, ac ſtimulũ ei aſſcripſit tanquam telum quo figat ac perimat homines. Hunc igitur ſtimulũ peccatum eſſe dicit. Quem ſenſum luculentè tradũt expoſitores Græci, Theophylactus & Oecumenius his ferè verbis: Per peccatum fortis eſt mors, vtens illo velut armis quibuſdam ac ſtimulo. Nam vt ſcorpius ipſe quidem vile animalculum eſt, ſed vim habet in aculeo: ita & mors per ſe ac ſine peccato, tanquam aculeo, nihil omnino poteſt.

Morti perſonam affingit apoſtolus.

Mortis & peccati deſtructio non per legem, ſed per Chriſtum.

VIRTVS VERO PECCATI LEX. Legis mentionem obiter inſerit, quia mortis & peccati meminerat: ne quis Iudęus aut Iudaizãs putaret hæc mala beneficio legis tolli poſſe; quum lex ea prouocet magis ac roboret: ideoq; confugiendũ ad gratiã Chriſti, per quã (vt indicat verſu ſequẽti) à peccato ſimul & morte victoriã reportamus. Eſt igitur hic ſenſus: Peccatũ, mortis ſtimulũ vſq; adeò lex per Moyſen data remouere non potuit, vt etiam vires ei maiores ex occaſione ſubminiſtrauerit. Per legem enim iritatur concupiſcentia, & augetur peccatum, ſi gratia deſit. *Virtus peccati lex*, ait Auguſtinus lib. de perfectione iuſticiæ ca. 6, *quoniam lex prohibendo auget peccati cupiditatem, niſi diffundat ſpiritus charitatem.* Hinc Aquinas virtutem interpretatur *augmentum*, in cõmentario: quod exponens 1 2 qu. 55 ar. 3, *Virtus peccati*, inquit, *lex dicitur: in quantum per legem occaſionaliter eſt peccatum augmentatum, & quaſi ad maximum ſuum poſſe peruenit.* Hæc nimirum eiuſdẽ apoſtoli doctrina eſt alijs locis, vt Ro. 5, *Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum.* Et ca. 7, *Occaſione accepta peccatum per mandatũ operatũ eſt in me omnem concupiſcentiã.* Nõnulli legem fomitis ſignificari putãt: quę virtus peccati eſt, quia per ſe ad peccatũ incitat. Verũ lex fomitis, vt propriè non eſt lex, ita nec vſquam lex vocatur, niſi cum addito, vt lex mali adiacentis, membrorum, peccati, mortis, Rom. 7 & 8. Quod verò Caietanus legẽ interpretatur apoſtolo dici potentiã peccãdi, id eſt *poſſe peccare:*

Quomodo virtus peccati lex. Per legem augetur peccatum.

Lex fomitis.

Caietani expoſitio reijcitur.

Quoniam, inquit, *lex non ponitur niſi potentibus peccare. Vnde poſſe peccare & lex eodem currũt tempore.* Et cætera quæ huic commentario conſectanea philoſophatur de vario ſtatu hominis: planè extra metam apoſtoli ab eo dicũtur. Sed hominẽ Græcæ linguæ ignarũ, aliâs doctiſſimũ, fefellit ambiguitas Latini vocabuli *potentia*, quod legerat in verſione Eraſmi: cũ dictio Græca δύναμις, quam noſter interpres optimè vertit virtutem, eiuſmodi homonymia careat. Ex ſenſu Caietani ſequitur, etiã in ſtatu innocentię virtutẽ peccati legem fuiſſe. Quod ille quidẽ concedit ac docet: ſed nullus Theologus hoc ei conceſſerit.

57 DEO AVTEM GRATIAS, QVI DEDIT NOBIS VICTORIAM. *Gratias*, Græcè χάρις, *gratia*, id eſt, gratiarum actio. Subaudi, ſit, aut referatur. *Qui dedit*, Græcè δόντι, id eſt, *danti, qui dat:* tametſi quidam codices habent δόντι, *qui dedit.* Gratias, inquit, Deo qui dedit & dat nobis victoriam aduerſus peccatum mortis ſtimulum; ne regnet in nobis: poſtea daturus victoriæ plenitudinem: quando cum peccato mortẽ etiã ipſam perfectè ſuperabimus, reſurrecturi ad vitam æternam & incorruptibilem.

Deo gratiæ de victoria peccati agenda.

PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM. Per eum nempe, cuius merito redempti ſumus à tyrannide peccati & mortis: non autem per legẽ, vt quæ peccatum augẽdo, regnũ mortis amplius promouit. Cõtinet igitur hæc ſententia tacitam probationẽ reſurrectionis mortuorum, eamq; firmiſſimam. Si enim per Chriſtum victoria nobis datur de peccato & morte, ergo ſicut peccatũ, ita & mortem penitus tandem deſtrui oportet. Mors autem non deſtruitur niſi vita reddatur, & quidẽ perpetua: quod nõ cõtingit, niſi per reſurrectionem iuſtis promiſſam. Ex hoc pręterea loco docent Patres, omnẽ de peccato victoriam, quę ad ſalutem veramq; iuſticiam conducat, aſſcribendam eſſe gratiæ Dei per Chriſtum: ſine qua proinde nullam peccati tentationem ſalutariter & ad veram iuſticiam vtiliter, ſuperari poſſe, fatendum ſit.

Probatio reſurrectionis firmiſſima ex hoc loco

Omnis de peccato victoria gratia Chriſti tribuẽda: ſine qua nulla peccati tentatio ſuperari poteſt.

58 ITAQVE FRATRES MEI DILECTI, STABILES ESTOTE ET IMMOBILES. *Et* copula non eſt in Græco. Doctrinam exhortatione concludit: qua monet vt in fide reſurrectionis mortuorum, iuxta doctrinam à ſe traditam, perſiſtant: nec ab ea prauis quorũdam ſermonibus ſeſe dimoueri patiantur.

ABVNDANTES IN OPERE DOMINI SEMPER. In multis codicibus legitur, *in omni opere* &c. ſed probati codices nõ addunt *omni*, vt nec habetur in Græcis & Syriacis. Additũ arbitror exemplo aliorum locorum, vbi legitur, *in omni opere bono*, vt Col. 1 v. 10, & 2 Theſſ. 2 ver. 17. Hortatur vt ad fidem rectam etiã opera bona cumulatiùs adiungant: à quibus deſperatio reſurrectionis quoſdam reuocare iam ceperat, dicentes, *Edamus & bibamus: cras enim moriemur.* Bona opera vocat opus Domini; vel quia Dominus ea diligit & exigit à nobis, vt exponit Theophylactus,

Opera bona cur vocentur opus Domini.

astipulante Heruæo, qui interpretatur opus *mandatorum Domini*: vel quia Dominus ea in nobis operatur. *Deus est enim*, ait idem apostolus, *qui operatur in vobis & velle & perficere*, Philip. 2. Alibi Paulus opus Domini vocat illud, quo specialiter quis studet euãgelio Christi Domini prouehendo; vt capite sequenti de Timotheo loquens, *Opus enim Domini operatur, sicut & ego*. & Philip. 2 de Epaphrodito, *Propter opus Christi vsque ad mortem accessit*. Sed ea strictior acceptio videtur operis Domini, quàm quæ præsenti loco conueniat; vbi generalis est exhortatio fidelium ad opera bona. Quanquam generaliter intelligi potest opus Domini, quodcumque fit ad Christi Domini gloriam & honorem: quale esse debet omne opus hominis Christiani.

Labor fidelium non est vacuus à mercede.

SCIENTES QVOD LABOR VESTER NON EST INANIS IN DOMINO. Hoc est, Certissimè persuasi, quod opera vestra bona non erunt à mercede vacua apud Dominum: vti sunt illis qui resurrectionem non credunt: sed præmium assequentur immortalitatis & gloriæ, idque secundum gradus pro ratione meritorum diuersos, prout dictum est in superioribus. Quod totum intellige: si in finem vsque perseueraueritis. Nam ad perseuerantiam hortabatur verbis præcedentibus. Alioqui laborem fidelium inanem reddi, si non perseuerent, alibi docet, vt Gal. 3 dicens, *Tanta passi estis sine causa*. Laborem vocat opera bona, quod non sine labore & molestia fiant. Nam & *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam*, Sap. 9. & *Caro concupiscit aduersus spiritum*, Gal. 5. & *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur*, 2 Timoth. 2. Partem illam *in Domino* quidam interpretantur *per Dominum*, vt sensus sit, laborem futurum non inanem, sed vtilem & fructuosum per meritum Christi. Verum suggerit Oecumenius per hyperbaton ad laborem referri posse hoc sensu, labor vester propter Dominum susceptus non erit frustraneus. Ostendit autem hæc apostolica adhortandi forma, quam falsum sit ac delirio simile quod docent hæretici, in bonis operibus non esse respiciendum ad retributionem mercedis à Deo propositæ.

Sine perseuerãtia labor inanis.

Cur opera bona vocet laborẽ.

Delirant hæretici negantes in bonis operibus respiciẽdũ ad retributionẽ.

SVMMARIVM.

HOrtatur ad eleemosynam in sanctos pauperes conferendam. Aduentum suum promittit. Apollo fratrem, quod non venerit, excusat. Timotheum & Stephanæ domum commendat: ac salutationibus epistolam claudit.

CAPVT XVI.

1 DE COLLECTIS AVTEM QVÆ FIVNT IN SANCTOS, SICVT ORDINAVI ECCLESIIS GALATIÆ, ITA ET VOS FACITE. Opportunè iam sub finem epistolæ subijcit apostolus exhortationem de colligenda pecunia in subsidium pauperum fidelium qui erant Hierosolymæ. Cuius quidem collectæ passim per ecclesias indicendæ quæ causa fuerit (non enim hic agitur de ea cuius meminit Lucas Acto. 11 & 12, sed de alia posteriore) exponemus in commentario epistolæ ad Galatas, cap. 2, vbi dicit apostolus: *Tantum vt pauperum memores essemus: quod etiam solicitus fui* &c. Quemadmodum autem prioris eleemosynæ, sic & huius procurandæ atque Hierosolymam mittendæ, vel etiam perferendæ, negocium Paulo simul & Barnabæ datum fuerat: licet in posteriori Silas Barnabæ successerit: vt docebimus in commentario 2 Cor. 8, ad illa verba, *Sed & ordinatus est ab ecclesijs comes peregrinationis nostræ in hanc gratiam* &c. Vide etiam quæ dicta ad illud Rom. 15, *Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in Ierusalem*. Græcè pro *collectis* est λογία singulari numero, quam Chrysostomus συλλογὴν exponit, id est collectionem seu collationẽ. Ecclesiastico more *collecta* vocatur, quomodo missa pro missione, & remissa pro remissione. Postea cepit vsurpari nocollectæ etiam pro conuentu sacro: quod in eo fidelibus offerentibus collecta fieri soleat. Vnde est illud Hieronymi in commentarijs epistolæ ad Gal. 6, de Ioanne apostolo iam admodum sene, quòd *nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: Filioli, diligite alterutrum*. Pro verbo *fiunt* in Græco nihil exprimitur: vt verti possit: *De collecta quæ fit*, aut *quæ facienda est in sanctos*. aut absque supplemento verbi, quomodo transtulit Erasmus, *de collatione in sanctos*. Sensus apostoli: Quod attinet ad collectam seu collectionem pecuniæ faciendam pro sustentatione sanctorum, id est Christianorum egentium (de Hierosolymitanis loquitur) sicut ordinaui, constitui ac præcepi ecclesijs regionum Galatiæ, vt facerent: ita vos quoque facite. Ordinationem Græci præceptum disertè interpretantur, cùm annotant apostolum nõ dixisse, hortatus sum, aut suasi, sed *ordinaui*, videlicet necessitatem præcepti imponens. Vnde & præceptiuè Corinthijs dicit: *ita & vos facite*. Quod obseruandum propter hæreticos præceptiuam potestatem ecclesiæ præfectis adimentes. Nec verò contrarium huic esse quod de eadem re scribens in secunda epistola ca. 8 sic ait; *Non quasi imperans dico*; & iterum, *consilium in hoc do*: ostendemus in illius loci commẽtario. Quomodo sequatur ex hoc loco, scriptam fuisse hanc epistolam ante eam quæ scripta est ad Romanos, diximus in huius argumento. Porrò verbum *facite* non solum pertinet ad collectam instituendam; verùm etiam ad modum, qui præscribitur verbis subiunctis.

Paulus & Barnabas collectarũ in pauperes administri.

Quid collecta.

Collecta pro conuentu sacro.

Ordinatio præceptum significat.

Præceptiua potestas præfectorum ecclesiæ.

2 PER VNAM SABBATI. Græcè *sabbatorum*, numero plurali: quemadmodum & Græcè legitur *vna sabbatorum* apud quatuor euangelistas in historia resurrectionis Domini, &

Vna sabbatorum prima dies hebdomadæ.

Acto.

Act. 20 ver. 7. Dicitur autem vna ſabbatorum Hebræa phraſi, prima ſabbatorum: quomodo Gen. 1 *dies vna*, id eſt prima. Prima verò ſabbatorum, id eſt ea dies quæ prima eſt in hebdomada dierum. Nam & ipſa hebdomada Iudæis ſabbatum vocabatur, vt Luc. 18, *Ieiuno bis in ſabbato*: & ſingulæ dies hebdomadæ vocabantur ſabbata: quarum dierum ſeptima quidem propriè ſabbatum erat, ac ſuo nomine ſignabatur: reliquæ verò ſuis numeris exprimebantur hoc modo, vna ſabbatorũ, ſecunda ſabbatorum, &c. Quod & in conſuetudine eccleſiæ remanſit vſque ad Auguſtini tempora, vt loco feriarum diceretur ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſexta ſabbati: quemadmodum liquet ex ipſius Auguſtini epiſtola ad Caſulanum presbyterum, numero 86. Quamuis vt feriæ nuncupentur, ſecunda, tertia, &c. in eccleſiaſticis officijs vſitatiſſimum eſt iam olim, etiam ante Silueſtri tempora, qui decretum ea de re fecit. Atque vtinam id æquè receptum eſſet vſu loquendi quotidiano: potius quam vt planetarum, ſeu verius deorum gentilium nominibus hebdomadæ dies appellarentur à Chriſtianis. Quem morem, vtique nobis ex gentilitate reliquum, vehementer improbat Auguſtinus exponens pſalmi 93 titulum, in quo nominatur *quarta ſabbati*. Improbat etiam & acriter exagitat Iacobus Faber in annotatione huius loci. Igitur vna ſabbatorum erat, quam eccleſia iam ab illo tempore vocare cepit diem Dominicam: quod in ea Dominus reſurrexiſſet à morte. Sic enim appellatur à Ioanne apoſtolo Apo. 1. vt proinde diei Dominicæ nomen & inſtitutionem ad apoſtolos referendam eſſe, non ſit dubitandum. Porrò diem hanc, id eſt Dominicam, per vnam ſabbatorum ſignificari, manifeſtum eſt ex locis iam indicatis euangeliſtarum, in quibus vna ſabbatorum reſurrexiſſe Dominũ teſtantur. Admodum verò congruenter diem Dominicam collectis faciendis aſſignat apoſtolus: quod in ea finitis operis totius hebdomadæ, Deo vacaretur, ac de more per apoſtolos inſtituto fierent oblationes fidelium ad altare. Cuius rei meminit inter alios Prudentius in hymno de ſancto Laurentio. Eundemque morem oblationum diebus Dominicis tempore ſacrificij colligendarum, in hunc vſque diem eccleſia retinet. Poſtremò notandum in Græco ſic haberi, κατὰ μίαν σαββάτων, *ſecundum vnam ſabbatorum*. Pro quo legit Auguſtinus *ſecundum vnam ſabbati*, lib. 2 de ſermone Domini in monte cap. 17, & alibi. Eraſmus vertit, *in vna ſabbatorum*: quaſi ſenſus ſit, in die Dominica, ſcilicet aliqua per vos conſtituenda. Sic enim nudè partem hanc multi intelligunt. Verùm præpoſitionem Græcam melius Latinè reddidit vulgatus interpres, *per vnam*. Senſus enim eſt: per dies Dominicas; ſingulis diebus Dominicis. Locutio ſimilis cum illa Tit. 1, κατὰ πόλιν, id eſt *per ciuitates*, nempe ſingulas. Atque eum ſenſum vult trãſlatio Syriaca: *In omni vna die in ſabbato*, hoc eſt, prima quaque die hebdomadæ. Hanc verò particulam alij præcedentibus annectunt, alij ſequentibus. Si præcedentibus annectatur, ſenſus erit, apoſtolum præcipere Corinthijs, vt ſicut ordinauerat eccleſijs Galatiæ, ita & ipſi faciant per ſingulas dies Dominicas. Sin iungas ſequentibus; præcipit ijſdem diebus fieri quod proximè ſequitur. Vbi & dicemus, vter contextus potior ſit.

VNVSQVISQVE VESTRVM APVD SE SEPONAT, RECONDENS QVOD EI BENE PLACVERIT. *Seponat*, Græcè τιθέτω, *ponat*. quomodo legit Auguſtinus loco proximè citato, nec non in Speculo. item Primaſius in commentario, & Beda tam in textu, quam in ijs quæ refert ex Auguſtino. Poſteriores ferè legunt, *reponat*, vt Haimo, Lombardus, Heruæus, Aquinas & alij: tametſi inter hæc tria, *ponat*, *ſeponat*, *reponat*, parum diſcriminis eſt. *Recondens*, Græcè θησαυρίζων, *theſaurizans*. Quod de eo propriè dicitur, qui paulatim collecta reponit & cumulat. Hoc vltimum, *quod ei bene placuerit*, ita legitur in Græco, ὅ τι ἂν εὐοδῶται. Id Valla vertendum exiſtimat, *quod facile factu ſit*, ſiue, *quod bene cedat*. Eraſmus, *quicquid commodum fuerit*. Alij melius, *quod ſucceſſerit*. Nam Græci verbi propria ſignificatio eſt proſperari in vijs, id eſt actionibus ſuis, proſperè agere. Quo etiam vſi ſunt LXX, cum alibi, tum in pſalmo 1, vbi Latinè legitur, *& omnia quæcumque faciet proſperabuntur*. Vſus eſt & Paulus Rom. 1, vbi Latinè, *Si quo modo proſperum iter habeam*. Itaque ſenſus eſt: Proüt cuique benedixerit Deus ac prouentum proſperauerit, pro modo facultatum ſeu lucri hebdomadarij, quiſque ſeponat & cumulum faciat, tribuendum in collectam publicam. Et ita ferè expoſitores Græci. Locus moralis ad exhortãdum ſimili modo plebem, vt de iuſto lucro totius hebdomadæ portionem aliquam ſeponant in eleemoſynas pauperum: eóque pacto ſua peccata redimere ſtudeant apud Deum. Suſpicatur Eraſmus interpretem noſtrum vertentem *quod ei bene placuerit*, in Græco legiſſe εὐοδοῦνται, vt ſenſus ſit: quicquid probauerit ac placitum ei fuerit. Sed verbũ εὐοδῶται, quod in omnibus eſt Græcis, magis aptum eſt exhortationi præſenti. Porrò cùm dies Dominica non tam ad ſeponendum & recondendum aliquid de rebus ſuis, quàm ad expromẽdum & conferendum in collectam publicam, fuerit deputata: potius ſanè videtur illud, *per vnam ſabbati*, cõſtruendum cum parte præcedenti, quæ ipſius collectæ meminit; quàm cum iſta, quæ ſeponere ac recondere iubet. Chryſoſtomus quidẽ, & author gloſſæ ordinariæ, & alij poſt eã ita Paulum intellexerunt, quaſi velit pecuniam cuiuſque, quam conferre cogitaret, ſepoſitam ac reconditam apud ipſum remanere, velut depoſitarium, vti Caietanus loquitur; donec vniuerſa collecta mittenda eſſet Hieroſolymam: idque Paulum ad hunc modum ſtatuere, ne fortè eccleſiæ miniſtri, qui

ſeruandam

Sabbatũ interdum pro hebdomada.

Feriarum hebdomadæ appellatio.

Mos improbus appellandi feriæ hebdomadæ nominibus planetarum.

Vna ſabbatorum dies Dominica, ab apoſtolis inſtituta.

Dies Dominica cur apta collectis faciendis.

Quid ſignificet, per vnam ſabbatorũ

Quid recondere.

Græci verbi propria ſignificatio.

Locus moralis de ſeponẽda hebdomadatim in eleemoſynas pecunia.

Conſtructio melior illius partis, per vnam ſabbati. Chryſoſtomi cõmẽtarius de modo collectæ improbabilis.

seruandam pecuniam accepissent, in suspicionem venirent, tanquam non integra fide eam tractantes. Verùm, vt taceam quàm patum prudenter vnicuique seruanda relinqueretur ea pecunia, quam prius destinasset in eleemosynam (nam interim variæ possent occurrere vel occasiones vel etiam necessitates expendendi) repugnat ea praxis tum rationi ipsius collectæ, tum consuetudini ecclesiæ, iuxta quam singulis Dominicis ad altare Domini fiebant oblationes, non reportandæ domum ab offerentibus, sed à ministris ecclesiæ, quorum probata erat fides, asseruandæ in vsus pios ac necessarios. Atque hoc satis etiam declarat pars sequens.

Vetus ecclesiæ consuetudo faciendi collectas.

VT NON CVM VENERO, TVNC COLLECTÆ FIANT. Vult apostolus collectas priùs fieri particulatim per dies Dominicas: vt quum venerit, paratas eas inueniat, ita nimirum, vt summa ex ijs conflanda statim mitti posset Hierosolymam.

3 CVM AVTEM PRÆSENS FVERO, QVOS PROBAVERITIS PER EPISTOLAS, HOS MITTAM PERFERRE GRATIAM VESTRAM IN HIERVSALEM. *Præsens fuero*, Græcè vnum verbum παραγένωμαι, *aduenero*, vel *adfuero*. Illud, *per epistolas*, sequentibus adiungendum esse disertè monent Theophylactus & Haimo; vt sit sensus; Quoscumque ex vobis probaueritis fideles & aptos ad hoc opus, eos ego mittam cum literis meis commendaticijs ac testibus tum vestræ charitatis ac beneuolentiæ, tum probitatis ipsorum, vt perferant *gratiam vestram* (quod alius *munificentiam*, alius *magnificentiam vestram* transtulit) hoc est, gratuitum ac liberale donum vestrum, ad pauperes fideles qui sunt Hierosolymis. Hunc ordinem constructionis seruant & alij plerique expositores tam Græci quàm Latini. Verùm quia phrasis incommoda est nec vsitata, vt quis dicatur mitti per epistolas, id est cum epistolis: fortasse rectius ea particula iungetur verbo *probaueritis*, hoc sensu: Postquam aduenero, tunc quos probaueritis per epistolas, quas scilicet dabitis illis Hierosolymam cum subsidio perferendas, eos mittam vt perferãt. Distinguit & exponit hoc modo Benedictus Arias. Atque eam distinctionem videre est adhibitam in biblijs correctionis Romanæ. Nam & series sermonis huc magis inuitat. Annotat Chrysostomus, quẽ Theophylactus & Oecumenius sequuntur, hanc collationem ab apostolo gratiam appellari, vt & aliàs benedictionem & communicationem, 2 Cor. 8 & 9, quod hæ ciuiles sint & honorificæ nuncupationes subsidij: cæterum studio eum abstinuisse à nomine eleemosynæ: quod, vt Oecumenius ait, miserum sit eleemosynæ vocabulum, & indignum sanctis illis quibus mittendum erat subsidium. Quanquam hoc vocabulum apostolus non omnino tacuit. Nam Acto. 24 apud Felicem præsidem affirmat se eleemosynas facturum in gentem suam, venisse Hierosolymam.

Constructio melior huius loci.

Collectæ cur gratia, benedictio, cõmunicatio vocentur.

4 QVOD SI DIGNVM FVERIT VT EGO EAM; MECVM IBVNT. Quod si, inquit, res tanti erit vt decens & consentaneum iudicetur vel meipsum proficisci, gratiam vestram perlaturum Hierosolymam, non ibo solus, sed eosdem illos quos probaueritis, comites profectionis habere volo; scilicet vt testes integritatis ac fidei meæ. Id enim agit apostolus, ne suum aliquod commodum in hoc negocio collectionis pecuniariæ spectare videatur. Quam suspicionem ad auertenda scandala pusillorum, meritò studet omnibus modis à se remouere. Porrò dicens *si dignum fuerit*, tacitè exstimulat eos ad largiorem collectam, videlicet tantam quæ apostoli perferentis ministerio non sit indigna.

Apostoli sollicitudo de vitãdo scãdalo.

5 VENIAM AVTEM AD VOS CVM MACEDONIAM PERTRANSIERO. Nonnulli, inter quos Aquinas, existimant Paulum hic loqui de prima sua profectione in Macedoniam, quæ describitur Acto. 16, quando vir Macedo per visionem Paulo dixit: *Transiens in Macedoniam adiuua nos*. Sed id ex eodem libro Actorũ refellitur. Nam prima profectio Pauli in Macedoniam contigit antea quàm Corinthijs euangelium prædicasset. Quod demum factum scribitur Acto. 18. Constat igitur apostolum de alio per Macedoniam transitu loqui: nec dubitandum arbitror quin de eo, cuius mentio fit Acto. 19, Luca referente de Paulo, cùm adhuc Ephesi moraretur, quod *proposuit in spiritu, transita Macedonia & Achaia ire Hierosolymam.* & iterum cap. 20, vbi Paulum refert profectum esse, *vt iret in Macedoniam: & partes illas perambulasse*: deinde *venisse in Greciam.* Liquet etiam ex hoc loco, illud quod dixit suprà ca. 4, *Veniam ad vos citò*, non sic accipiendum, quasi statim ac recta Corinthum proficisci statuisset; sed cùm primum posset: transita tamẽ priùs Macedonia: quemadmodum illic exposui. Quæritur autem an quod hic affirmat ac promittit apostolus, se venturum ad Corinthios, facto præstiterit. Dubitandi ratio est ex secunda epistola cap. 1, vbi se excusat, ac notam leuitatis à se repellit, causam reddens cur iuxta promissum non venerit. *Volui*, inquit, *prius venire ad vos.* & mox: *Cùm ergo hoc voluissem, nunquid leuitate vsus sum? vt sit apud me est & non?* & sub finem capitis, *Parcens vobis non veni vltra Corinthum.* Propter hæc multi putant apostolum quod hoc loco se facturum pollicetur, id postea non implesse, iusta tamen ratione dimotum à proposito. Verùm re bene expensa, & ijs quæ dicuntur in secunda epistola collatis cum loco præsenti, comperietur apostolum planè id præstitisse quod hic promittit, ac proinde non de eo quasi non præstito sese excusare, sed de alio quodam suo promisso. Nam apostolum pertransita Macedonia Corinthum adijsse, primùm locus Actorum suprà citatus satis ostendit, vbi dicitur partibus Macedoniæ perambulatis venisse in Græciam, id est Achaiã: vt Lucas expressit verbis prioribus: ibidemq;

De quo transitu Macedoniæ loquatur apostolus.

An Paulus quod hic promittit, præstiterit.

Multi negant.

Affirmatiua responsio verior.

tres

tres menſes egiſſe: vt credibile non ſit eum tunc Corinthum in ea regione ſitam, prout ſtatuerat ac promiſerat, non acceſſiſſe: quum vel maximè propter Corinthios in Achaiam veniſſet. Deinde probat epiſtola ad Romanos ab eo ſcripta Corinthi poſt hanc & ſecundam ad Corinthios epiſtolam, vt in eius argumento demonſtrauimus. Cæterùm excuſationem quæ eſt in ſecunda epiſtola, non reſpicere promiſſum huius loci, ſed aliud quoddam ac diuerſum, eo loco docebimus. Sunt qui hic annotent, apoſtolum cùm diceret *veniam ad vos*, ac rurſum, *Macedoniam pertranſibo*, non addidiſſe illud in talibus conſuetum, *Si Dominus voluerit*; eo quod de voluntate Dei certus eſſet per reuelationem. Id enim ſignificatum eſſe verbis illis quæ citauimus ex Actor. 19, *Propoſuit in Spiritu, tranſita Macedonia & Achaia ire Hieroſolymam*. Sed, puto, falluntur. Nam illa reuelatio non erat de tranſeunda Macedonia & Achaia, ſed de adeunda Hieroſolyma: ſicut dicit Acto. 20, *Ecce alligatus ego Spiritu vado in Hieruſalem*. Non eſt autem neceſſe, quoties nos aliquid facturos dicimus, addere verbo, *ſi Dominus voluerit:* ſed interdum verbo, ſemper intellectu. Quod & à Paulo factum, facile eſt docere. Nam & infra verſu 7 addit, *Si Dominus permiſerit:* & ſuprà capit. 4, breui ſe venturum promittit, *Si Dominus voluerit*. Alibi verò nihil addit, vt Roman. 15, nunc Hieroſolymam, nunc in Hiſpaniam ſe profecturum dicens. Illud notandum, huiuſmodi verba non affirmare rei euentum, ſed ſignificare voluntatem, animiq́ue propoſitum, & aliquando promiſſionem. Quare ſi non ſuccedat euentus, nihil propterea falſi fuit in verbis; dum tamen ex animo & fide dicta fuerint.

Cur apoſtolus non addiderit, Si Dominus voluerit.

Si Dominus voluerit, quatenus dicendum

Nota.

NAM MACEDONIAM PERTRANSIBO. Græcè διέρχομαι, *tranſeo* ſiue *pertranſeo:* niſi quod hoc verbum more ſui ſimplicis etiam futuri ſignificationem habet. Et ita ſumendum hoc loco, res ipſa docet. Nam Epheſi in Aſia hæc ſcribit Paulus, nec ſtatim diſceſſurus in Macedoniam, ſed, vti paulo pòſt dicit, vſque ad Pentecoſten in ea vrbe manſurus. Vnde plerique vertunt, *tranſibo, tranſiturus*, aut *pertranſiturus ſum*.

6 APVD VOS AVTEM FORSITAN MANEBO. Græcè παραμενῶ, *permanebo*. Ac ſi dicat, Aduentus meus ad vos non erit tranſitus ſolum, vt dixi de Macedonia, ſed erit mora diuturnior. Apparet autem fuiſſe moram trium ferè menſium, ex loco prius citato Actorum 20. Addit *forſitan*, propter rei incertitudinem. Vnde ſequenti verſu hoc ipſum repetens adijcit, *Si Dominus permiſerit*.

VEL ETIAM HIEMABO. Id eſt, totam hyemem apud vos peragam. Chryſoſtomus hunc locum ſic accipit, vt ſentiat Paulus ſe venturum ad eos æſtate: fortaſſis autem & hiemem apud eos tranſacturum. Videtur autem apoſtolus hoc conſilium de hieme apud Corinthios agenda, poſtea mutaſſe. Nam ſub finem epiſtolæ ad Titum, quæ ſcripta putatur eodem anno, conſtitutum ſibi dicit Nicopoli hiemare.

VT VOS ME DEDVCATIS QVOCVMQVE IERO. Hoc eſt: vt quando mihi à vobis quocumque diſcedendum erit, vos abeuntem honoris cauſa proſequamini, etiam viaticum, ſi opus ſit, ſuppeditaturi: quæ pars eſt honoris. *Vt* particula non hic cauſam finalem ſignificat, ſed bonum aliquod conſequens, nec tam ipſius Pauli, quàm Corinthiorum. Nam fideles honorificum ſibi ducebant, ſi ſuum apoſtolum à ſe diſcedentem deducerent. De qua huius verbi ſignificatione plura diximus ad illud Rom. 15, *& à vobis deducar*.

Quid deducere.

7 NOLO ENIM VOS MODO IN TRANSITV VIDERE. Tranſitum intelligit, quo ſit iturus in Macedoniam, quod eſſet, obiter tantum ac velut per occaſionem dum alio properat, eos inuiſere. *Modo*, Græcè ἄρτι, *nunc*, non ſignificat tempus præſens aut proximè inſtans (cogitat enim adhuc aliquantiſper hærere Epheſi) ſed proximam profectionem.

SPERO ENIM ME ALIQVANTVLVM TEMPORIS MANERE APVD VOS. Græcè ad verbum: *Spero autem tempus aliquod permanere apud vos*. Quod Latiniùs dicas: *Sed ſpero tempus aliquantum permanſurum me apud vos. Aliquantum*, non *aliquantulum*, legitur in textu Ambroſiaſtri & Primaſij: nec non in Speculo Auguſtini. Et res ipſa poſtulat ita legendum. Neque enim Paulus ſentit perexiguo tempore ſe manſurum apud Corinthios: ſed ideo nolle ſe dicit eos modo in tranſitu videre, vt poſtea longiorem moram apud eos trahat, etiam per hiemem integram: vti ſuprà dixit.

Aliquantum, non aliquantulum, lege.

SI DOMINVS PERMISERIT. Dominum Chriſtum intelligere videtur, de quo dicitur Acto. 16 iuxta noſtros codices: *Et non permiſit eos ſpiritus Ieſu*. Hoc addit, quia neſciebat an permiſſurus eſſet Dominus. Quæres, cur non dixerit, *Si Dominus voluerit:* quemadmodum ſuprà cap. 4. ſicut & Iacobus dicendum præcipit cap. 4. ſed *ſi Dominus permiſerit:* præſertim cùm certo teneamus omnia bona fieri Domino Deo non ſolum permittente, ſed volente & operante. Eadem quæſtio eſt de loco Heb. 6, *Et hoc faciemus, ſiquidem permiſerit Deus*. Reſponderi poteſt non ſic Deum eſſe noſtrarum actionum authorem, vt non etiam à libera cuiuſque voluntate, Deo tamen ſubordinata, procedant: ideoq́ue dum quis aliquid boni facere ſtatuit, neſciens an Deus ſecundum ordinem ſuæ prouidentiæ daturus ſit obſtaculum operis exſecutioni, (*Non eſt* enim *hominis via eius; nec viri eſt vt dirigat greſſus ſuos*, Iere. 10) rectè eum dicere, ſe id facturũ ſi Deus permiſerit. Verũ prꝛterea reſpondemus, Græcam vocem ἐπιτρέπειν plus importare quã permiſſionem nudã: qua etiam peccata permittuntur à Deo: quæ permiſſio

Quæſtio.

Reſpõſio.

Plenior reſponſio.

Græcis

Græcis significatur verbo ἐᾶν, sinere. Significat enim id quod alij vocant concedere, id est facere potestatem agendi. Quam eius significationem facilè est ex alijs scripturæ locis probare. Hinc & apud Latinos vsu receptum est, vt quis dicatur imperator, rex, episcopus, abbas, permissione diuina, id est authoritate seu concessione & voluntate Dei: &, vt aliquid factum dicatur permissu superiorum, id est, ijs consentientibus, & potestate ab illis accepta. Sic igitur intellige quod ait apostolus, *Si Deus permiserit*, id est, concesserit.

Permittere quid hoc loco significet.

8 PERMANEBO AVTEM EPHESI VSQVE AD PENTECOSTEN. Hinc colligitur Ephesi scriptam esse hanc epistolam: idque certius, si loco verbi ἐπιμενῶ *permanebo*, legas ἐπιμένω, *permaneo*, accentu tantum mutato: quemadmodum legit interpres Oecumenij, dum vertit in præsenti, *commoror*: ac legisse etiam videntur Chrysostomus & Theophylactus, dum annotant hoc idem quod Oecumenius, apostolum hac parte certiores facere Corinthios vbi degat, & quamdiu sit ibi moraturus. Quare etiam Græcis cõsentientibus, Ephesi scriptam esse satis testatum est. Illud verò, *vsque ad Pẽtecosten*, Erasmus interpretatur, *vsque ad quinquagesimum diem*: idque repetit etiam in paraphrasi: quasi non aliud significetur quàm numerus dierum quibus apostolus Ephesi mansurum se dicat. Censet enim ille festum Pentecostes intelligi non posse, ne dierum discrimen Iudaicum, aliâs à se damnatum, apostolus obseruare videretur. Qua in re vehementer fallitur. Cùm enim præcipua festa Iudæorum, vt erant Pascha & Pentecoste, propter Iudæos vbique gentium dispersos, etiam gentilibus essent cognita, maximè Christianis, quibus cum Iudæis plus erat commercij: rectè Paulus festum Iudaicum nominat, non obseruationis causa; sed certum tempus fidelibus notum designare volens, quo permansurus sit Ephesi. Quanquam ipsi Paulo, qui Iudæus erat, festorum Iudaicorum obseruatio tametsi lege iam mortua, nondum erat illicita. Nam & de eo scribit Lucas Acto. 20, quod *festinabat, vt diem Pentecostes faceret Hierosolymis*: scilicet apud Iudæos legis æmulatores declaraturus, se legem adhuc obseruare, falsoque se traduci, quod *doceret discessionem à Moyse eorum qui per gentes erant Iudæorum*, vt habetur Acto. 21. Vnde nec probabile est, quod quidam existimant, hoc loco significari Pentecosten Christianorum: nisi fateamur (quod nulla ratio suadet) de alia Pẽtecoste Paulum hic agere, & de alia Lucam in Actis, vbi Pauli factum memorat. Nam eo quidem loco Pentecosten Iudæorum intelligi, vel inde liquet, quod ad celebrãdam Pentecosten Christianorum non opus erat Hierosolymam ascendere. Iudæorum autem Pentecoste non nisi Hierosolymis, vbi sacrificiorum locus erat, agi poterat. Sic igitur Paulus vtitur nomine Pentecostes, etsi festi Iudaici; quomodo superius Iudæorum more dixit vnam sabbatorum: & quomodo Lucas Acto. 20 non solum Pentecosten, sed & vnam sabbatorum, & dies azymorum; quæ vtique festa erant Iudaica, nominauit: multo certè melius illi, tempora designantes nominibus festorum, quæ licet abrogata iã essent, à Deo tamen instituta fuerant; quàm nos Christiani, qui in ore & vsu habemus profana mensium nomina, pleraque ducta à superstitione gentilium. Moueat fortè quempiam, quomodo dicat vsque ad Pentecostem se mansurum Ephesi: cùm festinaret (vti dictum est ex Actis) ad hoc *vt diem Pentecostes faceret Hierosolymis*. Sed facilè tollitur hic scrupulus distinctione temporum. Nam in Actis sermo est de Pentecoste subsequentis anni: quod perspicuum fiet historiæ seriem consideranti. Porrò cur Ephesi diutius ipsi morandum sit, causam subijcit dicens;

Hæc epistola Ephesi scripta.

Qua Pentecoste hic significetur.

Pascha & Pẽtecoste festa Iudæorum passim nota.

Cur Paulus diem Pẽtecostes agere voluerit Hierosolymis.

Pẽtecoste Christianorum, an hoc loco significata.

9 OSTIVM ENIM MIHI APERTVM EST MAGNVM ET EVIDENS. In Græco non est *euidẽs*, sed ἐνεργὴς, id est *efficax*. Interpres legit ἐναργὴς, id est *euidens*. Quod & Ambrosiastrum legisse docet eius commentarius. Valla dubitat vtra lectio sit melior. Sanè quamuis ab eo quod nunc est in Græcis codicibus, etiam Græcorum commentarij non dissentiant; nostra tamen lectio neutiquam improbanda est. Habet enim sensum commodiorem, ac si dicat apostolus: Magna, manifesta & præclara mihi oblata est occasio, magnus aditus apertus ad propagandum euangelium. At secundum Græcam lectionem significatur efficax occasio, id est, talis quæ spem optimam ostendat magni prouentus. Quanquam Syrus interpres Græcam vocem aliter accepit, dum vertit *operosum*, id est, quod magnos labores requirat. Similis occurrit varietas in epistola ad Philæmonem, vbi nos legimus: *Vt communicatio fidei tuæ euidens fiat* &c. Vide eius loci commentarium. Ostium pro occasione, Paulina phrasis est, etiam à Luca vsurpata Act. 14 versu penultimo. Non dissimile est quod Latini dicunt, fenestram aperire, id est occasionem dare. Cæterùm occasionem de qua loquitur apostolus, Græci, quos sequitur Aquinas, interpretantur multorum corda ad credendum parata: quomodo Christus in euangelio dicit *messem multam*, Matth. 9, & *regiones albas ad messem*, Ioan. 4. Caietanus suspicatur magni alicuius seu principis seu philosophi cõuersionem significari: cuius exemplum multi alij sperentur ac videantur secuturi. Card. Baronius occasionem hanc esse putat opportunitatem loci. Erat enim Ephesus totius Asiæ minoris primaria ciuitas, eademque celeberrima & vndique frequentata: tum propter templum Dianæ toto orbe notissimum; tum quod illic Asiæ proconsul resideret ac ius diceret toti prouinciæ; ac denique, quod, vti Philostratus refert in Apollonio li. 8, bonarum artium studia plurimum in ea ciuitate vigerent: vt propter hæc idoneus admodum locus Paulo visus fuerit, vbi dissemi-

Lectio dubia.

Ostium pro occasione: & apud Latinos fenestra. De qua occasione Paulus loquatur, opiniones.

Ephesus ciuitas opportuna dissemnando euangelio.

Profana mensium nomina malè in vsu apud Christianos. Scrupulus remouetur.

nandi

nandi euangelij causa diutius moraretur. Verùm quamlibet occasionem, id est ostium intelligas, fuit illud apertum Paulo, non ab alio quàm à Deo: quemadmodum docet Hieronymus in principio commentarij super Ioël. Sic enim apostolus Col. 4, *Orantes*, inquit, *& pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum* &c. Qui & apud Lucã Acto. 14 refert, quod *Deus aperuisset gentibus ostium fidei.*

Ostium apertum à Deo.

ET ADVERSARII MVLTI. Quidam aduersatiuè legunt, *Sed aduersarij multi*, vt Ambrosiaster in cõmẽtario, & Hieronymus loco iã citato. quasi dicat apostolus; quãquã multi sunt aduersarij. Verũ & nostra lectio, Græcæ consona, bene habet. Significatur enim altera ratio propter quam apostolo diutius Ephesi manendũ sit: nẽpe quia multi sint qui tam egregiã spẽ & occasionẽ fructus euangelici nitãtur impedire; cũ quibus futurũ sit ipsi negocium. Verisimile est autem Iudæos intelligi, qui in ea ciuitate multi erant, ijque more suo remoram euangelio facturi: quemadmodum & facere iam ceperant: bestiæ nimirum illæ, cum quibus Ephesi pugnauerat: vt dictum est capite superiori.

Aduersarij prædicationis euãgelicæ Iudæi.

10 SI AVTEM VENERIT TIMOTHEVS, VIDETE VT SINE TIMORE SIT APVD VOS. Videtur de Timotheo velut absente loqui: idque magis etiam apparet ex eo quod mox dicit, *Expecto illum*. Falluntur ergo qui Timotheum inter eos numerant, per quos missa sit hæc epistola. Miserat autem ad Corinthios Timotheum, qui eos commonefaceret viarum & doctrinæ ipsius Pauli, sicuti dixit cap. 4. Sensus: Si venerit ad vos Timotheus, curate vt securè apud vos agat, id est, timendi causam non habeat; nemo sit ei molestus. Ponit enim effectum pro obiecto; timorem pro periculo & molestia. Loquitur non de infidelibus, sed de quibusdam professione Christianis, qui eloquentiæ & sæcularis sapientiæ nomine sibi placentes, aduersus Paulum, cuius carissimum discipulum esse Timotheum nouerant, factiosi erant: quod genus fratrum apertius insectatur in secunda epistola capit. 11. Erant autem, vt ex eodem loco constat, ex Iudæis præcipuè. De talibus eum loqui arguit illud, *apud vos:* id quod etiam à Græcis expositoribus obseruatum est.

Timotheus cur à Paulo missus Corinthũ

Timor pro periculo.

OPVS ENIM DOMINI OPERATVR, SICVT ET EGO. Opus Domini, Christi intellige, id est, spectãs ad promouendũ Christi euangelium. Cuiusmodi opus in primis est ipsa euangelij prædicatio. Sic de Epaphrodito dicit Philip. 2, *Quoniã propter opus Christi vsque ad mortem accessit.* Addit autẽ *sicut & ego:* non parẽ sibi Timotheũ statuẽs: sed vt à munere apostolico, in quo Pauli cooperarius erat, eũ commendet.

Opus Domini quod dicatur.

11 NE QVIS ERGO ILLVM SPERNAT. Græcè ἐξουθενήσῃ, *vilipẽdat, nihili faciat.* Quod metuẽdũ erat ob ætatẽ eius adhuc iuuenilem. Qua de re ipsum etiã Timotheũ admonet alibi, dicens: *Nemo adolescentiã tuã contemnat*, 1 Tim. 4. Sed hic eo magis id faciendũ fuit, quia Timotheus nõdũ erat episcopus, quãdo hæc scribebãtur. Cõfirmat autẽ hæc pars id quod paulò antè dixi, Paulũ respicere ad quosdam Christi nomen professos, à quorũ iniurijs velit Timotheum defendi. Pertinet eodẽ quod sequitur.

Timotheus cur obnoxius contẽptui.

DEDVCITE AVTEM ILLVM IN PACE. Pax in scripturis intelligi solet, quæ perturbationes & molestias excludit. Itaque sensus est: Incolumem eum dimittite, securitatẽ præstate, ne quis ei molestiam exhibeat: quin potius abeũtem ea qua decet humanitate prosequimini. Id enim est deducere.

Pacis acceptio in scripturis.

VT VENIAT AD ME. Scilicet Ephesum, vbi nũc ago. Fortè iam habebat in animo, Timotheum Ephesi creare episcopum. Porrò Timotheum nõ multo pòst venisse Ephesum ad Paulũ, declarat ipse Paulus ad eũ ita scribens: *Rogaui te vt remaneres Ephesi, cùm irem in Macedoniam*, 1 Tim. 1.

EXSPECTO ENIM ILLVM CVM FRATRIBVS. Ambiguus sermo: quo vel significetur Paulum vnà cum fratribus exspectare Timotheum; vel Paulum exspectare Timotheum vnà cum fratribus venturum. Qui posterior sensus magis inesse videtur verbis apostoli. Fratres autem intelligit fideles.

12 DE APOLLO AVTEM FRATRE VOBIS NOTVM FACIO, QVONIAM MVLTVM ROGAVI EVM. In Græco & Syriaco tantum hæc leguntur: *De Apollo autem fratre, multum rogaui*, siue *hortatus sum eum.* Sed & vetusti quidam codices Latini, & veteres concordantiæ, textusque Primasij has quatuor dictiones *vobis notũ facio, quoniam*, non habẽt. Addidit autem quispiam ad supplendum sensum. Quãuis & alioqui sensus constet, hoc modo reddendus: Ad Apollo fratrẽ quod attinet, multis verbis eum hortatus sum & rogaui. Eclipsis est familiaris epistolis: qualis & suprà cap. 7, *De quibus autem scripsistis mihi.* Fratrem appellat, charitatis vocabulo; ne quis dissidiũ aliquod inter eum & Paulum hîc suspicetur ex eo quod rogatus à Paulo, non acquieuerit vt Corinthum proficisceretur. Annotant Græci Paulum his verbis se excusare cur ad eos miserit Timotheum iuuenem; ac non potius Apollo natu grandiorem; virum eloquentem ac potentem in scripturis, (vt dicitur Acto. 18) denique doctorem ipsorum, à Paulo secũdum: quod ipse Paulus suprà cap. 3; testatus est dicens, *Ego plãtaui, Apollo rigauit.* Addũt Latini posteriores, Haimo, Lombardus & alij glossam interlinealem secuti, Apollo factionibus quæ apud Corinthios erant, offensum, eos reliquisse, & ad Paulum se contulisse: deinde Paulum à Corinthijs rogatum esse vt illum ad se remitteret; eo maximè quod ipsorum esset episcopus à Paulo ordinatus. Sed & apud Hieronymum legitur in commẽtarijs epistolæ ad Titum cap. 3, Apollo fuisse *episcopum Corinthiorũ, & propter dissẽsiones quæ in Corintho erãt, ad vicinam insulam Cretam cum Zena legis doctore transfretasse:* nempe cùm prius Ephesum

Cur Apollo fratrẽ vocet.

Cur Paulus Timotheum, nõ Apollo, miserit ad Corinthios.

An Apollo Corinthiorum episcopus fuerit.

veniſſet ad Paulum. Quanquam quod hi dicunt eum fuiſſe Corinthiorum epiſcopum, Aquinas haud immeritò reuocat in dubium: quia non licet epiſcopo populum ſuum deſerere, præſertim in fide nouellum & aſſidua rigatione egentem. Id autem Apollo feciſſe doctorem diligẽtẽ & ſpiritu feruẽtem, vti prędicatur Acto. 18, non eſt exiſtimãdum. *Rogaui*, inquit, *eum*.

VT VENIRET AD VOS CVM FRATRIBVS. Id eſt, vt ad vos iret, voſque inuiſeret, fratribus aliquot comitatus.

ET VTIQVE NON FVIT VOLVNTAS VT NVNC VENIRET. In multis exemplaribus legitur *voluntas eius*, ſed caſtigatiora pronomẽ *eius* non agnoſcunt; vt nec Græca nec Syriaca. Græca ſic habent: *Et omnino non erat voluntas vt nunc iret*. Quod de Dei voluntate interpretantur Theodoritus, Theophylactus & Oecumenius. Latini verò ſupplentes particulã *eius*, ad ipſius Apollo voluntatẽ referunt: idq; ni fallor, rectius. Nã genitiuũ *Dei* ſubaudiri, cũ de Deo nihil præceſſerit, nimis coactum eſt. Igitur hic eſt ſenſus: Fruſtra eum hortatus ſum vt ad vos iret. Nã ob certas cauſas non erat ei vllo pacto animus nũc eundi. Quæres cur Paulus ei non præceperit. Reſpondent Aquinas & Liranus; quia magnis viris non facilè pręcipiendum eſt aliquid. Certè Paulus non iudicauit expedire, vt præcepto eum vrgeret. Scribit autẽ Hieronymus, eum, *Pauli epiſtola diſſẽſionibus quæ Corinthi orta fuerant temperatis, Corinthum reuertiſſe*.

Cur Paulus Apollo nõ præceperit ire Corinthũ

Interpres malè reprehenſus à Valla.

VENIET AVTEM CVM EI VACVVM FVERIT. Malè Valla reprehendit interpretem de addito pronomine *ei*. Cõtinetur enim in Græco ὅταν εὐκαιρήσῃ. Quod ita rectè vertas, *Vbi commodum tempus nactus fuerit*. Pro quo legitur in textu Ambro. *cũ opportunũ fuerit*. Quãquã etiam Eraſmo iudice bene vertit noſter interpres. Nã & Act. 17, vbi de Athenienſibus dicitur, *ad nihil aliud vacabant*, & Marci 6, vbi de diſcipulis Chriſti, *nec ſpacium manducandi habebant*: idem in Græco verbum eſt εὐκαιρεῖν.

Ab Eraſmo laudatus.

Nota.

Notandum eſt veteres Latinos expoſitores, Ambroſiaſtrũ, Pelagium, Primaſium & Sedulium in ſuis cõmentarijs totum hunc verſum 12, in quo de Apollo legitur, intactũ reliquiſſe. Quæres ſuſpicionem facit, locum hunc eis lectum non fuiſſe: niſi quis putet, nihil hic eis ſuccurriſſe, quod iudicarent annotatu dignũ.

13 *Exhortatio ad perſeuerãtiã fidei.*

VIGILATE, STATE IN FIDE, VIRILITER AGITE ET CONFORTAMINI. Rurſus ſub finẽ epiſtolæ pręceptis neceſſarijs eos inſtruit, breuiſſimè tamen. Eſtque ſententia tota ἀσυνήθης in Græco. Senſus: Interea dum noſter ad vos differtur aduentus, *vigilate*, id eſt, ſalutis veſtræ curam gerite, ſcilicet aduerſus malè ſuadentium inſidias. *State* (qui ſitus eſt vigilãtis) id eſt, perſiſtite *in fide* euangelij, quod à nobis didiciſtis. Eſtote virili & infracto fortique animo aduerſus ea mala, quæ vobis ab hoſtibus & perſecutoribus fidei, ſeu Iudæis, ſeu gentilibus, inferuntur aut imminent.

14 OMNIA VESTRA IN CHARITATE FIANT. In multis, etiam vetuſtioribus, ita legebatur, *Omnia enim veſtra* &c. Verùm particula cauſalis haud dubiè ſuperflua eſt: quæ nec in Græcis habetur, nec in Syriacis: nec in melioribus Latinis mss. vt nec in veterum commentarijs. *Omnia veſtra*, videlicet opera, actiones. Syrus paraphraſtes ſupplet *voluntates* ſeu *placita*. *In charitate*, Hebraiſmus eſt: quem Latinè reddit Eraſmus *cum charitate*: quemadmodum & legitur in textu Ambro. & apud Auguſtinum de gratia & lib. arb. c. 17. quanquam ſignificãtius eſt *ex charitate*, vel vti vertit Hentenius, *per charitatem*. Non enim ſatis eſt apoſtolo, ſi in charitate conſtituti & charitatem habẽtes, eaque ſalua agamus quicquid agimus (ſic enim multa mala fiunt à nobis, ea nimirum quæ charitatem non excludunt) ſed mens eius eſt, vt ex dictamine & imperio charitatis omnia faciamus. Nam *quia charitas*, ait Thomas 2 2, quæſt. 23. art. 4 ad 2, *habet pro obiecto finem vltimum humanæ vitæ, ſcilicet beatitudinem æternam: ideo extendit ſe ad actus totius humanæ vitæ per modum imperij*: ac proinde ijs actibus qui non ex charitate fiunt, *deeſt debita ordinatio ad vltimum finem*: vt dicitur eadem quæſt. ar. 7 ad 2. Quapropter Auguſtinus enchiridij cap. 121, *Quod ita fit*, inquit, *vt non referatur ad charitatem* (id eſt, ad charitatis obiectum & finem) *nondum fit quemadmodum oportet fieri: quamuis fieri videatur*. At verò difficultatem habet hoc tam generale præceptum apoſtoli. Nam ex eo cõſequens apparet, omnium eorum qui charitatẽ non habent, opera aut eſſe peccata aut peccato maculata: vt quibus deſit quod hic præcipitur, *in charitate* fieri. Quare non ſolũ infideles, verùm quoſcumque peccatores, imò & catechumenos nondum renatos, & pœnitentes nondum recõciliatos, in omni opere peccare, fatendum erit. Quod abſurdum eſt, & tam ſcripturis quàm Patrum definitionibus contrarium. Nonnulli quo difficultatem effugiant, apoſtoli verba accipiunt vt exhortãtis tantum, ſiue, quomodo Caietanus loquitur, excitantis, non autem vt præcipientis. Sed ea profectò nimis laxa eſt interpretatio tam inſignis ſententiæ: nec conueniens cum præcedentibus, *Vigilate*, *State*, &c, quæ vtiq; præcepti ſunt; deinde nec accommoda ſcopo quẽ intendit apoſtolus. Reſpicit enim ad diſſidia, contentiones & æmulationes ſubortas in eccleſia Corinthiorum, partim propter magiſtros, de quo ca. 1 & 3, partim occaſione chariſmatũ, de quibus c. 12, 13 & 14. Quæ mala præſenti exhortatione vult ſanare: quod parũ efficaciter fiat, ſi id ad quod exhortatur, non ſit pręcepti, ſed cõſilij tantũ. Quare pleriq; expoſitores tã Græci quã Latini locum hũc ita tractant, ac ſi Paulus hic aliquid magnum & neceſſarium præcipiat. Et quidem Aquinas ſic interpretatur, *Omnia veſtra in charitate fiant*, id eſt, *Omnia debent referri ad finem charitatis*. Vnde & hanc vocat *debitam ordinationem ad*

In charitate, id eſt ex imperio charitatis omnia faciẽda.

Notanda Auguſtini ſententia.

Dubitatio circa præceptũ hoc apoſtoli.

Refelluntur qui negant eſſe præceptum.

finem

finem vltimum, loco suprà citato. Quod & Augustinum velle, manifestum est, cùm dicit, verbis ex Enchiridio recitatis, id non fieri *quēadmodū oportet fieri*, quod ita fit vt ad charitatē non referatur. Idipsum significat in lib. de de gratia & lib. arb. (qui locus etiam à Beda refertur) dicens apostolum hac sententia *satis ostendere, etiam ipsas correptiones, quas asperas & amaras sentiunt qui corripiuntur, cū charitate esse faciendas*. Hinc est illa generalis oratio ecclesiæ, qua petimus vt Deum *in omnibus & super omnia* diligamus; tanquam vtrumque Deo debeamus, vt super omnia, sic & in omnibus eū diligere. Sanè si in præcepto est illud, *Omnia in gloriā Dei facite*, suprà c. 10, vt illic ostēdimus: cur nō & istud? cū ad Dei gloriam nemo quid faciat, nisi quia Deū diligit. Vt igitur huius apostolici præcepti sensum explicemus; primū illud arbitror constare, charitatem hic non ita specialiter accipi, quomodo ferè scholastici vsurpāt, id est pro habitu diligendi Deū infuso diuinitus, quo qui diligūt, filij Dei sunt & regni eius heredes: (nā ante eiusmodi doni perceptionē pœnitētes & catechumeni multa bene & ad salutē vtiliter operantur) sed generalius sumendam, pro affectu recti, sinceri & Christiani amoris, quo vel Deus propter se, vel proximus propter Deū diligitur. Qua generali significatione charitas accipitur, cū alibi, tum suprà c. 13, quemadmodum illic ostēdimus. Et vtiq; eā hoc loco charitatē Corinthijs præcipit, quā dudū ijsdem tantopere cōmēdauerat. Ex quo sicut eorum refellitur cōmentarius qui restringunt apostoli sententiam ad eā charitatem, sine qua non sunt opera vitæ æternæ meritoria, vt intellexisse videntur Liranus & Rickelius: sic & aliorum, qui charitatem generaliter hic interpretantur amorē beneuolentiæ, qualis etiā infidelibus cōpetere potest; quasi sensus sit: Omnia quæ agimus, agere nos debere ex amore sincero & ordinato secundū dictamē rationis rectæ. Nam vt illi strictius æquo: sic isti iusto generalius apostoli præceptū exponunt; nō attēdentes quę sit illa charitas, quā vt Christianis propriā euāgelicæ & ἀpostolicæ literę nobis prædicāt. Nec tamē ideo consequens erit, infideles in omni opere peccare, quod eā charitatē non præstent. Etenim, vti dicebamus ad illud huius epistolæ ca. 10, *Omnia in gloriā Dei facite*; ea præcepta quæ sunt ordinis supernaturalis ac legis peculiariter Christianæ, eos solos & omnes obligant, quibus annunciata fuit lex Christi. Quibus autē nihil de Christo innotuit, ij præceptis eiusmodi non tenentur. Tale est autem & hoc charitatis præceptum: aduersus quod proinde non peccāt, qui de Christo nihil audiuerunt: tametsi non est dubium peccare eos in legem naturæ, quoties quid agunt ex amore non recto. Cæterùm malos Christianos aliquid agere ex charitate iuxta sensum præcepti, nihil prohibet: veluti dum propter Deū fide cognitum eleemosynam indigenti largiuntur: ita Deū vt finem spectantes, vt in illo opere nihil Deo aut anteponant aut æquent. Neq; enim peccatū, cuius serui sunt, in omnibus eorū actionibus sese exserit. Illud demū admoneo, tam affectum quàm imperium charitatis hîc intelligi debere vel actuale, vel saltem virtuale: proūt in similibus alibi declaramus, vt in illis, *Omnia in gloriam Dei facite*, suprà ca. 10. &, *Omnia in nomine Domini Iesu Christi*, Col. 3. Quæ loca cum isto conferenda sunt.

Deus in omnibus & super omnia diligendus.

Charitas pro affectu Christiani amoris.

Soluitur obiectio de infidelibus.

Mali Christiani an ex charitate quid agant.

Actu aut virtute omnia ex charitate agenda.

15 OBSECRO AVTEM VOS FRATRES. *Obsecro*, Græcè παρακαλῶ, quod etiam significat *exhortor*. Et ita vertit interpres Theophylacti. Certè vtraque significatio præsenti loco conuenit. Quid obsecret aut hortetur, post paulum dicet, quibusdam per hyperbaton interiectis.

NOSTIS DOMVM STEPHANÆ ET FORTVNATI ET ACHAICI: QVONIAM SVNT PRIMITIÆ ACHAIÆ. In multis codicibus & antiquis concordantijs non additur *& Achaici*. Primasius quoque & Haimo & Heruæus non legerunt. Cæterùm in Græcis, Syra versione consentiente, solum habetur *Stephanæ* nomē. Et Theophylactus apertè significat solū Stephanam hic nominari: vt verisimile sit reliqua duo nomina huc asscripta esse ex sequentibus: vbi tria hæc nomina leguntur eodem ordine in omnibus codicibus. Adde quod vna eadēq; domus, id est familia, non fuit triū dominorum. Vnā autem domum ab apostolo designari, probat subsequens verbū singularis numeri, ἐστὶ *est*: licet interpres id maluerit pluraliter reddere propter plurale nomen *primitiæ*. Stephanā viri nomen esse, docuimus suprà c. 1 ad illa verba, *Baptizaui autem & Stephanæ domū*. Bene nostis, inquit apostolus, Stephanæ familiā quæ apud vos est: nēpe eā esse totius Achaiæ primitias, id est, primos qui ex Achaia crediderūt in Christū, tanquā primos fructus euangelij in Achaia seminati. Eodem sensu vocat Epænetum primitiuum seu primitias Asiæ, Rom. 16. Existimat Erasmus Græcum οἴδατε *nostis*, posse etiam verti *noueritis*, hortatiuè: *vt iubeat agnosci bene meritos: maximè quia paulo pòst de ijsdem loquens, Cognoscite ergo, inquit, huiusmodi*. Verùm præterquam quod contextus ægrè sensum hunc admittat; non vidit Erasmus discrimen inter οἴδατε & γινώσκετε: quorum prius simplicem noticiam ferè tantum significat: alterum vero frequēter vsurpatur in scripturis ad significandam noticiam affectiuam, quam vocant: cuius compositum est ἐπιγινώσκετε, *agnoscite*. de quo infrà. Discrimen hoc obseruare est passim in epistola prima Ioannis apostoli.

Stephanæ domus primitiæ Achaiæ.

ET IN MINISTERIVM SANCTORVM ORDINAVERVNT SEIPSOS. *Sanctorum* Græcè, τοῖς ἁγίοις, *sanctis*. Estque repetendum ex parte præcedenti, ὅτι, *quod*. Non sentit autem apostolus, istos de quibus loquitur, ordinasse aut ingessisse semetipsos ad functionem aliquam ecclesiasticam; quod illicitum est, & hæreticis solemne, qui ad verbi ministerium proprij spiritus instinctu prosiliunt,

non exſpectata miſſione & ordinatione legitima; cõtra ſcripturã, *Nec quiſquã ſumit ſibi honorem; ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, Heb. 5. Verũ ſenſus eſt: Noſtis etiã quod vltro charitate vrgente exhibuerunt & addixerunt ſeſe ad miniſtrãdũ ſanctis, id eſt, ad exercendã hoſpitalitatẽ & beneficẽtiã erga fideles peregrinos, ac pauperes; eos maximè qui in opere Domini verſantur. Sermo pluralis ἔταξαν ἑαυτοὺς, *ordinauerunt ſeipſos*, refertur ad domũ Stephanæ, quę eſt collectiua multorum. Miniſterium pro ſubminiſtratione rerum neceſſariarum, frequentatum ab apoſtolo; ac de eo plura in 2 epiſtola c. 8 & 9. Vide etiam quæ diximus ad illud Rom. 15, *Nunc proficiſcar in Ieruſalem, miniſtrare ſanctis.*

Quid miniſterium hoc loco.

16 VT ET VOS SVBDITI SITIS EIVSMODI. *Subditi ſitis*, Græcè ὑποτάσησθε. In quo alluſio eſt ad verbum ἔταξαν, *ordinauerunt*, ac ſi dicat; *Vt & vos ſubordinati ſitis talibus.* Huc referẽdũ id quod dixerat, *Obſecro vos.* Et sẽſus eſt; Hortor & obſecro vos, vt ijs qui tales ſunt vos ſubmittatis, honorem deferendo, & eorum conſilia ac monita libẽter audiẽdo. Significatur enim ſubiectio nõ legalis, quã epiſcopis debemus; ſed moralis, qua reuerẽtes & obſequẽtes nos præbemus ijs qui virtute preſtãt, magiſq; ſpirituales ſunt: vti bene Caietanus annotat.

Subiectio moralis quibus debita.

ET OMNI COOPERANTI ET LABORANTI. Id eſt, nõ ſolũ illis ſubditi ſitis, ſed & õnibus quicumque vel cum illis vel mecum rẽ euangelicã adiuuant, noſtriq; laboris participes ſunt. Tales enim præ alijs digni ſunt honore. Quo fiet etiã, vt quẽadmodum ait Theophylactus, laborem (addo & ſumptum) libentius ferant.

17 GAVDEO AVTEM IN PRÆSENTIA STEPHANÆ ET FORTVNATI ET ACHAICI. *In præſentia*, Græcè ἐπὶ τῇ παρουσίᾳ. Quod etiam verti potuit, & quidem commodius, *in aduentu*, vel *de aduentu*. Nã hi tres viri Corintho Epheſum aduenerant Pauli viſendi gratia, ac ſtudio cõmunis vtilitatis Corinthiorũ. Quorum aduentum declarat ſibi gratum fuiſſe. Fortunatus & Achaicus qui fuerint, cùm eorum alibi mentio non fiat, ignoratur.

QVONIAM ID QVOD VOBIS DEERAT, IPSI SVPPLEVERVNT. Græcè, ὅτι τὸ ὑμῶν ὑστέρημα οὗτοι ἀνεπλήρωσαν. Id eſt ad verbum, *Quia veſtri defectum hi repleuerunt*. Eraſmus & Hentenius verterunt, *Quia id quod mihi deerat veſtri, hi ſuppleuerunt*. Alij: *Id quod deerat ex vobis, ex parte veſtra.* Senſus autem eſſe videtur: Nam hi præſentes ſuppleuerunt officio ſuo veſtrũ omniũ præſentiã, mihi alioqui deſideratã; &, vt exponũt Theophylactus & Oecumenius, *pro omnibus vobis venerũt.* Siquidẽ retulerãt iſti ad apoſtolũ, non ſolũ diſſenſiones quę apud Corinthios erãt; de quibus iam ante ſignificatum ipſi erat per domeſticos Chloës, ſupra c. 1; verũ etiã quęſtiones ac dubitationes apud illos exortas; ad quas hac epiſtola reſpõdit. Prolixius autẽ hos eis cõmendat: ne, quod eorũ vicia forte detuliſſent, infenſiore ſint in eos animo. Stapulenſis in Græco legit τὸ ὑστέρημά μου. Vertit autem hunc locum: *Quoniam indigentiam meam ſuppleuerunt*: quaſi per hoc inſinuet ſeſe Paulus Corinthijs, vt ipſius indigẽtiæ ſuccurrant. Sed hoc quã ſit alienum à mẽte Pauli; cui iã decretum erat à Corinthijs nihil ſubſidij capere; palàm eſt ex ijs quæ ſcribit huius epiſtolæ c. 9, & ſequentis epiſtolæ ca. 11 & 12. Planè ſuſpicor in eo codice quo Stapulẽſis vſus eſt, lectionẽ eſſe deprauatã, mutatione facta ex altero loco, qui eſt 2 Cor. 11, *Nam quod mihi deerat, ſuppleuerunt fratres*, &c. Græcè ὅτι τὸ ὑστέρημά μου.

18 REFECERVNT ENIM ET MEVM SPIRITVM ET VESTRVM. Senſus: Nam refocillauerunt me ſua præſentia atque colloquio. Quæ mea refocillatio etiam in vos meritò redundat, qui mei diſcipuli eſtis, & de meo bono gaudere deberis: præſertim quod ad veſtram pertineat vtilitatẽ. Sic exponũt Græci. Quanquã & hoc modo nõ incõmodè poteſt intelligi: Recrearunt meum ſpiritũ, qui idẽ veſter eſt ſpiritus: vt proinde in me etiã vos recreati fueritis: vt ſpiritum ſuum dicat ſpiritum ipſorũ, coniunctione & vinculo charitatis: quomodo Act. 4 *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna*: ſicut & dicitur 1 Reg. 18, quod *anima Ionathæ cõglutinata fuit animæ Dauid*. Niſi malis ſermonem eſſe ciuilitatis Chriſtianæ: qualis ille Rom. 16, de Rufo, *Salutate matrẽ eius & meam*. Quo inuitãt Græca quæ coniunctionem non geminãt. Alio ſenſu ſuprà dixit c. 5, *Congregatis vobis & meo ſpiritu*. Dicit autẽ ſpiritum, id eſt animum ſeu mentem: ne corporalia ſubſidia ab illis accepiſſe putetur, contrà quàm gloriatus fuerat in hac epiſtola cap. 9.

Meum ſpiritum & veſtrũ variè exponitur.

Spiritus pro mente

COGNOSCITE ERGO QVI HVIVSMODI SVNT. Græcè ἐπιγινώσκετε οὖν τοὺς τοιούτους, *Agnoſcite igitur eos qui tales ſunt*, id eſt, reueremini, colite eos, honorificè habetote: quod barbari reſpectare dicũt. Hãc enim vim habere videtur hoc loco ἐπιγινώσκειν, vt noticia ſignificetur reuerentialis. & ita exponunt tam Græci quã Latini. Simile eſt illud 1 Theſſ. 5, *Rogamus vt noueritis eos qui laborant inter vos*, &c. Quanquam ibi non eſt ἐπιγινώσκειν, ſed εἰδέναι. Sequuntur ſalutationes, charitatis ſymbola.

Agnoſcere pro noticia reuerentiali.

19 SALVTANT VOS ECCLESIÆ ASIÆ. Minorem Aſiam intelligit, in qua erat Epheſus, vbi ſcribitur hæc epiſtola. In quibuſdam codicibus additur *omnes*: ſuffragante etiam Syriaco textu. Sed in Græco non habetur, vt nec in mss. pleriſque, nec in antiquis concordantijs. De hoc generali modo ſalutandi vide quæ diximus ad illud Rom. 16, *Salutant vos omnes eccleſiæ Chriſti.*

Generalis ſalutandi modus.

SALVTANT VOS IN DOMINO MVLTVM AQVILA ET PRISCILLA. De his quoque egimus exponentes vltimum caput epiſtolæ ad Rom. Morabantur autem Epheſi, quo tẽpore ſcripta eſt hæc epiſtola. Quod ſatis etiam liquet ex ijs quæ Lucas ſcribit Acto. 18.

CVM DOMESTICA SVA ECCLESIA. Græcè, *cum ea quæ in domo eorum eſt eccleſia.* Quemadmodũ & habet textus Ambr. Huius item ec-

cleſiæ

Familiæ fidelium, etsi paucorum, ecclesia.

clesiæ mentio fit Rom. vltimo: quo loco diximus, & amplius dicturi sumus ad locum similem Col. 4, qua ratione familia fideliū quāuis paucorū ecclesia vocetur in epistolis Paulinis.

APVD QVOS ET HOSPITOR. Legitur hoc etiam in textu Amb. non tamen exponitur: at neq; Græci neq; Syriaci codices id habēt, nec veteres concordātiæ: denique nec Latini codices meliores & antiquiores. Glossa verò scriptū habet inter lineas. Quod argumēto est in textu non fuisse. Quin neque ex Actis apostolorum apparet Paulum Ephesi apud Aquilā & Priscillā hospitatū fuisse, sed Corinthi tātū.

20 SALVTANT VOS OMNES FRATRES. Id est fideles, qui circa nos sunt. Græcè & Syriacè *fratres omnes.*

Osculum sanctum.

SALVTATE INVICEM IN OSCVLO SANCTO. Hoc est, cū osculo quod sanctos decet, quodq; symbolū est sancti & Christiani amoris: vti plenius à me explicatum est Rom. vlt. vers. 16.

21 SALVTATIO MEA MANV PAVLI. Subaudi, scripta; hæc est quæ sequitur. Nā *mea* casus est ablatiuus, iungendus cū *manu*. Quod ex Græco manifestū est. Hęc verba cū ijs quæ sequūtur vsque ad finē, affirmat Paulus sua manu se scripsisse loco salutationis, qua claudi solet epistola. Nā reliquā epistolam totā ipso dictante scriptā ab alio quopiā fuisse existimādum est. Similem apponit cautionem in calce epistolæ ad Coloss. & secundæ ad Thess. Quo posteriore loco pluribus explicamus, quænā sit hæc salutatio. Cæterū hoc præmisso titulo salutationis, priusquā ipsa verba salutis asscribat, per hyperbatō interponit exsecrationem quandā in eos qui salute sunt indigni, dicens:

Salutatio manu Pauli.

22 SI QVIS NON AMAT DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM, SIT ANATHEMA. Græca legūt absq; pronomine *nostrū*, annuēte textu Amb. & Primasij, necnon Hieronymo in epistola ad Marcellā. Anathema quid significet, expositum est à nobis in cōmentario epist. ad Rom. c. 9 ver. 3, & huius epistolæ cap. 12 ver. 3. Nec aliter accipitur hoc loco, quātū arbitror: vti nec in epistola ad Gal. 1 ver. 8 & 9. Neque enim vlla ratio cogit ad diuersam acceptionē. Et quidē tū ex hoc loco, tū ex illo epistolæ ad Gal. desumsit ecclesia formā edendi canones dogmaticos cū anathematismis: id quod maximè in cōcilijs episcoporum obseruari videmus, cùm dicitur: Si quis dixerit aut negauerit hoc aut illud, anathema sit; vtiq; nō alia significatione anathematis, quā vt apud apostolū accipitur: videlicet pro ea re quæ cū exsecratione separatur & abijcitur, vt destinata ad extremum exitium: quod in hominibus est æterna dānatio. Non sunt igitur hęc verba Pauli excōmunicantis: quomodo suprà c. 5 excōmunicandū iudicauit incæstuosum illū, id est Sathanæ tradēdū, vt spiritus saluus esset in die Domini; sed verba sunt exsecrātis, & æternum interitum denunciātis ijs qui Christū Dominū non amant. Quod intellige, nisi resipiscāt. Amant autē Christū, non solum qui iusti sunt: verùm etiā ante perceptā iustificationis gratiā boni catechumeni, & omnes verè pœnitētes: quibus proinde ab hoc apostoli anathemate nō est metuendū. Imò Christū amant omnes fideles, quotquot erga Christum & religionē Christianā benè sunt affecti; etiamsi multi eorū male viuant. Neque enim omnis peccator vsque adeò malus est, vt Deum aut Christum oderit, aut omnino nō amet. Hæc quippe malicia paucorū est, eademq; valde detestabilis. At verò multi sunt inter fideles, qui non super omnia Deū ament amore, quod dici solet, efficaci; quo scilicet in suis actionibus Dei volūtatem omnibus alijs rebus anteponāt: quemadmodum & filius non ideo patrē aut odisse dicitur, aut nō amare, quia iussis eius nō obtēperat: dū alioqui patri bene velit, eiusq; felicitatem optet ex animo. Igitur anathema Pauli eos solos respicere videtur, qui cū inter fideles numerētur, tamē Iesum Christū cuius nomine & religione cēsentur, nō amāt. Quales fortè erāt inter Corinthios, qui sæculari sapientia philosophorū imbuti, Christū eiusq; doctrinā velut abiectā & humilē aspernari iā ceperant. Aduersus quos egit apostolus primis paginis huius epistolę: vehemētius acturus in secunda c. 11. Sanè B. Thom, sensum hūc indicat in cōmētario, dū sic exponit: *Si quis nō amat Dominum Iesum Christū, id est, fidem Christi: & isti,* inquit, *sunt hæretici.* Adiuuat hūc intellectum, quod Græcè nō est ἀγαπᾷ, quod vsu scripturæ est charitate diligere: sed φιλεῖ, quod etiā apud profanos authores minus est quàm ἀγαπᾷν. tametsi cōtrà Ciceroni plus est amare quā diligere. Liranus sensu nō improbando dictū apostoli speciatim refert ad Iudæos negantes Dominū, id est, Messiā venisse: & Iesum quem apostoli Messiā ac Dominū prædicabāt, odio persequētes, atq; anathema dicentes: vt suprà c. 12. quibus vicissim meritissimè dicitur anathema. Legimus in epistola Petri 2 c. 2, quosdā *eum qui emit eos Dominū negantes:* ac rursus in epistola Iudæ, *solū dominatorē, & Dominū nostrum Iesum Christū negantes.* Qui & ipsi ex Iudæis erāt, sed Christo nomē dederāt. At quoniā illæ epistolæ multo posterius scriptæ sunt, verisimile est diuersos ab istis esse, cōtra quos illic agitur: licet eodem dignos anathemate. Porrò Græci interpretes amorē Christi intelligūt in obseruatione præceptorū eius. Itaque generaliter hoc anathemate percelli ac terreri volunt omnes illos, quos apostolus ob grauia peccata hac epistola castigauit: vt schismatum authores, fornicarios, idolothyta cum fratrū offēdiculo comedētes, sacra mysteria indignè participantes, resurrectionē mortuorum non credentes: quibus vtique cūctis imminet certus interitus, nisi pœnitentiam agant.

Quid anathema.

Anathematismi in Cōcilijs

Christum amare qui dicantur.

MARAN ATHA. De hac voce cōsultus Hieronymus ita scribit ad Marcellā epistola 137. מראן אתא *maran atha, magis Syrum est quàm Hebraicum; tametsi ex confinio vtrarumque linguarum aliquid & Hebraum sonet; & interpretetur, Dominus noster venit.* Hoc idem ijsdem verbis, vtique ex Hieronymo desum-

Nō omnis peccator Deū odit.

Amor efficax Dei super omnia.

Anathema Pauli quos respiciat, opiniones.

Vtrū matus, amare an diligere.

Quid Paulo maran atha.

ptis, annotauit Pelagius; nec non verbis paulum diuersis Ambrosiaster. Hieronymo facilè accedunt Hebræi recentiores, iuxta quos מרא *mara* Chaldaicum nomen est, significãs idem quod Dominus: & אתא vel אתה *atha* similiter Chaldaicum, significans *venit*. Fit autẽ oratio Chaldaica מרנא אתא *marana atha Dominus noster venit:* Pro qua cõtractè, velut vna voce dicebatur, *Maran-atha*. Vocantur autẽ voces Syriacæ, quod earũ vsum Iudæi è Chaldæa reuersi, in Syriã attulerũt. Reperitur מרא *mara* dominũ significãs apud Danielẽ c. 4 ver. 16 & 21. & c. 5 ver. 23. itẽ אתה *atha vênit* Deut. 33 ver. 2 & 16. Cũ autẽ *vênit* in hac interpretatione præteriti sit temporis, Græcis etiam id exponentibus verbo ἦλθε; sequitur haud multum probabilem esse eorum commentarium, qui *maranatha* de futuro aduẽtu Domini ad iudiciũ interpretantur, & præcedẽtibus annectunt, hoc sensu: Si quis Christũ non amat, sit anathema; id est, æterno tradatur exitio in die quo Dominus veniet ad iudicium. quamuis alioqui sensus ille videatur satis conuenire cum vltimis Malachiæ prophetæ verbis, quibus extremum iudicium peccatoribus ex persona Domini comminatur, dicentis; *Ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate*. Quo respicit etiam interpretatio quæ est apud Augustinum in altercatione cũ Pascentio sub titulo epistolæ 178, referentem *maranatha* definiri *donec Dominus redeat*. Verùm quia verbi tempus obstat huic sensui, (nisi quis dicat præteritum positum loco futuri:) melius exponitur de primo Christi aduentu: quę etiam pluriũ sententia est; vt post illud, *Si quis non amat Dominũ Iesum Christũ*, propterea subiũgat apostolus *marã atha*, *Dominus noster venit:* quod, vti scribit Hieronymus, *superfluum sit aduersus eum odijs pertinacibus velle cõtendere, quem venisse iam cõstet*. Quod quidem rursus videri potest, propriè propter Iudæos, tanquam pertinaces osores Iesu Christi, dictũ esse: & ad hoc insinuandum, verbis ex Iudæorum lingua sumptis apostolum vti voluisse. Quidam verò opinantur *maranatha* perinde vt *anathema*, velut quasdam exsecrandi formulas, in vsu fuisse apud Iudæos, partim Græcè, partim Syriacè loquẽtes: ideoque coniunctim positas ab apostolo, sicut alibi coniũgit, *Abba. Pater*, Rom. 8, Gal. 4. Sed hoc de *Maran atha* tantum coniectura est. Cæterùm legi apud quendam huius sæculi scriptorem hoc quod refero, quodque pro recepta facit interpretatione: Cùm olim Iudæi Messiã sibi promissum exspectarent, passim in ore habebant hanc vocẽ *Maran*, id est *Dominus noster*. Qui verò ex ea gente credebant in Iesum Christũ, certi eum iam venisse, dicebant illis; *Maran atha, Dominus noster venit?* Quod cùm illi pertinaciter negare nõ desisterẽt, factum tandem vt eorum offensi pertinacia Iudæi Christiani, Maranos seu Maranitas illos appellarent, tãquam sectæ nomine, quod suũ *maran* semper inculcarent, non recipiẽtes *maran atha*. Hinc primùm apud Palæstinos increbuisse nomen Maranorũ: quod deinceps vsurpatũ fuerit ab alijs Christianis; præsertim ab Hispanis, appellãtibus eo nomine Iudęos & Arabes seu Mauros, qui à fide Christiana (ad quã ab antiquis regibus aliquando fuerant adducti) posterioribus sæculis defecerũt, ad vomitũ reuersi pristinorũ errorum. Sed de hac narratione iudicium esto penes lectorẽ: vt & de ijs quæ Paulus Burgensis, reiecta S. Hieronymi & aliorũ interpretatione, huc adfert ex traditionibus Thalmudicis, mihi certè parum probata.

Vtrum significetur aduentus Domini præteritus an futurus.

Narratio de Maranis.

23 GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI VOBISCVM. *Nostri* non additur in Græco, nec apud Primasiũ. Cõtrà, textus Amb. sic habet: *Gratia Domini nostri vobiscum*. Est autẽ hæc salutatio quã dixit manu sua se subscribere; quã eandem subscribit omnibus suis epistolis: quanimirũ omne bonum salutare precatur à Deo per Christum ijs ad quos scribit: quia, vt ait Thomas *in gratia Domini nostri Iesu Christi, cõtinetur omne bonũ*. Vocatur autẽ omne eiusmodi bonũ, gratia; quia gratuitum Dei donũ est.

In gratia Christi continentur omnia bonum.

24 CHARITAS MEA CVM OMNIBVS VOBIS IN CHRISTO IESV. AMEN. Quidam enunciatiuè exponunt, subaudito verbo *est*, vt Chrysostomus & Theophylactus. Ita sẽsus est: Ego vos omnes diligo in Christo Iesu: & ex ea dilectione gratiã eius vobis exopto. Alij supplẽt verbũ *sit*; vt in parte præcedẽti: faciẽtes hunc sensum: Opto meã charitatem qua vos diligo, esse & permanere cum omnibus vobis. Quod quidẽ fiet, si vos in fide & dilectione Christi permãseritis. Potest etiam *charitas mea* passiuè exponi, id est *charitas mei*, sicut est in Græco; qua scilicet à vobis diligor, vt sensus sit; Sicut ego vos diligo; ita cupio me vicissim à vobis diligi in Christo; hoc est, sincera & Christiana dilectione. Nã de eo quod minus à Corinthijs diligeretur, ipse cũ eis expostulat in secunda epistola cap. 12, ver. 15. Denique nonnulla suspicio est apostolũ scripsisse, *charitas Dei*: quod in Græco μου & θεου non multũ differãt: & in fine secũdæ epistolæ ita scriptum legatur, *Charitas Dei cum omnibus vobis*. In Græcis codicibus huic epistolæ subscribitur, eã è Philippis missam esse, sed id falsum ostẽdimus in argumento epistolæ. Græcos quoque interpretes nobiscũ sentire, nẽpe quod Ephesi scripta sit, suprà docui ad illud, *Permanebo autem Ephesi*. Quod autẽ ijdẽ Græci codices addũt missam esse per Stephanã & Fortunatũ & Achaicũ & Timotheũ; de tribus prioribus verũ fatemur; de Timotheo non itẽ. Nã absentẽ Paulo fuisse quãdo scripta est hæc epistola, satis ostenduut quæ de eo scribuntur hoc eodẽ c. ver. 10. & c. 4, ver. 17. Imo Theodoritus Græcus istud ex professo refellit superius, vbi de reliquis tribus mentio facta est. Neq; Caietanus amplius quã triũ ex Græca subscriptione meminit, omisso Timotheo: quamuis initio commentarij in secundam epistolam annotet aliquos codices Timotheum adiungere.

Vbi scripta hæc epistola.

Per quos missa.

Finis prioris epistolæ ad Corinthios.

IN EPISTOLAM SECVNDAM

BEATI PAVLI APOSTOLI AD CORINTHIOS COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

PAVLO apostolo suum ad Corinthios aduentū quem promiserat, graues ob causas differente diutius, quàm vel illi sperarent, vel ipse statuisset: interea temporis quidam ex circumcisione pseudapostoli, quibus studium erat euangelio legem Mosaicam admiscere, & ex euangelio quæstum facere; Paulo absente liberius apud Corinthios se suamq; doctrinam insinuauerāt, non sine ambitione, Pauliq; eorum apostoli contemptu, cuius & doctrinæ & personæ detrahebant. Porrò ea de quibus in priore epistola Corinthios admonuerat, partim iam erant correcta, partim non erant. Nam fornicarius quidem ille famosus, excommunicationis ignominia ad pœnitentiam erat adductus: Verùm alia quædam gentilitatis ac veteris hominis vicia adhuc apud eos residebant. Sed & de collecta facienda in fratres pauperes Hierosolymæ degentes, necdum apostoli præscripto satisfactum erat. Quibus intellectis, cùm statim ad eos accurrere non posset, hanc secundam scripsit epistolam: in qua primùm commemoratis afflictionibus in quas inciderat, excusat sese, causamq; reddit cur iuxta promissum non venerit. Deinde fornicarium iubet in gratiam recipi, condonatione punitionis reliquæ. Tertiò munus suum apostolicum ex comparatione legis euangelicę cum lege Mosaica, commendat & extollit: obiter taxans pseudapostolorum hypocrisin; suamq; in euangelio prædicando sinceritatem asserens. Quartò subnectit exhortationem; qua monet vt vitam ducant Christiana professione dignam, atque infidelium mores & societatem vitent. Quintò consolatur eos, ac docet quantam ceperint vtilitatem ex tristicia quam eis pepererat obiurgatio prioris epistolę. Sextò prouocat eos exemplo Macedonum ad largam pecuniæ collationem in pauperes Hierosolymitanos: additis & alijs argumentis

quibus id persuadeat. Septimò rursus suum commendans ac stabiliens ministerium, apertius iam inuehitur in pseudapostolos, ac suis eos coloribus depingit. Et quoniam illi magnis titulis sese venditabant apud simpliciores: ipse contrà de se recenset ea, propter quæ multo iustius aduersus illos possit gloriari. Postremò Corinthios monet, vt vicia quibus adhuc erant inquinati, corrigant; talesq; sese præstent, quales ab ipso cum potestate venturo velint inueniri. Cæterùm epistolæ status in quo præcipuè moratur, est apostolatus ac personæ suæ defensio contra pseudapostolos. Quo loco fuerit scripta, non constat. Summarium epistolę Latinis codicibus prefixũ loquitur è Troade missam, cuius fit mẽtio cap. 2. Græcorũ hypographe Philippos Macedonię nominat. Vtriusque loci meminit Lucas Actor. 20, vbi ea Pauli profectio describitur, in qua valde probabile est eum hanc epistolam scripsisse. Verùm è Troade missam dici non potest. Iam enim inde Paulus discesserat in Macedoniã, vt ipse testatur cap. 2 versu 12 & 13. Quare verisimilius est vel in Macedonia scriptam esse; vel potius, vt existimat Card. Baronius, in vrbe Nicopoli, post reditum Pauli è Macedonia. Nam illic hiematurum se scribit ad Titum 3. Quo tempore datam esse hanc epistolam, Tito iã è Creta ad Paulum reuerso, consentaneũ est ijs quæ de Tito scribuntur cap. 8. Est autem Nicopolis in Epiro sita, Græcię vicina. Per quem aut per quos missa sit epistola, satis apertè ex eodem octauo capite colligitur: nempe per Titum missam esse, perq; duos alios quos vnà cum Tito mittere se dicit, tacitis eorum nominibus. Nec diuersum tradunt annotationes Latinorum & Græcorum. Nec rationem video cur de Tito quidam neotericorum dissentiant: qui mihi videntur parum attentè considerasse ea quæ Paulus scribit loco memorato de legatis à se missis Corinthũ, causa collectę quam indixerat maturandę. Nam de priore Titi ad Corinthios aduentu vt id intelligatur, series sermonis, ac res ipsa de qua agit, omnino non patitur. Scriptam verò etiam hanc epistolam ante eam quę est ad Romanos, ex eo liquet, quod in hac vrgetur adhuc negocium faciendę collectę: quam factam & paratam, vt à se perferatur Hierosolymam, ad Romanos scribens significat.

SVMMARIVM.

OStendit Apostolus tam afflictiones suas, cuiusmodi passus fuerat in Asia, quam consolationem à Deo super ijs acceptam, cedere in Corinthiorum solatium ac salutem. Conscientia & conuersationis suæ sinceritatem eis declarat. Deinde excusat quod proüt statuerat, nondum venisset: asserens firmam nihilominus permanere euangelij a se prædicati veritatem.

CAPVT I.

1 PAVLVS APOSTOLVS IESV CHRISTI PER VOLVNTATEM DEI. Idem initium cum eo quod erat prioris epistolæ: nisi quod hic non additur epitheton *vocatus*. Explicationem require ex illius loci commentario, simul ex ijs quę commentati sumus in epistolam ad Romanos.

ET TIMOTHEVS FRATER. Timotheus, vt ex epistola priore cap. 4 & vltimo constat, à Paulo Corinthum missus fuerat hac potissimum causa, vt fideles illic in doctrina quam à Paulo acceperãt, confirmaret. Quo perfunctus officio & ad Paulum reuersus, rẽtulerat de eorum statu atque profectu, necnon de pseudapostolis; propter quos scripserat Paulus, *Videte vt sine timore sit apud vos*, 1 Cor. 16. Hunc ergo tanquam suum ad Corinthios legatum, deque ijs bene meritum, honorat adiuncto eius nomine in fronte epistolæ quam ad illos scribit. Fratrem verò nominat, non tam propter fidei communionem: qua ratione omnes Christiani inter se fratres erant & dicebantur:

Timotheus Pauli legatus ad Corinthios.

Qua ratione Paulus Timotheũ fratrẽ vocet.

dicebantur: quàm propter dignitatem ministerij euangelici, in quo eum socium agnoscebat & quasi coapostolum: licet ipse multis alioqui nominibus superior: haud dissimili ratione qua Romanus Pontifex omnes episcopos appellat fratres. Hanc enim comparationem adhibet Aquinas. Porrò non hic solũ sed & in aliarum aliquot epistolarum initio similes ob causas Timothei nomen adiungit suo; vt ad Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem, & in vtraque ad Thessalonicẽses. Quod cùm honoris causa faciat, simul vt significet Timotheum eadem secum in his quæ scribit, sentire: non est tamen vt quis suspicetur Paulum in componendis epistolis à Timotheo fuisse adiutum; nihilo magis quàm in epistola ad Galatas, ab illis quos sibi in salutatione consociat, dicens, *Et qui mecũ sunt omnes fratres.*

Paulus solus author suarum epistolarum.

ECCLESIÆ DEI QVÆ EST CORINTHI, CVM OMNIBVS SANCTIS QVI SVNT IN VNIVERSA ACHAIA. Græcè, *In tota Achaia.* Subaudi, scribunt quæ sequuntur. Nam quia Corinthus Achaiæ metropolis erat, ad quam cæteri eiusdem prouinciæ confluebant; vult apostolus epistolam totius Achaiæ fratribus communicari: maximè quod verisimile sit ijsdem ferè monitis ac remedijs omnes indiguisse. Sanctos autem vocat, quia sanctæ erãt eorum ecclesiæ, tametsi non singuli sancti. Vide quæ dicta sunt ad Rom. 1, v. 7.

Cur fideles sanctos vocet.

2 GRATIA VOBIS ET PAX A DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO IESV CHRISTO. Subaudi, multiplicetur. Salutatio verè apostolica: quæ totidem verbis habetur in duabus epistolis præcedentibus, & repetitur in omnibus pænè sequentibus. Eius expositionem pete è commentario epistolæ ad Rom. Hactenus epigraphe nominis cum salutatione. Sequitur exordium ipsius epistolæ.

Salutatio apostolica.

3 BENEDICTVS DEVS ET PATER DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Benedictio in scripturis ad Deum relata laudem significat, qua nimirum bona de Deo prædicantur. Itaque sensus est: Benedictus sit Deus, id est, laudetur à nobis Deus propter opera suæ bonitatis erga nos exhibitæ. Porrò genitiuus *Domini nostri Iesu Christi*, licet accipi possit vt & Deum & Patrem respiciat, (est enim Deus hominis, Pater Verbi: & ad Deum refert Tertullianus libro 5 contra Marcionem cap. 11, citans hoc tantùm modo: *Benedictus Deus Domini nostri Jesu Christi.*) conuenientius tamen ad Patrem solummodo refertur: vt post illud: *Benedictus Deus*, hypostigma figatur; vti faciendum monent post Theodoritum Theophylactus & Oecumenius.

Benedictio laudis.

Deus Christi Deus & Pater.

PATER MISERICORDIARVM ET DEVS TOTIVS CONSOLATIONIS. Græcè πάσης παρακλήσεως, *omnis consolationis:* sicut & legitur in textu Ambr. & apud Hieronymum in commentarijs Isaiæ 40, vbi versus aliquot huius loci recitat. Incipit apostolus explicare laudis diuinæ materiam: & sensus est, Qui idẽ Deus ac Iesu Christi Pater, etiam *Pater est misericordiarum*, quatenus tanquam benignus parens multiplicia misericordiæ ac beneficentiæ suæ dona in homines effundit: *Et Deus author omnis consolationis*, quia non leuem & modicam, sed perfectam consolationem afflictis fidelibus & amicis suis impertitur. Phrasis apostolica, quæ & in psalmis ac prophetis vsitata, vocare *Deum patientiæ, solatij, spei, pacis,* quod sit horum author, Rom. 15, & alibi. Innuit autem priori membro, Deum qui Pater est Iesu Christi per naturam, nostrum esse Patrem per misericordiam. Vel certè, Patrem misericordiarum Hebræa phrasi dicit Patrem valde multumque misericordẽ & beneficum. Nam quod Caietanus imaginatur Deum vocari Patrem misericordiarum, tanquã ab ipso genitarum per eius volũtatem: quo nimirum sensu dicitur etiam *pluuiæ pater* Iob 38, speculatio mihi videtur à mente Pauli aliena. Posterior pars ostendit etiam Patrem vocari posse paracletum, id est, consolatorem. Nam Filium & Spiritum sanctum esse paracletos, ipse Filius apud Ioannem cap. 14 declarat illis verbis, *Ego rogabo Patrem: & alium paracletum dabit vobis, spiritum veritatis.*

Deus Pater misericordiarum & Deus consolationis quo sensu.

Non solũ Filius & Spiritus sanctus, sed & Pater Paracletus.

4 QVI CONSOLATVR NOS IN OMNI TRIBVLATIONE NOSTRA. *Nos*, intelligit seipsum, & socios euangelij ministros. Nam hos, etiam afflictionis socios ac participes habuerat: nisi malis numerum pluralem positum pro singulari. Id enim & in sequentibus huius capitis obseruare est. Non rectè quidam participium ὁ παρακαλῶν *consolans*, transtulit verbo præteriti temporis, *qui consolatus est.* Non enim solum respicit apostolus ad consolationem præteritam: sed significare vult aliquid perpetuũ erga electos; ac si diceret, consolator noster. Etenim proprium est electorum, in æstu tribulationis non relinqui sine refrigerio cõsolationis diuinæ.

Electi in afflictione non relinquuntur sine consolatione.

VT POSSIMVS ET IPSI CONSOLARI EOS QVI IN OMNI PRESSVRA SVNT. Voculam & Græca non habent, nec eam legerunt Hieronymus & Primasius: tametsi confert ad sensum: ideoque etiam addita ab interprete Syro. Expressius autem è Græco vertunt alij; *In hoc vt possimus nos consolari eos qui sunt in quacumque afflictione.* Quam interpres prius tribulationem, nunc pressurã vertit: cùm Græcè eadem sit dictio θλῖψις.

PER EXHORTATIONEM QVA EXHORTAMVR ET IPSI A DEO. Potius ex Græco vertendum fuit, *Per consolationem qua consolamur ipsi à Deo.* (verbo *consolamur* accepto passiuè.) quomodo legitur in textu Ambro. Cuius rei lectionis vestigia sunt apud Primasium & Sedulium. Nec secus citat Hieronymus. Denique suffragatur editio Syriaca. Neque enim in Græco diuersa sunt vocabula; sed eadem, quæ noster interpres modò consolationem, & consolari; modò exhortationem, & exhortari, transtulit: nec erat ratio mutandi consolationem in exhortationem: licet

alioqui

alioqui tam verbum quàm verbale nomen vtramq; significationem habeat. Et quidem ex Hieronymi citatione conijcio locum hunc vnum esse ex ijs quos ille in vulgata versione noui testamenti correxit; sed correctionem hanc vt alias multas, per vsum inueteratum veteris editionis excidisse. Sentit apostolus suam consolationem quam in pressuris acceperat à Deo, non sibi solummodo profuisse: sed & hunc ex ea fructum prouenire, quod per illam alios etiam afflictos consolari possit; siue exemplo suo, quod alij intuentes facilius admissuri sint consolationem: siue quia afflicti & consolati magis idonei sunt, qui fomentum consolationis alijs afflictis adhibeãt; adeò vt dicat S. Thomas, *Qui non est consolatus, nescit consolari*. Innuit autem Paulus, ad ministros euangelij inter cætera pertinere etiam consolandi officium; atque ad id aptos reddi, dum & ipsi tribulationibus pressi consolationem à Deo percipiunt.

Locus ab Hieronymo correctus.

Fructus ex consolatione Pauli prouenientes.

Ad ministros euãgelij pertinet officiũ consolãdi.

5 QVONIAM SICVT ABVNDANT PASSIONES CHRISTI IN NOBIS. Græcè εἰς ἡμᾶς, *ad nos* vel *erga nos*. Quamuis & bene habet *in nobis*. Quod & Erasmo placuit. Sẽsus: Quemadmodum passiones & afflictiones quas pro Christo & euangelio patimur, exuberant in nos, abundant in nobis &c. Vtitur abundantiæ vocabulo propter multitudinem & grauitatem afflictionum quas passus fuerat, & quibus pænè obrutus: vt ex sequentibus patebit. Chrysostomus, eumque secuti Theophylactus & Oecumenius, passiones Christi interpretãtur, quas Christus patitur in membris suis, quorum vnum & præcipuum erat Paulus: qui alibi dicit adimplere se *ea quæ desunt passionum Christi in carne sua*, Col. 1. Addunt & illud, Christum in quibusdam mẽbris suis plura pati, quam fuerit passus in semetipso: idque significari cùm dicit apostolus, passiones Christi in se abundare; id est, vt aiunt, plures ac maiores esse quam in ipsius Christi persona fuerint. Verùm, vt taceam quàm durè sonet huius expositionis sententia; quamque sit aliena à recepta Theologorum de acerbitate passionum Christi doctrina: certè prior sensus planior atque simplicior est; quem tradunt Latini tam veteres quàm posteriores. Congruit etiam quod sequitur,

Passiones Christi quæ Paulo dicãtur

An aliquis martyrum plura passus quàm Christus.

ITA ET PER CHRISTVM ABVNDAT CONSOLATIO NOSTRA. Coniunctio transposita. Nam Græca sic habent: *Ita per Christum abũdat & consolatio nostra*. Quæ eadem Hieronymi lectio est; annuitque textus Syriacus. Ita Christus, inquit, eos qui pro nomine ipsius patiuntur, non relinquit solatio destitutos: sed pro magnitudine passionum etiam consolationis materiam & effectum subministrat. Vt enim Christus nobis est afflictionis occasio; sic idem ipse etiam consolationis est causa; tam efficiens, vt Deus; quàm meritoria, vt homo pro nobis passus: quod genus causæ significari solet hac phrasi, *per Christum*. Videtur autem alludere Paulus ad id quod Dauid canit in psalmo 93, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*.

Christus consolationis nostræ causa duplici ratione.

6 SIVE AVTEM TRIBVLAMVR, PRO VESTRA EXHORTATIONE ET SALVTE. Hic rursus pro *exhortatione* reddi potuit, ac ni fallor, debuit, *consolatione*: tametsi commentator Ambros. hoc duntaxat loco exhortationem legit: *Siue autem*, inquit, *angustiam patimur, pro vestri exhortatione & salute*. Græci tractatores vtra significatione Græcam dictionem παράκλησιν acceperint, haud omnino liquet. Nam & interpretes eorum variant; alijs exhortationem, alijs consolationem vertentibus. At quia tam superiora quàm sequentia consolandi significationem exigunt; non est verisimile Paulũ in hac parte vocabulum idem Græcum diuersa significatione posuisse. Proinde videtur hic esse sensus: Siue affligimur; pro vestri consolatione & salute affligimur: quatenus scilicet afflictiones nostræ cedunt in vestri consolationem & salutem. Etenim magna reuera consolatio fidelium est in afflictione positorum, cùm vident apostolos, alioſque euangelij ministros, inter tot afflictiones & persecutiones, inuicto constantique animo prædicasse, & plantasse fidem Christi. Nam & ea res animum illis addit, vt & ipsi magistrorum suorum exemplo fortiter ferant aduersa, certi eam esse viam ad salutem, eodem apostolo testante, quod *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, Acto. 14. Hæc Caietani est expositio, Græcorum commentarijs consona: quam & Erasmus sequitur in paraphrasi. Confirmatur autem per ea quæ continuò sequuntur iuxta Græcam lectionem, de qua paulo pòst agemus.

Apostolorum afflictio fidelium consolatio, quo sensu.

SIVE CONSOLAMVR, PRO VESTRA CONSOLATIONE; SIVE EXHORTAMVR PRO VESTRA EXHORTATIONE ET SALVTE. Ita multi codices: secundum quos in vniuersum, tria sunt membra totius periodi; primum tribulationis, secundum consolationis, tertium exhortationis. Verùm præstantiores & antiquiores libri, ij maximè quibus in castigandis biblijs vsi fuere Theologi Louanienses, quibus addo veteres concordantias, medium membrum non agnoscunt. Qua de re consule notationes viri doctissimi F. Lucæ. Vnde satis apparet veterem interpretem id solum ex Græco in Latinum vertisse, quod alij codices habent tertio loco. Secundum verò membrum, *siue consolamur, pro vestra consolatione*, videtur insertum ex alia quapiam translatione; cùm id quod in Græco est, aliter atque aliter redditum fuisset Latinè: ac fortasse de reliquijs est Hieronymianæ correctionis, qua substitutum fuerit pro altero: sed nimia scribarum diligentia factũ, vt nec alterum textui deesset. Etenim tam Græci codices quàm Syriaci vnum duntaxat membrum hoc loco faciunt: quod quidem ex Græco, propter amphiboliam dictionum, verti poterat vtroque

Huius loci mẽbra tria, an duo.

Reliquiæ correctionis Hieronymianæ.

modo:

Græca lectio huius loci integra.

modo: cùm Syriaca lectio ſolã admittat verſionem, *Siue conſolamur*, &c. Nec vllo modo ſuſpicandum eſt Græca hic eſſe diminuta. Nã ſi coneris ſupplere, medio membro conſolationis addito, iam inepta erit in Græcis παυτολογία: cùm ſint eadem, vt dixi, in Græco vocabula, à noſtris variè reddita. Hoc ſanè quod de diuerſa harum vocum tranſlatione dicimus, accidit etiam alibi: velut Rom. 15, vbi vulgata verſio *conſolationem ſcripturarum* habet, idque rectè: textus autem Ambroſ. pro cõſolatione legit *exhortationem*, minus rectè: quemadmodum illic annotauimus. Rectius idem textus Ambro. hoc loco: *Siue conſolationem conſequimur, pro veſtri conſolatione & ſalute.* non addito membro exhortationis. Nam vtique de conſolatione ſermonem inſtituit apoſtolus, qua Deus ipſum in ſuis afflictionibus conſolatus fuerat; vt ſit ſenſus: Conſolationes etiam quibus nos Deus in afflictionibus recreare dignatus eſt, cedunt in veſtri cõſolationem & ſalutem: quia nimirum conſolatio magiſtri meritò diſcipulos excitabat ſpe conſolationis, ad ſimilia ferenda, quorum tolerantia proficiebat ad ſalutem. Quanquam illam particulam *& ſalute* multi Latini codices in hoc membro non addunt; vti nec in Syriaco legitur. Sed tamẽ in Græcis omnibus habetur: & planè ab Oecumenio exponitur. Eius omittendæ cauſa fuiſſe videtur, quod nõ appareret quomodo verbum ſubſequẽs *operatur* cum *ſalute* cohæreret: cùm nõ ſalus quæ in fine exſpectatur, ſed præſens conſolatio tolerantiam paſſionum operetur: ſalus autem ſit huius tolerantiæ effectus & præmium. Attamen quomodo bene cohæreat, ſtatim liquidò patebit. Illud quiſpiam mirabitur, in textu Romanæ caſtigationis adhuc exſtare huius loci tria membra: cùm Græcus textus, ſicut oſtẽdimus, non admittat plura duobus. Verùm non dubito quin correctores illi bene viderint vnum membrum hic redũdare ex diuerſa tranſlatione: ſed quia non eis conſtabat, variantibus exemplaribus, vtrùm ex duobus membris poſterioribus à noſtro interprete ſcriptum fuiſſet, iudicarunt vtrumque textui relinquendum: vt lectori vel expoſitori remaneret electio eius quod melius ac ſincerius ipſi videretur: aut certè, quia ſatis intelligebant, tertium membrum eſſe veteris interpretis; & tamen ſecundum, cuiuſcumque ſit, magis reſpondere menti ſcriptoris, id eſt, apoſtoli: non putarunt hoc quod melius eſt, & vulgatæ verſionis exemplaria iam occupauit, è textu pellendum eſſe.

Apoſtolorum conſolatio fidelibus adfert cõſolationẽ.

Romani correctores excuſati.

QVÆ OPERATVR TOLERANTIAM EARVNDEM PASSIONVM, QVAS ET NOS PATIMVR. Multa mss. legunt, *Quæ operatur in tolerantiam*; nonnulla verò, quibus accedunt veteres concordantiæ, *in tolerantia.* Quæ quidem eſt Græcorum codicum atque interpretum lectio. Nec ſenſu diſcrepat quod in Ambroſiano textu legitur *per patientiam.* Vt autem huius partis verum intellectum, à quo præter alios Latinos etiam Eraſmus & Caietanus aberrarunt, aſſequamur; oportet vt verbum *operatur* paſſiuè exponamus. Siquidem in Græco participium eſt paſſiuum ἐνεργουμένη, id eſt *effecta*, vt exponit Benedictus Arias: vel potius (quia præſentis temporis eſt participium) *quæ efficitur*: quomodo benè & dilucidè verterunt Oecumenij & Theophylacti interpretes. Eraſmus quidem meminit actiuæ lectionis ἐνεργούσης, ſed ea vix vſquam apparet. Nec à Rob. Stephano annotata eſt. Imò Chryſoſtomus apertè teſtatur Paulum non dixiſſe ἐνεργούσης, hoc eſt, *quæ efficit*, ſed ἐνεργουμένης, *id eſt, quæ efficitur.* Eſt igitur ſenſus apoſtoli: Quæ ſalus efficitur, gignitur ac paratur, obtinenda tandem à vobis per tolerantiam talium afflictionũ quales nos patimur: id eſt, per hoc quod ſimiles afflictiones patiẽter ſuſtinetis. Iam enim dictum eſt patiẽtiam ſalutis eſſe cauſam. De hac paſſiua Græci verbi ſignificatione, propter eos qui putant eſſe mediæ ſignificationis, pluribus agemus expoſituri illud Gal. 5, *Sed fides quæ per charitatem operatur.* & illud 2 Theſſ. 2, *Nam myſterium iam operatur iniquitatis.* Porrò ſciendum eſt toto hoc loco diuerſum eſſe textus ordinem in Græcis exemplaribus, ab eo qui eſt in Latinis. Nam Græca, quibus duo tantum membra ſuperius leguntur, hanc partem, *Quæ operatur* &c, priori membro ſubnectunt hoc modo: *Siue autem affligimur, pro veſtri conſolatione & ſalute; quæ efficitur in tolerantia earundem paſſionum, quas & nos patimur. Siue conſolamur, pro veſtri conſolatione & ſalute.* Tum ſequitur: *Et ſpes noſtra firma pro vobis:* niſi quod in editione Cõplutenſi ſeu Regia, & Aldina, aliiſq; non paucis antigraphis apud Rob. Stephanũ annotatis, hoc poſtremum, *& ſpes noſtra firma pro vobis*, conſequenter etiam priori membro ſubiungitur: quem eũdem lectionis ordinem itidem conſpicere eſt in Græcorum commentarijs: imò & in textu Ambroſiano. Ordinis confundendi præbuit occaſionem, vti conijcio, homœoteleuton duorum membrorum. Nec de vero ordine facilè eſt pronunciare; præterquam quod illis verbis, *& ſpes noſtra firma pro vobis*, melius conuenit locus quem habent in Latinis & pleriſque Græcis exemplaribus: quem etiam eis tribuit Hieronymus. Cæterùm editio Syriaca, quod ad ordinem attinet, planè conſonat Latinorum lectioni, iuxta quam hic ſequitur.

Verbum operatur paſſiuè exponendum.

Ordo textus in Græcis alius quã in Latinis.

7 VT SPES NOSTRA FIRMA SIT PRO VOBIS. Græcè, *Et ſpes noſtra firma pro vobis.* Eadem lectio cum addito verbo *eſt*, in multis eſt & melioribus Latinis mss. *Et ſpes noſtra firma eſt pro vobis.* Sic habent & concordantiæ veteres & biblia à Theologis Louanienſibus caſtigata. Quanquam ad ſenſum non admodum refert vtro modo legatur: quemadmodum & illud, vtrùm quod in Græco eſt ὑπὲρ ὑμῶν, Latinè reddas *pro vobis*, an *de vobis.* Nam ſenſus idem eſt: Spem, inquit, firmam & certam animo cepi pro vobis, id eſt, de conſolation-

& ſalute veſtra: idque propter communicationem paſſionum. Siquidem, vt ait Rom. 5, *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem: probatio verò ſpem: ſpes autem non confundit.* Vnde ſequitur.

Socij paſſionũ ſocij erunt & cõſolationis.

SCIENTES QVOD SICVT SOCII PASSIONVM ESTIS, SIC ERITIS ET CONSOLATIONIS. Interpres explicandi gratia de ſuo adiecit verbum *eritis:* cũ alioqui de proximo ſupplendum videretur *eſtis.* Itẽ ſocios dixit quod in Græco eſt, κοινωνοί, *participes*, vt alij vertunt: ſed vtrumque bene. Senſus: Cùm ſciamus, vel quia ſcimus, vti nobiſcum eſtis participes afflictionum, intellige patienter toleratarum; ſic & conſolationis fore participes. Conſolationem autem dicere videtur, quam in hac vita Deus afflictis impẽdit: vt exponit Caietanus. Nam de eiuſmodi conſolatione ſuprà locutus eſt. Adde quod in futura beatitudine propriè locum non habet conſolatio, quę eſt in malis: cùm illic nullum ſit malum. Veruntamen conſolationem præſentem conſiderat apoſtolus, velut arrham quandam ſalutis ac gloriæ futuræ; ſecundum id quod alibi dicit, *Si compatimur, vt & conglorificemur*, Rom. 8. Iuxta contextum Græcorum interpretum, de quo ſuprà, qui ſic habet: *Siue conſolamur; pro veſtri conſolatione & ſalute, ſcientes quod* &c, commodior eſt quidem huius partis coordinatio cum præcedenti: Nam iſtud, *Spes noſtra firma eſt pro vobis, ſcientes* &c, ſolœcam facit orationem; Verùm Paulo non eſt inſolens grammaticas leges negligere, dummodo cõſtet de ſenſu: quemadmodum probè conſtat hoc loco. Sic aliàs abruptè, ſine nomine & verbo, vtitur eodem participio; vt Rom. 13, *Et hoc ſcientes tempus*, &c.

Vbi nullũ malũ, cõſolatio locum non habet. Præſens ſanctorũ cõſolatio, arrha gloriæ futuræ.

Paulus negligit leges grãmaticas.

8 NON ENIM VOLVMVS IGNORARE VOS FRATRES DE TRIBVLATIONE NOSTRA QVÆ FACTA EST IN ASIA. Repetitur in Græco pronomen primæ perſonæ: *De afflictione noſtra quæ facta eſt* ſiue *quæ contigit nobis in Aſia.* Textus Syriacus & Amb. tantũ legunt poſteriore loco. Significatur autem Aſia minor, in qua eſt Epheſus. Commemorat apoſtolus afflictionem grauiſſimam qua preſſus fuerat, & ex qua liberatus conſolationem à Deo acceperat. Cuius nimirum occaſione dixit ſuperiora. Sed quænam illa fuerit afflictio, quæritur. Caietanus negat ſe quicquam authenticũ alibi de hac afflictione legiſſe. Theophylactus & Oecumenius Chryſoſtomum ſecuti, referunt ad eam quæ ſignificata fuit illis verbis prioris epiſtolæ c. 16, *& aduerſarij multi.* Quod non eſt veriſimile. Refert enim apoſtolus hãc afflictionem tanquam recentiorem, & quæ Corinthijs nondum innotuerit. Hoc enim vult ille ſermo, *Nolumus vos ignorare.* Qua ratione nec ad illud referri poteſt, *Si ad beſtias pugnaui Epheſi*, 1 Cor. 15, ſiue eædem fuerint illæ beſtiæ cum illis aduerſarijs, ſiue diuerſæ. Rectius igitur Theodoritus & Latini ferè omnes interpretantur hunc locum de tumultu aduerſus Paulum Epheſi per Demetrium argentarium concitato: qui deſcribitur Act. 19. Quamuis enim illa afflictio, quantum apparet ex narratione Lucæ, non admodum diuturna fuerit: grauiſſima tamen fuit, & periculi plena; vt in eam verè competant, quæ hic conſequenter à Paulo dicuntur. Nam de vno quodam periculo, non de pluribus eum agere, ſatis etiam illud arguit, quod inferius dicit iuxta fidem Græci textus: *Qui de tanta morte nos eripuit.* Porrò commemorat eam afflictionem, non vt aduentus ſui tarditatem excuſet, vti putant nonnulli: nam Epheſinus ille tumultus non tam fuit apoſtolo cauſa morandi diutius, quàm feſtinantius inde diſcedendi: quod patet ex ſequentis capitis viceſimi initio. Sic enim & alibi feſtinatò diſceſſit ac fugit, vbi periclitabatur; vt Damaſci, Iconij, Lyſtris, Acto. 9 & 14. Sed ea ratio eſt, vt hac tanti ſui periculi narratione beneuolentiam Corinthiorum ſibi conciliet, quẽadmodum annotauit Thomas: ſimul vt ad gratiarum actionem pro beneficio ſuæ liberationis Deo reddendam eos excitet. Hãc enim cauſam ipſe non multo pòſt indicat.

Cur hanc afflictionem ſuã Paulus cõmemoret.

QVONIAM SVPRA MODVM GRAVATI SVMVS, SVPRA VIRTVTEM. *Supra modum*, Græcè κατ' ὑπερβολὴν, *per exceſſum:* quomodo & alibi loquitur Paulus, vt in priore epiſtola cap. 12 ver. vlt. aliàs ὑπερβαλλόντως, *excedenter*, vt huius epiſtolæ cap. 11, vbi nos legimus, *in plagis ſupra modum.* Quod ſequitur, *grauati ſumus*, malo *fuimus.* Nam grauatum eſſe etiam præſenti tempori conuenit. Senſus: Scire vos volo, quod attinet ad afflictionem quam Epheſi paſſus ſum, eam vſque adeò grauem ac vehementem fuiſſe, vt & modum & vires meas exceſſerit, ita planè vt ei ferendę par nõ eſſem. Annotant Græci plus aliquid eſſe *ſupra vires* quàm *ſupra modum.* Nam ſupra modum eſſe dicuntur quæ permagna ſunt, etſi non omnino viribus maiora; quaſi ſupra mediocritatem. Iam quomodo non repugnet hic locus illi ſententiæ qua dixit 1 Cor. 10, *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*, ex illius loci commentario ſatis intelligi poteſt. Nam hoc quidem loco non aliud ſentire videtur apoſtolus, quàm afflictionem ſuam fuiſſe tantam, vt & communem modũ & vires ordinarias hominis etiam in Dei gratia conſtituti excederet; quam tamen ipſe ſuperauerit potentiore gratia roboratus. Alia ſolutio eſt, apoſtolum non dicere quod ſupra vires tẽtatus fuerit, ſed grauatus; ita nimirum, vt afflictio maior viribus fuerit, non tentatio. Tunc autem afflictio vires excedit, quando ſui magnitudine hominem opprimit & exſtinguit; etiamſi animus patiẽtiam non amittat. Et huic ſenſui conuenit quod ſequitur.

Quid differãt ſupra modum & ſupra vires. Quæſtio.

Solutio.

Alia ſolutio.

ITA VT TÆDERET NOS ETIAM VIVERE. Non abſurdè poteſt intelligi tædium vitę paſſus apoſtolus ob grauitatem afflictionis. Nã & beatus Iob inter aduerſa dixit, *Tædet animam vitæ meæ*, cap. 10. Cæterùm textus Ambroſianus ſic habet: *ita vt deſperaremus nos etiã*

Tumultus Demetrianus.

Tædium vitæ an paſſus apoſtolus.

viuere, id est, vitæ spem abijceremus. Quod voluit paraphrastes Syrus his verbis: *adeò vt propinqua esset vita nostra vt proijceretur*. Tertullianus quoque lib. de resurrectione carnis cap. 48 legit, *vt de vita hæsitaremus*. Atque in hanc sententiam alij quoq; interpretes vertere malunt verbum Græcũ alioqui ambiguum ἐξαπορηθῆναι: quod idem legitur infrà cap. 4, vbi noster vertit, *sed non destituimur*. Itaque sentit apostolus pressuram malorum fuisse tãtam, vt nec spes nec consilium esset euadẽdi: quomodo 1 Reg. 23 de Dauide legimus quod *desperabat se posse euadere à facie Saul*. Sensum hunc exprimunt etiam Græcorum scholia. Fauet item quod sequitur.

Vitæ desperatio in Paulo.

9 SED IPSI IN NOBISMETIPSIS RESPONSVM MORTIS HABVIMVS. Cõnexio talis est: Adeò vt non sperarem me superuicturum; sed responsum mortis in memetipso haberem, id est, omnino existimarẽ me moriturum. Quidam responsum mortis dici putant metaphora sumpta à crisi medicorũ: ac si diceret apostolus, se & suo & aliorum iudicio non potuisse mortem euadere: quomodo propter certa morbi symptomata de ægroto iudicare solet medicus. At medici iudiciũ hoc non ὑπόκειμα, sed κρίσιν appellant. Potius arbitror phrasim esse Hebræam, qua significetur sententia, dictamen, decretum mortis. Nam (respondere) pro (dicere) consuetudo scripturæ est, vt Dan. 4 ver. 27, Matth. 11 v. 25, Marci 12 v. 35. Sensus igitur apostoli est: pressuram tam grauem fuisse, vt non aliud ipsi loqui videretur quàm mortem instantem: vel, vt ipse sibi in animo non aliud loqueretur, ac de se non aliter statueret, quàm sibi moriendum esse. Quem posteriorem sensum habet interpretatio Syriaca: *Et de his sententiam mortis tulimus*. Significat in extremo vitæ periculo, certaque mortis exspectatione positum se fuisse.

Responsũ mortis quod dicatur.

Respõdere pro dicere.

VT NON SIMVS FIDENTES IN NOBIS SED IN DEO. *In nobis*, Græcè ἐφ' ἑαυτοῖς, *in nobis ipsis*, quod magis emphaticum est. Vt ne confidamus, inquit, nostris viribus, id est industriæ, prudentiæ, consilio nostro: sed auxilio Dei. Declarat fructũ quem electis adferre solet afflictionis magnitudo. Qui fructus est, non sibi fidere, sed ad Dei auxilium in omnibus respicere, & dicere cum propheta: *Oculi mei semper ad Dominum*, psal. 24.

Fructus magnarũ afflictionum, non sibi fidere, sed Deo.

QVI SVSCITAT MORTVOS. Id est: qui nõ tantũ viuentes seruare potest, & eripere periculis; verũ etiam mortuos ad vitam reuocare: quod quidem multis exemplis comprobauit.

10 QVI DE TANTIS PERICVLIS NOS ERIPVIT ET ERVIT. Verisimile est interpretẽ scripsisse *& eripit*: maximè cùm & futurum eiusdẽ verbi continuò sequatur, *eripiet*. Cur enim verbũ diuersum, idque ambigui tẽporis hîc interposuisset: cùm idem Græcis sit verbum? Sic autẽ habent: *Qui ex tanta morte eripuit nos & eripit*. Mortem vocat mortis periculum, sicut infrà cap. 11, *in mortibus frequenter*. Quo sensu dixit etiam in priore epistola cap. 15, *Quotidie morior*. Chrysostomus plurali numero legit, *è tantis mortibus*. nec non Origenes homilia 11 super Leuitic. & inter Latinos Ambrosiaster, cuius textus sic habet, *Qui de tantis mortibus liberauit nos & liberat*. Ex quibus apparet olim exstitisse Græcos codices, qui pluralẽ numerũ haberent: quos secutus vetus noster interpres, reddita sententia, verterit, *de tantis periculis*. Nunc tamen in omnibus Græcis legitur, vt dixi, *de tanta morte*. Quæ eadem lectio est Theophylacti & Oecumenij & Syri interpretis. Cæterum apostolus addens etiam præsentis tẽporis verbum, *& eripit* seu *liberat*; innuit se nihilominus adhuc versari in continuis periculis, quorũ semper alia alijs succedant, etsi non omnia paris grauitatis. Nec enim verbũ *eripit* referendum ad tantam mortem, sed ad mortes simpliciter, id est, mortis pericula: secundum illud quod dixit 1 Cor. 4, *Vsque in hanc horam persecutionem patimur*.

Mors pro mortis periculo.

IN QVEM SPERAMVS, QVONIAM ET ADHVC ERIPIET. *Speramus*, Græcè ἠλπίκαμεν, *sperauimus*, id est, spem collocauimus: & vt Erasmus & Hentenius verterunt, *spem fixam habemus*. Estque illud præteriti temporis verbũ hac ipsa significatione frequẽs in scriptura veteris testamẽti, nominatim in psalmis, idq; ex proprietate linguæ sacræ. Qua de re vide quæ diximus ad illud 1 Cor. 15, *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus*. Habẽt Græci sua quædam huic similia præteriti temporis verba; quemadmodum obseruat Erasmus: vt δέδια, timore correptus sum: γέγηθα, gaudio affectus sum. Sensus: In quo spem firmam collocatam habemus, quod & deinceps erepturus sit, scilicet è malis adhuc obuenturis.

Sperauimus quid significet.

11 ADIVVANTIBVS ET VOBIS IN ORATIONE PRO NOBIS. Græcè, *Cooperantibus & vobis pro nobis oratione seu deprecatione*. Quanquam in Græco non est consuetum compositum συνεργέντων, sed tricompositum συνυπεργέντων, quod significat cooperationem subseruientẽ. Hinc alius quidã sic vertẽdum putat: Vobis item vnà pro nobis deprecationi subseruiẽtibus: tametsi magis placet vt sexto casu reddatur tertius Græcus, τῇ δεήσει, *deprecatione*, seu *per deprecationem*, vti vertit Erasmus; Nec tã significetur cooperatio subseruiẽs quã suffulciẽs ac sustentans. quasi dicat apostolus: Idq; maximè futurũ confido, si vos mihi per orationes vestras ad Deũ pro me fusas subsidio fueritis. Interpres Ambr. sensum ita dedit minus plenè: *Accedente pro nobis etiam vestra oratione*. Magna Pauli modestia, qui passim aliorum precibus se commendat: nec in ea re metuit offensam vnius mediatoris Christi: quam stolidè nobis catholicis suffragia sanctorum cum Christo regnantiũ implorãtibus, obijcere solẽt hæretici. Nec verò si propriè loquẽdũ sit, dũ id facimus, mortuos inuocamus: quod odiosè nobis impingũt sectarij. Scimus enim eos qui mortui sunt, non esse, donec resuscitentur ad vitam. Sed animas inuocamus

Humilitas Pauli petentis aliorũ pro se preces. Sanctorũ pro nobis suffragia. An mortuos inuocẽt catholici, quod eis impingunt hæretici.

eorum qui in Domino mortui ſunt: quas viuere & cum Chriſto regnare qui negat, apertis ſcripturis contradicit.

VT EX MVLTORVM PERSONIS, EIVS QVÆ IN NOBIS EST DONATIONIS, PER MVLTOS GRATIÆ AGANTVR PRO NOBIS. *Ex multorum perſonis.* Ita legimus ex caſtigatione Romana: cũ priùs in omnibus pænè libris ſcriptũ haberetur, *ex multarum perſonis facierum.* Nã & Græca tantũ habẽt, ἐκ πολλῶν προσώπων. Sed cũ dictio πρόσωπον & faciem & perſonã ſignificet; & duo genitiui ſic accipi poſſint, vt alter ab altero regatur: hinc accidit interpretationis varietas, vt quatuor modis hæc particula verti poſſit: *Ex multis faciebus. Ex multis perſonis. Ex multorum faciebus. Ex multorũ perſonis.* Quo poſtremo modo noſtrũ interpretẽ vertiſſe veriſimile eſt. Cũ autem in quibuſdã codicibus ex alia verſione, fortè non minus antiqua, legeretur, *ex multorũ faciebus* (quò propinquant exẽplaria Malmundarienſe maius, & Conſtantienſe, quæ habẽt *ex multorum facie.* & textus Ambroſ. qui ſine præpoſitione legit *multorum faciebus*) inde factum improba ſcribarum diligentia, vt in codicibus vulgatæ editionis ſimul vtrũq; vocabulum legeretur, altero in genitiuũ mutato. Latini veteres excepto Amb. quid legerint, nõ liquet, niſi quãtum colligi poteſt ex eorum cõmentarijs. Pelagius & Sedulius exponunt, *ex multorũ conuentu.* Primaſius, *ex multarum conuentu perſonarum.* Nec illud prætereũdum eſt quod admonet gloſſator ordinarius, aliã trãſlationem habere *in multorum facie.* Quod & legitur in prioribus editionibus textus Ambroſiani: nec diſſonat ab eo quod legit Chryſoſtomus ἐν πολλῷ προσώπῳ, *in multa facie*; ſiue *in multis faciebus:* niſi fortè litera ν deſideratur, vt legendum ſit ἐν πολλῶν προσώπῳ, *in multorum facie*; vt planè cõueniat cum dicta tranſlatione Latina. Præter hæc notanda peculiaris ac rara locutio, qua paſſiuè τὸ χάρισμα εὐχαριστηθὲν dicit apoſtolus, id eſt, pro dono ſeu doni cauſa gratias agi: quod etiam Latinè dici poſſet, tametſi minus explicatè; donum gratum & acceptum haberi. Iam & illud διὰ πολλῶν, *per multos*, etiam verti poteſt, *per multa*, id eſt, Oecumenio exponente, *multis modis.* Quãquam id Paulum voluiſſe non eſt veriſimile. Non enim alio ſenſu dixit hoc loco διὰ πολλῶν, quã infrà cap. 9 in ſermone ſimili: *Sed etiam abundat in hoc quod per multos gratia agantur Deo,* iuxta Græcam lectionẽ: vbi multos homines intelligi non eſt dubiũ. Eundẽ Oecumenium *pro vobis*, non *pro nobis* legiſſe, perſpicuè docet eius cõmentarius. Quæ lectio etiã aliorum eſt codicũ non paucorum, Græcorum & Latinorum: cuius & gloſſa meminit inter lineas ſcripta. Sed tamen plures vtriuſque linguæ codices primam habent perſonam: Græcis item tractatoribus Theodorito & Theophylacto, nec non interprete Syro ſuffragantibus: denique & contextu propenſius eam optante. Nunc vt ſenſum adferamus probabilem huius loci qui multos torſit: primùm arbitror vulgatã lectionem Græcam in Latinã ita commodè trãsferri poſſe, quomodo trãſtulit Eraſmus: *Vt ex multis perſonis, pro dono in nos collato, per multos gratiæ agantur pro nobis.* Quidam verò ſic exponunt: Multis vobis pro me orantibus, fiet vt propter beneficium liberationis & incolumitatis, *ex multis perſonis*, id eſt, reſpectu multorum in me collatum, etiam *per multos* gratiæ Deo pro me agantur. Senſum hunc meditatus eſt Valla: quibuſdam alijs probantibus: eumque ſuggerit ordo verborum, qui eſt apud Ambroſiaſtrũ: *Vt quod multorum faciebus donum in nos collatum eſt, per multos in gratiarum actione celebretur pro nobis.* Nec tamen erit diuerſus ſenſus, ſi cum Theophylacto verba apoſtoli diſtinguas ad hunc modum: Vt *ex multis perſonis*, id eſt, à multis hominibus, pro dono in nos *per multos*, id eſt, ob multorum preces collato, gratiæ Deo pro nobis agantur. Huic conſtructioni Græca non refragantur: ſicut de priori cenſet Eraſmus, propter articulum minus aptè poſitum ad eam ſententiam. Quanquam illud *per multos*, melius ad ſequentia refertur, id eſt, ad gratiarum actionem, velut infrà cap. 9, verbis paulo antè citatis. Quod ſi iuxta vetera quædam exemplaria quorum ſuprà memini, legamus *in multorum facie*, ſenſus occurret huiuſmodi: *Vt inter multos & coram multis* (quomodo gloſſator Auguſtini nomine eam lectionem interpretatur) & *in magna hominum frequentia* (quomodo Chryſoſtomum ſimiliter legentem exponit Eraſmus) pro dono liberationis in nos collato, per multos itidem gratiæ Deo pro nobis agãtur. nimirum vt multi ſint clara voce gratias agentes: idque fiat coram multis, id eſt, in publico fidelium cœtu. Sic enim loquitur Dauid: *In medio eccleſiæ laudabo te*, pſal. 21, &, *Confitebor tibi in eccleſia magna, in populo graui laudabo te*, pſ. 34. Hic commentarius in ſpeciem probabilis eſt. Sed tamen obſtare ei videtur, quod ἐν προσώπῳ pro eo quod eſt coram & in conſpectu, non inuenitur aliâs vſurpatum in ſacris literis: quemadmodum oſtendemus ad illud proximi capitis, *in perſona Chriſti.* Vt igitur à vulgata Græca lectione non recedamus; exiſtimo ſenſum quem primo loco dedimus, cæteris eſſe præferendum: & collocationem articuli de quo ſcrupulum mouet Eraſmus, non minus vrgendam: ſed perinde accipienda verba apoſtoli, ac ſi reducto antorſum articulo, dixiſſet: ἵνα τὸ ἐκ πολλῶν προσώπων εἰς ἡμᾶς χάρισμα. Nam articuli ritè collocãdi non ita magnam rationem habuiſſe Paulum, qui ſe fatetur *imperitum ſermone*, infrà cap. 11, facilè crediderim. Cuius rei ne longè petamus exemplum: en obuium eſt in verbis proximè præcedentibus: *adiuuantibus & vobis* ὑπὲρ ἡμῶν τῇ δεήσει. Quod ipſe Eraſmus ita vertit, *per deprecationem pro nobis*: tanquam à Paulo ſcriptum eſſet, τῇ ὑπὲρ ἡμῶν δεήσει. Quin & huius partis ſenſum quem

proba-

Locus Gratiæ tranſlatus & ſcriptus.

Græci verbi rara acceptio.

Huius loci Variæ expoſitiæ.

Senſus maximè probabilis.

probamus, idem Erasmus in sua paraphrasi nõ obscurè approbat, apostolum ita loquentem faciens: *vt quemadmodum multorum votis, & in multorum commodum, seruamur: ita multifariam per multos agantur gratiæ Deo pro nobis seruatis.* Porrò docet hic locus, vbi multi Deum orant, non solũ facilius id quod petitur impetrari, (quia difficile est multorum preces non exaudiri.) verũ & alterũ fructum insignẽ continuò sequi: vt ijdem multi, de dono vel donis impetratis, Deo gratias agãt. Qui quidem fructus quia semper cum lætitia coniunctus est, & cum beatis in æternum permansurus; vtique summopere est exoptandus.

Fructus orationis multorũ.

Gratiarũ actio in beatis sẽper duratura.

12

NAM GLORIA NOSTRA HÆC EST, TESTIMONIVM CONSCIENTIÆ NOSTRÆ. Rationẽ adfert fiduciæ qua dixerat, *In quẽ speramus, quoniam & adhuc eripiet. Gloria*, Græcè καύχησις, *gloriatio.* Sensus: Id de quo glorior & in quo confido coram Deo, testimonium est conscientiæ meæ. quasi dicat, Propterea spero me liberatũ iri à Deo è pressuris quæ mihi adhuc instant; quia bene mihi conscius sum, ac de eo gloriari possum apud vos. Bona quippe conscientia fiduciã parit impetrandi: Ioanne testante 1 epistolæ 3, *Si cor nostrum non reprehenderit nos; fiduciam habemus ad Deum; & quicquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus.* Meminit autem glorię propter pseudapostolos æmulos suos; contra quos apertius suã causam agit infrà post medium epistolæ.

Bona cõscientia fiduciam parit impetrandi.

QVOD IN SIMPLICITATE CORDIS ET SINCERITATE DEI. *Cordis* in Græco & Syriaco non additur. Vetustiores quoque Latinos non legisse satis perspicitur ex eorum cõmentarijs: quibus addo Lõbardũ, Aquinatẽ, Liranũ, Carthusianũ. Postremò nec Augustinus in Speculo, nec veteres cõcordantię, nec in vllis exemplaribus castigatio Louanienſis, agnoscũt. Irrepsit huc, opinor, ex alijs scripturæ locis, in quibus simplicitas cordis commẽdatur, vt Sap. 1, Ephes. 6, Col. 3, eoq; facilius, quod ad explendã sentẽtiã desiderari videretur. Verũ alibi sępe, simplicitas ad animũ relata legitur in scripturis, nõ addito genitiuo *cordis* aut *animi*, vel in hac ipsa epistola: vt c. 8, 9, 11. Vocabulũ (*Dei*) non ad solã sinceritatẽ, vt quidã volunt, sed etiã ad simplicitatem refertur; nõ vt sensus sit, *in simplicitate & sinceritate Dei*, id est, *quomodo Deus simplex est & sincerus*; vt exponit Pelagius: sed vt simplicitas & sinceritas Dei dicatur, quæ Deo digna est, aut, quæ ex Deo est, aut, quod magis germanũ puto, quę corã Deo talis est: vera scilicet ac minimè fucata animi simplicitas atque sinceritas; quẽadmodũ iusticia Dei vocatur vera & corã Deo iusticia, Rom. 1, 3, 10, & gloria Dei gloria corã Deo, Rom. 3 v. 23. Sensum hunc explicat illud 1 Thess. 2, *Ita loquimur, nõ quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra.* Dicit igitur apostolus, suã conscientiam sibi testari, quod simplici, recto & sincero animo, qui Deo iudice probetur, conuersatus sit. Simplicitas hæc opponitur duplicitati, dum quis aliud agens, aliud intendit. Sinceritas autem ipsam intentionẽ rectificat: de qua sic eodem loco ad Thessal. *Neque enim*, inquit, *aliquando fuimus in sermone adulationis: neq; in occasione auaritiæ: nec quærentes ab hominibus gloriam.*

Simplicitas & sinceritas Dei quæ dicatur.

Simplicitati quæ duplicitas opposita.

Sinceritas intẽtionem rectificat.

ET NON IN SAPIENTIA CARNALI. *Et* Græcis abest: nec non Latinis quibusdam antiquis: verùm id absque sensus detrimẽto. Sapientiã carnalem intelligit eã, quam in priore epistola vocauit humanam, & huius mundi, & sæculi sapientiam, cap. 1 & 2, & à qua quosdam appellat *sapientes secundum carnem*, ibidẽ cap. 1, id est, sapientiam humano studio atque ingenio comparatam; cuiusmodi fuit sapientia philosophorum.

Sapientia carnalis quæ.

SED IN GRATIA DEI CONVERSATI SVMVS IN HOC MVNDO. Græcè & Syriacè, *in mundo*, sine pronomine. Quemadmodum & legit Augustinus in Speculo: item Primasius & veteres concordantiæ. Notandum est apostolum duo à se remouere, ac duo sibi asscribere. Primũ sibi tribuit simplicitatẽ ac sinceritatẽ conuersationis in munere apostolico: per quod tacitè remouet à se viciũ hypocrisis, ac deprauatę intẽtionis; quo laborabant eius aduersarij. Deinde sapientiam carnalem à se excludit, opponẽs ei & agnoscens in se gratiã Dei. Huius autem oppositionis ea ratio est; quia si Christus & apostoli fuissent vsi sapientia sæculari in prædicando euangelio: iam conuersio hominum ad fidem non fuisset attributa gratiæ & potentiæ Dei, sed hominum sapientiæ. Quod manifestè significant illa apostoli verba prioris epistolæ cap. 2, *Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Quo & illud pertinet quod eiusdem epistolæ capit. 1 dixit se missum à Christo *euangelizare, non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi.* Et iterum, *Ea quæ stulta sunt mundi, Deum elegisse, vt confundat sapientes; vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Hoc igitur est quod nunc apostolus dicit: suam conscientiam præter cætera sibi testari, quod non vsus fuerit adminiculo sapientiæ sæcularis: sed à gratia Dei fructum suæ prædicationis exspectans, in apostolico munere versatus sit apud homines. Gratiam Dei dicere videtur, gratuitam ac potentem Dei operationem, tam in signis exterioribus miraculorum quę per eum Deus faciebat, quã in occulto tractu plurimorũ ad credendũ euangelio peripsum prædicato: vt cõueniat quod hic dicitur, cum verbis modò citatis ex priore epistola: *Sed in ostensione Spiritus & virtutis.* ac rursus, *In virtute Dei.* Cæterum obliquè notat apostolus toto hoc versu pseudapostolos, qui nec syncerè, sed quæstus & gloriæ captandæ studio: nec in gratia Dei, sed in sapientia carnali Christum prædicabant.

Sapientia carnali cur gratiã Dei opponat.

Gratia Dei quæ dicatur hoc loco.

ABVNDANTIVS AVTEM AD VOS. Vel *apud vos*, vt habet textus Ambro. vel *erga vos*, vt alij verterunt, quod Græcè est πρὸς ὑμᾶς. Dicit *abundantius* siue *potissimum apud vos*. nō quod apud alios minus sincerè conuersatus fuisset: sed quia maiora sinceræ suæ conuersationis argumēta apud Corinthios ostēderat: vt quibus gratis ac sine stipendio prædicasset euangelium, parcens eorum infirmitati.

13 NON ENIM ALIA SCRIBIMVS VOBIS, QVAM QVÆ LEGISTIS ET COGNOVISTIS. In Græco verbis præsentis temporis sic legitur: *quam quæ legitis aut etiam cognoscitis*. Latini codices in tempore variant. Vulgares habent, *legistis & cognouistis*: præstantiores *legistis & cognoscitis*: pauci sed præstantissimi, *legitis & cognoscitis*, quibus annuūt & veteres concordantiæ, & tā textus quā commentarius Amb. Syrus quoq; præsentis temporis verba reddidit. At quoquo modo legas, obscura est sentētia propter verbū *legitis* aut *legistis*: id quod alij ad præsentē epistolā, alij ad priorem referunt; quasi sensus sit, ea quę scribimus de nostra sincera cōuersatione, consentanea sunt ijs quæ in hac epistola legitis: vel quæ in priore legistis. Caiet. de vtraq; simul exponit. Verū difficultas remanet, quomodo rectè doceat apostolus ea quę scribit vera esse, ex suis ipsius scriptis, quæ legere possent Corinthij: cū nemo seipsum legitimè sibi testem assumat, ipso etiam Domino teste, Ioannis 5, *Si*, inquit, *ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum*. Addit quidem apostolus, *Et cognoscitis*: quo verbo ad ipsorū Corinthiorum conscientiam sese refert. Sed per hoc non tollitur scrupulus quem facit verbum *legitis*. Tolletur autem penitus, si pro *legitis*, ex Græco vertas, *recognoscitis*, seu *recordamini*. Nam Græcum verbum ἀναγινώσκετε significat vtrumque. Sanè Theophylactus cùm nō satis se expediret in reddendo sensu apostoli secundum priorem magisq; receptam Græci verbi significationē: cōfugit ad hāc posteriorē; quam & videre est expressam à Syro interprete. Is enim Græca sic vertit: *quā ea quæ agnoscitis, & vobis persuasa habetis*. Erit igitur hic sensus: Non sunt vana quæ scribo de recta & sincera mea apud vos conuersatione. Vos ipsi mihi testes estis. Neq; enim alia scribo, quàm quæ vos ipsi recognoscitis, id est, quorum facilè meminisse potestis: & quæ etiamnum experimento cognoscitis. Vis sermonis apostolici esse videtur in duabus præpositionibus, verbū γινώσκετε cōponētibus, ἀνά & ἐπί, quasi dicat: & recognoscitis antiqua, & insuper etiā cognoscitis recentia.

Lectionis Varietas.

Locus obscurus.

Illustratus.

SPERO AVTEM QVOD VSQVE IN FINEM COGNOSCETIS. Græcè cum interposita copula, *quod & vsque*. Erasmus & Hentenius: *quod vsque ad finem quoque cognoscetis*.

14 SICVT ET COGNOVISTIS NOS EX PARTE. Addens *ex parte* perstringit Corinthios, quod plus satis auscultantes æmulis & obtrectatoribus Pauli, minus adhuc bene & honorificè de suo apostolo sentirent. Sunt qui illud *ex parte* ad cognoscētes referant, hoc sensu: Quidam vestrūm, nō omnes, cognouistis integritatem meam. Non enim sum nescius, istic esse *quosdam, qui arbitrentur nos tanquam secūdum carnem ambulemus*, infrà cap. 10. Sed melius ad rem cognitā, id est, ad Paulū refertur, sicut exposui. Nā & alibi sic loquitur, vt 1 Cor. 13, *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*.

QVOD GLORIA VESTRA SVMVS. Græcè καύχημα *gloriatio*, quam & vox Syriaca significat. Porrò dubium est, vtrùm illa præcedentia, *Spero autem quod vsque in finem cognoscetis: sicut & cognouistis nos ex parte*, referenda sint ad superiora, vt sit sensus: Spero quod etiam deinceps semper magis ac magis experturi sitis & cognituri vera esse quæ scribo de integritate meæ conuersationis: quēadmodum & nunc aliquousque me talem esse, re & experientia cognouistis; An verò cohæreant cū eo quod sequitur: *quod gloria vestra sumus*. videlicet hoc sensu: Spero vos vsque in finem cognituros, sicut iam ex parte cognouistis, nos esse gloriam vestram. Qui totum ad superiora referunt, hic non legunt *quod* sed *quia*: idque causaliter accipiunt. Vtrumq; enim significat Græcum ὅτι, & in Latinis codicibus vtrumq; reperitur. Imo plerique omnes mediæ ætatis enarratores vnà cum glossatore & Ambrosiastro *quia* legerunt. Veruntamen nobis magis probatur eorum distinctio qui priorem partem ad superiora, posteriorem verò hùc referunt. Et prioris quidem partis sensus iam patet: posterior autem sic exponitur: Quemadmodum & iam ex parte de me cognouistis & persuasum habetis, quod sim gloria siue gloriatio vestra; hoc est, quod ex me sit vobis gloriandi materia: nempe quòd nacti sitis talem apostolum, támque sincerum euangelij prædicatorem, qui non sua quærat, sed tātum ea quæ Iesu Christi sunt ac vestræ salutis. Ne verò, tāquam immoderatius sese efferens, arroganter hoc dicere videatur; addit quod ad laudem Corinthiorum faciat.

Huius loci Varia cōstructio

Distinctio probabilior.

Paulus gloria Corinthiorū quo sensu.

SICVT ET VOS NOSTRA IN DIE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Græcè tantum, *in die Domini Iesu*. tametsi textus Syriacus Latino consonat. Hæc pars, *In die Domini* &c, nō ad vtrumque membrum præcedens referēda est, sed tantum ad istud, *Et vos nostra*, scilicet gloria seu gloriatio, estis. Sentit enim apostolus, se vicissim in aduentu Domini ad iudicium, de Corinthijs gloriaturum, tanquam apud quos egregiè laborauerit, non sine copioso fructu fidei & salutis eorum: ac proinde quasi dicturum ad iudicem Christum: *Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce, alia quinque superlucratus sum*: vt vicissim audiat illud, *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudiū Domini tui*, Matth. 25.

Corinthij gloria Pauli.

15 ET HAC CONFIDENTIA VOLVI PRIVS VENIRE AD VOS. In Græcis hic ordo est: *Et hac fiducia volebam ad vos venire prius*, vt

intelligas

intelligas aduerbium *prius* non cum verbo *volebam*, ſed cum *venire* conſtruendum eſſe. *Volebam*, Græcè ἐβουλόμην. Quod ſignificat velle cum conſilio ac deliberatione, videlicet deductum à nomine βουλὴ, *conſilium*. Delabitur apoſtolus ad excuſationem dilati ſui aduentus, rationem redditurus cur iuxta promiſſum ad eos nondum venerit. Cùm autem hactenus plurali numero de ſe locutus fuerit, vtique modeſtiæ cauſa, quod verſaretur in ijs commemorandis quæ ad ſuam laudem pertinerent: hic iam vbi de purganda culpa agitur, numerum mutat, ac ſingulariter de ſe loquitur: ne quenquam alium inuoluere ſecum in cauſam videatur. Hac, inquit, fiducia veſtrę bonæ exiſtimationis de me, quæ ſpem dabat, fructum me vobis aduentu meo allaturum; conſtitueram ad vos venire prius, id eſt, primũ, iam pridem; vel, priuſquam in Macedoniam proficiſcerer. Vtra expoſitio potior ſit, ex ſequentibus iudicabitur.

Modeſtia Pauli.

VT SECVNDAM GRATIAM HABERETIS. Hoc eſt: vt ex ſecundo meo aduentu ſecundam acciperetis gratiam, qui dudum accepiſtis primam, quando primum iſtuc veniens ad fidem vos conuerti. Annotat Oecumenius χάριν, id eſt, *gratiam*, hic ab apoſtolo dici χάρην, id eſt, *gaudium*. Sunt etiam qui arbitrentur apoſtolum non χάριν, ſed χάρην ſcripſiſſe. Siquidem & Theodoritus χάρην legit & exponit. Verùm hi non ſatis attendiſſe videtur ad morem ſermonis apoſtolici. Nam & alibi ſic loquitur, velut Roman. 1, *Deſidero videre vos*, inquit, *vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis*. Gratiam igitur intelligit ſpirituale beneficium ad veram pietatem pertinens, vti ſunt fides, ſpes, charitas, cæteræque Chriſtianæ virtutes & earum incrementa. Cuiuſmodi ſanè beneficium accepturi erant Corinthij per apoſtoli ſui miniſterium, ſi ad eos veniſſet. Nam, vt ex priore conſtat epiſtola, multa Corinthijs adhuc deerant, tam fidei quàm morum doctrinam ſpectantia, quæ præſentem curam magiſtri poſtularent. Hinc, opinor, in textu Ambroſiano legitur, *vt plenam gratiam haberetis*. Apparet autem ex his verbis apoſtolum antea ſemel tantum Corinthi fuiſſe, quoniam hic ſecundæ gratiæ meminit. Sed hoc an ita ſit: & ſi ita eſt, quomodo non ſit ei contrarium quod infrà cap. 12, ac rurſum cap. 13 ſcribit ſe tertiò venturum ad Corinthios: diſcutiemus quum ad eum locum capitis 12 peruentum erit. Iuxta eos qui Paulum prius quàm hæc ſcriberet, ſecundò Corinthum adijſſe putant, dici poſſet gratiam ſecundam hic intelligi gratiã iteratam quocumque numero. Nam Græcum δεύτερον aliquando ſignificat iteratum, ſiue poſterius; non habita numeri ratione. Quod autem Græci ſecundam gratiam interpretantur gratiam geminam ſeu duplicatam, epiſtolæ nimirum, ac deinde præſentiæ Pauli (quod ſecutus Eraſmus vertit, *vt geminam apud*

Quam Paulus gratiam hoc loco vocet.

Secunda gratia.

16 *vos inirẽ gratiam*) mihi longius petitũ videtur.

ET PER VOS TRANSIRE IN MACEDONIAM: ET ITERVM A MACEDONIA VENIRE AD VOS. Supple è verſu præcedenti *volui* ſeu *volebam*. Quæritur quo pacto conſentiant iſta cũ illis quæ ſcribit in priore epiſtola cap. vltimo. Nam illic vẽturum ſe pollicetur poſtquam Macedoniam pertrãſiſſet. Hæc autem verba planè ſignificãt eum prius voluiſſe Corinthum ire: atq; inde tranſire in Macedoniã. Fortè putabit quiſpiã eum loqui de promiſſo quo dixerat cap. 4 prioris epiſtolæ: *Veniam ad vos citò*. Verùm ſi id dixit cogitans priùs Corinthum venire quàm iret in Macedoniã: igitur in eadem epiſtola mutauit conſilium, vtpote poſteà ſcribens ſe priùs in Macedoniã profecturum. Quam in vna eadémque epiſtola conſilij mutationem Paulo aſſcribere, neſcio an ſit boni interpretis. Et nos quidem illa duo promiſſa non eſſe inter ſe contraria, ſuis locis oſtendimus. Ad quæſtionem itaque reſpondẽt Chryſoſtomus & Theophylactus, Paulum non dicere, Scripſi me per vos tranſiturum in Macedoniam: ſed *volui*, tanquam diceret, Plus volui quàm ſcripſi. Nam animus mihi fuit ad vos proficiſci prius etiam quàm iturus eſſem in Macedoniam. Eodem ferè modo reſpondent Theodoritus & Oecumenius. Secundum iſtos igitur non ſibi contrarius eſt Paulus; ſed hic aliquid amplius dicit ſe voluiſſe quàm in priore epiſtola ſcripſerat: hoc eſt, non modò poſt iter Macedonicum; quemadmodum illic pollicitus eſt, verùm etiam ante illud inuiſere Corinthios. Sed huic Græcorum reſponſioni poteſt obijci: Si Paulus voluit tantum, & non ſcripſit, neque per nuncium mandauit (id enim tantumdem eſſet ac ſi ſcripſiſſet) quid opus erat vt de eiuſmodi voluntate ſeu propoſito non impleto ſeſe in epiſtola tã operosè purgaret? Deinde: ſi ſcripſit ſe priùs inuiſurum Macedones quàm Corinthios; vt ex priore epiſtola eſt manifeſtum: mox autem aliud voluit, nẽpe priùs ire Corinthum quàm in Macedoniã: & hanc rurſus voluntatem commutauit cum priore: non ſemel igitur, ſed ſecundò mutauit conſilium. Quæ res certè maioris inconſtantiæ ſpeciem habet. Nec verò de ea ſe Paulus excuſat, ſed de vna tantum conſilij mutatione, ſignificata per vnum *eſt & non*. Illud meo iudicio veriſimilius, quod apud Aquinatẽ & Liranum hac de re legitur: apoſtolũ Paulum in prima epiſtola ad Corinthios data, quæ nõ exſtat, & cuius mentionẽ facit in epiſtola ſuperiore c. 5 (*vel per nuncium*, addit Thomas) promiſiſſe Corinthijs id quod hic refert; nẽpe ſe priùs vẽturum ad eos, quã iret in Macedoniam. Cæterũ poſtea mutato conſilio in ſecũda epiſtola quæ nobis prima eſt, ſcripſiſſe quod priùs in Macedoniã profecturus eſſet, atque inde venturus Corinthum. Quod quia priori promiſſioni contrarium erat, de eo nunc, inquiunt, apoſtolus ſeſe excuſat. His ſimilia cõmentatur Caietanus. Vtcũque verò

Quæſtio de cõſenſu dictorum Pauli inter ſe.

Græcorũ reſponſio.

Refellitur.

Alia reſpõſio probabilior.

se res habeat de prima epistola non exstante, cuius hic mentionem Caietanus non facit: & de qua quid nobis videatur, suo loco diximus: in eo sanè videntur admodum loqui probabiliter authores isti, quod promissionē de qua non præstita se nunc apostolus excusat, diuersam fuisse dicunt, ab illa quæ in superiore epistola habetur; eaque priorem: & quidem ei contrariam. Nam quod attinet ad verba promissionis quæ in priori leguntur epistola, nihil illis contrarium huc vsque fecerat: & adhuc integrum ipsi erat illud promissum complere, scilicet à Macedonia (cuius in transitu, vel certè post transitum scribitur hęc epistola) proficiscendo Corinthum; idque adeò se facturum adhuc pollicetur huius epistolæ cap. 12 & 13. quod ipsum etiam præstitit. Nam è Corintho postea scripsit epistolam ad Romanos, vt ostendimus in argumento illius epistolę. Sed & Lucas refert Acto. 20, Paulum postquam *Macedoniæ partes perambulasset, in Græciam venisse*, id est, in Achaiam, vbi Corinthus est. Vide quæ diximus ad illud 1 Cor. 16, *Veniam ad vos, cùm Macedoniam pertransiero.* Quin & prior epistola tale quid etiam quale dicunt hi scriptores, innuere videtur, illis maximè verbis: *Nolo enim vos modò in transitu videre*; nempe sicut antea cōstitueram, & facturum me vobis significauerā. Cùm enim multa corrigenda essent apud Corinthios, quæ in transitu corrigi non possent, sed egerent longiori mora; simul ob alias causas hac epistola suis locis indicandas, mutat apostolus consilium de transitu, & promittit se postquam Macedoniam pertransisset, venturum, ac iusto tēpore apud eos moraturum, si cinquiēs: *Apud vos autem forsitan manebo, vel etiā hiemabo*; & iterum, *Spero enim me aliquantum tēporis manere apud vos.* Quod quidem tempus fuit mensium ferè trium; vti Lucas significat Acto. 20. Videat lector Chrysostomi commētarium ad illa verba Pauli inferiora: *Testem Deum inuoco, quod parcens vobis nondum veni Corinthum.* & comperiet eum tandem in hāc quam probamus, sententiam descendere. Dicit enim ac probabilius censet, *Paulo in animo fuisse, priùs quàm superiorem epistolam scriberet, ad Corinthios se conferre: cæterùm suadente charitate sese continuisse, ne eos incorrectos offenderet.*

Quā Paulo causę mutandi cōsilij, & non præstandi promissi.

ET A VOBIS DEDVCI IN IVDÆAM. In priori epistola dixerat indefinitè: *Vt vos me deducatis quocumque iero:* ac de profectione sua in Iudæam tantùm illud: *Quod si dignum fuerit vt & ego eam, mecum ibunt.* videlicet tūc adhuc incertus an illuc profecturus esset. Interea verò *per Spiritum* edoctus quod *transita Macedonia & Achaia Hierosolymam ire* deberet, vt habetur Actor. 19, nunc definitè Iudæam nominat, quò sit deducendus: eo maximè quod probata Macedonum liberalitate iam constitutum esset, pecuniam quę colligebatur in vsum pauperum sanctorum qui erant Hierosolymis, ab ipso perferēdam esse. Ita Paulus hac mentione suæ profectionis in Iudæam, tacitè & velut in transcursu Corinthios submonet eius officij ad quod inferiùs ex instituto eos hortatur.

17 CVM ERGO HOC VOLVISSEM, NVNQVID LEVITATE VSVS SVM? Græcè, *Hoc igitur volens, nunquidnam leuitate vsus sum? Volens* βαλόμενος, Ambro. *cogitans*, id est, deliberatè proponens ac statuens. Sensus autem est: Nūquid volens ac statuens illud facere, quod tamen postea non feci, leuiter ac temerè illud volui? Sensum hunc postulat Græcum præsentis temporis participium. Non igitur hic quærit apostolus, an animi leuitate mutauerit prius consilium: sed, an prior illa voluntas & propositum cum leuitate fuerit coniunctum. Quod quidem videri poterat ob mutationē consilij subsecutam. Eundem sensum apertè exhibet translatio Syriaca: *Hoc igitur quod cogitaui, nunquid tanquam leuis cogitaui?* Confirmat etiam quod sequitur.

Notam leuitatis à se propulsat apostolus.

AVT QVÆ COGITO, SECVNDVM CARNEM COGITO? Græcè: *Aut quæ volo, secundum carnem volo?* Est enim idem in Græco verbum, quod interpres suprà semel & iterū vertit velle. Significat autem, vt diximus, velle cum deliberatione & consilio; quod est cogitare. Quare & Erasmus exemplo nostri interpretis hic vertendum sibi putauit *cogito.* Secundum carnem cogitare est cogitare more hominum carnalium, id est, in cogitationibus suis ac studijs obsequi carnali cuipiam affectui, velut auariciæ, ambitionis, aut consequendi cuiuscumque commodi temporalis. Nota Paulum duas causas prioris consilij suscepti à se remouere: leuitatem animi, qua fit vt quis temerè proponat & statuat quod postea cogatur mutare: & intentionem deprauatam ex affectu carnali. Quo vicio similiter impelli solent homines ad ea statuenda ac promittenda, quorum ipsos postmodum pœniteat. Ex quibus intelligi vult prius suum consilium, quo cogitauerat Corinthios inuisere priusquam iret in Macedoniam, quamuis illud postea mutauerit, reprehensionem non mereri. Nam & sapientis est consilium mutare ex re nata, quæ prospici non potuit. Cur autem mutauerit, eoque suum aduētum distulerit vltrà quàm promisisset: causas adfert inferius, partim sub finem huius capitis & initio sequentis, partim sub finem capitis 12.

Quid cogitare secundum carnem.

Sapientis est consilium mutare ex re nata.

VT SIT APVD ME EST ET NON? Hæc pars sub eodem cadit interrogationis tenore cum præcedenti: maximè secundum Latinam lectionem. *Est* Græcè ναὶ, *etiam*, aduerbium affirmandi. Geminatur autem in Græco tam affirmatio quàm negatio, dumtaxat hoc loco. Sic enim legitur: ἵνα ᾖ παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὔ; id est, *vt sit apud me etiam etiam, & non non?* quæ geminatio *est est, non non*, legitur etiam in textu Ambro. iuxta priores editiones, haud obscurè suffragante commentario: legitur & in trāslatione Syriaca. Cæterū Græca

propter

propter appositum articulum τὸ, plenius trãsferri possunt, vel hoc modo: *vt sit apud me illud etiam etiam, & illud non non*: vel sic, *vt apud me etiam sit etiam, & non sit non*. Quomodo transtulit Erasmus. cui fauere videtur sermo similis in epistola Iacobi cap. 5, iuxta Græcam lectionem, *Sit autem vestrum est est, & non nõ*. Sed de eo videbimus suo loco. Chrysostomus ac cæteri Græci partem hanc ita accipiunt, quasi Paulus pro absurdo habeat, vt sit apud ipsum *etiam etiam*, id est, constantia affirmationis; *& non non*, id est, constantia negationis: eò nimirum quod spiritu dictante ac iubente vir spiritualis cogatur aliquando consilia mutare: sicut de Paulo scribitur Acto. 16, quod semel & iterum prohibitus fuerit à Spiritu-sancto proficisci in eam regionem quam volebat. Verùm quia non mutare consilium, etiam vbi oportet, non est leuitatis sed obstinati animi; Paulus autem leuitatis & inconstantiæ, non autem pertinaciæ crimen hic à se depellere studet: fit vt præsenti loco parum aptè quadret ille Græcorum commentarius. Porrò nonnulli sine interrogatione legẽdam putant hanc partem: vt ad interrogationem præcedentem; *aut quæ cogito, secũdum carnem cogito?* subaudiatur responsio, Nequaquam. Cuius deinde ratio sequatur, *vt sit apud me etiam etiam, & non non*: hoc est, vt quod affirmo, maneat affirmatum; & quod nego, maneat negatum; nec consilium temerè mutẽ: sed vbique vestris seruiam commodis, hac in parte mihi semper similis & constans. Hunc sensum velle videtur Ambrosiaster, eiusdemque meminit Erasmus in annotationibus: atque eum tradit in paraphrasi. Etsi verò nonnihil probabilitatis huic sensui conferant loca Matth. 5 & Iacobi 5, quibus præcipitur vt sermo noster sit *est est, non non*; multo tamen planior erit huius loci contextus, si totus vsque ad finem interrogatiuè legatur; hoc itidem plano & aperto sensu: Num leuis, num carnalis sum? vt propterea sit apud me est & non? id est, modò affirmare, modò negare? dicere & non præstare? Cui sensui non obstat quod in Græco duplicantur aduerbia: nam id factum videri potest fortioris affirmationis aut negationis significandæ causa; idque ex more Hebræorum, quo & Christus vsus est dicens identidem apud Ioannẽ, *Amen Amen dico vobis*; quod non est aliud quam *etiam etiam*, aut *verè verè dico vobis*. Qua ratione sensus erit huius partis: Vt rem eandem nunc vehementer affirmem, nunc vehementer negem? Hæc si non placeant; restant suspiciones vna & altera, Græcæ lectionis viciatæ. Prior est, in Græco fortasse desiderari negationem, qua addita legatur, *vt non sit apud me est est, & non non?* Sic enim erit sermo perspicuus, habénsque similitudinem sensus cum scripturis Matth. 5 & Iacobi 5. Altera, quæ pluribus probatur, geminationem aduerbiorum huc in Græcum textũ irrepsisse ex dictis locis Matthæi & Iacobi: cùm scriptum esset simpliciter, quemadmodum infrà semel & iterum, *etiam & non*. Quam coniecturam auget constans lectio veteris & vulgatæ editionis, & omnium eius interpretum: vt verisimile sit eã in quibusdam Græcis olim exstitisse. Porrò videtur apostolus his verbis non prorsus à se remouere *est & non*, sed eatenus tantum vt proueniat ex causis memoratis, scilicet ex animi leuitate vel affectu carnali. Prorsus autẽ & omnino remouet à Deo diuinisque promissis: nec non à se quatenus erat Christi apostolus, & verborũ eius interpres. Dicere enim poterant eius aduersarij: Si dicta tua & promissa non sunt certa, sed ex occasione mutabilia: poterit igitur & in sermone tuo quo Christum nobis prædicasti, mutabilitas reperiri; vt sit in eo *est & non*. Huic obiectioni iam consequenter occurrit dicens:

18 FIDELIS AVTEM DEVS, QVIA SERMO NOSTER, QVI FVIT APVD VOS, NON EST IN ILLO EST ET NON. In multis codicibus legitur, *qui fit apud vos*: quemadmodum & sequẽti cap. vertit, *quæ fit à pluribus*: cùm neutrubi verbum in Græco sit expressum. Hoc quidem loco sic habet, *quia sermo noster qui ad vos* (ὁ δι' ὑμᾶς) *non fuit etiam & non*. Erasmus & Hentenius verterunt, *sermo noster erga vos*, id est, quo vsus sum apud vos. Particulam *in illo* vt Græca pariter & Syriaca non agnoscunt, ita nec Latinus exhibet textus Ambrosij & Primasij. Quod verò apud eosdem huic versui proximè subiungitur, *Sed est in illo est*, id hoc loco nulli alij codices habẽt: nec ei quicquam respondet in illorum commentarijs: vt planè crediderim inconsideratè adscriptum esse. Sensus apostoli: Deus verax est & infallibilis in dictis & promissis: & ideo sermo prædicationis nostræ quo vobis Christum annũciauimus tanquã Dei apostoli, non talis fuit, vt mutari posset ex affirmatione in negationem, id est, nihil in eo incertum & mutabile; sed omnia firmissima veritate constant. Coniũctionem causalem cum sancto Thoma per redditiuam eius interpretor, *quia* per *ideo*. Quæ quidem eius acceptio non est infrequẽs in sacris literis. Exempla sunt Psalmo 85, *Clamaui ad te, quia exaudisti me*. Psal. 114, *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus*. Osee 9, *Omnes nequitiæ eorum in Galgal: quia ibi exosos habui eos*. Vide etiam infrà ad illud capitis 4, *Credidi, propter quod locutus sum*. Quidam istud, *Fidelis Deus*, volunt esse formulam obtestantis aut iurantis, ac si dicat, Deum veracem testor, aut, Deus est mihi testis fidelis, *quod sermo noster* &c. Quem sensum adfert etiam Aquinas priore loco. Sed profectò verisimilius est id apostolum consueta phrasi dixisse enunciatiuè. Sic enim scribit in priore epistola capit. 1, *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius*. & iterum cap. 10, *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. Iam quod nonnulli partem hanc interpretãtur de sermone Pauli quo promiserat se venturum; tanquam neget eum fuisse vanum &

Est & nõ quomodo intelligenda.

Quatenus à se Paulus remoueat est, & nõ.

Verior intellectus huius loci.

Causalis dictio pro rationali posita.

Suspiciones viciatæ lectionis.

An Paulus tuerit hoc loco.

inconſtantem, eo quod non temerè, ſed iuſta ratione conſilium mutaſſet; non habet connexionem cum ſequentibus: quę tamen optimè cohærent cum ſenſu quem nos dedimus.

19 DEI ENIM FILIVS IESVS CHRISTVS, QVI IN VOBIS PER NOS PRÆDICATVS EST. Illud *per nos* non dicit vt multa ſuperiora, de ſua tantum perſona, ſed de pluribus: quos continuò nominat.

PER ME ET SILVANVM ET TIMOTHEVM. Meminit eiuſdem Siluani velut coapoſtoli ſui in epigraphe vtriuſq; epiſtolę ad Theſſalo. Meminit & Petrus in fine primæ ſuæ epiſtolę. *Siluanus idem qui Silas.* Hunc autem eundem eſſe cum Sila Pauli collega, de quo frequens in Actis apoſtolorum mentio per capita 15, 16. 17, 18, videlicet Hebræo nomine (quod miſſum, id eſt, apoſtolum ſignificat, Hieronymo teſte in epiſtola 143 quæ eſt ad Damaſum, & in commentario epiſtolæ ad Gal. 1.) flexione quadam in Romanum commutato: conſentiunt omnes fere interpretes. Nam quod Hieronymus in epiſtola memorata, cenſet viciosè Siluanum pro Sila legi in epiſtolis Paulinis; in hoc ei non aſſentior: quandoquidem non vno loco ſed pluribus, omnium exemplarium conſenſu, legitur tam Græcè quã Latinè σιλουανὸς, Siluanus. Quod autem in Menologio Græcorum ad diem triceſimum Iulij annotantur tanquã duo diuerſi, *Silas & Siluanus apoſtoli*, errore factum non dubito. Potius fuerat ſcribẽdum, *Silas* ſiue *Siluanus apoſtolus*. Porrò Silam & Timotheum fuiſſe Pauli cooperarios in prædicando Corinthijs euangelio, poteſt intelligi ex illis verbis Acto. 18. *Cùm veniſſent autem de Macedonia* (nempe Corinthum ad Paulum) *Silas & Timotheus; inſtabat verbo Paulus.* Venerant enim à Paulo accerſiti, vt eiuſdem libri cap. 17 dicitur, certè non ob aliud, quàm vt ipſum in illa noua plantatione euangelij adiuuarent.

NON FVIT EST ET NON; SED EST IN ILLO FVIT. Græcè: *Non fuit etiam & non; ſed etiam in ipſo fuit.* Totius periodi ſenſus hic reddi poteſt: Ieſus Chriſtus Dei filius, qui apud vos per me & Siluanum & Timotheum prædicatus eſt, cùm ſit æterna veritas, ideóque nec fallere poſſit nec falli; non fuit mutabilis ab affirmatione ad negationem, vt aliquid eorũ quæ diceret, mutato conſilio non præſtaret: ſed fuit in eo conſtans affirmatio. Cùm ergo nos ſimus apoſtoli & legati Ieſu Chriſti, eóque nomine non aliud, quàm Chriſti verbum & euangelium ac promiſſa vobis annunciauerimus: (nam & huius legationis noſtræ fidẽ operatione ſignorum teſtatam atque probatam fecimus) vtique conſequitur noſtrum ad vos de Chriſto ſermonem non fuiſſe mutationi obnoxium. At ſciendum extremam partem ita verti poſſe, *ſed etiam per ipſum fuit*, ſiue *factum eſt*, Græcè γέγονεν, vt ſenſus ſit: ſed affirmationes & promiſſiones diuinę per ipsũ completæ ſunt & complentur. Ita ſtatim ipſe noſter interpres vertit Græcum ἐν αὐτῷ *per ipſum*. Et huic ſenſui valde congruunt ſequentia. *Chriſtus non fuit eſt & nõ.*

20 QVOTQVOT ENIM PROMISSIONES DEI SVNT, IN ILLO EST. Græcè, *in ipſo etiam*; ſupple, ſunt; quod recto ordine dicas; *ſunt etiam in ipſo*. Et quamuis Græca lectio neutra parte habeat verbum *ſunt*, in vtraque tamen ſubintelligendum eſt: quemadmodum probè expreſſit textus Ambroſianus. Itaque ſenſus eſt, Omnes Dei promiſſiones quaſcumque vobis annunciauimus, per Chriſtum ſunt ratæ, validæ & immutabiles; quia per eum complentur; ſiue quatenus eſt filius Dei, *per quẽ omnia facta ſunt*, vt habet ſymbolum fidei noſtræ; ſiue quatenus homo, per cuius meritum, & nõ aliter, Deus in nobis implet ſua promiſſa. Quod poſterius magis videtur apoſtolus velle. Nominat autem in præcedenti ſententia Dei filium, vt rationẽ innuat quare Chriſtus non fuerit *eſt & non*. Id enim non habet ab humana natura, ſed à diuina. Meritò L. Vallã hoc loco reprehendit Eraſmus, quod particulam *in illo* vel *in ipſo*, referat ad aduerbium *etiam*, dicatque ab alijs imperitè ad Chriſtum referri. Qua in re certè ſuam ipſe prodit imperitiam. Nam ne ad *etiam* referatur, palàm repugnat priori quidem loco *etiam* antepoſitum; poſteriori autem, præpoſitus ei articulus τὸ caſu nominandi, qui cum datiuo αὐτῷ non poteſt cohærere. *Omnes Dei promiſſiones per Chriſtum ratæ & cõplendæ.* *Valla reprehẽſus.*

IDEO ET PER IPSVM AMEN DEO AD GLORIAM NOSTRAM. *Ideo* non eſt in Græcis, vno vetuſto codice excepto quẽ annotauit Rob. Stephanus; in quo ſcriptum erat διὸ καὶ δι' αὐτοῦ *Ideo & per ipſum*. Quemadmodum & legitur in textu Syriaco. Cætera Græca ſic habent: *Et in ipſo Amen Deo ad gloriam per nos*. Quæ eadẽ prorſus eſt lectio textus Ambroſ. niſi quod pro *in ipſo*, nobiſcum legat *per ipſum*: quod eſt alterius explicatio. Pelagium quoque & Primaſium atque Sedulium legiſſe *per nos*, ex eõrum ſcholijs eſt manifeſtum. In quibus autem Latinis codicibus legitur *ad gloriam veſtram*, mendoſos eſſe non dubium eſt: vt & eos, in quibus aſſcriptum eſt verbum *dicimus*, ſiue ante *Amen*, ſiue poſt *Deo*. Hoc enim, inquit Haimo, non eſt *de textu ſed de gloſſa*: ſcilicet ordinaria, quæ id ſupplendum putauit: quomodo Syrus Paraphraſtes ſupplet verbũ *damus*, id eſt, reſpondemus, *Amen*. Quanquam non videtur opus huiuſmodi ſupplemento, maximè ſecũdum Græcam lectionem. Nam apoſtolus dicẽs *in ipſo Amen*, repetit id ipſum quod dixerat *in ipſo etiam*: vt quemadmodum illic, ita & hic, verbo *ſunt* ſubaudito, oratio perficiatur. Repetit autem, vt ipſa repetitione rem magis confirmet; affirmationem per aduerbium Græcum ναὶ declaratam velut obſignans affirmatione ſignificata per Hebraicum *Amen*, id eſt, fiat, firmũque ſit: quod vocabulum iam vſu receptum erat in eccleſijs Græcorum atque Gentilium. Dicit igitur omnes Dei promiſſiones per Chriſtum eſſe *Amen*, id eſt, veraces, firmas & immutabiles. *Eiuſdem repetitio voce Græca & Hebraica.*

Deo

Deo ad gloriam, hoc est, *ad Dei gloriam*: vti reddidit interpres Syrus. Glorificatur enim Deus in Christo, per quem implet sua promissa. Docet hic locus per Christi meritum omnia bona salutaria nobis prouenire. Sequitur autem loco *nostram*, in Græco *per nos*, id est, per ministerium nostrum. Loquitur enim de se suisque coapostolis, quos suprà nominauit: per quos vt & per alios fidos Christi ministros, euangelium eius sua prædicatione propagantes, Deus gentes ad fidem & salutem vocabat: eóque pacto promissiones implebat patribus factas, nominatim illam Gen. 22, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.*

Per Christũ omnia bona salutaria nobis prouenium.

21 QVI AVTEM CONFIRMAT NOS VOBISCVM IN CHRISTO, ET QVI VNXIT NOS, DEVS. Quoniam proximè dixerat: *per nos* implentur Dei promissiones; explicat illud, ac totum rursus in Deum authorem refundit. Pro eo quod habemus, *Nos vobiscum*, exemplaria quædam legunt è conuerso, *vos nobiscum*; sed priorem lectionem germanam esse probat consensus codicum & interpretum Græcorum, astipulante versione Syriaca, cum plerisque etiam Latinis exemplaribus. Addit autem apostolus, *vobiscum*; id quod de se dicit, commune ex parte faciens Corinthijs: vt eos in hac sua defensione beneuolos habeat. Potéstque particula *vobiscum* repeti ad tria sequentia verba, *vnxit*, *signauit*, *dedit pignus* &c. Competunt enim hæc omnia suo modo toti ecclesiæ. Vnde & Ephesijs attribuit quod sint *obsignati Spiritu sancto*, Ephe. 1. Quãquam alioquin vt hîc ad singula repetatur, non est necesse. Deus est, inquit, qui nos euangelij sui ministros vnà vobiscum *confirmat in Christo*, vel (vt Græca habent, & vetera quædam Latina) *in Christum*; id est, facit firmiter Christo inhærere; vos quidem per fidem, de qua paulo pòst dicit, *Nam fide statis*: nos autem præter hoc faciens fideles euangelij sui ministros, & inter tot tentationes & aduersitates firmitatem atque constãtiam suppeditans, ne quid aliud quàm quod ab eo accepimus, cuius apostoli sumus, vos doceamus. Idem Deus est *qui nos vnxit*, videlicet Spiritu sancto, id est, delibutos reddidit multorum & magnorum Spiritus-sancti donorum infusione; quæ præbent argumentum rectæ & sinceræ nostræ prædicationis. Pelagius & Primasius etiam chrismatis hic meminerunt, dicentes, *Vnxit nos Spiritu sancto vel chrismate*: quasi sit allusio ad chrismatis vnctionem, quæ fit in sacramentis. Locum hunc paulo aliter legit commentator Ambros. *Qui autem confirmat nos, vobiscũ, Christus Dominus est: & qui vnxit nos, Deus.* Eandemque lectionem studiosè explanat & vrget pro consubstantialitate Filij cum Patre. Nusquam tamen alibi hanc lectionem reperio.

Vnctio Spiritus-sancti qua.

22 QVI ET SIGNAVIT NOS. Græcè, ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς, *qui etiam obsignauit nos*; nempe Spiritu sancto, id est, tanquam sigillum quoddam nobis impressit Spiritum sanctum, largiendo varia eius charismata, quę sigilli instar nos probent veros Dei nuncios ac ministros. Nam sigillum principis impressum aut appensum diplomati certam fidem facit inter homines. Spiritum sanctum intelligi in vtraque parte præcedenti, declarat pars sequens.

Spiritus-sanctus arrha seu pignus.

ET DEDIT PIGNVS SPIRITVS IN CORDIBVS NOSTRIS. *Pignus*, Græcè ἀρραβῶνα, *arrhabonem* siue *arrham*: quæ nimirum dari solet ad confirmationem contractus aut promissi. Nam pignus aliam notissimam apud Latinos significationem habet. Sed interpres pignus pro arrha posuit, ob significationis quãdam affinitatem. Sensus: Qui idem Deus dedit in cordibus nostris arrham suarum promissionum, ipsum Spiritum sanctum. Et quidem intransitiuè *pignus Spiritum* legit Augustinus locis à Beda recitatis: nec non commẽtator Ambro. qui & in eundem sensum exponit, ita scribens: *Qui & signauit nos, dando Spiritum suum nobis pignus, vt non ambigamus de promissis eius.* Hic rursus Spiritum intellige secundum varia eius dona, quæ largius effusa fuerunt in apostolos, quàm in cæteros fideles. Conferendus est hic locus cum eo qui est Ephes. 1, vbi leguntur hæc verba: *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ*: vbi & à nobis hæ metaphoræ sigilli & pignoris siue arrhæ plenius explicantur. Iam ex his colligi vult apostolus Paulus, nulla ratione credendum, quod suæ prædicationi tot modis diuinitus confirmatæ subesse possit aliqua iusta falsitatis aut incertitudinis suspicio.

23 EGO AVTEM TESTEM DEVM INVOCO IN ANIMAM MEAM. Postquam depulit à se crimen inconstantię; tandem eis aperit causam mutati consilij, ac promissi non præstiti. Poterat hic esse principium secundi capitis, cum quo ista cohærent. Nã & textus Syriacus hinc facit sectionis initium: & Chrysostomus ab hoc loco nouam homiliam incipit. Cæterùm apostolus quo certius persuadeat quod dicturus est, iuramentum adhibet, idque non simplex, sed cum adiuncta exsecratione. Deũ, inquit, aduoco testem eius quod loquor (id enim est iurare) ac ni ita sit, Deus iniuria affectus quòd falsi testis vocatus sit, vlciscatur in animam meam, id est, in me. Nam anima pro homine synecdoche est in scripturis vsitatissima. Non igitur his verbis iurat apostolus per animam suam, vt quidam existimant; (quod & sensisse videtur qui vertit ex Syriaco: *Ego verò testor Deum per animam meam.*) sed iurat per Deum expressè nominatum, addita exsecratione siue maledicto, cui animam suam, id est, semetipsum subijciat, si fallat: ac si diceret; Perdat me Deus, nisi vera dixero. Sunt qui sic exponant: Deum inuoco testem animi mei. Sed hi ad scripturæ phrasim non attendunt. Porrò iurasse per animam suam solus Deus in scripturis legitur, vt Ieremiæ 51 & Amos 6. Siquidem solus iurat per seipsum: quia non habet maiorem per quem iuret.

Iuramentũ Pauli cum exsecratione.

Anima pro homine.

Solus Deus iurat per animam suam

Iurare licitũ Christiano, quatenus.

Heb. 6. Locum hunc inter alios obſeruat Auguſtinus epiſtola 89 quæſt. 5, vt doceat Chriſtiano iuramentum non eſſe illicitum, vbi neceſſitas aliqua poſtulat vt iuretur. Quæ quidem Paulo fuit in re præſenti: ſcilicet vt aduerſus æmulorum calumnias ſuam exiſtimationem, & apoſtolatus ſui dignitatem apud Corinthios tueretur.

QVOD PARCENS VOBIS NON VENI VLTRA CORINTHVM. *Non vltra*, Græcè οὐκέτι, *non adhuc*, id eſt, *nondum*, vt habet textus Ambroſianus. Deum teſtor, inquit, me propterea nondum veniſſe Corinthum, ſed aliò abiuiſſe, ſecus quàm promiſeram; quod parcerem vobis, id eſt, euitarem occaſionem vos puniendi pro peccatis commiſſis ac pœnitentia non deletis: qualia nimirum commemorat infrà capit. 12, quorum & meminit ſuperioris epiſtolæ cap. 4, 5 & 6. Vnde & vltimo capite huius epiſtolę dicit: *Hæc abſens ſcribo, vt non præſens durius agam pro poteſtate, quam Dominus mihi dedit*. Itaque parcere eſt non durius agere. Hanc rationem retardati ſui aduentus amplius declarat capite proximo.

24

NON QVIA DOMINAMVR FIDEI VESTRÆ. Quia dixerat *parcens vobis*, quaſi poteſtatem habens puniendi (nam eiuſdem eſt parcere & punire:) ne tanquam Dominus hoc dixiſſe videatur, remouet hanc de ſe opinionem. Neque enim ſoli domini puniunt, ſed etiam patres. Simul autem obliquè taxat pſeudapoſtolos, quos dominantes & omnia imperantes, ac velut tributorum exactores, ferebant Corinthij. Hoc eſt enim quod infrà ſcribit capit. 11, *Suſtinetis ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit*. Iſta namque facere ſolent domini. Eadem verò longiſſimè aberãt à moribus apoſtoli Pauli. Quod dicit, *fidei veſtræ*, Caietanus exponit *vobis fidelibus*. Theophylactus ex mente Chryſoſtomi hoc modo: *Non quod ſit mihi ius in fidem veſtram. Liberæ namq; voluntatis fides eſt: nec ij, quiſquam cogit nolentem credere*. Porrò Theodoritus & apud Oecumenium Photius ſic interpretantur: Non quod dominemur vobis fide, id eſt, propter fidem veſtram, quam noſtro magiſterio didiciſtis: quaſi propter eam ius aliquod ac poteſtatem, qualis eſt dominorum, ego & conſortes mei in vos vſurpare velimus. Atq; hic videtur eſſe germanus ſenſus; quẽ & Gaigneus probat, & ſua verſione expreſſit Eraſmus; *Non*, inquit, *quod dominemur vobis nomine fidei*. Senſus hic probabilis fit ex articuli τῆς collocatione; quemadmodum obſeruat idem Eraſmus in annotatione. Neque enim ſcripſit apoſtolus τῆς ὑμῶν πίστεως; ſed ὑμῶν τῆς πίστεως, vt ſubaudiatur ἕνεκα, cauſę ſignificatiuum. Eſt autem dominari, prœeſſe cum oſtentatione poteſtatis, eáque abuti ad priuata cõmoda: Quod non ſolùm à prælatis eccleſiaſticis abeſſe debet, verùm etiam à ſæcularibus. Quod ſi dominari eſſet prœcipere, minari, punire: vt quidam aduerſus eccleſiaſticam poteſtatem hunc locum interpretantur: non bene Paulus à ſe dominationem remoueret: qui & præcepta dedit, tam Corinthijs quàm alijs: *& in promptu habet vlciſci omnem inobedientiã*, infrà cap. 10. & minatur Corinthijs in vtraq; epiſtola. (minantis enim verba ſunt, *In virga veniam ad vos?* 1 Cor. 4. &, *Si venero iterum, non parcam*, infrà cap. 13.) & infamem illum apud eos fornicatorem ſeuerè puniendum ijſdem Corinthijs præcepit, 1 Cor. 5.

Pſeudapoſtoli dominantes

Quid dominari fidei.

Quid dominari.

Locus hic non facit contra poteſtatem eccleſiaſticam.

SED ADIVTORES SVMVS GAVDII VESTRI. *Adiutores*, Græcè συνεργοὶ, *cooperatores*. Quin potius, inquit, ideo dixi *parcens vobis*: quòd vnà ſtudeamus procurare gaudium veſtrum. Poteſt autem intelligi illa cooperatio, vel Pauli cum ſuis coapoſtolis, vel Pauli cum ijs ad quos ſcribit. Quanquam magis arbitror intelligendum priori modo. Loquitur autem de gaudio oppoſito triſticiæ, quam illis pepererat ipſius obiurgatio: de qua eorum triſticia mox initio capitis ſequentis, ac rurſum cap. 6 & 7. Ad hoc enim parcebat eis, ne triſticiam haberent puniti; ſed gaudium, abſque ſeueritate punitionis, correcti. Vnde & hæc epiſtola magna parte conſolatoria eſt.

NAM FIDE STATIS. Minus rectè apud Primaſium legitur ex alia quapiam verſione *ſtetiſtis*. Græcum enim præteriti temporis verbum ἕστηκατε ſignificationem habet actus perſeuerantis. vt Matth. 20, *Quid hic ſtatis* (ἑστήκατε) *tota die ocioſi?* Theophylactus hanc partem refert ad illud præcedens: *Non quia dominamur fidei veſtræ*: tanquam apoſtolus dicat, Nam quod ad fidem attinet, ſtatis, non excidiſtis ab ea: quare non eſt quod metuatis ne fidei cauſa poteſtatem apoſtolicam, quam dominationem æmuli mei interpretantur, in vos exerceam. Verùm ſunt alia quædã apud vos meritò punienda, de quibus ſcribo me vobis parcere. Eodem refert Aquinas: licet ſenſum non explicet. Caietanus verò iungit cum eo quod proximè præceſſit, hoc ſenſu: *Indigetis gaudio, quoniam fide conſtantes eſtis*. Equidem malim hunc ſenſum: Digni eſtis gaudio, quia ſtatis in fide. Et ideo nolumus vos cõtriſtare, ſed magis ſuggerere materiam gaudij; quod conſtans fides veſtra meretur: tantum abeſt vt fidei nomine dominationem apud vos affectemus. Fide ſtare dicit, pro eo quod eſt in fide ſtare. Quomodo Gal. 5, iuxta Græcum textum, libertate ſtare, id eſt, in libertate ſtare. Sed de ea ſcriptura ſuo loco: quum alioqui poſſit quod hic dicitur, etiam ſic intelligi, quomodo Thomas exponit: *Per fidem ſtatis in iſta gratia Chriſti*. Cæterùm nõ negat apoſtolus inter Corinthios fuiſſe qui vacillarent in aliqua parte fidei: quales erant qui dicebant reſurrectionem non eſſe, 1 Cor. 15. Verùm in hoc eos laudat, quod fidem Chriſtianam non deſererent: ſed in eius confeſſione permanerent. Annotat Eraſmus, in quibuſdã Græcis exẽplaribus haberi ἑστήκαμεν, *ſtamus*. Sed eã lectionem vt mendoſam & cõtextui incõgruã, alij meritò reijciũt.

Quid ſide ſtare.

SVMMARIVM.

SCribit idcirco se non venisse, ne eos tristicia afficeret. Hortatur vt fornicario iam satis afflicto condonationem vnà secum faciant. Addit de Tito non inuēto: & de euangelio per suam prædicationem instar boni odoris latè dispersō, licet non ab omnibus recepto. Notat insinceros euangelij ministros.

CAPVT II.

1 *Causam dilati sui aduentus exponit Paulus.*

STATVI AVTEM HOC IPSVM APVD ME, NE ITERVM IN TRISTICIA VENIREM AD VOS. Causam propter quam nondum venerat, paulo antè indicatam, cū diceret, *parcens vobis*; hic iam plenius exponit apostolus. Græca sic habent: *Decreui autem mihi ipsi*, id est, *apud meipsum, hoc, non iterum venire in tristicia ad vos.* Significat enim illud, *non iterum venire &c*, fuisse apud se decretū & constitutum; vti patet ex articulo Græco τὸ præfixo. Dubium est autem, aduerbium *iterū* quid determinet. Neque enim referri potest ad totum illud, *venire in tristicia.* Non enim antea aliquando Paulus ad Corinthios venerat in tristicia. Chrysostomus & eius sequaces, quos & Erasmus sequitur in sua paraphrasi, referūt ad solū illud, *in tristicia.* Nam, vt aiūt, quia superiore epistola Corinthios mœrore affecerat, noluit iterum eos cōtristare. Quod futurum erat, si ad eos nondum correctos veniisset. At verò Caietanus rem melius videtur assecutus, quando particulam *iterum* tātummodo referri vult ad verbum *venire:* vt sensus sit, Nolui secundum meum aduētum ad vos, esse cum tristicia. Quod & ante Caietanum breuiter annotauit Theodoritus, dicens: *Illud iterum cum aduentu, non cum tristicia coniunctum esse.* Sentiunt hoc ipsum Pelagius & Primasius, dum apostoli verba sic exponunt: *Cogitaui vel disposui, ne in tristicia secundò venirem, qui cùm primum credidistis, apud vos in gaudio fui.* Sensum hunc cōfirmat contextus Græcus, in quo proximè sibi iunguntur, *iterum venire.* Simili sermone dicit infrà cap. 12, *Ne iterum cùm venero, humiliet me Deus apud vos.* Vide loci illius commentarium. Porrò loquitur apostolus de tristicia non tam sua quàm Corinthiorum, qua nempe per ipsum afficiendi erant: quamuis ex illa doceat etiam suam tristiciam consecuturam. Hoc enim est quod sequitur:

2 SI ENIM EGO CONTRISTO VOS; ET QVIS EST QVI ME LÆTIFICET, NISI QVI CONTRISTATVR EX ME? Sermonem mutilum esse putat Caietanus, ac supplet hoc modo: Si ego contristo vos, quis vos consolabitur; cùm mei sit officij vos consolari? Deinde noua sententia vult subiungi quod sequitur, *Et quis est qui me lætificet, nisi* &c. Magis placet quod alij dicunt, vocula &, vt interdum in scriptis Paulinis, redundare. Quanquam etiam videri potest, per eam additam aliquid gratiæ accedere interrogationi: velut si dicatur; Ecquis, aut, quis verò, quis obsecro. Planus igitur sensus est; Quod si ego vos contristo, dum præsens sum apud vos; quisnam erit obsecro, qui me apud vos exhilaret? ac si dicat, nemo. Nam vos ex me contristati me exhilarare non poteritis. Alius verò qui me exhilaret apud vos, nullus est.

Et, in scripturis interdum redundat

3 ET HOC IPSVM SCRIPSI VOBIS. Ordo in Græcis: *Et scripsi vobis hoc ipsum.* Chrysostomus & Oecumenius *hoc ipsum* quod se scripsisse dicit, intelligunt de eo quod scripsit in fine præsentis epistolæ, videlicet illis verbis cap. 12, *Ne iterum cū venero, humiliet me Deus apud vos; & lugeam multos ex ijs qui antè peccauerunt*; &c. At profectò absurdum videtur, vt apostolus scripsisse se dicat quod sub finem epistolæ scripturus est. Itaque Theophylactus referre mauult ad huius epistolæ superiora. Sic enim interpretatur: *Hoc ipsum quod parcens vobis nondum veni, scripsi in hac epistola.* Alij verisimilius putant, apostolum respicere ad priorem epistolam: quasi dicat, De hac re, scilicet vt prius emendaretis errata quàm ego venirem, scripsi ad vos in priore epistola. Nā illius epistolæ cap. 4, 5 & 6 sollicitè eos ad corrigenda vicia fuerat hortatus, etiam cum graui increpatione & comminatione; qualis illa; *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* Hic sensus maximè textui videtur accommodus; & confirmatur ex eo quòd statim pòst repetit apostolus se scripsisse *ex multa tribulatione & per multas lachrymas*, vtique in priore epistola; vt illud ab omnibus accipitur. Nam præsentem epistolam non ex tribulatione neque cum lachrymis scripsit, sed diuina consolatione recreatus, vt capite superiori: & ob emendationem Corinthiorum gaudio repletus, vt infrà latè cap. 7.

VT NON CVM VENERO, TRISTICIAM SVPER TRISTICIAM HABEAM, DE QVIBVS OPORTVERAT ME GAVDERE. *Cum venero*, Græcè participium ἐλθὼν, pro quo textus Ambros. *cùm venissem*: Erasmus, *si venissem*. Illud *super tristiciam*, in Græcis, quibus & Syriaca subscribunt, non habetur: exceptis Complutensibus, & Rhodiensi quodam codice: (de quo vide quę scribit Erasmus in annotatione) & alio, si tamen est alius, apud R. Stephanū indicato. Certè nec Græci commentatores attingunt. Latini quidem omnes, præter vnū Ambrosianum, legunt & exponunt: sed non leuis suspicio est aduenticium esse ex epistola ad Philip. cap. 2. vbi tam Græcè quam Latinè leguntur hæc verba, *Ne tristiciam super tristiciam haberem*. Alioqui sanè hæc duplicatio non admodum quadrat huic loco. Nam sensus est: Hoc ipsum vobis ideo scripsi, ne cùm venero, vel (commodius ad mentem apostoli) ne cùm venissem, ad vos scilicet nondum correctos, dolorem caperem ex ijs, *de quibus oportebat (ἔδει) me gaudere*; id est, ex vobis, qui mihi debebatis esse gaudij materia: quia ve-

Dubium, & eius solutio.

ſter ſum apoſtolus, & *vos opus meum eſtis in Domino*, 1 Cor. 9.

CONFIDENS IN OMNIBVS VOBIS, QVIA MEVM GAVDIVM OMNIVM VESTRVM EST. *Confidens*, Græcè πεποιθὼς *confiſus*, *perſuaſus*. Ambro. *Certum habens*. Poteſt autem hoc participium conſtrui vel cum verbo *ſcripſi*; quo referunt plerique: vel cum illa parte, *ne triſtitiam habeam*: niſi referas quod quibuſdam placet, nec mihi diſplicet, ad proximum verbum *gaudere*: vt vel neglectu grammaticę, vel Hebræo more dixerit apoſtolus, *gaudere*, *confidens*: pro *gaudere*, *confidentem*. Ita ſenſus erit: Ne triſtitiam habeam ex vobis, de quibus oportebat me gaudere, & quidem cum fructu gaudij veſtri: vt qui eam fiduciam de vobis animo iamdudum concepetim, quod me gaudente ſitis omnes gauiſuri: ſiue exponente Caietano: *quod meum gaudium æſtimetis vt veſtrum*. In ſumma, ſignificat ſe gaudere velle non tam ſui cauſa, quam illorum, in quos ſuũ gaudium erat continuò redundaturum. Dicit autem *in omnibus vobis*, vt idẽ annotat Caietanus: *præſumẽdo bonum de omnibus, ex eo quod non conſtabat ei contrarium de aliquo*. vel potius, vniuersè loquitur, totam Corinthiorum eccleſiam ſignificans; licet non quantum ad ſingulos ſine exceptione.

Gaudiũ Pauli gaudium Corinthiorum.

4 NAM EX MVLTA TRIBVLATIONE ET ANGVSTIA CORDIS SCRIPSI VOBIS PER MVLTAS LACHRYMAS. Declarat quod dixit, habiturum ſe triſtitiam ſi veniſſet; idque ex triſtitia quam habuit abſens. Simul obiectionem remouet, qua dicere poterant Corinthij: Quomodo nunc ſcribis te nolle nos contriſtare, quos in epiſtola priore tam grauiter increpaſti? Nam, inquit, ex multa animi afflictione, id eſt, dolore, & ex multa cordis anxietate (quam Græcè συνοχὴν, id eſt, coarctationem vocat) vtpote vehementer ſollicitus, quomodo peccata veſtra quæ me contriſtabant, corrigi poſſent: ſcripſi vobis priorem epiſtolam; nec id ſine multis lachrymis, quæ doloris mei magnitudinẽ teſtabantur. Scripſi, inquam, cum obiurgatione.

Obiectionem remouet.

NON VT CONTRISTEMINI. Melius *contriſtaremini*. Scripſi, inquit, non intendens malũ triſtitię veſtræ: ſed bonum aliquod ei coniunctum; ſcilicet emendationem veſtram. Vnde ſcribit infrà cap. 7, *Nunc gaudeo: non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam*. Non addit tamen apoſtolus hanc obiurgationis ſuæ cauſam, id eſt, emendationem ipſorum; ſed eam relinquens intelligendam, exprimit aliam, qua dulciorem reddat ſermonem, ſuæque erga illos dilectionis affectũ commonſtret: vt annotauit poſt Chryſoſtomum Theophylactus. Ea cauſa ſequitur.

SED VT SCIATIS, QVAM CHARITATEM HABEAM ABVNDANTIVS IN VOBIS. Græcè, *Sed charitatẽ vt cognoſceretis, quam habeo abundantius in vos*. Noſter interpres verba commodè tranſpoſuit. Amb. ſic legit: *ſed vt cognoſcatis charitatem quam habeo abundantius erga vos*. Senſus; Sed vt ex huiuſmodi literis meis teſtatam vobis facerem amoris, quem erga vos gero, magnitudinem. Breuiter; Vt intelligeretis quantum vos diligam. Siquidem illud *abundantius*, pro abundãter poſitum videtur. Nam & paulo pòſt plures dicit pro multis, & abundantiorem triſticiam pro valde magna. Quanquam Græci comparatiuum expendũt, nominatim Chryſoſtomus, tanquam ſentiat apoſtolus ſe Corinthios maiore præ cæteris amore complexum fuiſſe: quod eos in Chriſto per euangelium genuiſſet: ideoq; propriè eorum pater & apoſtolus eſſet, 1 Cor. 4 & 9. Similia leguntur apud Latinos interpretes. Verùm quia plurimi erant alij, quos Paulus in Chriſto genuerat, in quibus Macedones, ad quorum imitationem in hac ipſa epiſtola Corinthios excitat; qui proinde non minus diligendi fuerint; idcirco priorem expoſitionem puto retinendam. Eſt autem veræ & magnæ charitatis argumentum, ſi quis eorum quos curare debet, peccata non diſſimulet, ſed apertè & opportunè corripiat: etiam adhibita ſi opus ſit, duriori increpatione: quãuis nouerit eos inde contriſtandos.

Comparatiuus loco poſitiui.

Charitatis argumentum, ſubditorũ peccata non diſſimulare.

5 SI QVIS AVTEM CONTRISTAVIT; NON ME CONTRISTAVIT, SED EX PARTE, VT NON ONEREM OMNES VOS. Tranſit ad mentionem hominis, qui præcipuam triſticię cauſam dederat. Is erat fornicarius ille, de quo in priore epiſtola cap. 5. Dico præcipuam: quoniam erant & alij quorum grauia peccata punitionem merebantur; & propter hoc tam apoſtolo quàm alijs bonis erant cauſa triſticiæ; de quibus infrà meminit in fine cap. 12. Mollit autem ſermonem, vtens conditionali vocula, quæ ſolet eſſe dubitantis, *Si quis contriſtauit*: non quod dubitet, ſed quaſi facti oblitus propter illius pœnitentiam. Ideo neque crimen ipſum exprimit, ſicut in priore epiſtola: nempe, quod ille qui peccauerat, iam per contritionem & pœnam ſuſceptam tegere ac delere cœpiſſet ſuum peccatũ. Alioquin eundem hunc eſſe cum illo quem priùs ob inceſtum iuſſerat tradi Satanæ, nullus eſt commentatorum qui dubitet. Idipſum verò diſertè teſtantur Origenes homilia 1 ſuper pſalmum 37, Pacianus in epiſtola 3 ad Symphronianum, Ambroſius l. 1 de pœnitentia cap. vltimo, & Gregorius lib. 33 Moralium cap. 8. Quanquam & res ipſa loquitur eundem eſſe. *Nam*, vt ait Auguſtinus lib. 3 cõtra epiſtolam Parmeniani cap. 1, *non inuenitur de quo alio ſignificet* apoſtolus, hæc ſcribens. Nec audiendus Tertullianus, qui multis verbis alium eſſe contendit, lib. de pudicicia cap. 13 & aliquot ſequentibus: ne videlicet fateri cogatur (quod in eo libro negat & oppugnat) mœchos & fornicatores ad pœnitentiam ab eccleſia recipiendos eſſe. Quapropter vt hũc ab illo diuerſum eſſe doceat, ratiunculas coaceruat: ſed reuera leues ac futiles, in quibus refellendis non ſit nobis immorandum. Porrò locus hic nonnihil obſcurus eſt; & variè

De eodem peccatore hic agi, de quo in priore epiſtola, probatur cõtra Tertullianũ.

Hæreſis Tertulliani, fornicatores ad pœnitentiam non eſſe recipiẽdos

conſtruitur

Huius loci varia cõstructio.

construitur atque exponitur. Sensus primò obuius esse videtur huiusmodi: Quod si quis contristauit, hoc est, author fuit eius mœroris ac tristiciæ de qua locutus sum: non me contristauit solum & propriè; sed me contristauit ex parte, id est, vt partem & mẽbrum ecclesiæ, quæ principaliter læsa & contristata fuit. Idque dico, vt ne vos omnes onerem culpa illius fornicarij. Nam si me solum contristasset; vos omnes essetis ab ea tristicia immunes: ideoque videremini peccati illius per consensum esse participes: quia qui non dolet de malo quod nouit, consentire videtur. Potest etiam illud, *non me contristauit*, absolutè capi, verùm ita vt sequatur exceptio, *sed ex parte*, id est, nisi ex parte. Nam vt *nisi* pro *sed* in scripturis frequens est, ita vicissim *sed* pro *nisi* positum interdum reperitur: vt Marci 9, *Neminem amplius viderunt, sed Iesum solum:* vt est in Græco: hoc est, nisi Iesum solum. Quanquam hic sensus in eundem recidit cum priori. Quidam exponunt hoc modo: Qui contristauit, non me omnino contristauit, sed ex parte aliqua, secundum rationis modum: alijs multis bonis qui apud vos sunt, ex altera parte me consolantibus: vt ne videar omnes vos incusare, & omnibus meæ tristiciæ causam imponere. Probat hunc sensum Aquinas: quem Liranus, Carthusianus & Titelmannus sequuntur. Aliter Heruæus: Non omnino me contristatum dixerim, sed moderatè: ne si vehementius contristatum me dixero, vos etiam omnes qui me amatis, vehementiori tristicia grauem: cuius studium est, vti præfatus sum, tristiciam à vobis repellere. Cæterùm alij in verbis apostoli hyperbaton esse volunt, quo separantur illa duo sensu coniungenda, *ex parte*, & *omnes vos*. Sensum enim hunc faciunt: Author ille tristiciæ non me solum contristauit, sed ex parte etiam vos omnes: ex parte, inquam, vt *non onerem*, siue vt Græcè est, βαρῶ, *aggrauem*, scilicet illum hominem nostri vestrique luctus authorem, id est, ne peccatum eius videar nimis exaggerare, simpliciter affirmando quod in mœrorem & luctum vestram ecclesiam totam coniecerit. Vbi tamen illud *ex parte* non est additum ad excipiendum aliquos Corinthios à participatione mœroris; dicit enim *omnes vos:* sed ad imperfectionem mœroris significandam: quomodo dixit 1 Cor. 19, *Nunc cognosco ex parte*, & in hac epistola cap. præcedenti, *cognouistis nos ex parte*. Videtur enim & hoc loco, dum velut extenuat delictum fornicarij, dicens *ex parte*, simul eodem verbo notare teporem Corinthiorum, qui in principio non satis vt oportebat, commoti fuerint aduersus tantum flagitium apud ipsos perpetratum. Hic autem commentarius Chrysostomi est, & sequacium eius Græcorum, comprobatus etiam à Latinis plerisque recentioribus. Nec diuersum volunt, qui particulam, *vt non onerem*, interpretantur: ne quid grauius aut acerbius de illo dicam. Sunt & aliæ apud alios huius loci interpretationes, inter quas est & ea quam ex glossa ordinaria sumserunt Lombardus & alij quidam, ironicè exponentes illam partem, *vt non onerem omnes vos*. Verùm potiores sunt quas adduximus: & inter eas ad mentem apostoli maximè accommodata, quam postremam posuimus. Vult enim apostolus, vt omnes condonent, quia omnes affecti fuerant tristicia: faciles tamen esse vult ad indulgendum; quia non plurimum sed ex parte contristati fuerant. Syrus paraphrastes hyperbaton quidem agnoscit, dum ita vertit, *Si quis autem tristicia affecit, non me tristicia affecit, sed paululum vos omnes:* at dum nihilominus illa verba, *vt non onerem*, ad eosdem refert Corinthios, sic ea interpretans; *ne grauis esset sermo contra vos:* videtur ab apostoli mente recedere.

Nisi pro sed, & contrà.

Hyperbaton.

6 SVFFICIT ILLI QVI HVIVSMODI EST, OBIVRGATIO HÆC QVÆ FIT A PLVRIBVS. Verti poterat: *Quæ facta est à pluribus*. Nam verbum in Græco non est expressum. Ac sanè, præteritum magis quadrat. *Obiurgatio*, Græcè ἐπιτιμία, *increpatio*, seuera correptio, pro qua mendosè, ni fallor, apud Augustinum *correctio* legitur. Nam correctio nõ est increpatio, sed finis increpationis. Descendit apostolus ad consolationem incesti illius excommunicati, iamque pœnitentis: quem vult in gratiam ab ecclesia recipi, condonatione delicti quo eam contristauerat; & pro quo iam subiuerat aliquantam pœnam, à fidelium communione separatus, ac Satanæ traditus. Id enim erat aliquo vsque satisfeciisse. Quod significat verbum *sufficit*, Græcè ἱκανὸν, *sufficiens est, satis est*. Nam *satis est* legunt Ambrosiaster in commentario, & verus Ambrosius in fine lib. 1 de pœnitentia, & ante eos Tertullianus. Alibi quoque vetus interpres satisfactionem transtulit, vt Acto. 17, μὴ λαβόντες τὸ ἱκανὸν, *& accepta satisfactione ab Iasone* &c. Accedit quod Græca vox ἐπιτιμία non solùm significat increpationem, verùm etiam mulctam seu pœnam pro delicto satisfactoriam. Quæ significatio probè congruit huic loco. Non enim nudam increpationem verbis factam sufficientem esse vult apostolus, sed totam punitionem quæ ab increpatione ceperat initium. Igitur huius loci sensus est: Illa publica separatio cum graui increpatione & criminis exaggeratione, totius ecclesiæ vestræ consensu facta, qua à corpore ecclesiæ velut membrum noxium amputatus est, & hactenus ab omnibus deuitatus, non sine maximo ipsius pudore ac dolore: *sufficit illi tali*, (τῷ τοιούτῳ) scilicet ei qui ecclesiã contristauit: sufficit, inquam, pro satisfactione sui delicti: ita nimirum, vt quamuis enormitas facinoris pœnam longè maiorem ac diuturniorem meritò postulet: reliquum tamen pœnæ per indulgentiam ei condonetur. Qui sensus manifestè

Satisfactio pro peccato.

Indulgẽtia pœnæ restantis.

manifestè colligitur ex sequentibus. Etenim ne subsecuta condonatio, de qua consequenter agit, inanis ac frustranea videatur; intelligere debemus sufficientem pœnam priorem, id est, tantam, quanta iudicio ecclesiæ sufficiat: tum spectata qualitate personæ, quam non expediebat amplius grauari; ne in desperationem incideret; tum verò habita ratione publicæ vtilitatis, quam ex illa moderatione pœnæ ecclesia recipit. Idem erit sensus, si pro *sufficit, satis est*, vertas *sufficiat, satis sit*. Nam & ita verti posset: quandoquidem in Græco verbum non exprimitur. Notãdum autem, quod etsi peccator iste non fuerit pœnitens tunc, quando fuit excommunicatus (non enim pœnitentes, sed contumaces excommunicandi sunt) tamen statim vt proiectum se vidit & ab omnibus desertum, pudore affectus ob ignominiam, peccatum suum agnoscere cepit, ac de eo vehementer dolere. Ex quo quidem tempore pœna excommunicationis, à Paulo sub increpationis nomine comprehensa, cepit illi, quamuis nondum reconciliato, valere ad satisfactionem pro peccato commisso.

Obiurgatio sufficiens quo sensu.

Non pœnitentes excõmunicandi, sed contumaces.

Valet satisfactio etiam ante recõciliationẽ.

ITA VT E CONTRARIO MAGIS DONETIS, ET CONSOLEMINI. Donare dixit interpres hic & in sequentibus pro condonare, remittere, gratiam debiti facere. Nam Græcum verbum χαρίζεσθαι, ἀπὸ τῆς χάριτος, à gratia deductum est. Sic & infrà cap. 12, *Donate mihi hanc iniuriam.* Sensus est: Ita vt è contrario, id est, loco seueritatis qua longiorem adhuc pœnam exigere possetis, potius vti vos oporteat lenitate & indulgentia, qua condonetis ac remittatis, quicquid ei pœnæ reliquum est: iamque satis afflictum etiam benignè consoleminì. Sic enim alibi præcipit, *Consolamini pusillanimes*, 1 Thessal. 5. Quo sensu toti communitati tribuat officium condonandi, cùm ea potestas non sit omnibus data, sed solis ecclesiarum præfectis: inferius explicabitur. Sed quæret aliquis, cur apostolus specialiter hic præcipiat consolationem excommunicati, cùm generale præceptum habeamus omnes, vel ab ipsa natura, de consolandis afflictis, etiam peccatoribus, maximè si sint pœnitentes: vt proinde ad hunc consolandum de quo sermo est, nihil opus fuerit authoritate Pauli iubentis: sicut ad condonandum. Respondeti potest, ideo necessarium fuisse præceptum apostoli de isto consolando, quia Corinthij penitus eum auersabantur, velut exsecrabilem & Satanę traditum. Sed & dici potest, cõsolationem intelligi in ipsa cõdonatione. Qui enim pœnam remittit, reipsa consolatur. Veriorem tamen arbitror responsionem, si dicatur apostolus per hanc consolationem voluisse significare receptionem excommunicati in gremium ecclesiæ: & quæ inde sequitur, fidelium fraternam allocutionem. Hæc enim propria est excommunicatorum pœnitentium consolatio, si communioni fidelium restituantur, fratres deinceps ab vniuersa fraternitate salutandi. Igitur duo præcipit apostolus; ad communionem recipi pœnitẽtem, & à pœna per indulgentiam liberari: tametsi fortassis hæc duo, quod ad præsens attinet, in vnum conueniant. Nam pœna cuius hic mandatur indulgentia, non alia fuisse videtur quàm ipsius excommunicationis, & pudoris ac doloris inde consequentis. Porrò condonationis huius & consolationis adhibendæ causam ex parte pœnitentis, adiungit dicens:

Quæstio.

Respõsio.

Alia responsio.

Responsio vertor.

Excõmunicatorũ pœnitentiũ consolatio quæ.

7 *Donare pro condonare.*

NE FORTE ABVNDANTIORI TRISTICIA ABSORBEATVR QVI EIVSMODI EST. *Ne forte*, Græcè μήπως, *ne quo modo*, vt habet textus Ambro. Tristiciam abundantiorem vocat eam quæ nimia est & immodica. Nimiam & immodicã dico: non quod cõtritio de peccatis nimia esse possit; cùm nec dilectio Dei possit esse nimia; Verissimè namque dictum est à S. Bernardo libro de diligẽdo Deo, *Modum esse diligendi Deum, sine modo diligere*: Sed ea tristicia quam gignit aliorum quorundam malorum, quæ peccantes incurrunt, consideratio, facilè excessum admittit; præsertim si etiam in inferiorem appetitum redundet. Cuiusmodi mala in isto excommunicato erant, ipsa excommunicationis pœna, & eam consequens desolatio, & ignominia publica. De hac ergo tristicia loquitur apostolus; & sensus est: Ne contingat eum ita totum ægritudine mœroris occupari, dum nec pœna mitigatur, nec consolationis officium impenditur: vt ea prorsus obruat hominem, pariatque in eo effectus ex immodico mœrore consequi solitos; vti sunt, animum despondere, spem salutis abijcere, pietatis operibus renunciare, totum se mundo dedere, & à mundi concupiscentijs ac voluptatibus solatium quærere: sicut de quibusdam dicitur Eph. 4, *Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ.* Hinc apostasia à fide; & interdum illud horribile, cuius exemplum in Iuda proditore habemus: qui per desperationem laqueo se suspendit. Nam & horum immoderati mœroris effectuum meminerunt interpretes.

Contritio de peccatis nimia esse non potest: Ve nec dilectio Dei. Quæ tristicia nimia.

Effectus immodicæ tristiciæ.

8 PROPTER QVOD OBSECRO VOS, VT CONFIRMETIS IN ILLVM, CHARITATEM. *Propter quod: ne* scilicet *abundantiori tristicia absorbeatur. Obsecro* vel *adhortor*, Græcè παρακαλῶ. Charitatem Origenes intelligit eius qui peccauerat: tanquam velit apostolus hortatu fratrum confirmari in illo charitatem, quæ iam ante inerat, & quæ illi non perierat. Videtur autem Origenes nomine charitatis intelligere amorem ecclesiæ, id est, societatis fidelium. Tale quid etiam indicat titularis Ambrosius. At verò non dixit apostolus *in illo*, quod mendosè legitur in quibusdam libris, sed εἰς αὐτὸν, *in illum*. Quare multo rectius alij charitatem intelligunt Corinthiorum erga illum qui peccauerat. Hortatur autem eos & obsecrat, vt publico consensu ac decreto firmam ratamque faciant

Charitas quæ hoc loco significata.

Quid cõfirmare charitatem.

suam

ſuam erga eum charitatem; recipiendo videlicet eum ad pacem eccleſiæ. Quem ſenſum expoſcit Græcum verbum κυρῶσαι, quod non ſignificat vtcumque confirmare, ſiue (quemadmodum legunt Tertullianus & Pacianus) conſtituere: ſed cum authoritate decernere, & legitimè rem tranſigere: quod vno verbo vocant authenticare. De qua Græca voce plura legat qui volet, apud Eraſmum in annotationibus. Obſecrat autem Paulus, & præcipere cùm poſſit, interceſſoris partes apud Corinthios ſuſcipit, quos ſciebat animo eſſe propter id quod acciderat, exulcerato: vt dum eos velut iudices honorat, (quomodo Græci interpretes loquuntur) mitiores reddat ac promptiores ad exſequendum quod petit. Alioqui certè qui præceperat excommunicandum; præcipere etiam poterat abſoluendum, & in communionem recipiendum. Quanquam & hoc ſatis præcipit, in eo quod verbis ſequentibus obedientiam requirit. Neque tamen hoc loco dum iudicium eis defert, plus aliquid illis tribuit, quàm debuit. Nam verè eccleſia Corinthiorum in ſuis præfectis poteſtatem habebat iudicandi. Qua ſicut vſa fuerat in excommunicando fornicario; ſic & vti potuit in eodem abſoluendo; quemadmodum infrà declarabitur. Vide etiam quæ diximus ad illud 1 Cor. 5, *congregatis vobis.* Quidam per hanc charitatis confirmationem, propriè ſignificari putat euchariſtiæ participationem: vt quæ erat ſymbolum redditæ communionis. Sanè gratus eſſet hic commentarius & acceptione dignus; ſi in ſcripturis aut patribus inueniretur habere fundamentum.

Corinthij quo ſenſu iudices in cauſa fornicatorij.

9 IDEO ENIM ET SCRIPSI, VT COGNOSCAM EXPERIMENTVM VESTRVM, AN IN OMNIBVS OBEDIENTES SITIS. Græca ſic habent: *Ad hoc enim & ſcripſi, vt cognoſcerem probationem veſtri, num ad omnia obedientes ſitis.* Cæterùm loco iſtius partis, *vt cognoſcam probationem veſtri*, in textu Ambroſ. tantum legitur, *vt probarem*. Idque ſatis eſt ad ſenſum. Nam verba apoſtoli non amplius ſignificant. Eſt enim Hebraiſmus, cognoſcere experimẽtum ſeu probationem (vt legit Tertullianus) pro eo quod eſt experiri, probare, cognoſcere per experientiam. Cuiuſmodi locutiones ſunt, *Timor quem timebam*, Iob 3. *Concupierunt concupiſcentiam*, pſal. 105. Quod ait, *ſcripſi*, plerique de præſenti epiſtola accipiunt: & ad verba proximè præcedentia referunt, hoc modo: Propterea hęc ſcribo vobis, vt experiar & probem obedientiam veſtram in omnibus, id eſt, tam in officio charitatis, ad recipiendum fratrem correctum; quàm in ſeueritate diſciplinæ, qua eum è veſtro conſortio eieciſtis: aut breuiter; vt videam, vtrùm ſicut obediſtis in eo excommunicando, ſic & obediatis in recipiendo. Qui ſenſus apertus eſt. Ad priorem verò epiſtolam ſi referas; quod facit Eraſmi verſio, *Nam & in hoc ſcripſeram*: hic erit ſenſus: Quod enim ſcripſeram vobis de illo excommunicando, non id feci, vt aut illum infamia, aut vos mœrore afficerem; vt nec meæ poteſtatis oſtentandæ cauſa, ſicut aduerſarij mei calumniãtur: ſed inter alia bona hoc ſpectaui, vt probarem an vos filij mei in Chriſto, per omnia mihi ſitis obedientes. Nam ſi in re tam graui, qualis eſt membri à corpore ſeparatio, obedientiam pręſtitiſtis: facilè collegero vos etiam in cæteris dicto obedientes fore; ac nominatim in eo quod nunc à vobis exigo, vt fratrem correctum in gratiã recipiatis, & corpori veſtro membrum ſuum reſtituatis. Quod vtique multo lubentius à vobis fieri debeat: quum ſit per ſe magnopere deſiderãdum. Hic ſenſus mihi germanior videtur.

Cognoſcere probationem, Hebraiſmus.

10 CVI AVTEM ALIQVID DONASTIS, ET EGO. *Donaſtis*, Græcè χαρίζεσθε, *donatis* ſeu *condonatis*. Annuit textus Syriacus, & vetuſti quidam Latini codices, vnà cum concordantijs. Tertullianus legit *donaueritis*: eoque modo Primaſius interpretatur. Nã videtur apoſtolus vti verbo præſentis temporis cum extenſione ad futurum; vt ſenſus ſit, Ego me in eo quod facere vos hortor, non ſeiungo: ſed ſicut in priori epiſtola ad excommunicãdum fornicarium me vobis coniunxi, illis ſcilicet verbis: *Congregatis vobis & meo ſpiritu*: ita nunc quoque me vobis adiungo; & quod me hortante feceritis, ipſe etiam me facere declaro. Aut generaliori ſenſu: Vobis aliquid alicui condonantibus, ego etiam condono. Quomodo dicat eos donare; poſtea dicemus. Senſus autem iſte generalior ſatis conuenit cum eo quod ſequitur.

Paulus donat vnà cum Corinthijs.

NAM ET EGO QVOD DONAVI, SI QVID DONAVI, PROPTER VOS, IN PERSONA CHRISTI. Græcè, *Nam & ego ſi quid donaui, cui donaui, propter vos* &c. Veteres Latini ferè tantum legunt alteram partem; alij, *ſi quid donaui*: vt Tertullianus & Ambroſiaſter: alij, *quod donaui*, vt poſt Pacianum verus Ambroſius libro 1 de pœnitentia capit. 6: alij, *ſi cui donaui*, vt Auguſtinus ſcribens aduerſus Parmenianum. Græca videntur ita ſupplenda: *ſi quid donaui*, & *ſi cui donaui*. Cæterùm illud *in perſona Chriſti*, ἐν προσώπῳ χριστοῦ, poſſet æquè verti, ſi nuda verba ponderes, *in facie Chriſti*. Quod ſecutus Eraſmus vertit, *in conſpectu Chriſti*: quaſi coram Chriſto, atque in eius præſentia. Qui ſenſus etiam in ſcholijs Græcorum reperitur. At ſciendum eſt, in ſcripturis ſacris hoc quod Latinè ſæpenumero legitur, *in conſpectu*, & *coram*, Græcè nuſquam ſcribi, quomodo hic legitur, ἐν προσώπῳ, *in facie*: ſed id ſignificari quibuſdam aduerbijs, vt ita dicam, pręſentialibus; cuiuſmodi ſunt ἐνάντιον, ἐναντι, ἀπεναντι, ἐνωπιον, vt pſalmo 37 & pſalmo 50 ſemel & iterum. Ioan. 20, Acto. 3, 4, 7. & alibi paſſim in vtriuſque teſtamenti libris. Nec ipſe Paulus aliter, vt Rom. 12 & 14, 1 Cor. 1, Eph. 1, & hoc ipſo cap. in fine, cùm ait: *Coram Deo, in Chriſto loquimur*. ac rurſum c. 8, *coram Domino, coram hominibus*. Sicubi verò

Verſio interpretis expẽditur & probatur.

vtitur ſcriptura vocabulo προσώπου, ad ſignificandum quippiam in conſpectu alicuius fieri; non dicit ἐν προσώπῳ, ſed locutione Græcis vſitata, κατὰ πρόσωπον; vt Eccleſiaſtici 45, 1 Machab. 1, Lu. 2, Actor. 3, Gal. 2, & huius epiſtolæ cap. 10 ſemel iterumque: vel certè dicit εἰς πρόσωπον, vt huius epiſtolæ capit. 8 in fine, & in Græco Iob cap. 1 & 2. Infrà quidem in hac eadem epiſtola capit. 4 legitur ἐν προσώπῳ, vbi nos habemus, *in facie Chriſti Ieſu*. Sed illud nec ipſe Eraſmus vertendum putauit, *in conſpectu*. & nos docebimus admodum bene congruere illi loco, ſi vertatur, *in perſona*. Rurſus cap. 5 legitur, ἐν προσώπῳ, vbi Latinè, *qui in facie gloriantur*. Verùm non eſt ſenſus *in conſpectu*. Nam nec Eraſmus ita vertit. Opponit enim illic apoſtolus *in facie* & *in corde*. Non opponuntur autem *in conſpectu* & *in corde*. Sed ſenſus eſt; qui gloriantur in his quæ exterius apparent, ex quibus ſolet vulgus perſonam æſtimare. Quæ cùm ita ſint; haud ſatis in ſcripturis exercitatum ſe oſtendit Eraſmus, quando id quod hoc loco ſcripſit apoſtolus, ἐν προσώπῳ χριστοῦ, nullo exemplo vertit *in conſpectu Chriſti*: cùm interpres noſter optimè id reddidiſſet, *in perſona Chriſti*; quemadmodum & alij interpretes tranſtulerunt, tam veteres, quàm recentiores: etiam illi qui Græcos commentarios fecerunt Latinos. Hoc autem *in perſona Chriſti*, non eſt aliud quàm nomine, vice & authoritate Chriſti: cuius ſcilicet perſonam Paulus gerebat: vt ſicut *in nomine Domini Ieſu Chriſti* tradiderat hominem Satanæ, quemadmodum dicit in priori epiſtola cap. 5, ſic in eiuſdem Chriſti nomine ac perſona nunc eum abſolueret. Ita non ſolùm legunt hunc locum, ſed & diſertis verbis exponunt veteres Latini commentatores ad vnum omnes. Qui & pro confirmatione ſui commentarij proferunt illa Chriſti verba ad apoſtolos dicta Matth. 18, *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*. Nec ab his Græci tractatores diſſentiunt. Non enim illi ſimpliciter interpretantur apoſtolum donare in conſpectu Chriſti, aut coram Chriſto: ſed ſic vt Chriſtus id ratum habeat, tanquam quod ipſius vice geritur. Theodoriti verba ſunt: *Hoc, inquit apoſtolus, facio, tanquam intuente Chriſto, & quod ſit gratum habente*. Theophylactus quoque Paulum hæc dicentem facit: *Coram Chriſto*, id eſt, *illo hoc iubente, ac veluti eius loco exiſtens dimiſi*. vt quidem habet Loniceri interpretatio. Nam in Græco ſignificantius legitur, καὶ ὡς ἀντιπρόσωπος ὢν ἐκείνου, *ac velut illius perſonam referens*. Chryſoſtomus verò quærens quid ſit *in perſona Chriſti*? cùm reſpondiſſet, aut, *ſecundum Deum, aut ad Chriſti gloriam*: adiecit & tertium: *aut tanquam Chriſto hoc etiam imperante*. Quę eadem verba ſuis etiam ſcholijs Oecumenius inſeruit. Nos igitur ſenſum reddamus verborum apoſtoli: Nam & ego, inquit, ſi cui veſtrum in graue aliquod delictum prolapſo ac pœnitenti condonationem aliquam fecerim, id feci ac facio veſtri cauſa, hoc eſt, pro publica ſalute & vtilitate veſtræ eccleſiæ; ne ſcilicet illa detrimentum capiat: feci, inquam, & facio, tanquam delegatus Chriſti miniſter, cuius ea in re perſonam refero. Vtitur autem verbo præteriti temporis, *donaui*; vel (vt quibuſdam placet) quia iam apud ſe ſtatuerat hanc condonationem facere; quemadmodum & prius excommunicationem decreuerat, quàm excommunicaret, dicens; *Iam iudicaui, vt præſens, eum qui ſic operatus eſt*, &c, 1 Cor. 5. Vel, ſecundum Caietanum, quia alijs adhuc aliquando condonauerat. Vel potius, quia generaliter loqui intendit de condonatione, ſeu facta ſeu facienda: vt *donaui* poſitum ſit pro donauerim, condonauerim, condonationem fecerim: ſicut iam à nobis expoſitum eſt. Dicit enim indefinitè, *Si quid donaui, & ſi cui donaui*. Sic autem loquitur, vt in ſeipſo generale proponat exemplum omnibus eccleſiæ prælatis imitandum, quo ſciant in ligandis aut ſoluendis ſubditis agere ſe debere, non vt dominos, ſed vt Chriſti miniſtros; totum quod agunt referentes ad ſalutem publicam, & Chriſti gloriam, cuius perſonam gerunt.

Cur in præterito dicat, donaui.

Eraſmus haud ſatis in ſcripturis exercitatus.

In Paulo generale exemplũ omnibus prælatis imitandum.

Quid, in perſona Chriſti.

II VT NON CIRCVMVENIAMVR A SATANA. Explicat id quod dixit, *propter vos*: idque mutata ſecunda perſona in primam, modeſtiæ cauſa: ne ſeipſum videatur excludere. Græcum verbum πλεονεκτεῖν, quod noſter interpres & hoc loco, & iterum capit. 7, & bis cap. 12, vertit circumuenire, propriè ſignificat plus iuſto poſſidere, occupare quod tuum non ſit. Vnde Pacianus & Auguſtinus & commentator Ambroſ. legunt, *ne poſſideamur*; & Eraſmus vertendum putauit, *ne occupemur*; vt ſenſus ſit, condonationem faciendam eſſe tum fratri propter quem hæc ſcribuntur, tum alijs ſimiliter à lapſu pœnitentibus; ne aduerſarius noſter diabolus, occaſione noſtræ nimię ſeueritatis, illos nobis eripiat & in ſuam poſſeſſionem vendicet; quod futurum ſit publicum eccleſiæ damnum; quia omnes inuicem membra ſumus. Verùm quoniam qui aliena appetunt, etiam fraudulenti & interdum violenti eſſe ſolent: ideo verbum illud capitur aliquando pro fraudare, circumuenire: item pro extorquere, ac rapaciter agere. Quare ſecundum noſtram verſionem, quæ magis conuenit primæ perſonæ pluralis numeri, ſenſus erit: Ne ſpecie boni decipiat nos Satanas: & contingat nobis malum quod iam dictum eſt. Vtrumq; ſenſum complexa ſunt Græcorum commentaria, nominatim Chryſoſtomi, qui Græci vocabuli πλεονεξίας ſignificationem peruiget, & quàm verè diabolo conueniat, oſtendit. Vtrique ſenſui poteſt etiam aptari, quod Ambroſius huc reſpiciens breuiſſimè dixit; cauendum nobis eſſe, *ne remedium noſtrum ſiat eius*

Quid Græcis πλεονεκτεῖν.

(id eſt

(id est Satanæ) *triumphus*, lib. 1 de pœnitentia cap. vltimo.

NON ENIM IGNORAMVS COGITATIONES EIVS. *Cogitationes*, Græcè νοήματα. Pro quo textus Ambro. habet *astutias*, Sedulij *versutias*, ex S. Ambrosij loco iam dicto. Tertullianus legit *iniectiones*, vt subaudias laqueorum: quasi dicat *illaqueationes*. Augustinus *mentes* legit, aduersus Parmenianum scribens, & in epistolis 239 & 240. Sic enim & noster interpres eâdem vocem transtulit infrà cap. 4 v. 4. Et quidem vox Græca generaliter *cogitationes* significat: quemadmodum & Erasmus & alij plures verterunt: sed interdum contrahitur ad significandum cogitationes ingeniosas, vafras & ad fallendum compositas, dum quis aliud prætendit, aliud intendit. Quam significationem expresserunt aliæ versiones suprà dictæ; excepta ea quæ est apud Augustinum, quæ præsenti loco minus quadrat. Nam cæteræ diaboli serpentis antiqui ingenium declarãt: quod est sub specie boni persuadere quod malum est. Hac enim arte Heuam primam parentem aggressus est atque seduxit, Genes. 3. Est & illud obiter notandum: non sine allusione dictum à Paulo, νοήματα ἀγνοοῦμεν. ac si Latinè dicas, *Scientias nescimus*, aut *cogitationum incogitantes sumus*. Igitur apostolus: dico, inquit, *ne circumueniamur à Satana:* Neque enim ignoramus cogitationes & artes & studia diaboli, tum in genere semper in nostram perniciem intenta; tum speciatim istud, quo per occasionem disciplinæ nostræ seuerioris in illum qui peccauit, aliósve similes, tentet eos impellere in barathrum desperationis. Quod de illo incesto significabant illa superiora verba, *Ne fortè abundantiori tristicia absorbeatur*. Hanc artem Satanę plutibus explicatam vide apud Augustinum libro 3 contra epistolam Parmeniani cap. 1 & 2. Certè quod hic in illo vno frustra tentauit diabolus, Paulo nimirum prudenter obsistente & cogitationes eius eludente: id multo pòst, iterum in ecclesia tentauit maiore cum successu: quando suscitauit hæresin Nouatianorum, qui prætextu disciplinæ ecclesiasticæ lapsis ad ecclesiam reditum per pœnitentiam negarunt; ex qua re multarum animarum secutus est interitus. Porrò non sentit apostolus, omnes diaboli cogitationes in particulari notas esse vel sibi vel alijs. Id enim Deo proprium est, vt qui solus est cordium scrutator: Sed hoc est quod dicit, cogitationes diaboli iam memoratas non posse latere fideles spirituales; cùm ex scripturis sacris dicerint, quanta sit illius astutia cum extrema malicia ac nocendi studio coniuncta. Hactenus egit apostolus de fornicario excommunicato & pœnitente, in gratiam recipiendo. Est autem totus hic locus bene notandus ac diligenter expendendus propter huius sæculi sectarios, qui omnes principe Luthero negant esse in ecclesia potestatem indulgentias quas vocamus, conferendi. Nam hic multa summatim indicantur ad indulgentiarum doctrinam pertinentia. Primùm est ipsa potestas relaxandi pœnam temporalem ei qui pro peccato pœnitentiam agit, adhuc restantem: quę quidem est potestas conferendi indulgentias. Hæc manifestè significatur, cùm dicitur: *Sufficit illi qui eiusmodi est obiurgatio hæc: ita vt è contrario magis donetis.* & iterum: *Cui autem aliquid donatis, & ego. Nam & ego quod donaui* &c. Quem locum adducens Pacianus in epistola sæpe dicta, qua contra Nouatianos disserit: *Vides*, inquit, *apostoli indulgentiam proprias etiam sententias temperantem*. Secundum est, quod illa potestate vtantur ecclesiæ præfecti tanquam Christi ministri, à quo eam potestatem acceperunt, & cuius vice eam exercent. Hoc enim est quod ait, *In persona Christi:* quemadmodum satis est suprà declaratũ. Vnde & Ambrosius lib. 1 de pœnitentia cap. 6 de hac eadem re contra Nouatianum agens, ostendit Paulum in eo quod donare se dicit, quoniam expresè adiecit, *in persona Christi*; ius à Domino acceptum sibi vendicasse, non indebitum vsurpasse. Nec obstat quod apostolus generatim Corinthios fideles alloquẽs dicit: *Vt è contrario magis donetis*. &, *Cui aliquid donatis*; quasi ista potestas sit omnium, & non ad solos pertineat ecclesiæ præfectos. Nam intelligi potest, non omnibus illud scribi, sed solis presbyteris ac præfectis ecclesiæ: siue, quod eôdem recidit, ipsi ecclesię in suis præfectis. Constat enim ea quæ passim in suis epistolis apostoli præcipiunt, non omnia ad omnes pertinere: sed alia ad alios, vt ad parẽtes, filios; viros, mulieres; dominos, seruos. Sic nimirum alia sunt quæ ad præfectos ecclesiæ cuiusque præcepta dirigantur: alia quæ ad cęteros fideles. Vel aliter, ac rectius fortasse dici potest: velle quidem Paulum illis verbis omnes ad quos scribit, comprehendere; qui tamen non omnes condonent eodem ac simili modo. Nam præfecti id faciunt potestate, quam promittunt illa verba Christi, *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo*, Matth. 18. Cæteri verò fideles vnà cum præfectis condonant & soluunt consensu, desiderio, cõmiseratione & precibus ad Deum fusis pro fratre peccatore: sicut omnes aliquo modo remittimus fratrum peccata, qui ex animo dicimus illud in oratione quotidiana: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: quẽadmodum testatur Augustinus tractatu 58 super Ioannem. Iuxta quem sensum idẽ Augustinus disputans aduersus Donatistas sæpe dicit, pacem, charitatem, vnitatem ecclesiæ soluere ac dimittere peccata: & per gemitus columbæ, id est, per orationes sanctorum, remissionem peccatorum dari. Loca sunt libro 3 de baptismo cap. 17 & 18, & lib. 5 cap. 21, & lib. 6 cap. 4. item tractatu 121 super Ioannem, & alibi. Sic & Ambrosius exponens illud Lucæ 19, *Soluite eum & adducite: Soluit eum*, inquit, *manus apostolica; talis actus, talis vita, talis gratia. Esto talis & tu, vt possis ligatos*

Quid Græcè νοήματα

Ingenium diaboli fallere sub specie boni.

Hæresis Nouatiana quàm perniciosa

Diaboli cogitationes quomodo notæ pijs.

Locus hic insignis pro indulgentijs ecclesiasticis, & quæ ex eo notanda.

Potestas relaxandi pœnã tẽporalem.

Penes ecclesiæ præfectos Vt Christi vicarios.

Quo sensu ad omnes Corinthios fideles pertineat donare.

Explicatio melior

Aliter præfecti cõdonãt, aliter omnes fideles

Pax, charitas, vnitas ecclesiæ soluit peccata.

Sancti cũ Christo regnantes soluũt nos à peccatis.

soluere. Nec alio sensu dictum est à Theophylacto tractante verba Domini, *Quæcumque solueritis* &c. *non solum quæ soluunt sacerdotes, esse soluta: sed quæcumque & nos iniuria affecti vel ligamus vel soluimus, & ipsa esse ligata vel soluta.* Ad hũc autem modum, & quidem multo perfectius, etiam sancti cũ Christo regnantes soluere nos à peccatis dicuntur: scilicet intercessione & merito. Quod planè sonant inuocationes illæ in hymnis ecclesiæ: vt ad Dei matrem: *Solue vincla reis.* & iterum, *Nos culpis solutos, mites fac & castos.* Et ad Domini præcursorem; *Solue polluti labij reatum.* Et ad apostolos: *Nos à peccatis omnibus soluite iussu quæsumus.* Et ad martyrem: *Nos solue vinclis sæculi.* Dicuntur autem apostoli iussu soluere, propter impetrandi certitudinem: simul cum allusione ad potestatem quam in terris habuerunt. Hunc igitur modum soluendi & cõdonandi pijs omnibus communem, comprehendi putamus sub illis verbis, quibus Corinthios ad condonationem fratri lapso faciendam apostolus hortatur: admonens vt & consolationis officium ei impendant, & suam in eum charitatem confirment: ad quam pertinet in primis, vt pro fratre preces offerant Deo. Quo respiciens Ambrosius ita scribit lib. 1 de pœnitentia cap. vltimo: *Si satis ad condemnationem est obiurgatio quæ fit à pluribus: satis est quoque ad remissionem peccati obsecratio quæ fit à pluribus.* Omnes autẽ intelligi, statim declarat, dicens: *Nec solum donauit ipse, sed voluit etiam omnes donare.* Porrò tertiũ est, quod illa pœnę relaxatio non tantum sit moderatio quædam rigoris ecclesiasticæ disciplinæ, sicut quidam errantes opinati sunt: verùm etiã valeat in iudicio diuino ad remissionem pœnæ alioqui in futuro sæculo persoluendæ: valeat, inquam, perinde atque si Christus ipse huiusmodi cõdonationem faceret: quemadmodum & facit reuera per suum ministrum, cui id faciendi potestatem dedit. Quod rursus illa verba significãt, quibus affirmat apostolus se donare *In persona Christi:* hoc est (vt eam partem ex veterum commentarijs atque ex ipsa forma locutionis interpretati sumus) tãquam Christi vicarium, & Christo factum ipsius ratum ac gratum habente, velut à se factum esset. Ac sanè, nisi coram Deo iudice valuissent per apostolum Paulum factę condonationes, tam huic fornicario, quàm alijs lapsis: fefellisset ille miseros homines; quibus huius sæculi pœnam remitteret, pro qua longè grauior illis esset in altero sæculo pœna luẽda. Quod absit vt de eo suspicemur. Quartum est, causa seu ratio dandæ indulgentiæ, siue ex parte pœnitentis, siue ex parte ecclesiæ. Ex parte quidem pœnitentis apertissimè significatur causa cum dicitur, *Ne forte abũdantiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi est.* Debet enim prouideri, ne pœnitens in desperationem actus, ad deteriora se conuertat: & in nostra seueritate *pereat infirmus frater, pro quo Christus mortuus est*: vt alibi in re simili loquitur apostolus, Rom. 14 & 1 Corint. 8. Ex parte ecclesię causa redditur in eo quod dicitur, *propter vos*; id est, propter ecclesiæ vestræ publicam vtilitatem. Sed & cùm additur, *vt non circumueniamur à Satana*, ratio faciendæ condonationis indicatur, vel ex parte pœnitentis, vel ex parte ecclesiæ, iuxta diuersas illius loci interpretationes à nobis allatas. Quintum est, quod bona pars satisfactionis à pœnitente debeat esse expleta ad hoc, vt reliquum ei condonetur. Id enim est quod ait apostolus: *Sufficit illi qui eiusmodi est, obiurgatio hæc.* Nam eam obiurgationem non leuem fuisse declarat metus apostoli, dicentis; *Ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur.* Exigunt illud ipsum veteres ecclesiæ canones, qui de ea re extant complures: exigunt autem propterea, ne per indulgentiam eneruetur ecclesiastica disciplina; quodque deterius est, ipsa pœnitentium satisfactio quæ legis diuinæ est, euertatur ac pessum eat. Quas ob causas etiam B. Cyprianus epistola 11, quæ est ad martyres & confessores in carcere constitutos, seriò monet eos ac rogat, vt non alios quàm *quorum pœnitentiam satisfactioni proximam*, id est, propinquam, *conspexerint*, libellis suis ad plenam delictorum indulgentiam episcopo commendent. Sed quæret ad extremum aliquis, cur nomine condonationis, de qua agitur hoc loco, non potius intelligenda veniat absolutio, vel ab excommunicationis vinculo, vel à peccatis in sacramento pœnitentiæ. Siquidem vtrâque absolutione pœnitens ille egebat. Respondeo tam verba quàm contextum apostoli planè respuere eiusmodi intellectum. Nam primùm, relaxatio vinculi excommunicationis neque in scriptura sacra, neque apud patres vsquam condonatio vel indulgentia vocatur: obstante videlicet ipsarum vocum proprietate. Deinde, quod ait, *Cui aliquid*, hoc est, aliquam partem *donatis*; æquè in absolutione excommunicati locum non habet: vt nec in ea qua pœnitens à culpa absoluitur. Fit autem illud, dum per indulgentiam matris ecclesię, post aliquantam satisfactionem, pœnitentibus relaxatur ac remittitur quod reliquum erat pœnæ debitæ. Quam pœnæ relaxationem manifestius etiam declarat illud præcedens *sufficit illi*: quasi dicat: satis iam pœnarum dedit, reliquum ei cõdonetur. Hoc enim est quod sequitur: *ita vt è contrario magis donetis.* veluti si sonte quopiam per sententiam iudicis ad quadraginta plagas condẽnato; post tricesimam plagam dicat iudex: Sufficit, aut, satis est: non quod sententiæ sit satisfactũ, sed quia vult vri clementia, reliquũ plagarum numerum ei gratiosè remittens. In quem sensum Chrysostomus & Theophylactus ea Pauli verba disertè sunt interpretati. Et hęc quidem dumtaxat occasione prędentis loci Paulini de indulgẽtijs pœnitẽtium dicta sint. Nam de toto hoc indulgentiarum argu-

Cõdonationẽ hãc valere in iudicio diuino.

Causa danda indulgentiæ tã ex parte pœnitentis, quam ecclesiæ.

Pœnitens ipse satisfactionem aliquam subire debet.

Satisfactio legis est diuina

Condonationem hic non intelligi absolutionem ab excõmunicatione vel à peccatis.

mento ſententiam eccleſiæ catholicæ plenius explicare conati ſumus in ſcriptis ſuper 4 ſentent. diſt. 20.

12 CVM VENISSEM AVTEM TROADEM PROPTER EVANGELIVM CHRISTI. Græcè *in* vel *ad euāgelium Chriſti*: ſubaudi prædicādum ſeu propagādum, vt exponunt Græci. Troas eadē eſt quæ quōdam Ilium & Troia vocabatur, vrbs Aſiæ celeberrima, poſt decēnale bellū à Græcis euerſa: quę poſtmodū & Antigonia & Alexādria dicta fuit. Eiuſdem rurſum meminit apoſtolus 2 Timot. 4. Eſt qui Troadem interpretetur ipſam regionē in qua Troia fuit, id eſt, Phrygiam minorem: quam cōſtat etiam Troada vocari. Sed ſi conſulātur alia loca ſcripturæ citata & citanda, in quibus fit mentio Troadis: facilè apparebit nō regionem ſed vrbem eo vocabulo tam à Paulo quàm à Luca deſignari. Porrò notādum eſt hunc Pauli ad Troadē acceſſum, qui fuit à Luca prætermiſſus, eſſe medium inter primum de quo Lucas Acto. 16, & tertiū, quē deſcribit Acto. 20. Cōtigit autem poſt Pauli diſceſſum ab Epheſo; quādo ſicut dicitur Acto. 20 ſub initiū, *profectus eſt, vt iret in Macedoniam*. Nā & hic paulo pòſt teſtatur apoſtolus, ſe Troade relicta in Macedoniā profectū fuiſſe. Sed quorſum ſpectet hæc Pauli narratio, quidve ad eius inſtitutum faciat, haud planè liquet. Pleriq; putāt eum hic alteram adferre cauſam dilati ſui aduentus, ſcilicet ex fructu euāgelij quem alibi faciebat, & amplius facturum ſe ſperabat: nē videlicet tam inſigne bonum per ſuam ad Corinthios acceleratam profectionem impediretur. Alij aliam rationem adducunt interpoſitæ huius narrationis. Verùm quia pendet huius rei cognitio ex intellectu ſequentium, vbi dolorem ſuum commemorat apoſtolus de Tito non inuento: propterea nos iſtius difficultatis explicationem illuc reijcimus. Tractat totum hunc locum vſque ad finem capitis, Hieronymus in epiſtola 150, quæ eſt ad Hedibiam, quæſt. 11.

ET OSTIVM MIHI APERTVM ESSET IN DOMINO. *Hoc eſt*, exponente Hieronymo; Cumque *plurimi credidiſſent: ſiue, per ſigna atque virtutes quæ in me operabatur Deus, ſpes eſſet naſcentis fidei, & in Domino ſuccreſcentis*. Sic enim locum Hieronymi lego ex priori editione, & ex Heruæo verba Hieronymi referente: remota videlicet copula, *& ſpes eſſet naſcentis*, quæ ſenſum reddebat imperfectum. Particulam *in Domino* nullus Græcorum exponit: vt videantur, neſcio quo caſu, non legiſſe. Nam & in textu Theophylacti prætermittitur. Hodie tamen & in Syriaco legitur, & in omnibus Græcis. Poteſt autem bifariā exponi: vel vt ſit idem quod in Chriſti Domini negocio: tanquam ſentiat apoſtolus, oſtium Troade ſibi apertum fuiſſe ad euāgeliū Chriſti prædicandum, fidemq; propagandam. Vel *in Domino*, id eſt (vt alij tum ex Græco tū ex Syriaco vertunt) *per Dominum*, quod eſt, Domino operāte: quēadmodum videtur etiam Hieronymus intellexiſſe. Quē ſenſum inter alios ſecutus S. Thomas, oſtendit etiam ipſius oſtij apertionem (ſiue per eam credēdi facilitas, ſiue præparatio animorum intelligatur) aſſcribendam eſſe potentiæ diuinæ; cùm ait; *In Domino, quia ipſa præparatio mentis humanæ eſt ex virtute diuina. Nam licet facilitas qua mentes præparantur, ſit cauſa conuerſionis; tamen ipſius facilitatis & præparationis cauſa eſt Deus*. Sic ille. In eundem ſenſum Primaſius & Sedulius oſtium Paulo apertum in Domino interpretantur: *quia corda eorum aperuit Deus, quibus ille prædicabat*. De metaphora oſtij aperti, vide etiam quæ diximus ad locum ſimilem 1 Cor. 16 verſu 9.

13 NON HABVI REQVIEM SPIRITVI MEO. *Requiem*, Græcè ἄνεσιν, *remiſſionem, relaxationem*. Et pro tertio caſu *ſpiritui meo*, πνεύματί μου, ſextum alij reddunt, quo Græci carent, *ſpiritu meo*. Nam quietus aut inquietus ſpiritu quis dicitur, non ſpiritui. In textu Ambroſ. iuxta quædam exemplaria, nec non apud Haimonem legitur *in ſpiritu meo*. Senſus autem eſt: Animo non conquieui: *quoniam* vt ait Hieronymus, *ſperatam conſolationem inuenire non potui*. Cuius rationem apoſtolus ſubiungit.

EO QVOD NON INVENERIM TITVM FRATREM MEVM. Titum, quem in epiſtola ad eum ſcripta filium appellat, tanquam in fide Chriſtiana diſcipulum; hic fratrem ſuum vocat, id eſt, in euangelio prædicādo adiutorem & ſocium: eadem ſcilicet ratione qua Timotheum initio huius epiſtolæ fratrem ab eo nominatum diximus. Quærit Hieronymus, quæ cauſa fuerit cur apoſtolus abſentiam Titi tam moleſtè tulerit: ac reſpondet, *Paulum*, etſi *virum doctiſſimum & eruditum ad pedes Gamalielis, & ſcientia ſanctarum ſcripturarum* inſtructum, quique *diuerſarum linguarum gratiam poſſideret: diuinorum ſenſuum maieſtatem non potuiſſe digno Græci eloquij ſermone explicare. Habebat ergo*, inquit, *Titum interpretem; ſicut & beatus Petrus Marcum*. & poſt pauca: *Ergo & Paulus apoſtolus contriſtatur, quia prædicationis ſuæ in præſentiarum fiſtulam, organumq; per quod Chriſto caneret, non inuenerat*. Hæc Hieronymus. At quæ cauſa coëgit principes apoſtolos Petrum & Paulū ad euangelizandum vti interprete? cū ille donum omnium linguarum in die Pentecoſtes accepiſſet; hic verò de ſe gloriatus fuerit in priore ad Corinthios epiſtola cap. 14, dicēs, *Gratias ago Deo meo quod omnium veſtrum (magis) lingua loquor*. Ad hanc dubitationem variæ ſunt reſpōſiones. Quarum vna eſt, apoſtolos etſi dono linguarū præditos, non tamē eo ſemper & pro arbitrio vti potuiſſe, quomodo quis vtitur lingua quā didicit: ſed tunc ſolum quādo ad loquēdum linguis à Spiritu ſancto moueri ſe ſentiebant: quemadmodum & accidebat eis in dono prophetandi, & miracula faciendi. Hæc ſententia multis non probatur; eo quod exiſtiment linguarum

Troas eadem quæ Troia.

Troas regionis nomen an vrbis.

Paulus tertiò Troadem venit.

Cur profectionis ad Troadē, Paulus meminerit.

Oſtium apertum quid Paulo ſignificet.

In Domino, bifariā expoſitum.

Præparatio mentis ad credēdum, ex Deo eſt.

Titus cur frater à Paulo appellatus.

Cur Paulus abſentiam Titi adeò moleſtè tulerit. Reſponſio Hieronymi.

An apoſtoli ad euangelizandum ſi interprete.

Reſponſio quorundam.

Improbatur.

Donum linguarū in apostolis permanens.

donum in apostolis fuisse, non vt actum trâseuntem; vti fuit in alijs fidelibus, saltem illis qui quæ lingua peregrina loquebantur, interpretari non poterant; de quibus agit Paulus 1 Cor. 14. sed vt habitum permanentem, more aliarum scientiarum; propterea quod donū illud eis attributum fuerit, vt euangelium Christi toto orbe terrarum prædicarēt; quod sine prompta linguarum noticia difficillimū eis fuissent. Alij proinde respondent Paulum (idemque de Petro iudicium) licet Græcè nosset, ac loqueretur, siue ex dono, siue etiam ex institutione: (nam Græcè non solum scripsit, sed & locutus est, Acto. 21 & alibi) quia tamen Hebræus erat gente ac lingua, non potuisse perfectam Græcæ linguæ pronunciationem assequi: ideoque Titum cui Græca lingua natiua erat, interpretem & oratorem (quo vti solitus) desiderasse. Nec id mirum de Paulo: quando & Iosephus historicus Græcè scribendi doctissimus, de seipso fatetur in calce voluminis antiquitatum Iudaicarum, exquisitam Græcæ linguę pronunciandæ facultatem *per patriam consuetudinem* assequi se nō potuisse. Hæc ipsius Hieronymi videtur esse sententia, cùm dicit ideo Paulum vsum interprete, quod non posset diuinorum sensuum maiestatem digno sermone Græci eloquij explicare. Eandem sententiam verbis Hieronymi refert Heruæus: meminerunt & alij, non ita tamen vt omnino probent. Cùm enim apostoli linguarum scientiam diuino miraculo fuerint assecuti, nec imperfecta sint Dei dona: censent eos pari facilitate Græcam linguam qua Hebræam pronunciasse. Qua ratione etiam Aquinas illam responsionem refellit ac reijcit. Quæ tamen istorum opinio quatenus valeat, intelligi potest ex ijs quæ diximus ad locum memoratum 1 Cor. 14, *Gratias ago Deo meo* &c. idque ex mente S. Thomæ in summa Theologica. *Licet enim apostolus* (ait Liranus) *omnes linguas sciret loqui: tamen magis facundus erat in Hebræa.* Quod & sentiunt, qui dicunt idcirco plus eloquentię elucere in epistola ad Hebræos, quàm in cæteris Pauli epistolis, quod eam Hebraicè scripserit. Vt ergo demus apostolos pari facilitate potuisse pronunciare linguas peregrinas, qua domesticam, id est, Hebræam: non tamē eas sonabant pari nitore sermonis & eloquentia. Quanquam ita perfectè loquebantur ad intelligentiam auditorum, vt verborum suorū ac sententiarum interprete non egerent: quēadmodum nec indiguit Paulus, quando apud Felicem & Festum præsides Romanos, ipse pro se loqui iussus causam suam egit, Act. 24, 25 & 26. Dicunt ergo nonnulli, quorum sententiam probat Cardinalis Baronius in annalibus ad annum Domini 45, Paulum ac cæteros apostolos in euangelio prædicādo duas ob causas sibi interpretes adhibuisse. Primū, vt, quando alicui genti concionabantur lingua genti propria, velut Romanis Latina, Grecis Græca; tum si qui fortè adessent diuersæ nationis ac linguæ homines, eam linguam non intelligentes, ijs satisfacerēt interpretes, ipsorum lingua reddentes ea quæ ab apostolis dicta essent. Deinde volunt interpretes apostolis necessarios fuisse, qui ea quæ sublimia & captu difficilia ab illis inter concionādum dicebantur, auditoribus elucidarent. At profectò nec hæ causæ, rem diligenter expendenti, satis, opinor, idoneę videbuntur, vel ad explicandum hunc locum, vel ad vsum interpretis declarandum. Nam quod ad priorem causam attinet, ea certè præsenti loco nequit accommodari. Nam Græca lingua qua vtebantur regiones Asię & Achaię & Macedoniæ, quibus Paulus prędicabat, adeò communis erat, ac passim omnibus nota; vt non sit credibile Paulum propter absentiam interpretis, qui sermonem eius aliqua diuersa lingua (pauculis fortè hominibus) exponeret; ita discruciatum animo fuisse, vt Troade relicta abiret in Macedoniam, quæsiturus illic suum interpretem. Et alioqui sanè oportuisset huiusmodi interpretes non vnius aut alterius linguæ peregrinæ, sed plurium gnaros esse: quo diuersarum gentium ac linguarum hominibus apostolum prædicantem non intelligentibus, officium interpretationis impenderent. Sed & altera causa mihi non admodum probabilis videtur. Nam apostoli apud multitudinem prædicantes, sermonem suum attemperabant captui multorum, secretiora mysteria seruantes in tempus commodum, quo traderent ea capacioribus, atque fide prouectioribus. Argumento sunt apostolorum Petri & Pauli conciones ad plebem, in Actis eorum, à Luca descriptæ: in quibus prima quædam rudimenta fidei Christianę proponere contenti, de cæteris, quæ nondū ferre posset auditorum infirmitas, reticent: ac ne quidem Christum Deum apertè eloquuntur. Vnde Paulus 1 Cor. 2, *Sapientiam* se loqui dicit *inter perfectos.* & cap. 3, *Non potui vobis*, inquit, *loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tanquam paruulis in Christo lac vobis potū dedi, non escam: nondum enim poteratis.* Quod si Christus suis discipulis, quibus dixerat, *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum*, Matt. 13, tamen in illo sermone, quem vltimum ad eos ante passionem habuit, ita loquitur; *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò*, Ioan. 16. quanto magis apostolos sic agere conueniebat cum ijs qui planè rudes erant dogmatum Christianę religionis? His addo; Si Titus fuit Pauli interpres, siue hoc posteriore modo, siue priore: nō debuit Paulus eum à se absentem facere, nec ad Corinthios mittere, nec in Creta relinquere; sed iugiter apud se retinere, virum in re tanta sibi necessarium. At nec ordinarium Pauli comitem Titum fuisse, quemadmodum Lucam, vsquam legitur: quando nec in Actorum libro fiat eius vlla mentio. Quæ cùm ita sint, haud facilè defendi posse videtur Hieronymi sententia, qua Paulum propter absentiam

Aliorum responsio.

Refellitur, & quatenus

Apostoli non tam eloquētes in aliena lingua, ut in sua.

Alia responsio, duas ob causas apostolos ipsos interpretes.

Cōfutatio

Apostoli secretiora mysteria nō passim euulgabant.

Titū non fuisse Pauli interpretem

Titus nō fuit ordinarius Pauli comes.

Titi

Aliorum rationes querelæ Pauli de absentia Titi.

Titi tanquam interpretis sui scribit adeò tristem & anxium fuisse. Quare ab alijs aliæ quęruntur rationes. Græci expositores in genere dicunt absentiam Titi velut egregij multumque necessarij cooperatoris, in causa fuisse, quo minus apostolus quod Troade ceperat, in negocio prædicandi euangelij posset absoluere. Caietanus autem ingenuè confitetur se non penetrare, nec inuenire posse, quid impedimenti attulerit absentia Titi prædicationi Pauli iam paratæ; propter quod ille tam fuerit irrequietus, vt cùm ostium sibi apertum esset in Domino, tamen ob Titum non inuētum aliò discederet. Ambrosiaster rem explicare conatur. Dicit enim, apostolo, quòd solatium Titi deesset, laborem apud Troadenses intolerabilem fuisse. *Quãuis enim*, inquit, *quidam eorum aperuerant corda sua ad recipiendum sermonem Dei; tamen impudentia infidelium non minima exsistebat, insurgẽs in apostolum zelo credentium. Et hæc duo ab vno impleri non poterant, nempe & fideles instruere, & incredulis repugnare.* Sic ille. Cuius sententiam etiam Heruæus approbat, ea quam priore loco adduxerat ex Hieronymo, posthabita. Accedunt & alij ex Latinis, Haimo, Lõbardus, Aquinas, Litanus. Carthusianus: plerique etiam hoc addentes, quod Titus si præsens fuisset, instituisset prædicationi & conuersioni bonorum: Paulus verò velut doctior, restituisset aduersarijs. At verò Primasius hanc adfert causam, cur Tito non inuento requiem apostolus nõ habuerit: quia per Titum quem Corinthum miserat, exspectabat vt sibi nunciaretur, an Corinthij iam se correxissent. Requiem ergo spiritus Pauli non habebat, eo quod Titum non inuenisset, scilicet Corintho reuersum: vt eius relatu certior de rebus Corinthiorum fieret. Et hæc apostolus scribit, ait Primasius, *vt intelligant ipsum omnia propter charitatem fecisse.* Eandem rationem etiam Pelagius & Sedulius tradunt, & inter neotericos Hosiensis & Arias Montanus. Attingit quoque Theodoritus. Sanè probabilitatem habet ista ratio non exiguam: tum ex eo quod alioqui non videtur hæc Pauli narratio de Titi præsentia tam cupidè desiderata, vel satis intelligi posse, vel ad rem institutam pertinere: tum quia, quæ de Tito memorat inferius cap. 7 & 8, probè consentiunt cum huiusmodi intellectu presentis loci; maximè cùm ait: *Sed qui cõsolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduẽtu Titi*; & quæ deinde sequuntur. Iuxta hanc igitur rationem ostendit apostolus ab eo loco, *Cùm venissem autem Troadem* &c, sese quamuis corporis accessu nondum venisset Corinthum; spiritu tamẽ ac solicitudine Corinthijs esse præsentem: vt qui non fuerit animo quietus, donec Titum ab illis reuersum conueniret, atque ex eo intelligeret quomodo res illorum sese haberent. Ergo quod dicit, tale est: Postquam Epheso digressus veni Troadem euangelij causa: quamuis in ea vrbe spes copiosi fructus appareret: adeò tamen rerum vestrarum cura ac sollicitudine tenebar, vt illic non putauerim mihi subsistendum, eo quod Titus quem à vobis exspectabam, non adueniisset.

Vera & solida ratio.

Probatur hæc ratio.

SED VALEFACIENS EIS PROFECTVS SVM IN MACEDONIAM. *Val faciens is* Græcè ἀποταξάμενος αὐτοῖς, *cùm valedixissem eis*, Ambr. *vale illis facto*. Erasmus, *dimissis illis*: tametsi verbum Græcum non significat simpliciter dimittere aut valedicere; sed mandatis ijs quæ volumus: vt solemus dimittere notos & amicos. Vtitur eodem verbo Lucas, itidẽ de Paulo fratribus valedicente loquens, Act. 18 v. 18, & iterum versu 21. Vtitur etiam euangelij sui cap. 9, vbi nos Latinè legimus: *Permitte mihi primum renunciare his qui domi sunt*. Itaque sensus est: Sed cùm fratres illic morantes datis mandatis dimississem *profectus sum*, Græcè, ἐξῆλθον *exiui*, id est, abiui, discessi *in Macedoniam*; scilicet Titum illic exspectaturus, & ex eo de vobis aliquid certi cogniturus. Quem & inuenisse se tandem, eoque referente, læta de Corinthijs audiuisse, testatur infrà capit. 7, vbi narrationem quam hic abrumpit, repetit ac prosequitur. Sunt qui putent apostolum hic indicare rationem mutati consilij sui de Corinthijs prius visendis, quàm iret in Macedoniam. Sed falluntur. Iam enim antè quã Epheso discederet, cõstitutum habebat priùs in Macedoniam proficisci: quemadmodum patet ex 1 Cor. 16. Sed cur in eo non peccauit Paulus, quod Titi quærendi causa abiuerit in Macedoniam Troade relicta, vbi ostium ei apertum erat in Domino, id est, occasio oblata rei euangelicæ feliciter procurandæ? Nam de Tito necessario interprete responsionem iam pridem exclusimus. Quanquam nec quærere suum interpretem Paulus debuisset, sed per nuncium accersere. Iam verò nec inuentum adduxit Troadem, perfecturus illic cum eo quod ceperat: sed Macedoniæ partibus perambulatis venit in Græciam. Respondeo Paulum in Macedoniam profectum fuisse, non recenti consilio, sed iam antè deliberato, priusquam Troadem appelleret: nec mutare consilium debuisse propter occasionem euãgelij apud Troadenses promouendi. Nam vrgebat eum profectio Hierosolymitana, quam parabat à Spiritu admonitus, Acto. 19 ver. 21. priùs tamen Macedoniam & Achaiam transiturus, vt ibidem dicitur: nimirum colligendi subsidij causa, quod ad fratres pauperes Hierosolymam perferret. Neque tamen idcirco Troadenses deseruisse putandus est: quibus vt priore accessu, de quo Lucas Acto. 16 v. 8 & 9, Christum annũciauerat: ita postmodum è Græcia reuersus eosdem reuisit, & post synaxim Dominicam apud eos celebratam, atque sermonem in mediam noctem productum, insigni miraculo mortui resuscitati in fide cõfirmauit: vt habetur Acto. 20. Sanè Troadensium salutem Paulo discedenti curæ fuisse, etiam ipse significat hoc loco: dum vtitur vocabulo ἀποταξάμενος: ac si diceret: Cum eos

Quæstio de facto Pauli.

Responsio, qua factũ Pauli excusatur.

rebus

rebus ecclesiæ priùs ordinatis ac dispositis dimissem. Nec enim dubitandum est, quin vt aliâs solet, discedens reliquerit illic aliquem vel aliquos, qui & ecclesiam regerẽt, & euangelio propagando vacarent: vt quomodo Titum in Creta, & Timotheum Ephesi; ita quẽpiam, fortasse Carpũ, cuius meminit 2 Tim. 4, Troade constituerit episcopum & euangelij ministrum. Quod verò quidam annotant, vt Hieronymus ad Hedibiam scribens, Haimo & Aquinas in commentarijs, item Carthusianus & Hosineisterus, etsi dubitanter loquentes: hanc apostoli profectionem è Troade in Macedoniam, esse eandem cum illa, quam diuino monitu suscepit: de qua Lucas Acto. 16 sic loquitur; *Et visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans & deprecans eum; & dicens, Transiens in Macedoniam adiuua nos*, & quæ sequuntur: haud dubiè fallunturlapsu memoriæ. Nondum enim Paulus Corinthijs euangelium prædicauerat, quando illa visio & profectio contigit: vt ex Actorum historia constat. Quocirca verius est hanc profectionem, vt antè diximus, à Luca attingi sub initium cap. 20 Actorum; vbi scribit Paulum Epheso relicta profectum fuisse, vt iret in Macedoniam. Nam Epheso per Troadem, quæ duæ ciuitates Asiæ sunt, in Macedoniam fuisse profectum, præsens locus nos docet. Ex quo etiam palàm est hanc epistolam non vt aliqui putarũt, Troade scriptam esse, sed posteaquam venit in Macedoniam; prout ostendimus in argumento epistolæ.

De quæ profectione è Troade in Macedoniã Paulus loquatur.

Verior sententia.

14 DEO AVTEM GRATIAS. Græcè χάριτι, *gratia*: quemadmodum & legit Hieronymus. Subaudi, sit. Infrà cap. 7 sic ait: *Cùm venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores.* Deinde subiungit de sua consolatione per aduentum Titi. Priùs ergo quàm venisset Titus, multa passus in Macedonia, sed in omnibus superior ac victor; ecce gratias agit Deo.

QVI SEMPER TRIVMPHAT NOS IN CHRISTO IESV. Nomen *Iesu* Græci & Syri codices non exprimunt. *Triumphat nos*, dictum putat Hieronymus, *pro eo quod est, triumphat de nobis, siue triumphum suum agit per nos*. Nam vt postea subijcit, *Triumphus Dei est passio martyrum*. Commentator Ambro. legit, *triumphat per nos*: & exponens, *Hoc est*, inquit, *Deum per apostolos triumphare in Christo; victores illos facere in fide Christi: vt calcata perfidia trophæum habeat fides, dum ex perfidis fiunt fideles, & maleuoli non proficiunt in persequendo credentes.* Verùm vt Græci libri constanter habent θριαμβεύοντι ἡμᾶς, ita Latini cæteri, *qui triumphat nos*. Id verò interpretari, *qui triumphat per nos*, vt fecit Erasmus textum Ambrosianum imitatus, satis coactum videtur. Porrò Græcorum expositio huiusmodi est: *Qui semper triumphat nos*, id est, ex victorijs quas à diabolo & hominibus aduersarijs reportamus, illustres & conspicuos nos facit, velut publicè triumphum agentes. Idipsum Latini tam recentiores quàm veteres præter duos suprà dictos ita breuiter; *Triumphat nos*, id est, triumphare nos facit: ac si clarè dicat apostolus; Deo gratias ago, qui nos, id est, me, meosque euangelij prædicandi socios, in omni pressura & pugna quæ nobis fuit cum aduersarijs, non solum victores efficit, verùm etiam ex victoria reddit glorioſos: idque per Christum, in quo solo vincimus & triumphamus. Videtur autem apostolus in verbo Græco Hebraizare, dũ illud ex neutro transitiuum facit: more verborum Hebraicorum, quæ in coniugatione Kal neutra, in Hiphil fiunt transitiua: nonnulla etiam in eadem cõiugatione nunc actiua sunt, nũc neutra. Simile quid habemus in illo versu psalmi 51, *Emigrabit te de tabernaculo tuo.* vbi Græcè legitur, μεταναστεύσει σε, *emigret te*; verbo neutro, sed exponendo transitiuè, emigrare te faciat. Cæterùm alibi contrario sensu, sed phrasi Græcis non insueta, dicitur Christus triumphasse principatus & potestates, Col. 2; id est, de dæmonibus superatis triumphum egisse, vel eos deuictos & captiuos in triumpho duxisse.

Quo sensu Deus triumphare suos apostolos dicatur.

Hebraizat apostolus in verbo Græco.

ET ODOREM NOTICIÆ SVÆ MANIFESTAT PER NOS IN OMNI LOCO. Hoc est, sui noticiam ac famam, velut odorem quendam, spargit quaquauersum per me & socios laboris mei in euangelio: dum non modò prædicamus Christum apud omnes, sed etiam persecutionibus & pressuris quasi pistillis conterimur, vt odor noticiæ Dei, id est, famæ eius, à nobis quàm lõgissimè diffundatur. Res enim odoriferæ si conterantur; vt vehementius olent, ita longius odorem spargũt. Potest etiam verti, *noticiæ eius*, scilicet Christi: si αὐτῆ scribas cum leni spiritu. Christus enim est, cui dicitur: *Oleum effusum nomen tuum.* &, *Post te curremus in odorẽ vnguẽtorum tuorum*, Cant. 1. Vnde & de Christi odore sequitur.

Quid odor noticiæ Dei.

15 QVIA CHRISTI BONVS ODOR SVMVS DEO, IN IIS QVI SALVI FIVNT, ET IN IIS QVI PEREVNT. *Bonus odor*, vno vocabulo Græcè est εὐωδία, quasi dicas, beneolentia. Videtur apostolus se suosque cooperatores bonum odorem vocare causaliter, vt qui de se bonum odorem emittant. Iam enim Dei seu Christi noticiam, odorem vocauerat per apostolos manifestatum. Idque vult ista Hieronymi expositio: *Nominis Christi in omni loco bonus odor sumus Deo: & prædicationis nostræ longè lateq; spirat fragrantia.* Sensus igitur est: Quamuis enim fidem Christi non omnes recipiant; nos tamen, instar fragrantis cuiusdam vnguenti, seu florum aut herbarũ, famam nominis eius, velut bonum ac suauem odorem, Deoq; gratissimum (est enim allusio ad odorem thymiamatis incensi) spargimus apud omnes; non eos solum qui credunt & salui fiunt, verùm etiam qui credere nolẽtes pereunt. Non simpliciter odorem, sed bonum odorem Christi se suosque collegas vocat, id est, Siluanum & Timotheum, quos suprà nominauit capit. 1,

Apostoli quo sensu bonus Christi odor.

item

item Titum & Lucam, & ſi quos habebat his ſimiles euangelij prædicandi ſocios: quia non quoquo modo Chriſtum prædicabant; ſed, vti ſtatim pòſt indicat, cum ſinceritate & integritate conuerſationis. Quod qui non faciunt, ſed inquinatis moribus bonam doctrinam conſpurcant; hi plerumque fœtere faciunt odorem eius apud homines. Partē hanc, *in ijs qui pereunt*, quidam ſpecialiter referunt ad detractores & æmulos apoſtoli Pauli, quibus bona eius doctrina & doctrinæ ſucceſſus, per inuidiam vertebatur in perniciem: contra quos agit in ſequentibus huius epiſtolæ, ac rurſus ad Philipp. cap. 2. Conſimiliter autem, & illos qui ſalui fiunt, interpretantur eos qui Paulum diligebant vt fidelem ac ſincerum euangelij diſpenſatorem; gaudentes de ſucceſſu miniſterij eius. Ita S. Auguſtinus tract. 50 ſuper Ioannem, & alijs locis à Beda collectis: quem ſequuntur Primaſius, Gloſſator, Hugo Victorinus, Lombardus & alij nonnulli. Verùm magis placet ſenſus generalis; quem & Græci tradunt, & complures Latini: quem nec Auguſtinus excludit: vt priore membro comprehendantur quicūque credebant euāgelio per apoſtolos prædicato: poſteriore, qui non credebant. Eſt qui partem illam, *& in ijs qui pereunt*, ſupplendam putet per cōtrarium hoc modo: Et malus odor ſumus in ijs qui pereunt. Sed abſit vt fateamur bonos Chriſti miniſtros eſſe aut ſpargere malum odorem Deo, propter maliciam eorum qui non credunt. Notum eſt autem bonum odorem alijs eſſe ſalutarem, alijs lethalem. Hoc enim eſt quod ſequitur.

Qui prædicatores non bonus odor Chriſti. Per eos qui pereunt qui intelligendi.

16 ALIIS QVIDEM ODOR MORTIS IN MORTEM, ALIIS AVTEM ODOR VITÆ IN VITAM. Clariùs ita reddas: *His quidem odor mortis ad mortem, illis autem odor vitæ ad vitam*. Vnum exemplar Græcum apud Ro. Stephanum, addita in vtroque membro præpoſitione ἐκ, ita legit: *Ex morte in mortem: ex vita in vitam*. Itidem homilia 1 ſuper Canticum Canticorum apud Hieronymum tomo 8, Latinè ſic habet: *ex morte in mortem; de vita in vitam*. Sed adiecticiam eſſe præpoſitionem, planè exiſtimo. Sumus, inquit apoſtolus, ijs qui pereūt, id eſt, reprobis, odor lethalis, mortem æternam illis adferens: ijs autem qui ſalui fiunt, id eſt, electis, odor vitalis, vtpote vitam æternam illis adferens. Rurſum cauſaliter odorem ſe vocat; quatenus ſua prædicatione famam nominis Chriſti tanquam bonū odorem latè diſpergebat. Qui odor malis ac reprobis lethalis erat, non ſuo ſed illorum vicio; propterea quod occaſione euangelij ſibi prædicati, dum credere nolunt, grauius condemnantur: quum odor ille ſecundum ſe ſemper bonus ſit, etiam tunc quando quibuſdam eſt odor mortis ad mortem. Sic enim & fragrantia boni vnguenti columbam vegetat, ſcarabæum necat: vt ait Oecumenius. Sic & lumen ſolis oculos ſanos recreat, debiles offendit: & ignis aurum purgat, ſtipulas abſumit: & ipſe Chriſtus alijs *in ruinā*, alijs *in reſurrectionem poſitus eſt*, Luc. 2. Qua ratione etiam de ſacramēto corporis & ſanguinis Domini canit eccleſia: *Mors eſt malis, vita bonis*.

Apoſtoli reprobis odor mortis, electis odor vitæ.

ET AD HÆC QVIS TAM IDONEVS? Vocula *tam* in Græco & Syriaco non additur: vt nec in textu Ambro. & Sedulij. Legitque ſine ea paſſim Auguſtinus, vt tract. 50 ſuper Ioannem, & in enarratione pſalmi 7, & alijs locis apud Bedam. Suſpicatur Eraſmus interpretem vertiſſe, *quiſnam idoneus?* Cerrè ratio oſtendit illud *tam* abeſſe debere, ne ſit ſententia arrogantior. Legiſſe tamē Pelagium, arguit hoc eius gloſſema: *Ad hæc facienda quis poteſt tam idoneus eſſe quàm nos, qui ad hoc ſumus electi?* Quod idem in ſuum collectaneum tranſcripſit Sedulius. Atqui ſenſus eſt: Quotuſquiſque miniſtrorum euangelij idoneus eſt ad hæc quæ dico, præſtanda? ſcilicet vt ſit bonus odor Chriſti in omni loco, id eſt, vt bonam famam euangelij Chriſti de ſe ſpargat apud omnes. Idoneum intelligit qui re ipſa talem ſe præbet. Indicat autem hac interrogatione perpaucos eſſe tales: multos verò non tales. Et ab his ſeſe eximit verbis ſequentibus.

Idoneus euangelij miniſter.

Idonei perpauci.

17 NON ENIM SVMVS SICVT PLVRIMI, ADVLTERANTES VERBVM DEI. *Plurimi*, Græcè πολλοὶ, *multi, plerique*. Niſi quod in tribus codicibus à Roberto notatis legitur λοιποὶ, *cæteri*. Quod nec veritati congruit, nec modeſtiæ Pauli; magiſque redolet Phariſaicum illud: *Non ſum ſicut cæteri homines*, Luc. 18. Notat autem his verbis pſeudapoſtolos, quorum mores expreſſius deſcribit cap. 11. *Adulterantes*, inquit, *verbum Dei*, Græcè καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, id eſt, *cauponantes verbum*, ſiue *ſermonem Dei*. *Cauponantes* etiam in antiquis concordātijs lego. Et ad eam lectionem alludunt veteres Latini, Pelagius, Primaſius, Sedulius; nec nō eos ſecuti gloſſator & Lombardus: dum huc citant illud Iſaiæ 1, ſecūdum LXX, *Caupones tui miſcent vino aquam*. Eſtque ſanè venuſtior hoc loco metaphora cauponari quàm adulterare. Poteſt autem bifariam exponi, vel vt ſenſus ſit, Quęſtus & commodi ſui gratia verbum Dei prædicantes; ad quæſtum euangelio abutentes. Quo ſermonis tropo Pyrrhus Epirotarum rex apud Ennium dixit, *Non cauponantes bellum, ſed belligerantes*. Cauponum enim eſt omnia ad quæſtum vertere. Et hoc attendit qui interpretatus eſt *venundantes*, vti legit Hieronymus iuxta priores editiones: pro quo & reperit: *qui venditent verbum Dei*; & exponit, *Qui quæſtum putāt eſſe pietatem, & turpis lucri gratia omnia faciunt*. Vel hoc ſenſu; Viciantes verbum Dei ſanamque doctrinam permixtione falſitatis. Qua ſignificatione Græcum verbum accepit tam noſter interpres, quàm ille, cuius textu vſus eſt Ambroſiaſter, dum vertit vterque, *adulterantes*, id eſt, quod ſincerum eſt corrumpentes. Quod item faciunt caupones vinum aqua miſcentes. Hoc autem poſterius ex priori ferè conſequitur. Nam vt caupones lucrandi ſtu-

Adulterantes ſeu cauponātes verbū Dei qui dicuntur.

dio

dio mixta pro meris, & viciata pro ſinceris vendunt: ita qui in euangelio Chriſti prædicando quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Ieſu Chriſti; ad illum finem etiam ſuam doctrinã libenter inflectunt atq; accommodant. Vtrũque in cauponãdi verbo cõſiderarunt Chryſoſtomus & eius ſequaces. Et quidẽ eos quos hac epiſtola inſectatur apoſtolus, vtrumque feciſſe, cõſtabit ex eorum deſcriptione quam nobis tradet cap. 11, vbi non ſolum eos taxat vt ſui lucri gloriæque ſtudioſos, verùm etiam pſeudapoſtolos vocat, & Satanæ miniſtros. Rurſus autem ijdem vt *adhærantes verbum Dei*, notantur infrà cap. 4. verbo quidẽ Græco diuerſo, non tamen diuerſę ſignificationis: vt illic videbimus.

Quid ex ſinceritate verbum Dei loqui.

SED EX SINCERITATE; SED SICVT EX DEO, CORAM DEO, IN CHRISTO LOQVIMVR. Sinceritatem opponit cauponationi: Loquitur ergo verbum Dei *ex ſinceritate*, vel, vt eſt in Græco, *tanquam ex ſinceritate*, id eſt, tanquam ſincerus euangeliſta; qui neque Dei verbum adulterat admixtione alienæ doctrinæ, neque eo abutitur ad quæſtum aut gloriã humanam. Verba apoſtoli ſic expono: Sed loquimur & annunciamus verbum Dei ſincerè, tãquam profectum & acceptum à Deo; loquimur, inquam, *coram Deo*, vel in conſpectu Dei, id eſt, Deum teſtem ac iudicem præ oculis habentes, ideóque Deo non hominibus placere ſtudentes; denique loquimur illud *in Chriſto*, id eſt, per Chriſtum, vel authoritate Chriſti, cuius ſumus miniſtri. Particula *ſed* ſecundò repetita, vim orationis intendit. Cuius exemplum luculentius habebimus infrà cap. 7 verſu 11.

SVMMARIVM.

NEgat apoſtolus aliena commendatione ſe indigere; cùm fructus ſuæ apud Corinthios prædicationis ſatis ipſum commendet. Miniſterij noua legis, qua Spiritus & iuſticia ſubminiſtratur, præ miniſterio veteris legis, quæ fuit litera occidens, excellentiam demonſtrat: docetq; Iudæis adhuc velatum eſſe, quod noui teſtamenti miniſtris reuelatum eſt.

CAPVT III.

1 INCIPIMVS ITERVM NOSMETIPSOS COMMENDARE? Quoniam delapſus fuerat ad commemorationem integritatis ac ſinceritatis ſuæ in apoſtolico munere exſequendo: ne vel in ea re videatur quod ſuum eſt, quærere, ſuæque glorię ſtudere; & per hoc imprudẽter incurrere in vicium, quod in alijs reprehendebat: ſuſpicionem huiuſmodi repellit. Nõ hæc, inquit, dicimus, quo nos ipſos commendemus, ac veſtram beneuolentiam captemus, commodum aliquod noſtrum inde ſperantes. Dicit autem *iterum*; quia in priore epiſtola paſſim, ac præcipuè cap. 9 multa dixerat, quæ ad ipſius commendationem ſpectare viderentur. Verùm illa omnia, ſicut & iſta, propriè non ſui commendandi cauſa dixit, ſed ad vtilitatem eorum quibus ſcribebat: ſimul vt in ſeipſo oſtendat quales eſſe debeãt omnes miniſtri verbi Dei. Alij ſic exponunt: Nũquid hæc dicimus, tanquam volentes nos vobis & alijs commẽdare? quaſi dicat: id quidem mihi ſuperuacaneum fuerit; ſcilicet poſt tot noſtra de vobis merita, per quę & vobis & alijs ſatis ſupérque cogniti ſumus & commẽdati. Congruit huic ſenſui quod ſequitur:

AVT NVNQVID EGEMVS, SICVT QVIDAM, COMMENDATICIIS EPISTOLIS AD VOS, AVT EX VOBIS? Noſter interpres in Græco legiſſe videtur ἢ μὴ, *aut num*, vt habet vnum dumtaxat exemplar Roberti Stephani; reſpondetque Syra verſio. Cætera legunt εἰ μὴ, id eſt, *niſi*: quomodo vertit interpres Theophylacti: tametſi vſurpatur interdum pro *num*, *nũquid*; quod huic loco melius quadrat. Ita textus Ambro. *Nunquid indigemus* &c. Eraſmus & alij, *Num egemus*. Vocabulũ *(commendaticijs)* Græca repetunt in fine: *aut ex vobis commendaticijs?* Repetitio non neceſſaria: quamuis & eam cernere eſt in Syriaco. Senſus: Num opus habemus literis commendaticijs, vel ab alijs ad vos, vel à vobis ad alios?

SICVT QVIDAM. Supple, egent; ſeu potius, faciunt: id eſt commendaticias vndique ſtudioſè conquirunt. Pſeudapoſtolos notat, in quos dicit illud cap. 10, *Non qui ſeipſum cõmendat, ille probatus eſt; ſed quem Deus commendat*: & quorum iactantiam memorat capit. 11. Seſe verò eiuſmodi commẽdationibus haud quaquam indigere docet ea ratione, quam ſubiungit.

Pſeudapoſtoli literas cõmendaticias ambientes.

2 EPISTOLA NOSTRA VOS ESTIS. Vos ipſi, inquit, eſtis epiſtola noſtra, id eſt, noſtri commendaticia: Nec præter vos aliam requiro. Siquidem abundè nos & vobis & alijs commẽdat fides & vita veſtra, quos ſic inſtituimus. *Vos enim* (vt in priore epiſtola dixit cap. 9) *opus meum eſtis in Domino*. & iterum: *Signaculum apoſtolatus mei vos eſtis in Domino*. Quare quẽadmodum opus commendat opificem; & ſigillum facit certam fidem rei ſignatæ: ita vos mihi eſtis loco epiſtolæ commendaticiæ, per voſmetipſos obſignatæ.

Ipſi Corinthij epiſtola cõmendaticia Pauli.

SCRIPTA IN CORDIBVS NOSTRIS. Græcè ἐγγεγραμμένη, *inſcripta*. Habet enim emphaſim repetita præpoſitio. Senſus: Eam epiſtolam, quæ vos eſtis, cordi meo inſcriptam & impreſſam vbique circumfero: & pro mei cõmendatione exhibeo, quibus volo. Inſcriptionem intellige per memoriam & amorem. Locutio ſimilis apud Iſaiam cap. 49, *In manibus meis deſcripſi te*.

Scriptura in corde, in manibus.

QVÆ SCITVR ET LEGITVR AB OMNIBVS HOMINIBVS. In Græco eſt agnatio vocabulorum, γινωσκομένη & ἀναγινωσκομένη, quaſi dicas, *quæ cognoſcitur & recognoſcitur*, id eſt, *legitur*. Græcis enim ἀναγινώσκειν eſt legere. Similis erat paranomaſia cap. 1 v. 13. Eam vt hoc

loco

loco redderet Eraſmus, vertit, *quæ intelligitur & legitur*, parum cõmodè. Sic enim præpoſterus eſſet apoſtoli ſermo: cùm prius ſit legere literas quàm intelligere. Nec verò γινώσκειν intelligere ſignificat, ſed cognoſcere; quemadmodum & habet textus Ambr. Cognoſcitur autem etiam quod nõdum intelligitur. Itaq; ſenſus eſt: Quam epiſtolã omnibus in prõptu eſt inſpicere & legere; perinde vt literas patẽtes, omniũq; oculis expoſitas. Hoc dicit propter famã fidei Corinthiorum latè diſperſam.

Corinthij epiſtola Chriſti, & quo ſenſu.

3 MANIFESTATI QVOD EPISTOLA ESTIS CHRISTI. *Manifeſtati* referẽdũ eſt ad pronomẽ *vos*. Eſtq; præſentis tẽporis participium in Græco, mediæ ſignificationis, φανερούμενοι; quod Eraſmus actiuè vertit, *dũ declaratis*. Verùm rectius interpres noſter paſſiuè reddidit *manifeſtati*, id eſt, de quibus manifeſtũ eſt & palã conſtat, *quod epiſtola eſtis Chriſti*: vel quia ſcripta à Chriſto, vel quia Chriſtus in ea ſcriptus: qui poſterior ſenſus Græcorum eſt, dum epiſtolam Chriſti interpretantur, in qua lex & præcepta Chriſti, velut inſcriptæ literæ, maneant ac ſeruentur. At priori ſenſui, quem Latini tradunt, & quo ſignificatur Corinthios quatenus fideles, eſſe ſcripturã & opus Chriſti, melius reſpondet quod ſequitur.

MINISTRATA A NOBIS. Hoc eſt, noſtro miniſterio conſcripta. Chriſtus, inquit, huius epiſtolę principalis eſt author, idẽq; nobis miniſtris ad eã ſcribẽdã vſus eſt. Hinc ait 1 Cor. 4, *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Eraſmus dũ vertere maluit, *ſubminiſtrata à nobis*, nec vim Græci vocabuli διακονηθεῖσα, nec mentẽ apoſtoli ſatis explicuit. Nã in verbo ſubminiſtrãdi non neceſſariò miniſteriũ intelligitur. Subminiſtrat enim qui ſuppeditat ac præbet aliquid, etiãſi miniſter non ſit eius cui præbet: quale eſt ſubminiſtrare ſumptus alicui. Quare nec in paraphraſi ſuã hanc verſionẽ idẽ Eraſmus ſequẽdã putauit. Paraphraſeos verba sũt. *Sinceritate fidei, vitaq; euãgelica declaratis, quod ſitis epiſtola Chriſti, ab illo quidẽ ſcripta, ſed noſtro miniſterio.*

Subminiſtrat non ſolus qui miniſtrat.

ET SCRIPTA NON ATRAMENTO, SED SPIRITV DEI VIVI. *Et ſcripta*, Græcè *inſcripta*, ſine coniunctione: quẽadmodum & Irenæus legit l. 5 cap. 13. Abeſt itẽq; cõiunctio in Ambroſiano textu atq; Syriaco; & apud Auguſtinũ de ſpiritu & litera cap. 14 & 17. Iam quòd interpres *viui* reddit loco *vincẽtis*; ζῶντος, ferè perpetuũ illi eſt. Scripta verò, inquit, nõ atramẽto, quales ſunt epiſtolæ manibus hominum exaratæ; ſed virtute Spiritus ſancti; *per cuius efficaciã*, vti ſcribit in hunc locũ Caietanus, *operatur Chriſtus in animo hominis aſſenſum, ſpem atque dilectionẽ*. Refert autẽ apoſtolus hãc ſcriptionẽ ad Spiritum ſanctũ, ea ratione qua omnis noſtra ſanctificatio (quod ad eã naturæ vires non attingãt) in Spiritũ ſanctũ referri ſoler. Quem & vocat Spiritum Dei viuentis: quia de epiſtola animata ac viuente loquebatur. Eſtq; alluſio ad locum Ieremiæ 31, vbi Dominus nouũ pactũ vetere reprobato promittẽs, ita loquitur: *Dabo legem meam in viſceribus eorũ, & in corde eorum ſcribã eam*. Eôdem pertinent ſequentia.

Epiſtola ſcripta Spiritu Dei.

Omnis noſtra ſãctificatio Spiritui ſancto aſſcribitur.

NON IN TABVLIS LAPIDEIS. Quomodo nimirum ſcripta fuit lex vetus populo Iudaico per Moyſen data, Exodi 24, 31 & 32. Nam ad eam hiſtoriam reſpicit apoſtolus, vti cõſtat ex ijs quæ infrà dicuntur.

SED IN TABVLIS CORDIS CARNALIBVS. *Carnalibus*, Græcè σαρκίναις, *carneis*, vt alij vertunt. Et ſenſus eſt: Sed in ipſis cordibus tãquã tabulis quibuſdã, ijſq; nõ duris inſtar lapidis, ſed mollibus inſtar carnis ſeu cordis humani, id eſt, facilibus & prõptis ad obediẽdũ. Alludit enim ad illã noui teſtamenti promiſſionẽ, quę exſtat apud Ezechielem c. 11, & iterũ c. 36 his verbis: *Auferam cor lapideũ de carne veſtra, & dabo vobis cor carneũ*. Quã ſuã promiſſionẽ exponens Dominus, ibidem ſubiungit: *Et faciã vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini*. Patet igitur carnale hic nõ opponi ſpirituali, quẽadmodum alibi paſſim in epiſtolis apoſtolicis: ſed ei quod durũ eſt. Nã & in Græco diuerſa ſunt vocabula, σαρκικὸν *carnale*, quod alibi; & σάρκινον *carneũ*, quod hic legitur (vno licet diſſentiẽte codice Cõplutẽſi) & in vtroq; loco Ezechielis, iuxta verſionem interpretũ LXX. Dicitur autẽ epiſtola de qua ſermo eſt, id eſt, ipſi Corinthij fideles, ſcripta in tabulis cordis carneis; in quãtum fides & charitas & cætera quæ lex noua præcipit, in eorũ cordibus impreſſa erant per Spiritũ ſanctum. Ex hac ſcriptura Pelagianos, qui naturæ viribus attribuebant diuinæ legis obſeruationem, refellit Auguſtinus varijs locis, nominatim lib. de ſpiritu & litera cap. 17, & de gratia & libero arbitrio cap. 14.

Tabulæ cordi carneæ quæ dicantur.

Differunt carnale & carneũ, etiã in Græco.

4 FIDVCIAM AVTEM TALEM HABEMVS PER CHRISTVM AD DEVM. Quod dixit, *miniſtrata à nobis*, (quo verbo rei maximæ ſibi miniſteriũ aſſcripſit) ne dixiſſe videatur arrogãtius: id nũc totũ ad meritũ Chriſti Domini ſui, deinde & ad Deũ authorẽ refert. *Fiduciam*, Græcè πεποίθησιν, metonymicè poſuit pro gloriatione, quæ ex fiducia naſcitur: vti bene exponit Theophylactus. Sic enim & alibi πεποιθέναι cõfidere dixit pro gloriari, vt Rom. 2, *Cõfidis teipſum eſſe ducẽ cæcorũ*. & huius epiſtolę c. 10, *Si quis cõfidit ſibi, Chriſti ſe eſſe*. *Ad Deum*, Græcè πρὸς τὸν Θεὸν, Eraſmus *erga Deum*: ſed melius *apud Deũ*. Quomodo vertit alibi noſter interpres, vt Ioan. 1 v. 1 & 2, Rom. 4 v. 2, & Philip 4 v. 6. Sẽſus enim eſt: Quod vos ſitis epiſtola per nos miniſtrata & à nobis quodãmodo ſcripta, quę proinde nos cõmendet: de ea re nõ in nobis, ſed in Chriſto & per Chriſtum gloriamur apud Deũ; à quo ſcilicet miniſterij noſtri præmiũ exſpectamus. Dicendo namq; *ad Deum*, ſiue *apud Deum*, ſignificare voluit verã & ſolidam gloriandi materiam: vt quæ probetur ac remuneretur in iudicio Dei. Sic è contrario dicit Rom. 4, *Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum*.

Fiducia pro gloriatione.

5 NON QVOD SVFFICIENTES SIMVS COGITARE ALIQVID A NOBIS QVASI EX NOBIS.

Græcè: *Non quia idonei ſumus à nobis ipſis cogitare aliquid tanquam ex nobis ipſis.* Eſt enim in Græco vox eadē *ἱκανοί*, quā interpres nūc idoneos, nūc ſufficientes vertit. Arauſicana ſynodus & paſſim Auguſt. *idonei* legunt. Et quāuis *ἱκανὸς* interdū etiā dignū ſignificet, vt 1 Co. 15, *Nō ſum dignus vocari apoſtolus*, & alijs locis quę nos ibidē annotauimus; huic tamē loco ſatis apparet eā ſignificationem non conuenire. Simile eſt illud 2 Tim. 2, *Qui idonei (ἱκανοὶ) erunt & alios docere:* vbi nemo dixerit vertēdū *digni.* Certè & interpretes omnes quos vidi, locum hunc verterunt aut *ſufficientes*, aut *idonei:* & Latini patres altero tantū horum modorū citaſſe reperiuntur. Porrò quod habemus *à nobis & ex nobis*, Ambroſiaſter vtrumque legit, *à nobis:* Cōtrà Hieronymus *ex nobis*, & *ex noſtro*, lib. 2 dial. aduerſus Pelagianos c. 3. Sed & Eraſmus atq; Hentenius vtrumq; reddiderūt, *ex nobis ipſis.* Verū noſter interpres Græca ſecutus, vbi legitur, *ἀφ' ἑαυτῶν* & *ἐξ ἑαυτῶν*, præpoſitionem & ipſe variauit. Quanquā quod ad ſignificationē attinet, aut nullā inter illa duo differentiā eſſe, aut exiguā, videri poteſt. Id enim indicare voluerūt patres cōcilij Tridētini ſeſſ. 14 cap. 8, quū ad hunc locū reſpicientes, eadem vſi ſunt præpoſitione, *Qui ex nobis*, inquiūt, *tanquā ex nobis nihil poſſumus, eo cooperāte qui nos cōfortat, omnia poſſumus.* Eſt autē accipienda apoſtoli ſententia de cogitatione eius, *quod attinet ad pietatis viam* (aliās *vitam*) *& verum Dei cultum:* vt exponit Auguſtinus lib. de dono perſeuerantiæ cap. 13. Siue alijs verbis, *quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ:* vt exponit Arauſicanū concilium can. 7. Deque ea cogitatione non qualicunque, ſed afficiēte voluntatē. Nā bonū aliquid & piū cogitare ſola mētis apprehēſione, ſic vt volūtas rei cogitatę vel apprehēſæ nullatenus afficiatur, poteſt homo ex ſeipſo ac ſolis naturę viribus: neq; ad huiuſmodi cogitationē opus habet gratia Dei per Chriſtū. Quāquā illud propriè nec Latinis eſt cogitare, nec Græcis *λογίσεσθαι*. Quod quidem verbū non ſimpliciter ſignificat animo quippiam apprehēdere, ſed cum deliberato rationis iudicio & volūtatis affectu circa rē apprehēſam. Sic enim & aliās hāc vocē Paulus vſurpat, vt Phil. 4, *Quæcunque ſunt vera, quæcunq; pudica, quæcunque iuſta*, &c. *hæc cogitate.* Quare qui pro *cogitare* verterunt hoc loco *reputare*, quomodo legit Hieronymus, ex aliena, vt exiſtimo, trāſlatione; non ſatis vim Græcæ vocis, vt hic à Paulo ſumitur, aſſecuti ſunt: licet ea verſio bene conueniat alijs quibuſdā locis apud eundem apoſtolum, vt infrà cap. 5, *Non reputans illis delicta ipſorum*. & cap. 10 ſemel & iterum, *Hoc cogitet apud ſe.* & 1 Cor. 13, *Charitas non cogitat malum*, iuxta ſenſum illic à nobis probatū. Eadē ferè ratio de voce *æſtimare*, quæ legitur in textu Ambroſiano. Capitur etiam interdum *λογίσεσθαι* pro ſuo compoſito *συλλογίσεσθαι*, *ratiocinari*, vt eodē cap. 13 prioris ad Cor. *Cogitabā vt paruulus.* & Marci 11, *Cogitabant ſecum dicētes, Si dixerimus, de cælo* &c.

Græca vocis ἱκανοὶ ſignificatio declaratur.

An eadē, à nobis & ex nobis.

Quid apoſtolo cogitare aliquid.

Quod Lucas cap. 20 per cōpoſitum exponit *συνελογίσαντο*. Sed ea ſignificatio non quadrat huic loco; qui voluntatis affectū præcipuè requirit: vt hęc apoſtoli ſententia reſpondeat cū illa qua dicit 1 Cor. 12, *Nemo poteſt dicere Dominum Ieſum*, ſcilicet ex pio cordis affectu, vt illic expoſitum eſt; *niſi in Spiritu ſancto.* Senſus igitur huius loci eſt: Gloriamur apud Deū de noſtro erga vos miniſterio, eiuſq; ſucceſſu: nihil interim nobis vēdicantes, vt qui nō valeamus boni quippiā quod ad rē euangelicā aut omnino ad pietatē pertineat, ex proprijs naturæ noſtræ viribus vel cogitare: quāto minus agere & exſequi! Addit apoſtolus, *quaſi ex nobis:* quia cogitamus quidem à nobis vel ex nobis ea quæ bona ſunt: id eſt, mente & ingenio, atq; etiā voluntate noſtra cogitationem eiuſmodi exercemus, ſed nō quaſi ex nobis: quia nō ad hoc ſufficiunt vires naturæ: vt differant quidem *à nobis*, & *quaſi ex nobis:* non tamē differāt *à nobis* & *ex nobis*: quomodo nō differūt *ex fide* & *per fidē*, Rom. 3 v. 30, & infrà hoc cap. v. 11, *per gloriā* & *in gloria.* Si quis tamen hic vrgēdā putet præpoſitionis mutationē, reddere poterit hūc ſenſum: nos nō poſſe cogitare aliquid à nobis; ita vt ex nobis, nō ex alio. Quod velle videtur ſequens antithetum, *ex Deo.*

Ex nobis ne cogitare quidem aliquid boni poſſumus.

SED SVFFICIENTIA NOSTRA EX DEO EST. *Sufficientia.* Græcè *ἱκανότης*, *idoneitas.* Sed, inquit, quod idonei ſumus ad aliquid boni vel cogitandū vel agēdū; & ſemel, quidquid boni poſſumus, id totū ex Deo eſt per Chriſtū. Nā illud *per Chriſtū*, iam antè præmiſerat. Vtitur hoc apoſtoli teſtimonio, *Nō quod idonei ſimus cogitare aliquid* &c. B. Auguſt. aduerſus Pelagianos, quo doceat nec boni cupiditatem, nec fidē, nec ipſius initium fidei, nec vllius operis boni progreſſum & perſeuerātiā, nos ex nobis habere, ſed ex Deo. Loca ſunt l. 2 contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 8, lib. de prædeſtinatione ſanctorum, cap 2, & lib. de dono perſeuerantiæ cap. 8 & 13. Vtuntur eodē teſtimonio patres Arauſicani concilij can. 7, quo definiāt eū *hæretico falli ſpiritu*, qui dixerit hominē *per naturæ vigorē bonū aliquod ad ſalutem pertinens vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere, ſiue ſalutari, id eſt, euangelicæ prædicationi conſentire poſſe, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti.* Porrò Græci commentatores, Chryſoſtomus, Theophylactus & Oecumenius apoſtoli mētē explicātes loquūtur his modis: *non aliud eſſe noſtrum, aliud Dei:* adeoque *nihil planè noſtrū eſſe, ne minimū quidem: ſed totum Deo aſſcribendum.* Legat præterea qui volet ea quæ ſcribit in hūc locū S. Thomas, doctè prorſus ac ſolidè; vbi præter alia affirmat etiā philoſophi ſententiā fuiſſe, *quod nunquā homo per liberū arbitriū poteſt vllū bonū facere ſine adiutorio Dei: Qui*, inquit, *& homines mouet, & omnia quæ agunt, ad actiones ſuas.*

Quicquid boni poſſumus, totum ex Deo eſt.

Nota.

Nō aliud noſtrum, aliud Dei.

Deus & homines & omnia quæ agūt ad actiones ſuas mouet.

6 QVI ET IDONEOS NOS FECIT MINISTROS NOVI TESTAMENTI. Tranſit apoſtolus ad commonſtrandam dignitatem & excellentiam miniſterij ſibi crediti: quod

erat

erat ministeriũ nouæ legis; idq; ex cõparatione eius cũ lege veteri. *Idoneos fecit*. Græcè ἱκάνωσεν, pro quo Hieronymus legit, *dignos fecit*. Nã & noster interpres eãdem vocem alibi sic transtulit, vt Col. 1, *Qui dignos nos fecit in partẽ sortis Sanctorũ*. Verũ quia deriuatiuum est hoc verbum à nomine ἱκανοὶ, quod præcessit, & nõ aliter verti debuit quàm *idonei, sufficiẽtes*; quẽadmodũ & ἱκανότης, *idoneitas, sufficientia*: propterea conformiter est vertendũ: *Qui & idoneos, siue sufficientes nos fecit* &c. Vt sensus sit: Qui Deus, inter alia bona quæ ex ipso habemus, etiam hoc nobis apostolis cõtulit, quod aptauerit & idoneos reddiderit noui testamẽti ministros: idoneos autẽ, id est, non quæ nostra sunt, quærẽtes, sed ea quę Iesu Christi; neque verbũ Dei adulterantes, sed ex sinceritate tanquã corã Deo illud annunciantes. Talem enim suprà descripsit idoneũ euangelij ministrũ: id est, eũ de quo interrogauerat: *& ad hæc quis idoneus?* vt ista sit velut respõsio: Nos idonei sumus, non ex nobis, sed ex Deo, qui nos idoneos fecit noui testamenti ministros. Est autem nouũ testamentũ, pactum seu promissio vitæ æternæ gratuitò donãdæ nobis à Deo per Christum. Quò referenda sunt omnia dona virtutum ac bonorũ operum per quæ vitã æternam quacũq; ratione meremur atq; consequimur. Hoc ergo Dei beneficiũ qui annũciãt hominibus, noui testamẽti ministri sunt.

Qui idonei ministri noui testamenti.

Quid nouũ testamentum, & qui eius ministri.

NON LITERA, SED SPIRITV. Græcè, οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος, *non literæ, sed spiritus*. Quomodo verisimile est interpretẽ vertisse. Sic enim & mss. quædam legunt, & in his Erasmo teste duo Constantienſia: nec non veteres concordantiæ: exstatq; eadem lectio apud Augustinũ l. de spiritu & litera cap. 17 & 20. Quid verò legerit Ambrosiaster, ex eius cõmentario percipi nõ potest. Pelagius quoq; & Sedulius quid legerint, nõ liquet, nisi quòd ex eorũ scholio (quod alter ab altero sumsit) apparet tertiũ casum eis lectum fuisse, *non literæ, sed spiritui*. Porrò sextus casus obrepsisse videtur ex simili loco qui est Rom. 2, *in spiritu, non litera*. Est autem hæc pars expositio eius quod dixerat, *noui testamenti*. Sensus enim est; fecit nos idoneos ministros noui testamẽti; nõ inquam ministros literæ, id est, legis scriptæ & datæ per Moysen, quæ est lex vetus: sed ministros spiritus, hoc est, ministros legis nouę, qua Spiritus S. datur ad legem implendã. Sensum hunc, simul & Græcã lectionẽ confirmat, quæ paulo pòst nominatur, *ministratio Spiritus*. Spiritũ autẽ sanctũ intelligi, patet ex eo quod postea subijcit, tãquã seipsum exponẽs: *Dominus autẽ Spiritus est*. Iã quanto præstabilius sit ministerium Spiritus, ministerio literę, docet ex insigni discrimine literæ & Spiritus, dicẽs:

Litera & Spiritus hoc loco quid significent.

LITERA ENIM OCCIDIT: SPIRITVS AVTEM VIVIFICAT. Per literã, vti dictũ est, lex in tabulis scripta, ac veteri populo data significatur. Per Spiritũ verò Spiritus sanctus intelligitur, quatenus author est nostræ sanctificationis ac renouationis, idq; præcipuè per charitatem, quã cordibus nostris infundit. Itaq; sensus est: Lex scripta, quã Deus per Moysen dedit, si sola sit, ac Spiritu destituta, (quod est lex vetus) occidit, hoc est, eos quibus data est, æternæ morti reddit obnoxios: non quidẽ per se suoq; vicio. (*Lex enim sancta, & mandatum sanctũ & iustũ & bonum*, Rom. 7) sed ex occasione latentis in eis cõcupiscentiæ: de qua sub nomine peccati ita scribit apostolus eodẽ loco: *Occasione accepta, peccatũ per mãdatum operatum est in me omnem concupiscentiã. Sine lege enim peccatum mortuum erat: sed cùm venisset mandatum, peccatũ reuixit; & inuẽtum est mihi mandatum, quod erat ad vitã, hoc esse ad mortẽ.* Porrò Spiritus, per gratiã qua nos efficit legis obseruatores, viuificat nos, id est, æternæ vitæ cõstituit hæredes. Sensum quẽ dedi de litera occidẽte, illud præterea cõprobat, quod proximè pòst verba iã citata ex epistola ad Rom. subiungit apostolus: *Nã peccatũ occasione accepta per mãdatum seduxit me, & per illud occidit:* vtique reddendo obnoxiũ morti æternę. Neque enim aliud est, peccatũ occidere hominẽ per mandatum; quã, legem seu literã occidere hominẽ occasione peccati. Cõferendę sunt & aliæ Scripturæ, vt Rom. 4, *Vbi non est lex, nec præuaricatio*. Et cap. 5, *Lex subintrauit vt abundaret delictum*. 1 Cor. 15, *Virtus peccati lex*. Et Gal. 3, *Lex propter transgressiones posita est*. Ex quibus omnibus, ac potissimũ ex cap. 7 epist. ad Romanos, satis liquet eos haud assecutos mentẽ apostoli, qui literã interpretãtur occidere, quod lex Moysi tẽporale suppliciũ mortis, vt erãt lapidatio, crucifixio; trãsgressoribus cõminetur & irroget: quæ Græcorum, & inter Latinos Ambrosiastri est expositio. Constat enim apostolum eo loco non agere de eiusmodi supplicio, sed de morte æterna: de qua dixerat cap. 6, *Stipendia peccati mors*. Alioqui certè permulti, tempore veteris legis, vel occultè peccantes in legem, vel potentiores, qualis Dauid adulter & homicida (quod vtrumque crimen secundùm legem erat capitale) suppliciũ mortis euadebãt: vt in ijs iuxta sensum Græcorum, locum non haberet, *litera occidit*. Denique si literam occidentẽ de morte temporali interpreteris, oportebit & Spiritum viuificantem de vita tẽporali intelligere: vt consistat antithesis. Id verò quã sit à mente Pauli remotũ, scopus doctrinæ eius palã ostẽdit. Atqui multo minus hæc sentẽtia significare voluit apostolus, literalẽ siue historicũ scripturæ sẽsum, occidere, id est, noxã adferre, lectori: mysticũ verò sensum, quẽ spiritualẽ vocãt, viuificare, id est, ad pietatẽ cõducere. Qui sensus priori parte falsus est, & ad Origenis dãnata dogmata reijciẽdus. Quãquam interdum accommodatur hæc apostoli sententia non malè, (quemadmodum fecit Augustinus lib. 3 de doctrina Christiana c. 5) ad significãdum quod interpretari scripturã vbiq; sic ad literam, vt verba sonant; ducit in errorem: vt si Deo caput, manus, pedes, animam propriè tribuas; quoniam hæc in scriptura Deo legũ

Spiritus viuificat.

Refellitur Græcorũ expositio de literã occidente.

Sensum scripturæ literalem occidere, falsò dicitur.

Quo sensu litera scriptura occidat.

Anthropomorphita.

Anthropopathitæ

tur attributa. Quo sensu, litera occidit Anthropomorphitas; nec non eos qui simili ratione misericordiã, iram, pœnitentiã, & alias huiusmodi affectiones propriè putauerũt esse in Deo, velut Iudæi, & inter Christianos Lactantius, alijque nonnulli: quos anthropopathitas appellare possumus. Antitheses huic loco non dissimiles sunt illæ; *Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam*, Ioan. 6, *Scientia inflat, charitas ædificat*, 1 Cor. 8. In altero nãq; caro spiritu destituta prodesse negatur: in altero scientia caritate vacua dicitur inflare. Plenioré intelligẽtiã discriminis hic assignati inter legé veterẽ & nouam si quis desideret, legat Augustini librũ de spiritu & litera à 4 capite vsque ad 25, itẽ quę scribit lib. 15 cõtra Faustum cap. 8, lib. 2 contra aduersarium legis & prophetarũ, cap. 7, serm. 3 de verbis apostoli cap. 10 & 11, & lib. 3 contra duas epistolas Pelagianorum cap. 7, & lib. 4 cap. 5.

7 QVOD SI MINISTRATIO MORTIS LITERIS DEFORMATA IN LAPIDIBVS FVIT IN GLORIA. Ex dato discrimine literæ & spiritus, iam colligit, quanto plus gloriæ debeatur ministerio nouæ legis quã veteris. Quod Græcè est διακονία, noster interpres hoc & sequenti capite vertit *ministrationem*; ac semel duntaxat *ministerium*. Alij quidam *administrationem* malunt: tametsi reuera magis quadrat ministerij nomen. Nec Græcè est, *literis*, sed *in literis* ἐν γράμμασι; quemadmodum & Augustinus legit loco memorato contra legis aduersariũ. Iuxta quam lectionẽ, quæ nobis germana videtur, adhæret hæc particula præcedentibus, *Quod si ministratio mortis in literis*, id est, ministratio literæ occidentis: vt interposito commate sequatur: *Deformata in lapidibus.*

Deformata quid hoc loco.

Deformata non aliud est quàm *insculpta*. Simplici verbo *formata* legit Ambrosiaster. *Figurata* legit Augustinus de spiritu & litera cap. 14, & Beda in textu. Vtrũq; reperies apud Augustinũ scribentẽ contra aduersariũ legis. Græcũ ἐντετυπωμένη sonat *informata*; quod tamen interpres melius atq; elegãtius extulit *deformata*: quomodo Quintilianus dixit *marmora prima deformata manu*: & Vitruuius, *Tragicæ scenæ deformantur columnis, signis & regalibus rebus.* Quod sequitur, *fuit in gloria*, ἐγενήθη ἐν δόξῃ, potuit etiã verti, *fuit*, seu *facta est in claritate*. Sensus autem huius partis est: Quod si ministeriũ legis occidentis atque mortiferæ, tabulis lapideis insculptæ, glorioſum fuit, vtpote glorificatum per insignẽ claritatem & splendorem vultus Moysi, quando secundò descendit de monte legem adferens; vt habetur Exodi 34. Alij ministrationẽ mortis in literis, exponũt. legem mortis ministratam: vt aptius ei iungatur quod sequitur, *deformata in lapidibus*. Quæ expositio commoda quidem est: sed quia scopus est apostoli, ministerium cũ ministerio cõparare: idcirco prior sensus accõmodatior esse videtur ad eius mentem explicandam.

Cõparatio ministerij veteris legis cum ministerio nouæ.

ITA VT NON POSSENT INTENDERE FILII ISRAEL IN FACIEM MOYSI, PROPTER GLORIAM VVLTVS EIVS QVÆ EVACVATVR. *Intendere*, Græcè ἀτενίσαι, ad oculos refertur. Ambr. legit *intueri*. Nec in Græco diuersum est vocabulũ, sed idẽ, πρόσωπον, quod interpres in eadẽ hac periodo prius *faciẽ* vertit, postea *vultum*: consultò, vt arbitror, ne si faciẽ secundo loco dixisset, videretur relatiuũ sequens, *quæ euacuatur*, ad faciem pertinere. Sẽsus: Adeò clarificatum fuit illud legis occidentis ministerium, vt non possent filij Israël intẽtis oculis aspicere faciem Moysi ministrãtis legem: idque propter gloriam seu claritatẽ vultus eius insigniter radiantis *ex consortio sermonis Domini*: vt habetur Exodi loco suprà dicto. Partem sequentem, *quæ euacuatur*, quidam ex Latinis ad ministrationem, alij ad legem retulerunt: sed ex Græco manifestum est non aliò quàm ad *gloriam* referri posse; quæ dicitur euacuari seu potius aboleri; quia claritas illa vultus Moysi transitoria erat ac modici temporis. Hoc addens apostolus, materiam dat nouo argumento, quod ipse statim explicat versu 11. Cęterùm idcirco ministeriũ veteris legis aliqua gloria, tametsi non magna nec diuturna dignum habitũ fuit; quia licet veteri populo fuerit ministratio mortis; ipsa tamen lex sancta erat & diuina; atque eo saltem officio fungebatur erga electos, vt esset illis *pædagogus ad Christum*: quemadmodum docet apostolus Gal. 3. Pendet adhuc periodus, & absoluitur erotemate sequenti.

Quare ministeriũ veteris legis glorificatũ.

8 QVOMODO NON MAGIS MINISTRATIO SPIRITVS ERIT IN GLORIA? Id est: Cur non magis ac potius ministerium nouæ legis, quæ viuificãtem Spiritum subministrat; glorificabitur? scilicet ea gloria quæ in futurũ sæculum promissa est. De qua gloria loquitur expressius Rom. 8, vocans eam gloriã adoptionis filiorum. Nam licet illa sit futura cõmunis omnibus electis; lõgè maior tamen ijs continget, qui se præbuerint idoneos noui testamẽti ministros: vt per quos cęteri fuerint ad gloriã adducti. Argumẽtatio Pauli perspicua est; & sequela manifesta, à minori ad maius. Postulat enim ratio, vt ministerium vitæ multo magis glorificetur, quàm ministerium mortis.

Gloria ministerij nouæ legis in futurũ seruata.

9 NAM SI MINISTRATIO DAMNATIONIS GLORIA EST. Rem eandẽ alijs verbis inculcat. In multis codicibus legebatur, *in gloria est*: sed verã lectionem restituit nobis editio Romana, consentanea Græco & Syriaco textui: quæ & habetur in multis mss. & in antiquis concordãtijs, & apud Augustinũ loco sæpe dicto cõtra aduersariũ legis. Suffragatur itẽ textus Ambr. qui sic habet: *Si enim in administratione damnationis est gloria*: nec non Primasij atque Sedulij, apud quos ita legitur, *Nã si ex ministerio dãnationis gloria est*. Deniq; textus & commentarius Haymonis. Nec additur in Græco verbum *est*, magisq; cõgruere videtur verbum *fuit*: vt sensus sit, Quod si ministeriũ legis, quæ reddit homines æternæ damnationi & morti obnoxios, gloria fuit, id est, res glorioſa: Sequitur:

MVLTO MAGIS ABVNDAT MINISTERIVM IVSTICIÆ IN GLORIA. *Abundat*, Hebręa phrasi idem quod *excellit*: quomodo verterunt Erasmus & Hĕtenius. Igitur, inquit apostolus, multo maior & excellentior debetur gloria ministerio nouæ legis, quæ iusticiam confert, qua damnatio mortis euaditur, & vita acquiritur. Liquet ex dictis, idem esse Paulo ministerium mortis & dānationis: idemq; è diuerso ministerium Spiritus & iusticiæ. Est autem obseruandum hoc loco, Paulum non cōparare Moysen cum Christo, sed cum apostolis Christi. Non enim Moyses suam tulit legem: sed eam quam Deus illi dictauerat tanquam verus legislator. At verò Christus non solum vt minister, sed vt Dominus, etiam quatenus homo, suam ipsius legem attulit mundo. Quare non cum Christo, sed cum Christi ministris, id est, apostolis, qui nouam legem à Christo latam mundo publicarunt; Moyses, tanquam veteris legis administer, non autem ipsius propriè legislator, comparandus fuit. Nam si Moysen cum Christo cōferas, quod alibi facit apostolus, vt Heb. 3; ea ratione iam multo latius & incomparabiliter maius erit vtriusque legis discrimen.

Ministeriū iusticiæ quod dicatur.

Non comparatur Moyses cū Christo, sed cum apostolis Christi. Christus propriè legislator, nō Moyses

10 NAM NEC GLORIFICATVM EST QVOD CLARVIT IN HAC PARTE, PROPTER EXCELLENTEM GLORIAM. Mutat interpres verbum quod in Græco vnum idemque est: ac si Græca Latinè sic reddas: *Namque ne quidem glorificatum est quod glorificatum est*, &c, Vel, *Nequidem claruit quod claruit*. Vtitur autem apostolus eo ipso verbo & participio quod legerat apud interpretes LXX, Exod. 34, δεδόξασαι, δεδοξασμένον, id est, *claruit*, *clarificatum*. Nec dissonat quod ex Hebræo vertit Hieronymus *Cornutam Moysi faciem* fuisse: nam vox Hebraica קרן *Karam*, significat quidem cornificare, seu cornua proferre: sed vsurpatur pro eo quod est, promicare emissis radijs, velut directis cornibus. Quod enim suspicantur nonnulli scriptum illic ab interprete fuisse *coruſca*, quod librariorum oscitantia mutatū fuerit in *cornuta*; vana est coniectura. Sensus apostoli est: Etenim *in hac parte*, id est, in hac comparationis materia, ne dicendum quidem est glorificatū fuisse quod olim glorificatum est; nempe veteris legis ministerium: idque propter eminentem longeque superiorem gloriam ministerij nouæ legis. Quasi dicat; tam excellens erit gloria ministerij euangelici, vt ministerium Mosaicum, etsi per se splendidum & glorioſum fuerit, tamen cum euangelico collatum, prorsus inglorium fuisse videatur. Theodoritus & ex eo Oecumenius, pulchrè rem declarant comparatione lucernæ; cuius lumen noctu splendidissimum, meridie absconditur, ac ne lumen quidem esse putatur: videlicet à lumine solis obscuratum. Caietanus sensum huc adfert multò alium: tanquam velit apostolus, gloriam Moysi vnde maior fuit, inde redditam esse minorem: vt cuius excellentia præstiterit impedimentum gloriæ. Sic enim exponit: *Id quod glorificatum est in hac parte, id est, in facie Moysi, non est glorificatum simpliciter & absolutè: quia impeditum est ab intuitu propter excellentiam gloriæ nimiæ splendore opprimentis visum.* Ita Caietanus, parum attendens ad phrasim apostoli, *in hac parte*: qua vtitur & infrà cap. 9, v. 1, & exponit versu 4, dicens, *in hac substantia*, id est, materia. Quanquam & absurdum est claritatem Mosaicam hoc argumento extenuare, quod præ sui magnitudine intuentium oculos perstrinxerit: velut si quis claritatem solis absolutè claritatem esse neget, eo quod aspectum eius oculi mortalium non ferant.

Cornuta facies Moysi, quo sensu.

Expositio Caietani improbatur.

11 SI ENIM QVOD EVACVATVR, PER GLORIAM EST, MVLTO MAGIS QVOD MANET, IN GLORIA EST. Verbum substantiuum in neutro membro Paulus Græcus expressit, sed intelligendum reliquit: in priori quidem præteritum *fuit*, in altero autem futurum *erit*. Eadem verò sunt, *per gloriam*, & *in gloria*: nisi quod *per gloriam* innuere videtur aliquid momentaneum ac transitorium: *in gloria* aliquid manens ac stabile. Argumentatur autem apostolus ex eo quod paulo antè dixit gloriā vultus Moysi euacuari, seu aboleri: per quod significatū fuit ipsum eius ministeriū, ipsamque legem quam ferebat, abolendam esse. Tale igitur est argumentum, rursus à minori: Si ministerium quod cum lege abolendum erat, iamq; abolitum est, glorioſum fuit: multo magis ministerium legis vsque in finem sæculi permansuræ, glorioſum erit. Siquidem maior debetur gloria rebus mansuris quàm abolendis. Alij legem Christi, id est, nouum testamentum permansurum interpretantur, non modò ad finem vsque sæculi, sed in sempiternum, propter effectus eius qui sunt æterni: quo sensu Christo tribuitur sempiternum sacerdotium, Heb. 7. Nec aliter sanè ministerium nouæ legis æternum dici potest: quum constet ipsum secundum se post hanc vitam cessaturum: Quocirca nonnulli rationem adferunt haud incongruam abolitionis & permanentiæ de qua loquitur apostolus, ex timore & charitate; velut effectibus. Lex enim vetus, lex erat timoris; vt lex noua, lex est charitatis. Quod autem timor abolendus sit, ostendit illa Ioannis sententia 1 epistolæ 4, *Perfecta charitas oras mittit timorem*. Charitatem verò mansuram Paulus testatur 1 Cor. 1, dicens: *Charitas nunquam excidit*. Innititur hæc ratio officio veteris legis circa electos, quod erat, vt suprà diximus, esse pædagogum eorum ad Christum. Id enim officij præstabat per timorem, sub quo electos ad tempus cōtinebat, donec ad Christum eos adduceret. Hanc rationem tradit Augustinus l. de Spiritu & litera cap. 18, vbi loquens de vetere & nouo testamento, sic ait: *Ideo illud euacuatur, hoc manet: quoniam terrens pædagogus auferetur, cùm timori successerit charitas.*

Ministeriū Moysi euacuatū

Ministeriū nouæ legis mānsurum, quo sensu.

Ratio diuersitatis ex timore & amore.

12 HABENTES IGITVR TALEM SPEM, MVL-

TA FIDVCIA VTIMVR. Postquam euangelici sui ministerij demonstrauit excellentiã præ ministerio veteris legis; agit nũc deinceps de recto vsu eiusdem sui ministerij. In quo argumento versatur ab hoc loco vsque ad cap. 7. Ac primùm docet ad ministrum nouæ legis pertinere, vt palàm, apertè ac liberè doctrinã euãgelij proponat. Nam pro *fiducia*, Græcè est παῤῥησίᾳ; quo nomine significatur libertas & audacia loquendi id quod verum est: quę non solum opponitur silentio, verùm etiam assentationi. Quo vicio plurimum laborabant pseudapostoli. Græcum verbum χρώμεθα, pro quo legimus, *vtimur*, commune est, modo exhortantis, *vtamur*: sicque legit & exponit nũcupatus Ambrosius. Quæ lectio conspicitur etiam in quibusdam libris mss. Verùm certe præsens locus postulat indicatiuum *vtimur*, quod in multo pluribus legitur & melioribus. Nam hic & in sequentibus enunciatiuè loquitur apostolus, sub exemplo fidorũ euangelij ministrorum, in quibus se numerat; rectum ac legitimum illius ministerij vsum cõmonstrans. Cùm igitur, inquit, nos euangelicæ legis ministri spem habeamus tam excellẽtis glorię, quam ex ministerio nostro exspectamus; multa libertate vtimur in euangelio prædicando. Id enim conuenit luci ac gloriæ legis euangelicę. Quod declarat verbis subiunctis.

Euangelij doctrina palàm ac liberè proponenda.

13 ET NON, SICVT MOYSES PONEBAT VELAMEN SVPER FACIEM SVAM. Explẽda sententia est, Et non facimus sicut Moyses, qui (quemadmodum in Exodo legitur) velamen ponebat super faciem suam. Id est, non occultamus euangelij lucem, sicuti Moyses in typo fecit, occultans eam Israëlitis. Hoc enim est quod sequitur.

VT NON INTENDERENT FILII ISRAEL IN FACIEM EIVS QVOD EVACVATVR. Græcè & Syriacè. *In finem eius quod aboletur.* Sed & Augustinus *in finem* legit atque exponit, contra legis aduersarium scribens, & lib. de Spiritu & litera cap. 17, & alijs locis à Beda collectis: nisi quod alteram addat præpositionem, *vsq; in finem*: quod Græcæ veritati non consonat. Rursus *in finem* legitur in textu Ambrosiano prioris editionis: sicque legendum esse, commentarius arguit. Pelagium quoque, Primasium & Sedulium legisse *in finem*, vel *ad finem*, satis certò colligitur ex eorum scholijs: licet apud duos priores textus mutatus sit à scribis in id quod vulgati codices habent: quamuis & interpretem nostrum *in finem*, non *in faciem* scripsisse, plusquam verisimile est. Qui si scripsisset *in faciem*; id quod in Græco sequitur, τῦ καταργουμένυ, non vertisset *eius quod*, sed *eius qui euacuatur*, scilicet Moysi; cuius in faciem intendere filij Israël nõ possent: quando nec ea similitudo vocum est in Græco quæ in Latino: vt facilè altera pro altera scribi potuerit. Nam quod à nonnullis allegantur exemplaria quędam Græca quæ hãbeant εἰς τὸ πρόσωπον; certè eiusmodi nulla à Ro. Stephano sunt annotata: ac merito suspicatur Erasmus illa talia ad Latinorum lectionẽ fuisse correcta. Deniq; Græcos expositores τέλος, non πρόσωπον legisse, perspicuè declarãt eorum cõmentarij. Quod ad sensum attinet, Chrysost. Theophylactus & Oecumenius significari putant Israëlitas non potuisse videre quod finem haberet lex: id est, quod aliquando foret abroganda. Sunt alij qui finem hunc interpretantur intima, profunda & arcana legis, id est, mysteria sub litera legis occultata. Quem sensum etiam apud Basilium videre est libro de Spiritu sancto cap. 21. Alij verò, sensu tamen non multùm diuerso, finem eius quod aboletur, Christum intelligũt. Nam vt *finis legis Christus*, Rom. 10, ita & finis est totius ministerij legis Ita sensus apostoli est, Moysen velo texisse faciem, ad significandum filios Israël non potuisse mentis oculos intendere in Christum, qui finis est eius ministerij, quod abolendum erat. Dicitur autem Christus finis ministerij Mosaïci, quia consummatio est & complementum eorum omnium quæ per Moysem fuerunt ministrata: nam & decalogus per eius gratiam perficitur; & omnis vmbrarum legalium significatio per eius aduentum impletur: *quia lex per Moysem data est; gratia & veritas per Iesum Christum facta est*, Ioan. 1. Finem interpretantur hoc modo, primum Augustinus vtroque loco superius citato: tum commentatores Primasius, Sedulius, Caietanus: & inter Græcos Theodoritus. Videtur & apostolus in hunc sensum paulo pòst exponere semetipsum, dicens: *Quoniam in Christo euacuatur*. Interim obserua Paulum eleganter & appositè rem gestam quæ in Exodo scribitur, ad allegoriam conuertere, & latens sub historia mysterium aperire. Moyses enim veteris legis, cuius erat minister, figuram gerebat; faciesque eius splendida præfigurabat gloriam Christi, cuius mysterijs grauida lex erat. Quod autem filij Israël non poterãt in faciem Moysi splendentem oculos defigere; significabat id quod iam dictum est ab apostolo, Iudaïcum populum non potuisse cognoscere Christum, ad quem vt finem & complementum, lex tota referebatur. Porrò velum positum ante faciem Moysi, & oppositum oculis populi, statim ipse Paulus interpretatur velum obtusionis, siue hebetudinis ac duricię positum super cor Iudæorum, quo nimirum impediebãtur, ne in Christum eiusque mysteria per fidẽ aspicerent quę res etiam significata fuit per *velũ templi*, quod Christo moriente, *scissum fuisse in duas partes* Matthæus Euangelista commemorat c. 27. Postremò quid Moysi conuersio ad Dominũ, ac veli depositio significet, infra suo loco ex mẽte Pauli conabimur explicare.

Intendere in finem eius quod euacuatur, quid significet.

Finis legis Christus.

Scripturæ à Paulo eleganter ad allegoriã multiplicem conuersæ.

14 SED OBTVSI SVNT SENSVS EORVM. Græcè, ἀλλ' ἐπωρώθη τὰ νοήματα αὐτῶν, *sed obcalluerunt sensus*, seu *cogitationes*, seu *mentes eorum*. Nam *cogitationes* vertit suprà cap. 2 v. 11. *mentes* infrà cap. 4 v. 4. *Occalluerunt* autem, id est, *obduruerunt*.

obdurauerunt. Alij vertunt, *excæcati sunt*: quomodo sequenti capite legitur *Deus huius sæculi excæcasse mentes infidelium*. Verùm illic diuersum & proprium est verbum ἐπώρωσε. Tertullianus & Cyprianus cum interprete nostro legunt *obtusi sunt*: ille libro 5 contra Marcionem cap. 11. iste contra Iudæos lib. 1, testimonio 4. *Sed* pro *quia* positum videtur, vt aliàs interdum; quemadmodum & Thomas exponit: vt significetur filios Israël ideo non intendisse animum in finem legis; quod haberent sensus animi obtusos, obduratos & excœcatos: id quod alibi sæpe de ijs scriptura testatur.

Obduratio & excæcatio Iudæorũ.

VSQVE IN HODIERNVM ENIM DIEM ID IPSVM VELAMEN IN LECTIONE VETERIS TESTAMENTI MANET NON REVELATVM. Partem illam, *vsque in hodiernum diem*, submota coniunctione *enim*, Ambrosiaster, Pelagius & Primasius annectunt ei quod præcedit: quemadmodum & Cyprianus. Verùm nostra lectio Græcis & Syris, ipsíque Tertulliano consentanea est: & sensum recipit commodiorem. Exponit autem apostolus quod dixerat de velamine posito super faciẽ Moysi: & sensus est: Idem illud velamen quod olim super faciem Moysi positum prohibebat eius intuitum, remanet in præsens vsque tempus, non retectum siue non ablatum à cordibus Iudæorum, quoties libros veteris testamenti legunt. Vocat idem velamen eo tropo sermonis, quo signum dicitur idem cum re significata. Nam, vt ante dictum est, velamen illud Moysi faciem tegens, signum erat ac figura velaminis obtegentis corda Iudæorum.

Velamen super faciẽ Moysi quid significauerit.

QVONIAM IN CHRISTO EVACVATVR. Variant exemplaria tam impressa, quàm mss. alijs *quoniam*, alijs *quod* legentibus. Nam & Græcum ὅτι ambiguum est ad *quoniam* & *quod* relatiuum. Similiter autem & ex Syriaco alius *quoniam*, alius *quod* transtulit. Prioribus suffragantur veteres concordantiæ, & textus Ambros. Bedæ, Haimonis, Lombardi, Heruæi, Carthusiani: nec non Augustinus libro 3 contra duas epistolas Pelagianorum cap. 4. Posterioribus annuit textus Pelagij & Primasij, item glossatoris, Aquinatis, Lirani. Sensus tamen eòdem redit. Nam relatio fit ad velamen quod aufertur & aboletur in Christo, id est, non nisi per Christum, qui finis legis est, fide receptum. Quem cùm Iudæi non receperint; sequitur nondum esse remotum ab eorum oculis, id est mentibus, velamen.

Varia lectio huius loci.

15 SED VSQVE IN HODIERNVM DIEM, CVM LEGITVR MOYSES, VELAMEN POSITVM EST SVPER COR EORVM. Repetit idem vt addat aliquid, quo velaminis significationem clarius explicet. Sed, inquit, vsque in hoc tẽpus, cũ in eorũ synagogis legitur lex vetus à Moyse scripta (legebatur autẽ per omne sabbatũ, Actor. 15) manet velamen superpositum cordibus eorum. Vbi significatur velamen istud esse aliquid inhærens animis Iudæorũ. Quocirca non obscuritas librorum legis, & prophetarum, vt quidam volunt; sed mentis, vti diximus, hebetudo, quam parit affectio carnalis ac terrena, qua nimirum mens impeditur, ne scripturas intelligat, & veritati quam loquuntur, acquiescat; quod est nolle credere: mysticè per velamen significata videtur. Ita plerique commentatores, & ante eos Origenes homilia 12 super Exodum. Neque necesse est duo secundum apostolum facere velamina mystica: quorum alterum sit velamen lectionis, id est, obscuritas legis; alterum velamen cordis, id est, infidelitas legentium; vti distinguit Heruæus. Nam quod obscuritas legis & prophetarum non sit velamen ab apostolo significatum; satis etiam ex eo liquet quod illa obscuritate manente & non ablata, multi crediderunt. Nec verò mirandum, si velamen idem positum dicatur super faciem Moysi, & super corda Iudæorum. Siquidem & ipse Moyses legem ferẽs carnalem, quemadmodum & Isaac cæcutiens, & Iacob claudicans, Gen. 27 & 32, figuram gesserunt carnalis & cæcutientis & claudicantis populi Iudaïci. Legem dico carnalem, propter promissa temporalia & cęrimonias carnali populo accommodatas. Nam & Heb. 7 *legem mãdati carnalis legimus.*

Velamen non significabat obscuritatem legis, sed hebetudinem mẽtis Iudæorum.

Lex carnalis.

Lex Moysi legebatur in synagogis per omne sabbatũ.

16 CVM AVTEM CONVERSVS FVERIT AD DOMINVM, AVFERETVR VELAMEN. Quod in quibusdam libris plurali numero legitur, *Conuersi fuerint*, contra fidem est tam Græci textus, in quo singulare est ἐπιστρέψῃ: quàm Latinorum codicum mss. quibus passim omnibus legitur, *conuersus fuerit*. Syriaca paraphrasis sic habet eodem numero: *Et cum aliquis ex eis conuersus fuerit* &c. Faciunt nobiscũ veteres Latini commentatores ad vnum omnes, ac ferè etiam posteriores: item Cyprianus in testimonijs iuxta priores editiones, & author quæstionum veteris ac noui testamẽti, quæst. 8. Nam quod Tertullianus actiuè legit, *Cum verò conuerterit* (*supple se*) *ad Deũ*, accidit ex ambiguitate verbi Græci, quod & transitiuè & absolutè sumitur, etiam in scriptura sacra: quemadmodum facilè est exemplis ostendere. Fefellit autem Caietanũ Erasmi versio, dum pro singulari reponit plurale *conuersi fuerint*. Est & alia lectio apud Augustinum lib. 12 contra Faustum cap. 4 & 39, & lib. de vtilitate credendi cap. 3, & alibi. Legit enim verbo secũdæ personæ, *Cum autem trãsieris ad Dominum*. Sed qui ita vertit, accepit ἐπιστρέψῃ, in secũda persona verbi medij: quẽadmodum & Theophylactus accepisse videtur. Sic enim habet eius interpretatio: *Quando conuerteris te ad Dominum, hoc est, quando à lege defeceris, acceſſerisq; spirituali euangelio, tũc auferetur velamen*. Sed ad nostram lectionẽ, quæ germanior est, redeamus: cuius sensum alij alium adferunt. Plerique sic exponunt: Cùm autem conuersus fuerit Israël ad Dominum, siue totus, vt in fine sæculi; siue aliquis ex eis: tunc auferetur velamen de cordibus eorum. Obstat huic expositioni verbum

Vera lectionis multiplex sensus.

singularis numeri, suppositio non respondẽte. Nam præcesserat plurale *eorum*. Ad quod si respiceret apostolus; non diceret, *cõuersus fuerit*, seu *conuersi fuerint*. Nam *Israel* lõgius præcessit, quàm vt eò referri cõmodè possit. Nec populum significabat, sed patriarcham. Addo, quod si de Iudæorum ad Deum conuersione loqueretur, potius è conuerso diceret, Cùm autem ablatum fuerit velamen, tunc conuertentur ad Dominum. Etenim ordine naturæ prius est vt impedimentum credendi tollatur, quàm vt credant: quomodo prius est aperiri fenestram domus, quàm solis radios in eam recipi. Proinde sentiunt probabilius, qui illud, *conuersus fuerit*, ad Moysen referũt, de quo dixerat, *Cùm legitur Moyses*. Vt hic iam nouum mysterium in Moysi persona præfiguratum nobis insinuetur. Vt enim Moyses faciem habens obuelatam gessit figuram populi Iudaici velamen habentis super cor suũ; ita videri potest idem Moyses, quando dimisso populo reuersurus ad Dei colloquium, velamen à facie remouebat, vti scribitur Exo. 34, significasse eos qui ex eodem populo tempore noui testamenti remoto cordis velamine conuertendi essent ad Dominum. Veruntamen si contextus apostolici sermonis attentè consideretur; nõ tam videbitur agere Paulus hoc loco de conuersione Iudæorum ad Dominum; aut de Moyse eam conuersionem significante, quàm de Moyse præfigurante populum Christianum. Hoc enim declarant illa verba sequentia: *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes*, &c. Igitur doctrinæ præsentis hæc summa est: Moyses auersus à Domino, & facie velatus, significauit populum veterem Deo contrarium, & cor habentem obscuratum. Idem verò Moyses conuersus ad Dominum, atque retectam habens faciem, typum gessit populi Christiani ad Deum conuersi, & reuelata cordis facie salutis mysteria contemplantis. Sanè notãdum est, Græcum verbum περιαιρεῖται, quod interpretes ferè transferunt passiuè, *auferetur*, magis habere significationem actiuam *auferet*, vel potius *aufert* in præsenti: quo magis intelligas apostolum non de Israële, sed de Moyse loqui: de quo legitur in Exodo, quod ipse *auferebat* velum de facie sua cùm Domino locuturus. Vbi LXX quoque eodem vsi sunt verbo περιῃρεῖτο, *auferebat*, quod & ab Oecumenio allegatur. Ex quibus apparet interpretes Latinos in vna voce vertenda bis hallucinatos esse: & quod pro actiuo reddiderint passiuum; & quod pro præsenti futurum. Apud vnum Cyprianum loco superius citato legitur præsentis temporis verbum, *aufertur velamen*.

Mysteriũ in Moyse ad Dominum conuerso præfiguratũ, quale.

17 DOMINVS AVTEM SPIRITVS EST. Nimirum ille Spiritus quem hoc capite iam aliquoties nominauit: id est, Spiritum Dei viui, per quem nouum testamẽtum distinxit à veteri: & cuius suppeditandi ministrum se docuit: quẽ etiam statim Spiritũ Domini nuncupat. Connexio talis est: Moyses ab Israele cõuersus ad Dominum, typus fuit nostri, qui transiuimus à litera ad Spiritum. Nam Spiritus ille Dominus est. Hoc addit, vt volunt Chrysostomus, Theodoritus & Oecumenius; ne minus aliquid nobis præstitum videatur, qui conuertimur ad Spiritum, quã Moysi, qui conuertebatur ad Dominum; quum Spiritus ipse sit Dominus. Est autem manifestus hic locus pro diuinitate Spiritus-sancti: quẽadmodũ id Græci tractatores bene declarãt: neq; enim alius Dominus quã verus Deus intelligi potest; ille videlicet ad quem Moyses se conuertebat. Et ne quis contendat nomen Spiritus hoc loco non esse personale, sed essentiale, velut ibi: *Spiritus est Deus*, Ioan. 4, vt quemadmodum eo loco significatur Deũ esse Spiritum, ita hic dicere velit apostolus, Dominum, id est, Christum esse Spiritum; (sic enim Ambrosiaster, & alij quidam eum secuti partem hanc interpretantur.) Refellit hoc argumentum Chrysostomus, atq; retorquet. Nam si illa propositio; *Spiritus est Deus*, πνεῦμα ὁ θεὸς, sic ordinanda est: Deus est Spiritus: quid ni est ista, Dominus Spiritus est: ὁ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν; ordinetur hoc modo, Spiritus est Dominus? suadente videlicet vtrobique eam constructionem articulo, qui posteriori vocabulo additus est. Qua ratione & illud Ioan. 1, *Deus erat Verbum*, Θεὸς ἦν ὁ λόγος, ita construitur, Verbum erat Deus. Verùm vtcumque se habeat responsio Chrysostomi ex articulo sumpta, (non enim scrupulo caret, propterea quod tam priori quàm posteriori vocabulo sit additus hoc loco articulus: quẽadmodũ & in eo quod habetur 1 Cor. 10, *Petra erat Christus*, vt illic à nobis annotatum est) certè Christum appellari Spiritum, apostolica consuetudo non habet: & huius loci circumstantia magis diuersum exigit.

Locus manifestus pro diuinitate Spiritus sancti. Occupatio.

An Christus Spiritus.

VBI AVTEM SPIRITVS DOMINI, IBI LIBERTAS. Spiritum quem Dominum vocauit, nunc Spiritum Domini vocat, sicut & suprà; Spiritum Dei: vt intelligamus Spiritum non sic vocari Dominum seu Deum, quin simul oporteat confiteri eum à Deo procedere. Porrò libertatem dicit oppositam seruituti. Hanc enim libertatem Græca vox ἐλευθερίαν significat. Intendit autem apostolus hac parte explicare mysticam significationem ablati velaminis. Vt enim velum impositũ subiectionis ac seruitutis cuiusdam indicium est in eo cui imponitur: quemadmodum docet apostolus 1 Cor. 11 v. 10, ita velaminis ablatio significationem habet donatæ libertatis, quæ donatio sit non per literam, sed per Spiritum. vt sensus sit; Spiritus Domini, cùm ipse sit Dominus, ideoque liberrimus; de quo scriptum est quod *vbi vult spirat*, Ioan. 3, & quod *omnia operatur prout vult*, 1 Cor 12, tanquam velamine seruituris ablato, (remouet enim illud *quia vult*, ait Thomas) libertatem cõmunicat ijs quos inhabitat, id est, Christianis: libertatem vtiq; spiritualem, quia Spiritus est,

Idem Spiritus Dominus, & Spiritus Domini.

Libertas quæ significata per ablationẽ velaminis.

à serui-

à seruitute legis & peccati eos liberans. Abusi sunt hac apostoli sententia iam olim hæretici quidam, vti refert Aquinas, ad statuendum suum illud peruersum dogma, quo docebant viros spirituales lege diuina non teneri, vtpote per Spiritum assertos in libertatem. Cuius absurditatem doctrinæ bene declarat idem doctor, ostendens impossibile esse, vt quis, siue homo siue angelus, præceptis Dei nõ subdatur. Libertas autem, de qua Paulus, immunitas est non tam à lege, quàm à seruitute legis, vt dictum est. Nam & antiqui iusti nati sub lege, libertatis huius fuere participes. Quamuis autem sententia Pauli generalis sit ad libertatem totam quam dixi, scilicet oppositam seruituti legis atque peccati: specialiter tamen attendere videtur illam mentis libertatem, qua, liberè & absque velaminis impedimento, rem obiectam mens aspicit & cõtemplatur. Nam & hanc libertatem adfert Spiritus-sancti præsentia; velut portionem quandam eius libertatis quæ seruituti legis opponitur: ad quam seruitutem inter alia pertinebat, signa pro rebus amplecti; quemadmodum docet Augustinus lib. 3 de doctrina Christiana cap. 5, 6 & 8. Ad eam libertatem Paulum respicere, probat quod sequitur.

Hæresis negantiũ viros spirituales lege teneri, refellitur.

Antiqui iusti libertatis Christianæ participes.

18 NOS VERO OMNES REVELATA FACIE GLORIAM DOMINI SPECVLANTES. Hęc pars etsi declaratiua sit eius quod proximè præcessit, accipi tamen potest, vt respondẽs ad illud superius, *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam* &c. Ac si dicat; Non facimus vt Moyses, velo faciem suam occultans: sed reuelata facie gloriam Domini in ea receptam, exhibemus. Nam *speculantes*, idem est hoc loco quod instar speculi susципientes atque reddentes. Id enim secundum Græcos interpretes significat Græcum participium κατοπτριζόμενοι, vt *speculantes* hic accipias, non à specula deductum, quasi sensus sit, tãquam è specula prospicientes; sed à speculo, quod Græci κατοπτρον vocant. Quod & Augustinus admonet lib. 15 de Trinitate cap. 8, licet eius expositio *speculantes*, id est, *per speculum videntes*, minus congruat: vt & illa translatio cuiusdam, *in speculo videntes*.

Speculantes hoc loco à speculo, non à specula, quid significet.

IN EANDEM IMAGINEM TRANSFORMAMVR. Græcè sine præpositione, τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα, vt subaudias κατὰ, quod in huiusmodi solet intelligi, id est, *iuxta*, vel *ad eandem imaginem transformamur*: quod & Syrus suppleuit. Tertullianus sexto casu legit, *eadem imagine transfiguramur*. Videtur autem hic esse sensus; Eiusdem gloriæ imagine in nobis vt in speculo recepta, velut in eam transformamur. Nam imago in speculo quodammodo forma speculi est. Qui per gloriam & imaginem putant idem significari, nempe Christum, qui est gloria & imago Dei increata; quomodo vir est *imago & gloria Dei* creata, 1 Cor. 11: non videntur apostoli mentem assecuti, paulo pòst à nobis explicandam.

Imago in speculo forma speculi.

A CLARITATE IN CLARITATEM. Vel, *à gloria in gloriam*, vti legunt Tertullianus, Augustinus, Ambrosiaster & Sedulius. Est enim idem in Græco vocabulum, quod suprà toties gloriam vertit: licet æquè claritatem significet. De sensu mox videbimus.

TANQVAM A DOMINI SPIRITV. *Tanquam* hoc loco non similitudinem denotat, sed verum & congruentem rei modum declarat: sicut in euangelio Ioan. 1, *tanquam vnigeniti à Patre*. Quod autem in Græco est, καθὼ ἀπὸ κυρίου πνεύματος, tribus modis, vt ab Erasmo & alijs annotatum est, Latinè reddi potest, *à Domino Spiritu*, *à Domino Spiritus*, & *à Domini Spiritu*. Primum modum amplectuntur & aduersus Pneumatomachos vrgent in suis cõmentarijs Chrysostomus, Theodoritus & Theophylactus, nec non Basilius libr. de Spiritu sancto cap. 21. Similiter ex Syriaco translatum habemus, *tanquam à dominatore Spiritu*. Secundum modum tradũt Neoterici quidam, volentes Christum appellari Dominum Spiritus, quia Spiritus sancti charismata largitur quibus voluerit. Quod significatum videri potest illa lectione quæ est apud Tertullianum, *tanquam à Domino Spirituum*. Tertia versio cõmunis est interpretum Latinorum: qua & Augustinus vsus est loco superius allegato. Nã quod apud eum legitur in impressis codicibus lib. 22 de ciuitate Dei cap. 29, *tanquam ad Domini Spiritum*, mendosè legi non est dubium: veram lectionem, *tanquam à Domini Spiritu*, exhibentibus omnibus mss. in castigatione Louanienſi adhibitis. Harum interpretationum prima probabilis est ex eo quod præcessit, *Dominus autem Spiritus est*. Tertia quoque probabilis, quia præcessit: *Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas*. Verũ quia nusquam in Scriptura legitur hoc ordine, *Domini Spiritus*, sed vbique *Spiritus Domini*: sicut & in versu præcedenti: facilè mihi persuasero, Paulum id voluisse, quod habet Græcorum interpretatio: vt quod dixerat Dominum esse Spiritum, hac repetitione confirmare voluerit. Mediam interpretationem probare non possum. Nusquam enim legitur Christus Dominus esse Spiritus sancti: & sermo non parum offendit; imo simpliciter falsus est & hæreticus, & pugnans cum eo quod dixit Dominum esse Spiritum. Porrò tota Paulina sententia potest ad hunc modum explicari. Nos autem omnes noui testamenti filij, quos Moyses reuelata facie cum Domino loquens, eamque ex consortio sermonis Domini splendidam ac radiantem habens, significauit; itidem facie mentis reuelata, gloriam Domini per fidem intuemur; eiusque splendorem in animis nostris velut speculis quibusdam recipientes, quodammodo transformamur ad eandem imaginem, hoc est ad similitudinem gloriæ Dei; idque à claritate Dei in claritatem nostram, id est, claritate seu gloria Dei in nobis expressa ac repræsentata, perinde vt olim in facie Moysi: transformamur, inquam, velut *à Domini Spiritu*, vel *à Domino*

Huius loci versio triplex è Græco.

Prima & tertia versio probabilis.

Media versio non probãda.

Explicatio sententiæ Paulinæ.

Quid, à claritate in claritatem.

Spiritu,

Spiritu. Quod addidit, quemadmodum habet commentarius Ambroſianus, *vt oſtenderet talem gloriam dari, quæ congruat ſublimitati dantis*, hoc eſt, Spiritus-ſancti, qui Spiritus Domini eſt, & ipſe Dominus; & vt ait Theophylactus: *qualem par eſt habere eum qui à Spiritu Domino, qui nulli eſt ſubiectus, illuſtratus eſt.* Nã *ſi miniſtratio mortis in literis*, vt ſuprà dictum eſt, id eſt, miniſtratio literæ mortiferæ *fuit in gloria: quomodo non magis miniſtratio Spiritus* viuificantis *erit in gloria?* Quidam recentiores illud *à gloria in gloriam*, ſic exponunt: in ampliorem ſemper gloriam, & in dies maiorem: vt phraſis ſimilis ſit cum illa Rom. 1, *ex fide in fidem*. Auguſtinus alias adfert expoſitiones: *de gloria creationis in gloriam iuſtificationis: de gloria fidei in gloriam ſpeciei, de gloria qua filij Dei ſumus, in gloriam qua ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Nobis id quod prius diximus, à claritate Dei in claritatem noſtram, maximè videtur textui conſonum. Quæ & Græcorum omnium eſt expoſitio. Dicit autem apoſtolus, *nos omnes*; vt ſignificet id quod vni Moyſi quondam in figura ac myſterio contigit, nunc in veritate toti eccleſiæ fidelium competere. Sic enim partem hanc plerique tam Græci quàm Latini intelligunt. Poteſt autem eadem ſententia, ni fallor, commodiùs exponi (quemadmodum exponunt eam Caietanus, Gaignæus & alij nonnulli) de ſolis euangelij miniſtris: in quorum perſona tam ſuperius quàm in conſequentibus multa loquitur Paulus: vt ab eo loco, *Cùm autem cõuerſus*, &c. ſenſus ſit huiuſmodi: Moyſes ablato velamine Dominum aſpiciens, ſignificat nos euangelij miniſtros, quotquot ſumus, qui reuelata facie gloriam Domini, id eſt, noticiã myſteriorum ſalutis noſtræ quibus glorificatur Deus, non ſolùm in nobis velut ſpeculis quibuſdam recipimus (*nobis* enim *reuelauit Deus per Spiritum ſuum*, 1 Cor. 2,) verũ etiam more ſpeculorum refundimus ad alios, id eſt, aliorum mentibus eandem noticiam aperta ac libera euangelij prædicatione repræſentamus; nimirum à Spiritu libertatis authore, cuius miniſterium obimus, ad hoc impulſi. In huius rei ſignum ipſi Paulo à Iudaiſmo ad Chriſtianiſmum, velut à litera ad Spiritũ conuerſo, & in euangelij prædicatione plus alijs laboraturo, cùm cæleſtis luminis fulgore cæcatus fuiſſet, *ab oculis ceciderunt tanquam ſquamæ, viſumq; recepit:* vnde *& continuò cæpit prædicare Ieſum, quoniam hic eſt filius Dei*, Actorum 9. Conuenit hic ſenſus cum eo quod in perſona miniſtrorum euangelij ſuprà dixit: *Fiduciam autem talem habemus* &c. Et iterum, *Habentes igitur talem ſpem, multa fiducia vtimur:* nec minus aptè cum ijs quæ deinceps ſequuntur.

Alia huius loci explicatio probabilior.

SVMMARIVM.

SCribit ſe ſuoſq; collegas ſincerè & palàm apud omnes (licet quidam prauæ mentis cæcitate non credant) annunciare euangelium Chriſti: & quamuis infirmos & multis modis afflictos propter Chriſtum, haudquaquam tamen deficere: videlicet ob ſpem repoſitæ ſibi pro temporaria afflictione, gloriæ æternæ.

CAPVT IIII.

1 IDEO HABENTES ADMINISTRATIONEM, IVXTA QVOD MISERICORDIAM CONSECVTI SVMVS, NON DEFICIMVS. Pergit apoſtolus exponere miniſtrorum nouæ legis officium: ac porrò de ijs loquitur in prima perſona; quòd peculiariter ſuum miniſterium Corinthijs, quorum erat apoſtolus, commendatum eſſe vellet, maximè propter aduerſarios ſuos & obtrectatores pſeudapoſtolos: Ita tamen vt ſimul etiã collegas ſuos, Titum, Siluanum, Timotheum & alios comprehenſos velit: qui cum ipſo, ſicut de Tito dicit infrà cap. 12, *eodem Spiritu & ijſdem veſtigijs* ambulabant. Nam ideò ſcribit hæc omnia numero plurali. In quibuſdam codicibus loco vocis *adminiſtrationem*, legitur *hanc adminiſtrationem*: in pluribus autem antiquis & probatis, *hanc miniſtrationem*. Quod Græco textui conſonat, τὴν διακονίαν ταύτην. Et ita legit Tertullianus lib. de pudicicia cap. 15, *propterea habentes miniſtrationem iſtam*. *Iuxta quod*, Græcè καθὼς, *ſicut*, Ambro. *prout*. Cùm igitur, inquit, hoc tam excellenti miniſterio fungamur, non noſtris meritis ſed gratuita Dei benignitate & electione ad illud vocati; *non deficimus*, id eſt, *non ſegneſcimus, defatigamur, degeneramus, negligentes ſumus.* His enim modis Græcum verbum ἐκκακοῦμεν interpretes Latini reddunt. Sanè videtur interpres noſter optimè vertiſſe *non deficimus*, quemadmodum & Tertullianus legit: vt ſenſus ſit: nõ ſuccumbimus malis & aduerſitatibus, quæ nobis accidunt huius miniſterij cauſa; non concidimus animo. Nam & infrà verſu 16 repetitur idem verbum hac ſignificatione: qua & accipitur in eo quod dicit Ephe. 3, *Peto ne deficiatis in tribulationibus.*

Quorum in perſona Paulus hæc ſcribat.

2 SED ABDICAMVS OCCVLTA DEDECORIS. *Abdicamus*, Græcè ἀπειπάμεθα. Quod etſi flexione ſit præteritum, ideoque Eraſmus verterit *reiecimus*, alij *abdicauimus:* vſurpatur tamẽ apud authores vt præſens. Vnde & Tertullianus cum interprete noſtro conſentiens legit, *abdicamus*; & Ambroſiaſter, *renunciamus.* Quanquam & præteriti ſignificatio nihilominus quadrat. *Occulta dedecoris*, Hebraiſmus, id eſt, occulta dedecoroſa, quę ſolent à peccantibus occultari, ne per ea in probrum & infamiam incidant. Hoc igitur eſt, quod dicit: longè ſumus ab omni, etiã occulta vitę

Occulta dedecoris quæ ſint.

turpi-

turpitudine. Perſtringit autem tacitè pſeudapoſtolos, qui philoſophorum more, de quibus Rom 1, foris quidem omnem honeſtatem & ſanctitatem oſtendebant; occultè verò turpes & obſcænas ſectabantur voluptates. Quod genus hominum *ſepulchris dealbatis* aptiſſimè Dominus in euangelio comparat, Matth. 23. Quidam *occulta dedecoris* generalius interpretantur omne vicium occultatum quia probroſum: vti præterea ſunt auaricia, fraus & dolus: quod huiuſmodi ſignificentur verbis ſequentibus: *Non ambulantes in aſtutia*, &c. Nam & generaliter à Domino dictum eſt, *Omnis qui malè agit, odit lucem*: *& non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius*, Ioan. 3. Verùm nihil vetat apoſtolum hac parte voluiſſe diuerſum aliquid à ſequentibus ſignificare: quodque in hoc genere præcipuum ſit. Vtrouis autem modo pars hæc intelligatur, ſentit apoſtolus ac dicere vult, actiones ſuas miniſterio ſibi credito reſpondere: vt quo modo miniſterium eſt claritatis ac veritatis reuelatæ, ſic & actiones ſint eiuſmodi quæ claram lucem ament, non quæ latebras quærant: quemadmodum ipſe ſtatim explicat, dicens, *Sed in manifeſtatione veritatis* &c. Nam, vt ait Dominus proximè poſt verba paulò antè citata, *Qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius.*

Sepulcra dealbata.

Quid ambulare in aſtutia.

NON AMBVLANTES IN ASTVTIA. Græcè, ἐν πανουργίᾳ, *in verſutia*. Senſus: Non verſutè & ſimulatè conuerſantes cum hominibus, aliud loquentes, aliud cogitantes. Hic quoque notatur obliquè pſeudapoſtolorum hypocriſis, qui ſeſe transfigurabant in apoſtolos Chriſti & miniſtros iuſticiæ; & hac ſpecie dominationem exercebant in ſuos diſcipulos, & cupiditates ſuas explebant: vt infrà declaratur cap. 11.

Qui adulterantes verbũ Dei.

NEQVE ADVLTERANTES VERBVM DEI. *Adulterantes*, Græcè δολοῦντες, vocabulum diuerſum ab eo, pro quo ſuprà cap. 2 legebatur, *adulterantes*, ſiue *cauponantes*, καπηλεύοντες. Nam quod hic legitur, à dolo deductum eſt. vnde alij vertunt, *dolo tradentes*, ſeu *dolo tractantes verbum Dei*. Res tamẽ eadem vtrobique ſignificata eſt. Nam dolum hoc loco, quemadmodum illic cauponationem, opponit apoſtolus integritati ac ſinceritati, quę requiritur in eo qui verbum Dei miniſtret. Igitur adulterant, id eſt, dolosè tractant Dei verbum, qui non diſpenſant illud quale traditum eſt, integrum, purum ac ſincerum: ſed permixtione ſapientiæ ſæcularis aut Iudaicæ doctrinæ corrumpunt & viciant; aut certè in eo miniſtrando non Dei gloriam quęrunt, ſed ſuis commodis obſequuntur: quę dum captant ab hominibus, placere ijs volunt, & vt placeant, Dei verbum ad eorum affectus accommodant. Talia pſeudapoſtoli faciebant; quos idcirco ſubdolos operarios apoſtolus appellat infrà cap. 11. Ad iſtum ferè modum Græci commentatores hunc locum exponunt.

SED IN MANIFESTATIONE VERITATIS COMMENDANTES NOSMETIPSOS AD OMNEM CONSCIENTIAM HOMINVM CORAM DEO. *In* præpoſitio Græcis abeſt, & ſine ea ſenſus conſtat. Nam quod Latini quidam partem illam, *ſed in manifeſtatione veritatis*, à ſequentibus ſeiunctam ad ſuperiora referunt, repetito priore participio, *ſed ambulantes in manifeſtatione veritatis*; vt illa media, *neque adulterantes verbum Dei*, parenthetica ſint; nulla neceſſitate id faciunt: quum iuxta Græcorũ omnium, ac veterum Latinorum expoſitionem aptiſſimè cohæreat ea pars cum ijs quæ ſequuntur. Porrò manifeſtationem veritatis intelligunt plerique manifeſtam & conſpicuam rei veritatem, quod ad vitæ conuerſationem attinet: ac ſi dicat apoſtolus; pſeudapoſtoli per hypocriſim ſe commendant, volentes videri quod non ſunt: nos verò nihil in actionibus noſtris ſimulantes, nuda veritate ac rebus ipſis noſmetipſos commendamus omnium hominum conſcientiæ, ſiue credentium, ſiue non credentium. Quem ſenſum pulcrè proſequitur Chryſoſtomus. Alij referũt ad doctrinam, hoc modo: Sed aperta ſinceraque prædicatione veritatis euangelicæ, probamus nos omnium conſcientijs veros & idoneos euangelij miniſtros: ita vt ſi dicere velint homines quod ſentiũt, negare nõ poſſint nos euangelij negocium agere ſincerè & ex animo, velut coram Deo iudice, quem nemo fallere poteſt. Hic intellectus probè reſpondet ei quod proximè præcedit, *non adulterantes verbum Dei:* quod vtique de doctrina præcipuè dictum videtur. Verùm quia ſecundum explicationem à nobis allatam, complectitur etiam quod ad mores pertineat; quemadmodum illud prius, *non ambulantes in aſtutia*: propterea plenius, ac ni fallor, rectius hãc partem de veritate vitę ſimul & doctrinæ exponemus; vt opponatur vtrique membro præcedenti; ſitque ſenſus: Tam vitæ noſtræ quàm doctrinæ ſinceritas omnibus eſt manifeſta, ac ſeipſam apud omnes commendat & probat: adeò vt nec ipſum Deum, qui cordium intuetur occulta, iudicem refugiat. Colligitur hic ſenſus è Græcorum commentarijs, & apertè traditur à Caietano.

Quid manifeſtatio veritatis.

3 QVOD SI ETIAM OPERTVM EST EVANGELIVM NOSTRVM; IN IIS QVI PEREVNT, EST OPERTVM. *In ijs*, id eſt, apud eos: niſi malis (quod quidam annotant) *in* περιέλκειν eſſe more Hebræo. Quoniam dicens, *in manifeſtatione veritatis*, ſignificauit ſe palàm ac manifeſtè euangelium omnibus prædicare, eiuſque claritatem, de qua ſuperiori capite, omnium oculis offerre conſpiciendam: Quærere poterat aliquis, cur igitur ipſum euangelium non omnibus, quibus illud prædicabat, eſſet manifeſtum; ſed multis adhuc opertum atque velatum. Quod enim interpres dixit, *opertum*, Græcè eſt κεκαλυμμένον, *velatum*: à quo verbale nomen

Tacita obiectio.

κάλυμμα,

Pauli responsio.

κάλυμμα, quod suprà *velamen* transtulit. Respondet apostolus non à parte ministrorum nouæ legis id prouenire, quasi lumen euangelij sua prædicatione non satis ostendant hominibus; quomodo veteris legis minister Moyses sui vultus claritatem velo obtegebat, ne videretur à populo: sed id accidere vicio ipsorum hominum, qui mente excæcati manifestam euangelij lucem non percipiant. Vnde quod dixit capite præcedenti de Iudæis euangelio non credentibus, velamen esse positum super cor eorum: id nunc vniuersè de reprobis significat. Nec verò sentit apostolus scripturam sacram solis infidelibus ac reprobis obscuram esse: fidelibus autem & electis omnibus manifestam, id est, ad intelligendum facilem ac peruiam: quod ex hoc loco sectarij quidam docere conati sunt. Neque enim de scripturis intelligendis aut interpretandis hic agitur; sed de euangelio palàm prædicato: quod reprobi non recipiunt, sed electi: aut si recipiunt illud reprobi quidam, nõ ita tamen vt oportet; quia non ei acquiescũt, faciendo quæ lex euangelij præcipit: aut si sic aliquando recipiunt, non id faciunt perseueranter. Itaque sensus est: Quod si adhuc velatum & occultum est quibusdam euangelium, quod prædicamus: dumtaxat ijs qui pereunt, id est, reprobis, velatum est & occultum. ac si dicat: Non ideo frustratur aut ministerium nostrum, aut intentio nostra: nõ enim propter reprobos sed propter electos prædicamus. *Omnia* namque *propter electos, vt ipsi salutem consequantur*, ait 2 Tim. 2.

Sacra scriptura etiam fidelibus & electis obscura.

Omnia propter electos.

4 IN QVIBVS DEVS HVIVS SÆCVLI EXCÆCAVIT MENTES INFIDELIVM. *Mentes*, Græcè νοήματα, quod capite superioti ver. 14 *sensus* transtulit: quemadmodum Ambrosiaster legit etiam hoc loco: tametsi res eadem significatur. Nam sensus intelliguntur mentis, non corporis. Abusi sunt olim hoc loco Marcionitæ & Manichæi ad statuendum duo rerum principia seu duos deos; quorum alterum bonum dicebant, alterum malum, siue vt Marcion, iustum sed non bonum. Et hunc quidẽ, huius sæculi; alterum verò, alterius ac melioris sæculi Deum seu principem faciebant: denique hunc esse veteris illum noui testamenti Deum. Quam hæresim semper vt impiam meritò detestata fuit ecclesia. Multi quo præsentem locum ab huiusmodi sensu vindicent, ad hiperbaton confugiunt, ordinantes sententiam hoc modo. In quibus Deus excęcauit mentes infidelium huius sæculi: vt Deus intelligatur verus ac bonus; qui excæcare dicatur infidelium mentes, non maliciam impertiendo, sed gratiam non largiendo, qua prædicato sibi euangelio credant. Ita distinguit & exponit Chrysostomus, quem cæteri commentatores Græci sequuntur. Exstat eadem distinctio apud Latinos, Ambrosiastrũ, Primasium, Sedulium, & alios posteriores: imò & apud antiquissimos illos, quibus aduersus Marcionem disputatio fuit, Irenæum, inquam, lib. 3 contra Gnosticorum hæreses cap. 7, ac rursum lib. 4 cap. 48, & Tertullianũ lib. 5 contra Marcionem cap. 11. Sed & Augustinus libro 21 contra Faustum Manichæum cap. 2 testatur plerosq; catholicorum vti memorata distinctione: quam & ipse recipit tam eo loco, quàm altero qui est contra aduersarium legis & prophetarum lib. 2 cap. 7 & 8, ostendens ex alijs scripturis, quomodo rectè dicatur ac sanè intelligatur, Deum excæcare mentes quorundam: id enim facere, *non malicia sed iustitia*: videlicet ob merita præcedentium peccatorum. Veruntamen alijs affectata, nec parum violenta videtur hæc constructio: cùm præsertim ratio nõ esset, quare cum adiunctione diceret apostolus, *infidelium huius sæculi*: quandoquidem, vt ipse Chrysostomus fatetur, *futurum sæculum infideles minimè habiturum est sed hoc solum quod nunc fluit*. Alij proinde sequentes ordinem verborum apostoli, Deum huius sęculi interpretãtur Deum verum, vtpote rerum omnium tam visibilium quàm inuisibilium conditorem, & vtriusque sæculi, tam præsentis quàm futuri principem: quem hoc loco Deum huius sæculi Paulus appellare voluerit, vt innueret ex rebus saltẽ corporeis & visibilibus Deum ab omnibus cognosci debuisse. Referunt hanc expositionem, nec improbant Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius: quamuis non eam præferunt superiori. Sed quia scriptura nusquam alibi Deum verum vocat Deum huius sæculi; magis autem vti solet appellatione huius sęculi in malam partem, siue ad significãdam creaturam vanitati subiectam, Rom 8, siue ad huius sęculi vel cupiditates vel amatores designandos; velut Rom. 12, *Nolite conformari huic sæculo*. & 2. Tim. 4, *Demas me reliquit, diligens hoc sæculum*, & addito epitheto, Gal. 1, *vt eriperet nos de præsenti sæculo nequã*: propter hoc, alij Deum quoque huius sæculi in malum interpretantur; arbitrantes non alium eo nomine significatum esse, quàm illum quem Dominus apud Ioannem cap. 12, 14 & 16, principem huius mundi vocat, id est, diabolum. Quod mirum non est; quando & angeli eius, id est, dæmones, à Paulo 1 Cor. 2, *Principes huius sæculi*, & Eph. 6 κοσμοκράτορες, *mundi rectores*, seu principes appellantur. Quibus & deorum nomen in psalmis passim ascribitur. Vnde est illud psalmi 95, secundum LXX, *Omnes dij gentium dæmonia*. Vocatur autem diabolus à Paulo huius sæculi Deus, eadem prorsus ratione qua Christus apud Ioannem locis iam citatis, eum vocat huius mundi principem: quia nimirum (vti ferè exponunt) ijs principatur, qui terrena ac peritura bona cęlestibus atque æternis anteponunt: quales in hoc mundo plurimi sunt. Hunc cõmentarium, qui diabolum interpretatur huius sæculi Deum, adeò non reijcit Augustinus, vt eodem aduersus Faustum libro cap. 9, necnon lib. 2 contra legis aduersarium cap. 7, doceat etiam alijs scripturis esse consentaneũ.

Marcionitarũ & Manichæorum hæresis de duobus principijs, bono & malo.

Quomodo Deus excæcare dicatur mẽtes infidelium.

Quis Deus huius sæculi, quorundam expositio.

Aliorum sententia probabilior.

Diabolus huius sæculi Deus cur vocetur, rationes.

Exponit

Exponit autem Deum *huius sæculi*, id est, *hominum impiorum non nisi in hoc sæculo florere volentium*. Meminit quoque Tertullianus huius interpretationis, vtique tanquam simplicioris, loco priùs citato. Videtur & Primasius hunc sensum probare: licet *propter calũniantes*, vt ait, *ita pronunciandum sit, vt dicamus, Deum mentes infidelium huius sæculi excæcasse*. Referunt autem hunc commentarium vnà cum prioribus etiam alij Latini, nominatim Lombardus & Aquinas: imò & solum adfert tanquam germaniorem idem Aquinas in Summa, p. 1, q. 65, ar. 1. Quin & inter Græcos Cyrillus sub initium disputationis aduersus Iulianum apostatam, idemque ab Oecumenio citatus, Satanam hoc loco vult intelligi: quem idcirco Deum huius sæculi vocatum ab apostolo putat, quod talis à gentilibus existimatus & creditus fuerit. Quanquam nobis prior ratio ab alijs allata magis placet: quam & ipse Cyrillus adfert l. 8 super Ioan. cap. 16, docens ideo diabolum huius mundi principem à Christo nuncupari, quia mundo siue sęculo dominatur, id est, prauis hominibus, *qui sæcularia sectantur desideria*. Potest autem & hæc ratio videri, cur huius mundi princeps & huius sæculi Deus vocetur: quia mundum hunc inferiorem, in quo nos versamur, sibi quodammodo subiectum habet: quatenus scilicet in pœnam peccati quod in hunc mundum inuexit, & per quod hominem sibi subegit, data est ei potestas (restricta tamen arbitrio voluntatis diuinæ) tam spiritualiter, quàm corporaliter hominibus nocendi per elementa ac res cæteras humanis vsibus subseruientes. Propter quam causam & cibus, quem sumimus, *Sanctificatur per verbum Dei & orationem*, 1 Timo. 4. vide eius loci commentarium nostrum: & quæ diximus ad illud Rom. 8, *vanitati creatura subiecta est*. & ad illud 1 Cor. 2, *quam nemo principum huius sæculi cognouit*. item quæ dicturi ad illum locum Eph. 2, vbi diabolum Paulus appellat *principem potestatis aëris huius*. ac præcipuè ad illa verba cap. 6 eiusdem epistolæ: *Aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*. Sensum quendam ab omnibus superioribus diuersum huc adducit Caietanus. Censet enim *Deum huius sæculi* ab apostolo vocari. *Dilectum quemque finem ab hominibus qui affecti sunt his transitorijs: siue ille finis sit delectatio carnis, siue gloria, siue quodcumque aliud transitorium. Et talis finis*, inquit, *Deus huius sæculi vocatur, sicut venter Deus deditorum gulæ*. Philip. 3. Cuius Commentarij glossator quoque meminit, & post eum alij nonnulli. Sed cùm varij sint fines hominum diligentium hoc sæculum, non diceret apostolus Deum, sed Deos huius sæculi excæcasse mentes eorum, si hunc sensum voluisset. Porrò quod ait, *In quibus*, & mox, *infidelium*, eòdem referendum est: vt verborum eius hic ordo sit & sensus: Obuelatum est euangelium nostrum ijs qui pereunt, hoc est, ijs infidelibus quorum mentes huius sæculi Deus, id est, diabolus excæcauit: dum prauis suggestionibus & suasionibus eos auertit à fide euangelij ipsis annunciati. quemadmodum id Augustinus exponit lib. 21 contra Faustum capite 9. Significatur autem his verbis velum oppositum mentibus infidelium: ipsa nimirum cæcitas inducta à diabolo.

Diabolo data potestas hominibus nocendi per mundum hũc elementarem.

Caietani commentarius refellitur.

Velum mentibus infidelium oppositũ.

VT NON FVLGEAT ILLIS ILLVMINATIO EVANGELII GLORIÆ CHRISTI. Codices in quibus *illis* vel *eis* non additur, defectiui sunt. In Græco & Syriaco legitur: vt & in Latinis vetustis ac probatis: quorum alia *eis* habent, alia *illis*. Atque hinc conijci potest occasio pronominis à scribis prætermissi: quòd nempe duæ continuæ dictiones *illis* & *illuminatio* literas easdem haberent initiales. *Vt* particula vel consecutiuè capitur; si videlicet in parte præcedenti Deum verum intelligas; vel potiùs id cuius gratia, denotat. Est enim Græcè, εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι, al' διαυγάσαι αὐτοῖς, id est, *ad hoc ne fulgeat*, vel *transfulgeat eis* & cætera. Ex quo rursus argumentum sumitur, Deum huius sæculi diabolum intelligi, cuius studium est impedire ne lumen euangelicum affulgeat infidelium mentibus. Textus Ambrosianus sensum magis quàm verba reddit: *vt non peruideant lumen euangelij maiestatis Christi*. Cæterùm perstitit apostolus in allegoria luminis, gloriæ seu claritatis & veli. Dicit itaque diabolum velo quodam excæcationis obtegere mentes infidelium, reproborum, vt eas suis radijs nõ attingat lumen euangelij: cuius prædicatione gloria Christi per apostolos ipsius ministros, eiusq; lumine perfusos, ad aliorum illuminationem toto mundo diffunditur.

QVI EST IMAGO DEI. Quod in quibusdam Græcis additur τῦ ἀοράτε, *inuisibilis*, non est huius loci, sed huc temerè transscriptum ex simili loco, qui est Col. 1 v. 15. Nam hîc quidem nullus illud interpretum agnoscit: & absque eo citat hanc Pauli sententiam Tertullianus lib. 5 aduersus Marcionem cap. 11. Hîc obserua profunditatem sensus apostolici, quo tandem vniuersum hoc lumen, de quo locutus est, ad Deum refert, vt fontem totius luminis. Nã mundus ab apostolis illuminatur; apostoli à claritate Christi lumen recipiunt; velut Moyses à claritate angeli sibi apparentis: qui procul dubio Christi personam gerebat. Christus autem, cùm sit imago Dei, non qualiscunque, sicut homo, ad imaginem & similitudinem Dei factus, Genes. 1, sed omnibus, vt ita dicam, numeris absoluta atque perfecta; non quidem illuminatur à Deo, quia lumen non accipit participatiuè:

Profunditas sensus apostolici.

Christus imago Dei qualis.

ſed à Deo Patre emanat tanquam lumen de lumine. Loquitur enim apoſtolus de Chriſto ſecundum naturam in creatam: ſecũdum quam imago Dei dicitur & hoc loco & Col. 1, quia natus ex Deo, perfectiſſimè Patrem Deum repreſentat: adeò vt rogatus oſtendere Patrem, reſponderit: *Qui videt me, videt & Patrem*, Ioan. 14. Qua ratione etiam Heb. 1 vocatur *ſplendor gloriæ Dei, & figura ſubſtantiæ eius*. Et Sap. 7, *candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius*. Ex quibus & illud intelligitur, apoſtolum dicentem de Chriſto, quòd ſit imago Dei, non ſolùm attendere in eo nomine relationem ad exemplar, id eſt, ad Patrem cuius eſt imago: verùm etiam ad eos qui imaginem intueri poſſunt, id eſt, ad rationalem creaturam, quæ in Chriſto tanquam imagine Patrem cognoſcat: ac ſi dicat Paulus, Chriſtum nobis eſſe imaginem Dei, primùm quidem apoſtolis, qui propius eum intuiti ſunt: deinde & cæteris per apoſtolos ad eandem imaginem intuendam adductis. Sic enim qui vident Chriſtum, vident & Patrem; vt qualem quantumque ex operum & doctrinæ conſideratione cognoſcunt filium, talem ac tantum cognoſcant & patrem. Ita Pater qui per ſeipſum inuiſibilis eſt, viſibilẽ quodammodo ſeſe exhibet in imagine ſua, id eſt, in filio. Porrò quænam in vniuerſum ad imaginis perfectę rationem requirantur; & vtrùm etiam Spiritus Sanctus imago Dei dici poſſit aut debeat; explicatum eſt à nobis ad diſt. 27 lib. 1 ſententiarum.

Chriſtus imago Dei relatiuè ad creaturã intellectualem.

An Spiritus ſanctus imago Dei.

5 NON ENIM NOSMETIPSOS PRÆDICAMVS, SED IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM. Græcè, *ſed Chriſtum Ieſum Dominum*, abſque pronomine, *noſtrum*; quod & omittunt vetuſta quædã latina, Primaſij quoque textu ſuffragante. Significat apoſtolus, cur addiderit, *gloriæ Chriſti*: ſimulque verum officium miniſtri euangelici pergit declarare. *Non enim*, inquit, *noſmetipſos prædicamus*; hoc eſt, in euangelio prædicando non noſtram ſpectamus gloriam, nec noſtræ ſtudemus vtilitati; quemadmodum faciunt pſeudapoſtoli: ſed prædicamus *Ieſum Chriſtum Dominum*, id eſt, omnis prædicatio noſtra ad eum refertur, vt Dominum noſtrum; vel abſolutè, vt Dominum totius creaturæ: etiam ſecundum humanam naturam. *Omnia* namque *ſubiecta ſunt ei*, 1 Cor. 15. & ipſum Deus *conſtituit hæredem*, ac proinde Dominum *vniuerſorum*, Heb. 1.

Chriſtus totius creaturæ Dominus

NOS AVTEM SERVOS VESTROS PER IESVM. *Nos*, Græcè ἑαυτοὺς, *noſipſos*, vt priùs. Non dicit autem, ſeruos Ieſu, quod conſequenter videbatur dicendum, quia Ieſum dixerat Dominum; ſed id dicit, quod eſt longè inferius atque humilius, *ſeruos veſtros*. Attamen ne nimis abiectè de ſuo miniſterio loqui aut ſentire videatur, addit, *Per Ieſum*, vel vt habent Græca & Syriaca, *propter Ieſum*: quemadmodum etiam legunt atque exponunt Ambroſiaſter & Sedulius. Videtur autem in hac parte non repetendum verbum quod præceſſit, *prædicamus*. (non enim in eo verſabatur apoſtolorum prædicatio, vt annunciarent ſe eſſe ſeruos hominum) ſed aliud quippiam ſupplendum, velut, exhibemus, fatemur aut profitemur, aut quid ſimile: vt ſenſus ſit: Noſmetipſos autem vobis exhibemus vt ſeruos; palàm fatemur nos non aliud eſſe quàm ſeruos veſtros propter Ieſum Dominum, à quo miniſterium hoc nobis iniunctum eſt: *ſeruos*, in quam, *veſtros*; quia more ſeruorum nos totos impendimus vtilitati & ſaluti veſtræ procurandæ. Quo itẽ ſenſu de ſe ait 1 Cor. 9, *Cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci*. Si cui videatur in hoc membro repetendum verbum *prædicamus*, id fiet per ſyllepſin quandam: cũ idem verbum plura concipiens, minus propriè refertur ad id quod eſt remotius: veluti verbũ *Laxat* in carmine Virgiliano 2 Æneid. *Incluſos vtero Danaos, & pinea furtim Laxat clauſtra Sinon*. Sic ergo prædicare reſpectu huius membri erit profiteri.

Apoſtoli hominum ſerui, quo ſenſu.

6 QVONIAM DEVS QVI DIXIT DE TENEBRIS LVCEM SPLENDESCERE, IPSE ILLVXIT IN CORDIBVS NOSTRIS. *Ipſe*, multis in codicibus non legitur; vt nec in Græco eſt, nec apud Tertullianum, nec apud commentatores Ambro. & Primaſium: ſed eius loco Græca & Syra cum nonnullis Latinis mss. annuente etiam Primaſio, repetunt relatiuum *qui*. Ne autem pendeat imperfecta oratio, verbum (eſt) quod Hebræo more tacetur, intelligi debet ad initium ſententiæ, ſupplendę ad hunc modum: *Quoniam Deus* eſt *qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere*; *qui* idem & *illuxit in cordibus noſtris*. Pro *ſplendeſcere* & *illuxit*, quæ in Græco ſunt eiuſdem thematis verba, λάμψαι & ἔλαμψεν, Auguſtinus lib. 22 contra Fauſtum cap. 8 & alibi legit, *clareſcere* & *claruit*. Verti poterat, *ſplendeſcere* & *ſplenduit*, potius quàm vt Eraſmus vertit, *illuceſcere* & *illuxit*. Porrò rationem hîc reddit apoſtolus quare dixerit, *Non noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominum*. Et ſenſus eſt: Quia *Deus* eſt *qui dixit*, id eſt, iuſſit, ſuæ voluntatis imperio fecit *de tenebris*, vel vt in Græco, *è tenebris*, ſcilicet illis quę prius *erant ſuper faciem abyſſi*, *lucem ſplendeſcere*, dicendo, *fiat lux*; vt habetur Geneſ. 1. Et idem eſt qui *reſplenduit in cordibus noſtris*, id eſt, lumen fidei & cognitionis myſteriorum Chriſti, mentibus noſtris, id eſt, apoſtolorum, infudit ac ſuperfudit. Nam quod apud Chryſoſtomum, eumque ſolum, pro *noſtris*, ἡμῶν, legitur *veſtris* ὑμῶν, apoſtoli ſcopo non eſt accommodum. Patet ex ſenſu quem dedimus, illud *è tenebris*, non materiam ſubiectam, ſed terminum à quo procedat mutatio denotare: nec eum qui ſolo naturę ſeu rationis ordine lucem præceſſerit; vt vult Caietanus iuxta ſuam illam opinionem, qua ſcribens ſuper Geneſim docuit

Tenebræ luce priores ordine temporis non ſolũ naturæ, vt vult Caietanus.

omnia

omnia simul in principio creata fuisse: sed qui præcesserit ordine temporis ac realis existentiæ: quippe cùm perspicuè tradat scriptura, tenebras exstitisse priusquam lux fieret. Simul autem indicat apostolus allegoriâ subesse memoratæ historiæ Geneseos; qua ratione doceamur Deum, sicut verbo fecit è tenebris lucem splendescere, sic itidem verbo, hoc est imperio & efficacia suæ voluntatis, ex infidelibus facere fideles. Nam infideles tenebrarum, & fideles lucis nomine significari, ipse docet alibi, ita fideles alloquēs: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, Ephes. 5.

Allegoria lucis è tenebris productæ verbo Dei.

AD ILLVMINATIONEM SCIENTIÆ CLARITATIS DEI. Siue ex Græco: *ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei:* quemadmodum & Tertullianus legit libro de resurrectione carnis cap. 44. Potest autem istud duobus modis accipi, vel de apostolis illuminatis; hoc sensu: Deus infulsit cordibus nostris, illuminans nos noticia gloriæ suæ, id est, noticia mysteriorum, in quibus ipse glorificatur. Qui Græcorum commentarius est. Vel meliùs de apostolis illuminantibus; vt sit sensus: Deus illuxit nobis, vt nos illuminaremus alios: refuso videlicet à nobis in illos eodem lumine cognitionis gloriæ eius. Qui sensus optimè respondet superioribus, & ministerium euangelicum explicat. Estque locus similis Eph. 3, vbi de eodem suo ministerio agens, dicit sibi datam esse gratiam hanc, *illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti abscondit à sæculis in Deo.* Sensum hunc posteriorem tradunt Latini, Ambros. Primasius, Heruæus, Aquinas ac cæteri: tametsi quidam, vt Lombardus & Carthusianus, adferant etiam priorem. Non debet autem alienum videri, si dicantur apostoli mundum illuminasse: quamuis id Christo proprium sit: de quo Ioan. 1, *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem.* Qui & de seipso testatur, Ego sum lux mundi, Ioan. 8. Siquidem & apostolis suis honorem illius nominis communicatum voluit, dicens eis, *vos estis lux mundi*, Matth. 5. Quapropter & ecclesia non immeritò suis hymnis eos salutat *vera mundi lumina*. Verùm aliter Christus, aliter illi lux mundi sunt. Christus enim lux est principaliter illuminans mundum, videlicet sua lege, suaque doctrina, & gratia: apostoli verò, Christi legem, doctrinam & gratiam prædicando, mundum illuminare dicuntur; vtique tanquam illius ministri & vicarij, idque iuxta veriorem intelligentiam eius quod sequitur.

Huius loci sensus melior de apostolis illuminantibus.

Aliter Christus, aliter apostoli lux mundi.

IN FACIE CHRISTI IESV. Græcè ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ χριστοῦ, *in facie*, vel *persona, Iesu Christi.* Nam πρόσωπον vt faciem, ita & personam significat: quòd ex facie soleat persona cognosci. Iacob. Faber transtulit *in persona*: sicque etiam ex Syriaco reddidit Fabricius. Nec secus legit Tertullianus lib. 5 contra Marcionem cap. 11, & de resurrectione carnis cap. 44. Si faciem intelligas, poterit hic esse sensus: Claritatis seu gloriæ Dei quæ refulget in facie Christi, id est, in Christo, qui est imago Dei: vt rursus alluso sit ad Moysem, cuius in vultu gloria Dei refulsit. Hoc enim ferè modo partem hanc exponunt qui faciem legunt. Si verò personam interpreteris, bifariam id exponi potest. Nam secundum Caietanum (cui etiam placet hæc lectio) significatur, gloria Dei, id est, ipsa Deitas esse in persona Christi: quia Christus est verus Deus. Ad cuius mysterij noticiam alijs communicandam apostoli diuinitus erant illuminati. Verùm quia gloria seu claritas Dei nusquam in præcedentibus accipitur pro deitate, sed generatim pro gloria mysteriorum Dei, seu pro mysterijs ipsis gloriosis; idcircò rectius & faciliori commentario sic exponitur hic locus de persona intellectus. Quod officium illuminationis exsequimur & exercemus *in persona Iesu Christi*, id est, nomine, vice & authoritate Christi, cuius nos hac in parte legati sumus & ministri. Sic enim suprà cap. 2, dixit se donasse *in persona Christi.* Et hunc sensum alijs verbis exprimit infrà, capite proximo, dicens: *Pro Christo legatione fungimur.* & iterum, *Obsecramus pro Christo.* Proinde eadem Paulo sunt *in persona Christi*, &, *pro Christo.* Congruit hic sensus cum eo quod dixit: *Non nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum: nos autem seruos vestros propter Iesum*, cuius scilicet legati sumus. Imò conuenit cum vniuerso apostoli scopo, qui est commendare ministerium euangelicum à dignitate Domini, cuius in eo ministerio persona geritur. Exstat hic sensus apud veteres Latinos, Pelagium, Primasium & Sedulium, quamuis vlos textu, qui haberet *in facie*. Sedulij verba sunt: *In facie Iesu, hoc est, vice Iesu, vt pro quo legatione fungimur.* Pelagius cùm dixisset, *Quæ claritas est in facie Christi maior quàm Moysi*: ita subiungit: *vel in persona Christi nos* (apostoli) *homines scientia illuminamus.* Primasius quidem loco glossematis tantùm scribit: *in persona Christi.* sed eodem sensu cum glossa Pelagij: ex quo solitus etiam verbatim multa decerpere. Cæterùm inter recentiores sensum hunc bene explicat Faber tam in commentario quàm in examinatione literę. Similiter Gagnæus & Guillaudus: tametsi nec priorem qui à Græcis traditur, prætermittant. Valla quoque in suis annotationibus personam intelligi mauult, argumento similis loci quem diximus, cap. 2. Nam quod aiunt qui faciem malunt, apostolum alludere ad faciem Moysi, in qua refulsit claritas Dei; quasi dicat eam in facie Christi refulsisse maiorem; quod & Pelagij prior habebat expositio: falli in eo videntur. Non enim Paulus in superioribus Moysem contulit cum Christo, sed cum eius apostolis, euangelij ministris.

In facie Christi quid.

In persona Christi bifariā exponitur

Melior expositio.

Argumēta diuersæ expositionis soluuntur.

Cur autem Græci de persona nihil meminerint, ea ratio est, quod illuminationem intellexerint passiuè de apostolis illuminatis: Cui sensui non congruit, προσωπον interpretari personam. Neque enim illuminati, sed illuminantes Christi personam gerunt. Iã quod ex Neotericis quidam *in facie Christi* interpretantur in conspectu Christi, seu coram Christo, cur id textui Græco non videatur accommodatum, satis ostendisse me puto ad illud cap. 2, *In persona Christi*. Certè Græcorũ nullus hunc locum sic interpretatus est.

7 HABEMVS AVTEM THESAVRVM ISTVM IN VASIS FICTILIBVS. Græcè, ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν, *in testaceis vasis*, quomodo legit Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 7 & 44. Prosequens apostolus institutum suũ remouet obiectionem quæ moueri poterat ex supradictis. Dixerat enim ministerium nouæ legis multo magis esse in gloria quàm ministerium veteris. At id planè falsum apparebat: quandoquidem apostoli nouæ legis ministri, essent homines inglorij, mundo contemptibiles, & multis obnoxij pressuris, ærũnis ac periculis. Primum itaque docet in eo ipso Deum glorificari, quod per tales homines euangelium suum mundo publicet; dum eos inter tot mala quibus euangelij causa premuntur, incolumes conseruat. Deinde verò ostendit gloriam ministrorum euangelij de qua locutus est, non in hac vita manifestandam, sed in futura. Porro thesaurum, tãquam rem valde precioſam, vocat munus sibi creditum à Deo, hoc est, ipsum ministerium euangelij. Hunc enim thesaurum intelligi superiora declarãt; illud maximè quod huius capitis initio dicitur, *habentes hanc ministrationem*. Neque tamen aberrant qui thesaurum intelligunt illuminationis, de qua versu præcedenti; velut Aquinas & alij: idque suffragante Tertulliano, qui thesaurum interpretatur de lumine. Nam ministeriũ euangelicæ prędicationis, ministerium est illuminationis: vt sanè videatur apostolus post illuminationis vnam & alteram mentionem vasa fictilia nominans, alludere velle ad lumina quæ portantur in vasculis, olim plerumque fictilibus. Simul autem per hoc significatur, istum thesaurum ab apostolis non occultari, sed palàm mundo exhiberi, more lucernæ euangelicæ positæ *super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt*, Matth. 5. Porro thesaurum hunc habere siue gestare dicuntur apostoli in vasis fictilibus, nõ solùm quia corpore mortales erant, quod omnibus est hominibus commune: sed etiam quia viles hominum æstimatione; vt qui rudes essent sciẽtiarum sęcularium, ijdemque ignobiles & inopes: eoque propensiùs, propter euangeliũ quod prædicabant, omnium iniurijs expositi: quẽadmodũ de ijs memorat Paulus in priore epistola cap. 4, necnon in consequẽtibus huius loci: Igitur in vasis fictilibus seu testaceis vtrumque Paulus cõsiderat, & quòd fragilia sint, & quòd vilia, nimirum ex luto facta. Per ea verò significat vel corpora, vel ipsos homines luteorum vasculorum instar fragiles, & contemptibiles propter ea quæ in corporibus patiuntur: vt sensus sit; Apostolos gestare precioſum ac lucentem euangelici ministerij thesaurum in seipsis tanquam vasis fictilibus. Sensum enim hunc sequentia videntur exigere, quæ personis magis quàm corporibus attribuunt ea quæ ad contemptum pertinent: vti sunt, pressuras, anxietates & persecutiones pati.

VT SVBLIMITAS SIT VIRTVTIS DEI, ET NON EX NOBIS. Græcè prior pars sic habet; *vt excessus* (ὑπερβολὴ) *virtutis sit Dei*. Hier. lib. 3 Dialogi contra Pelagianos cap. 3 citat hoc modo. *Vt abundantia fortitudinis nostræ sit ex Deo*. Sed rectius habet quod alij veteres legunt: *Vt eminentia virtutis sit Dei*: Ita textus Ambr. necnon Augustinus epistola 143, serm. 15 de verbis apostoli cap. 12 & alibi. & ante eos Tertullianus aduersus Marcionem l. 5 cap. 11. Nisi quod in verbo *sit* collocando variant trifariam, *sit virtutis Dei, virtutis sit Dei, virtutis Dei sit*. Porrò *virtutis*, Græcè δυνάμεως, id est, *potentiæ*; quam Hieronymus dixit fortitudinem. Quod ad syntaxim & sensum huius partis attinet, Theophylactus ordinẽ verborum qui est in Græco secutus, virtutem cũ sublimitate construit, non cum Deo. *Vt*, inquit, *magnitudo & excellẽtia virtutis quæ in nobis appa et, Dei sit*, hoc est, tota Deo tribuatur: vti declarat sequentibus verbis. Idipsũ prorsus voluit Hieronymus, quando de suo addidit *nostræ*, & pro *Dei* dixit, *ex Deo*. Sic enim & Syrus interpres transtulit, *vt magnitudo virtutis ex Deo sit*. Eandem constructionem sequitur Caietanus. Quæ & Laurentio probatur, & Erasmò placuit vsque adeò, vt eius cõmonstrandæ causa vocabulum *virtutis* lõgius à *Dei* remouerit, vertens ad hunc modum; *vt virtutis eminentia sit Dei*. At verò Latini plerique enatratores, cum quibus facit Tertullianus, ordinem verborum qui est in vulgata versione secuti, virtutem Deo iungunt: idque profecto melius; ac pro consuetudine Pauli, qui libenter meminit virtutis seu potentiæ Dei, sicuti de fructu & profectu euangelij loquitur. Vnde Rõ. 1 euangeliũ vocat Dei virtutem. & 2 Cor. 2 sic ait, *vt fides vestra non sit in sapientia hominũ, sed in virtute Dei*. & huius epistolæ c. 6, *In verbo veritatis, in virtute Dei*. & 2 Tim. 1 *Collabora euangelio secundum virtutem Dei*. Nec quicquam obstat ordo verborum in Græco, cùm nemo nesciat ordinem grammaticæ constructionis à verborum ordine sæpenumero discrepare. Quocirca Chrysostomus quoque & præter Theophylactum cæteri Græci cum Latinis sentiunt, planè ac perspicuè virtutem ad Deum referentes: atque eò Chrysostomus adducit illud quod Dominus ad Paulum ait: *Virtus mea in infirmitate perficitur*, infrà cap. 12. Sẽsus igitur Paulinus est huiusmodi: Quòd precioſũ

hunc

Occupatio.

Thesaurũ quem vocet apostolus.

Allusio ad lumina quæ portantur in vasis fictilibus.

Cur in vasis fictilibus.

Apostoli vasa fictilia.

Duplex syntaxis & sensus huius loci.

Aliorum melior interpretatio.

hunc thesaurum euangelici ministerij portamus in vasis fictilibus, id propterea voluit Deus, vt omne bonum ex illo thesauro proueniens, attribueretur potentiæ Dei, & non ex nobis esse crederetur: id est, vt tam incolumitas nostra inter tot aduersitates & pericula; quàm fructus euangelicæ prædicationis, qui secuturus erat maximus & amplissimus, non hominum euangelizantium viribus aut industriæ aut sapientiæ asscriberetur, sed virtuti diuinæ. Quamuis enim omnia bona Deo sint authori tribuenda, etiam tunc quando vel maximè humana adhibetur industria, sapientia & potentia; non tamen ita declaratur & apparet Dei virtus illis adhibitis, sicut conspicitur & agnoscitur sine illis. Nam etsi fatendum sit, exempli gratia victoriam omnem esse à Deo, siue quis vincat in multis, siue in paucis: magis tamen apparet Deum dare victoriam, quando pauci multos superant.

Dei virtus magis apparet, vbi præsidia desūt humana.

8 IN OMNIBVS TRIBVLATIONEM PATIMVR, SED NON ANGVSTIAMVR. Ostendit Dei virtutem, in eo quòd vasa fictilia quæ thesaurum portant, inter tot cadendi & frangēdi pericula, conseruet. *In omnibus*, Græcè ἐν παντὶ, *in omni*, quod ferè vertunt *in omnibus*. Quanquam hoc loco non incommodè verti potuit *variè*, *multifariam*. Nam eo facilius etiam ad sequentia membra referetur. Vide quæ diximus ad illud 1 Corin. 1. *In omnibus diuites facti estis*. Pro verbis quæ hîc & in sequentibus habentur, in Græco participia sunt passiua præsentis temporis: quæ quia Latinè cum eodem tempore reddi non possunt; consultò nostet interpres ea mutauit in verba. Quod & Erasmus imitatus est, ita vertens: *Dum in omnibus premimur, at non anxij reddimur*, &c. vbi melius dixisset, *at non coarctamur*. vt habet alia quędam versio. Textus Ambrosianus participia retinet. *In omnibus pressuram passi, sed non coangustati*, &c. Similiter Hilarius super psal. 118, *In omnibus tribulati, sed non angustiati*. Sensus est: Quamuis vndique premamur rebus aduersis: non tamen ita redigimur in angustum, vt comprimamur & conteramur; sed Dei ope seruamur in medijs pressuris. Hunc sensum exigunt Græca, θλιβόμενοι, στενοχωρούμενοι. Quidam hîc angustiam interpretantur animi anxietatem: quod expressit Erasmus verbis memoratis suæ versionis. Atqui Pauli institutum hoc loco non est declarare virtutem Dei in eo quod apostoli in medijs malis, quæ propter euangelium patiebantur, animo non deficerent; quod erat fortitudinis & cōstantiæ: sed quòd inter tot moriendi pericula seruarentur in vita: velut si vasa fictilia atque fragilia vehementer agitata non frangantur. Id Paulum velle, patebit amplius ex versibus 10 & 11. Quæ res obseruata iuuat etiam ad trium sequentium pericoparum veram intelligentiam. Et tamen hæc non ita sunt accipienda, quasi Deus suos apostolos perpetuò seruet, ne tandem malis opprimantur & occumbant (sic enim martyrij gloriam nunquam adipiscerentur) sed tantùm eousque, dum tempus aduenerit ab ipso constitutum, quo pro ministerio fideliter ac sufficienter expleto velit eos euocatos ex hac vita coronare.

Quid hoc loco angustiari.

APORIAMVR, SED NON DESTITVIMVR. In Græco iucunda est allusio verborum simplicis & compositi, ἀπορούμενοι, ἐξαπορούμενοι: quasi dicas, *aporiati*, *sed non exaporiati*: quorum simplex, Græcis significat in re difficili inopem consilij, ideoque hærentem ac nescientem quid facto opus sit: compositum verò eum qui euadendi consilio ac spe destitutus, obruitur periculo, nec euadit. Itaque Latinum verbum *aporiamur* è Græco ficticium est, ac Latinè verti poterat: *hæremus*, *inopes consilij sumus*. Textus quidem Ambros. sic habet: *Inopiam passi*, *sed non destituti*. quod commentator ad inopiam rerum necessariarum retulit, dum sic exponit: *Id est, in inopia positis adfuit Pastor Deus.* Eadem significatione Græcum verbum accepit Theophylactus: item Faber & Erasmus tam in versione quàm in paraphrasi: quos & Caietanus sequitur. Imò Latinorum hæc ferè communis est interpretatio: quorum vetustissimus Tertullianus, in Scorpiaco cap. 13, Græcarum vocum paronomasiam ita Latinè reddidit, *indigemus*, *sed non perindigemus*. Verùm prior verbi significatio quam dedimus, magis apud Græcos in vsu est: eamque spectarunt in suis scholijs Theodoritus & Oecumenius. Nec secus accepisse videtur Basilius in regulis breuioribus, responsione ad interrogationem 270, si bene transtulit eius interpres: *Aporiamur*, *id est*, *summis circumuenimur difficultatibus*. Eidem sensui congruit quod habet Syra translatio: *Conquassamur*. Posterius verbum ἐξαπορεῖσθαι etiam suprà legimus cap. 1, vbi nostra versio habet: *ita vt taderet nos etiam viuere*, & alij verterunt: *ita vt etiam de vita desperaremus*. Neque tamen secum pugnat apostolus, hoc loco de se suisque collegis id negās, quod illic affirmare videtur. Nam illic eo verbo significare voluit, non modò consilij inopem in periculo se fuisse; sed omnino putasse quod non esset euasurus, tanquam mortis in semetipso responsum habens; vt ibi loquitur. Hîc verò sentit, apostolos etiam in tanta desperatione vitæ positos, diuina tamen ope non destitui. Cuius rei præter alia fidem faciunt ea quæ Lucas narrat de apostolis Petro, Paulo & alijs, vel è carcere mirabiliter eductis, vel aliter ab instanti periculo toties liberatis, vt Actor. 5. 12. 14. 16. 19 & 27. Quò pertinent & ea Pauli pericula multa & magna, quæ in hac eadem epistola cap. 11 enumerat: è quibus omnibus, suum apostolum Dominus eripuit.

De qua aporia siue inopia Paulus loquatur.

Paulus alibi desperationem periculi, non sibi cōtrarius.

9 PERSECVTIONEM PATIMVR, SED NON

DERELINQVIMVR. In perſecutionibus, inquit, quas cauſa miniſterij noſtri patimur & quibus agitamur, non deſerimur à Deo: non permittit nos Deus à perſecutoribus occidi, quamuis permittat cõprehendi & male mulctari. vult enim nos ſeruare ad maiorem euãgelij fructificationem. Sequitur hoc loco in multis libris, *Humiliamur, ſed non confundimur.* Quod & Lombardus & alij poſteriores exponunt, gloſſam ordinariam ſecuti. Exponunt autem hoc modo: Affligimur & contẽnimur, nec tamen erubeſcimus: quia cauſa non ſubeſt erubeſcendi; quippe qui inculpatè verſemur in ſancto miniſterio. At ſciendũ hanc partem nec in Græco legi, nec in Syriaco, nec in Latinis mss. probatioribus: ſed nec apud veteres ſcriptores, vno dempto Sedulio, vel expoſitam, vel citatam reperiri. Tertullianus in Scorpiaco & Auguſtinus in Speculo totum hunc Pauli locum referentes, iſtã pericopem non agnoſcunt. Heruæus quoque tametſi recentior non attingit: vbi imperitè quiſpiam ad marginem annotauit: *Hic videtur aliquid deeſſe.* Quapropter rectè caſtigatores Romani partem hanc vt aſſiticiam è textu ſubmouerunt. Nam & reuera non conuenit inſtituto præſentis loci. Non enim hîc agitur, quomodo fuerint affecti in afflictionibus & contumelijs apoſtoli: ſed quod diuinitus inter tot & tanta pericula conſeruati.

Pericope temerè huc inſerta.

DEIICIMVR, SED NON PERIMVS. Deiectio ſignificare videtur periculi magnitudinem: vt cum quis in pugna ab aduerſario dejicitur in terram & proſtratus tenetur, iamiã, niſi quis opem ferat, occidendus. Quamuis, inquit, in tã grauia pericula ſæpe incidamus, vt videamur ilico perituri: tamen Deo opitulante cuſtodimur, ne pereamus. Idem alijs verbis repetit infrà cap. 6, *Quaſi morientes, & ecce viuimus.* Iam ex hac quatuor pericoparum explicatione, quarum quæque bimembris eſt, intelligitur, erga vaſa fictilia theſaurum euãgelici miniſterij portantia, quid agat hominum malicia; quid bonitas & virtus Dei. Nam priora membra declarant hominum conatum vt frangantur & pereant: poſteriora, Dei protectionem ne frangantur, ſed vt ſalua maneant. Obſeruanda denique hîc eſt amplificatio rhetorica, qua res fere eadem alijs & alijs verbis repetita, pulcro orationis ſchemate extẽditur: vt ne quis exactum quærat inter pericopas diſcrimen.

Ampliſicatio rhetorica.

10 SEMPER MORTIFICATIONEM IESV IN CORPORE NOSTRO CIRCVMFERENTES. Græcè, *Domini Ieſu*; nec additur *noſtro:* tametſi in vtroque textus Syriacus noſtræ conſentiat lectioni. Mortificationem Domini Ieſu vocat apoſtolus, vel ipſam Chriſti paſſionem & mortem quã pro nobis ſuſtinuit; quo reſpicit Ambroſiana verſio, quæ ſic habet: *Semper mortem Domini Ieſu in corpore circumferentes:* vel mortificationem quam patiebantur ipſi apoſtoli, tum exemplo Chriſti paſſi, tum pro nominis eius confeſſione. Quæ duæ expoſitiones etſi tandem eòdem recidant, priorem tamen eſſe germaniorem, ſequentia probant; vbi vita Ieſu morti eius oppoſita, non alia conuenienter intelligi poſſe videtur, quàm ea qua Ieſus ipſe viuit. Igitur ſenſus eſt: Quotidianis periculis, & vt ita dicam, mortibus expoſiti ſumus; & per hoc paſſionem & mortem Domini Ieſu nos illius miniſtri atque vicarij repræſentatione quadam geſtamus & circumferimus in noſtris corporibus.

Mortificatio Ieſu quæ intelligatur.

VT ET VITA IESV MANIFESTETVR IN CORPORIBVS NOSTRIS. Græcè & Syriacè & apud Ambroſiaſtrum, *in corpore noſtro*, hoc eſt, vti ſtatim exponit apoſtolus, *in carne noſtra mortali.* In qua quidem carne vita Ieſu, qua viuit immortalis poſt reſurrectionẽ, manifeſtatur: quia (quemadmodum bene mentem apoſtoli Græcanica ſcholia declarant) dum corpora noſtra mortalia, inter tot pericula morteſque quotidianas, occulta quadã virtute conſeruantur in vita; manifeſtum ex eo fit, Dominum Ieſum, pro quo nos, reſurrectionem & vitam eius prædicantes, talia patimur, reſurrexiſſe & viuere. Nam, vt ait Caietanus, *afflictiones & tormenta euangelizãtium tam potenter non ſolum tolerata ſed ſuperata, ſunt teſtimonia Ieſu Chriſti viuentis, & ſeruantis & vincentis. propter quod & martyria ſunt appellata.* Quanquam apoſtolus, vt in ſuperioribus admonui, non tam de toleratis patienter afflictionibus ac tormentis loquitur, quàm de vita miniſtrorum euangelij, inter afflictiones & perſecutiones penè continuas, ſingulari ac mirabili Dei prouidentia ad fundandam & propagandam eccleſiam diu conſeruata. Quod vt in multis alijs, ita ſpecialiter oſtendere voluit Deus in principibus apoſtolis Petro & Paulo, qui ſenes mortem obierunt. Eiuſdem rei inſigne eſt exemplum in B. Athanaſio inter continuas Arianorum perſecutiones vſque cuſtodito: vt eccleſiæ ſuę præfuerit annis ferme quinquaginta. Quapropter & hunc apoſtoli locum in die eius ſolemni ad ſacrificium miſſæ recitat Eccleſia Romana. Senſum memoratum exigunt & illuſtrant verba ſequentia.

Qua vita Ieſu.

Res exẽplis declarata.

11 SEMPER ENIM NOS QVI VIVIMVS, IN MORTEM TRADIMVR PROPTER IESVM. *Qui viuimus*, in Græco participium eſt, οἱ ζῶντες, *viuentes*, hoc eſt, in vita manentes; vita ſalua; ſic vt vitam non amittamus. Senſus enim eſt: Quotidie propter euangelium Ieſu pro nobis mortui, nos eius miniſtri in mortis pericula tradimur; nec tamen morimur, ſed Dei virtute nos protegente permanemus in vita.

VT ET VITA IESV MANIFESTETVR IN CARNE NOSTRA MORTALI. Id eſt, vt in corporibus noſtris mortalibus toties in mortem traditis, & tamen adhuc viuentibus, manifeſtò appareat etiam Ieſum, quem prædicamus, viuere.

12 ERGO MORS IN NOBIS OPERATVR, VITA AVTEM IN VOBIS. Græcè, ὥστε ὁ μὲν θάνατος

Itaque mors quidem. vt habet textus Ambros. Pro verbo, *operatur*, Eraſmus, *agit*, vertẽdum putauit: vt & alij nonnulli. Quod ſecuti cõmentatores quidam hic ſubeſſe volunt proſopopœiam in morte & vita: quemadmodum alibi interdum apud hunc apoſtolum, vt Rõ 5. 6. 7. & 1 Cor 15. Verùm, vt aliàs annotaui, Græcum verbum ἐνεργεῖται, quamuis medium ſit, paſſiuè tantum ab authoribus Græcis vſurpatur. Lege quæ ſupra diximus ad caput 1. v 6. *Quæ operatur in tolerantia.* & Rom. 7 v. 5, *paſſiones peccatorum operabantur in mẽbris noſtris.* Proinde verbum Latinum *operatur*, paſſiuè exponendum eſt: quomodo diſertè exponunt *operatur*, id eſt *efficitur*, gloſſa ordinaria & Lombardus; licet etiam actiuam expoſitionem adferant priore loco. Senſus autem germanus eſt: Igitur in nobis apoſtolis, qui prædicamus vobis euangelium ſalutis, mors agitur & exercetur. Nam (vt in ſuperioribus dictum eſt) *perſecutionem patimur: ſemper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes; ſemperq; in mortem tradimur propter Ieſum:* vt viciſſim in vobis vita agitur & exercetur: id eſt, per noſtra pericula noſtramque quotidianam mortem vobis gignitur, augetur, perficitur vita ſpiritualis. Nã apoſtolorum & martyrum mors vita eſt eccleſiæ. vult enim ſignificare Paulus alterum eſſe cauſam alterius: ac ſi dicat, Ex euangelio per aſſidua moriendi pericula à nobis prędicato, prouenit vobis fructus vitæ & ſalutis æternæ. Chryſoſtomus alium huc ſenſum adducit. Cenſet enim ironicam eſſe approbationem in Corinthios: tanquam dicere velit apoſtolus: Interim dum nos quotidianis obijcimur periculis, vos ſecuri vitam agitis, & animos relaxatis periculorum expertes. Meminerunt huius expoſitionis etiã Latini: ſed quæ tamen ex contextu vix vllã habeat probabilitatem. Vnde nec cæteri Græci hunc Chryſoſtomi Commentarium ſequũtur. Par ratio de eo quod Primaſius dicit, apoſtolum increpatiuè loqui & cum interrogatione: quaſi ſentiat iniquum eſſe & indignum, quod mors operetur in apoſtolis, & vita in Corinthijs. Cæterùm noſtræ expoſitioni, qua ſine figura partem hanc interpretamur, optimè congruit illud quod paulo pòſt ſequitur: *Omnia propter vos.*

Verbum operatur non aſſiduè exponendum, ſed paſſiuè.

Martyrũ mors vita eccleſiæ.

Non eſſe ironiam in verbis Pauli.

HABENTES AVTEM EVNDEM SPIRITVM FIDEI. Adhuc dicere quis poterat: Quamuis nouæ legis miniſtri inter pericula diu conſeruentur in vita, multis tamen preſſuris & perſecutionibus per vitam obnoxij ſunt: ac certè tandem eis moriendum eſt: vbi ergo illorum gloria maior quàm Moyſi, de qua capite ſuperiori? Plenius itaque nunc reſpondens apoſtolus, docet gloriam miniſtrorum euangelij non huius eſſe ſæculi, ſed per fidem exſpectari in futuro. *Spiritum fidei*, dicit authorem, donatorem: vel metonymicè, Spiritum fidei, id eſt, fidem à Spiritu donatam; quomodo legimus alibi Spiritum manſuetudinis, pietatis, fortitudinis, dilectionis, ſobrietatis, pro ipſis huiuſmodi donis Spiritus Sancti. Igitur eundem Spiritum fidei, rectè intelligimus eandem fidem ab eodem Spiritu protectam: quaſi dicat apoſtolus; Cum ad eadem credenda ab vno Spiritu Sancto moueamur. Sed cum quibus eadem? Pleriq; eadem intelligunt cum ijs quæ Dauid credidit, cuius mox teſtimonium ſubijcitur: aut in genere cum ijs quæ crediderunt Sancti patres & prophetæ veteris teſtamenti, quorum vnus fuit Dauid. Iuxta quem intellectum, vt ab interpretibus tam Græcis quàm Latinis annotatum eſt, oſtendit hic locus contra Manichæos, eundem eſſe Spiritum, & conſequenter eundem Deũ ac Dominum vtriuſque teſtamenti. item oſtendit eandem fuiſſe fidẽ Patrum qui Chriſti præceſſerunt aduentum, cum fide noſtra. De qua re diſputant ex profeſſo Theologi ad diſt. 23 l. 3 ſent. Alij verò putant eadem intelligi cum ijs quæ credebant Corinthij ad quos ſcribit, ac ſi dicat: Quamuis mors in nobis operetur, & vita in vobis: quia tamẽ nos eãdem vobiſcum fidem habemus, idcirco ad eadem promiſſa tendimus, & eandem vobiſcum in futuro ſæculo vitam & immortalitatem exſpectamus. Hoc enim eſt quod poſtea ſequitur: *Quoniam qui ſuſcitauit Ieſum, & nos cum Ieſu ſuſcitabit & conſtituet vobiſcum.* Ex quo certè ſenſus iſte non parum accipit firmamenti.

Quem dicat eundẽ Spiritum fidei.

Eadem fides antiquorum & noſtra.

SICVT SCRIPTVM EST. Græcè, κατὰ τὸ γεγραμμένον, *iuxta illud quod ſcriptum eſt.* Ambroſ. *Secundum quod ſcriptum eſt.* Poteſt autem hoc bifariam exponi; vel vt comparationem indicet cum eo quod præceſſit; vel vt cum eo quod ſtatim ſequitur, *& nos credimus* &c. Ad partem præcedentem referunt qui in ea fidem intelligunt eandem cum patribus antiquis: vt ſit ſenſus: nos habentes eundem Spiritum fidei cum illis quorum vnus diuini Spiritus afflatu dixit, *Credidi* &c. Qui verò fidem illic eandem intelligũt cum Corinthijs; ijdem hanc comparationem ad ſequentia referunt. Quod ſanè probabilius eſt, ſi ſeries orationis ſpectetur.

CREDIDI, PROPTER QVOD LOCVTVS SVM. Initium eſt Pſalmi 115 iuxta verſionem LXX. Nam in Hebræo continuus eſt pſalmus cum præcedente. Sic quidem in Hebræo legitur, *Credidi, quia loquar.* Sed LXX ſenſum bene reddiderunt. Nam frequẽter apud Hebræos tam præteritum quàm futurum ſeruit indefinito tempori ſignificando: & Hebræum כי *chi*, id eſt, *quia*, cauſalis coniunctio, ponitur interdum pro rationali ſeu redditiua ſua, *ideo, propterea, propter quod*, Græcè διὸ: vt cauſa ſignificetur, non in eo quod ſequitur coniunctionem, ſed in eo quod præcedit. Exemplum promptum eſt in principio pſalmi præcedentis, *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus.* Sed ea de re iam diximus ſuprà ad illud cap. 1, *fidelis Deus, quia ſermo noſter* &c. Minus placet quod Caietanus ſuper

Cauſalis coniunctio pro rationali.

Quid Spiritus fidei.

hunc vtrumque psalmum scribens, vult particulam *quia* construendam esse à fronte totius orationis, hoc modo: Quia dilexi, exaudiet Dominus: Quia credidi, locutus sum. Hęc enim constructio coactior est: nec ad omnes alios locos similes potest accommodari: quanquam alioqui res eadem dicitur. Quod ad sensum attinet, his psalmi verbis, ad literam, agit Dauid de fide qua firmiter credidit diuinis promissis sibi per Samuelem de regno Israelitico nunciatis. Ex qua fide palàm ac liberè apud homines de diuina erga se bonitate loqui se, eamque deprædicare, testatur. Cæterùm de sensu mystico huius versus ac totius psalmi, eoque duplici, consule Iansenium breuiter vtrumque tradentem in argumento psalmi. Theodoritus exponit illud *Credidi* de fide resurrectionis. *Cùm enim*, inquit, *Dauid in præcedente psalmo dixisset, Placebo Domino in regione viuorum; non videbatur autem ipsa regio: incipiens psalmum qui sequitur, dixit: Credidi, propter quod locutus sum.* Hæc ille. Nobis quod priùs diximus, videtur esse magis literale. Neque enim necesse est, Dauidem dicentem, *Credidi*, & Paulum subijcientem, *& nos credimus*, de eadem re credita interpretari. Quin potius, vt Caietanus ad hunc locum annotat, *Fiduciam posteris præbuit Paulus vtendi sacra scriptura transsumptiuè ad spirituales materias, ex hoc ipso quod ipse vtitur psalmo transsumptiuè.*

De qua fide loquatur Dauid ad literam.

De qua fide iuxta sensũ mysticum.

Annotatio Caietani de scripturis vtendis trãssumptiuè.

ET NOS CREDIMVS, PROPTER QVOD ET LOQVIMVR. Respondet hæc pars illi, *Sicut scriptum est, Credidi* &c. vnde quidam supplent aduerbium similitudinis: ita & nos credimus. Quod non est necesse, si illic legamus, vt habent Græca, *Secundum quod scriptum est.* Nam contextus est: Secundum quod propheta dicit se credidisse, & propterea locutum esse: etiam nos credimus; propter quod & loquimur. Quamuis autem non de eadem re credita agat apostolus, de qua cecinit psalmographus: aptissimè tamen illius verba citat; ac si dicat: Quemadmodum Dauid inter persecutiones & pericula credidit se peruenturum ad regnum sibi à Deo promissum, & propterea de eo confidenter apud homines locutus est: ita nos quoque ministri nouæ legis, licet persecutionibus pressi & periculis expositi, tandemque morituri; certissimè tamen credimus nos ad gloriam promissam peruenturos. Propter quod & confidenter vobis de ea loquimur. Accedit ad cõuenientiam testimonij citati, quod in Dauide præcesserit expressa quædam figura Christi & membrorum eius, præsertim euangelij ministrorum; quicunque per labores & afflictiones Christi nomine toleratas, tendunt ad consortium gloriæ eius.

Verba Dauidis appositè Paulus ad se transfert.

Dauid typus Christi & ministrorum noui testamenti

14 SCIENTES, QVONIAM QVI SVSCITAVIT IESVM, ET NOS CVM IESV SVSCITABIT. Græca priore loco *Dominum Iesum* legunt: posteriore *per Iesum*, pro eo quod nos habemus *cum Iesu*. Græcis in vtroque suffragatur textus Ambros. Sed & Syra priore loco legunt *Dominum nostrum Iesum*: & posteriore *per manum Iesu*, id est, *per Iesum*. At verò Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 44, in vtroque nostram vulgatam præit versionem, nisi quod *cum ipso* legit, vbi nos *cum Iesu*. Exponit autem *cum ipso*, id est, *sicut ipsum*. Neque enim significatur idem tempus resurgendi, sed ipsa resurrectio capiti membrisque communis. Itaque sensus est: Scientes, id est, certissima fide persuasi, quod Deus Pater qui Dominum Iesum crucifixum & mortuum resuscitauit à morte ad vitam immortalem & gloriosam: nos quoque ministros eius ad similem gloriam, per ipsius meritum, suscitaturus est. Vnde Christus de sua claritate loquens Ioan. 12, *Vbi ego sum*, inquit, *illic & minister meus erit.* & cap. 17, *Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum.* Et de eadem re Paulus Rom. 8, *Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Vnus codex Græcus apud Ro. Stephanum habet σὺν Ἰησοῦ, cum Iesu: potuitque huius præpositionis in διὰ mutandæ occasio fuisse, quod non intelligeretur quomodo Paulus se & alios fideles *cum Iesu* suscitandos dicat, qui iam olim suscitatus fuit. Propter quod & Tertullianus expositionem præpositionis statim adiecit.

Cum Iesu suscitandi sumus, quo sensu.

ET CONSTITVET VOBISCVM. *Constituet*, παραστήσει, *exhibebit*. Non nos solos, inquit, qui ministri sumus euangelij, prouehet Deus ad cõsortium resurrectionis cum Christo: sed & vos qui nobis ministrantibus euangelio credidistis, à morte suscitatos nobis adiunget sibi exhibendos. Hoc sentit apostolus; alioqui modestiæ eius est, quod non dixit; & cõstituet vos nobiscum; sed è conuerso, *nos constituet vobiscum*: ne sibi plus aliquid in illa gloria resurrectionis præsumere videretur prę alijs fidelibus, quibus euangelium ministrarat: sed vt magis appareat ipsum alios sibi præposuisse. Considerauit enim illos vt causam finalem sui ministerij. Id enim est quod pro ratione subijcit.

Modestia Pauli.

15 OMNIA ENIM PROPTER VOS. Bene dixi, inquit, quod Deus nos constituet vobiscum: nam omnia nostra sunt aut fiunt, propter vos: id est, vniuersum ministerium nostrum ordinatur ad vtilitatem & salutem vestram; ideoque nos æquum est fieri consortes salutis & gloriæ vestræ. Sic alibi generaliori sententia dicit *omnia se sustinere propter electos.* 2. Timot. 2.

Apostolorum ministerium propter aliorum salutem.

VT GRATIA ABVNDANS PER MVLTOS IN GRATIARVM ACTIONE ABVNDET IN GLORIAM DEI. In Græco diuersa sunt verba, πλεονάσασα & περισσεύσῃ: quæ interpres eodem verbo Latino reddidit, *abundans*, & *abundet*. Græca sic ferè transferuntur: *vt gratia abundans propter plurium gratiarum actionem exuberet in gloriam Dei.* Ambrosiaster ita legit, *vt donum abundans per multorum gra-*

tiarum

tiarum actionem abundet ad gloriam Dei. Primasij textus cum nostro conuenit, excepta præpositione *in*, quam omittit, vt & textus ordinariæ glossæ, & ipsa glossa, & exemplaria quędam mss. Valla textum vulgatæ versionis refert ad hunc modum: *vt gratia abundans per multas gratiarum actiones abundet* &c. At sensus omnium ferè idē est: Ex eo, inquit, quod Deus vos eiusdem nobiscum gloriæ facturus est participes, consequitur hic fructus, vt gratia, seu beneficiū illud in multos sparsum, ijsdem multis pro eo gratias Deo agentibus, redundet atque exuberet ad gloriam Dei. Nullo enim opere nostro magis quā gratiarum actione glorificatur Deus. In eundem sensum conuenit interpretatio Syriaca, quæ sic habet: *vt abundante gratia per manum multorum* (id est per multos) *augeatur gratiarum actio in gloriam Dei.* Veruntamen notandū est (quod ab Erasmo non ineptè suggeritur) Græcam vocem περισσεύσῃ, quam interpretes vertunt *abundet, exuberet*, verbis absolutis, posse transitiuè sumi pro eo quod est *abundare, exuberare faciat*: adhærente ei quarto casu εὐχαριστίαν, id est, *gratiarum actionem*: actum ex Græco sic reddetur oratio: *vt gratia abundans per plures gratiarum actionem abundare faciat in gloriam Dei.* Hoc est, vt in multos effusa gratia, per multas itidem personas gratiarum actionem pariat atque diffundat, qua Deus glorificetur. Hanc Græci verbi transitiuam acceptionem, ne cui videatur insolens, habemus in hac eadem epistola cap. 9, vbi sic legitur, etiam secundum nostrum interpretem: *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Habemus & alibi apud Paulum, vt Ephes. 1 versu 8, & 1 Thessa. 3 v. 12. Quæ loca multum probabilitatis adferunt huic expositioni, quæ non soli Erasmo placuit. Conferendus est etiam hîc locus cū altero simili, qui est huius epistolæ cap. 1, *vt ex multis personis eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.*

Gratiarū actione maximè glorificatur Deus.

Expositio probabilior.

16 PROPTER QVOD NON DEFICIMVS. Refertur hæc illatio ad illud quod dixit: *Scientes quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit.* Propter spem, inquit, illius gloriæ quam ex resurrectione exspectamus, non succumbimus malis quæ nobis euangelij ministris plurima superueniunt. Est enim idem in Græco verbum, quod initio capitis, ἐκκακοῦμεν.

SED LICET IS QVI FORIS EST, NOSTER HOMO CORRVMPATVR, TAMEN IS QVI INTVS EST, RENOVATVR DE DIE IN DIEM. *Is qui foris est*, ὁ ἔξω, *externus*, siue *exterior*. Item, *is qui intus est*, ὁ ἔσωθεν, *internus*, *interior*. Exteriorem & interiorem legit Tertullianus in Scorpiaco cap. 13, de resurrectione carnis cap. 40 & 43, & contra Marcionem l. 5 cap. 11. item Augustinus l. 2 de baptismo paruulorum cap. 7 & 13. commētator Ambr. & Sedulius. Nec Græcè est, *de die in diem*, sed ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ, *die & die*, quemadmodū & legit Tertullianus in Scorpiaco, & in lib. de resurrectione carnis. nisi quòd posteriore loco additur præpositio, *de die & die.* sed quam suspicor additam à scribis ex vulgata lectione. Est autem Hebræa phrasis *die & die*, non dissimilis illi quæ est psalmo 86, *Homo & homo natus est in ea*, id est, multi homines, alij post alios. Legitur autem in Hebræo sine coniunctione, *die, die.* psal. 60, vbi nos habemus, *vt reddam vota mea de die in diem*, & psal. 67, vbi nos, *Benedictus Dominus die quotidie*: quemadmodum & Ezech. 14, *Homo, homo*, seu *vir vir de domo Israel.* id est, quilibet homo, seu vir. Dicit itaque Paulus *die & die*, pro eo quod Latinè dicimus, *quotidie, in dies*, vel, vt Erasmus vertit, *in dies singulos*: nec malè noster interpres *de die in diem.* Voluit autem apostolus significare quotidianum incremētum & profectum renouationis in homine interiore, sicut est in exteriore quotidianus ad corruptionem accessus. Non est hoc loco dissimulandus insignis lapsus Caietani, viri alioquin egregiè docti, qui ex annotatione Erasmi malè intellecta, pro illa parte *de die in diem*, credit apostolum scripsisse aduerbiū *nouè*, eāndemque vocem exponit ac subtiliter in ea philosophatur: quum Erasmus non aliud dicat, quàm nouè scriptum à Paulo ἡμέρᾳ ἡμέρᾳ, *die & die*, pro καθ' ἡμέραν, *in dies.* Id admonendum duxi, ne quis fallatur: tum vt intelligat lector, quàm facilè aberret in scripturis interpretandis, qui linguæ originalis ignarus, tantùm ex alijs authoribus venatur, quid Græca, quid Hebręa habeāt. Hominem exteriorem phrasi quadam sua ac peculiari vocat apostolus hominis corpus, vel vti pleniùs explicat Aquinas, corpus hominis *cum natura sensitiua.* Hominem verò interiorem appellat Spiritum, mentem, rationem, id est animam rationalem cum potentijs ei proprijs. Ad quem modum & alij tam Græci quàm Latini commentatores vtrumque hominem interpretantur: & ante eos Tertullianus libro de resurrectione carnis. At paulò aliter Caietanus, qui interiorem & exteriorem hominem censet vnum eūdemque hominem esse *secundum diuersas conditiones. Quilibet enim homo*, inquit, *secundum conditiones animi vocatur internus homo: secundum conditiones corporis externus.* Id ipsum ante Caietanum docuit Hugo Victorinus in quęstione 12 huius epistolæ. Verùm Aquinatis & aliorum explicationem magis esse ex mente Pauli, satis arguit locus huic similis in epistola ad Rom. 8, *Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem.* Vide etiam quæ de vtroque homine diximus ad illud Rom. 7, *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem.* Est autem hæc hominis in exteriorem & interiorem hominem distinctio (quemadmodum & Hugo obseruat in quæstione memorata) diuersa ab ea qua secundùm eundem apostolum homo

Die & die pro quotidie, Hebraismus.

Originalis linguæ noticia scripturarum interpreti quàm necessaria.

Per hominem exteriorē & interiorem quid significetur.

distin-

Non idē quod per hominem veterem & nouū.

distinguitur in veterem & nouum: vt Rom. 6. v. 6, Eph. 4 v. 22. & 24, & Col. 3 v. 9 & 10, nam prior distinctio locum habet in omni homine, etiam Christo Domino iam immortali: posterior autem non nisi in homine lapso, & quadantenus reparato. De qua posteriori distinctione suis locis agendum est. Has verò duas hominis differentias ab apostolo traditas confudisse videtur S. Ambrosius, dum in epistola 77 locum hunc ita refert: *Qui foris est noster homo, corrumpitur secundum desideria erroris*. videlicet errante memoria coniungens id quod de veteri homine dicitur Eph. 4, cum homine exteriori, cuius hîc fit mentio. Sensus itaque loci præsentis est: Non deficimus animo, quin potius, etsi corpus hoc nostrum sensitiuum ac vegetabile, quod est homo noster exterior, paulatim deficiat, & siue per afflictiones & plagas frequentes, quas pro Christo patimur, siue etiam ex seipso propter mortalitatem peccato contractam quotidie magis ac magis ad interitum vergat: animus tamen, seu spiritus, qui est homo noster interior, per hanc ipsam corporis corruptionem patienter toleratam in dies magis magisque renouatur. Renouatur autem, vt bene S. Thomas exponit, à vetustate ignorantię & peccati ad nouitatem veritatis & iusticiæ. Quanquam in hac vita nouitatem perfectam non assequitur, sed demum in futura. Cæterùm imperitè, quemadmodum idem Doctor annotat, ex horum verborum occasione, quibus in vno homine duplex homo distinguitur, interior & exterior, docuit Tertullianus animam rationalem habere figuram, siue, vt loquitur, effigiem & membra corporea, videlicet ad modum sui corporis; vt interior homo respondeat exteriori. Locus apud Tertullianum est in libro de anima cap. 9. vbi inter alia sententiam hanc suam comprobat reuelatione diuina, quam sorori cuidam, id est, Christianæ mulieri per ecstasin inter Dominica solemnia factam fuisse commemorat: addens illi visam fuisse animam aerij lucidique coloris. Sed hunc tam stupidum errorem, recitatis etiam Tertulliani verbis, doctè refellit Augustinus lib. 10 de Genesi ad literam cap. 25 & 26. Qua de re præterea consule Iacobi Pamelij ad dictum Tertulliani librum annotationes, & quæ scripsit ad paradoxum 7 eiusdem authoris, scilicet de anima corporea. Quibus locis rectè eam reuelationem, vtique falsam, asscribit furoribus Montanisticæ familiæ.

Homo interior in pijs renouatur exteriore deficiēte.

Error Tertulliani animam habere mēbra corporea.

Reuelatio falsa.

17 ID ENIM QVOD IN PRÆSENTI EST MOMENTANEVM ET LEVE TRIBVLATIONIS NOSTRÆ. Græca sic habent: τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν. Id est: *Quod enim in præsenti leue afflictionis nostræ*. Aut breuius & clarius: *Præsēs enim lenitas afflictionis nostræ*. Nā adiectiuū neutrū loco substantiui posuit apostolus, vt & alibi, more Græcis atq; etiā Latinis vsitato. Significat autem τὸ παραυτίκα, quod ita præsens est vt citò transeat. Vnde ἡ παραυτίκα ἡδονὴ apud Demosthenem, id est, præsens ac momentanea voluptas. Itaque putāt quidam illa duo versionis nostræ, *in præsenti & momentaneum*, respondere vni voci παραυτίκα, siue ab eodem interprete scripta, siue à diuersis. Alijs autem videtur hæc duo *momētaneum & leue* respondere eidem vocabulo ἐλαφρὸν: in quo dum alij significationē æstimant ex etymo (dicitur enim ἀπὸ τοῦ ἐλάφου, à cerno, notæ celeritatis animali) verterunt *momentaneum*, quod quasi momento transit. Alij magis vsum eius attendentes verterunt *leue*, videlicet graui oppositum. Sic enim Matth. 11 sumitur, vbi Latinè, *Et onus meum leue*. & huius epistolæ cap. 1, *Nunquid leuitate vsus sum?* Nam & hic antithesis postulat significari leuitatem: vt cui pondus opponatur. Tertullianus tā in Scorpiaco, quàm in libro de resurrectione carnis hanc partem ita legit: *Nam quod ad præsens est temporale & leue pressuræ nostræ*. Augustinus in enarratione psalmi 93 ad hunc modum, *Etenim quod est ad præsens temporale & leue tribulationis nostræ*. Porrò textus Pelagij sine coniunctione legit, *momentaneum leue*.

Quid apostolo momētaneum & leue.

SVPRA MODVM IN SVBLIMITATE. Primasius legit, *in sublimitatem*. Quod vicinius est Græcè lectioni quæ sic habet: κατ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν, id est, *secundum excessum in excessum*: vel quomodo vertit Theophylacti interpres, *per excessum ad excessum*. Augustinus legit ac repetit, *iuxta incredibilem modum, & in incredibilem modum*, in expositione psalmi 93. Tertullianus, *per supergressum insuper*, in Scorpiaco. Quidam vertit, *præter modum, supra modum*. Est autem eiusdem vocis excessum significantis geminatio, qua vtuntur interdum Hebræi ad significandam vel copiam vel excellentiam quandam immensam, vt Gen. 17, *Multiplicabo te plurimum plurimum*. vbi Hieronymus, *multiplicabo te vehementer nimis*. & cap. 30, *Cremit vir valde valde*. Pro quo Hieronymus: *ditatus est homo vltra modum*. Tantùm illud hîc peculiare, quod præpositionem Paulus variat, nihil tamen diuersum significans: quod & aliàs facit, vt capite præcedenti, *per gloriam, & in gloria*. Potest igitur hoc quod dicit, ita reddi Latinè; *excellenter supra modum*, vel vt Erasmus, *mirè supra modum*. Significare enim voluit apostolus aliquid incomparabiliter maius & excellentius. Quod declarat verbis sequentibus.

Hebraica geminatio eiusdem vocis.

ÆTERNVM GLORIÆ PONDVS OPERATVR IN NOBIS. Græcè & Syriacè, *operatur nobis*, sine præpositione: vt & veteres habent concordantiæ, & exemplaria quædam mss. Sic etiam citant Tertullianus vtroque loco prius indicato, & Augustinus in enarratione psalmi 93. vbi & diserte exponit, *operatur nobis*. Est autem *operatur*, Græcè κατεργάζεται, verbum diuersum ab eo quod suprà versu 12 passiuè exponebamus. Hoc enim

actiuæ

actiuæ significationis est, ac si dicatur, efficit, parit, procreat nobis. Tertullianus, *perficit nobis*. Porrò totus hic versus, *Id enim quod in præsenti* &c. rationem continet eius quod dixerat, *non deficimus*: & contentionis rhetoricæ speciem habet, antithetis hinc inde positis. Sumpta est enim ratio à præmio collato cum labore & afflictione. Nam, inquit, hęc momentanea ac leuis afflictio corporis, quã euangelij causa patimur, adfert ac parit nobis in futurum, gloriam sui comparatione inæstimabilem, vtpotè gloriæ pondus ęternũ. Igitur antitheta sunt momentaneum & æternum, quæ ad tempus referuntur: ac rursum leuitas & pondus, quæ ad magnitudinem. Vnde satis intelligitur ponderis nomine significatam esse perfectionis ὑπερβολὴν, non autem extensionis seu durationis, vti vult Erasmus in annotationibus. Monstrat hic locus opera bona patientiæ, qua toleramus afflictiones, tametsi momentaneas ac leues, esse merita, quibus æterna ac præcellens gloria futuri sæculi pro mercede retribuenda sit. Illud enim *operatur*, causam efficientem denotat, ad quod genus reducitur causa meritoria: tanquam apostolus dicat, Opus patientiæ nostræ procreat ex se fructum ęternæ & immensæ gloriæ; nimirum merendo, & meriti ratione tandem assequendo. Nam licet inter hoc opus & illam mercedem nulla sit comparatio, quantum ad diuturnitatem & magnitudinem attinet. (Propter quod alibi negat idem apostolus esse condignas huius sęculi passiones *ad futuram gloriam*, Rom. 8) Est tamen in valore comparatio & æqualitas quædam; non ex natura quidem huiusmodi passionum, sed ex Dei voluntate, qui tantam mercedem bonis iustorum operibus constituit ac redditurum se promisit: quemadmodum ad memoratum locum epistolæ ad Romanos id à nobis explicatum est.

Antitheta.

Opera bona gloria æterna merita.

Quæ comparatio bonorum operum nostrorũ ad mercedem vitæ æternæ.

18 NON CONTEMPLANTIBVS NOBIS QVÆ VIDENTVR, SED QVÆ NON VIDENTVR. In Græco genitiui sũt absoluti σκοπούντων ἡμῶν, ne quis ablatiuos Latinos existimet regi ab *in* præcedente, vel datiuos esse putet referendos ad verbum *operatur*. Est autẽ σκοπεῖν propriè, non cõtemplari, sed spectare ac velut in scopum intueri; (Tertullianus *intuentibus* legit) quomodo qui operatur, respicit ad præmiũ. vt sensus sit: Dum non spectamus ad hæc præsentia bona, quæ videmus, vt sunt opes, honores, dignitates, & omnis gloria huius sæculi: sed ad bona futura, quæ non videmus sed credimus. Hinc liquet intuitu mercedis ac præmij cælestis operantem Christianum non modò non peccare, quod dicunt hæretici; (quos Synodus Tridentina condemnat sess. 6 cap. 11, & can. 31) sed apostolorum exemplo rectè & laudabiliter agere. Loquitur enim adhuc Paulus ex persona ministrorum euangelij.

Operans intuitu mercedis æternæ nõ peccat, sed bene agit.

QVÆ ENIM VIDENTVR, TEMPORALIA SVNT. Potiùs *temporaria*, ad tempus durãtia, hoc est, quę breuissimi sunt temporis. Id enim significat Græcum vocabulum πρόσκαιρα, quod idem legitur Matth. 13 & Mar. 4, de ijs quos comparat Dominus semini germinanti, statimque exarescenti. Legimus & Heb. 11, v. 25 πρόσκαιρον ἀπόλαυσιν, *temporariam iucunditatem*.

QVÆ AVTEM NON VIDENTVR, ÆTERNA SVNT. Quæ, inquit, non videntur, sed credũtur à nobis, in æternũ duratura sunt, ideoque meritò hæc præ illis spectanda nobis sunt & sperãda. Nam de præmijs sermo est: vti bene locum hunc explicat Thomas 1 q. 65 ar. 1 ad 1.

SVMMARIVM.

Spe gloriæ futuræ volunt euangelici ministri (quando aliter id fieri non potest) à corpore peregrinari, vt Christo Domino præsentes sint. Cui interim, vt omnium iudici, placere student, non sibi viuentes sed illi qui pro omnibus mortuus est, & resurrexit: ac legatione pro eo fungentes apud homines, vt per eum Deo reconcilientur.

CAPVT V.

1 SCIMVS ENIM, QVONIAM SI TERRESTRIS DOMVS NOSTRA HVIVS HABITATIONIS DISSOLVATVR. Magnitudinem præmij ministris euangelicis in futurum reseruati, de quo locutus fuerat in genere, nunc speciatim explicat, tam quod ad corpus attinet, quàm quod ad animam. Græcè sic est: *Nouimus enim, quod si terrestris nostra domus* seu *domicilium* (οἰκία) *tabernaculi dissolutum fuerit*. Tertullianus quoque legit, *huius tabernaculi*, libro de resurrectione carnis cap. 41. Quidam in verbis apostoli putant esse hypallagen, pro eo quod diceret; *quod si terrestris domus nostræ tabernaculum fuerit dissolutum*. Simpliciùs obliquum *tabernaculi* per rectum exponemus: vt sensus sit appositiuus; terrestris domus nostra quæ est tabernaculum. Quippe tabernaculum opponit ædificio, de quo parte sequenti.

Corpus mortale, domus terrestris & tabernaculum.

QVOD ÆDIFICATIONEM EX DEO HABEMVS DOMVM NON MANV-FACTAM, ÆTERNAM IN CÆLIS. *Quod* redundat. Iam enim dictum erat *quoniam* seu *quòd*: Nec repetitur in Græco. Pro ædificatione commodiùs erat *ædificium*. Non enim actum ędificandi significare voluit apostolus, sed opus ędificatum & constructum, id est, habitaculum: Idque vox Græca significat οἰκοδομὴ. sensus autem totius versus est: Certa fide persuasi sumus nos ministri nouæ legis, quòd posteaquam domus nostra terrestris huius tabernaculi dissoluta seu destructa fuerit; id est, corpus hoc nostrum, in quo velut in tabernaculo moramur ad tempus, super terram, morte fuerit dissolutum: habituri simus ædificium

Corpus immortale domicilium à Deo æternum, cæleſte.

In cælis, à Deo nobis præparatum, domicilium, inquam, non manu-factum (Græcè ἀχειροποίητον) id eſt, factum non opere humano, qualia ſunt quæ ſibi manibus ſuis ad exiguum tempus duratura conſtruunt homines in terris: vt illis meritò comparetur corpora noſtra mortalia, tanquam & ipſa ſint manu-facta: ſed opere diuino, ſuprà omnem naturæ facultatem; corpus videlicet glorioſum, immortale, æternum. In apoſtoli verbis primùm obſerua *ſi* poſitum loco aduerbij poſtquam: niſi quis malit apoſtolum dubitanter locutum fuiſſe de corporis diſſolutione, propter eos qui viui in aduentu domini reperientur; quos abſque diſſolutione corporis & ſomno mortis ad immortalitatem immutandos eſſe ſignificare voluerit; ſecundum ea quæ tradit 1 Cor. 15, & 1 Theſſ. 4. Quocirca Caietanus ex hoc etiam loco confirmari putat opinionem quæ negat eos morituros (ſaltem loquendo de electis) quos aduentus domini viuos inueniet. Vocatur autem corpus noſtrum, domus noſtra; quia ſecundum animam nos in eo habitamus. Eſt enim corpus animæ quodammodo domicilium. Porrò corpus hoc mortale vocatur domus terreſtris, non tam idcirco quòd in terram reſolui poſſit aut debeat, quàm quia ſuper terram inhabitatur: ſicut immortale corpus domus erit cæleſtis, quia in cælo poſſidebitur. Nã Græcè non eſt χοϊκὴ, id eſt terrena, terrea, ex terra conſtans vt 1 Cor. 15, *Primus homo de terra, terrenus*; item, *qualis terrenus, tales & terreni*: ſed ἐπίγειος *terreſtris*, id eſt quę in terra ſiue ſuper terram eſt. Quamquam ex eo quòd ſit ſuper terram, ſimul ipſa corruptibilitas eius intelligitur: quandoquidem omnia terreſtria corruptibilia ſunt. Idem corpus hîc & paulo poſteriùs appellatur tabernaculum; quo ſignificetur haud diu duraturum; more tabernaculorum, quæ in paucos dies parari ſolent. Quam tabernaculi metaphoram attendit & Petrus 2. ep. 1 dicens: *Certus ſum quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei.* Iam verò poſteriorem ſententiæ partem ad eum modum quo nos expoſuimus, id eſt, de corpore glorioſo, multi ac ferè omnes interpretes exponunt, tam Latini quàm Græci: Caietano etiam aſſentiente qui in eo ſenſu declarando multus eſt. Eundem perſpicuè tradit Tertullianus loco prius citato; dicens, hîc nobis *repromitti meliorem domum per reſurrectionem*. Nec diſſentit Aug. quum in enarratione pſalmi 68. *domum non manufactam, æternam, in cælis*, de qua loquitur apoſtolus, exponit *immortalitatem præparatam nobis qua induendi ſumus in fine, cùm reſurrexerimus à mortuis.* Quem locum Beda quoque in ſua collectanea retulit. Sed nec ab horum ſententia longè recedit Macarius Ægyptius, qui homilia quinta tractans hanc ſcripturam, per domum non manufactam intelligit virtutem ſancti Spiritus, per quam in die reſurrectionis glorificabitur domus corporis noſtri; quemadmodum ait apoſtolus: *qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis viuificabit & mortalia corpora noſtra per ſpiritum ſuũ habitantem in vobis.* Rom. 8. Sunt tamen nonnulli vt inter Græcos Photius cuius ab Oecumenio verba referuntur, & inter Latinos Heruæus, aliã huc adferentes expoſitionem, qua domum ęternam & cæleſtem non corpus glorioſum, ſed æternam beatitudinem interpretantur: de qua Dominus ait Ioannis 14, *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Mouet eos inter alia quod non dicat apoſtolus, habebimus, ſed *habemus*, ſcilicet continuò poſt huius terreni domicilij diſſolutionem. Nam de corpore immortali quod poſt tam longum tempus exſpectatur, non ſatis aptè dictum videretur, *habemus*, verbo præſentis temporis. Pro hac expoſitione, reiecta priore, quam habet vtraque gloſſa, præcæteris certat Aquinas, cùm in commentario, tum in opuſculo quod ſcripſit contra Græcos, Armenos & Saracenos cap. 9, probare volens ex hoc loco ſic intellecto, ſanctorum animas ante corporum reſurrectionem frui gloria ac beatitudine cæleſti: quamquam id ex ſequentibus verſibus 6. 7 & 8, bene probatur; vt illic oſtendemus. Præcipuum eius argumentum eſt ex intentione Pauli quam eſſe dicit vt oſtendat ſanctos rationabiliter ſuſtinere tribulationes quibus vita præſens corrumpitur, quia per hoc ſtatim perueniunt ad gloriam cęleſtem. Quod de corpore glorioſo conſtat non eſſe verum. Aquinatem hac in re ſequuntur Liranus & Carthuſianus, etſi minori cum aſſeueratione. Siquidem & Heruæus ſecundo loco profert expoſitionem de corpore glorioſo: neque ſignificat vtram cẽſeat meliorem. Certè iſtorum argumẽta qui beatitudinem animarum ſignificari putant, haud conuincunt. Quod enim ad ſcopum attinet apoſtoli, ſatis ex præcedentibus liquet, eum de gloria futura miniſtrorum nouę legis differere in genere: ſiue ea ad corpus, ſiue ad animã pertineat; & ſiue ſtatim à morte ad eã perueniatur, ſiue multo pòſt. Nam & reſurrectionis corporum paulo antè meminit apertè, dicens: *Scientes quoniam qui ſuſcitauit Ieſum, & nos cum Ieſu ſuſcitabit.* Nec mouere debet verbum præſentis tẽporis *habemus*. nam de eo quod certò nos habituros nouimus, non ineptè dicimus id nos habere; quomodo Ioan. 3, Baptiſta dixit: *Qui credit in filium, habet vitam æternam*. & ipſe Dominus de ſe, Ioan. 5. *Qui verbum meum audit, habet vitam æternam*. & cap. 6, *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Et iterum *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Ita pronunciat idem Ioannes in prima ſua epiſtola cap. 5. dicens: *Vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filij Dei.* Nec inſuetus eſt etiam vulgo huiuſmodi ſermo; præſertim ſi ſubintelligas repoſitum, reſeruatum, aut quid ſimile; quod hoc loco commodè poteſt intelligi, propter illud

Corpus animæ domicilium. Cur dicatur domus terreſtris aut cæleſtis.

Cur tabernaculum ſocetur corpus noſtrum.

Domus cæleſtis aliter ab aliis expoſita.

Refellitur ea expoſitio.

Vſus verbi præteriti temporis pro futuro.

illud quod sequitur, *in cælis*. Illuc enim verbum *habemus* referendũ est. Ita Petrus 1 ep. 1 dixit *hæreditatem incorruptibilem* nobis *conseruatam in cælis*; loquens de resurrectione corporum in nouissimo tempore futura: cuius spem astruit ex resurrectione Christi. Nec verò nouum est apostolum Paulum de resurrectione futura loquentẽ, vti præsentis temporis verbo: nam & in priore epistola cap. 15 de corpore quod per mortem seminatur, secundum Græcam lectionem sic ait: *Resurgit in gloria; resurgit in virtute; resurgit corpus spirituale*. Ac sanè præsens hic locus diligenter expensus, valde congruit cum ijs quæ in priore epistola de resurrectione corporum dicta sunt. Vt enim illic homini terreno opponitur homo cælestis; ita hîc terrestri domui domus cælestis. Et quemadmodum illic corruptio opponitur incorruptioni; ita hîc dissolutio siue destructio æternitati; Rursum vt illic indumenti mentio fit cùm dicitur, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*: ita & hîc statim pòst, cum dicitur, *Superindui cupientes*; & iterum *Nolumus exspoliari sed supervestiri*, Denique sicut illic *mors* secundum prophetiam *absorbenda* dicitur *in victoria*: ita dicitur hoc loco; *vt absorbeatur quod mortale est, à vita*. Quibus omnibus accedit, quod apostolus in epistola ad Heb. cap. 9 Christi corpus quod diuina virtute formatum est in vtero virginis, vocat tabernaculum non manufactum; de quo etiam ipse dixerat; *soluite templum hoc: & in tribus diebus excitabo illud*, Ioan. 2. Quare & hoc loco per domum non manufactã, quæ nobis ad similitudinem Christi promittitur, nihil conuenientius accipitur, quàm corpus resurrectione glorificandum. Per hæc igitur non solũ refelli videtur eorum commẽtarius, qui domum non manufactã æternã, quam in cælis habituri sumus, intelligi volunt beatitudinẽ cęlestem; verùm etiam maioré in modũ stabiliri communis patrum intellectus, exponentiũ hęc apostoli verba de corpore glorioso & immortali, quale futurum per resurrectionem exspectamus.

Confertur hic locus cum eo qui est 1. Cor. 15.

2 NAM ET IN HOC INGEMISCIMVS, HABITATIONEM NOSTRAM QVÆ DE CÆLO EST, SVPERINDVI CVPIENTES. Probat ex gemitu & desiderio sanctorũ, certò futurũ vt terrestri domo hac dissoluta, domũ æternã aliquando sint habituri in cęlis. Valet probatio secundũ Thomã; quia si desideriũ naturæ non est inane, multo minùs desiderium gratię, quale est istud de quo loquitur apostolus, inane est & sine effectu. Quãquam nõ est necesse per huiusmodi axioma connectere partem hanc cũ superiori; quum non aliud apostolus velle videatur, quã alterũ esse causã alterius, ex quo velut effectu & signo probetur: vti statim à nobis explicabitur. In Græco pro habitatione, *domicilium* est, οἰκητήριον, nõ vt suprà, σκῆνος & tabernaculũ. Ambrosianus legit *habitaculo nostro quod* &c. Sed & illud *in hoc*, Græcè non est ἐς τοῦτο, *ad hoc*, in eum finem; quomodo dicitur Rom. 14, *In hoc Christus mortuus est & resurrexit; vt & mortuorum & viuorum dominetur*. & 1 Ioan. 3, *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli*. sed ἐν τούτῳ, *in hoc*, auferendi casu, qui Græco datiuo respõdeat. Quẽ nonnulli referunt ad tabernaculum; quasi dicat apostolus, se in hoc tabernaculo, id est, in mortali corpore ingemiscere; sentiatque causam sui gemitus esse corporis huius miseriam. At alij probabilius ita exponunt, *In hoc*, id est, propter hoc quod dictum est; nempe ita demum nos habituros ædificium ex Deo, domum non manufactam, æternam, in cęlis, si priùs domus nostra huius tabernaculi dissoluta fuerit: vt sensus sit; Atque ea res quam dixi, nobis est causa gemendi & suspirandi: vt qui habitaculo cælesti, id est immortali corpore, cupiamus superindui: non deposito tabernaculo corporis huius per mortem, sed absque mortis interuentu immortalitate donando. Sic enim quodammodo superindui nos contingeret, veste immortalitatis accedente ad vestem corporis. Hinc ergo iam patet ratio; cur illud superius sit sanctis causa gemitus ac suspirij: quia nimirum ardua res est ac dura, domum cælestem assequi non posse, nisi domo terrena prius per mortem dissoluta: repugnante videlicet desiderio nostro naturali, quo sine morte vellemus ad illud bonum pertingere. Quod desiderium significatur Græca voce ἐπιποθοῦντες, *desiderantes*. Ita præter alios intellexit hunc locũ Augustinus libro 1 de baptismo paruulorum capite 2, vbi etiã docet, desideriũ illud in Adamo, si non peccasset, complendum fuisse; sic vt corpus animale quod gestabat, & in quo creatus fuerat, absque morte media cõmutaretur in corpus spirituale & incorruptibile. Porrò corpus immortale vocat apostolus habitaculum quod de cælo est, eodem sensu quo proximè vocauit ædificium quod ex Deo habemus; eo nempe quia sola diuina virtute nobis construetur. Sunt qui habitaculum quod de cælo est, interpretentur glorioſum corpus ipsius Christi, de quo 1 Cor. 15 *Secũdus homo, de cælo, cælestis*. Nam & Christum à nobis indui, phrasis est apostolica, Rom. 13, & Gal. 3, Verùm prior intellectus accommodatior est contextui loci præsentis.

Argumẽtum à gemitu sanctorum.

Causa gemitus sanctorũ.

Desiderium naturale.

Corpus immortale habitaculum de cælo.

3 SI TAMEN VESTITI, NON NVDI INVENIAMVR. *Vestiti*, Græcè ἐνδυσάμενοι, *induti*, vt legit Augustinus. Indicat in suo commentario Chrysostomus, & ex eo Oecumenius, codices hoc loco variare: quosdam enim legere ἐνδυσάμενοι, induti; alios vnius literulæ discrimine, ἐκδυσάμενοι, exuti. Quo sanè posteriore modo legisse Macariũ quẽ suprà citaui, declarãt hęc eius verba: *Cõtendamus hic per fidẽ & studiosã vitæ conuersationẽ cõparare nobis indumentũ illud: ne corpore exuti, nudi reperiamur; nec sit quod glorificet in die illa carnẽ nostrã*. De Latinis quoq; codicibus admonet cõmẽtator Ambr alios pro *induti*, legere exspoliati.

Varia lectio Græca.

Quæ lectio apud Tertullianū eſt libro 5. cōtra Marcionē cap. 12, *ſiquidem deſpoliati non inueniamur nudi*, & libro de reſurrectione carnis cap. 41 & 42, *Siquidem exuti, non nudi inueniamur*. Qua lectione S. Paulinum etiā vsū fuiſſe, liquet ex his eius verbis, epiſtola 5 ad Seuerū: *ſi diſpoliatus à corpore, nō inueniaris nudus ab opere*. Ex quo loco ſcholion ſuum deſumſiſſe videtur Primaſius, eiuſdem lectionis conſors: *Si tamen*, inquit, *exſpoliati corpore, non nudi inueniamur ab opere*. In quē ſenſum Ambroſianus quoq; eam lectionem pluribus exponit. Eandē ſequitur Eraſmus in ſua paraphraſi: ſēſumque tradit conſimilem: licet in verſione ſcripſerit, *induti*. Quæ quidē, vt eſt pervulgata lectio tā Græcorum codicū, quā Latinorū, ſuffragante etiā Syro interprete: ſic & ſincerior eſſe videtur. Nā illud, *ſi tamē exuti*, ſiue exſpoliati, nō reſpōdet ei quod dictū eſt, *ſuperindui cupientes*: ſed magis repugnat. Porrò ſenſū huius vulgatæ lectionis gloſſa quæ dicitur interlinealis, ſuppeditat huiuſmodi: Quod tamen nō alia cōditione ſperare licet, ſcil. habitaculo cæleſti ſuperindui: quā ſi virtutū ac bonorum operū ornamētis induti, non autē nudi in die aduētus Domini reperiamur. De quo nimirū indumēti genere Paulus alibi præcipit dicēs: *Induite vos ſicut electi Dei, viſcera miſe ricordiæ, benignitatē, humilitatem*, &c. Col. 3. De quo & Ioā Apo. 16. *Beatus qui cuſtodit veſtimēta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinē eius*. Hūc enim ſcripturæ locū multi codices annotatū habent ad marginē. Verū commentarius iſte, quāuis eū plures Latini ſequātur, neq; cōtextui inhęret, neq; ſeruit intētioni Paulinę: quē admodū rectè cenſet Aquinas. Eſt enim omnibus electis commune, tali modo veſtitos & non nudos inueniri; Superindui verò vel nullorum eſt vel paucorū. Deinde cū differat hæc apoſtolus in perſona bonorū & fidelium miniſtrorum nouæ lęgis; non admodum congruere videtur huic loco interpoſita cōditio, *ſi tamē* &c; quod illa iādudū in ſuperioribus ſuppoſita fuerit. Æquè refellitur expoſitio Græcorum, quæ talis eſt; Si modò poſtquam induti fuerimus corpore per reſurrectionē, non nudi inueniamur à gloria: Reſurrectio namque communis erit omnibus; at gloria iuſtis propria. Refellitur, inquā, iiſdem rationibus; quas facile eſt applicare. Deinde, principium petit apoſtolus ſecundū hāc expoſitionē. Dicit enim fore vt ſuperinduamur corpore glorioſo, ſi in reſurrectione nō inueniamur nudi à gloria. Qui ſermo battologus eſt. Ipſe sāctus Thomas, & eū ſecutus Liranus, hunc faciunt ſenſum: *Superindui cupientes*; Quod quidē nobis contingeret, ſi veſtiti corpore & non nudi inueniremur in aduētu Domini. Sed quoniā, inquiunt, hoc fieri non poteſt (oportet enim animam prius exui tabernaculo terreno, quā induatur habitaculo cæleſti:) idcirco geminus; deſiderio naturæ quo nolumus mori, retardante deſiderium gloriæ. At apoſtolus non dixit, *inueniremur*, ſed inueniamur, vel vt in Græco eſt, ἐυρεθησόμεθα, *inuenimur*. Quod non videtur dictū de re impoſſibili, ſed de ea quæ fieri poſſit, & in quibuſdam futura ſit. Proinde Caietanus hunc cōmentarium cortigēs dicit apoſtolum idcirco loqui conditionatè, *Si tamen veſtiti non nudi inueniamur*, quia reuera quidam veſtiti inuenientur, alij verò nudi. Nā electi qui ſuperſtites erunt in aduētu Domini, reperientur veſtiti corpore: Qui verò ante illud tempus ex hac vita migrauerint, inueniētur corpore nudati. Quo fiet vt hi quidē induantur corpore per reſurrectionem, ſimul accedente indumento gloriæ: Illi verò tantū ſuperinduantur gloria, vtpote non nudi inuenti ſed adhuc corpore veſtiti, nec eo ſpoliandi. Igitur ſecundū Caietanum contextus & ſenſus huiuſmodi eſt: *ſuperindui cupientes*: Idque adeo re ipſa nobis continget, ſi in die Domini veſtiti corpore, non autē nudi reperti fuerimus: id eſt, ſi tūc reſidui futuri ſumus, & nōdum mortui. Hic ſenſus ſimplex & perſpicuus eſt, idemque probè conſentiens cum alijs duobus locis, quibus de reſurrectione mortuorū & aduētu Domini diſſerit apoſtolus; ſcilicet 1 Cor. 15 & 1. Theſſ. 4. Tertullianus libro de reſurrectione carnis, etſi non legat, *induti*, ſed *exuti*; tamen his verbis apoſtoli verba proſequitur: *Id eſt, antè volumus ſuperinduere virtutem cæleſtem aternitatis, quā carne exuamur. Huius enim gratiæ priuilegiū illos manet, qui ab aduentu Domini deprehendentur in carne, & propter duricias temporū Anti Chriſti, merebuntur cōpendio mortis per demutationem expunctæ, concurrere cum reſurgentibus*. Sic ille, pro confirmatione ſubiungens duo Pauli loca quæ iam citauimus. Sed tamen vtrùm ex hoc commentario præſentis loci, conſequens ſit eos qui reſidui erunt in aduentu Domini ſine morte tranſitūros ad gloriam, iuxta Tertulliani & Græcorum opinionem; cui Caietanus accedit; non planè conſtat. Poſſet enim reſponderi, ex apoſtoli mente eos non cenſeri corporibus ſuis exuendos, nudosque futuros, quorum mors adeo breuis erit, vt neque ſomno mortis occupentur, neque corporum reſolutionem patiantur: vtpote continuò redituri ad vitam; ſecundum ea quę diximus ad illum locum 1 Cor. 15. *Omnes quidem reſurgemus ſed non omnes immutabimur*.

4 NAM ET QVI SVMVS IN HOC TABERNACVLO INGEMISCIMVS GRAVATI. Græcè, καὶ γὰρ οἱ ὄντες ἐν τῷ σκήνει &c. Ad verbum: *Etenim exiſtentes in tabernaculo*; vel, *dum ſumus in tabernaculo*; vel vt Theophylacti interpres *quum ſimus*. Priori modo participium reddit ipſe noſter interpres paulo pòſt: *dum ſumus in corpore. Tabernaculi nomine corpus hoc mortale denotat: in quo velut in tabernaculo ad tempus moramur, exſpectantes domum non manufactam, aternam, in cælis, vti ſuprà dixit*.

EOQVOD NOLVMVS EXSPOLIARI, SED SVPERVESTIRI. *Eoquod*, Græcè ἐπειδὴ, quan-

doquidem;

Caietani commentarius cæteris probabilior.

Vera lectionis variæ ſenſus.

Latinorū commentarius.

Vtrum reſidui in aduentu Domini, ſint mortituri.

Expoſitio Græcorū.

Expoſitio S. Thomæ.

Tabernaculum corpus hoc mortale.

doquidem; vt habent codices Græci qui nunc ſunt in manibus. Nam veteres, quibus etiam vult editio Cõplutenſis, legerunt ἐφ' ᾧ, *in quo*. Quod & Latinè legitur apud Hilariũ in enarratione pſalmi 64. & apud Aug. lib. 1 de baptiſmo paruulorũ cap. 2. Cæterùm Oecumenius ἐφ' ᾧ per ἐπειδὴ diſertè exponit. Pro verbis *exſpoliari, ſuperueſtiri*, aptiora ſunt *exui, ſuperindui*; vt habet textus Ambro. & legit Tertullianus. Repetit autẽ apoſtolus eadem alijs verbis; ſimul adijciens modum ſuperindutionis à ſanctis deſideratæ, cùm ait,

VT ABSORBEATVR QVOD MORTALE EST, A VITA. *Quod mortale eſt*, Græcè τὸ θνητὸν, id eſt *mortale*: quod & verti poteſt *mortalitas*, vt reſpondeat vitæ: quomodo vertit Eraſmus. Hęc pars apud Irenæum ſic legitur: *Vt abſorbeatur mortale ab immortalitate*, lib. 4 cap. 70 & 75. Quamquã rurſus idẽ lib. 5. cap. 13 legit, *à vita*. Porrò totius periodi ſenſũ hunc reddere poſſumus: Etenim nos euangelicæ legis miniſtri, quãdiu verſamur ac degimus in hoc tabernaculo mortalis & caduci corporis, dolemus ac gemimus, hac corruptibili carne velut onere depreſſi, ſuſpirãtes ad incorruptionẽ: nõ quòd velimus exui corpore & eo carere: (id enim refugit naturalis volũtas) ſed quia volumus ſuperindui immortalitatẽ corpori: nec ita tamen vt mortale corpus idẽ ſit immortale; ſed vt à vita incorruptibili mortalitas corporis abſorbeatur, ſicque corpus ex mortali reddatur immortale. Breuiſſimè Tertullianus illud, *nolentes exui ſed ſuperindui*, ſic exponit: *nolentes mortem experiri, ſed vitam præueniri*, lib. 5 contra Marcionem cap. 12. Adducit hunc eundem Pauli locũ Hieronymus in epiſtola ad Marcellam, quo doceat futurum, *vt qualia corpora mortuorũ reſurrecturа ſint, in talem ſubſtãtiam etiã viuorũ corpora transformentur*. Recitatis enim verbis apoſtoli quibus ait: *Nolumus exſpoliari ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur mortale hoc à vita*, ſubiungit: *ne ſcilicet corpus ab anima deſeratur, ſed anima habitante in corpore, fiat inclytiũ quod antè inglorium fuit*. Cæterũ abſorptionis vocabulo in re propoſita ſignificare voluit apoſtolus perfectam abolitionẽ mortalitatis & corruptionis; ſicut & in priore epiſtola cap. 15, citans illud prophetæ teſtimonium, *Abſorpta eſt mors in victoria*. Quò ſanè videtur etiã hoc loco alluſiſſe. Admonent Græci, locum hunc facere contra veteres hæreticos, qui negauerunt idem numero corpus reſurrecturum. Si enim ſancti nolunt exui corporibus ſuis, ſed eadẽ retinere volũt ex mortalibus immortalia facta, cõſequens eſt non aliorum ſed eorũdem corporũ exſpectandã eſſe reſurrectionẽ: quando nec reſurrectio verè dici poteſt, vbi nõ reſurgit idẽ quod cecidit. Valet etiam hic locus aduerſus Origeniſtas, qui docuerũt animas in hæc corpora cõtra naturã detrudi, velut in carceres. Iã quomodo cũ eo, quod dicit apoſtolus *nolumus exſpoliari*, nõ pugnet illud eiuſdẽ ad Philip. 1. *Deſideriũ habens diſſolui & eſſe cum Chriſto*; adeoq; quod hîc paulo pòſt dicit, *bonã voluntatẽ habemus magis peregrinari à corpore* &c. ſuis locis declarabitur.

Quid, mortale abſorberi à vita.

Abſorptio quid hoc loco ſignificet.

Idem numero corpus reſurrecturũ, hinc oſtẽditur.

Origenis error, animam eſſe in corpore vt in carcere.

5 QVI AVTEM EFFICIT NOS IN HOC IPSVM, DEVS. Subaudi *eſt*. In Græco participium eſt aoriſtũ, ὁ κατεργασάμενος, *qui effecit*, vt in nõnullis Latinis legitur. Bedæ textus habet, *qui operatus eſt nos*. Sedulij, *qui perfecit*. licet apud Amb. tam in textu quã in commentario legatur præſentis tẽporis verbũ *perficit*. Significat autem vox Græca perficere, parare, formare. Sed huic loco magis conuenit parare & formare. Nã ſenſus eſt; Qui nos euangelij miniſtros parauit atque formauit, & quotidie parat aptoſque reddit ad hoc ipſum, id eſt, ad induendũ vel ſuperinduẽdum domicilium cæleſte; Deus eſt. Hoc dicit, ne quid ſibi tribuere videãtur ij quorũ in perſona loquitur: ſed vt tales eſſe doceat, qui omne meritũ ſui miniſterij, quo ad immortalitatẽ aptantur, aſſcribant virtuti & gratiæ Dei. Quod in nõnullis codicibus Græcis, quorum vnũ R. Stephanus annotauit, additur, τῷ χρίσαντος ἡμᾶς, *qui nos vnxit*, huc ingeſtũ eſt ex c. 1 huius epiſtolæ verſ. 21. Sequitur ratio cur illud ipsũ ad quod aptãtur ac formantur, certò ſperare debeant.

Omne meritum immortalitatis, gratiæ Dei aſſcribendum.

QVI DEDIT NOBIS PIGNVS SPIRITVS. Græcè, *Qui & dedit nobis arrhã ſpiritus. Arrhabonem* legit Tertullianus. Textus Ambroſiani lectio eſt. *Qui etiã dedit nobis pignus ſpiritũ*. Videtur & Primaſius, *ſpiritum* nõ *ſpiritus* legiſſe. Sed ea lectio quędã expoſitio noſtrę lectionis eſt. Exponit enim tranſitiuũ per intranſitiuũ. Nam ipſe Spiritus ſanctus, cuius multa dona magna & manifeſta iã accepimus, ait apoſtolus, eſt pignus, id eſt arrha futuræ gloriæ nobis data à Deo: vt de gloria immortalitatis adipiſcenda non dubitemus, imò certiſſimi ſimus, ſi arrham ſuo tempore repræſentemus. Eundem ſpiritum vocauit pignus datum in cordibus, ſuprà cap. 1.

Quid pignus ſiue arrha ſpiritus.

6 AVDENTES IGITVR SEMPER, ET SCIENTES, QVONIAM DVM SVMVS IN CORPORE, PEREGRINAMVR A DOMINO. Quia dicere quis poterat; Illa gloria corporis de qua hactenus, nõ ſtatim habetur à morte, ſed fortaſſis erit in longũ exſpectanda dum veniat dominus: ideo ſubiungit de gloria animæ, quam euangelicos miniſtros contĩnuò poſt mortẽ accepturos eſſe declarat. *Audentes*, Græcè θαῤῥοῦντες, *confidentes*, Tertull. *confiſi*. Ambro. *fidentes*. *Dum ſumus*, Græcè ἐνδημοῦντες, *domi agentes*. Ambr. *inhabitantes*: quod noſter infrà vertit, *præſentes*: Opponit enim apoſtolus hæc duo, ἐνδημεῖν, domi agere, & ἐκδημεῖν, peregrinari, foris agere: quæ pari gratia paronomaſiæ Latinè reddi nõ poſſunt. Eraſmus participia proverbis poſita interpretatur, hoc modo: *Itaque bono animo ſumus ſemper, & ſcimus, quod cũ domi ſumus in corpore, peregrinamur à Domino*. Verũ ex conſuetudine ſermonis apoſtolici magis apparet ſententiam inabſolutam & ſuſpenſam eſſe, quã poſt pauculorum verborũ parentheſim compleat, ibi: *audemus autẽ* &c. reſumpto verbo cuius participium præmiſe-

rat. Quamquam, vt lux accedat orationi, participia per verba commodè explicantur, ad hunc modum: Itaque certa ſpe futuræ gloriæ ſubnixi, ſemper bono ac fidenti animo ſumus: non interim ignari quòd quamdiu degimus & quaſi domi ſumus in hoc mortalis corporis habitaculo, peregrinamur & abſentes ſumus à Chriſto Domino, cui cupimus eſſe præſentes. Dominum Chriſtum interpretor hîc, & in eo quod ſtatim ſequitur, *& præſentes eſſe ad Dominum*: tum quia familiare eſt apoſtolo, Chriſtum dicere Dominũ; tùm verò, quia futuram beatitudinem alibi quoque denotat huiuſmodi ſermone, eſſe cum Chriſto: vt Philip. 1, *Deſiderium habens diſſolui & eſſe cum Chriſto*, & 1 Theſſ. 4, *Et ſic ſemper cum Domino erimus*. Vbi Chriſtũ intelligi oportere, loci contextus palàm exigit. Sed & ipſe Dominus ad latronem, Luc. 23, *Hodie*, inquit, *mecum eris in Paradiſo*. Vnde & Apo. 14, omnes beati deſcribuntur *ſequentes agnum quocũque ierit*: & cap. 20 *regnare* dicũtur *cũ Chriſto*.

Dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino

7 (PER FIDEM ENIM AMBVLAMVS, ET NON PER SPECIEM) Voculam & Græca non habent: vt neque textus Ambro. Eſt autem imperfecta ſententia. Non enim ambulatur per ſpeciem; nam vita futura non via eſt per quã ambuletur, ſed terminus in quo ſtetur. Supplendum igitur; non per ſpeciem ſtamus, cognoſcimus, aut videmus, aut quid ſimile. Eſt quidem vbi ambulandi metaphora etiam beatis attribuitur, vt Apo. 3, *Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt*: Sed infrequẽs eſt huiuſmodi locutio; nec ambulare dicuntur beati, niſi adiuncto aliquo quod tropo gratiã addat: quale eſt, in albis veſtibus. Alioquin vſitatum eſt, vt ambulare tribuatur ijs quos Theologi viatores vocant. Explicat autem apoſtolus abſentiam de qua dixit, *peregrinamur à Domino*. Per fidem enim, inquit, ambulamus, dum in hoc corpore mortali ſumus: hoc eſt, fide duce ac præuia tendimus ad cæleſtem patriam; nec adhuc ad ſpeciem pertigimus; ſiue, necdum per ſpeciem videmus, id eſt, *facie ad faciem*; ſicut in priore epiſtola locutus eſt, cap. 13. Quod enim videre per ſpeciem, & videre facie ad faciem, eadem ſint apoſtolo; liquet ex eo quòd fidei, tamquã imperfectæ & ænigmaticę viſioni, vtrumque opponat; hoc quidem loco, id quod eſt *per ſpeciem*; in priore autem epiſtola, *videre facie ad faciem*. Itaque per ſpeciem videre Deum, eſt ipſam ſpeciem, hoc eſt (vt bene Caietanus exponit) ipſam *naturam & propriam pulcritudinem Dei intueri*. ſpecies enim veritatẽ, id eſt rem ipſam, ſeu rei naturam, hîc ſignificat: quemadmodũ & imago, Heb. 10 in illis verbis: *non ipſam imaginem rerũ*. Hinc apud Dialecticos ſpecies, Græcè εἶδος, pro natura rei propria, quã ſpecificam vocant, vſurpatur. Et quidẽ hanc ſpeciei ſignificationẽ attẽdit, qui vertit: *In fide verſamur, nõ in ipſa re*. Porrò ſi per fidẽ ambulãtes peregrinamur à Domino, igitur Domino præſentes videmus per ſpeciem ſiue per eſſentiã. Non quòd, vt multi putant, Domino præſentẽ eſſe ſit idem quod Deũ per eſſentiã videre: ſed quia præſentiam illam hoc bonũ comitatur. Non enim dicuntur eſſe cũ Chriſto, niſi qui participes ſunt bonorũ Chriſti hominis; quorũ præcipuum eſt Deũ videre. Atque hoc nimirum eſt quod ait Dominus, Ioan. 17, *Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecũ*. Sequitur enim, *vt videãt claritatem meã quam dediſti mihi*. Quibus vtique verbis precatur ſuis fidelibus gloriæ ac felicitatis ſecum poſt hanc vitam conſortiũ.

Ambulare viatorum eſt.

An etiã beatus cõpetat.

Videre per ſpeciẽ & videre facie ad faciẽ, eadem ſunt.

Quid videre Deũ per ſpeciẽ.

Domino præſentes eſſe per ſpeciem.

8 AVDEMVS AVTEM ET BONAM VOLVNTATEM HABEMVS. Explet ſententiã ſuperiorẽ. Dixerat enim, *Audentes & ſcientes*. Deinde ſubiunxit, quid ſciant. Nunc verò illud *audẽtes* quò referendũ ſit exponit; idq; verbo ipſo repetito, cũ dicit, *Audemus autem, ſiue confidimus, & bonã voluntatem habemus*. Græcè vno verbo εὐδοκοῦμεν, id eſt, *probamus, acquieſcimus*, quod vulgo diceretur *bene volumus*. Ambro. legit *conſentimus*, Tertull. *boni ducimus*, aliàs, *bonum ducimus*. Iuxta ſyntaxin verborũ apoſtoli quam dixi, quamque genuinã puto, particula δὲ, *autem*, περίλλει, *redundat*, vt loquitur Oecumenius, & ex eo repetit Gagnæus. Quãquam & ſic non incõmodè reddi poteſt: *Audemus*, inquam, *& probamus* &c.

MAGIS PEREGRINARI A CORPORE, id eſt, abſentes eſſe à corpore velut domicilio noſtro, magis ſeu potiùs quàm in corpore morari. Quod ſi, vt habet philoſophia Platonis & Theologia Origenis, corpus eſſet carcer animæ, & non naturalis eius ſedes atque inſtrumentum; non diceret apoſtolus, animam à corpore peregrinari.

Contra Platonẽ & Origenem, quibus corpus eſt carcer animæ.

ET PRÆSENTES ESSE AD DOMINVM. Græcè, *& domi agere ad Dominũ*, ſiue *apud Dominum*; id eſt, tanquam in patria præſentes apud Dominum morari. Tertullianus *immorari* dixit. Singula verba ſingulis membris in hac pericope reddenda videntur. Nã fiducia ſignificata verbo *audemus*, propriè reſpicit præſentiã cũ Domino. Cuius fiduciæ cauſa reddita fuit illis verbis, *Qui autẽ efficit nos* &c. Animus verò acquieſcens, quẽ ſignificat illud, *bonã voluntatẽ habemus*, refertur ad hoc proximũ, *peregrinari à corpore*. Quod, etſi per ſe ac nudè conſideratũ voluntati contrariũ ſit, ſecũdum quod dixit, *Nolumus exſpoliari*: cõſideratum tamen vt mediũ ſine quo non peruenitur ad rẽ per ſe bonã, ſummeq; expetendã, quale eſt Domino præſentẽ eſſe, Deumq; videre; meritò placet, & vt bonum quoddã acceptatur à volũtate rationali. Simile eſt quod dicit Phil. 1, *Deſiderium habens diſſolui & eſſe cum Chriſto, multo magis melius*. Senſus & doctrina apoſtoli eſt; Ex Dei promiſſione non modò fidẽter exſpectamus gloriam corporum noſtrorũ per reſurrectionem futuram in fine ſæculi: verùm etiam interim ſecundum animas pari fiducia ſperamus beatam præſentiam cum Chriſto. Qua ſpe ac fiducia roborati, æquo animo ferimus, imò libenter ac prompta vo-

luntate

luntate ſuſcipimus quòd à corpore peregrinandum nobis ſit. Euidenter oſtendit hic locus aduerſus Græcos ſchiſmaticos & noſtri temporis hæreticos, ſanctorum animas corporibus exutas ſiue à corpore peregrinantes, (vtroque enim modo loquitur apoſtolus) eſſe Domino præſentes; & quidem eo modo, vt iam non per fidem ambulent, ſed per ſpeciem teneant ac videant quod, in corporibus agentes atque à Domino peregrinantes, crediderunt ac ſperauerunt. Hoc autem eſt Deum clarè & per eſſentiam intueri. Ratiocinatur enim apoſtolus ad hunc modum; Dū ſumus in hoc corpore, peregrini ſumus à Domino; quia in hac vita per fidem ambulamus, non per ſpeciem: Vt ergo preſentes ſimus ad Dominum, vtque non ampliùs per fidem ambulemus, ſed per ſpeciem Deum videamus; placitum & optabile nobis eſt à corpore peregrinari. Quæ quidē ratiocinatio prorſus infirma eſſet, nec vllo pacto concluderet optandum nobis eſſe peregrinari à corpore vt Domino præſentes ſimus, Deum per ſpeciem viſuri; ſi ad ſpeciem non peruenireturniſi poſt reſurrectionem corporum. Sic enim non in peregrinatione à corpore, ſed in corporis reſumptione conſequeremur eximium illud bonum; neque ad illud conſequendū, quicquam compendij nobis adferret quod à corpore peregrinamur. Hic apoſtoli ſenſus quem dedimus, magis etiam eluceſcet, ſi cōferantur iſta cum loco memorato Philip. 1. quo dicit ſe cupere diſſolui, & eſſe cū Chriſto. Nec verò ſolùm Latini interpretes hunc locū ſic intellexerūt: ſed & Græci, nominatim poſteriores, Theophylactus & Oecumenius: qui id quod hîc dicitur, *per ſpeciē*, diſertè exponūt per illud quod eſt, *facie ad faciē* videre, 1 Cor. 13. docentq; ex mēte Pauli eā felicitatē cōtingere ſanctis dū à corpore peregrinātur.

Sanctorum anima Domino præſentes ac Deum videntes.

Pauli ratiocinatio.

9 ET IDEO CONTENDIMVS SIVE ABSENTES SIVE PRÆSENTES PLACERE ILLI. Interpres mutat vocabula quæ in Græco eadem perpetuò ſunt, habentia iucundam, vt ſuprà dictum eſt, alluſionem. Cæterùm Græca lectio ſic habet: *Idcirco & contendimus ſiue domi agentes, ſiue peregrinantes, beneplaciti ei eſſe.* Eodem ordine legit Ambro. *ſiue præſentes, ſiue peregrinantes.* Senſus eſt: Quoniam ergo tanta præmia nobis propoſita ſunt ac promiſſa; propterea contēdimus (Græcè φιλοτιμούμεθα) id eſt, certatim atque omni ſtudio connitimur, fideliter ac ſincerè coram Deo miniſterium noſtrum exſequendo: vt, ſiue degentes in hoc domicilio corporis, ſiue ab eo per mortem peregrinantes, id eſt, ſeu viui ſeu mortui, Chriſto Domino placeamus, acceptiq; ſimus. Nam ſi dum in corpore ſumus, ei placuerimus: haud dubiè poſt mortem nō ſolùm placebimus ei, ſed & præſentes illi erimus, & cum eo regnabimus. Minùs rectè Latini quidam abſentiā & præſentiam ad Chriſtum referūt, hoc ſenſu: ſiue abſentes à Chriſto, ſiue illi preſentes. Nam præſentia cum Chriſto præmium eſt, propter quod aſſequēdum contendimus ei & in vita & poſt mortē placere. Et quidem Chriſto placere, in hac vita meritum eſt; poſt mortem autem, neceſſaria diſpoſitio ad illud præmium.

Contēdere quid hoc loco.

10 OMNES ENIM NOS MANIFESTARI OPORTET ANTE TRIBVNAL CHRISTI. Rationem reddit eius quod dixit, *Contendimus, ſiue præſentes ſiue abſentes placere illi*: quia nimirum idē *ipſe eſt*, Petro teſte Act. 10, *qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum*, quos hoc loco per præſentes & abſentes diximus ſignificari. Pro *manifeſtari* textus Ambroſianus habet *aſſiſtere*. S. Ambroſius legit *ſtare*, enarrans pſalmum 1. Cæterū Aug. pro duabus vocibus *manifeſtari oportet* paſſim legit *aſtabimus*, vt Ench. 109, lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 12, & ad Dulcitium quæſtione 2. ſed, vt ſuſpicor, vſus codice qui confunderet hanc ſententiā cum altera ſimili Rom. 14, quæ habet: *Omnes ſtabimus*, ſiue *aſtabimus*, *ſiſtemur, ante tribunal Chriſti*. Nam alioqui plus eſt *manifeſtari*, φανερωθῆναι, quod hîc legitur, quàm aſtare ſiue ſiſti, παραστῆναι, quod in epiſtola ad Rom. Multi namque iudicibus ſiſtūtur, qui non manifeſtantur: ideoque Theodoritus annotat apoſtolum non *dixiſſe ſiſti, ſed manifeſtari*. Bifariam autem hoc exponitur: vel vt *manifeſtari* referatur ad iudicem; quia nimirum omnia omnium hominum facta perfectiſſimè Chriſto iudici nota erunt; vel vt referatur ad cæteros omnes homines; quia vt ait Liranus, *iudicium* illud *apparebit omnibus iuſtum, ſingulis videntibus omnia bona & mala aliorum*. Eſt enim ſermo de extremo & vniuerſali iudicio. Poſterior hic ſenſus cōgruit cū eo quod dixit in prima epiſtola cap. 4. de iudice Chriſto; *Qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*: vtique non ſibi, qui omnia nouit ab initio; ſed cunctis angelis & hominibus. Hūc ſenſum præter alios expreſſerunt Theodoritus & Theophylactus: quorum alter *omnibus*, alter *omnia* dicit in illo iudicio manifeſtanda. Certè prior ſenſus admitti vix poteſt. Non enim tunc propriè manifeſtabimur iudici; cui ſemper manifeſti ſumus: tametſi impropriè poſſet intelligi nos illi manifeſtatum iri, quatenus ſcilicet ipſo actu & effectu iudicij, mōſtraturus eſt omnia noſtra ſibi eſſe manifeſta. Porrò *tribunal Chriſti* nō aliud eſt quàm poteſtas eius iudiciaria. Et ante tribunal Chriſti nō aliud quàm corā Chriſto iudice. Quod verò dicit *omnes nos*; intellige omnes homines ſine exceptione; & proinde etiam nos apoſtolos, omneſque nouæ legis miniſtros; videlicet rationem ſui miniſterij Chriſto Domino reddituros. Quo generali ſenſu locum ſimilem qui eſt Rom. 14, oſtendimus accipiendū. Vbi & illud expoſuimus, quomodo iudici Chriſto ſiſtēdi ſint etiā apoſtoli, ſicut hîc dicitur; ſcil. ab illo iudicādi: cū eos ſimul cū Chriſto indices ſeſſuros, atq; duodecim tribus Iſrael iudicaturos, ipſe Chriſtus pronūciet Mat. 19 & Luc. 22

Plus eſt manifeſtari quā aſtare.

Manifeſtari non ad iudicē referēdū, ſed ad omnes iudicandos.

Omnibus omnia in illo iudicio manifeſtanda.

Quod tribunal Chriſti.

Omnes homines ſine exceptione iudicandi. Apoſtoli iudices & iudicādi.

Hoc enim propterea dictum est; quia qui Christum propiùs secuti sunt, omnibus suis euangelij causa relictis; quales imprimis fuerunt apostoli; tam erit eorum excellentia sanctitatis omnibus nota, vt, si de iudicijs humano more loquendum sit, non solùm non iudicandi videantur operum ac meritorum discussione, verùm etiam digni reputentur quos iudex honoris causa sibi iubeat assidere, velut iudiciariæ potestatis ex aliqua parte consortes: quemadmodum dicto loco pluribus id à nobis explicatum est.

VT REFERAT VNVSQVISQVE PROPRIA CORPORIS PROVT GESSIT, SIVE BONVM SIVE MALVM. Illa verba, *propria corporis, prout gessit*; in Græco sic leguntur, τὰ διὰ τοῦ σώματος πρὸς ἃ ἔπραξεν; id est, ea quæ per corpus, *ad ea* seu *iuxta ea* quæ fecit, nisi quod exemplaria quædam habeant, πρὸς ὃ *iuxta quod fecit*, sensu tamen eodem. Supplendum autem priori parte, *ea quæ per corpus*, facta sunt: quod Ambrosianus breuiter legit, *facta corporis*. Quod additur *prout gessit*, siue *iuxta ea quæ fecit*, declarat analogiã retributionis ad merita. Sensus enim apostoli est, vnumquemque in illo iudicio reportaturum pro ijs quę in corpore gessit bona vel mala, præmium vel supplicium; idque iuxta meritorum cuiusque rationem: vt priori parte significetur iusta retributio in genere, quæ ad iustitiam cõmutatiuam pertinet: posteriori iusta retributionis proportio; scilicet vt quæ erit in vtramque partem meritorum disparitas, eadem seruetur, & in remuneratione bonorum, & in punitione malorum; quod est officium iustitiæ distributiuæ. Græcæ lectioni fauet Tertullianus, qui libro de resurrectione carnis cap. 43 locum hunc ita refert: *Vt vnusquisque reportet per corpus secundùm quæ gessit.* & cap. 59, *Vt referat per corpus prout gessit.* & lib. 5. contra Marcionem cap. 12, *quæ per corpus admisit.* Item Aug. qui legit, *secundum ea quæ per corpus gessit*, lib. 17 de ciuitate Dei cap. 4, & alijs locis suprà citatis. Meminit huius lectionis etiam Lombardus in commentario. Suffragatur & Syra paraphrasis, quæ sic habet: *Vt rependatur vnicuique in corpore suo, id quod factum est in ipso.* Cæterùm noster interpres qui scripsit, *propria corporis*, in Græco pro διὰ legit ἴδια; quod & hodie legitur in Complutensibus ac Regijs. Eam Latinam lectionem habet Cyprianus ad Quirinum lib. 2 testimonio 28, & lib. 3 testimonio 56. Necnon Ambrosius in enarratione psalmi primi, & Ruffinus exponens illa symboli verba, *iudicare viuos & mortuos.* Dicuntur autem *propria corporis*, non diuersa ab ijs quę propria sunt animæ; sed ea quæ singuli fecerunt, quisque in suo corpore dum hîc viueret. Quem etiam Græcæ lectionis sensum esse diximus. Quanquam & anima dum in corpore est nihil agit sine corporis adminiculo: quemadmodum nec cogitare quicquam potest sine phantasmate corporeo. Quò tamẽ apostolum respexisse non putamus. Igitur quod ait, *prout gessit*; prorsus generale est, vt non modò complectatur actiones exteriores, verùm etiam intimas animorum cogitationes; quas per *consilia cordium* significauit apostolus 1 Cor. 4. Solet hîc moueri quęstio de infantibus siue renatis in Christo, siue nõ renatis, qui in ea ætate mortui sunt; vtrum etiã huius sententiæ generalitate comprehendantur. Non enim videntur quicquam gessisse, id est, fecisse in corpore, quod præmium aut pœnam mereatur, vt qui rationis vsum nunquam habuerint. Respondet Aug. vnumquemque censeri gessisse in corpore, non solùm id quod sua voluntate fecit: sed & quod circa ipsum factum est, vt ei noceret aut prodesset, dum esset in corpore. Quod quidem in paruulis habere locum ostendit; quoniam ijs vel damnationem adfert peccatum primi parentis, vel prodest ad salutem baptismus eis impensus. Ita docet lib. 6. contra Iulianum cap. 10, & in epistola 107 quæ est ad Vitalem, & attingit libro de prædestinatione sanctorum cap. 12. Idipsum repetiuit ex Aug. Beda, Glossator, Lombardus, Heruæus, & alij. Sed hęc responsio difficultatem habet. Nõ enim nisi valde improprio & violento sermone dici potest, paruulos ea fecisse, quæ circa illos nescientes aut non consentientes facta sunt ab alijs: præsertim si facta sint ipsis nondum natis; quale est peccatum primi parentis, quo totum infecit genus humanum. Quare facilior & ad apostoli mentem accommodatior erit responsio, si dicamus ea quæ quisque fecit, sicut ad cogitationes cordium constat extendi; sic etiam extendi debere ad habitus bonos & malos, aut si quid habitibus simile, voluntati dominans: ita nimirum vt secundum illud operatura sit voluntas, si rationis vsus accedat, & nihil aliud impediat. Tale est autem peccatum originale, quo infecta est vniuscuiusque paruuli voluntas, donec renascatur. Est enim habitus quidam prauus atque corruptus: vti docet S. Thomas 1. 2. quæst. 82, ar. 1, & alibi. Tales quoque sunt habitus infusi, fides, spes, charitas: quas etiam paruuli dum baptizantur, accipiunt. Neque enim solùm actus boni & mali subijcientur iudicio Dei, verùm etiam habitus virtutum & viciorum, quatenus voluntarij sunt. Secundum hos enim, vt coram Deo laudabiles & vituperabiles sunt homines, sic & præmijs aut pœnis digni: quemadmodum ostendimus ad dist. 30 lib. 2 sentent. Hunc apostoli locum solent obijcere Sectarij contra preces & sacrificia, quæ pro defunctis in ecclesia catholica frequentantur. Nam si in die iudicij referet vnusquisque prout ipse gessit in corpore dum viueret, seu bonum seu malũ: igitur, inquiunt, nil prodest mortuis, quod pro eis agunt viuentes. Verùm huic obiectioni iã olim occurrit Aug. variis locis; vt in libro de cura pro mortuis cap. 1, Enchir. cap. 110. quæstione 2 ad Dulcitium, & sermone 32 de

verbis

Varia lectio.

Proportio retributionis ad merita.

Iustitia tam commutatiua quam distributiua locum habebit in extremo iudicio.

Propria corporis quæ dicantur.

Prout gessit, prorsus generale.

Vtrum infantes iudicandi prout gesserunt.

Augustini responsio.

Alia responsio probabilior.

Non solũ actus sed & habitus subijciendi iudicio Dei.

Obiectio ex hoc loco aduersus suffragia fidelium pro defunctis.

Ad obiectionem responsio.

verbis apoſtoli. Summa reſpõſionis eſt, mortuos dum viuentium ſuffragijs adiuuantur, recipere ea quæ ipſi geſſerunt in corpore: quandoquidem vt ſic iuuari poſſent, dum viuerent meruerunt. *Hoc* enim *meritum* (ait Aug. in Enchiridio) *ſibi quiſque cùm in corpore viueret comparauit, vt ei poſſent iſta prodeſſe, quæ pro mortuis aguntur à viuis.* Cæterùm è diuerſo manifeſtè facit hic locus pro meritis operum, tam bonorum (quę negant hæretici) quàm malorum. Nam de vtriſque, quod ad generalem retributionis ac meriti rationem attinet, ſimiliter loquitur apoſtolus, dicens vnumquemque recepturum prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum: eo dumtaxat diſcrimine, quod ad mala merita quiſque ſibi ſufficit; bona verò merita Dei dona ſunt, gratuitò nobis per Chriſti meritum collata.

Operum tam bonorum quã malorum merita ſtatuuntur ex hoc loco.

11 SCIENTES ERGO TIMOREM DOMINI, HOMINIBVS SVADEMVS. Timorem dixit pro re timenda, more ſcripturæ. Cùm igitur (inquit) nos euangelicæ legis miniſtri, certò futurum ſciamus, & ante oculos habeamus ſeuerum illud, omnibuſque meritò timendum ac tremendum iudicium Chriſti Domini; nitimur hominibus perſuadere noſtram integritatem, ne cui ſcandalo ſimus.

DEO AVTEM MANIFESTI SVMVS. Dico, inquit, *hominibus ſuademus*: Nam quod ad Deum attinet, nihil opus eſt vt illi noſtram integritatem perſuadeamus. Nouit enim ille receſſus intimos cordis noſtri. Videtur huic loco ex diametro repugnare quod dicit Gal. cap. 1. *Modò enim hominibus ſuadeo, an Deo?* quaſi dicat, non hominibus, ſed Deo. Verùm quomodo non repugnet, ex illius loci commentario planum fiet. Pro *manifeſti ſumus*, Græcè quidem verbum eſt præteriti tẽporis πεφανερώμεθα. quod vertendum cuipiam videatur, *manifeſtati ſumus*; vti reperio nonnullos vertiſſe: Sed reuera ſignificationem habet preſentis, etſi coniuncti cum præterito; vt in alijs quibuſdam Græcis verbis contingit. Significatur enim manifeſta Dei de nobis noticia ſic præſens, vt ſemper fuerit. Vnde pene omnes cum noſtro interprete verterunt, *manifeſti ſumus*. Quod & è Syriaco textu nobis redditur. Interim obſerua: quòd ſi Deo iam manifeſti ſumus; non ergo Chriſto nos manifeſtandos eſſe demum in extremo iudicio, ſed hominibus coram Chriſto; vti dictum eſt ſuprà.

Non Deo, ſed hominibus ſuadet Paulus.

SPERO AVTEM, ET IN CONSCIENTIIS VESTRIS MANIFESTOS NOS ESSE. In Græco non exprimitur pronomen. Itaque verti poſſet numero ſingulari, *manifeſtum me eſſe*: niſi tam præcedentia, quàm quæ ſequuntur, pluralem numerum exigerent: quæ omnia communi nomine fidelium miniſtrorum verbi Dei, dicuntur. Iam quod proximè dictum eſt de verbo Græco, pro quo tranſtulit interpres, *manifeſti ſumus*; ad hunc quoque locum pertinet: Nec enim probo quod apud Sedulium lego, *manifeſtatos eſſe*: licet ex verbo πεφανερῶσθαι. Senſus igitur eſt: Spero & confido ſinceritatem noſtram qua in euangelico munere verſamur, ita vobis iam diu manifeſtam & probatam eſſe, vt bene rectéque de nobis ſentiatis. Hoc dicit propter aliquos qui à pſeudapoſtolis malè perſuaſi, minus bonam habebant de Paulo eiuſque collegis exiſtimationem.

12 NON ITERVM COMMENDAMVS NOS VOBIS. Græcè, *Non enim iterum nos ipſos commendamus vobis*: Tametſi particula *enim*, quæ nec in Syro textu legitur, nec in Ambroſiano, nec in omnibus Græcis; haud videtur ad ſenſum conferre: niſi poſitam intelligamus pro illatiua: ac ſi dicat apoſtolus, Ideóque non hæc ſcribo, quod magnopere ſtudeam me meoſque euangelij ſocios iterum vobis commendare: vt quorum in conſcientijs ſatis manifeſti ſumus. Vide noſtram expoſitionem eius quod ſuprà dixit initio capitis 3, *Incipimus iterum noſmetipſos commendare?* Vbi etiã ratio reddita, cur dicat *iterum*.

Paulus non ſe commendat, cur & quo ſenſu.

SED OCCASIONEM DAMVS VOBIS GLORIANDI PRO NOBIS. *Damus*, Græcè διδόντες, *dantes*; & *gloriandi*, καυχήματος, *gloriationis*. Interpretes ne oratio ſit imperfecta, participium per verbum reddiderunt. Nam quaſi interrogaretur, Si hæc quæ ad laudem veſtrã pertinent, non ſcribis ſtudio commendandi tui ac tuorum, quorſum igitur ea commemoras? Sed, inquit, hæc ſcribimus *occaſionem dantes vobis*, id eſt, ad hoc vt occaſionem demus vobis Corinthijs, noſtro nomine gloriandi: vel clarius; vt præbeamus vobis materiam gloriandi de nobis; idque aduerſus æmulos gloriæ noſtræ pſeudapoſtolos, qui nobis obtrectant. Hæc enim erat Paulo iuſtiſſima cauſa ſui commendãdi; ne per ipſius vituperationem & contemptum, fructus euangelio deperiret. Senſum hunc explicat quod ſequitur.

VT HABEATIS AD EOS QVI IN FACIE GLORIANTVR, ET NON IN CORDE. *Adeos*, Græcè πρὸσπας &c. Quod verti poteſt *aduerſus eos*. Quo ſenſu dixit Latinus interpres 1 Cor. 15, *Si ad beſtias pugnaui*. Nam & Græcè dicitur, μάχεσθαι πρός τινα, quod Latinè pugnare cum aliquo, id eſt contra. Porrò verbum ἔχητε, *habeatis*, ſupplemento eget. Vnde alij pleno ſenſu vertunt, *Vt aliquid habeatis aduerſus eos*. Quæ & Ambroſiana lectio eſt. Idq; ſuo commentario planè confirmat Oecumenius: nec diſſentit Primaſius, cuius ſcholion eſt: *Vt habeatis ad eos quid reſpondeatis*. Atqui Gagnæus ſupplet ex eo quod præcedit: *Vt habeatis occaſionẽ gloriãdi aduerſus eos*. Eraſmus annotat *habeatis* poſitum pro *poſſitis gloriari*. Nam ἔχειν, habere, pro poſſe, Græcæ conſuetudinis eſt. Et tamen idem author in ſua verſione maluit ſcribere quod primo loco dixi, ſicut apud Ambro. legerat. Quod & nobis maximè probatur. Itaque ſenſus eſt: Vt habeatis in promptu, quod pro nobis dicatis aduerſus eos qui gloriantur in facie, ſiue in

Quid gloriari in facie, non in corde.

exteriori ſpecie, id eſt, de ijs quæ exteriùs apparent gloriam captant; nimirum ad hoc intenti, vt coram hominibus appareant glorioſi, ſiue ea de ſe prædicantes quæ nihil ad veram laudem faciunt, qualia ſunt ſapientia & eloquentia ſecularis, nobilitas generis, & alia huiuſmodi: ſiue more hypocritarum ſimulãtes virtutes quas non habent. *Non autem in corde*, id eſt, non ex cordis ac conſcientiæ teſtimonio: quẽadmodum ipſe Paulus gloriabatur. Sic enim ſuprà cap. 1. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ*. Sciendum hanc extremam partem in Græco legi ſine prępoſitione, & *non corde*; vt ſenſus eſſe poſſit; & non ita ſentiunt corde, vti foris de ſe prædicant: non tales intus ſe vident, quales exterius videri volunt: conſcientia non reſpondet externæ ſpeciei.

13 SIVE ENIM MENTE EXCEDIMVS, DEO. Nonnulli codices mss. nec non concordãtiæ veteres pro ſecunda vocali tertiam legũt; *excidimus* pro *excedimus*. Verùm noſtræ lectioni conſonat textus Ambroſianus. Eſtque ſanè probabilius interpretem noſtrum vertiſſe *excedimus*: vtqui etiam aliàs mentis exceſſum vocat quam ἔκστασιν Græci dicunt, vt Act. 10 & 11. Eſt autem hoc loco verbum reſpondens ἐξέστημεν, id eſt, *mente excedimus*; ac ſi dicat; extra nos poſiti ſumus; quod alij quidam vertunt, *inſanimus*: quemadmodum & Syra transferuntur. Qua ſignificatione legitur idem verbum Marci 3. vbi nos habemus, *Quoniam in furorem verſus eſt*. Cæterũ Aug. quidem paſſim legit in præterito, *mente exceſſimus*, obſeruato tempore verbi Græci; vt tractatu 7 in Ioannem, lib. 12. contra Fauſtum cap 26. & in enarratione pſal. 30 cõc. 1. & pſalmi 103, conc. 3. Verùm id accidit interpretis imperitia; qui non aduertit hoc verbum ex ijs eſſe in quibus ſoleat vſurpari tempus præteritum pro præſenti. Simile verbum habuimus ſuprà verſu 11. Dicere ceperat apoſtolus quæ ad laudem ſuam & gloriam ſpectarent; idque adeo in conſequentibus huius epiſtolæ, prolixiùs & copioſiùs facturus eſt, improbitate ſuorum aduerſariorum ad eam rem impulſus: De eo nunc ſe excuſat, & hac ſententia Corinthios præmonet, vt intelligant id cum ratione, & ob iuſtam vtilitatem à ſe fieri. Quod autem huiuſmodi gloriationem, ſuique laudationem ſignificare voluerit nomine inſaniæ atque inſipientiæ; patet ex ijs quæ ſcribit infrà cap. 11 & 12. Ratio appellationis eſt, vel quia vulgus eos æſtimat parum ſanos, qui laudes ſuas prædicant: vel potius quoniam id abſque iuſta neceſſitate facere, reuera ſtultum & inſanum eſt: vt inſanire dicatur hoc loco qui facit quod ſolent homines non ſanæ mentis. Porrò ſupplenda eſt oratio repetitione verbi, in hunc ſenſum: Siue inſani ſumus glorioſè de nobis ipſis loquentes, Deo inſani ſumus: id eſt, hoc ipſum facimus ad gloriam Dei: ne, ſi nos eius miniſtri vobis habeamur contemptui, ſimul eius doctrina per nos prædicata contemnatur. Quæ res vtique cederet in ipſius Dei contemptum.

Quid mẽte excedere.

Iuſta poteſt eſſe ratio cõmendãdi ſuiipſius.

Cur inſanire dicãtur qui ſeipſos laudant.

SIVE SOBRII SVMVS, VOBIS. Mentis ſobrietas intelligitur. Nam Græcè eſt, εἴτε σωφρονοῦμεν, id eſt *ſanæ mentis ſumus*, pro quo legit Ambro. *ſanum ſapimus*, Aug. verò *temperantes ſumus*. Quorum omnium ſenſus idem eſt, iſte: ſiue de nobis humiliter ac modeſtè loquamur; quod ſolent homines ſanæ mentis: vobis tales ſumus, hoc eſt, id totum veſtri cauſa facimus, imbecillitati veſtrę nos accõmodantes, & humilitatis exempla præbentes. Ad hanc bimembrem apoſtoli ſententiã (quam totam Valla breuiter & completè ſic reddit: *Siue deſipimus, Deo deſipimus, ſiue ſapimus, vobis ſapimus*) Græci, Theophylactus & Oecumenius plures adferunt ſenſus. Ac Latini plerique ex Aug. locis ſuprà citatis, mentis exceſſum interpretantur contemplationẽ ſublimium myſteriorum, quæ capacitatem infirmiorum excedunt: ſobrietatem verò, doctrinam captui vulgari accommodatam. Verùm ſenſus quem dedimus, quem eũdem nec Græci nec Latini præterierunt, nobis videtur omnino germanus. Cæterùm notanda Pauli modeſtia vel in eo ipſo, quòd cùm hæc quæ ſcribit, in ipſius perſonam potiſſimè competerent; tamen, vt communi nomine multorum ſcribens, vtatur numero plurali.

Sobrietas mentis quæ.

Pauli modeſtia.

14 CHARITAS ENIM CHRISTI VRGET NOS. Græcè συνέχει, *conſtringit, compellit nos*. Id verò eſt vrgere. Charitatem Chriſti intelligit vel eam qua nos Chriſtum diligimus, vel qua Chriſtus nos diligit. Nam vterque ſenſus exſtat apud interpretes tam Græcos quã Latinos. Prior ſic explicatur. Ad id quod dixi faciendum, vrget nos apoſtolos & euangelij miniſtros illa charitas qua Chriſtum vt Dominum noſtrum qui nos redemit, diligimus, volentes omnia facere ad eius nutum & honorem, vt ſeruos redempticios decet, qui non ſunt ſui, ſed Domini. Cui intellectui poſſunt etiam quæ ſequuntur aptari. Quæ tamen diligentiùs expenſa magis poſtulare nobis videntur alterum ſenſum: vt tale ſit quod dicit apoſtolus; Neque gloriæ cupiditas cogit nos inſanire; neque rurſus abiectio & puſillitas animi ſobrios nos reddit: ſed ad vtrumque nos vrget & impellit exemplum charitatis Chriſti pro omnibus mortui. Si enim Chriſtus pro omnibus mortuus eſt; quid non facere nos debemus, vt eos pro quibus ille mortuus eſt, adducamus ad ſalutẽ? Vnde ait in priore epiſtola cap. 9. *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos*. Exemplum verò Chriſti, ad procurandam proximorum ſalutem, alibi quoque Paulus allegat; vt Rom. 15, *Vnuſquiſque veſtrùm*, inquit, *proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem. Etenim Chriſtus non ſibi placuit*. Et iterum, *ſuſcipite inuicem*; *ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos, in honorem Dei*. Similiter allegat

Charitas Chriſti bifariam exponitur.

Exemplũ Chriſti propoſitũ omnibus euangelij miniſtris.

Ioanne s 1.ep.3 dicens: *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Confirmat hunc commentariũ quod Paulus iſta ſcribit de ſe ſuiſque collegis, vt vicarijs & legatis Chriſti: quemadmodum in ſequentibus apertè declarat. Itaque dicere vult, exemplo Chriſti, qui ſic dilexit nos vt pro nobis omnibus mortem ſubiret, vrgeri ſe tanquam eius legatum, ad impendendum ſe totum ijs quos Chriſtus ita dilexiſſet.

ÆSTIMANTES HOC, QVONIAM SI VNVS PRO OMNIBVS MORTVVS EST, ERGO OMNES MORTVI SVNT. Æſtimantes, Græcè κρίνοντας, *iudicantes*, vt habet textus Ambro. ſicut & legit Aug. lib. 11 contra Fauſtum cap. 8. & ſenſus eſt; animo reputantes. Particula εἰ, *Si*, in quibuſdam Græcis codicibus abeſt; nec eam legerunt Theophylactus & Oecumenius: Veriſimile tamen eſt à Paulo ſcriptã fuiſſe; quòd & ſermonis connexioni ſeruiat; & in plurimis adhuc legatur Græcis codicibus qui hodie exſtant. Anſam prætermittendi incauto ſcriptori Græco dediſſe potuit ſimilitudo dictionum εἰ & εἰς; vt in eiuſmodi contingit. Quod dicit appoſtolus *vnum pro omnibus*, ſcilicet hominibus redimẽdis, *mortuum eſſe*, nempe Chriſtum Dominum; id rectè Proſper in reſponſione prima ad obiectiones Vincentianas, de magnitudine & potentia precij per Chriſtum in morte obla ti, exponit. Fuit enim precium illud ſufficiens & ſuperabundans ad omnes redimendos atque ſaluandos. Verùm non omnibus, ſed ſolis electis, ex Dei prædeſtinantis voluntate applicatur. Atque hoc eſt quod Theologi tradunt, Chriſtum ſua paſſione ſufficienter omnes redemiſſe, ſed non omnes efficienter. Quam effici ntiam attendentes alij quidam, priore ſenſu non repudiato, Paulum de prædeſtinatis interpretantur: vt quibus omnibus & ſolis efficaciter ad ſalutem prodeſt mors Chriſti Hic commentarius eſt apud Haimonem & Heruæum: nec non apud Hugonem Victorinum in quæſtionibus loci præſentis: vbi ſenſum hunc Hieronymo aſſcribit. Eundem tradit Aquinas, exponens illud Heb. 2, *vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*: quamuis & alterum ſenſum adiungat. Vter verò ſenſus huic loco magis conueniat, pendet ex intellectu eius quod infert apoſtolus, *ergo omnes mortui ſunt*. Quod quidẽ B. Thomas trifariam intelligi poſſe docet. Primùm, vt ſenſus ſit, omnes eſſe mortuos morte peccati in Adam. Quæ expoſitio ferè eſt omniũ commentatorum, adeoque legentibus obuia vt Caietanus affirmet, *procul dubio* ſermonem hîc eſſe *de omnium hominum morte* quæ eſt *peccati originalis*. Ac certè, bona eſt ſequela; Si pro omnibus mortuus eſt Chriſtus; omnes mortuos eſſe morte peccati. Siquidem Chriſtus ad hoc mortuus eſt, vt homines à morte peccati redimeret. Quare ſi nullus eſt hominũ pro quo Chriſtus non ſit mortuus; vtique conſequẽs eſt, nullũ eſſe qui ſit à peccato, ſaltem originali, immunis. Hic commentarius ſupponit ſenſum antecedentis generalem: ſcilicet pro omnibus in vniuerſum hominibus mortuum eſſe Chriſtum; & non ſolùm pro prædeſtinatis. Non enim aliter ex hoc loco colligi poſſet omnes in vniuerſum homines morte peccati mortuos eſſe: quod ex eo colligunt dictæ expoſitionis authores. Vnde & Aug. aduerſus Pelagianos originale peccatum negantes, vtitur inter alia huius ſcripturæ teſtimonio, quo doceat ne quidem infantes recẽter natos à peccato liberos eſſe; quoniam & pro eis mortuus ſit Chriſtus. vt libro 4 de baptiſmo paruulorum cap. 27 & lib. 6. contra Iulianum cap. 4. Qui & eiuſdẽ doctrinæ generalitatem expreſſit lib. 20 de ciuitate Dei cap. 6, vbi recitatis ex hoc loco verbis apoſtoli, ſic infert: *Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto; ſiue originalibus ſiue etiam voluntate additis.* Quæ eadem verba V. Beda retulit in ſua collectanea; deinde & Heruæus intexuit ſuo cõmentario. Nam exceptio quæ apud hunc authorem, ſub Anſelmi nomine citari ſolitum, appoſita legitur, *dempta matre Dei*; contra mẽtem authoris, ac repugnante contextu, inſerta eſt ab aliquo, zelum (vt arbitror) habente matris Dei, non ſecundum ſcientiam. Veruntamen hic commentarius, quem primo loco diximus adferri ab Aquinate; etſi veram ſententiam contineat, non admodum quadrat apoſtoli inſtituto, nec connecti facilè poteſt cum ijs quæ ſequuntur. Eſt igitur ſecundus apud eundem ſenſus: vt omnes mortui dicantur veteri vitę: nec ſignificetur quid ſit, ſed quid eſſe debeat. Nam quia Chriſtus mortuus eſt ad delenda peccata: ſi pro omnibus mortuus eſt, igitur omnes mori debẽt veteri vitæ, ſcilicet peccati; & viuere vita iuſticiæ. Quod & typicè per Chriſti mortem ac reſurrectionem ſignificatum fuit: quemadmodum docet idem apoſtolus Rom. 6. Tertius apud Aquinatem ſenſus eſt: *Ergo mortui ſunt omnes*, id eſt, *ita ſe debet quiſque reputare*, & vt ait apoſtolus, iudicare, *ac ſi mortuus eſſet ſibi ipſi*. Qui proinde non debeat deinceps ſibi viuere, ſectando ea quæ ſibi commoda ſunt; ſed viuere Chriſto, gloriã eius quærendo, & voluntatem eius implendo. Senſum hunc ex gloſſa ordinaria deſumptum, Thomas amplectitur tamquam magis literalem, atque eum ſolum adfert Liranus Thomæ ſententiam ſecutus. Ac reuera ſenſus iſte contextui ſermonis apoſtoli maximè congruit. Nã verbis ſuperioribus quibus dixit, *ſiue enim mente excedimus, Deo.* &c. profeſſus eſt ſe nihil ſui gratia facere, ſed omnia ſua referre ad Dei gloriam & communem hominum ſalutem. Quæ verò ſequuntur, hunc intellectum planè explicant; vti ſtatim videbimus. Eſt autem locus huic ſimillimus Rom. 14 vbi ſic ait. *Nemo enim noſtrùm ſibi viuit, & nemo ſibi moritur, ſiue enim viuimus, Domino viuimus;*

Quo ſenſu Chriſtus pro omnibus mortuus.

Infantes naſcũtur in peccato, quia pro eis mortuus Chriſtus.

Omnes in peccatis mortui, nemine prorſus excepto.

Chriſtus õnes ſua paſſione redemit ſufficienter, non efficiẽter. Pro omnibus & ſolis prædeſtinatis mortuus Chriſtus, quo ſenſu.

Secundus ſenſus omnes mori debere veteri vitæ.

Tertius ſenſus, omnes mortuos eſſe debere ſibiipſis

Omnes mortui trifariam exponitur.

Omnes mortui morte peccati.

Hic ſenſus cæteris probabilior.

siue morimur, Domino morimur. Siue ergo viuimus siue morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur. Ex quo etiam loco declaratur vis argumentationis apostolicæ, consistens in eo quod Christus sua morte nos redemit. Qua ratione & ipse factus est omnium nostrûm Dominus; & nos, eius serui: Seruus autem non suus est, sed Domini sui; ideóque non sibi operatur, sed domino. Quare si pro omnibus mortuus est Christus: omnes ergo, quod ad suas ipsorum actiones attinet, sibi mortui sunt, & Christo Domino viuere debent. Denique iam ex his satis apparet, id quod dicit apostolus, Christum pro omnibus mortuum esse, de prædestinatis siue electis conuenienter intelligi; tamquam ratiocinetur hoc modo; Si Christus pro omnibus quos ad vitam elegit, mortuus est: igitur omnes redemptionis eius facti participes, qui proinde ex electorum numero se esse meritò confidunt, (iuxta secundum sensum) mori debent in dies veteri vitæ, & viuere vitam nouam: aut (iuxta tertium sensum) mortui esse debent sibiipsis, vt iam nõ suis cõmodis studeant, sed gloriæ Domini redemptoris sui, & saluti electorum pro quibus redimendis ille mortuus est, sicut idem apostolus alibi dicit, *Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur*, 2 Timo. 2. Porrò consequentiam argumentationis quam iuxta postremum sensum facit apostolus, amplius declarant ea quæ sequuntur.

Seruus non suus est, sed Domini.

Exponitur secundus & tertius sensus de prædestinatis.

15 ET PRO OMNIBVS MORTVVS EST CHRISTVS. In Græco non additur *Christus*; sed subauditur *vnus* ex parte præcedenti. Particulam & alij pro causali scriptam volunt; *Nam pro omnibus mortuus est*; quod Hebræis non est infrequens: Alij per *autem* exponunt; vt hæc sit antecedentis condicionaliter positi resumptio. quasi dicat; Atqui pro omnibus mortuus est vnus; nempe propter id quod sequitur,

VT ET QVI VIVVNT, IAM NON SIBI VIVANT, SED EI QVI PRO IPSIS MORTVVS EST ET RESVRREXIT. Græcè, *Vt qui viuunt, non amplius sibiipsis viuant, sed* &c. Aug. quoque sine coniunctione legit, *vt qui viuunt:* libro 10 de ciuitate Dei cap. 6, & alibi. Sensus periodi est: Ad hoc vnus ille, scilicet Christus, pro omnibus mortuus est: vt ijdem illi pro quibus mortuus est, quamuis viuant vita naturali, deinceps tamen non sibi viuant quasi liberi facientes quidquid suggesserit propria voluntas; sed sibi mortui, viuant ei qui pro ipsis mortuus est, id est, omnes suæ vitæ actiones instituant ad nutum & voluntatem & honorem sui Domini, qui ipsos sua morte redemit, eoque redemptionis iure seruos suos effecit. Addit autem *& resurrexit:* siue ad insinuandum beneficium immortalitatis per Christi resurrectionem, velut exemplarem causam, omnibus nobis propositum; seu potius vt significet, nobis viuendum esse Christo, ea vita, cuius typus est resurrectio Christi, id est, vita noua; sicut mori debemus nobis ipsis, ac vitæ veteri; quam mortem typice denotat mors Christi, vt habetur Rom. 6. Pro quo sensu facit quod paulo pòst dicitur, *Si quis ergo in Christo, noua creatura, vetera transierunt* &c. Iam ex hac declaratione liquet quàm locus iste persimilis sit ei quẽ paulo antè protulimus ex epistola ad Romanos cap. 14.

Christus propter quid pro omnibus mortuus.

Cur additum, & resurrexit.

16 ITAQVE NOS EX HOC NEMINEM NOVIMVS SECVNDVM CARNEM. *Ex hoc*, scilicet tempore. Nam Græcè est ἀπὸ τοῦ νῦν, *ex nunc*, id est deinceps, de cætero. Obscuritatem habet hic versus, adeò vt ingenuè fateatur Hofmeisterus, commentator haud ineptus, hæc apostoli verba sùum intellectum longè superare. Inde nata varietas expositionũ, quas permultas videre est apud Thomam in commentario; vbi docet illud, *secundum carnem*, posse cõstrui vel cum vocabulo *neminẽ* vel cũ verbo *nouimus:* id est, posse referri vel ad cognitũ vel ad cognoscentem. Vtriusque verò cõstructionis plures adfert sensus: Ex quibus satis nobis erit adduxisse magis probabiles. Inter quos sanè vix numerari potest, quod Theophylactus & Oecumenius authore Chrysostomo *neminem secundum carnem*, id est, nullum viuentem secundum veterem & carnalem vitam, deinceps à Paulo cognosci, interpretantur. Neque enim Christum secundum carnem (quod affirmat verbis sequentibus) hoc modo Paulus aliquando cognouerat. Vnde & in ea parte variare coguntur suam expositionem. Alij multò probabiliùs hoc sensu nectunt ista verba cum superioribus; Quoniam Christus pro nobis resurrexit vt nos immortales redderet: idcirco nos hac spe immortalitatis erecti, & in eam totis animis intenti, de cætero neminem secundum carnem hanc mortalem magni facimus; nec magnopere curamus ea quæ sunt præsentis ac mortalis vitæ, tam in nobis quã in alijs, quando quidem nec Christum ipsum (iuxta id quod sequitur) iam cogitamus vt mortalem, sed vt immortalem; & proinde eius præsentiam in carne mortali, quæ cæteris apostolis contigit, quam & ego aliquando magni feci, nunc paruipendo. Et quid mirum? quando illa Christi præsentia secundum carnis infirmitatem, impedimento fuit apostolis quo minùs spiritualem Christi doctrinam caperent. Vnde dicit ad eos, Ioannis 16. *Expedit vobis vt ego vadam, si enim non abiero: paracletus non veniet ad vos.* Ita ferè locum hunc intellexerunt Aug. lib. 11. contra Faustum cap. 7 & 8, & Leo sermone 1. de resurrectione Domini. Sensum Augustini pene verbatim referunt in suis commentarijs, Lombardus & Heruęus. Sed & Thomas hũc intellectum cæteris anteponere videtur. Nec verò repugnat quod Dominus Matth. 13. & Luc. 10. beatos pronunciat suos discipulos, quod ipsum coram etiam in carne mortali vi-

Locus obscurus & difficilis.

Admodum variè exponitur.

Reijcitur Græcorũ expositio.

Alia probabilior.

Quomodo beati qui Christum in carne viderunt.

derent

derent & audirent; quæ res antiquis prophetis & iustis exoptata non cõtigisset. Nam beatos dicit ex comparatione dumtaxat; id est, si ipsi conferantur cum illis qui Christi venturi tantùm obscuram habuerant noticiam. Sunt enim (quod ad rem præsentem attinet) tres gradus noticiæ Christi considerandi, in quorum infimo consistit obscura noticia quam habuerunt de Christo prophetæ, ac cæteri priorum temporum iusti. Secundum gradum tenet euidens per sensum noticia: qualis fuit apostolorum & omnium eorũ qui Christum in carne mortali videntes, in eum crediderunt. Tertius gradus est eius noticiæ qua Christus cognoscitur per præsentiã in vita immortali. De qua superiùs, versu 8, *Confidimus*, inquit, *præsentes esse ad Dominum*. Medius ergo gradus respectu primi magnum quiddam erat ac vehementer optabile: non magnum autem sed imperfectum, respectu tertij. Cæterùm hic commentarius, etsi probus & ab Aug. diligenter explicatus, infirmari tamen videtur hac ratione; quia Paulus illo modo Christum secundum carnem nunquam nouerat, hoc est in carne mortali nunquam eum viderat: vt dicere posset id quod sequitur: *Et si cognouimus secundum carnem Christum*. Nec satis est si dicas (vt quidam respondent) in persona aliorum apostolorũ hoc à Paulo scribi. Nam tota hac disputatione qua de ministris agit nouæ legis, quæcumque scribit, ea vel maximè in sua ipsius persona scribit. Eadem ratione refellitur Caietanus, qui locum hunc exponit de Messia carnali, qualem exspectarunt & adhuc exspectant Iudæi. Sensum enim facit huiusmodi: Itaque nos ex eo tempore quo Christus resurrexit, didicimus & nouimus neminem renouatorem sæculi secundum carnem, hoc est secundum carnis officia viuentem, nobis exspectandum esse. Et quãuis apostoli Christũ susceperunt secundũ carnis officia viuentem, quãdo cum eo conuersati sunt in terra; id tantũ ad tempus fuit, donec compleret Christus mysterium nostræ redemptionis. Nam de cętero vsque in æternum nec illi nec nos Christum vt talem nouimus: sed solummodo nouimus eum viuentem secundum spiritum in carne immortali. Hic sensus, quem & alij quidam, etsi diuersis verbis, tradunt, refellitur, vt dixi, perinde vti superior: quia de Paulo falsum est, quòd eo modo Christum secũdum carnem aliquando nouerit. Adde quod non de solo Messia loquitur Paulus, sed generaliter inquit, *ex hoc neminem nouimus secundum carnem*: Quod deinde speciatim etiam de Christo pronuntiat. Est igitur alia quædam expositio, quam insinuant magis quam aperiunt Gagnęus & alij nonnulli, quã & sequitur Erasmus in paraphrasi. Cùm enim pseudapostoli, qui vtique Iudęi erant, inter alia gloriarentur de nobilitate generis, quòd Hebræi, quòd Israëlitæ, quòd semen Abrahæ essent: vt infrà cap. 11. versu 22; quod totum apostolus ibidem versu 18 vocat gloriari secundum carnem: docet hîc, vsque adeò se sibiipsi ac veteri vitæ mortuum esse, & in alium hominem transmutatum; vt iam nihil illorum magni faciat. Docet autem idipsum pleniùs in epistola ad Philip. 3, vbi aduersus eosdem agens pseudapostolos *in carne fiduciam habentes*, scribit se quidem etiam habere vnde confidere possit in carne; sed vniuersam illam in carne gloriandi materiam æstimasse propter Christum vt detrimenta & stercora. Qui locus est pro commentario loci præsentis. Cuius proinde sensus quàm maximè probabilis, est iste: Cùm itaque nos nouæ legis ministri per Christum mortui simus vitæ veteri ac nobis ipsis, & in nouam cũ Christo vitam transformati: sanè ex eo iam tempore quo fungimur hoc ministerio, neminem nouimus secundum carnem, noticia videlicet amoris & propensioris affectus; id est, in nemine gloriamur carnalis propinquitatis causa; ne quidem in ipso Abraham patre nostro *secundum carnem*; vt appellatur Rom. 4.

ET SI COGNOVIMVS SECVNDVM CARNEM CHRISTVM; SED NVNC IAM NON NOVIMVS. Græcè, *Si verò etiam cognouimus secundum carnem Christum; sed nunc non amplius cognoscimus*. Vbi *sed* pro *tamen* positum est, quomodo reddidit interpres capite superiori, versu 16, *tamen is qui intus est, renouatur* &c. Auget orationem apostolus hac parte, quasi in immensum. Poterat enim dicere, Nec ipsum Abraham nouimus secundũ carnem: Sed nominare voluit quendam incomparabiliter maiorem. Quin etsi (inquit) aliquando magnum & glorioſum putauimus, gentilem & consanguineum esse Christi secundum carnem: at nunc ita penitus mortui sumus affectibus vitæ veteris, vt non amplius in huiusmodi re gloriandum nobis censeamus. Etenim pseudapostolos in eo vel imprimis gloriatos fuisse, quòd Christo essent carne & sanguine coniuncti; non est dubitandum: quandoquidem apostolus Rom. 9, inter prærogatiuas Iudæorum hoc etiã enumerat, quod ex ijs esset *Christus secundum carnem*. Veruntamen id non esse magnificiendum, ipse etiam Christus docuit; quando quibusdam sibi nunciantibus aduentum suæ matris, & fratrum; respondit: *mater mea & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt*, Luc. 8. Porrò sciendum est huius loci testimonio Faustum Manichæum quondam abusum fuisse, quo doceret Christum Dominum non habuisse veram carnem. Dicebat enim Paulum quamuis aliter fortassis aliquando sensisset, vt in epistola quam ad Romanos scripserat, cap. 1, vbi Christus legitur *factus ex semine Dauid secundum carnem*; in hoc loco sententiam correxisse, quã do dixit, *Etsi cognouimus Christum secundum carnem, nunc tamen non nouimus*. Ita refert Aug. ipsius Fausti verbis lib. 11, aduersus eũ

scripto

Tres gradus noticiæ Christi.

Refutatio dictæ expositionis.

Refellitur Caietani commentarius.

Expositio maximè probabilis

Quid neminem nosse secundum carnem.

Paulus nec Christum nouit secundum carnem.

Manichæi negantes in Christo veram carnem, vsi hoc loco.

Refellit eos Augustinus.

scripto cap. 1. Refellit autem cap. 7. idque duplici ratione. Primùm, quia si Christus nunquam fuit secundum carnem; mentitus est Paulus cum ait, *Cognouimus eum secundũ carnem.* Siquidem nemo cognoscit quod nõ est. Neque enim Paulus dixit, Putauimus; quod est opinantis verè aut falsò, sed, *cognouimus.* Deinde, & quidem efficaciùs, hoc argumento: Quod si Christus ideo non habuit carnem quia dicit apostolus *se nunc* eum non nouisse secundum carnem; igitur nec illi carnem habuerunt de quibus dicit, *Ex hoc neminem nouimus secundum carnem.* Quod nec ipse Faustus sensit. Addo tertiam rationem. Non enim dici potest apostolum correxisse sententiam quam postea scripsit. Atqui præter hoc quod in secunda ad Timotheum epistola multo pòst scripta, cap. 2 dicit, *Memor esto Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid, secundum euangelium meum*: Etiam hoc ipsum quod ad Romanos scripsit, postea ab eo scriptum est. Nam ordine tẽporis epistolam ad Romanos vtraque ad Corinthios scripta præcedit: vti suo loco monstrauimus. Postremò, liquet quam futiliter ex hoc loco probare nitantur sacramentarij quidam absentiam carnis Christi in Eucharistiæ sacramento: quasi sensus sit, Christum ex quo cælos petiuit, non amplius vt carne præsentem à nobis cognosci. Quem sensum huius loci nullus scriptor orthodoxus tradidit. Refellitur autem pari ratione, qua Fausti sensum refellit Aug. quia si Christum Paulus ideo non amplius nouerat secundum carnem, quod eum non nosset carne præsentẽ: igitur nec quemquam alium hominem cognoscebat carne præsentem; quia generaliter dixit: *Ex hoc neminem nouimus secundum carnem.*

Item refelluntur Sacramentarij.

17 SI QVA ERGO IN CHRISTO, NOVA CREATVRA. Græcè. *Itaque si quis in Christo*, &c. Quamuis enim Græcum τις, commune sit ad *quis* & *qua*; Græci tamen enarratores masculinum genus, vtroque sexu comprehenso, sese intellexisse declarant. In quem sensum & Origenis interpres, ex mente sui authoris, hoc modo vertit in Homilia 12 super Leuiticum: *Omnis ergo, secundum apostolum, qui in Christo est, noua creatura est.* Ex Latinis quoque S. Ambrosius epistolâ 8. ad Faustinum scripta, locum hunc ita recitat, *Si quis in Christo, noua creatura.* & exponit; *Si quis in Christo est, noua creatura est, non naturæ nouitate formatus, sed gratiæ.* Eãdem lectionem volunt Pelagius & Sedulius, quorũ hoc est scholion, *Si quis credit in Christo, noua est creatura.* Denique ex Syriaco sic interpretantur: *Quisquis igitur in Christo est, creatura est noua.* Patet ex his, sensum huius partis non pendere ex eo quod sequitur, *vetera transierunt*: quomodo multi Latinorum acceperũt: sed in seipso perfectum esse, verbo *est* bis intellecto, ad hunc modum; Quare si quis est in Christo, noua creatura est. licet Hentenius

Fœminini generis ab interprete pro masculino positum.

Oecumenij commentario suam versionem accommodans, priorem partem alio verbo suppleat, *Si quis viuit in Christo.* Sed res eòdem redit. Nam quod sentit apostolus, tale est; Cùm Christus mortuus fuerit ac resurrexerit pro omnibus, vt iam non sibi viuant sed Christo; quod est vetustate deposita nouum esse hominem: consequens est, non modò nos euangelicæ legis ministros, sed & omnem eum qui Christo per fidem insitus est, & Christo iam viuit; per ipsius gratiam nouum esse hominem, ac nouam creaturam: qui proinde ea omnia, quæ veteris sunt hominis, quale est nouisse aliquem secundum carnem, abijcere debeat. Vnde sequitur,

Quisquis in Christo est, noua creatura est.

VETERA TRANSIERVNT. Græcè παρῆλθεν, *præterierunt. Vetera* dicit quæcunque ad veterem hominem pertinent; vt peccatum, erroresque gentilium, & omnis carnalis affectus: Item vetus testamentum cum suis legalibus; ipsaque præcipuè veteris testamenti seruitus; denique corruptio mortalitatis. Hæc autem præterierunt & abolita sunt per Christum, in ijs qui Christi sunt; nondum quidem simpliciter & perfectè, sed partim re, partim spe, partim secundum inchoationem huic vitæ conuenientem.

Vetera quæ dicantur, & quo sensu trãsierint.

ECCE FACTA SVNT OMNIA NOVA. Scilicet ex veteribus. Hoc est, Omnis vetustas in nouitatem commutata est. Quod similiter intellige partim in re, partim autem in spe futuri sæculi: de quo propriè dictum est illud à sedente in throno; *Ecce noua facio omnia*, Apo. Noua igitur sunt illis veteribus opposita, fides, iusticia, sanctitas; nouum testamentum cum suis institutis; ac præcipuè noui testamenti libertas: & in futuro sæculo totus homo nouus & beatus secundum animã & corpus; Denique cælum nouum & terra noua, & Hierusalẽ, id est, ecclesia noua; sicut in Apocalypsi legimus. Videtur autẽ Aquinati & Caietano Paulus hoc loco alludere, secũdũ mysticã intelligẽtiã, ad verba Moysi, Leu. 26, quibus ait. *Vetera nouis superuenientibus proijcietis.* Atqui locus expressior est apud Isaiam cap. 43, vbi *hæc dicit Dominus; Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: Ecce ego facio noua, & nunc orientur: vtique cognoscetis ea.* Ad hunc locum alluisse Paulum multo verisimilius est.

Omnia facta noua, quo sensu.

Quæ noua.

18 OMNIA AVTEM EX DEO. Hoc ad proximam sententiam referendum est, qua dixerat, omnia noua facta esse; per Christum videlicet. Id enim innuit superiori parte, *Si quis in Christo; noua creatura.* Hîc igitur more suo, quæ dixit esse per Christum, tandem reuocat ac resoluit in Deum vt primum authorem. ac si dicat, Vniuersum hoc beneficium renouationis quod Christus nobis promeruit, quodque iam partim habemus, partim expectamus; ex Deo est, vt fonte & authore omnis boni. Non ergo quod dicit, *omnia*, complectitur vtrumque genus præcedens, vetera & noua: sed sola noua. Quan-

Paulus omnia noua resoluit in Deum, vt primũ authorem.

quam

Vetus testamentũ ab vno vero Deo.

quam & vetera quædam, vt vetus teſtamentum cum ſuis præceptis ac cęrimonijs, ab vno & eodem eſſe Deo, ſecundum fidem catholicam fatendum eſt.

QVI NOS RECONCILIAVIT SIBI PER CHRISTVM. Græcè, *per Ieſum Chriſtum*: aſtipulante textu Ambroſiano. Qui Deus (inquit) nos peccatores æternę morti obnoxios, in gratiam & amicitiam recepit, hoc eſt peccata condonauit, iuſtificauit, in filios adoptauit (totum enim hoc continetur in nomine reconciliationis); idque per Ieſum Chriſtum, mediatorem & pacificatorem noſtrum, qui paſſione ſua ac morte pro peccatis noſtris Deo Patri ſatisfecit, eiuſque gratiam nobis promeruit. Pelagius illud, *per Chriſtum*, exponit hoc modo; *per Chriſti doctrinam pariter & exemplum*. Hæc nimirum Chriſti gratia eſt quam tradidit Pelagius, cõſtituens eam in doctrina Chriſti, quam ſequamur; & exemplo vitæ eius, quod imitemur: quaſi nobis ad reconciliationẽ iſta duo ſufficiant, doctrina & exemplũ Chriſti; nec opus habeamus precio ſanguinis eius, ad redẽptionem; nec merito paſſionis eius, ad iuſticiam. Quod planè Pelagianũ eſt & hæreticũ. Quocirca Primaſius hunc Pelagij cõmentariũ volens corrigere, repoſuit hoc gloſſema; *per ſanguinem & exemplũ Chriſti: quia & redemit & docuit*. Quæ tamen haud plena correctio eſt: Nam Paulus dicens Deum nos ſibi reconciliaſſe per Chriſtum, non ad exemplum neque ad doctrinam Chriſti reſpexit, ſed ad preciũ & meritum, quo vtroque reconciliationem cum Deo nobis procurauit.

Reconciliatio cũ Deo quid complectatur.

Pelagij commentarius Pelagianus.

Quam Chriſti gratiam prædicauerit Pelagius.

Corrigit Primaſius haud plenè.

ET DEDIT NOBIS MINISTERIVM RECONCILIATIONIS. Hoc eſt, Iniunxit ac delegauit nobis apoſtolis miniſterium reconciliationis hominibus annunciandæ: voluit nos humanę reconciliationis, quã Chriſtus ſua paſſione parauit, eſſe velut executores & adminiſtros: vtique per euangelij Chriſti prędicationem. Sub qua tamen comprehende ſacramẽtorum eius adminiſtrationem. Chriſtus enim ſuis apoſtolis, quos ad miniſterium reconciliationis miſit, non ſolùm prædicandi euãgelij, ſed & baptizandi credentes, & peccata remittendi poteſtatem commiſit. Matth. 28 & Ioan. 20. Quãquam Paulus tantùm priorem modum explicat in ſequẽtibus; qui & in priore epiſtola cap. 1. dixerat: *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare*. Hîc iam tacitè & opportunè redit apoſtolus ad commendandam dignitatẽ miniſterij nouæ legis: per quod nimirum ipſa reconciliatio, & renouatio de qua dixit, *Ecce facta ſunt omnia noua*, perducitur ad effectum; Deo videlicet apoſtolis vt miniſtris ad eam rem vtente.

Miniſterium reconciliationis quod ſit.

19 QVONIAM QVIDEM DEVS ERAT IN CHRISTO MVNDVM RECONCILIANS SIBI. *Quoniam quidem*, Græcè ὡς ὅτι, pro quo Eraſmus *quandoquidem*: At melius Faber, *vt quòd*. Declarat enim apoſtolus reconciliationem ſuo miniſterio annunciandam, de qua dixerat, *Qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum*. Poteſt autem ſententia duobus modis ordinari: Vel ſic, vt illud *in Chriſto* iungatur præcedentibus, ſitque ſenſus: Deus mundum ſibi reconcilians, erat in Chriſto per vnitatẽ eſſentię; Pater, inquam, in Filio; iuxta dictum Filij, Ioannis 14, *Ego in Patre & Pater in me eſt*. Vel hoc modo: Deus erat reconcilians ſibi mundum in Chriſto; id eſt reconciliauit ſibi genus humanum per Chriſtum. Quem ſenſum expreſſit Hentenij verſio. *Deus per Chriſtum reconciliabat mundum ſibi*. Addit Caietanus & tertiam conſtructionem, *in Chriſto mundum*; vt inquit *limitetur reconciliatio ad mundum in Chriſto*, id eſt, ad eam partem hominum, quæ *iungitur* ſiue *incorporatur Chriſto*. Verùm hæc conſtructio, quãuis Caietano præ reliquis placeat, dura & coacta eſt; quam nec facilè Græca admittũt. Cæterùm prima conſtructio Latinorum eſt, Ambroſiaſtri, Primaſij, & paſſim aliorum, tam veterum quàm recentiorum; qui inde probant vnitatem Chriſti cum Deo, id eſt, Filij cum Patre. licet eorum nonnulli ſic exponant; *Deus erat in Chriſto* homine: quatenus ſcilicet in humana Chriſti natura diuinitas ſalutem noſtram operabatur. At verò ſecundam conſtructionem & ſenſum vno conſenſu tradunt omnes interpretes Græci. Refert & Thomas poſteriore loco. Nec dubiũ, quin hic commentarius & phraſi Paulinæ congruat, *in Chriſto*, id eſt per Chriſtum; & aptè reſpondeat tam præcedentibus, vbi dixit, *Qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum*; quã ijs quæ deinceps ſequuntur. Mundus hoc loco genus humanum ſignificat vt frequenter alibi: ſed vtrùm generaliter an reſtrictè, paulo pòſt expendemus.

Duplex huius loci conſtructio.

Tertia Caietani

Refellitur.

Secunda, quæ Græcorum, probatur.

Mundus pro genere humano.

NON REPVTANS ILLIS DELICTA IPSORVM. *Non reputans* ab interprete dictum pro *non imputans*, Græcè, μὴ λογιζόμενος. Explicatur autem reconciliatio mundi cum Deo, non ex toto genere, ſed ex ea parte quę continet abolitionẽ offenſæ; cum alioqui in plena ſignificatione reconciliationis, etiam gratia & amicitia contineatur: licet diſputẽt Theologi num remitti poſſit offenſa, ſi non & gratia, per offenſam perdita, reſtituatur. Verùm apoſtolus in parte totum voluit intelligi; *Deus* inquit *erat in Chriſto non imputans*, hoc eſt per Chriſtum remittens, *illis*, id eſt mundo ſiue hominibus, *peccata ipſorum*; adeoque eos ſibi gratificans (vt ait Epheſ. 1.) in dilecto filio ſuo. Nam remiſſionem peccatorum ac reconciliationem non fieri ſine interna mentis ſanctificatione; paſſim idem apoſtolus nos docet. vt Coloſſ. 1, *Nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos ſanctos & immaculatos & irreprehenſibiles coram ipſo*. Mundi nomine quidam volunt vniuerſum genus humanum intelligi, id eſt omnes & ſingulos homines;

Problema theologicum.

Quid non imputare delicta.

Reconciliatio non fit abſque interna ſanctificatione.

An mũdi nomine totũ genus humanũ intelligatur

tanquam sentiat apostolus in Christi passione fuisse meritum ac pretium pœnamque sufficientem ad reconciliandum Deo totum mundum, & ad omnia mundi peccata tollenda; licet huius reconciliationis ac remissionis effectus non in omnibus exsistat, sed in ijs tantùm qui verbum reconciliationis sibi prædicatum recipiunt. Sensus hic verus est; non tamen huic loco conueniens. Nusquam enim ita scriptura loquitur, vt dicat Deum infideles & nunquam credituros sibi reconciliare; ijsdemque non imputare sua delicta. Rectius itaque sentiunt, qui mundum interpretantur homines ex toto mundo electos seu prædestinatos ad salutem. Ita disertè Glossator, Haimo, Lombardus, Heruæus & Carthusianus; & ante hos omnes Augustinus tractatu 110 super Ioannem. Qui locus etiam à Beda refertur in collectaneis. Sed & tractatu 87 eiusdem operis, idem Aug. citans hunc locum apostoli, dicit per mundum ecclesiam significari, videlicet toto orbe diffusam, ac de mundo collectam. atque eam mundi acceptionem in scripturis vsitatam alijs etiam exemplis declarat. Accedunt Liranus & Caietanus; quorum ille mundum ad Christianos restringit, iste (quemadmodum suprà retulimus) ad eam partem mundi quæ incorporatur Christo: sicut angelus dixit ad Ioseph; *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, Matth. 1. Non refert autem vtrum mundum, id est genus humanũ, intelligas in electis, an in omnibus vocatis atque vocandis efficaciter ad fidem Christi: dummodò constet electos principaliter ab apostolo significari. Nam *omnia propter electos*, 2 Timot. 2. Hos igitur ex omnibus gentibus per apostolorum ministerium ad fidem vocat Deus. De quo ministerio sequitur:

Mundus, id est. ex toto mũdo electi.

Vtrum soli electi, an omnes vocati.

ET POSVIT IN NOBIS VERBVM RECONCILIATIONIS. Quidam verbum interpretantur negocium, iuxta phrasim Hebræam vt sit sensus; Deus negocium reconciliationis nobis commisit. Sed probabilius est, apostolico more loquendi verbum euangelicæ prædicationis significari: tanquam Paulus dicat, Vt reconciliatio mundi quam Deus in Christo parauit, effectui demandetur, nobis apostolis iniunxit munus euangelizandi mundo gratiam hanc reconciliationis; nos elegit ac fecit ministros annunciandi tanti beneficij.

Quod verbum reconciliationis.

PRO CHRISTO ERGO LEGATIONE FVNGIMVR. Vsum ministerij apostolis commissi, his & sequentibus verbis declarat. Officium nostrum, inquit, sedulò exsequimur, legationem obeuntes *pro Christo*, id est, vice & loco Christi, & vt alibi loquitur, *in persona Christi*, cuius apostoli sumus. Dum meminit legationis innuit nobis principatũ Christi. Quippe magnorum principum est legatos mittere; nempe quales significantur Græca voce πρεσβέυομεν, *legatione fungimur*. Pro quo dici potest, ait Faber, *oratores & legati constituimur*. Ita simul & sui, id est apostolici ministerij dignitatem Paulus amplificat.

Legationis nomẽ & Christi principatum,

& apostolorum dignitatẽ insinuat.

TANQVAM DEO EXHORTANTE PER NOS. Pro *exhortante* alijs placet *obsecrante*, alijs *consolante*. Hæc enim omnia significat Græcum παρακαλέντος. Sed consolandi significatum huic loco non quadrat, sensus autem est. Cùm nos legatione nostra fungentes exhortamur aut obsecramus homines, vt per fidem & pœnitentiam Deo reconcilientur: sic accipere debent ac, si Deus exhortetur aut obsecret. Ille enim per nos hæc agit, tanquam per suos ministros; qui hęc egit aliquando per Christum in terra degentem. Sed postquam sublatus est Christus in cælum, nos illius vices nunc gerimus in terra. Deus igitur primus author; Christus minister principalis, nos ministri secundarij atque vicarij, à Deo & Christo missi. Sermo est autem de Christo homine. Nonnulli partem hanc connectunt cum ea quæ sequitur, sensu nequaquam improbando: sicque magis conueniet obsecrationem Græco vocabulo significari.

Deus per apostolos hortatur & obsecrat.

OBSECRAMVS PRO CHRISTO. Id est, rogamus homines vice Christi, tanquam Deo per nos obsecrante. Non dicit præcipimus, admonemus: sed δεόμεθα *rogamus*, *precamur*. Imò Deum quoque facit obsecrantem non quidem simpliciter, sed per ministros; vt per hæc ostendat, euangelij præconem non solùm præcipiendo, increpando, admonendo; verùm etiam rogando & obsecrando agere debere, vt homines accedant ad Christum. Vnde scribit Timotheo 2 ep. 4, *Argue, increpa, obsecra, in omni patientia & doctrina*. Idque adeo præstitit ipse Paulus in suis epistolis, vt Rom. 12, *Obsecro vos*, inquit, *fratres per misericordiam Dei*, & Ephes. 4. *Obsecro vos ego vinctus in Domino*. Quid autem rogent & obsecrent homines legati Christi, subiungit.

Quid obsecrare pro Christo.

RECONCILIAMINI DEO. Modus est imperatiuus in Græco, καταλλάγητε, *reconciliamini*; sed qui seruiat obsecrationi. Igitur obsecramus, inquit, pro Christo, dicentes hominibus; *Reconciliamini Deo*, quasi dicat, Hoc est quod homines ex Christi persona rogamus; hoc est quod Deus ipse per nos obsecrat, vt cum ipso redeant in gratiam. Mira Dei bonitas: Ipse est quem homines peccando offenderunt: & tamen legatos cum precibus ad eos mittit pro reconciliatione. Nec minus stupenda malicia mentis humanę, quæ precum blanditijs ad ea quæ suæ salutis sunt, inuitari debeat. Iam quo modo mundum adhuc inuitẽt apostoli ad reconciliationem cũ Deo; qui sicut antè dictum est, mundũ in Christo sibi reconciliauit: ex superioribus intelligi potest. Reconciliauit

Mira Dei bonitas erga homines.

Quomodo mundus reconciliatus, adhuc inuitetur ad reconciliationẽ.

ciliauit enim ſibi mundum in Chriſto; quatenus in Chriſti paſſione cauſam dedit efficacem, omnes eos ſibi reconciliandi quos ex humano genere elegit ad ſalutem: Quanquam vt effectum habeat in ſingulis reconciliatio, cauſam illam neceſſe eſt ijs applicari per fidem, pœnitentiam, diuini nominis inuocationem, ipſáque ſacramenta diuinitus ad exequendam reconciliationẽ, ordinata: quæ tamen omnia ab eodem fonte meritorum paſſionis Chriſti promanant. Notandum eſt cum Caietano, hoc quod apoſtolus ait; *Tamquam Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto*: ſignatiuè ab eo ſcribi, verbis ſcilicet actum ſignatum, vt dialectici loquuntur, indicantibus; non actum exercitum. Non enim hîc obſecrat Paulus: ſed docet officium legatorum Chriſti eſſe, vt omnes homines, etiam obſecrando, ſtudeant ad Chriſtum adducere. Cuius rei argumentum eſt quod non dicat, Deo vos exhortante, vos obſecramus; quaſi ſpeciatim ad Corinthios hæc verba ſpectarent: ſed abſolutè ac nullo addito pronomine; videlicet ad ſignificandũ officium miniſtrorum nouæ legis in genere, erga omnes ad quos mittuntur. Illud verò *Reconciliamini Deo*, mimeticum eſt, iuxta datam à nobis expoſitionem. Sed & ſequenti materialiter accipienda, cenſet idem Caietanus.

Paſſio Chriſti nobis applicatur per fidem &c. quæ tamen ipſa ſunt effectus paſſionis.

Actum ſignatum non exercitum, indicant apoſtoli verba.

21 EVM QVI NON NOVERAT PECCATVM PRO NOBIS PECCATVM FECIT. Scilicet Deus. Nam quod in quibuſdam codicibus Aug. tempore legebatur, *Is qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit:* tamquam pro nobis Chriſtus ipſe peccauerit: eam lectionem vt mendoſam, meritò reprehendit idem Aug. in Enchiridio cap. 41. & lib. 2 cõtra Maximinum cap. 2. Hanc pericopen, in Græco cauſalis coniunctio nectit cum præcedenti τὸν γὰρ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν. *Eum enim qui non cognouit peccatum* &c. Ratio namque redditur ſperandæ & quærendę reconciliationis cum Deo. Ea ratio eſt magna Dei benignitas & miſericordia, qua filium ſuum, qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit. Ac fortaſſis ob ſimilitudinem characterum, *eum* & *enim*, hoc poſterius excidit. Dicitur Chriſtus non nouiſſe peccatum phraſi ſcripturæ; quia peccatum nullum fecit; id eſt, adeò fuit à peccato alienus, ac ſi prorſus peccatum ignoraret. Nec mirum, quando nec peccare potuit ille homo qui idem Deus erat. Ita loquitur in pſalmo 34, *Quæ ignorabam, interrogabant me.* Quod autem ſequitur, *pro nobis peccatum fecit*; tribus modis intelligi poteſt, vti diligenter à Lombardo & Aquinate annotatum eſt. Primùm hoc ſenſu; Fecit eum hoſtiam ſeu ſacrificium pro peccatis noſtris. Nam more veteri ſacrificia pro peccatis peccata vocabantur. Vnde dicitur Oſee 4 de ſacerdotibus, *peccata populi mei comedent*, id eſt, oblata pro peccatis. Hoc modo poſt Ambroſianum exponunt Pelagius, Primaſius, Sedulius & Haimo, locum adducentes ex lege Leuitici 4, iuxta verſionem interpretum LXX. *Et imponet manum ſuam ſuper caput peccati*: quemadmodum & in Hebræo legitur. pro quo Hieronymus; *ſuper caput hoſtiæ quæ pro peccato eſt.* Tale & illud eſt in Hebræo Leuitici 10, *Cur non comediſtis peccatum?* Vbi LXX *quod pro peccato*, Hieronymus *hoſtiam pro peccato.* Item Numerorum 6, vbi ſimiles occurrunt locutiones, obſeruatæ ab Aug. quæſtione 12 ſuper Numeros Placet hic ſenſus multis alijs, ac nominatim ipſi Aug. qui paſſim eum tradit; vt duobus locis iam antè citatis, ac præterea lib. de peccato originali cap. 32. lib. 3 contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 6, ſermone 48 de verbis Domini cap. 4, & ſermone 6 de verbis apoſtoli, cap. 8, & epiſtola 120 ad Honoratum cap. 30. Alter ſenſus eſt: Fecit eum peccatum, id eſt hominem morti, miſerijs ac paſſionibus ſubiectum, & per hęc peccatoribus ſimilem: vt in peccato, ſimilitudo peccati, vel pœna peccati intelligatur. Huius quoque ſenſus meminit Aug. locis prius notatis in Enchiridio & contra Maximum, & alibi. Meminit etiam Oecumenius; & probat Paulus Burgenſis. Tertius ſenſus; Fecit eum reputari peccatorem ab hominibus, ſicut ſcriptum eſt Iſaiæ 53. *Cum ſceleratis reputatus eſt*; vt hoc dictum ſit ea forma loquendi, qua aliquid dici ſolet tale; non quia ſit, ſed quoniam opinantur homines eſſe tale: Quo ſenſu dixit Berhſabee ad Dauidem 3 Reg. 1, *erimus ego & filius meus Sãlomon peccatores*; id eſt, reputabimur vt ſontes, ac de vita periclitabimur. Sed quia ſecundum hanc expoſitionem videri poteſt Deus author falſę reputationis, id eſt, erroris hominum ita malè iudicantium: idcirco tertium hunc intellectum cenſeo ſiue corrigendum ſiue explicandum eſſe per commentarium Græcorum, Chryſoſtomi ac cæterorum; qui peccatum emphaticẽs interpretantur magnum peccatorem: ac ſi dicat apoſtolus; Noſtri cauſa tractauit eum tamquam ipſum peccatum, ipſum ſcelus, id eſt tamquam hominem inſigniter ſceleratum vt *in quo poſuerit iniquitatem omnium noſtrũ*, Iſaiæ 53. Idque more capri emiſſarij, qui portabat omnes iniquitates filiorum Iſrael, quas eius capiti pontifex fuerat imprecatus. Leuit. 16. Fecit igitur Chriſtum Deus peccatum, quando tradidit eum in mortem crucis; quo genere ſupplicij ſolent affici famoſi latrones, qualis Barabbas; quales & illi duo nequam cum Domino crucibus affixi, Luc 23. Sic alibi Chriſtus dicitur factus pro nobis maledictum; *quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno*, Gal. 3. & Deut. 21. Nam & illam ſcripturam huc adducunt Chryſoſtomus & alij. Hinc porrò iam ſequitur (quod habebat tertia expoſitio)

Chriſtus non nouit peccatũ, quo ſenſu.

Chriſtus pro nobis peccatum factus triplex exponitur

Sacrificia pro peccatis in lege vocabantur peccata.

Secundus ſenſus: peccatũ, id eſt peccatoribus ſimilis.

Tertius ſenſus, peccatũ, id eſt reputatione peccator.

Explicatur tertius ſenſus.

Peccatũ, id eſt magnus peccator.

Chriſtus maledictum.

Christum reputatum fuisse magnum peccatorem, scilicet ab ijs qui solent ex pœnis æstimare peccata. In hoc sensu Græcorum, magis quàm in duobus prioribus elucet antithesis inter peccatum & iusticiam, ab apostolo intenta: quam complet verbis subiunctis; simul explicans particulam, *pro nobis*.

VT NOS EFFICEREMVR IVSTICIA DEI IN IPSO. *In ipsc*, Hebraismus, id est, *per ipsũ*, vt habet textus Ambrosianus, & exponit Oecumenius. Per ipsum, inquam, Christum, hoc est per Christi meritum. Sed quomodo per Christum nos efficiamur iusticia Dei, quærendum est. Abutũtur enim hoc loco Sectarij, quo doceant omnem nostram iusticiam qua iusti vocamur, externam esse, scilicet ipsam Dei vel Christi iusticiam; quæ nostra fiat dum nobis illam gratuitò Deus imputat; eodem (vt aiunt) modo quo Christus peccatum siue peccator factus est, non iniusticia sibi inhærente, sed imputatione nostrorum peccatorum, *quæ ipse pertulit in corpore suo super lignum*, 1 Petri 2. Deo videlicet iuxta prophetam *in eo ponente iniquitatem omnium nostrũm*. Verùm huiusmodi intellectus à mente Sãctorum Patrum & orthodoxorum interpretum, prorsus est alienus. Etenim Dei iusticiam nobis attributam B. Aug. passim exponit eam quæ in nobis est non à nobis sed à Deo; id est, quam nobis internam & inhærentem, ex Dei gratia habemus. Loca sunt lib. de spiritu & litera cap. 9 & 18, tractatu 26 super Ioannem, sermone 15 de verbis apostoli cap. 1. in enarratione psalmi 98 ad versiculum, *Iudicium & iusticiam in Iacob tu fecisti*, & lib. 3 contra duas epistolas Pelagianorum cap. 7. Quibus locis disertè explicat, quemadmodum eadem vocetur iusticia Dei & nostra: Dei, quia à Deo est, nostra verò, quia in nobis: Dei, quia Deus eam donat; nostra, quia nos eam recipimus. Quem eundem sensum pluribus prosequitur in epistola seu libro de gratia noui testamenti ad Honoratum cap. 30, vbi inter cætera rem declarat ex scriptura simili: *Sicut* enim, inquit, *quod legitur* psalmo 3, *Domini est salus: non ea salus intelligitur, qua Dominus saluus est; sed qua salui sunt quos ipse saluos facit: sic cum legitur Dei iusticia* (citat autem locum Rom. 10, *Ignorantes Dei iusticiam*, &c.) *nõ est illa intelligenda, qua Deus iustus est: sed qua iusti sunt homines quos gratia sua iustificat*. Hæc ille. Nec aliter ferè Græci & Latini commentatores: nisi quod iusticiã Dei nonnulli interpretantur eam quæ coram Deo iusticia est: vt nimirum hæc sit notatio veræ iusticiæ. Quem sensum huius apud Paulum locutionis admodum esse probabilem, ostendimus in expositione epistolæ ad Romanos cap. 1 vers. 17, & cap. 3 versu 21, & cap. 10 versu 3. Quanquam hic sensus a priore non dissidet. Nam ea demum coram Deo, id est vera, iusticia nostra est, quam in nobis Deus ipse facit: cui nihil placere potest, nisi quod suum est. Itaque sentit apostolus, Christum pro nobis factũ esse peccatum, vt nos per eum verè iusti efficeremur, ea nempe iusticia, quę Deo probata sit: vt hinc vel maximè refellatur imputatiuæ iusticiæ commentum. Neque verò quia Christus sola reputatione peccator fuit; ideo consequens est etiam nos sola reputatione iustos fieri. Nam nec decuit nec fieri potuit, vt Christus veram iniusticiam in se reciperet; & si recepisset haudquaquam fuisset idoneus ad satisfaciendum Deo pro nostris peccatis. Iniusticia namque satisfactioni contraria est; & alia rursus satisfactione indigeret. Christus igitur cum iniquis reputatus, & pro nobis factus maledictum, in cruce; dum verè sustinuit pœnam nostris peccatis debitam, (*Verè enim languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*, Isaiæ 53.) veram quoque iusticiam nobis promeruit; qua nimirum verè & propriè secundum internam animi rectitudinem iusti essemus. Nec tamen dixit apostolus, vt nos efficeremur iusti à Deo, siue coram Deo; sed, *iusticia Dei*: vel propter antithesim expressiorem inter peccatum & iusticiam; vel secundum Chrysostomum & Theophylactum, *vt excellentiam gratiæ ostenderet*; qua scilicet ita perfectè quis iustificatur, vt nullus in eo nævus, nullaue macula peccati iam inueniatur. Quæ expositio respondet acceptioni peccati in priori membro. Verùm illa iusticiæ perfectio quæ omnem peccati maculam excludat, non huius est sæculi sed futuri. Si quis contendat vtroque membro reputationem significari: non valde refragamur, dummodo meminerit, in priori parte reputationem hominum intelligi; qui sua opinione sæpissimè falluntur, reputantes id quod non est: in posteriori, reputationem Dei; qui falli non potest, & cuius iudicium semper est secundum veritatem. Sic igitur Christus peccator coram hominibus; qui falluntur: nos autem iusti coram Deo; qui non fallitur. Vnde ex hac reputatione qua nos Deus iustos æstimat, rursus id sequitur quod dixi, nos verè & non tantum imputatiuè iustos esse. quemadmodum plenius à nobis declaratum est ad illud Rom. 4, *Credidit Abraham Deo: & reputatum est illi ad iusticiam*.

SVMMA-

Sectariorum imputatiua iusticia reprobatur.

Dei iusticia, quæ in nobis à Deo.

Eadem iusticia Dei & nostra.

Iusticia Dei, id est coram Deo, vera.

Deo nihil placet nisi quod suũ est.

Obiectionis aduersæ solutio.

Christus verè pro nobis passus, verã nobis iusticiam promeruit.

Quo sensu nos iusticia Dei.

Christus peccator falsa reputatione hominũ: nos iusti vera reputatione Dei.

SVMMARIVM.

HOrtatur ne tempus gratiæ & salutis negligant. Ostendit se suum ministerium commendasse tam multorum malorum tolerantia, quàm vitæ integritate. Excitat ad cordis dilatationem: & reuocat à iugo cum infidelibus ducendo: quum ipsi sint templum & populus & filij Dei.

CAPVT VI.

1 ADIVVANTES AVTEM EXHORTAMVR, NE IN VACVVM GRATIAM DEI RECIPIATIS. Hæc quoque verba pertinent ad declarandum officium legatorum Christi; sicut illa præcedentis capitis, *Obsecramus pro Christo; Reconciliamini Deo.* Prosequitur enim adhuc apostolus idem argumentum. *Adiuuantes*, Græcè συνεργοῦντες, id est, *cooperantes*: quomodo legit Augustinus lib. 1. de baptismo paruulorum cap. 27. Græca sic habent ad verbum: *Cooperantes autem & exhortamur* (Augustinus, *& rogamus*: Sedulius, *& obsecramus*) *non in vacuum gratiam Dei recepisse vos*, id est, ne in vacuum gratiam Dei receperitis. Coniunctionem & habent etiam multi Latini codices mss. necnon veteres concordantiæ. Ambrosius ita legit, *Quin & adiuuantes obsecramus*: idque secutus est Erasmus. Porrò vocabulum *adiuuantes*, seu *cooperantes*, alij ad homines referunt: id est, ad Corinthios, vt Latini veteres: in quam sententiam etiam Chrysostomus est propensior. Alij ad homines & Deum, vt Theophylactus, & inter Latinos Lõbardus, Heruæus, Aquinas & Carthusianus: Alij (quod magis placet) ad Deum solummodo, vt Oecumenius, & Liranus & Caietanus. Nã simili prorsus sermone dixit in priore epistola cap. 3, Dei *adiutores* seu *cooperatores sumus*. Itaque sensus apostoli est: Cũ Deus in Christo mundum sibi reconciliauerit, causam exhibendo sufficientem reconciliationis eius ac iustificationis, in merito passionis Christi: nos apostoli, quibus à Deo datum est ministerium reconciliationis annunciandæ & exequendæ; Deo cooperantes tamquam eius ministri, cum obsecratione vos exhortamur, vt ne tantum Dei beneficium quod per nos vobis Corinthijs non modò prædicatum, verùm etiam impensum est (quippe qui illud recepistis), in vacuum & sine fructu receperitis: hoc est ne reddatis illud vobis inutile. Quod certè futurum est si in fide susceptа nõ perseueretis, aut fidē sine bonis operibus arbitremini vobis sufficere. Ita ferè exhortationem hanc de gratia Dei, ne sit in vacuum recepta, veteres exponunt. Vnde liquet non hîc intelligi gratiam siue habitualem, siue actualem animę inhærentē; vti rectè monet etiam Caietanus; sed generale illud beneficiũ reconciliationis mundi; de quo iam antè locutus fuerat apostolus: & de quo scribit ad Titum 2, *Apparuit gratia Dei Saluatoris omnibus hominibus* &c. Quod tamē beneficium, priusquam applicetur, magis in Deo intelligitur, quã in hominibus; vt hæc gratia sit benigna Dei voluntas, qua filium suũ nobis dedit propiciatorē: sicut exponimus locũ memoratum epistolę ad Titum. Quanquam & inhærens gratia in vacuum recepta rectè dicitur, quando quis in ea non perseuerat, sed peccando eam abijcit.

Gratia Dei quãdo in vacuum rẽcepta sit.

2 AIT ENIM. Subaudi, scriptura; vel potiùs, Deus. Hoc enim proximè præcessit. Et vtique Dei loquentis verba sunt quæ citantur. Ad quem verò loquatur, mox videbimus.

TEMPORE ACCEPTO EXAVDIVI TE: ET IN DIE SALVTIS ADIVVI TE. Habetur hoc testimonium apud Isaiam cap. 49, verbatim respondens tam versioni LXX interpretum (quorum ipsa verba ponuntur) quàm Hebraicæ veritati. Sunt autem apud prophetam verba Dei patris ad Christum, quibus testatur se eum exaudisse orantem pro electorum salute, eorum qui ex gentibus erant colligendi; proque eadem causa laboranti (sicut dicitur eiusdem prophetæ cap. 53, quòd laborauit anima eius) auxiliatum fuisse: idque in tempore accepto seu placito, hoc est merito omnibus acceptabili; & in quo gẽtes ad salutem vocare constituit. Apostolus autem, iuxta multorum expositionẽ, accommodat eum locũ Deo promittenti exauditionem & auxilium hominibus; si opportunitatẽ temporis à se concessi, quo salus ipsis paratur, non negligant, & gratiã Dei non in vacuum recipiant. Verùm nulla necessitas est sensum propheticum mutandi. Siquidem potest & apostolus ad hunc modum exponi; *Dicit enim*, scilicet Deus Pater ad Filium incarnatum, *Tempore accepto exaudiui te*, &c. quomodo nunc exposita sunt. Quorsum verò hunc Patris sermonem ad Filium adducat ex propheta; declarat verbis subiunctis.

ECCE NVNC TEMPVS ACCEPTABILE; ECCE NVNC DIES SALVTIS. En, inquit apostolus, tempus illud acceptabile & salutiferum, de quo Deus Pater verbis prophetę memoratis locutus est ad Filium, nunc est, nunc aduẽnit, iamque vobis annunciatum est: & propterea vos exhortamur, ne committatis vt gratiam hanc in vacuum receperitis. Porrò satis apparet, acceptum, & acceptabile, non ad Deum, vt quidam volunt, sed ad homines referendum esse; & explicari per diem salutis. Sic enim tempus illud vocatur hominibus acceptum, id est dignũ quod cum plausu & exultatione ab omnibus acceptetur ac suscipiatur; vtpote mũdo salutẽ adferẽs (id quod expressius significatur per vocẽ *acceptabile*): quomodo Christus ipse vocatur *exspectatio gentiũ*, Gen. 49, & *desideratus cũctis gẽtibus*, Aggæi 2. non quòd gentes eũ aut exspectarint aut desiderauerint, (Neque enim promissus

aut prænunciatus fuerat gentibus) Sed quia gentium futurus erat Saluator; ideoque ab illis meritò cum ingenti desiderio exspectãdus. Notandum quoque, pro accepto & acceptabili, diuersa esse in Græco vocabula, δεκτὸς, εὐπρόσδεκτος; quorum posterius auget significatum prioris: quasi dicat apostolus; Ecce nunc tempus, non dico acceptum, sed acceptissimum: & (vt alibi loquitur, de eodem mysterio salutis agens) *omni acceptione dignum*, 1. Timo. 1. Præsentem locum ab his verbis, *Ecce nunc tempus acceptabile*, vsque ad versum 12, transcripsit Augustinus in lib. 4. de doctrina Christiana cap. 20, vt hoc exemplo doceat apostolo Paulo non defuisse facultatem magna grãditer & ornatè eloquendi: Quod in oratore suo Tullius requirit. Certè res ipsa clamat, totam hanc orationem, seu genus dicendi, seu sermonis ornatum spectes, cum materia proposita pulcrè conuenire.

Grandiloquentia Apostoli.

3 NEMINI DANTES VLLAM OFFENSIONEM. Græcè *nullam in quoquam dantes offensionem*. Et hoc modo legit Augustinus loco proximè citato: necnon lib. 8 de Trinitate cap. 9. tametsi cum nostro interprete, qui præpositionem ἐν non videtur legisse, consonat textus Ambrosianus. Pendet hæc pars ab illa, *Adiuuantes autem exhortamur ne* &c. Quare totum hoc intermedium, *Ait enim* &c. notis parentheticis secludunt multi codices. Participium *dantes* sunt qui construant cum verbo *recipiatis*; at minus rectè. Non enim hæc quæ sequuntur, ad Corinthios aut quoslibet fideles referenda sunt, tamquam exhortationes & præcepta vitæ; sed ad ipsum Paulum, ac cæteros quos habebat euãgelij prædicandi collegas. Postquam enim satis exposuit in superioribus excellentiam sui ministerij; nunc de se suisque euangelij socijs sermonem prosequens, ostendit qua integritate & patientia in eo ministerio versentur: simul in ea te describens formam boni & fidelis euangelistæ. Dicit ergo; Officium nostræ legationis exercemus; sedulò cauentes ne cuiquam in vlla re simus offendiculo, ne quem verbo aut facto scandalizemus. Id quomodo præstiterit apostolus Paulus, à multis etiam licitis abstinendo, *ne quod offendiculum daret euangelio Christi*; probant ea quæ scribit in priore epistola ad Corinthios cap. 9.

Forma boni concionatoris

VT NON VITVPERETVR MINISTERIVM NOSTRVM. ἵνα μὴ μωμηθῇ ἡ διακονία, *vt non reprehendatur* ministerium; absque pronomine. Sensus enim est; Vt ministerium euangelicæ prædicationis, cuius excellentiam suprà demonstraui; non reprehendatur, non infametur, nõ male audiat apud homines. Quod futurum esset, si nos qui illo ministerio fungimur, non caueremus ab offendiculis.

4 SED IN OMNIBVS EXHIBEAMVS NOSMETIPSOS SICVT DEI MINISTROS. Græcè, *Sed in omnibus commendantes nosipsos, vt Dei ministri.* Consentit Ambrosianus; nisi quod pro *commendantes*, habet *commendemus*, si non est mutatum errore scribæ. Nam Augustinus locis antè citatis & alibi, *commendantes* legit: quemadmodum & Cyprianus, seu quisquis author, libro de singularitate clericorum. Nam & verisimile est, in nostra versione participium mutatum in verbum, *exhibentes* in *exhibeamus*, occasione eius quod in officio ecclesiastico Dominicæ 1 Quadragesimæ (vbi locum hunc totum ad omnes fideles ecclesia accommodat) exhortandi modo recitatur. Alioquin apud apostolum non exhortatio est, sed narratio; sensum habens huiusmodi: Quin contra potius in omni re (quod Græcè est, ἐν παντὶ, id est variè, multipliciter) nosipsos exhibentes & commendantes hominibus, tamquam Dei ministri; id est, vti facere conuenit Dei ministros; quorum est non suam sed Dei gloriam, cuius ministri sunt, & cuius in conspectu versantur, in omnibus spectare. Quod dixit *in omnibus*, iam deinceps in partes distribuit.

IN MVLTA PATIENTIA. Græcè ἐν ὑπομονῇ πολλῇ, *in sustinentia* seu *patientia multa*: siue latinius, per *patientiam multam*. significatur autem vel magna patientia, vel potius patientia multorum malorum quæ passim euangelij ministris inferebantur: ad quæ toleranda nihilominus opus erat magna patientia. Ponit autem à capite patientiam; quòd hæc virtus euangelij ministris sit imprimis necessaria; quodque per eã veri ministri probentur, ipso testante Rom. 5, quod *patientia probationem operatur*. Subtexit autè consequenter ea mala siue aduersa, numero nouem, quibus exerceri dicit suam suorumque patientiam.

Patientia probat verum ministrũ Dei.

IN TRIBVLATIONIBVS, IN NECESSITATIBVS, IN ANGVSTIIS. Subaudi, tolerandis. Differunt hæc tria, ceu gradibus quibusdam inter se: quòd tribulationes seu pressuræ, θλίψεις sint qualescumque afflictiones, etiam vulgares & quotidianę: necessitates, ἀνάγκαι, graviores: angustiæ, στενοχωρίαι, grauissimæ; qualem descripsit huius epistolæ cap. 1. Colligitur hoc discrimen partim ex Theophylacto, partim ex Oecumenio: licet alij aliter distinguant. Indigentias significari per necessitates, vt quidam volunt; non est verisimile. Vix enim Græca vox eum vsum habet.

5 IN PLAGIS. Id est in verberibus quibus corpus læditur, ferendis. Quas plagas tulerit Paulus, commemorat ipse plenius infrà cap. 11.

IN CARCERIBVS. & hoc infrà de se repetit cum exaggeratione, dicens cap. 11. *in carceribus abundantiùs*.

IN SEDITIONIBVS. Id est, in sustinendis tumultibus populi passim aduersùm nos seditiosè concitatis, potissimùm à Iudæis. Exempla sunt in actis apostolorum cap. 13. 14. 16. 17. 18. 19. Ambrosiaster legit, *in perturbationibus*, eandemque vocem exponit. Porrò Theophylactus & Oecumenius Chry-

sostomum

ſoſtomum ſecuti, non ſeditiones ſignificari putant; ſed inſtabilitates: vt quando quis perſecutionibus exagitatus, non ſinitur vno loco conſiſtere, ſed identidem locum mutat. Vnde ait in prima epiſtola, cap. 4. *Inſtabiles ſumus*. Verùm illic Græcè eſt ἀϛατοῦμεν: hîc autem verbale nomen ab illo diuerſum ἀκαταϛασία: quod etſi in numero ſingulari ſignificet inconſtantiam ſeu inſtabilitatem; haud ſcio tamen an in plurali reperiatur ea ſignificatione. Seditiones autem plurali numero ſignificari, vel ex ſcriptura clarum eſt; vt Luc. 21, Cùm audieritis *prælia & ſeditiones*. Et huius epiſtolæ cap. 12, *ne fortè ſeditiones ſint inter vos*. Quin & in priore epiſtola cap. 14 verſu 33, & Iacobi 3 verſu 16, quibus locis in ſingulari legitur ἀκαταϛασία, quam interpres modò diſſenſionem, modò inconſtantiam vertit; non inſtabilitas loci ſignificatur, ſed hominum contētioſorum inter ſe tumultuatio. Quare multo probabilius eſt, etiam hoc loco ſeditiones ſeu tumultus populares intelligi debere.

IN LABORIBVS, IN VIGILIIS, IN IEIVNIIS. Scilicet euangelij cauſa toleratis: aut etiam ſponte ſuſceptis, vt exponunt Chryſoſtomus, Theophylactus & alij. Num verò reſpiciat ad laborem manuū, de quo dixit cap. 4 prioris epiſtolæ, *laboramus operantes manibus noſtris* (quod ijdem exiſtimant) incertum eſt. Conſtat autem eum alios grauiores labores propter euangelium ſuſtinuiſſe; de quibus ait infrà cap. 11, *In laboribus plurimis*. Hactenus ea recenſuit apoſtolus quibus exercetur patientia, quam primam nominauerat. Nūc cætera proſequitur, per quæ ſe ſuoſque euāgelij collegas exhibere dicit ſemetipſos vt Dei miniſtros.

6 IN CASTITATE, Græcè ἐν ἁγνότητι, *In puritate*. Hentenius, *In ſinceritate*. Vox Græca communis eſt ad caſtitatem, & eam virtutem qua quis à cupiditate munerum alienus eſt. Quod quidem Paulus adeò præſtitit, vt apud Corinthios citra ſumptum eorum, prædicarit euangelium. De vtraque virtute Græci interpretantur; admonentes tamen generaliter intelligi poſſe puritatem in omnibus ſeruatam: Quod & nobis probatur. Ceterū, *in puritate*, id eſt per puritatem: & ita in conſequentibus.

IN SCIENTIA. Chryſoſtomus eiuſque ſequaces ſapientiam diuinam ſignificari putāt, oppoſitam humanæ philoſophiæ ac ſapientię ſæculari, qua inflati erant pſeudapoſtoli. Theodoritus doctrinam intelligit, hoc eſt docendi ſtudium. Rurſus alij prudentiam; alij denique ſcientiam, cuius fit mentio Rō. 10, cum dicit de quibuſdam, *quòd æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam*: Qui vtique erant Iudæi & Iudaizantes. Verùm illic non eſt γνῶσις. vt hoc loco, ſed ἐπίγνωσις. Veriſimile eſt apoſtolum de ſcientia loqui, quam in priore epiſtola cap. 12 & 13, numerauit inter chariſmata ſpiritus ſancti. Nam illius ſcientiæ maximus erat vſus ad docendum imperitos & imperfectos. Sapientiam verò hîc tacuit; quia non paſſim apud quoſlibet, ſed tantùm inter perfectos ſapiētiam loquebatur, vt ait 1 Cor. 2.

IN LONGANIMITATE. Id eſt, *animi lenitate*. Virtus eſt qua illatæ ab alijs iniuriæ æquo animo feruntur. Quò pertinet illud 1 Cor. 4, *maledicimur, & benedicimus*.

IN SVAVITATE. ἐν χρηϛότητι, in benignitate, vt ferè vertunt neoterici: quemadmodū & habet textus Ambroſianus, & tranſlatio qua vſus eſt Auguſtinus, lib. 4 de doctrina Chriſtiana; quamuis idem in 8 de Trinitate legat in bonitate. Significatur autem comitas & facilitas qua quis aliorum moribus, quantum licet, ſeſe accommodat; aſperitati morū oppoſita. Hanc in ſe virtutem pluribus verbis apoſtolus commendat prioris ep. c. 9. vbi demum ita concludit, *Omnibus omnia factus ſū, vt omnes facerem ſaluos*.

IN SPIRITV SANCTO. Græci referunt hoc ad ſuperiora; quaſi dicat apoſtolus: Ad ea præſtanda quæ commemorauī, Spiritus ſanctus nobis auxiliator fuit; Addit Theophylactus, intelligi poſſe dona ſpiritualia, per quæ documentum dabant apoſtoli ſe veros eſſe Dei miniſtros. Qui ſenſus non eſt improbabilis: vt hęc pars per ſe ſit poſita; ſicut & aliæ; & hunc ſenſum habeat, Feruorem Spiritus ſancti quo agimus, opere manifeſtamus etiam per varia chariſmata quæ nobis largitus eſt; vti ſunt donum linguarum, prophetiæ, ſanitatum, &c.

IN CHARITATE NON FICTA. Græcè ἀνυποκρίτῳ, *non ſimulata*, vt legit Ambro. Eadem noſtro interpreti vocatur *dilectio ſine ſimulatione*, Rom. 12. Senſus eſt, Non ſolis verbis charitatem oſtendimus, quod faciunt qui fictè amant, ſuis commodis intenti: ſed ipſis factis eam præſtamus, ſalutem hominum vnicè quærentes, etiam cum noſtro detrimento & periculo. Hac enim re dilectionem ſuam erga Corinthios multipliciter probat infrà cap. 11 & 12, vbi illud demum adiungit: *Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos*. Loquitur autē de actu charitatis, non de habitu, Notatque pſeudapoſtolos *in aſtutia ambulantes*, vti ſuperiùs dixit cap. 4.

7 IN VERBO VERITATIS. Id eſt, Veritatem euangelicam apertè & ſincerè prædicantes. Hoc quoque ponit ad diſcrimen pſeudapoſtolorum, *adulterantium verbum Dei*: quo nomine eos notauit ſuprà cap. 2 & 4. Quæ duo loca pro commentario ſunt huius partis.

IN VIRTVTE DEI. Græcè, ἐν δυνάμει θεοῦ, *In potentia Dei*. Græci referunt etiam hoc ad præcedentia; tamquam dicat apoſtolus (ait Theophylactus); *Nihil* horum quæ dixi, *meum eſt: ſed hæc omnia in virtute & potentia Dei facta ſunt*. Addit idem author, intelligi poſſe virtutem Dei quæ oſtenditur per miracula. Sic enim Rom. 15, cùm de fructu euan-

gelij à se prædicari loqueretur apostolus, adiecit: *in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti.* Et 1 Cor. 2, sermonem suum fuisse dicit, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.* Græcorum sententia videtur probabilior. Confer suprà, cap. 4. ad illud, *Vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.* Vnde videtur referendum ad præcedens, scil. In verbo veritatis: nec videtur exponendum de virtute miraculorum; nam solet eam significare per operationem Spiritus sancti; vt Rō. 15. Significat ergo quòd verbum veritatis in quo laborat, sit efficax & fructuosum per virtutem Dei. Pelagius *virtutem Dei* virtutem legis interpretatur, iuxta suam hæresim; constituens gratiam Dei in lege & doctrina. Inhæremus igitur sensui illi Græcorum communi. Pro expositione autem Theophylacti propria quæ scripturæ sunt allatæ, magis faciunt pro secunda expositione paulo antè data illius particulæ, *In spiritu sancto.* Confer quæ diximus ad illud Rom. 1. *Secundum spiritum sanctificationis.*

PER ARMA IVSTICIÆ A DEXTRIS ET A SINISTRIS. Græcè, dextra & sinistra; construuntur enim cum substantiuo *arma:* Sicq; legit Augustinus in expositione psalmi 92 & 93. Quidam arma iusticię interpretantur opera virtutum, propterea quod Ephes. 6, armaturam militis Christiani per virtutes describat apostolus; A dextris autem & sinistris, idem valere putant quod vndique & omni ex parte: vt sensus sit, Commendamus nosmetipsos vndequaque per opera virtutum omnis generis. At sciendum, per arma generaliter instrumenta posse intelligi, secundum quod apostolus ad Rom. 6. scribit, *Ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed arma iusticiæ Deo.* Dextera verò & sinistra conuenienter intelliguntur prospera & aduersa. Id quod sua versione exprimere voluit Stapulensis, ita vertens, per arma iusticiæ secundorum & aduersorum. Vnde & in extremo iudicio oues à dextris, hędi autem à sinistris collocandi dicuntur Matth. 25. Rectè igitur plerique tam Græci quàm Latini, partem hanc ita exponunt, Declaramus nos Dei ministros in prosperis & aduersis; dum vtrisque vtimur velut instrumentis virtutum. In prosperis, exhibentes nos temperantes & humiles; in aduersis, patientes & fortes: in vtroque genere immobiles à rectitudine iusticiæ. Iusticiam verò generalem intelligit, vt alibi. confirmant & explicant hunc intellectum membra sequentia; quibus alia dextra, alia sinistra nominantur.

8

PER GLORIAM, ET IGNOBILITATEM. Græcè, ignominiam, id est contemptum, qui gloriæ opponitur.

PER INFAMIAM, ET BONAM FAMAM. Quasi diceret, per maledicta & laudes. Sensus est, Siue honore siue ignominia nos afficiant homines; siue bene de nobis loquātur, siue malè: semper tenemus rectum iusticiæ cursum; ab integritate & sinceritate ministerij nostri præstanda, non discedimus. Bene S. Thomas admonet nemini licere dare causā infamię suæ; sed vnumquemque debere bonam famam sibi procurare, iuxta illud Ecclesiastici 41, *Curam habe de bono nomine.* Cæterùm si quem contingat infamari; æquo & forti animo id ferendum vt alia aduersa.

VT SEDVCTORES, ET VERACES. Duo sinistra posuerat, ignobilitatem & infamiam; ea deinceps explicat enumeratione quadam malorum apparentium quæ ignominiam aut infamiam adducebant; quibus tamen è diuerso vera bona singulis opponit: vt hac etiā ratione ministrorum euangelij tum integritatem, tum dignitatem commendet. Notandum itaque comparationis aduerbium vt, vel sicut, per omnes partes sequentes similitudinem & apparentiam dumtaxat, non veritatem significare; Nam veritas significatur posteriori membro cuiusque partis. Quod & Thomas in fine harum sententiarum obseruauit, dicens apostolum ideò similitudinis aduerbijs vti, quia in rei veritate non sic erat, sed in opinione hominum. Quod olim monuerat S. Aug. in psal. 48. Conc. 2. Porrò ad infamiam pertinet quod primo loco dicit, *Vt seductores,* siue *impostores,* id est errorum magistri. tales enim habebantur Paulus & socij eius à multis, maximè à Iudęis; qui & Christum Dominum vt seductorem infamarunt, Matth. 27. Quod autem sequitur, *Et veraces,* aduersatiuè dicitur. Vnde Ambrosius loco coniunctionis *&*, in hoc membro & tribus sequentibus, *sed*, legit; quod imitatus est in sua versione Hentenius. Erasmus aduersitatem ita reddidit; *Et tamen veraces*; eodemque modo in sequentibus. Sensus est, At falsò tales reputati, vt qui reuera veraces simus, veritatem prædicantes diuinitus acceptam, id est, ipsum Dei verbum.

SICVT QVI IGNOTI, ET COGNITI. Ad ignobilitatem pertinet hoc cum sequentibus. In Græco participia sunt præsentis temporis. Augustinus per verba legit, vtroque loco dudum citato. *Vt qui ignoramur, & cognoscimur.* Sensus; Multis videmur incogniti, & contemptibiles ac nullius precij homines: At reuera cognoscimur, & in precio habemur apud omnes probos ac pios, qui ministerij nostri excellentiam agnoscunt.

QVASI MORIENTES, ET ECCE VIVIMVS. 9 Id est, propter quotidiana pericula, in quibus euangelij causa versamur, videmur assiduè mori, semper sumus tamquam morti proximi & iamiam morituri; at reuera non morimur, sed (quod est admiratione dignum) Dei prouidentia huc vsque seruamur in vita. Tale est quod cap. 4 dixit, *Deijcimur, sed non perimus.* Et iterum: *Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum.* Qui locus hunc illustrat.

VT CASTIGATI, ET NON MORTIFICATI.

Rursus

Rursus in Græco præsentis temporis participia sunt; ὡς παιδευόμενοι, καὶ μὴ θανατούμενοι. Quod ita rectè vertas, vt qui castigamur, sed non occidimur. Mirum verò pro *castigati*, Ambrosianum legere & exponere *tentati*, præter authoritatem Græcæ lectionis: Rectius Augustinus, *coërciti* legit. Plerique partem hanc non de apparentia, sed rei veritate exponunt, hoc sensu, Corripimur à Deo, sed non occidimur; iuxta illud psal. 117, *Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Nam & apostolus generaliter pronunciat Heb. 12, *Quem diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit.* Et iterum, *Quis filius quem non corripit pater?* Verùm nihil est necesse partem hanc dissimiliter à prioribus interpretari. Potest enim conuenienter accipi de castigatione quæ fit ab hominibus; quemadmodum Caietanus exponit sanè probabiliter, vt sit sensus: Videmur castigari, quando flagris cædimur à magistratibus velut malefactores, & publicæ pacis perturbatores: Sed ad declarationem innocentiæ nostræ, factum est diuinitus, vt inter tot persecutiones & supplicia, nondum simus occisi. Dico, videmur; quia reuera nō castigatur aut coercetur, qui flagellatur immeritò; sed tantùm ibi similitudo castigationis est; quemadmodum fuit in Christo, de quo Pilatus, eum flagellaturus, dicebat ad Iudæos, *Emendatum*, id est *castigatum*, illum dimittam. Luc 23. Nam ibi Græcè idem est verbum, quod hoc loco. Videndum an possit sic intelligi, Vt à Deo per malos homines persecutores nostros castigati, non tamē mortificati; quia Deus nondum permisit ijs in nos vsque ad mortem sæuire, vt sit allusio ad versum allegatū ex psal. 117. Quod satis probabile est. Nam cur alioqui vteretur apostolus verbo castigandi? ad Hebr. cap. 12, castigationem diuinam intelligit, quæ tamen fiat per homines malos & fidei persecutores. vnde dicit eis eodem c. *Nondum vsque ad sanguinem restitistis.* Et ita pars hæc non exponetur dissimiliter communi ferè omniū expositioni: quia castigatio hæc fit per homines, nescientes tamen quid Deus per ipsos agat. Ita Deus populum suum quondam castigauit per varios hostes; vt Philistæos, Syros, Assyrios, Chaldæos.

10 QVASI TRISTES, SEMPER AVTEM GAVDENTES. Tristes, Græcè, dolentes. Sensus est: Propter mala quæ patimur, sumus quasi dolentes, & mœrore affecti; sed reuera semper in Domino gaudemus. Hinc de apostolis dicitur Act. 5 quòd *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati.* Et generale præceptum est Iacobi 1, *Omne gaudium existimate, cum in tentationes*, id est tribulationes, *varias incideritis.* Et ipsius Pauli, *Gaudete in Domino semper*, Philip. 4. Itaque gaudiū illud internum sanctorum facilè prævalebat dolori quem ex pressuris & contumelijs percipiebant; vt simpliciter non dolentes sed gaudentes dici debuerint.

SICVT EGENTES, MVLTOS AVTEM LOCVPLETANTES. Ambrosianus, Vt pauperes, multos autem ditantes. Nam in Græco non est, *egentes*, participium, sed nomen pauperes; siue quomodo legit Augustinus, *egeni.* Sumus, inquit, similes egenis; Putamur esse pauperes, sed falsò; quia multos ditamus; vel bonis spiritualibus per ministeriū verbi, velut ipsos Corinthios, quibus scribit 1 epistolæ c. 1. *In omnibus diuites facti estis, in omni verbo & in omni scientia*: Vel bonis temporalibus, quia dum hortamur ad largitatem eleemosynarum, vt in hac ipsa epistola cap. 8 & 9; bona diuitum facimus pauperum esse communia, iuxta illud 1 Timoth. 6, *Diuitibus huius sæculi præcipe facilè tribuere, communicare.* Ita Paulus ditauit pauperes sanctos qui erant Ierosolymæ, quando per ecclesias Achaiæ & Macedoniæ collectas indixit, ad subueniendum eis; quas & ipse Ierusalem pertulit. Vtriusque sensus meminerunt tam Græci quàm Latini interpretes; tametsi posterior magis videtur esse literalis. Idemque iudicium est de parte sequenti. Nam alioqui non constaret antithesis inter membra. Quamuis autē apostoli reuera pauperes fuerint, omnibus propter Christum relictis, & interdum quoque inediam & penuriam paterentur; Vnde ait infrà cap. 11, *In fame & siti, in frigore & nuditate*: non tamen eo modo pauperes erant quo putabantur, quia neque inuiti patiebantur pauperiem, neque deerant fratres quorum liberalitate ad omnem necessitatem suam vterentur quando vellent. Quod patet infrà eodem cap. 11. vbi dicit: *Cum essem apud vos & egerem, nulli oneerosus fui; Nam quod mihi deerat, supplerunt fratres qui venerunt à Macedonia.* Vnde adhuc sequitur,

TAMQVAM NIHIL HABENTES, ET OMNIA POSSIDENTES. In Græco iucunda paranomasia est, in vocabulis (habētes) & (possidentes) ἔχοντες, κατέχοντες; quā latina interpretatio reddere nequit. Erant apostoli & euangelici ministri tamquam nihil habentes; quia postquam reliquerant omnia propter euangelium, similes erant ijs qui ita nihil habent vt & re & ope destituti sint; atque vt tales reputabantur: & tamen reuera possidebant omnia, quia omniū piorum ædes eis patebant, omniumque possessiones ad vsum eis cedebant. Vnde Paulus confidenter scribit Philemoni, *para mihi hospitium.* Simile est quod scribit ad Philip. 4, *Habeo autem omnia, & abundo.* Nimirum hoc erat quod Christus promiserat omnia propter se relinquentibus, Marci 10 & Luc. 18, nempe eos multo plura, & quidem centies tantū, recepturos in hoc tempore, domos & fratres & sorores & matres. eam quippe Domini promissionem per hunc apostoli locum exponit Augustinus epistola 89 ad Hilarium. Vide hoc loco Commentarium Bedæ ex

Aug. ſumptum. Huc quoque pertinet illud prouerb. 17. ſecundum 70. Hieronymo citante ſub finem epiſtolę 103 ad Paulinum, *Credenti totus mundus diuitiarum eſt.* Quod & apud Aug. legitur in pſal. 48. & Tract. 117 in Ioan. Idem ex hoc loco ſecundum ſententiã docet apoſtolos votum paupertatis feciſſe, in pſal. 10; conc. 3. ad illud, Illic paſſeres nidificabunt. Eadem nimirum tradit quę ex illo poſtea Gregorius hom. 5. in euang. Apoſtolos etiam deſideria habendi reliquiſſe. Obiter annotandum in ſeptem membris iam explicatis, Græcè ſemper idem eſſe ſimilitudinis aduerbium ὡς, quod interpreti noſtro libuit quatuor diuerſis vocabulis reddere, *vt, ſicut, quaſi, tamquam*. Sed bene annotat Valla feſtiuitatem hanc Interpretis in variandis dictionibus, non habere tantum decoris, quantum habet Græca ſimplicitas, id eſt, Paulina oratio, ſublimis & eiuſdem dictionis in principio ſententiarum repetitione, vrgens; quã figuram rhetores Epanaphoram vocant. De ornamentis dicendi, ac de ardore orationis qui eſt penè toto hoc capite, videatur S. Aug. De doctr. chriſt. lib. 4. c. 20.

11 OS NOSTRVM PATET AD VOS, Ô CORINTHII. Poſt generalem ſermonem quo demonſtrauit integritatem & patientiam miniſtrorum nouæ legis; nunc ſpeciatim Corinthios alloquitur, conteſtans ſuum erga eos affectum; vt hac quaſi præfatione molliat aſperitatẽ admonitionis & correptionis ſubſequentis. *Os noſtrum*, inquit, *ô Corinthij*, apertum eſt ad vos, vel erga vos; ſcilicet ad loquendum liberè vobiſcum, & plenè vos inſtituendos. q. d. Non poſſum filere, & pro ſalute veſtra vos non cõmonefacere, & quia ex abundantia cordis, os loquitur; ideo ſubdit,

COR NOSTRVM DILATATVM EST, per charitatem; vt multi interpretantur. Ita repetendum erit illud, *ad vos*, vt ſenſus ſit: Cor noſtrum ingenti quodam affectu charitatis erga vos expaſſum eſt; Sinus cordis noſtri latiſſimè patet ad vos, quos diligo, complectendos. Poteſt etiam intelligi dilatatio cordis per affectum gaudij; ſicut apud Iſa. 60, *Tunc mirabitur & dilatabitur cor tuum.* Quo etiam ſenſu rectè accipitur illud pſalmi 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*, id eſt poſtquam à preſſura tribulationis cor meum gaudio recreaſti, quãuis & hoc alij de charitate cor dilatante accipiant. ſimile & illud pſalmi 4. *In tribulatione dilataſti me*: vt habet pſalterium Romanũ ex Græca verſione LXX interpretum. Sanè de gaudio iam antea dixerat apoſtolus, *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes*: & repetit ſequenti capite, *Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Vult enim ſuo gaudio lenire triſtitiam Corinthiorum; Vnde ſtatim pòſt, dicit, *Dilatamini & vos.* Quare dilatationem gaudij potius quam charitatis hîc ſignificatam puto; præſertim quòd ea phraſis in ſcriptura magis ad gaudium ſoleat pertinere. Verùm iuxta hunc intellectum non erit ex priori parte repetendum, *ad vos.* Vtrique porro ſenſui poteſt accommodari quod ſequitur,

12 NON ANGVSTIAMINI IN NOBIS, ANGVSTIAMINI AVTEM IN VISCERIBVS VESTRIS. Indicatiuus ſermo eſt, non præceptiuus, vt ex Græco bene probat Eraſmus. Verbum Græcũ hîc refert apoſtolus ad anguſtiã animi, quod ſuprà. c. 4. ad corporales apoſtolorum preſſuras retulerat. Eſt autem ſumpta metaphora ab ijs quorum præcordia cõſtringuntur, vt ęgrè reſpirare queant, ſibique videantur præfocari. Senſus eſt: Quod anguſtiam patimini, quod triſtes eſtis & compreſſo corde, non ex nobis id prouenit, qui vobis ex charitate quàm optimè volumus, & in quibus exemplum habetis gaudij ſpiritualis; ſed eius anguſtię cauſa eſt *in viſceribus veſtris*, id eſt *in vobis*; vt refert hunc locum Hilarius in enarratione pſalmi 118, Nam intra vos sũt qui vos conturbant & mœrore cor veſtrum conſtringunt. Videtur enim reſpicere apoſtolus tum ad fornicarium quem Satanæ tradiderat, cuius cauſa valde fuerant contriſtati Corinthij, poſtquam erant ab apoſtolo admoniti, quemadmodum liquet ex præcedẽtibus huius epiſtolæ, & rurſum ex capite ſubſequenti; tum ad alios multos qui nondum egerant pœnitentiam ſuper grauibus quibuſdam peccatis; quòs notat in fine cap. 12. Græci verò ſenſum reddunt huiuſmodi, Cùm cor meum ampliſſimè ad vos pateat per dilectionem; non vtique habetis locum anguſtum in nobis, ſiue in corde noſtro, quamuis tot tantiſque ſitis: At in cordibus veſtris anguſtiam multam patimini, vt me qui vnicus ſum, vix capiatis, q. d. Ego quidem valde vos diligo: vos autem non perinde multum me diligitis; ſed anguſto loco cordis veſtri me habetis. Cum quo ſenſu conuenit, quod infrà dicit, cap. 12, *Licet plus vos diligens, minus diligar.* Verùm prior expoſitio magis inhæret contextui. Nam anguſtiæ ſeu mœroris causã ex ipſis Corinthiorum viſceribus natã mox aperit, vbi de iugo non ducendo cum infidelibus eos ſincerè admonet. Et, iuxta hunc Græcorum ſenſum dicere debuiſſet, Ego anguſtior, (id eſt anguſtè habito) in viſceribus veſtris, vel, in cordibus veſtris.

13 EANDEM AVTEM HABENTES REMVNERATIONEM, TAMQVAM FILIIS DICO, DILATAMINI ET VOS. *Remunerationem*, Græcè ἀντιμισθίαν. Id eſt, *mercedis retributionem*, vt habet Ambroſianus textus. Participium *habentes* in Græcis abeſt; videtur autẽ ſupplẽdæ ſententiæ gratia additũ ab interprete, tã noſtro quàm eo cuius verſione vſus eſt Ambroſius. Græci quidam ſupplent verbum, *adferte*, vt ſit ſenſus: Eandem remunerationem, id eſt, compenſationem & æqualitatem amoris vos quoque adferte: prębete viciſſitudinem charitatis, ſicut cor meum ad vos dilatatum eſt, ita viciſſim cor veſtrum dilatate erga me.

Id au-

Id autem vobis dico tanquam filijs, quos oportet non segniter patrem redamare. Alij, inter quos Chrys. sine huiusmodi supplemẽto sic exponunt; Eandem amoris retributionem vobis, tanquam filijs, dico, id est, iniungo, eamque à vobis vt pater à filijs exigo; dicens: *Dilatamini & vos*: mutua scilicet erga me charitate. Porrò iuxta priorem expositionem sententiæ præcedentis, quam nobis probabiliorem diximus, hic erit sensus: Eandem remunerationem quam ex laboribus euangelij causa susceptis ac fideli ministerio, nos percipimus, dum in perpetuo gaudio sumus, licet tristes hominibus videamur; vobis quoque, tanquam filijs, annuncio ac dico; *Dilatamini & vos*, interno gaudio Spiritussancti. sicut alibi, *Gaudete in Domino semper*. Volo enim vos filios meos participes esse mercedis & gaudij nostri; Quod vt fiat; amputate causas malorum, quæ vobis tristitiam pepererunt. Hinc ergo sequitur.

14 NOLITE IVGVM DVCERE CVM INFIDELIBVS. Potest ex Græco significantius hoc modo reddi, Ne sitis iugo copulati cum infidelibus. Significat autem verbum Græcum iugi imparitatem & inclinationem in alteram partem. Quod diligenter expendit Theophylactus, vnde & vocantur imparia connubia, quibus contingit alterum coniugem ob potentiam, nobilitatem, opesúe alterius, grauari. Tale autem iugum est hominis fidelis cum infideli; propter imparitatem ac distantiam personarum quoad religionem, quã cultus disparitatem vocant. At quæres quid sit iugum ducere seu iugo copulari cum infidelibus: Neque enim Corinthij vetabantur habitare cum infidelibus, neque negociari, neque cibum sumere. dicit enim apostolus 1. Cor. 10, *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire* &c. Et eiusdem ep. cap. 5, cùm dixisset, *Ne commisceamini fornicarijs*; addidit, *non vtique fornicarijs huius mundi* (id est infidelibus): *Alioqui debueratis de hoc mundo exisse*. Denique nec prohibebantur habere coniuges infideles, atque cum ijs manere; iuxta illud cap. 7, *Si quis frater vxorem habet infidelem*. Respondemus eos iugum cum infidelibus ducere qui cum eis arctam ineunt societatem seu necessitudinem, ex qua nimirum oriatur periculosa quædam necessitas communicandi in moribus & religione. vel, vt habet Græcorum expositio, Iugum ducunt cum infidelibus, qui talem cum illis ineunt societatem, qua fiat vt in partem illorum declinent, mores eorum & vicia sequentes, iuxta illud psalmi 105: *Commixti sunt inter gentes; & didicerunt opera eorum*. Huiusmodi verò societas maximè est coniugium. Vnde loco iam iam citato prioris epistolæ, quamuis non prohibeat apostolus fidelibus permanere in coniugio cum infidelibus antea contracto, quando infidelis absque religionis & pietatis iniuria consentit cohabitare cum fideli; prohibet tamen noua iniri coniugia cum infidelibus; vbi dicit, *Cui vult nubat, tantùm in Domino*, quemadmodum in eius loci expositione monstrauimus. Est autem manifesta ratio diuersitatis inter eum qui coniugem habet infidelem, & eum qui ducit; quemadmodum & inter seruum qui habet Dominum infidelem, & eum qui dat se eiusmodi Domino in seruitutem. Nam qui coniugatus est, iam non habet in potestate iugum illud abijcere; vti nec seruus Dominum habens infidelem. Cæterùm in hac scriptura contineri prohibitionem ne fideles cum infidelibus contrahant matrimonia, quamuis à commentatoribus id non ita sit expressum, sed tantùm generali sententia comprehensum; apertè tradit Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum cap. 5, & in epistola ad Ageruchiam, de monogamia, cap. 2. Nec immeritò sane; quandoquidem omnium societatum humanarum ea sit intima & arctissima, qua per coniugium sibi inuicem adhærent vir & mulier. Iam si propter periculum illicita sunt fidelium cõiugia cum infidelibus, id est, qui fidem nunquam susceperunt (hos enim infideliũ nomine intelligit apostolus): quanto magis cum hæreticis, quorum & periculosior est cohabitatio, & difficillior conuersio? Quod autem irrita nullaque sint ecclesiastico iure matrimonia quæ fideles cum infidelibus contrahere tentant; non itẽ quæ cum hæreticis; id aliam rationem habet, explicatam à nobis in 4. dist. 39.

Coniugia fidelium cum infidelibus aut hæreticis, illicita.

An etiã irrita.

QVÆ ENIM PARTICIPATIO IVSTITIÆ CVM INIQVITATE? Rationibus ostendit quã sit absurdum fideles iugum ducere cum infidelibus. Etenim sicut fieri nullo modo potest vt iusticia consortium habeat cum iniusticia (pugnant enim hæc inter se quàm maximè): ita rectè fieri non potest, vt fidelis, qui in Christo factus est iusticia Dei, quemadmodum dictum est in fine capitis superioris, in vnum iugum coëat cum infideli, cuius vita iniusticia est penè perpetua seu continua.

Iugum cum infideli quis ducat.

AVT QVÆ SOCIETAS LVCI AD TENEBRAS. Pro *societate*, Græcè est communio. Porrò siue lucem & tenebras propriè intelligas; siue metaphoricè: valet ratio apostoli. Neutro enim modo lux cum tenebris communionem habere potest; ac bonum ducitur argumentum ex analogia spiritualium cũ corporalibus. Quanquam de luce & tenebris spiritualibus, quæ translatiuè tales dicũtur, magis apparebit apostolum loqui, si hanc partem conferas cum ea quæ præcedit, & cum sequentibus. Lucem ergo vocat fideles; tenebras verò infideles; sicut alibi dicit, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Ephes. 5.

15 QVÆ AVTEM CONVENTIO CHRISTI AD BELIAL? *Conuentio*, Græcè συμφώνησις. Id est, consonantia, consensus, concordia. Ac sanè videri potest interpretem vertisse consensionem, non conuentionem. Nam & apud Ambrosianum consensio legitur. *Belial*, Hebrai-

cum

cum vocabulum est, quo significatur qui est absque iugo. sic enim ipse Hieronymus exponit Iudicum 19. Pagninus vbique pro filijs Belial, vertit impios: Alij ex Hebræo interpretantur filios absque profectu, vt qui non ad vtilitatem reipublicæ, sed magis ad nocumentum & perniciem, viuant. De isto vocabulo (Belial) dignus lectu Iansenius in prouerb. c. 6. ad illud, Homo apostata. Apostolus hoc loco nomine Belial diabolum proculdubio significare voluit. Sed & Hieronymus 3. Reg 21. filios Belial ex Hebræo interpretatur filios diaboli, & viros diabolicos. sicut ergo nullus esse potest consensus Christo cum Belial, id est cum diabolo (venit enim Christus vt destruat opera diaboli, 1 Ioannis 3) ita nec esse debet inter membra Christi & membra diaboli.

AVT QVÆ PARS FIDELI CVM INFIDELI? *Pars*, id est participatio seu communio. Chrysostomus præmium seu mercedem putat significari: Id enim (pars) Hebræa phrasi significat interdum. Quod tamen huic loco minus congruit. Vrget hac parte apostolus ipsa nomina fidelis & infidelis; quæ manifestam sonant contrarietatem. Quare non nisi absurdè, & cum periculo fidei, participabit ac necessitudinem contrahet fidelis cum infideli.

16 QVIS AVTEM CONSENSVS TEMPLO DEI CVM IDOLIS? Pro *consensu*, conuentionem hoc loco legit Ambrosianus; Græca dictio diuersa est à superiori, & propriè significat eũ assensum qui fit dato suffragio; tametsi & generaliter vsurpatur pro consensu. Pro *idolis*, quidam legunt idolijs, id est templis idolorum, annuente versione Syriaca quę singulariter habet, templo dæmoniorum, vt suspicio sit in Græcis quibusdam codicibus olim pro εἰδώλων scriptum fuisse εἰδωλείων. Atque eo modo magis exprimitur oppositio duorum, qualis in cæteris membris. Secundum nostrã lectionem sensus est: Sicut absurda res est in templo Dei idola, id est falsorum Deorum simulacra, collocare, & venerari; per hunc enim peruersum vsum quodammodo desinet esse templum Dei, fietque templum idolorum: Ita rem vobis indignam facitis, ac vos ipsos profanatis, dum ad societatem recipitis infideles, idolorum cultores. Iuxta alterã lectionem planior erit hic sensus: Quæ consensio seu confœderatio vobis, qui estis templum Dei, cum infidelibus, qui sunt templa idolorum, id est, diaboli, qui in idolis colendum se ingerit? q. d. nulla potest esse huiusmodi consensio, nisi cum grauissima Dei & vestra ipsorum iniuria. Ad hunc intellectum, etiam priorem lectionem accommodãt Græci Theophylactus & Oecumenius. Videtur autem apostolus hac præcipuè parte notare eam Corinthiorum cum infidelibus communicationem, qua, propter amicitiam, miscebant se sacrificijs eorum, & mensis in quibus idolothyta parata erant; ac per hoc participatione quadam idololatræ efficiebantur, atque socios se reddebant dæmoniorum; vti pleniùs ostendit in priori epistola cap. 10.

VOS ENIM ESTIS TEMPLVM DEI VIVI. Græcè, viuentis. Explicat postremam rationem assumptione, qua dicit ipsos fideles Dei veri ac viui templum esse. Nec ait templa, sed templum; vt significet ita singulos esse Dei templa, vt tamen omnes vnum Dei templum constituant; sicut constituunt vnum corpus & vnam ecclesiam. Qua ratione autem fideles dicantur templum Dei, & quomodo scire debeant se esse templum Dei, declaratum à nobis est ad illud 1 Cor. 3, *Nescitis quia templum Dei estis?* Sed & hìc sequitur eius rei per scripturam probatio,

SICVT DICIT DEVS. Græcè, dixit. Ipsius (inquit) Dei testimonio probamus vos esse Dei templum;

QVONIAM INHABITABO IN ILLIS, ET INAMBVLABO INTER EOS: ET ERO ILLORVM DEVS, ET IPSI ERVNT MIHI POPVLVS. *Inambulabo*; Græcè, ἐμπεριπατήσω. Cuius significationem clarius expressit Ambrosianus textus; Inter eos ambulabo. Nam Latinis ambulare non est aliud quàm spaciari. Locus est Leuit. 26, vbi Dominus sic populũ Israel alloquitur, *Ponam tabernaculum meum in medio vestri*; Id est, quod hìc dicit, *Inhabitabo in illis*. Deinde mox sequitur, *Ambulabo inter vos; & ero Deus vester, vosq; eritis populus meus*. Similis est sententia, noui testamenti promissoria, apud Ezechielem 37, *Erit tabernaculum meum in eis: & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus*. Quæ quidem promissio principali sensu non completur, nisi in vero Israële, id est, in populo noui testamenti; in quem proinde rectissimè eam interpretatur apostolus. Sensus autem apostoli est: *Inhabitabo in eis*, per gratiam, qua faciam vt me colant; & *ambulabo in eis*, varias virtutum actiones quibus me colant, in eis excitando atque operando. Quod autem sequitur, *Et ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus*, variè potest intelligi. Vno modo, vt priori membro significetur quid Deus facturus sit; posteriori, quid populus: sitque sensus; Ego me eis Deum exhibebo, gubernans & protegens eos, ac benefaciens: Et ipsi vicissim se mihi populum præstabunt, obedientem atque ex animo subditum. Altero modo, vt priori membro quid populus; posteriori, quid Deus sit facturus, significetur; hoc nimirum sensu: Illi me habebunt pro Deo suo, ac spem salutis in me ponent: & ego vicissim habebo eos pro meo populo, protecturus eos & beneficijs affecturus. Tertius sensus vtrumque mẽbrum refert ad id quod Deus facturus sit: Ego me Deum illis præstabo; & vt populum meum eos diligam, protegam, beneficijsque fouebo. Est & quartus sensus quo vtrumque referatur ad id quod populus sit facturus: Illi me pro Deo suo habebunt; & tanquam populus meus vero cul-

tu se

tu ſe mihi ſubijcient. Porrò quamuis horum ſenſuum nullus à regula fidei deflectat (neque enim populus quicquam boni facturus prædicatur, quod non Deus per ſuam gratiam in eo ſit operaturus) eum tamen ſenſum quem tertio loco poſui, germanum eſſe puto, & proinde cæteris præferendum. Cuius ratio eſt, quia tota ſententia continet promiſſionem beneficentiæ Dei erga populum: Ea verò non exprimitur in membris expoſitis de eo quod populus facturus ſit. Vnde & quartus ſenſus ab eo quem intendit ſcriptura longiùs recedit quàm primus aut ſecundus. Habentur hæc eadem verba apud Ieremiam cap. 31, quæ citat apoſtolus ad Heb. 8. Quo loco turſus de vero eorum ſenſu aliquid dicemus.

17 PROPTER QVOD, EXITE DE MEDIO EORVM ET SEPARAMINI, DICIT DOMINVS. Collectio apoſtoli manifeſta eſt. Vos templum Dei eſtis, nam Deus habitat & ambulat in vobis; atqui templo Dei nullus eſſe debet conſenſus cum templis idolorum; ergo recedendum vobis eſt ab ijs qui templa ſunt idolorum. Hanc verò concluſionem, perinde vt ſuperiora, verbis ſcripturæ enunciat, ſimul cum eo quod ſequitur.

ET IMMVNDVM NE TETIGERITIS. Verba ſunt apud Iſaiam cap. 52, quæ ſic habent ex Hieronymi verſione, *Recedite recedite, exite inde; pollutum nolite tangere; exite de medio eius*, ſcilicet Babylonis. Tum ſequitur, *Mundamini qui fertis vaſa Domini.* Vbi pro *mundamini*, 70 verterunt ſeparamini, eodem Græco vocabulo quod hîc ab apoſtolo poſitum eſt. Ex quo intelligendum eſt, apoſtolum hortari fideles non vt corporali conuerſatione & habitatione ſeparentur ab infidelibus; Sic enim (vt in priori epiſtola iam dixerat) debuiſſent de hoc mundo exire: Sed vt animo ſeparentur, malis non conſentientes, &, ſicut ſtatim initio ſequentis capitis explicat, ſeſe mundantes ab omni inquinamento carnis & ſpiritus. Denique id facientes quod præcipit Epheſ. 5, dicens: *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum; magis autem redarguite.* Hoc igitur eſt exire de medio infidelium & ſeparari, & immundum non tangere; ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, quo infideles coinquinati ſunt, ſeſe mũdum ac purum præſtare; & malis eorum operibus non communicare; etiamſi aliqua neceſſitate exigente in medio eorum verſandum ac viuendum ſit. Quam doctrinam perſpicuè tradit Auguſtinus lib. 3 contra epiſtolam Parmeniani cap. 3 & ſequentibus. Cæterùm quatenus cuique periculum eſt ſuæ ſalutis ex corporali cohabitatione ſeu conuerſione cum infidelibus; eatenus etiam corporaliter ab ijs ſe debet abſtinere; videlicet ex ea naturæ lege qua quiſque tenetur periculum ſuum vitare. Quod autem interponit apoſtolus, *dicit Dominus*; à propheta non eſt additum. Loquitur enim ille in ſua, non Domini perſona: Sed quia ſententia præcedens ex Leuitico deſumpta, Dei loquentis verba continebat; ideo & hæc poſteriora ex Dei perſona commemorat apoſtolus, addendo, *dicit Dominus*.

Infideles quomodo deſerẽdi.

18 ET EGO RECIPIAM VOS. Græcè *ſuſcipiam vos*, ſcilicet de medio infidelium exeuntes, q. d. Non eritis deſolati, ſi malam infidelium ſocietatem reliqueritis: Nam ego vos, vt dilectos & amicos meos, beneficijs fouebo; relicta ſæculi conſolatione, tranſibitis in amicitiam meam, & bonorum meorum participationem. Hæc particula loco Iſaiæ memorato non legitur expreſſè, facilè tamen aſſentior Anſelmo, qui putat apoſtolum reſpicere ad illud quod eodem prophetæ loco ſequitur, *Et congregabit vos Deus Iſraël*, recedẽtes ſcilicet de medio Babylonis.

ET ERO VOBIS IN PATREM, ET VOS ERITIS MIHI IN FILIOS ET FILIAS. Promiſſio eſt adoptionis filiorum noui teſtaméti, qua Deus ſic aliquos in ſuam recipit amicitiam & gratiam, vt per eam efficiantur, quemadmodum loquitur Petrus 2 epiſtolæ cap. 1. *Diuinæ conſortes naturæ*; & per hoc cæleſtium bonorum hæredes ac participes. Id enim eſt eſſe Dei filium per adoptionem. Vtrumque verò ſexum nominat, dicendo *filios & filias*; quia de coniugijs in quibus vterque ſexus copulatur, admonuerat iugum non eſſe ducendum cum infidelibus. Porrò nota ſcripturæ phraſis eſt, *in patrem, in filios, & filias*; pro eo quod planè diceretur: Ero vobis pater; & vos eritis mihi filij & filiæ. Sed vnde deſumpſerit hæc verba apoſtolus non liquet; adeò vt ſuſpicetur Caietanus eſſe verba cuiuſpiam prophetæ ex eorum numero quibus caremus, & quorum meminerunt libri Regum ſeu Paralipomenõ. Aquinas verò refert ad locum 2 Regum 7, vbi de Salomone Dominus ait: *Ego ero ei in patrem & ipſe erit mihi in filium.* Alijs pleriſque magis placet apoſtolum verbis paulùm mutatis reſpicere ad locum Ieremię 31 ex Dei perſona ſic loquentis: *Quia factus ſum Iſraëli pater, & Ephraim primogenitus meus eſt.* Atque hunc locum ad marginem annotatum habent codices vulgati. Præter quem, huc etiam adducit Anſelmus illud Iſaiæ 43, *Adfer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.*

DICIT DOMINVS OMNIPOTENS. Addit Domino epitheton omnipotentiæ; ne de promiſſione eius adimplenda quis dubitet.

SVMMARIVM.

DEclarat suam erga Corinthios dilectionem, & vicissim consolationē quam ex illis accipit. Gaudet illos per suam epistolam fuisse contristatos secundum Deum: & gloriatur de ipsorum obedientia.

CAPVT VII.

1 HAS ERGO HABENTES PROMISSIONES CHARISSIMI. Græcè, *dilecti*. Post verba prophetica nunc suis verbis exhortationem concludit: Cùm igitur, inquit, tam præclaras à Deo promissiones acceperimus scriptas in prophetis: &c. Promissiones illæ sunt, quòd Deus in nobis tanquam in templo suo sit habitaturus & ambulaturus, quòd ille nobis futurus sit Deus & pater; quodque nos eius populus, & filij, & filiæ.

MVNDEMVS NOS AB OMNI INQVINAMENTO CARNIS ET SPIRITVS. Græcè, *nos ipsos*. Ideo scilicet quia templū Dei sanctum esse debet & purum ab omni immundicia; & quia populum Dei & filios eius ac filias decet esse sanctos, omnisque fœditatis & contaminationis expertes. Carnis inquinamentum est omne peccatū quod carnali voluptate consummatur; vt sunt impudicitiæ, comessationes, ebrietates. Spiritus inquinamentū est inprimis idololatria & omnis eius participatio; ac præterea sectæ, dissensiones, æmulationes & alia huiusmodi quorū consummatio sine sensuū voluptate consistit. Hinc statuitur diuisio peccatorū in carnalia & spiritualia. Nā licet omnibus peccatis cōmune sit quòd spiritū seu mentem hominis coinquinēt; attamē peculiari ratione carnalia vocātur ea quæ per carnis ac sensuū delectationē id faciūt. Porrò ex his verbis, velut epilogo superioris exhortationis, colligere licet, quàm latè pateat periculū peccandi, à quo reuocare conatur apostolus Corinthios illo præcepto, *Nolite iugum ducere cum infidelibus*. Iam quod in prima persona loquitur: *Mundemus nos* &c. tāquam semetipsū includens in eorū numero qui mūdandi sunt, ostendit ne perfectos quidē quales erant apostoli, ita prorsus mundos esse vt ampliùs mūdatione non egeāt, attestante Salomone, Prouerb. 20. *Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Simul hac ratione magis suasibilem reddit exhortationem.

Peccatorum alia carnalia, alia spiritualia.

PERFICIENTES SANCTIFICATIONEM IN TIMORE DEI. Græcū verbale potiùs sanctimoniā significat quàm sanctificationē. *Sanctitatē* legit Ambrosianus. Est autē apud eū peculiaris lectio huiusmodi, *Mundemus nosipsos ab omni inquinamēto carnis, vt perficiamus sanctitatem spiritus in timore Dei*. Sed hanc metathesin vocabuli *spiritus* in nullis alijs codicibus reperio; licet alioqui sensum habeat ea lectio percommodum. Videtur illius versionis author genitiuū (*spiritus*) in Græco sic accepisse vt iungatur sequētibus, & regatur a nomine, *sanctitatē*. Quod tamen Græcus textus haud patitur, nisi participiū *perficientes* cōmutemus in verbum perficiamus, vti factum est ab illo interprete. Nostræ versionis hic sensus est: Perficientes quotidiano profectu sanctitatem in baptismo inchoatam; quia nimirum sanctitas cōsistit in mūdicia carnis & spiritus, inquinamento vtriusque iam dicto contraria. *Perficientes* inquam in timore, id est, per timorem Dei, cuius scilicet tēmplū sumus: Qui proinde vereri debemus ne per aliquam immundiciam carnis aut spiritus, tēplum Dei profanemus, & profanando violemus. Nam vt in priori epistola cap. 3 scriptum est: *Si quis templum Dei violauerit; disperdet illum Deus*. Hinc disce, contra nouos hæreticos, timorem pœnæ à Deo comminatæ conducere ad iusticiam & sanctitatem.

Timor Dei salutis vtilis.

2 CAPITE NOS. Ambrosianus legit, *Capaces estote nostri*. Quod & Erasmus atque Hentenius imitati sunt. Sic enim clarius explicatur Græci verbi significatum, quod est capere eo modo quo vas aut locus capere aliquid dicitur. Quidam exponūt hoc modo: Vos corde per charitatem dilatato nos capite, id est, affectu charitatis cōplectimini; vt sit repetitio eius quod superius dixit, *Dilatamini & vos*. Alij sic intelligunt, Recipite intra vos exhortationē meā; verba mea descendant in animū vestrum & locum inueniant. Cui sensui fauet illa Domini sentētia, Matth. 19, *Nō omnes capiunt verbum hoc*. Et iterū, *Qui potest capere, capiat*. Est enim idem verbum Græcum quod hoc loco. Vtrumque sensum adferunt Græcorum commentarij. S. Thomas exponit, *Capite nos*, per imitationem. Cui sensui bene quadrant sequentia.

NEMINEM LÆSIMVS. Græcè, *iniuria affecimus*, Ambrosianus, *nemini nocuimus*. Meritò, inquit, à vobis exigimus vel charitatem vel obediētiam, qui syncerè & innoxiè vobis euangelium ministrauimus.

NEMINEM CORRVPIMVS. Hoc pleriq; ad corruptelam doctrinæ referunt, quasi hoc velit apostolus quod dixit cap. 2, *Nō enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbū Dei*. At Thomas corruptionem intelligit quæ fit per mala vitæ exēpla; de qua in priori epistola, *Corrūpunt bonos mores colloquia prava*.

NEMINEM CIRCVMVENIMVS. Græca vox significat auarè quippiam ab alio extorquere, quocumque modo vel arte id fiat. A quo vicio rursus & seipsum & Titum infrà cap. 12 immunem fecit, eodem vsus verbo Græco quod hîc posuit. De cuius significato, plura diximus ad illud capitis 2, *Ne circumueniamur à Satana*. Cæterùm apostolus dum à se remouet huiusmodi vicia, lædere, corrūpere, circumvenire alios; ex obliquo pseudapostolos, vt talia faciētes, perstrin-

Pseudapostoli taciè notati & depicti.

perſtringit; palam eorum detecturus improbitatem & hypocriſin infrà cap. 11.

3 NON AD CONDEMNATIONEM DICO. Quidam codices, Syris ſuffragantibus, addunt pronomen, *Non ad condemnationem veſtram dico*. Quibus annuit Ambroſiana verſio, *Non ad condemnationem veſtri hoc dico*. Noſtra lectio Græcis conſonat; tametſi ſenſus poſtulat pronominis ſupplementum. Tribus autem modis hæc pars exponi poteſt. Primò ſic: Non ego me excuſando vos accuſo, quaſi tales ſitis qualem me eſſe nego, Non ad accuſationem veſtri ſed pſeudapoſtolorum qui in vobis ſunt, hæc dico. Ita plerique exponunt tam Græci quàm Latini. Secunda expoſitio. Non hæc dico velut tacitè vos accuſans quòd talia de nobis ſuſpicemini. Iam enim ſuprà dixerat cap. 3 ſe non egere commendatione apud Corinthios, & cap. 5. *Spero*, inquit, *& in conſcientijs veſtris manifeſtos nos eſſe*. Senſum hunc ſanè probabilem tradunt Caietanus, Catharinus & alij nonnulli. Tertiò poteſt quod hîc dicit apoſtolus, referri ad ſuperiorem exhortationē quā dixerat, *Nolite iugum ducere cum infidelibus*, ac deinde monuerat vt ſe mūdarēt *ab omni inquinamēto carnis & ſpiritu*: Hæc, inquit, non dixi ad condemnationem veſtram; non vos traduco; ſed corrigere volo. Hunc ſenſum innuit magis quàm expreſſit Aquinas. Porrò tam huic intellectui quàm duobus reliquis bene poteſt aptari ſequens probatio,

PRÆDIXI ENIM QVOD IN CORDIBVS NOSTRIS ESTIS AD COMMORIENDVM ET AD CONVIVENDVM. Id eſt. Iam antea dixi vobis in hac epiſtola, quòd ſitis in cordibus noſtris velut inſcripti per continuam memoriam veſtri, quam gerimus ex intimo erga vos amore; adeò vt & mori & viuere vobiſcum cupiamus; Quod vtique vehementiſſimi amoris indicium eſt, nolle nec in vita, nec in morte, ab eo quem ames ſeparari. Reſpicit apoſtolus ad illud quod dixit cap. 3, *Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris*. Quod enim hîc addit, *ad commoriendum & ad conuiuendum*, explicatio eſt affectus ſignificati illis verbis, *In cordibus noſtris eſtis*.

4 MVLTA MIHI FIDVCIA EST APVD VOS. Ab hoc loco tranſitus eſt latens & artificioſus ad aliud argumentum quo acturus eſt de eo quod accidit Corinthijs accepta priori epiſtola: Siquidem ea grauiter illos contriſtauerat. Quare ne contriſtandi ſtudio, tanquam ſeuerus obiurgator, eam ſcripſiſſe videatur; præmittit quædam ad ipſorum laudem, ſuūque erga eos optimum affectum declarandū, pertinentia. Multa mihi eſt, inquit, fiducia apud vos vel erga vos; id eſt, ita bene de vobis ſentio, vt cum magna fiducia & ſermonis libertate (quod ſignificat vox Græca παῤῥησία) vobiſcum agam, voſque etiam admoneam, confidens vos benignè ac placidè meas admonitiones & increpationes accepturos. Vide extrema verba huius capitis.

MVLTA MIHI GLORIATIO PRO VOBIS. Græcè & apud Ambroſianum, *de vobis*, id eſt, multum ac ſæpe apud alios de vobis ac veſtri nomine glorior, prędicans obedientiam veſtram erga me apoſtolum & patrem veſtrum. Etenim vt ait ſcriptura Prouerb. 10, *Gloria patris eſt filius ſapiens*.

REPLETVS SVM CONSOLATIONE. Id eſt, maximum ſolatium ſuper malis quæ paſſus ſum, attulit mihi veſtra correctio, per Titum annunciata. Senſum hunc aperiunt ea quæ ſtatim ſequuntur.

SVPERABVNDO GAVDIO IN OMNI TRIBVLATIONE NOSTRA. Id eſt, In omnibus afflictionibus & preſſuris quæ mihi triſticiam adferunt, tam exuberanti gaudio à vobis profectò perfuſus ſum, vt omnem triſticiam extinxerit. Nam verti etiam poteſt, ſuper omni afflictione noſtra: quum Græcè non ſit ἐν, ſed ἐπὶ.

5 NAM ET CVM VENISSEMVS IN MACEDONIAM, NVLLAM REQVIEM HABVIT CARO NOSTRA. Græcè, *nullam habuit remiſſionem*, ſeu *relaxationem, caro noſtra*. Quoniam tribulationis ſuæ fecerat mentionem, exponit qualis & quanta fuerit; vt inde cognoſcatur magnitudo conſolationis & gaudij quæ triſticiam illam potuerit abolere. Nam, inquit, poſt tribulationē quæ facta nobis eſt in Aſia, de qua cap. 1, etiā poſtquā veniſſemus in Macedoniam, tanta mala repentè nobis excitata ſunt ab aduerſarijs, vt carni, id eſt, corpori noſtro, quod ſine fomentis & quiete diu ſubſiſtere nequit, nulla daretur relaxatio, nulla requies. Vel, *Caro noſtra*, id eſt nos nullā habuimus requiē. Profectiones Pauli ex Aſia in Macedoniā, atque inde in Græciam narrat Lucas initio cap. 20 Acto. ſed ita breuiter, vt afflictionis quę Paulo cōtigit in Macedonia, prorſus non meminerit. Ex quo, ſicut ex alijs locis epiſtolarum Pauli, colligitur multa geſtorum eius à Luca in Actis fuiſſe prętermiſſa. Falluntur autem Ambroſianus & Thomas, qui locum præſentem referunt ad hiſtoriā Act. 16, quam vtique conſtat multo antè contigiſſe; quemadmodum monſtrauimus ad eum locum cap. 2, *Profectus ſum in Macedoniam*.

SED OMNEM TRIBVLATIONEM PASSI SVMVS. Græcè, *Sed in omnibus afflicti*, ſupple, fuimus; vti legit & ſupplet Ambroſianus textus. Eſtque ſenſus: Vndique tribulationes irruebant in nos. Vel, Omne genus tribulationum paſſi ſumus. Hoc enim explicari videtur per id quod ſequitur,

FORIS PVGNÆ, INTVS TIMORES. ſc. erāt. Tribus modis hanc partem Thomas exponit. Primò ſic, Exteriùs erat nobis repugnandum cum hoſtibus euangelij; interiùs verò, id eſt, in animo, patiebamur timores nouarū perſecutionum. Secūdò, Foris, id eſt ab infidelibus qui ſunt extra eccleſiā (& alibi vocantur ij *qui foris ſunt* vt 1 Cor 5) inferebātur nobis pugnæ perſecutionū: Intus autem, id eſt, pro fidelibus qui ſunt in eccleſia (& eodē apoſtoli loco

vocantur *qui intus sunt*) angebamur timore ne vi persecutionum dimouerentur à fide. Hæc Græcorum est expositio. Tertiò; Non solùm ab hostibus manifestis palàm oppugnati sumus; verùm etiam timores passi ab hostibus occultis & domesticis (quos alibi vocat falsos fratres) idq; iuxta illud Matth. 10, *Inimici hominis domestici eius.* Quartam expositionē adfert Caietanus; Foris, inquit, id est in publico, multæ pugnæ; Intus verò, id est, in domibus nobis existentibus timores incutiuntur; & sic nullibi quiescimus. Harū expositionū prima maximè nobis germana videtur. Nā simili sermone sensuque dictum est, Deut. 32, *Foris vastabit eos gladius, & intus pauor.* Nec mirum si Paulus timores suos confiteatur; quando & Christus Dominus timorem passionis & mortis in se suscipere dignatus est, Marci 14. Sic autem pugnam sibi cum aduersarijs asscribit apostolus, quomodo dixit in priori epistola cap. 15, *Si ad bestias pugnaui Epheſi.* Pugnat enim etiam qui defendit. Pro huius partis expositione confer ea quæ dicūtur infrà, ad illud cap. 11. *Præter illa quæ extrinsecus sunt.*

6 SED QVI CONSOLATVR HVMILES, CONSOLATVS EST NOS DEVS IN ADVENTV TITI. Id est, Deus afflictorum & humilium consolator, in tantis afflictionibus consolatus est nos, per aduentum & præsentiam Titi a vobis reuersi. Hunc enim, diu exspectatum, Paulus non inuenerat priusquam ipse ex Asia in Macedoniam venisset, vt habetur cap. 2. Dicit autē, *qui consolatur humiles*, ad discrimē superborum, quibus Deus resistit. Portrò consolatum se dicit apostolus *per aduentum Titi* vel quia præsentia Titi gratissima ipsi erat, tāquam fidelis adiutoris & socij laborum, vt multi exponunt; vel quia Titus Corintho reuersus, bona de statu Corinthiorū annunciabat; Quod posterius magis est probabile. Nam institutum apostoli est, consolationem suam & gaudium, de quibus suprà dixit, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*; Corinthijs accepta referre. Vide infrà commentarium versus 13.

7 NON SOLVM AVTEM IN ADVENTV EIVS; Vestram correctionem annunciantis;

SED ETIAM IN CONSOLATIONE, QVA CONSOLATVS EST IN VOBIS. Id est, per consolationem quam ille de vobis accepit. q. d. Duplici nomine consolatus est nos Deus ex parte vestra; tum quia Titus aduenies annunciauit nobis quàm rectè vobiscum ageretur, tum quia etiam ipse Titus qui priùs cōtristatus fuerat ob dissensiones & alia peccata quæ de vobis audierat, correctos vos inueniens, consolationem accepit. Iraque Titi consolatio à vobis profecta mihi quoque consolationem attulit.

REFERENS NOBIS VESTRVM DESIDERIVM. Græcè, *annuncians*. Id est, cùm annunciaret ac referret nobis, quanto mei desiderio teneremini, quantopere desideraretis aduentum nostrum; quod est signum amoris.

VESTRVM FLETVM. Græcè ὀδυρμὸν, quod alij luctum vertunt. Sed & Græcorum scholia declarant non simpliciter lachrymas, sed amarum luctum significari, quem habebant Corinthij de eo quod Paulus ipsorum causa & culpa contristatus fuisset. Theophil. vide, & Oecum.

VESTRAM ÆMVLATIONEM PRO ME. Id est, vestrum pro me studium. Græcè, ζῆλον; quo scilicet accensi fuistis aduersus eos qui mihi detrahebant. Ita ferè interpretes. At verò Caietanus, illud *pro me* interpretatur, nomine meo, vt sensus sit Titum retulisse zelum ecclesiæ Corinthiorum, quo, nomine ac vice Pauli absentis, processerant ad puniendum fornicariū, exequentes id quod in priori epistola cap. 5 Paulus eis mandauerat, dicens: *Congregatis vobis & meo spiritu tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis.* Atque hic profectò sensus magis inhæret cōtextui. Interim obserua sermonis apostolici venustatem, simul & vehementiā, in eo quod dicit, *vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem*. Concurrentibus videlicet duabus aut tribus figuris, epanaphora, asyndeto, & incremento.

ITA VT MAGIS GAVDEREM. Duarum mediarū dictionum ordo cōmutatus legitur in quibusdā codicibus, *ita magis vt gauderē*: sed viciosè, & sensu turbato. Nā vera lectio est, *vt magis*, quā plurimi codices exhibent, tā vetusti quā recentiores, ac nominatim Clementinæ castigationis; idque Græcis conuenienter, in quibus legitur, ita vt magis gauisus fuerim. Et sensus est, apostolum auditis ijs quæ Titus referebat, maius gaudium ex eis cepisse, quā fuerat afflictio, de qua paulo antè locutus est: Vel potius, quàm fuerat dolor quem perceperat ex eo quòd Corinthios sua epistola contristasset. Hunc enim posteriorem sensum magis congruere cum sequentibus, affirmat Photius apud Oecumenium. Potest etiā intelligi comparatio gaudij posterioris cum priore, q. d. apostolus, Tito apud ipsum referente ea quę iam dicta sunt, gaudium suum magis ac magis creuisse. Vel potius, quòd consolatio Titi auxerit gaudium quod ex eius aduentu ceperat. Conferatur v. 13. vbi est horum repetitio.

8 QVONIAM ETSI CONTRISTAVI VOS IN EPISTOLA, NON ME POENITET. Deinceps ostendit vtilitatem tristiciæ quam acceperant Corinthij ex priori epistola ad se missa, qua grauiter fuerant increpati quod fornicarium illum incestum apud se tolerarent. Respicit enim potissimum ad ea quæ scripserat ab illo cap. 4, *Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam*, vsque ad finem capitis quinti; Qui totus locus multum continet seueræ obiurgationis. Hoc autem est quod dicit;

Nam etsi per epistolam priorem *vos contristaui*; nunc non me pœnitet, non doleo me ea scripsisse, quæ vos contristarent; postquam Titus à vobis reuersus annunciauit quem fructum pepererit in vobis illa nostra seuerior obiurgatio.

ETSI POENITERET. Græcè, *etsi me pœnitebat.* Quod alij vertunt, *etsi pœnituerit* vel *pœnituisset*, vti legit Ambrosianus, id est, etiamsi ante aduentum Titi, nondum certior factus de fructu tristiciæ, doluerim me vos contristasse. Doluerat enim vel quia tristicia per se malum quoddam est, ideoque ab ijs quos diligimus, auertendum; vel quia metuebat ne fortè Corinthij ex tristicia qua eos affecerat, verterentur in odium sui apostoli, & per hoc fructus euangelij periret. Est autem sciendum non doluisse apostolum de epistola à se conscripta, quam sciebat se spiritu diuino scripsisse, sicut & istam, in cuius fine dicit: *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Verùm pœnituisse se dicit, id est doluisse, de quodam effectu epistolę, quòd scilicet per eam Corinthios contristasset; vt proinde optaret ea parte scriptā non fuisse: Quomodo si propheta quispiam vel apostolus videns suam diuini verbi prædicationem quibusdam peruersis offendiculo fuisse ad grauiùs peccandum, atque de ea re dolens, diceret, Pœnitet me prædicati illis hominibus euangelij, quod eis factum est in ruinam. Ex quibus etiam liquet, hanc apostoli pœnitentiā nō fuisse de peccato aliquo, sed de facto ex quo præter suam culpam & expectationem aliquid mali ortum aut oriturum fuisse verebatur.

VIDENS QVOD EPISTOLA ILLA (ETSI AD HORAM) VOS CONTRISTAVIT. In Græco noua periodus est: *Video enim quòd* &c. Iuxta nostram versionem causa significatur eius quod proximè præcessit, vt sēsus sit: Pœnitebat me, cùm viderem vos per epistolam meam (tametsi res ea tantùm ad tempus durauerit) contristatos fuisse. At secundū Græcam lectionem ratio redditur eius quod dixerat, *Non me pœnitet*, quia nimirum, video nunc, inquit, id est planè cognosco ex relatione Titi, quòd epistola mea vos quidem, tametsi ad breue tempus contristauit; de qua re dolebam: Verùm,

9 NVNC GAVDEO; NON QVIA CONTRISTATI ESTIS: Nam vestra tristicia tametsi tātùm ad horam fuerit, non est materia gaudij mei. Nota quàm solicitè apostolus, tanquam amantissimus pater, id agat ne videatur contristare Corinthios filios suos voluisse. Ex quo paterno affectu iam superius scripserat, cap. 2, *Si enim ego contristo vos, & quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me?*

SED QVIA CONTRISTATI ESTIS AD POENITENTIAM, q. d. Non gaudeo de tristicia vestra, sed de fructu tristiciæ, qui est pœnitentia seu correctio vestra. quomodo medicus non gaudet de amaritudine potionis, vel dolore sectionis ægroti; sed de eius effectu, id est, sanitate. Quanquam etiam ipsa tristicia considerata cum fructu correctionis, potuit apostolo esse causa gaudij; sic enim quoddam bonum erat; contristari, inquam, ad pœnitentiam, hoc est ad emendationem. Nam ipsa alioqui pœnitentia, cùm sit dolor de peccatis, malum tristicię in se includit.

CONTRISTATI ENIM ESTIS SECVNDVM DEVM. Gaudij sui rationem refert in Deum. Nam tristicia ad pœnitentiam est tristicia secundum Deum, id est, procedens ex amore Dei & iusticiæ quam Deus præcipit; non autem ex amore sęculi, quam statim pòst vocat sęculi tristiciam. Etenim qualis amor est, talis & tristicia; quemadmodum hoc loco annotat & bene explicat Doctor angelicus.

VT IN NVLLO DETRIMENTVM PATIAMINI EX NOBIS. Pro *detrimentum patiamini* Græcè vnum verbum est præteriti temporis ζημιωθῆτε *detrimentum passi sitis.* Sensus est; Adeo vt nulla ex parte detrimento sitis affecti per nos, qui vobis causa tristiciæ fuimus: cùm ea tristicia vobis fuerit admodum salutaris. Est enim in his verbis Liptote, qua minus dicitur & plus intelligitur. Qualis, in re contraria, est illa Sap. 1, Custodite vos à murmuratione, quæ nihil *prodest*; id est, multum nocet. Atque hæc ferè Latinorum est expositio. Porrò Græci sic exponunt: Ideo vos obiurgando contristaui, ne pateremini ex me detrimentum spirituale. Præceptor enim discipulo damnum infert, & pater filio; quando delinquentem non obiurgat. Sed hic sensus textui non videtur congruere. Nō enim dicit apostolus, Obiurgaui vos vt in nullo detrimentū patiamini; Sed, *contristati estis secundum Deum, vt in nullo* &c. Denique priorem sensum clarè probat quod sequitur.

10 QVÆ ENIM SECVNDVM DEVM TRISTICIA EST, POENITENTIAM IN SALVTEM, STABILEM OPERATVR. Græcè, *pœnitentiam ad salutem haud pœnitendam*, vel vno verbo (sicut Augustinus legit lib. 14 de ciuit. Dei cap. 8, & sermone 2 in feria quinta paschę) *impœnitendam operatur.* Gagneus suspicionem facit interpretem nostrum legisse, ἀμεταχίνητον, id est immobilem; repugnantibus licet vetustis Græcorum commentarijs; qui omnes habent & exponunt, ἀμεταμέλητον, impœnitendam. Dubium est autem tam in Græco textu quàm Latino, stabilem seu impœnitendam, vtrò referendum sit, ad pœnitentiam, an ad salutem. Certè, (stabilem) si legas, id ad salutem multo aptiùs refertur, quēadmodum referūt omnes Latini. (Impœnitendam) verò Græci ad pœnitentiam referunt, eleganti schemate coniunctis contrarijs, nisi quod Theophylactus, si non fallit eius interpres, salutem non pœnitendam intellexit, manente nihilominus allusione: quēadmodum & Aug. Qui sanè intellectus neutiquā reijciēdus est. Dicit ergo apostolus,

Fructus tristicia quæ sit secundū Deum.

Tristicia namque quæ secundum Deum est, parit pœnitentiam salutiferam; ideoque minimè pœnitendam. Nam boni ac fructuosi operis neminem rectè pœnitet. Vel secundū Theophylactum & Latinos; parit pœnitentiam, quæ causa est salutis semper mansuræ & nunquam pœnitendæ. Quare consentaneū est de ipsa quoque tristicia à qua salus huiusmodi manat, non dolere sed gaudere potiùs. Querit hoc loco, Thomas, quomodo tristicia iam dicta pœnitentiam operetur; cùm pœnitentia sit ipsa tristicia, qua de peccato secundum Deum quis dolet. Adfert autem duas ad hanc quæstionem solutiones, quas apud ipsum videre est; vt & tertiam subtiliorem allatam à Caietano. Neque enim videtur vlla earum satisfacere difficultati. Vera responsio potest accipi ex interpretatione partis illius antegressę, *quia contristati estis ad pœnitentiam*. Vbi significatum est, tristiciæ fructum esse pœnitentiam, hoc est correctionem; idque etiam secundum expressam ipsius Thomæ explanationem. Itaque tristicia quæ secundum Deum est, operatur pœnitentiam, quia parit & secum adducit correctionem hominis contristati, tanquam effectum & fructum suum. Aliter responderi potest apostolum non dicere quòd tristicia quæ secundum Deum est pœnitentiam operatur, sed quòd operatur pœnitentiam in salutem; id est, efficit pœnitentiam esse salutarem: velut si dicam, homo studiosus efficit hominem doctum; & sobrius, sanum: vt perspicuus sensus sit, tristiciam quæ est secundum Deum, causam esse salutis. Quem sensum probabilem facit antithesis. Sequitur enim,

SÆCVLI AVTEM TRISTICIA MORTEM OPERATVR. Pro *sæculo, mundus* est in Græco, necnon apud Ambrosianum. Tristicia sæculi seu mundi, tristicia est secundum sæculum, id est, exponente S. Thoma, quæ nascitur ex amore sæculi. de quo Ioannes 1 epistolæ 2, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Huiusmodi tristicia est quam patiuntur homines ex amissione, vel impedita perceptione, eorum quæ carnaliter diliguntur; vt voluptatum atque aliorum bonorum temporalium, vel etiam parentum, propinquorum, amicorum inordinatè dilectorum. Parit autem ea tristicia mortem, vel æternam, quatenus Deus plerumque grauiter per eam offenditur: vel temporalem, eo quòd homines immodica tristicia pressi sæpe in morbos incidant periculosos & mortiferos; iuxta illud Ecclesiastici 30 *Multos occidit tristicia*, & Prouerb. 17, *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Quamuis & tristicia quæ secundum Deum est, ex redundantia doloris in partem inferiorem animæ, corpus lædere & mortem adferre potest. Vnde est quod ait Saluator, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Quocirca probabilior est de morte æterna expositio, maximè quod mortem apostolus opponat saluti non corporis sed animæ. Tale enim est quod dicit: Iustum est me gaudere de hac tristicia vestra quæ secundum Deum est; quia longè alius est effectus illius tristiciæ, quàm tristiciæ sæculi. Nam illa salutem & vitam gignit perpetuam; hæc verò mortem æternam conciliat.

II

ECCE ENIM HOC IPSVM SECVNDVM DEVM CONTRISTARI VOS, QVANTAM IN VOBIS OPERATVR SOLICITVDINEM. In Græco verba sunt præteriti temporis, contristatos esse, item *operatum est, effecit, genuit.* Probat apostolus quod dixit tristiciam Corinthijs fuisse salutarem; idque per ipsius rei experientiam, qua constabat eam in illis multa bona ad salutem ducentia peperisse, cuiusmodi septem hîc ordine enumerat. Ecce enim, inquit, *hoc ipsum quod secundum Deum contristati fuistis, quantam in vobis genuit solicitudinem*, vel, vt in Græco est, *diligentiam & studium.* Cùm enim antea negligenter ageretis circa punitionem illius incestuosi; hæc secundum Deum tristicia, vos, ad tollendum è vobis malum, valde diligentes ac solicitos reddidit.

Particularis enumeratio fructuum tristicia christiana.

SED DEFENSIONEM. Græcè ἀπολογίαν, quā alibi satisfactionem vertit interpres, vt 1 Petri 3, alibi rursus defensionem, vt 2 Timoth. 4. Porrò defensionem plerique intelligunt eam qua Corinthij defendebant & laudabant factum apostoli tradentis fornicarium Satanæ. Theodoretus verò & Oecumenius ἀπολογίαν interpretantur qua Corinthij purgabant semetipsos, per hoc quòd serio & secundum Deum contristati propter flagitium apud se commissum, ac seuerè illud punientes, ostendebant se eius non esse participes. Verùm quoniam apologia propriè dicitur ea defensio quæ verbis fit; maximè profecto probabile est, apostolum loqui de eo quod Corinthij sese apud Titum prolixè & solicitè excusarint, super negocio fornicarij; docentes quid ad eius punitionem & correctionem egissent. Nam apostolus hæc, velut ex Titi relatione accepta, commemorat. Coniunctionem *sed* in hac parte & sequentibus, pro & positam annotat Oecumenius. Atque ita reddidit Syrus interpres. Equidem crediderim augendi vim ei inesse hoc loco; vt idem ferè sit quod imò, sicut Erasmus vertit, aut quinetiam, insuper; quæ idem valent. Clarior erit oratio si per singula suppleas (non solū); hoc modo, Operatur solicitudinem; non solùm, sed & defensionem; nec solùm, sed & indignationem. Est enim mos apostoli Pauli sic loqui, vt Rom. 5. *Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus.* & cap. 9. *Non solùm autem*; *sed & Rebecca* &c. & huius epistolæ capite sequenti. *Non solùm autem*; *sed & ordinatus est* &c. Quidam hîc obseruant figuram rhetoricam, quam polysyndeton vocant, in repetitione vocabuli ἀλλὰ, *sed.* Conciliat enim orationi grauitatem & acrimoniam. Mirum verò quid secutus Ambro-

sianus

sianus membrum hoc negatiuè legat, *non excusationem*; addito hoc glossemate. Rectè; quia pœnitentia non habet excusationē sed confessionem. At non hîc agitur de excusatione qua peccatum commissum negetur, sed de ea qua rei veritas exponatur.

SED INDIGNATIONEM; quam coram Tito ostendistis aduersus hominem flagitiosum.

SED TIMOREM; ne simile quid iterum contingat. Huiusmodi enim timor veræ pœnitentiæ comes est. Alij timorem diuini iudicij intelligunt: Sed hic timor potius causa tristiciæ est, quàm eius effectus.

SED DESIDERIVM; nempe illud quod superius dixit Titum sibi retulisse. Nam ex Pauli increpatione contristati secundum Deum, flagrantiùs eius præsentiam desiderabant.

SED ÆMVLATIONEM; hanc quoque superius nominauit inter ea quæ Titus retulerat. Neque aliter hoc loco exponenda est.

SED VINDICTAM. Hoc, inquit, egit in animis vestris illa secundum Deum tristicia, vt graui ac seuera castigatione, iustaque satisfactionis pœna peccatum illius fornicarij vindicandum putaueritis, intantum, vt à me rursus ad lenitatem fueritis reuocandi. Id enim fecit superiùs cap. 2. Rectè Catholici doctores ex hoc loco sumunt argumentum pro satisfactione quæ pœnitentię pars est, qua quis in seipso vindicat quod malè egit; quippe cum hîc vindictam numeret apostolus inter ea bona quę salutarem Corinthiorum pœnitentiam fuerant consecuta.

IN OMNIBVS EXHIBVISTIS VOS INCONTAMINATOS ESSE NEGOCIO. Græcè, *puros esse in negocio*. Textus Ambrosianus sic habet; *In omnibus castos vos exhibuistis esse in eo negocio*. Quanquā quod dicitur *exhibuistis*, verti etiā potuit *commendastis*; sicut in illo loco capitis superioris; In omnibus exhibeamus nosmetipsos &c. Sensus est, Tot argumentis præstitistis ac declarastis vos à crimine immunes; atque vosmetipsos vt tales in præsentia Titi commendastis; vt qui in priori epistola à me accusati estis quòd videremini flagitiosis operibus communicare, nunc ita sitis apud me excusati & purgati, vt quod amplius obijciam vobis, non habeam. *Negocij* nomine tegit incesti crimen, nolens illud exprimere propter turpitudinem. Est qui negocium interpretatur illud de quo alterà erat obiurgatio 1. Cor. 6 illis verbis; *Audet aliquis vestrum habens negocium aduersus alterum iudicari apud iniquos?* Et eò trahit etiam verba proximè subiecta; quasi sensus apostoli sit: Nihil prętermissum est a vobis, quo manifestum facerętis vos ab illo negocio immunes esse, quod criminis loco vobis obijciebatur, de causa aduersus fratrem ad iniquos iudices delata. Sed hic commentarius non modò coactus est, verùm etiam longiùs apostolum abducit ab instituto.

12 IGITVR, ETSI SCRIPSI VOBIS; NON PROPTER EVM QVI FECIT INIVRIAM, NEC PROPTER EVM QVI PASSVS EST: Supplendum, *scripsi*, vel *feci*. Quod igitur, inquit, per epistolam vos obiurgaui; non tantùm, nec præcipuè id feci propter eum qui fecit iniuriam, id est, propter filium incestuosum, vt ille puniretur aut etiam corrigeretur; nec itē propter eum qui passus est iniuriam adulterij & incestus, id est, propter patrem, vt ille vindicaretur, aut ab iniuria liberaretur,

SED AD MANIFESTANDAM SOLICITVDINEM NOSTRAM. Græcè, *Sed vt manifestaretur studium* seu *diligentia nostra*.

QVAM HABEMVS PRO VOBIS CORAM DEO. Multa exemplaria mss. legunt, *pro vobis, ad vos coram Deo*. Porrò Græci codices qui hodie sunt in manibus, variant pronomina. Quidam enim habent *studium vestrum pro nobis*; Alij contrà, studium nostrum pro vobis; omnes autem addunt, *ad vos*. Sanè posterior lectio sicut in præstantioribus est exemplaribus, ac nominatim in Complutēsi & Regio, necnon in commentarijs veterum, annuente etiam Ambrosiano; sic & sensum habet obuium ac facilē, huiusmodi; Sed etiā, ac præcipuè, id *feci*, vt innotesceret studium ac solicitudo nostra pro salute vestra. id est, me potissimum mouit cura totius ecclesiæ seu corporis vestri; quæ per epistolam erat apud vos declaranda. Locus sic intellectus ostendit prępcipuam excommunicantis intentionem esse debere, vt, quemadmodum hoc loco Chrysostomus & Theophylactus significant, à peccati contagio totum corpus seruetur incorruptum, etiamsi fortè salus excommunicandi fuerit desperata. Vnde & in priori epistola c. 5. dixerat, *Modicum fermentū totam massam corrumpit*. Et iterum: *Auferte malum ex vobis ipsis*. Alteram Græcorum lectionem videat, qui volet, expositam à Caietano in commentario, & ab Erasmo in annotationibus; qui tamen in paraphrasi, mutata sententia, priorem lectionem vt meliorem sibi sumsit explicandam. Quod sequitur, *coram Deo*; vel iurantis est, sicut illud Gal. 1, *Ecce coram Deo, quia non mentior*. q. d. Testis est Deus quod ad manifestandam meam pro vobis solicitudinem id fecerim. Sic enim & Thomas putat intelligi posse. Vel potiùs, significat solicitudinem suam fuisse sinceram & ex charitate profectam, qualem velit probari coram Deo iudice.

Solicitudo episcopi pro grege suo, dum quēpiam excommunicat.

13 IDEO CONSOLATI SVMVS. Id est, consolationem accepimus, vt legit Ambrosianus. Sequitur:

IN CONSOLATIONE AVTEM NOSTRA, ABVNDANTIVS MAGIS GAVISI SVMVS SVPER GAVDIO TITI. Notanda est huius loci varia lectio atque distinctio. Ambrosianus ac cæteri Latini cum nostra versione consentiunt. Greci codices qui nunc circūferuntur, ita habent: Propter hoc cōsolati sumus super

consolatione vestra: Abundâtius autem magis gauisi sumus super gaudio Titi. Quæ lectio etiam apud Oecumenium est. Porrò Chrysostomus & Theophylactus similiter quidem vt Latini, distinxisse videntur; sed cum hodiernis Græcis id habent commune, quod pro *nostra* legunt *vestra*. Sensus Latinæ lectionis potest esse talis; Quoniam inuenti estis puri & incontaminati in negocio; idcircò consolationem accepimus. Atque in ea consolatione multo etiam magis gauisi sumus propter gaudium Titi, q. d. gaudium Titi vehementer auxit consolationem nostram quam ex vobis accepimus. Eadem est sententia lectionis tertio loco allatæ. Nam consolationem vestram Theophylactus interpretatur actiuè, qua nimirum vos consolati estis me; vt hoc pacto eadem sit consolatio vestra & nostra. At verò secundæ lectionis diuersam adferentis distinctionem, hic videtur esse sensus; Cùm hæc omnia ita se habeant; consolationem & gaudium cepimus ex vobis, vtpotè qui iam correcti, nobis afflictis fueritis materia solatij: nam nostram consolationem & gaudium maiorem in modum auxit gaudium Titi quod cepit ex vobis. Distinctionem hanc, & sensum, probabilem facit tum præpositio Græca ἐπὶ, quæ eadem est in vtroque membro; tum quòd videatur hîc esse quædam repetitio eius quod suprà dixerat, se consolatum à Deo non solùm in 16 aduentu Titi, sed etiam in consolatione quâ ille receperat à Corinthijs. Adde, quod illud, *consolati sumus* in consolatione vestra, dictû appareat Hebræa phrasi; quales sunt in scripturis, timere timorem, concupiscere concupiscentiam, laudare laudem, videlicet actu posito pro re obiecta. Verba sequentia explicant gaudium Titi.

QVIA REFECTVS EST SPIRITVS EIVS AB OMNIBVS VOBIS. Græcè, *quia requieuit*, vt & legit Ambrosiaster; id est, refocillatus est, ac recreatus ab anxietate quam propter vos patiebatur. Nam vos inuenit correctos. Quod autem dicit, *ab omnibus vobis*; non singulos significat, sed ecclesiam, seu corpus ipsum.

14 ET SI QVID APVD ILLVM DE VOBIS GLORIATVS SVM; NON SVM CONFVSVS: Hoc quoque referendum est ad consolationem Pauli; quod nimirum ob ea quæ apud Titum prædicauerat de fide & profectu Corinthiorum, gloriatus in illis tanquam pater in filijs à se genitis & institutis; non esset pudefactus, tanquam inaniter & falsò gloriatus. Dicit autem, *si quid*, quia parcè gloriatus fuerat propter vicia quæ adhuc apud illos regnabant. 1

SED SICVT OMNIA VOBIS IN VERITATE LOCVTI SVMVS; Id est, sicut quæcumque vobis tanquam apostolus prædicaui, vera fuerunt; quia sermo noster qui fuit apud vos, vti dixit 1. capite, *non est in illo Est & Non, sed Est in illo fuit.*

ITA ET GLORIATIO NOSTRA QVÆ FVIT AD TITVM, VERITAS FACTA EST. Hoc est, Ita & verba mea quibus apud Titum de vobis fueram gloriatus, comperta sunt esse vera. Titus enim tales vos inuênit, quales ego vos apud eum descripsi.

15 ET VISCERA EIVS ABVNDANTIVS IN VOBIS SVNT. Græcè *in vos* vel *ad vos*. Viscera, phrasi consueta, vocat intimos affectus.

REMINISCENTIS OMNIVM VESTRVM OBEDIENTIAM. Malè in quibusdam codicibus legitur reminiscentes. Sensus autem sententiæ est; Ipse etiam Titus cùm antehac vos diligeret, nunc multo magis ex intimis animi visceribus erga vos afficitur; dùm recordatur & secum recolit quanta cum obedientia susceperitis nostra monita, quæ ad vos detulit.

QVOMODO CVM TIMORE ET TREMORE EXCEPISTIS ILLVM. Hoc est, dum iterum recordatur & in memoriam reuocat, quanta cum solicitudine eum à nobis missum susceperitis, metuentes ne quid in vobis esset quod eum offenderet. Tale quid enim significat illa locutio, *cùm timore & tremore*. vt psalmo 2, *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. & Phil. 2, *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*. Vide Commentarium nostrum ad 1. Cor. 2. v. 3.

16 GAVDEO QVOD IN OMNIBVS CONFIDO IN VOBIS: *In omnibus*, id est, per omnia, & vsquequaque. Bifariam autem hanc partem Theophylactus & Oecumenius exponunt. Vno modo: *Gaudeo quòd tales inuenti sitis qui non pudefaciatis me, sed fiduciam præbeatis amplius in posterum gloriandi de vobis.* Aliter. *Gaudeo me tantum fiduciæ inuenisse apud vos, vt absque periculo offensionis possim liberè vobiscum agere, monendo, corripiendo, increpando, atque etiam petendo quippiam à vobis.* Annotat enim Oecumenius, hoc dicere apostolum, vt viam præstruat orationi subsequenti de eleemosyna. Huic posteriori sensui fauet illud quod suprà vers. 4. dixit, non dissimili sermone, *Multa mihi fiducia est apud vos*. Nam ibidem de gloriatione, velut diuersum quid, subiunxit, *Multa mihi gloriatio pro vobis*. Fauet & illud quod legitur infrà, c. 10. in prine.

CAPVT VIII.

NOTAM AVTEM VOBIS FACIMVS, FRATRES, GRATIAM DEI, QVÆ DATA EST IN ECCLESIIS MACEDONIÆ. Ab hoc capite facit Theodoretus initium tomi secundi huius epistolę. Continet autem hoc caput cum eo quod sequitur, exhortationem Corinthiorum ad largam eleemosynæ collationem faciendam in pauperes fideles qui erant Ierosolymis,

& in Iudæa. Nam quia brevis ad eam rem admonitio, quam fecerat in extrema parte prioris epistolæ, parum videbatur eos mouisse; necessarium putauit idem nunc prolixiùs atque efficaciùs agere. Estque totus hic locus moralis, ad commendandum meritum eleemosynę. Incipit autem apostolus à narratione; qua quid iam à Macedonibus actum esset, exponit; idque non sine egregia eorum commendatione; vt horum exemplo Corinthios ad parem liberalitatem exstimulet. Dicit ergo, *Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei* &c. id est, Reddimus vos certiores de beneficio diuinitus collato in ecclesias Macedoniæ; scire vos volo, quantum boni Deus in illis operatus fuerit. Loquitur autem (vti sequentia verba declarant) de duplici bono, videlicet patientiæ & beneficentiæ. Quod vtrumque nomine gratiæ diuinitus datæ complectitur; quia, vt annotat Thomas, quicquid boni facimus, est ex gratia Dei. Nonnulli sic exponunt. Certiores vos facio de eleemosyna quam in ecclesijs Macedoniæ collegimus. Nam & ipsam eleemosynam interdum vocabulo gratiæ significari, constat ex illi verbis, 1. epistolæ cap. 16, *Quos probaueritis per epistolam, hos mittam perferre gratiam vestram in Ierusalem.* Quin & consequentibus huius capitis modò beneficium siue eleemosynam datam, modò ipsum opus beneficentiæ, gratia vocatur ab apostolo. Sed notandum est eleemosynam tum hoc capite, tum alibi simpliciter gratiam vocari, vel gratiam eorum qui eam tribuunt; non autem gratiam Dei; sicut in hac parte loquitur apostolus. Denique gratiam Dei sic intelligendam esse hoc loco, vt generatim ad bona opera referatur, satis probat quod sequitur;

Commendatio meriti permagni quod est in eleemosyna.

Eleemosyna non fit salutariter sine speciali Dei gratia.

2

QVOD IN MVLTO EXPERIMENTO TRIBVLATIONIS, ABVNDANTIA GAVDII IPSORVM FVIT. Interpres verbum *fuit* de suo addidit, vt orationem alioqui imperfectam absolueret. Oecumenius ex sequenti parte supplendum putat verbum *abundauit*, siue exuberauit; tanquam dicat apostolus, abundantiam abundasse. Cæterùm Ambrosianus nomen *abundantia* mutauit in verbum. Sic enim legit. Quod in multa probatione pressuræ abundauit gaudium ipsorum. Sensus autem est. Primum quidem vobis notum facio de fratribus Macedonibus, quòd multas afflictiones passi & per eas probati, magnum ex ea re gaudium perceperunt, iuxta id quod ad Rom. 5. scribit idem apostolus: *Gloriamur in tribulationibus; scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem*, spes autem gaudium gignit; secundum illud eiusdem epistolæ cap. 12, *Spe gaudentes.* Dicuntur autem homines probari per tribulationes, quia per eas innotescit eorũ virtus & constantia. Caietanus & alij quidam exponunt hoc modo; Quod multas experti tribulationes, valde sunt gauisi. Sed hic commentarius refellitur ex vocabulo Græco δοκιμὴ, quod in scripturis probationem significat, qualem sumus iam interpretati. Quęritur autem de qua tribulatione Macedonũ hîc loquatur apostolus. Sunt qui existiment eum loqui de tribulatione cuius mentio fit Act. 16, vbi Paulus & Silas Philippis ciuitate Macedoniæ leguntur affecti plagis, & missi fuisse in carcerem. At ea afflictio non tã Macedonum fidelium, quàm apostolorum fuit; eademque statim post vnã noctem cessauit, vt ex historia Actorum liquet. Deinde sciendum, illam afflictionem multo tempore ante scriptam epistolam contigisse, scilicet in primo accessu Pauli ad Macedones, vt ex eadem historia manifestum est. Hîc autem recentiorem aliquam Macedonum afflictionẽ Corinthijs vult indicare. quam ob rationem, nec de ea videtur hic locus intelligi posse, cuius ad Thessalonicenses (qui & ipsi Macedones fuère) scribẽs meminit, 1 epistolæ cap. 2, dum ait eos similia passos à contribulibus, qualia Iudæi fideles à suis. Nam & hanc afflictionem multo antè contigisse, vel ex eo constat, quòd prior ad Thessalonicenses epistola, scripta fuerit ab apostolo omnium prima. Quocirca magis placet id quod verisimilius putat Caietanus, apostolum loqui de tribulatione cuius meminit capite superiori, dicens: *Cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra; sed omnem tribulationem passi sumus* &c. Hanc enim tribulationem credibile est cæteris quoque illius loci fidelibus cum apostolo fuisse communem. Nisi magis placeat, loqui apostolum in genere de tribulationibus antea illatis, siue olim, siue recenter; ex quibus inciderant in paupertatem; ac sensus sit, quod in tam multis tribulationibus fuerint gauisi; & gaudeant adhuc in sua paupertate.

ET ALTISSIMA PAVPERTAS EORVM ABVNDAVIT IN DIVITIAS SIMPLICITATIS EORVM. Hæc altera gratia est, commendationem accipiens ex priori. Valde enim laudabile est, animi constantis argumentum, inter persecutiones à pio opere non desistere. Ambrosianus legit, *& profunda paupertas* &c. Græca sonant quasi dicas; & in profundum depressa; vel, ad fundum vsque exhausta, paupertas eorum; vt sit iucunda quædam antithesis inter profundam paupertatem & sequens verbum *abundauit*. Itaque, præter mentem apostoli est, quod glossa quędam, quam Thomas ita citat vt non probet, paupertatem altissimam interpretatur sublimẽ, propter eleuationem spiritus, tanquam è sublimi despicientis res temporales. Sensus autem apostoli est. Hoc quoque vobis notum facimus quòd profunda & magna eorũ paupertas exundauit in opulentam synceri cordis largitatem. Quod explicatius ita dici potest. Macedones fratres quamuis valde pauperes sint (nam direptionem bonorum passi fuerunt à ciuibus suis, vt indicat locus 1 Thessalon. 2, quem hîc citauit Theophyla-

Ingens liberalitas pauperũ Macedonum.

ctus &

ctus & Oecumenius) abundanter tamen, & quidem simplici corde, contulerunt in vsum pauperum sanctorum qui sunt in Iudæa. Videtur apostolus ipsam largitatem seu collationem vocare simplicitatẽ; propterea quòd Deo non sit accepta nisi ex simplicitate, id est sinceritate, cordis procedat, qua nimirum non aliud spectetur quam quod in dandis eleemosynis spectandum est, scilicet vt pauper subsidio iuuetur, & Deus honoretur. Nam qui aliud opere ostendit, aliud animo cogitat, cor duplicat; vti loquitur Augustinus; velut si quis ob inanem gloriam, vel vt pauperem sibi deuinciat, vel (vti sequenti capite dicitur) *ex tristicia aut necessitate* tribuat. Cuiusmodi vitiosis & impuris affectibus sæpe contingit diuitum eleemosynas inquinari.

3 QVIA SECVNDVM VIRTVTEM, TESTIMONIVM ILLIS REDDO, ET SVPRA VIRTVTEM VOLVNTARII FVERVNT. Id est, non modò pro tenuitate suarum facultatum, sed etiam supra vires, voluntarij ac sua sponte prompti fuerunt ad tribuendum; q. d. suis etiam necessitatibus detraxerunt quod tribuerent; quod est supra vires tribuere. Sed hoc ipsum intelligendum est secundum dictamen rectæ rationis; quæ aliquando suadet supra vires, modo iam explicato, dandum esse: vt si alius magis egeat, aut valde dignus sit beneficio. Nam præter huiusmodi rationem, talis largitio non esset actus virtutis; quemadmodum bene Caietanus admonet. Quod autem interponit apostolus, *testimonium illis reddo*, Græcè μαρτυρῶ, *testor*; (nam pronomen *illis* addidit interpres de suo) ad totam sententiam, cum Ambrosiano referri potest, qua secundum vires & supra vires affirmantur voluntarij fuisse Macedones. quamuis si quis referat ad solam partem posteriorem, *supra vires*, non videbitur aberrare. Pro *voluntarijs*, in Græco vocabulum est αὐθαίρετοι; spontaneę & propriæ electionis significatiuum, quod manifestè pro libero facit arbitrio; cõtra nostræ ætatis hæreticos. Porrò se testem facit apostolus liberalitatis Macedonum, eoquod ipso præsente gesta essent quæ scribit,

Supra vires eleemosynam facere, quando laudabile.

Liberum arb.

4 CVM MVLTA EXHORTATIONE OBSECRANTES NOS, Melius ni fallor verti poterat, *cum multa obsecratione*, siue *obtestatione*, *rogantes nos*. Ambrosianus, *cum multis precibus orantes*.

GRATIAM ET COMMVNICATIONEM MINISTERII QVOD FIT IN SANCTOS. Græci codices addunt *suscipere nos*; tametsi Chrysostomi textus id non habet, vti nec quatuor exemplaria Roberti, nec Theophylactus, qui annotat eiusmodi quid deesse ac supplẽdum esse. Legitur autẽ apud Ambrosianum; eiusdẽque commentando meminerunt Primasius, & Scholiastes Hieronymianus. Sanè necessarium est ad sensum, vt legatur aut suppleatur; Nam sensus est, Obsecrantes nos vt de manibus ipsorum susciperemus eleemosynam (hanc enim gratiæ nomine tanquam beneficium ac gratuitum munus appellat).

ET COMMVNICATIONEM. Græcè *communionem*; hoc est, pecuniam à se collectam & fratribus communicandam; vt scilicet ea nostro ministerio perferretur ad pauperes sanctos qui sunt Ierosolymis. Nam Paulus, vt in Actis cap. 11. fin. & 12. fin. legitur, huic ministerio præfectus erat. Quid vocet communionem, intelligi potest ex illo Rom 12, *Necessitatibus sanctorum communicantes.*

5 ET NON SICVT SPERAVIMVS. Supplenda est sententia; Et non solùm sicut sperauimus, egerunt. Sentit enim Macedones spem ipsius & exspectationem superasse. Alij sic exponunt. Et non factum est sicut putabamus futurum; quia propter bonorum direptionem quam passi fuerunt, videbantur sese excusaturi.

SED SEMETIPSOS DEDERVNT, PRIMVM DOMINO; DEINDE NOBIS, PER VOLVNTATEM DEI. *Deinde* non est in Græco, sic enim habet. *Primum Domino, & nobis*. Rectè tamen ad sensus explicationem additum est ab interprete nostro & alijs. Sed, inquit, præter spem nostram, non sua modò, verùm & semetipsos obtulerunt ac tradiderunt, *primum Domino* Christo; *deinde & nobis* eius ministris, vt scilicet nos tanquam vice Christi Domini, tantum ab eis acciperemus in subsidiũ pauperum sanctorum, quãtum nobis placeret; declarantes se totos esse Christi & ministrorum eius; & proinde paratos facere quicquid iniungeremus. Id autem fecerunt *per voluntatem Dei*, hoc est secundum voluntatem Dei. Nam Deo gratum quòd homines se totos submittãt Christo & eius vicarijs. Vel, *per voluntatem Dei*, id est, Deo tam piũ affectum subiectionis, & beneficentiæ in eorum cordibus operante. Porrò digna est annotatu consideratio Photij, apud Oecumenium, circa factum Macedonum hîc à Paulo commendatum; in quo sex quędam præclara dicit obseruãda. Primum, quòd secundum vires contulerunt. Secũdum, quòd supra vires. Tertiũ, quòd volũtarij. Quartũ, quòd multa cum obtestatione. Quintum, quòd supra quàm ab eis sperabatur. Sextum idemque cæteris maius, quod seipsos dederunt Domino & ministris eius.

6 ITA VT ROGAREMVS TITVM, VT QVEMADMODVM CEPIT, ITA ET PERFICIAT IN VOBIS ETIAM GRATIAM ISTAM. Græca sonant in hunc modum: *In hoc, vt rogaremus*, siue *adhortaremur, nos Titum, vt quemadmodum antea cepit, ita & perficeret in vos*, siue *ea gratia vos, etiam gratiam istam*. Nonnulla etiam Latina habent, *in vos*. Caietanus volens illud, *in hoc* iungere præcedentibus, multumque se torquens vt tollat contextus duriciem, vti loquitur; ostendit se, Græcè imperitum, non perspicere quid Græcorum verborum contextus postulet. Nã certè vetus interpres,

astipu-

aſtipulante etiam Ambroſiano textu, ſenſum apoſtoli expreſſit. Eſt enim ſenſus huiuſmodi. Tam egregium & laudabile Macedonum exemplum me impulit ad hoc vt exhortarer & rogarem Titum, vt quemadmodum dudum, quum apud vos eſſet, incepit, ita & perficiat erga vos (aut in vobis) etiam gratiã iſtam de qua nunc ſermo eſt, id eſt, eleemoſynæ in Ieruſalem mittendę collectionem. Dicit *etiam*; vt innuat Titum alia quædam apud ipſos iam perfeciſſe, atque ex eo ſpem eſſe vt & hanc gratiam perficiat. Illud, *ad vos*, quod interpres vertit, *in vobis*, poteſt etiam in hunc ſenſum explicari, ſuſcepta denuò ad vos profectione. Ad hanc enim teſtatur apoſtolus infrà, ſe Titum exhortatum fuiſſe. Notandum obiter, Interpretem nunc *rogandi*, nunc *exhortandi* verbo, reddere idem vocabulum Græcum hoc capite & ſequenti; quẽadmodum facit & alibi. Solet enim exhortatio preces habere coniunctas.

7 SED SICVT IN OMNIBVS ABVNDATIS FIDE ET SERMONE ET SCIENTIA. Aduerſatiua particula *ſed* refertur ad gratiam adhuc imperfectam verbis proximè antegreſſis ſignificatam; tametſi alij vertere malunt, *ímo*; ſicut capite ſuperiori. Senſus eſt: Sed ſicut per omnia & prorſus abundatis fide, & gratia ſermonis, & ſcientia. Quo ſenſu dicat his donis abundare Corinthios, qui multa adhuc egebant inſtructione; explicatum à nobis eſt ad illud 1. epiſtolę cap. 1, *In omnibus diuites facti eſtis, in omni verbo, & in omni ſcientia, ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia.* Ex quo etiam loco, petendum eſt quid per *ſermonem* & *ſcientiam* velit apoſtolus ſignificare.

ET OMNI SOLICITVDINE. Græcè *diligentia*. Hanc ſuperiori capite commendauit in Corinthijs. Vnde apparet ſignificari ſolicitudinem quã habebant pro ſalute fratrum;

INSVPER ET CHARITATE VESTRA IN NOS. *Inſuper*, in Græcis & Syris non eſt. mss. quoque latina quædam non habent. Græcè hic legitur, Et ea quæ ex vobis in nobis eſt charitate. Quod interpres bene vertit, *& charitate veſtra in nos*, id eſt, ea quæ procedit ex vobis, diligentibus; in nos, dilectos.

VT ET IN HAC GRATIA ABVNDETIS. Ambroſianus textus ad complendum ſenſum, addit *facite*. Quod Eraſmus quoque & Hentenius imitati ſunt. Alij ſupplent, *hortamur*, aut quid ſimile. Verùm huiuſmodi ſupplemento non eſt opus. Pendet enim adhuc oratio ab eo loco; *Ita vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cepit* &c. Dicit enim ſe hortatum fuiſſe Titum, vt quod de colligenda eleemoſyna ceperat apud Corinthios, perficiat; & per hoc, Corinthij ſicut alijs abundant chariſmatis, vt etiam in hac eleemoſynaria gratia abundẽt, videlicet liberaliter ac promptè tribuendo. Dicens autem, *& in hac gratia*, ſignificat etiam præcedentia quæ enumerauit, fidem, ſermonem &c. gratias eſſe. Quare, gratia hoc loco non idem eſt quod beneficentia, quomodo eam tranſtulit Eraſmus; ſed in genere ſignificat gratuitum Donum; ſub quo, inter alia, continetur eleemoſynæ ſeu beneficentiæ virtus.

8 NON QVASI IMPERANS DICO. Græcè, *Non ſecundum imperium dico*, quemadmodum & Ambroſianus legit. Atque ita alibi vertit ipſe noſter interpres, vt 1 Cor. 7. *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium*. Senſus eſt. Nolo vos vrgere præcepto; quamuis alioqui poſſem vt veſter apoſtolus. Sic enim ad Philemonem ait; *Fiduciam habens imperandi tibi; magis obſecro, ſiue adhortor*. Quare non pugnant cũ hoc loco ea quæ leguntur prioris epiſtolæ c. 16. *Sicut ordinaui eccleſijs Galatiæ, ita & vos facite*. Nam quod ibi dicitur, magis videtur pertinere ad modum eleemoſynam paulatim colligendi per vnumquemque ſeparatim, & vt de contributione ipſa illic eſſet præceptum apoſtoli: tamen locum habere poteſt quod hîc ait, ſe non agere imperiosè, ſe nunc non agere vt imperantem, ſed vt conſulentem quod ſaluti ſit perutile. Poteſt alia reſponſio dari ex Commentario hoc ad v. 10. Hinc ergo ne colligas eleemoſynam non eſſe in præcepto; quum, etiamſi Paulus præcipere non poſſet, Dei tamen præceptum ſufficere deberet.

SED PER ALIORVM SOLICITVDINEM, ETIAM VESTRÆ CHARITATIS INGENIVM BONVM COMPROBANS. *Solicitudinem*, rurſus pro ſtudio ac diligentia poſuit interpres; & *comprobans* dixit pro ſimplici probans. Quod autem vertit ingenium bonum, in Græco vna dictio eſt γνήσιον; id eſt ingenuum: atque ita vertiſſe interpretem nonnulli ſuſpicantur. Ambroſianus legit, *animum bonum*; vel, ſecundum alios codices, nudè & ſubſtãtiuè, *bonum*. Editio Syriaca, *conſtantiam* habet. Porrò *ingenuum*, pro ingenuitate, germanitate, ſynceritate, dictum eſt ab apoſtolo, iuxta conſuetudinem Græcæ linguæ; qua neutrum pro abſtracto frequenter vſurpatur. Senſus eſt. Sed propoſito exemplo diligentiæ aliorum, ſcilicet Macedonum, qui vos in hoc officij genere iam præuenerunt; etiam veſtrę charitatis indolem ac ſynceritatẽ probans; id eſt, huiuſmodi opere beneficentiæ exploratam ac probatam reddere volens. Nã, vt ait Gregorius homilia 30 ſuper euangelia probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Dicit autẽ *veſtræ charitatis*, quia de opere charitatis erga proximos loquitur.

9 SCITIS ENIM GRATIAM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Hortatur exemplo beneficentiæ Chriſti Saluatoris erga nos, quæ fuit incomparabiliter maior ea quam exigebat à Corinthijs. Cognoſcitis enim, inquit, à nobis edocti, quod & quantum beneficium in vos gratuitò contulerit Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

QVONIAM PROPTER VOS EGENVS FACTVS EST. Id eſt, quòd veſtri cauſa pauper

factus sit & indigens rerum temporalium, videlicet in assumpta natura; adeo vt ipse dicat Matth 8 *filius hominis non habet vbi caput reclinet*. Non solùm enim nihil proprium possidere volait in hac morrali vita; sed insuper etiam penuriam pati. Quod inter egenum & pauperem hîc quidam distinguunt, rationem adferentes cur apostolus non dixerit, pauper, sed egenus; tanquam plus sit egenum esse quàm pauperem: piè quidem illi, sed extra textum contemplantur, cùm verbum Græcum propriè significet pauperem fieri, paupertatem pati, subire. Rectiùs alij, qui ex hoc loco & similibus, eorum refellunt opinionẽ, qui Christo vt homini tribuunt regnum & dominationem temporalem totius mundi. Nam temporalis administratio regnorum parum conuenienter attribuitur ei qui bonorum temporalium inopiam elegerit. Imò verè & propriè secundum naturam humanam egenus non erat, si secundum eam, vt illa habet opinio, ita Dominus erat orbis terrarum, vt omnium bonorum temporalium haberet proprietatem. Sic autem dictum est; *Propter vos egenus factus est, cùm dives esset*; vt si diceretur, Propter vos mortalis factus est, cùm esset immortalis; scilicet vtrumque verè ac propriè: alterum vt homo, alterum vt Deus.

CVM DIVES ESSET. Intellige, in natura diuina; vel quia sibi sufficientissimus in bonis suæ diuinitatis, vel quia Dominus omnium rerum ac totius creaturæ. Græcè, *dives existens*. Neque enim dives esse desijt, quando pauper factus est: quia non desijt esse Deus, quando factus est homo.

VT ILLIVS INOPIA VOS DIVITES ESSETIS, Vel, ditesceretis; vtroq; enim modo verti potest verbum Græcum. Sensus. Vt illius paupertate in temporalibus, vos efficeremini diuites in spiritualibus. Doctè verò sensum hûc explicat Thomas in commentario, docens apostolum hoc dicere propter duo; nempe propter exemplum & sacramentum. Propter exemplum quidem, quia si Christus amplexus est paupertatem; & nos illius exemplo eam diligere & amplecti debemus. Propter sacramentum autem, quia quęcumque Christus egit aut sustinuit, pro nostra salute fecit. Vnde quemadmodum per hoc quod mortẽ sustinuit, liberati sumus à morte æterna ac vitæ restituri; sic per hoc quod sustinuit inopiã in temporalibus, liberati sumus ab inopia rerum spiritualium, & facti earum diuites. Vtitur autem apostolus secunda persona potiùs quàm prima; tum vt fortiùs premat Corinthios, tum quia respicit ad illas Corinthiorum diuitias de quibus priori epistola cap. 1, *quòd in omnibus*, inquit, *diuites facti estis in illo*. Cæterùm intelligendam relinquit Corinthijs applicationem istius sententiæ, hanc aut similem; Quòd si Christus cum dives esset temporalem sustinuit inopiam, vt spiritualiter vos ditaret; vtique debetis, vt eum quadantenus imitemini, temporalia vestra saltem absque inopiæ periculo fratribus communicare.

ET CONSILIVM IN HOC DO. *In hoc*, casu ablatiuo; id est, in hac re; vt ex Græco patet. Superius dixit, se nolle imperare tanquã apostolum; Nunc consilium dat tanquam amicus. Sic enim & Daniel regem iniquum alloquitur dicens, *Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum*. At verò ex his scripturis non sequitur eleemosynam esse consilij tantùm, non etiam præcepti, superfluum habentibus; Nam licet Paulus imperare nollet sed tantùm hortari Corinthios (sępè enim hortando & rogando plus obtinetur quàm imperando); tamen ex Dei prȩcepto passim in scripturis expresso, adeoque ex lege naturali, tenebãtur Corinthij tanquã diuites ad hoc genus misericordię prȩstandum; quemadmodum & sine dubio rex ille apud Danielem tenebatur. Itaque præceptum Dei erat; etsi consilium esset hominum, qui vel nollent vel non possent præcipere. quomodo sępe ægrotis à medico consulitur, quod tamen ab eis exigit lex naturæ. Adde, quòd præceptum Dei non erat vt Corinthij darent ita abundanter pro ratione facultatum, sicut fecerant Macedones, quorum exemplo apostolus illos prouocabat. Denique non omnes Corinthij habebãt superfluum; cùm tamen omnium esset collecta. Quòd autem in genere debitum fuerit à Corinthijs hoc subsidium, & qua ratione debitum illis pro quibus petebatur; ostendit apostolus Rom. 15. Ad quem locum, eiusque commentarium, lectorem remitto. Videat etiam quæ diximus 1. Cor. 16. in pr.

HOC ENIM VOBIS VTILE EST. Rationẽ dat consilij. Nam, inquit, hoc quod consulo, id est opus eleemosynæ, vobis conducit & vtile est, non ad bonum aliquod temporale, sicut vtile est accipientibus; sed ad bonum spirituale, scilicet ad Deum promerendum, *Talibus enim hostijs promeretur Deus*, ait Heb. 13, de beneficentia & communione loquens.

QVI NON SOLVM FACERE, SED ET VELLE CEPISTIS AB ANNO PRIORE. Laudem miscet exhortationi, vt in superioribus; tametsi & sub laude subsit occulta reprehẽsio tarditatis ad perficiẽdum, vt infrà explicabitur. Habet autem obscuritatẽ & difficultatẽ hæc sententia, cùm potius contrà dicendũ videretur, *Non solum velle sed & facere cepistis*. Siquidem pluris ęstimatur facere quàm velle tantùm; parum enim est velle, nisi efficaciter velis, faciasque quod volueris. Opinantur quidam verba transposita esse, & contrario ordine legenda; quomodo legitur in Syriaca versione. Verùm id contra fidem est omnium Grȩcorum & Latinorum exemplarium. Gregorius lib 20 moralium cap. 26 citans hunc apostoli locum, docet quomodo

plus sit velle quàm facere. Facile quippe est, inquit, in bono opere obedire, etiam nolentem; sed hæc magna in discipulis virtus extiterat, eos bonum quod illis præceptum est, & antè voluisse. Sic ille. Plerique verò sic exponunt, Qui non solùm nunc facere, sed etiam ab anno superiore velle cœpistis, id est, faciendi voluntatem habuistis, q. d. Quod nunc facere cœpistis, id non ex repentino motu animi, sed ex matura & bene deliberata prodijt voluntate, quę initium habet ab anno superiore. Quæ quidem expositio valde probabilis est, Non enim Corinthij facere cœperant ab anno priore, quos apostolus in prima epistola sic hortatur tanquā nihil adhuc fecissent; velle tamen cœperant. Sed pro maiori explicatione sciendum Græca sonare ad hunc modum, Qui non solùm ipsum facere, sed & ipsum velle priùs incepistis ab anno superiore. Quod interpretes sic intelligunt; Priusquàm ego vos hortarer, adeoque sponte vestra, velle cœpistis, iam inde ab anno præterito. Potest autem & hoc modo intelligi; Qui non solùm priusquàm Macedones incepistis facere, sed etiā priùs incepistis velle; id est, voluntatem vestram declarare, nimirum ab anno superiore. Nam, vt patet ex vltimo capite prioris epistolę, nondum apostolus venerat in Macedoniam de collecta facienda cum Macedonibus actutus, quando Corinthios ad collectas hortabatur. Indicat hunc sensum Caietanus, dicens apostolum significare quòd Corinthij non inceperint exemplo Macedonum moti; idque propterea, ne molestè ferrent Macedones sibi in exemplum proponi, q. d. Alia parte vos illis estis potiores; quia priusquam illi, & facere & velle cœpistis; quamuis illi iam vos præuenerint perficiendo. Sensum hunc confirmat illud quod scribit capite sequenti; *De vobis glorior apud Macedones quoniam & Achaia parata est ab anno præterito; & vestra æmulatio prouocauit plurimos.* Pro sēsu Caietani facit quod apostolus 1 Cor 16 non dixit, Sicut ordinaui ecclesijs Macedonię; sed dū taxat, *Sicut ordinaui ecclesijs Galatiæ*: quia tunc ecclesijs Macedoniæ nondum ordinauerat id de quo ibi loquitur.

NVNC VERO ET FACTO PERFICITE. Græcè, *nunc autem & ipsum facere perficite*; vt verisimile sit interpretē vertisse, (factum) non (facto). Non igitur sensus est, Quod voluistis, perficite facto; sed, sicut explicatius alij transtulerunt, Quod facere cœpistis, perficite. Iam enim facere inceperant Tito hortante; de quo paulo antè dixit, se eum rogasse, vt quemadmodum cœperat, ita & perficeret in illis hanc gratiam. Tacitè verò taxatur Corinthiorum tarditas præ Macedonibus in colligenda eleemosyna; vt qui rem ante annum inceptam nondum absoluissent.

VT QVEMADMODVM PROMPTVS EST ANIMVS VOLVNTATIS. In Græco non exprimitur verbum. Nam potest etiam suppleri præteritum, fuit; hoc modo, Vt quemadmodum adfuit vobis animi promptitudo qua velletis, scilicet ab anno superiore.

ITA SIT ET PERFICIENDI, EX EO QVOD HABETIS. Græcè, *Ita & perficere ex ipso habere.* Videtur autem interpres priori loco legisse τῷ pro τὸ. Sensus est, Ita vobis adsit & perficere, id est, Ita & perficiatis; idque ex eo quod haberis & possidetis, hoc est, secundū facultates, q. d. Sic hortor ad perficiendum, vt tamen nihil exigam à vobis supra vires. Potest etiam, retento eodem sensu, verbum (*habere*) referri ad *promptum animum*; vertendo, *ex eo quod habet*, siue *possidet*; quomodo vertit Hentenius. Atque eò refertur verbis sequentibus iuxta nostram versionem.

12 SI ENIM VOLVNTAS PROMPTA EST. Græcè. *Si enim promptitudo animi præiacet.* Est enim idem vocabulum, quod modò verterat, promptum animum. *Præiacet* autem, dictum, pro eo quod est, præcedit, priùs adest; videlicet tanquam boni operis fundamentum.

SECVNDVM ID QVOD HABET ACCEPTA EST, NON SECVNDVM ID QVOD NON HABET. Græca plenius sic redduntur, *Iuxta quodcumque illud est quod habeat aliquis, acceptabilis est; non iuxta quod non habet.* Et quidem (acceptabilis) vel ad personam quam designat istud *aliquis*; vel ad voluntatem promptam, æquè referri potest: ac certè, cum nostro interprete, melius ad voluntatem. Vsitatius enim de rebus, quàm de personis, dicitur εὐπρόσδεκτος; velut supra cap. 6. *Ecce nunc tēpus acceptabile*; significans id quod meritò est acceptandum. Sensus totius sententię est, Quod si supperit prompta animi voluntas ad dandum; ea meritò acceptanda est, si quisq; det iuxta modum suarum facultatum, siue multum illud sit, siue parū; ita vt nō exigatur à quoquam amplius, quàm pro ratione eius quod habet ac possidet.

13 NON ENIM VT ALIIS SIT REMISSIO, VOBIS AVTEM TRIBVLATIO: Significantius apud Ambrosianum, *Non enim vt aliis relaxatio sit, vobis autem angustia.* Supplenda est autem oratio, Non enim sic moneo largiendum esse, vt alij ex vestris eleemosynis abundent ac plus habeant quàm opus sit ad eorum inopiam leuādam; vos autem angustiam patiamini.

14 SED EX ÆQVALITATE IN PRÆSENTI TEMPORE VESTRA ABVNDATIA ILLORVM INOPIAM SVPPLEAT. In multis Latinis codicibus post, *æqualitate*, punctum figitur; vt noua sententia sit, *In præsenti tēpore* &c. Græci verò continuam faciunt orationem, coniunctione *vt* ex præcedenti parte supplendam; hoc modo, *Sed vt ex æqualitate in tempore præsenti* &c. Quod & sequū tur Ambrosianus, Thomas, Liranus, alijque nonnulli; vt sit sensus, Sed hoc volo

& exigo, vt vos qui bonis temporalibus abũdatis (erat enim Corinthus opulenta ciuitas) de veſtra copia illorum (ſcilicet fratrum qui in Iudæa ſunt) inopiæ temporali ſuccurratis; idque *ex æqualitate*, hoc eſt per quandam æqualitatem. vobis enim abundantibus, & illis indigentibus; multa eſt inæqualitas: quæ ad æqualitatem quandam reducetur, videlicet non mathematicam, ſed ciuilem; dũ præſtabitur vt ſit ſufficientia, vbi nunc eſt inopia. Sic enim æqualitas inter vos & illos erit, in eo quod eſt ſufficienter habere, & non indigere. Pronomen *illorum* quidam ad Macedones referunt; ſed ſanè præter apoſtoli mẽtem. Quod verò addit, *In præſenti tempore*, vel hunc habet ſenſum, durante dumtaxat illorum præſenti neceſſitate; quam ſperamus non diu duraturam: vel intellige, In hoc ſæculo. Nam in futuro ſæculo non erit opus. Vter ſenſus potior, mox patebit.

VT ET ILLORVM ABVNDANTIA VESTRÆ INOPIÆ SIT SVPPLEMENTVM. Sunt qui etiam hanc partem de temporalibus intelligant; hoc ſenſu, Vt alio tempore quando illos abundare & vos indigere continget, illi de ſua copia viciſſim veſtram ſuppleant inopiam. Pro quo intellectu facere putant id quod dixerat, *In præſenti tempore*, iuxta priorem eius particulę expoſitionem. Sed obſtat illud euangelicum Lucæ 14, *Ne fortè te & ipſi reuocent, & fiat tibi retributio. Beatus autem eris quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.* Quare nullo modo probabile fit, ſpe temporalis retributionis voluiſſe apoſtolũ hortari Corinthios ad eleemoſynam; quæ profectò iam non eſſet eleemoſyna, ſaltem pura; ſed mutui quandam ſpeciem haberet, ſi temporalem retributionem reſpiceret. Adde, quòd nec veri ſimiliter expectandum erat, vt qui in Iudæa erant fratres, aliquando locupletiores facti Corinthijs egentibus ſubuenirent. Nam illi partim omnia reliquerant, partim bonorum ſuorum rapinam paſſi fuerant; Corinthij verò ſua retinebant. Itaque iuxta communem, pene omnium, interpretationem de bonis ſpiritualibus hęc pars accipienda eſt; quemadmodum prior de temporalibus. q.d. apoſtolus, In hoc ſæculo veſtra temporalis abundantia ſuppleat illorum temporalem inopiam; vt viciſſim aliquando, nimirum in futuro ſæculo, ſpiritualis illorum abundantia veſtrę ſpiritualis inopiæ ſupplementũ fiat. iuxta illud Saluatoris: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, Lucæ 16. & illud ipſius apoſtoli, 2 Timoth. 1, *Det miſerico diam Dominus Oneſiphori domui; quia ſæpè me refrigerauit: det illi Dominus inuenire miſericordiã à Domino in illa die.* Sensũ hunc cõfirmat quod capite proximè ſequenti dicit apoſtolus, in eodem adhuc argumento perſiſtens; *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, vtique in futuro ſæculo. & quod ad Galatas 6, *Bonum facientes non deficiamus; tempore enim ſuo metemus non deficientes*: Iam & alibi bona ſpiritualia ſanctorum qui Ieroſolymis erant, ita commendat apoſtolus, vt dicat, *Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt gentiles; debent & in carnalibus miniſtrare illis.* Rom. 15. Igitur illi ſancti primique fideles, & iam prorogauerant ſpiritualia ijs à quibus temporalia recipiebant; & rurſum in futuro ſæculo ſpiritualia ſua ijſdem communicaturi erant; videlicet ea communione, qua in eccleſia Chriſti aliorum merita per charitatem ad alios deriuantur. Vnde locus hic apoſtoli, contra noſtræ ætatis hæreticos, oſtendit poſſe Chriſtianos minùs ſanctos, meritis ſanctorum adiuuari, etiam in futuro ſæculo. Denique notanda virtus eleemoſynæ, quæ facit hominem participem meritorum eius in quem confertur. Cæterùm qua ratione bonorum ſpiritualium inopiam hîc in Corinthijs taxet apoſtolus, qui in prima epiſtola cap. 1, laudauerat eos tanquam diuites in omnibus bonis ſpiritualibus; ex illius loci commentario petatur.

Aliorum bona opera alijs ſpiritualiter prodeſſe.

Et id operatur eleemoſyna.

VT FIAT ÆQVALITAS. Quidam repetionem eſſe putant eius quod antè dixit, *ex æqualitate*, vt tantùm de temporalibus ſit ſermo, iuxta ſenſum ibi datum. Quod enim ſequebatur: *Vt & illorum abundantia* &c. per parentheſim interiectum eſſe putat Gagnæus. At ſanè probabilius eſt, præſentem particulam referendam eſſe ad vtrumque membrum præcedens; vt æqualitatem apoſtolus intelligat fieri quadantenus, etiam in ſpiritualibus, inter abundantes & inopes; dum quod quibuſdam fidelibus deeſt ad ingreſſum regni cælorum, per aliorum ſanctorum merita, quibus in hoc ſęculo benefecerunt, ſuppletur. Fiunt enim hoc pacto ſanctis æquales, in eo quod eſt, ſufficientia bona habere ad ingrediendum in æterna tabernacula.

SICVT SCRIPTVM EST, Exodi 16, Quod enim ibi ſcriptum eſt de colligentibus manna, quædam figura fuit æqualitatis huius, tam temporalis quàm ſpiritualis, de qua loquitur apoſtolus.

QVI MVLTVM, NON ABVNDAVIT; ET QVI MODICVM, NON MINORAVIT, id eſt, defecit, minus habuit. Cæterùm in multis codicibus legitur oratione completa, *Qui multum habuit, non abundauit* &c. Syriaco textu aſtipulante; tametſi probabilius eſt verbum, *habuit*, non ab interprete, ſed poſtea ab alio quopiam ad ſupplendam ſententiam, additum eſſe. Nam in Græco nõ additur, nec apud Paulũ, nec apud LXX, ſed intelligẽdum relinquitur (habuit) vel potiùs (collegit) aut quid ſimile. S. Aug. cõmodam in ſuo codice habuit huius ſententiæ verſionẽ, lib. 2 contra aduerſ. leg. & Proph. c. 7. hanc, *Qui multũ non abundauit; qui modicũ, non defuit illi.* Senſus enim eſt; Non plus habuit

qui

qui plus collegit; neque minus habuit qui minus collegit: sed omnes æquè multum. Cùm enim filijs Israel præceptum esset, vt vnusquisque colligeret ex manna, quantum in diem sibi ad edendum sufficeret, scilicet mensuram gomor per singula capita; & tamē, vt fit, alij plus, alij minus colligerent: postquam explorabant id quod collegerant ad mensuram gomor, inuentum est, diuino miraculo, neminem quicquam vel supra vel infra mensuram habere; sed omnes tantum, quantum ea mensura capiebat; quæ eadem erat vnicuique panis diurni mēsura sufficiēs, nec redundās. Fuit autem ea res figura quędā vtriusque æqualitatis supradictæ; Impletur autē illa figura perfectè, quādo qui bonis terrenis abundāt, nihil volunt boni superfluū retinere, sed totū indigētibus elargiri; & qui diuites sunt spiritualium bonorū, quantum in ipsis est, cōmunicatione meritorum alios sibi adæquant. Potest autem hæc ex Moyse deprompta sententia, referri ad cōmunionē sacræ eucharistiæ; maximè quòd manna fuerit insignis quædā & expressa sacrę eucharistiæ figura. Quare sicut illic, *qui multum, non abundauit; & qui modicum, non minorauit*: Ita & in perceptione sacræ eucharistię, qui duplū sumit, id est, vtramque speciem, nō plus habet; & qui simplū, id est, alteram tantū speciem, nō minus habet: Sed fructus vtrimque est æqualis. Porrò circa superiorē apostoli doctrinā qua vult eleemosynas dari vsque ad quādam equalitatē accipientis cū dante; & pro absurdo habet ita eas dari, vt remissio sit accipiētibus, dantibus autem angustia; dubitabit aliquis, quomodo contra hanc doctrinam non faciant, qui iuxta consilium dominicum omnia quæ habent, dant pauperibus aut sæculo relinquunt, ipsi postea paupertate affligendi. Respōdet Caietanus Dominum in euangelio loqui de eleemosynis volentium mutare statum, id est, ex statu communi transire ad statum perfectionis; Paulum verò loqui de eleemosynis eorum qui in statu suo perseuerant. Horum enim, inquit, eleemosynæ moderatæ esse debent & commensuratæ facultatibus quas habent; illorum verò eleemosynæ debēt commēsurari mutationi status. Sed aduersus hanc responsionem in promptu obiectio est de vidua euangelica, à Domino laudata Marci 12 & Lucæ 21, quæ totum quod habuit, misit in gazophylacium. Respondere quidem ad hoc nititur Caietanus, dicens, id à vidua factum fuisse supra communem hominum regulam, aut fortè eam sibi aliquid ad victū reseruasse, cùm necessarium huiusmodi non consistat in indiuisibili; Verùm neutra solutio firma est: Non prior, quia quæcumque alia vidua similiter faceret, similiter esset laudanda, tanquam sequēs regulam rectę rationis. Non item posterior; quia pugnat cum expressis Domini verbis quibus apud vtrumque euangelistam dicit viduam de penuria sua misisse omnia quæ habuit, ac totum victum suum, id est, totum illud vnde viueret. Adde, quod vidua illa obtulit Deo, non pauperibus. Adde & hîc, quod dare pauperi minùs indigenti quā tu egeas, si tu fortior sis ad ferendā inopiam; non est inordinatum, sed magnæ charitatis opus. Et hoc faciunt qui dant omnia pauperibus, Christum nudi sequentes. Proinde magis probanda videtur responsio S. Thomæ quam accepit ex glossa interlineali, nempe quòd simpliciter melius sit totum dare pauperibus, & affligi pro Christo; intellige, modò id voluntariè fiat & forti animo; & ita quidem vt ne quis semetipsum in extremam necessitatem conijciat. quod non est putandum viduam illam fecisse, cùm ex labore manuum vixisse eam existimandū sit. Quod autem apostolus hoc loco docet, id, inquit Thomas, condescendendo fecit; quia infirmi erant Corinthij, de quibus metuendum esset, ne fortè deficerent à fide semel suscepta, si eius occasione inopia premerentur. Fortiores erant Macedones; qui etiā supra vires dare erant parati. Cui tamen responsioni illud etiam addendum, non licere eis qui familiam domi alendam habent, ita largiri pauperibus externis, vt domestici indigeant; esset enim talis eleemosyna contra rectum ordinem charitatis.

Eleemosynæ cum prudētia & charitatis ordine faciendæ.

16 GRATIAS AVTEM DEO. Græcè, *Gratia*, id est, gratiarum actio, supple reddenda est Deo. In nostra versione, subaudiendum est verbum, ago; seu agimus.

QVI DEDIT EANDEM SOLICITVDINEM PRO VOBIS IN CORDE TITI. Redit apostolus ad narrationem de Tito, quem dixerat à se rogatum, vt quod cœperat apud Corinthios de collecta, perficeret. Dicit itaque Titum sponte etiam sua solicitum fuisse vt id faceret. Addit autem, *pro vobis*: vel quia opus eleemosynæ plus prodest danti quàm accipienti; vel, secundum Thomam, hoc sensu, pro vobis exhortandis ad collectam perficiendam. Porrò locus hic dupliciter ostendit opera bona esse Dei dona: tum in eo quod apostolus dicit Deum dedisse piam illam curam & solicitudinem in corde Titi; tum quia gratias agit Deo quod id fecerit; nam gratiarum actio certissima est doni gratuiti testificatio. Sanè Græci commentatores diligenter annotant hanc Titi solicitudinem Dei opus fuisse.

Opera bona esse Dei dona.

17 QVONIAM EXHORTATIONEM QVIDEM SVSCEPIT. Græcè, *accepit*, id est, gratam habuit exhortationem nostram; de qua superiùs ait, *Ita vt rogaremus Titum.*

SED CVM SOLICITIOR ESSET, SVA VOLVNTATE PROFECTVS EST AD VOS. Græcè, Diligentior autem cùm esset, spontaneus exiuit ad vos. id est, tanta fuit eius solicitudo pro vobis, vt etiam sponte sua (facturus id, etiam si mea adhortatio non accessisset) ad vos iter susciperet, collectæ perficiendæ causa. Non significat apostolus Titum ante scriptam hanc epistolam fuisse

iam præmissum ad Corinthios; cùm satis ex sequentibus appareat, & communis interpretum sententia sit, per ipsum Titum ac duos eius comites, de quibus infrà, missam fuisse hanc epistolam: sed, quod dicit *profectus est*, aut sic expone, iam paratus est & accinctus ad profectionem; aut potiùs referendum est ad illud tempus, quo à Corinthijs erat legēda hæc epistola. tunc enim verū erat Titum ad eos profectum esse; sicut & ea quæ sequuntur de duobus fratribus vnà cum Tito missis; qui quidem nondum erant missi Paulo hęc scribente.

18 MISIMVS ETIAM CVM ILLO FRATREM, CVIVS LAVS EST IN EVANGELIO PER OMNES ECCLESIAS. Quis fuerit hic frater ab euangelij laude tantopere commendatus; diuersæ coniecturæ sunt & opiniones. Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum, & in Præfatione commentarij in Matthæum, nec non in commentario epistolæ ad Philemonem; de Luca dictum accepit: vt qui laudem meruerit per omnes ecclesias ex euangelio quod scripsit. Quem & Paulinæ peregrinationis comitem fuisse, ex Actis ab eo cōscriptis palam est. De eodem Primasius, Caietanus, Faber & multi alij locum hunc exponunt. Verisimile est autem Hieronymū hausisse eam opinionem ex Ignatij martyris epistola ad Ephesios, in qua Lucam euangelistam citans ita scribit; *Vt testatur Lucas, cuius laus est in euangelio.* tametsi non ibi affirmat Paulum hoc de Luca scripsisse, licet in eius elogio Pauli verbis vtatur. Sanè Græci interpretes opinionem de Luca sic referunt, vt minùs probare videantur; idque meritò. Neque enim Paulus de euangelio scripto loquitur, sed quomodo passim alibi, de euangelio prędicato. Deinde nec satis constat euangelium Lucæ iam tum editum fuisse, quādo Paulus hanc epistolam scripsit. Nam Acta quidem apostolica scripsisse videtur statim post euangelium, tanquam eiusdem voluminis libros primum & secundum: scripsit autem Acta post biennium Pauli Romæ commorantis, id est, multis annis post hanc epistolam. Quare circa idem tempus euangeliū ab eo scriptum fuisse, credibile est. Adde, quòd etsi Lucas apostolo Paulo fuerit peregrinationis comes; nusquam tamen de eo legitur id quod hîc sequitur, nempe *quòd ab ecclesijs ordinatus fuerit comes peregrinationis Pauli in eam gratiam* de qua hîc sermo est. Imo Lucas cœpit Paulo comes adhærere post huiusmodi ordinationem; siquidem non ante caput 16 Actorum loquitur tanquam Pauli comes. Nam illic demum incipit loqui in prima persona, *quæsiuimus, venimus* &c. Igitur Græci potiùs de Barnaba Paulum loqui existimant, quòd in eum competere videantur omnia, quæ hîc dicuntur. Nam Barnabas ex euāgelij prædicatione laudē apud omnes ecclesias meruit; & Pauli socius fuit in ministerio sanctorū, id est, eleemosyna per ecclesias colligenda, & ad fratres in Iudæa habitantes, deferenda; quemadmodum Lucas in fine capitis 11 Actorum testatur. Verùm neque hæc opinio bene fundata est. vt enim omittā quod Barnabas magnæ authoritatis apostolus non debuit à Paulo mitti, & Tito socius adiungi; certè ministerium cuius mentio fit Actor. 11 diuersum fuisse constat ab eo de quo nunc agitur. nam illud expletum fuit multo antè quàm Paulus Corinthum veniret; sic enim in fine capitis 12 Actorum scribitur: *Barnabas autem & Saulus reuersi sunt ab Ierosolymis, expleto ministerio.* Denique discesserunt ab inuicem Paulus & Barnabas Actorum 15, neq; postea reperiuntur simul profecti; nec omnino deinceps vlla Barnabæ mentio: planum est autē, ea quæ hîc de ministerio sanctorum scribuntur, esse longè posteriora, videlicet respondentia historię Actorum 20. Tertia opinio est, Paulum hîc loqui de Apollo. Nam & de eo verum esse putant, laudem eius in euangelio fuisse per omnes ecclesias: describitur enim Actorum 18 vir eloquens, & potens in scripturis, quique feruens spiritu loquebatur & doceret diligenter ea quæ sunt IESV. Accedit, quod sub finem prioris epistolæ spē fecerit Corinthijs apostolus hunc virum ad eos mittendi. Verùm & hîc obstat, quod de Apollo nusquam legitur fuisse eum ordinatum ab ecclesijs comitem Paulinæ peregrinationis. Alij proinde Silam intelligere maluint; cuius sub nomine Siluani suprà meminit cap. 1. Quæ sententia nobis maximè probatur. Huius enim fratris laus in euangelio fuit per omnes ecclesias; siue quòd propter insignē operam quam posuit in euangelio prędicādo, celebratus fuerit vbique apud fideles; siue, iuxta veriorem sensum huius loci, quòd ex euangelio per omnes ecclesias prędicato, magnam laudem adeptus fuerit. Nam vt scribitur Actorum 15, Silas vnà cum Iuda, quòd primi essent in fratribus, ijdemque prophetæ, & potentes sermone; in legationem apostolicam ad gentes, à concilio Ierosolymitano delectus & missus est. Postea verò ex euangelij prædicatione multo clarior factus; quando vnà cum Paulo digressus Antiochia per loca Syriæ, Ciliciæ, Asiæque prouinciæ, tum Macedoniæ & Achaię; maximo cum fructu euangelium prædicauit, partim confirmans ecclesias pridem institutas, partim nouas instituens: vti videre est Actorū 15 capite & tribus sequentibus. vt propter hoc etiam apostoli nomen Silas meruerit, ipso etiam nomine suo eam dignitatem præferens; nam Silas missum, legatum, apostolum significat. Iā verò prorsus in eum conuenit & illud quod sequitur, vt mox videbimus;

19 NON SOLVM AVTEM SED ET ORDINATVS EST AB ECCLESIIS COMES PEREGRINATIONIS NOSTRÆ. Græcè, *comperegrinus noster.* Nec id solum, inquit, verùm etiam ab ecclesijs delectus est ac suffragijs designatus (id

Quis frater iste adiunctus Tito, sententia varia. Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

enim

enim significat Græcũ vocabulũ, quod interpres vertit *ordinatus*, de quo plura diximus in 4. dist. 24. in fine: χειροτονηθεὶς) vt esset comes, imò socius & collega nostræ peregrinationis.

IN HANC GRATIAM QVÆ MINISTRATVR A NOBIS. Græcè, *cum hac gratia*. sensus enim est, hunc fratrem ita fuisse ab ecclesijs ordinatum Paulinæ peregrinationis socium ad prædicandum gentibus euangelium, vt simul eis iniunctum fuerit ministerium eleemosynæ procurandæ; quam apostolus vt 1. Corinth. 16. ita hîc gratiam vocat, id est, beneficentiam siue gratuitam erogationem. Quanquam Caietanus haud incommodè gratiam hanc interpretatur ipsum officium procurãdi eleemosynas, administratum à Paulo, eiusque socio; Quod officium rectè gratia dicitur ratione rei obiectæ, hoc est ipsius eleemosynæ procurandæ seu colligendæ. Porrò non alium quàm Silam his verbis ab apostolo significatum esse colligi potest ex loco Acto. 15, vbi post Barnabæ discessum à Paulo, sic legitur: *Paulus autem electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei à fratribus*. Intelligendum est autem id factum fuisse cum noua delegatione ministerij quo Barnabas & Paulus antea fungebantur. Quod quidem duplex erat; euangelij gentibus prædicandi, & eleemosynę pro pauperibus Ierosolymitanis colligendæ. Confirmatur ea res ex epistola Gal. 2, vbi cùm dixisset Paulus de se & Barnaba, *tantùm vt pauperum memores essemus*; statim plurali numero in singularem mutato, de se solo subiungit, *Quod etiam solicitus fui hoc ipsum facere*; videlicet innuens in executione ministerij pro pauperibus suscepti, se post id tempus non habuisse Barnabam socium, vtpotè à se digressum; sed aliquem alium; quem vtique Silam fuisse locus prædictus Actorum declarat. Vnde etiam, si quęritur à quibus ecclesijs fuerit Silas ordinatus comes Pauli; respondendum, ab ecclesijs quæ erant in Iudæa, nominatim verò ab Ierosolymitana & Antiochena; quẽadmodum ex eodem loco Actorum, sagaci lectori colligere non est difficile.

AD DOMINI GLORIAM. Græcè, *ad eiusdem gloriam*, vt referatur ad Deum suprà nominatum, ibi, *Gratias autem Deo qui dedit* &c. Poterat alioqui de Christo intelligi, qui passim in apostolicis litteris Dominus vocatur; & quidem Oecumenius de Christo disertè exponit. Notandum autem quòd Græci particulam hanc construunt cum participio, *ordinatus est*; Latini verò cũ eo quod proximè præcedit, idque sanè probabilius; quoniam & sub finem capitis sequentis, glorificatio Dei numeratur inter effectus & fructus memorati ministerij. Proinde sensus est, Quæ gratia à nobis administrata, facit vt Dominus laudetur & glorificetur in beneficentia eorum à quibus eleemosynæ per nostrum ministerium colligũtur.

Dei gloria fructus procuratæ aut datæ eleemosyna.

ET DESTINATAM VOLVNTATEM NOSTRAM. Græcè, *& promptitudinem animi vestri*. Ambrosianus, *& promptitudinem vestram*. est enim in Græco idem vocabulum quod noster interpres modò promptum animum; modò, voluntatem promptam, superiùs vertit. Supplendum est autem aliquid, hoc modo; *& ad promptitudinem animi vestri excitandam*, prouehendam seu manifestandam. Nam & hic erat illius ministerij fructus; qui tamen etiam ad Dei gloriam cadebat, iuxta illud: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum qui in cælis est*. Matth. 5.

20 DEVITANTES HOC. Construendum est στελλόμενοι participium, cum verbo *Misimus*. Quod tamen alij aliter ex Græco verterunt, Hentenius, contrahentes; interpres Theophylacti, veriti ac metuentes; Erasmus, declinantes, id est, solicitè cauentes. sumptum est enim Græcum vocabulum à nautis siue contrahentibus vela, siue flexo cursu scopulũ aut periculum declinantibus.

NE QVIS NOS VITVPERET IN HAC PLENITVDINE QVÆ MINISTRATVR A NOBIS. Pro *plenitudine* verti poterat, abũdantia, exuberantia. Sensus est: Ideò misimus viros tam integros, & extra omnem suspicionem positos, Titum & alterum fratrem cuius laus in euangelio; ne quis malè de nobis loquatur aut malè suspicetur, quasi non satis fideliter & castè pecunia tam larga, nostro ministerio collecta, à nobis tractetur. Nam vt pecuniæ cupido latissimè grassatur; ita eiusdẽ tractatio summam fidem exigit, ac perfacilè in eo genere vel peccatur vel peccari existimatur.

Pecuniæ tractatio magnam hominis integritatem postulat.

21 PROVIDEMVS ENIM BONA. Græcè, *prouidentes* seu procurantes *bona*, honesta,

NON SOLVM CORAM DEO, SED ETIAM CORAM HOMINIBVS. *Deo* Græcè, *Domino*. Similis est sententia Rom. 12, de qua ibi diximus. Respicit apostolus ad illud Salomonis præceptum, Prouerb. 3, secundum LXX, *Prouide bona coram Domino & hominibus*. Itaque sensus est; Neque enim solùm nobis curę est ea facere quæ recta sint Deo teste & iudice; sed etiam quæ probentur hominibus; vt ne quis infirmus ex ijs quæ agimus, offendatur. Nam, vt ait Augustinus sermone priore de vita communi suorum clericorũ, Beda & Primasio in hunc locum citantibus, *Duæ res sunt conscientia & fama. propter nos, conscientia nostra sufficit nobis; propter alios fama necessaria est. conscientia, tibi; fama, proximo tuo. Qui fidens conscientiæ suæ, negligit famam suam; crudelis est in proximum*. Sunt duo sermones de vita communi clericorũ, S. Augustini, Tomo 10. De diuersis, numero 49. & 50. inter additos à Louanienſibus.

Cura famæ habẽda, non solius conscientiæ.

22 MISIMVS AVTEM CVM ILLIS ET FRATREM NOSTRVM, QVEM PROBAVIMVS IN MVLTIS SÆPE SOLICITVM ESSE. Seu, diligẽtẽ esse; id est, cuius solicitudo ac diligentia multis argumentis nobis explorata est. nam illud, *in multis, sæpe*, ad verbum *probauimus*

referendum eſt, non ad *ſolicitum eſſe*. Tertius hic frater quis fuerit incertum eſt ; tametſi Thomas & Liranus, gloſſam interlinealem ſecuti, putent Apollo fuiſſe. Nã quod Caietanus Timotheum fuiſſe ſuſpicatur, vanum eſſe conuincitur ex eo quod in exordio huius epiſtolæ Timotheus vnà cum Paulo nominatur, vt à quibus mittatur epiſtola. at non ab eodem mittitur & perfertur. Probabilior eſt coniectura de Luca; quem circa idem tempus Paulo adfuiſſe, ſatis apparet ex Actorum 20. Non improbabile eſt fuiſſe Zenam legiſperitũ, de quo Tit. 3. Vide illic Comment. Hieron. Eum illic ſimul cum Apollo iubet deduci apoſtolus. Suſpicari etiam quis poſſet de Soſthene , quem ſibi in exordio prioris epiſtolæ coniunxit.

NVNC AVTEM MVLTO SOLICITIOREM, ſiue diligentiorem;

CONFIDENTIA MVLTA IN VOS. Hoc plerique iungunt cum eo quod proximè præcedit. Exponunt autem bifariam : aut de fiducia Pauli erga Corinthios, vt qui fratris huius diligentiam in negocio ad illos ſibi demandato auxerit; aut de fiducia ipſius fratris, quam de Corinthijs ex relatione Titi cõceperat. Vnde alius vertit, Ob multam fiduciam quam habeo erga vos: Alius, quam habet erga vos. At verò longè rectiùs fortaſſe partem hanc retuleris ad miſſionem trium fratrum prædictorum; quorum Titus primus erat. hac enim ratione multum lucis accedet huic loco, alioqui vehementer obſcuro; vt ſit ſenſus: Miſimus, inquam, fratres commemoratos , optimè confiſi de vobis quòd eos, tanquam viros integræ ac probatæ fidei, pro dignitate ipſorum & noſtra exſpectatione, ſuſcipietis. Explicat hunc ſenſum quod ſequitur.

23 SIVE PRO TITO. Id eſt, Titi nomine confiſi,

QVI EST SOCIVS MEVS, ET IN VOS ADIVTOR. Non *in vobis* vt quidam habent codices. Nobiſcum facit editio Clementina, textuſque Græcus. Porrò duæ voculæ, *qui eſt*, ad ſupplendum ſenſum additæ fuerunt ab interprete noſtro; Nam in Græco non legũtur. Vt proinde ſolœciſmum in apoſtoli ſermone agnoſcat hoc loco Gagneus. Cõmendat verò Paulus Titum quòd ſocius & collega ſuus ſit in euangelij negocio, quodque ſuus adiutor ſeu cooperator erga Corinthios, id eſt, ad promouendam eorum ſalutem.

SIVE FRATRES NOSTRI. Pro eo quod dicendum erat, Siue pro fratribus noſtris, ſicut dixerat *ſiue pro Tito*. ſed quia caſum proximè mutauerat; hîc in eodem perſiſtit. Eſt autem ſenſus; Siue confiſi de vobis nomine fratrum noſtrorum, nempe reliquorũ duorum quos mittimus. Quanquam & hoc modo poteſt exponi quem ſuggerunt Græcorũ commentaria, & expreſſit Hentenij verſio; *Siue pro alijs duobus*, ſcilicet confiſi ; quippe qui fratres noſtri ſunt; id eſt, Iudæi ſunt, quos alibi vocat ſuos cognatos ſecundum carnem. Hoc peculiare dicit de iſtis duobus, nam Titus gentilis erat. Gal. 2.

APOSTOLI ECCLESIARVM. Hoc eſt, ait Theophylactus, ab eccleſijs miſſi & electi, videlicet ad hoc munus colligendę & perferendæ pecuniæ. Vnde alij vertere maluerunt, *legati eccleſiarum*. Itaque *eccleſiarum apoſtoli* dicuntur, vt annotat Caietanus, ad differentiam apoſtolorum Chriſti, id eſt eorum qui à Chriſto miſſi fuerunt. eccleſias verò intelligę quę in Iudæa erant; de quibus ſuprà: *Sed & ordinatus eſt ab eccleſijs comes* &c. Hoc quoque peculiare illis duobus : nam Titus, quia gentilis , non erat ab eccleſijs Iudeæ miſſus, ſed tantùm à Paulo.

GLORIA CHRISTI. Ita legendum ex caſtigatione Romana; non *gloriæ Chriſti*, quod erat in multis vulgatis codicibus. Nam in Græco δόξα legitur: aſtipulantibus etiam mss. quibuſdam Latinis , & concordantijs biblicis. Vocantur autem fratres illi *gloria Chriſti*, quòd tales eſſent vita & moribus, vt in ijs Chriſtus glorificaretur. quomodo & filius ſapiens dicitur gloria patris; quòd in tali filio glorificetur pater. *Miniſtri ſincera gloriã Domini ſui.*

24 OSTENSIONEM ERGÒ QVÆ EST CHARITATIS VESTRÆ, ET NOSTRÆ GLORIÆ PRO VOBIS, IN ILLOS OSTENDITE. De ſuo interpres addidit, *quæ eſt*; quod nec apud Ambroſianum legitur. *gloriam* quoque pro gloriatione tranſtulit, quemadmodum & alibi, cùm ſint in Græco vocabula planè diuerſa. Ambroſianus exultationem legit. Quod verò dicit apoſtolus, *Oſtenſionem oſtendite charitatis* &c. verterunt quidem Eraſmus & Hentenius hoc modo: Demonſtrate documentum charitatis &c. tanquam oſtenſio ſit idem quod documentum, argumentum, ſpecimen. At probabilius eſt phraſim eſſe Hebræam, qua ſæpenumero in ſcripturis actio pro re obiecta ponitur , quatenus circa eam actio verſatur; vt pſalmo 105 *Laudauerunt laudem eius*. & 1 Petri 3, *Timorem eorum ne timueritis*. quale & illud capitis 2 huius epiſtolæ, *vt cognoſcam experimentum veſtrum*. Eſt igitur ſenſus: Proinde declarate charitatem veſtram erga fratres quos miſimus; declarate etiam quòd gloriatio noſtra qua de vobis apud Titum ac reliquos fratres gloriati ſumus, non ſit inanis. Id totum autem oſtendetis ac declarabitis, ſi memoratos fratres ſuſceperitis pro eorum dignitate noſtraque exſpectatione; ſic nimirum vt ſpe liberalitatis veſtrę in pauperes ſanctos exercendæ, non fruſtrentur.

IN FACIEM ECCLESIARVM. Græcè, *& in faciem*, vel, *in perſonam eccleſiarum*. Thomas etiam & Liranus, *in faciem* legunt. Græcè eſt, εἰς πρόσωπον, quod rectè vertitur, in conſpectu : quomodo videtur intellexiſſe Chryſ. Poteſt autem & in alium ſenſum Græca lectio accipi, vt quiddam tale ſit quod dicit apoſtolus, Oſtendite charitatem veſtram in

illos,

illos, atque adeò in ipsas ecclesias, quarum personam illi gerunt; vtpote earum legati; vt paulo antè dictum est. loquitur enim de ecclesijs quæ erant in Iudæa, iuxta hunc intellectum ; qui apud Theophyl. & Oecum. reperitur.

CAPVT IX.

1 NAM DE MINISTERIO QVOD FIT IN SANCTOS, EX ABVNDANTI EST MIHI SCRIBERE VOBIS. Apud Primasium & Thomam legitur *ex abundantia*. Græca sic habent, nam quidem de ministratione in sanctos (subaudi, instituta ac decreta) abundans, siue, vt bene legit Ambrosianus, superfluum mihi est scribere vobis. Malè igitur illud, *ex abundanti*, quidam connectit præcedentibus, hoc modo, *Quod fit in sanctos ex abundanti*, quasi sensus sit, de ministerio quod abundanter & copiosè fit in sanctos, mihi scribendum est ad vos. Neque enim huiusmodi distinctionem admittit contextus Græcus; neque conuenit ea expositio cum sequentibus. Perspicuus igitur sensus est, Monui vos vt ostendatis charitatem vestram erga legatos ecclesiarum; neque quicquam dico de eleemosyna conferenda ac ministranda in subsidium sanctorum pauperum qui sunt Ierosolymis: nam de ea vobis scribere, vosque hortari, supervacaneum censeo. Sed quæres, quomodo supervacaneum; quandoquidem apostolus & superiori capite, & hîc rursum, studiosè Corinthios adhortetur ad eleemosynam prædictã; imò & obliquè taxet eorum tenacitatem, atque adeo se metuere significet ne pudore propter eos afficiatur. Quidam supplent apostoli sermonem; *superfluum est mihi*, multa *scribere vobis*. At profecto quæ scribit in eam rem apostolus, hoc & præcedenti capite non pauca sunt. Melius ergo respondetur, quòd supervacaneum erat apostolo, Corinthios hortari ad eleemosynam quam ab anno iam superiori facere constituerant; neque dubitabat, quin essent facturi : sed exstimulandi erant, diuites Corinthij ad faciendam largiorem aliquam collectam, pro ratione suæ opulentiæ & abundantiæ. id autem agit deinceps apostolus. Et hanc responsionem, quam in sequentibus habet etiam Oecumenius, apertè comprobant ea quæ sequuntur.

Diuites hortandi ad largiores eleemosynas.

2 SCIO ENIM PROMPTVM ANIMVM VESTRVM. Noui enim, inquit, promptitudinẽ animi vestri ad contribuendam eleemosynam. De προθυμία Græco vocabulo, quod variè reddit interpres, suprà satis dictum est. Ambrosianus hoc loco promptam voluntatem legit.

PRO QVO DE VOBIS GLORIOR APVD MACEDONES. Verti poterat, *de quo pro vobis glorior*, &c. Gloriatio hæc erat non de liberalitate Corinthiorum, sed de promptitudine. Siquidem Macedones, vt initio superioris capitis vidimus, largitate Corinthios superabant, quamuis tempore à Corinthijs præuẽti; quemadmodum & ibi dictum est, & hîc iam sequitur.

Aliud promptitudo, aliud liberalitas eleemosyna.

QVONIAM ET ACHAIA PARATA EST AB ANNO PRÆTERITO. *Et* cõiunctio Græcis abest, nec eam agnoscit Ambrosianus, nec ms codex Laudensis. Est autem sensus; Hoc est de quo vestri nomine glorior apud Macedones, quòd Achaia, cuius caput est Corinthus, parata sit ad collectam, ab anno superiore. non dicit Achaiam dedisse, sed paratam esse à tanto tempore. Itaque hæc pars explicat promptitudinem animi de qua loquebatur.

ET VESTRA ÆMVLATIO PROVOCAVIT PLVRIMOS. Græcè, *Et quæ ex vobis est æmulatio prouocauit plures* siue *complures*. Id est, Vestrum exemplum multos ad piam æmulationem, qua similiter facere vellent, concitauit. Exemplum intelligit prõptitudinis, qua iam ante annum se paratos declarauerãt Corinthij. Nullam enim adhuc miserant pecuniã.

3 MISI AVTEM FRATRES. Titum & alios duos,

VT NE QVOD GLORIAMVR DE VOBIS. Græcè, vt ne gloriatio nostra de vobis,

EVACVETVR IN HAC PARTE. Sensus est. Hos fratres ideo præmisi ad vos, ne gloriatio nostra, qua de vobis apud Macedones gloriati sumus, inanis & falsa appareat, quantum attinet ad præsens negocium eleemosynæ. De ista particula, *In hac parte*, vide suprà ad c. 3. v. 10.

VT, QVEMADMODVM DIXI, Macedonibus vos paratos fore. vel, *dixi*, id est, iussi, in priori scil. epistola, ijs verbis; *De collectis quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite* &c. c. 16.

PARATI SITIS, in aduentum meum. Nõ est autem sensus, vt sitis voluntarij & prompti ad collectam faciendam, iam enim dictum est eos ad id paratos fuisse ab anno præterito; sed, vt inueniatur apud vos pecunia iam collecta, & ad mittendum parata; *ne cùm venero, tunc collectæ fiant*; vt in priori dixit epistola, c. 16.

4 NE CVM VENERINT MACEDONES MECVM; Græcè, *Ne quo modo*, vel, *Ne forte, si venerint mecum Macedones*, scilicet apud quos de vobis tam magnificè gloriatus sum;

ET INVENERINT VOS IMPARATOS; eo modo quo iam dictum est:

ERVBESCAMVS NOS, VT NON DICAMVS, VOS, IN HAC SVBSTANTIA. Græca addunt, *gloriationis:* sicut & infrà c. 11. v. 17. *Substantiam*, Græcè ὑπόστασιν, dixit pro argumento & materia, seu negocio; vti diligenter exponit Theophylactus. Ac ferè idem est, *in hac substantia*, cum eo quod modò dixerat, *in hac parte*. Vnde & hoc loco legit Ambrosianus, *In hac parte*. Porrò nonnulli istud, *in*

hac substantia gloriationis, referendum putãt ad solum illud superius *erubescamus*, eoquod sequitur (*vt non dicamus, vos*) parentheticis notis interclusũ; propterea quod Paulus gloriatus fuisset de Corinthiorum prompta voluntate, non ipsi Corinthij. Verùm alij non incommodè ad vtrumque referunt, vt hyperbaro non sit opus; hoc nimirum sensu; Ne forte contingat vt, si Macedones mecum venerint & vos offenderint imparatos, ego meique collegæ qui de vestra promptitudine, apud Macedones gloriati sumus, coram eis pudefiamus, tanquam vani in hoc argumento gloriationis; imò & vosipsi, quod dicere durum est, pudefiatis in eodem argumento gloriationis nostræ pro vobis; vt qui opere non respondeatis promptitudini quam de vobis prædicaui. Annotãt Græci, dicere apostolum, *in hac substantia*; & superiùs, *in hac parte*; quasi diceret, Alijs in rebus quibus de vobis gloriatus sum, non vereor ne pudefiam; satis enim apparent in vobis ea quæ prædico: sed hîc solùm periclitatur & gloria mea, & honor vester, si non inueniamini parati. Sanè quàm efficax est hæc apostoli exhortatio ad maturandũ negocium collectæ.

Aeris cũ tacita laude exhortatio apostolica.

5 NECESSARIVM ERGO EXISTIMAVI ROGARE FRATRES; vel, *adhortari fratres*; nempe tres illos suprà memoratos.

VT PRÆVENIANT AD VOS. Legendum, *præueniant*. Sic enim habent codices emendatiores, textusque Primasij, Thomę & aliorũ. Græcè est, *vt præcederent ad vos*; quomodo & Ambrosianus legit; præcederent, inquam, priusquam ego veniam cum Macedonibus;

ET PRÆPARENT REPROMISSAM BENEDICTIONEM. Græcè, *& præpararent antè promissam benedictionem vestram*. Ambrosianus quoque *vestram* addit. Sensus est Et priusquam nos veniamus, procurent eleemosynam seu collectam vestram, quam dudum, id est, ab anno præterito, facturos vos promisistis. Eleemosynam more scripturæ vocat *benedictionem*, id est, opus seu munus beneficentiæ.

HANC PARATAM ESSE SIC QVASI BENEDICTIONEM. Id est, vt ea in aduentum nostrum parata sit, sic tanquam benedictio, siue quæ mereatur nomen benedictionis. Nã benedictio largitatem significat in scripturis, saltem quoad animum dantis; vt qui studeat satis dare ad tollendam inopiam.

NON TANQVAM AVARICIAM. Græcè πλεονεξίαν. quod Erasmus fraudationem vertit; interpres Theophylacti, circũuentionem; quod & apud Ambrosianum legitur. Verùm simplicius est & rei propositæ cõuenientius, vt *auaricia* intelligatur, quam haud dubiè, etiam in scripturis, passim Græca dictio significat. Neque enim aliud vult apostolus, quàm vt eleemosyna Corinthiorum larga sit, non auara, non parca, non accisa ac tenuis, quæ videatur ab auaro animo profecta. Hunc enim intellectum manifestè declarant sequentia verba.

6 HOC AVTEM DICO. Interpres supplementi causa addidit, *dico*; cùm Græcè tantùm sit, *Hoc autem*; q. d. apostolus, Hoc est quod volo dicere, aut quod volo vos scire:

QVI PARCE SEMINAT, PARCÈ ET METET, ET QVI SEMINAT IN BENEDICTIONIBVS DE BENEDICTIONIBVS ET METET. Vtrobique, *in benedictionibus*, habent Græca; quẽ admodũ & legit Ambros. Est enim apud Paulum elegãs anadiplosis, eaque gemina, quam non omnino seruauit interpres. Sic enim est Græcè; Seminãs parcè, parcè & metet: & seminãs in benedictionibus, in benedictionibus & metet. Ostendit hac sententia, ab exemplo eorum qui seminant, largè tribuendum esse, vt larga sit retributio. Potest autem hoc quod dicit, accipi de ea re à qua sumitur similitudo. Nam agricola parcè seminans, parcè metet; at qui largè seminat, copiosam recipiet messem. Ex quo intelligendum, rem ita quoque habere apud Deum, vt qui in dandis eleemosynis parciùs seminat, minorem percipiat retributionis fructum in futuro sæculo; qui verò largiùs seminat, fructum quoque percipiat copiosiorem. Arbitror tamen hoc posterius apostolum immediatè dicere voluisse, cum respectu eius quod agricolis contingit. Nam similiter Gal. 6, scribit de spirituali seminatione; *Quæ seminauerit homo, hæc & metet*. & quæ sequuntur. Loquitur autem & alibi scriptura de bonis operibus, præsertim misericordiæ, sub comparatione seminis; vt Ecclesiastę 11, *Manè semina sementum tuum; & vespere ne cesset manus tua*. Liquet autem ex dicta explicatione, quid sibi velit illud, *in benedictionibus*. Est enim Hebraismus, significans idem quod largè & copiosè; pro quo Hentenius vertit, in magnificentia. Quamuis autem hæc apostoli sententia possit intelligi de participandis meritis sanctorum, in quos quisque contulerit eleemosynas, de qua participatione locutus est superiori capite; vt sensus sit, Qui parum & parcè tribuerit illis, parum inuabitur eorum meritis; qui multum, multum inuabitur: melius tamen, secundum omnes expositores, generaliter de retributione bonorum operũ accipitur. Valet autem hic locus contra duas hæreses, veterem & nouam. Contra veterem quidem Iouiniani hæresim, ostendit præmia regni cælestis non omnibus æqualia reddi, sed alijs ampliora, alijs minora, prout quisque plus minusue seminauerit in hac vita. Contrà nouam verò quæ nostræ ætatis sectarijs cõmunis est, apertè significat hominem per opera misericordiæ (& idem iudicium est de cæteris bonis operibus) mereri retributionem futuri sęculi: comparat enim apostolus opera bona semini respectu fructus qui ex semine prouenturus expectatur. Igitur sicut semen naturaliter profert ex se fructum, qui proinde naturaliter ex eo expectatur; ita bona opera diuina ordinatione valent ad con-

Largiter conferenda eleemosyna.

Præmia beatorum inæqualia.

Beatitudo merces est bonorũ operum.

sequen-

ſequendum præmia vitæ æternæ, ſimiliter ex illis expectãda. Sed quęres, quomodo qui parcè ſeminat, parcè metet; cũ Deus det omnibus affluenter, Iacobi 1, & ipſe Dominus in euangelio dicat, *Menſuram bonam & confertam & coagitatam & ſuperaffluentem dabunt in ſinũ veſtrum*. Lucæ 6. Reſpondeo cum S. Thoma, dicere apoſtolum parcè metet, non ſimpliciter, ſed comparatione eius qui largiùs ſeminauerit. nam etſi omnes electi ſatiabuntur cùm apparuerit gloria Domini; & omnes replebuntur bonis domus Dei, Pſal. 16. & 64: non æqualiter tamen, ſed quiſque pro ſua capacitate, quam habiturus eſt pro modo charitatis. Eſt enim & hoc notandum parcitatem & largitatem eleemoſynæ hîc non æſtimari ex quantitate muneris, ſed ex animo & charitate donantis. Plus enim dedit illa paupercula vidua, Marci 12, quę in gazophylacium templi miſit æra minuta duo, quã multi diuites iactantes multa. Denique ex eo quod dicitur, *Qui parcè ſeminat, parcè & metet*, diſcimus opera etiam imperfectè bona, modò procedant ex fonte charitatis, acceptura eſſe mercedem apud Deum.

Animo æſtimanda eſt magnitudo eleemoſynæ.

7 VNVSQVISQVE PROVT DESTINAVIT IN CORDE SVO. In Græco verbum eſt præſentis temporis, *Vnuſquiſque ſicut proponit corde*, Ambroſianus legit, vnuſquiſque ſecundum præceptum cordis. Id eſt, quiſque tribuat, prout apud ſe & in animo ſuo liberè conſtituerit ac prædeliberauerit. q. d. Non eò tendit exhortatio mea vt aliquem velim vrgere inuitum ad amplius aliquid dandum; ſed volo bonum veſtrum etiamſi exiguum ſit, eſſe voluntarium, ne mercede priuetur apud Deum. Vnde ſequitur,

NON EX TRISTICIA AVT EX NECESSITATE. *Ex triſticia* dat, qui dat auaro & triſti animo; ideoque dat minus quàm oportet. *Ex neceſſitate dat*, qui vel maiorum authoritate vel aliorum exemplis impulſus, ac pudore inductus, dat; alioqui non tam multum daturus. atque hic etſi det quantum oporteat, non tamen quomodo dandum ſit. Similis eſt locus apoſtoli in epiſtola ad Philemonem (cuius loci commẽtarius videatur) vbi quippiam ab eo petens, dicit ſe nolle ei imperare, ſed rem permittit ipſius conſilio ac deliberationi; vt ne velut ex neceſſitate bonum eius eſſet, ſed voluntarium. nam & hîc ſuperiùs dixerat, *Non quaſi imperans dico, ſed veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans*, cap. præced.

HILAREM ENIM DATOREM DILIGIT DEVS. *Hilarem datorem* vocat eum qui libenter & ex animo dat. *Hunc Deus diligere* dicitur, quia benefacere ei conſtituit, opus beneficentiæ eius magnificè remuneraturus. nam Dei diligere eſt benefacere velle. Triſtem verò datorem, id eſt, inuoluntarium, Deus non diligit; quia non approbat, non remunerat. Vnde Auguſtinus in expoſitione pſalmi 42, *Si panem dederis triſtis; & panem & meritum perdidiſti*. Similes ſcripturæ ſunt, Eccleſiaſtici 35, *In omni dato hilarem fac vultum tuum*. Rom. 12, *Qui miſeretur, in hilaritate*. Locum hunc apoſtoli proferre ſolent hęretici contra vota quæ Deo fiunt à fidelibus. Nam vota, inquiunt, ex neceſſitate reddenda ſunt; & per hoc faciunt triſtem datorem; quem non diligit Deus. Reſpondeo, neceſſitatem, quam apoſtolus à bono opere remoram eſſe vult, vt cauſam inuoluntarij, non eſſe neceſſitatem præcepti, ſed coactionis; ſiue coactio hæc contingat ex præcepto ſiue aliunde. Nam qui cogitur, inuitus facit, ſaltem inuoluntario mixto. Præcepti verò neceſſitas per ſe neque cauſat inuoluntarium, neque omnino minuit bonitatẽ operis quod præcipitur; ſed potiùs auget, propter adiunctum obedientiæ meritum. Quòd ſi hæc neceſſitas obſtaret operis bonitati: tollenda eſſent omnia præcepta, ac nominatim primum illud maximumque præceptum de Deo ſuper omnia diligendo. Cæterùm vota, cùm liberè Deo fiant, non aliam quàm præcepti neceſſitatem inducunt; quia præceptum eſt diuinum ac naturale quo quiſque quod vouit reddere tenetur, ſi quis autem reddit triſtis & inuoluntarius; non id prouenit ex obligatione voti aut ex neceſſitate præcepti; ſed ex defectu bonę voluntatis; perinde vt ſi quis inuoluntarius reddat depoſitum, aut mutuum reſtituat, aut quoduis aliud faciat ad quod ex præcepto tenetur.

Obiectio ſectariorũ contra vota fidelium.

Reſpõſio.

8 POTENS EST AVTEM DEVS OMNEM GRATIAM ABVNDARE FACERE IN VOBIS. Græcè, εἰς ὑμᾶς, *in vos*. Occurrit tacitæ cogitationi metuentium ſibi inopiam, ſi copioſius tribuerent; docetque quicquid dederint, ad ipſos cum fœnore rediturum. *Gratiam* vocat beneficentiam ſiue eleemoſynam, ſicut aliquoties capite ſuperiori. Deus, inquit, potens eſt efficere, vt totum hoc beneficiũ ad quod vos exhortor, in voſipſos exuberet, id eſt, cum affluentia redundet: atque adeò ſperãdum eſt quòd facturus ſit. Hanc enim vim apud apoſtolum habet illud; *Potens eſt Deus*, vt aliàs annotaui. Quidam gratiam interpretantur omne genus gratiæ ſpiritualis: Sed prior ſenſus, qui Græcorum eſt, propius videtur inhærere contextui; & explicatur per id quod ſequitur.

Spes diuinæ prouidentiæ affuturæ debet liberalem facere eleemoſynarium.

VT IN OMNIBVS SEMPER OMNEM SVFFICIENTIAM HABENTES, ABVNDETIS IN OMNE OPVS BONVM. Multi Græci codices *ſemper* πάντοτε, non addunt; Nec legiſſe videtur Chryſoſtom. & Theophylactus: Legit tamẽ Oecumenius Græcus, & omnes Latini; ſuffragãte etiam Syro interprete. Codicibus Græcis in quibus legitur annumero biblia Complutenſis editionis. Ac ſanè rem de qua agitur, amplificat, ſimul etiam orationem exornat hæc ſignorum vniuerſalium congeries, ἐν παντὶ, πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν. Dicitur autem Græcis αὐτάρκεια, ſufficientia; cũ quis eo quod ſatis eſt contentus, nihil vltra

deſide-

deſiderat. Qua dictione vſus eſt etiam 1. ad Timotheum 6, vbi quæſtum magnum vocat pietatem cum ſufficientia. Senſus igitur eſt: Vt vndequaque plenam rerum temporaliũ, quibus contenti ſitis, ſufficientiam habentes; etiam largiter vtamini ijs ad varia pietatis & miſericordiæ opera. Loquitur enim de bonis operibus ijs quibus exercendis materiam præbent temporalia bona, quum ad abundantiam ſufficiunt. Non tamen in ijs nominat abundantiam, ſed ſufficientiam; quia deſiderium ſuum vltra hanc extendere, affectus auariciæ eſt. Cæterùm bonis operibus ſemper ampliùs abundare velle, ac nunquam dicere, ſufficit; ad officium pertinet hominis Chriſtiani. Ideo de ijs loquens abundantiæ meminit. Vbi & illud obſeruandum, temporalium quidem bonorum ſufficientiam Corinthijs Paulum quodammodo permittere, ſi liberaliter tribuant: ſed hoc ipſum ſtatim referre, ſicut oportet, ad finem ſpiritualem.

Sufficientia tẽporalium quærenda, non abundantia.

Danda opera abundãtiæ bonorum ſpiritualium.

9 SICVT SCRIPTVM EST; in pſalmo 111, quo deſcribitur laus & felicitas hominis iuſti.

DISPERSIT, DEDIT PAVPERIBVS. Id eſt, more ſeminantis ſpargit opes ſuas, ac diſtribuit eas in pauperes. Hic verſus admonet beneficentiam extendendam in multos, quatenus opes ferunt, potius quàm (quod à quibuſdam fieri videmus) in paucos multa conferenda.

IVSTICIA EIVS MANET IN ÆTERNVM. q. d. Quamuis pecuniæ ſic diſperſæ videantur ei perire; *iuſticia tamen eius in æternum permanebit*, videlicet quod ad fructum iuſticiæ attinet: qua perpetuam laudem apud homines, & glorioſam mercedem apud Deum conſequetur. *Iuſticiam* more ſcripturæ dicit vel eam quæ generalis eſt virtus, complectens etiam gratuitam beneficentiam ac miſericordiam, de qua hîc ſermo eſt: Vel ſpecialiter ipſum opus eleemoſynæ; quod ita nobis in ſcriptura commendatur, vt interdum iuſticiæ nomine deſignetur, tanquam iuſticiæ pars non poſtrema, vt Matth. 6, *Attendite ne iuſticiam veſtram faciatis coram hominibus*. Et hîc paulo inferiùs; *Augebit incrementa frugum iuſticiæ veſtræ*. Commentator Ambroſiaſter dicit hanc miſericordiam ideo iuſticiam appellari, quia iuſtum eſt non ſibi ſoli retinere, quod in commune datum eſt omnibus à Deo. Teſtimonium hoc ab apoſtolo citatum ad quæ ſuperiora referendum ſit ambigunt nonnulli: Verùm certè cõmodiùs aliò referri non poteſt, quàm ad partem proximè præcedentem, vt ei connectatur hoc aut ſimili modo, *Abundetis in omne opus bonum, ſicut* ille de quo *ſcriptum eſt*; aut *faciendo quod ſcriptum eſt*, Diſperſit, dedit &c. Non enim probare intendit apoſtolus allegatione huius ſcripturæ, ſed exhortari; idque eo facit efficacius, quòd non ſolum opus iuſti hominis commemoratur hoc verſu; ſed

Eleemoſyna vocatur iuſticia.

etiam præmium operis adiungitur, laus ſcilicet & merces in æternum manſura. Porrò quod nonnulli codices pro, *in æternum*, habent *in ſæculum ſæculi*; ex loco pſalmi putamus huc eſſe tranſlatum.

Præmium eleemoſynæ æternum.

10 QVI AVTEM ADMINISTRAT SEMEN SEMINANTI. Græcè, ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν. *Qui autem ſuppeditat.*

ET PANEM AD MANDVCANDVM PRÆSTABIT. Græcè, *Et panem in cibum ſuppeditet.* Eſt enim optatiui modi verbum χορηγήσαι, ſicut & duo verba ſequẽtia πληθύναι & αὐξήσαι: non infinitiui, quod Eraſmus errans putauit, & eum ſecutus hac in parte Caietanus. Notãdum etiam in quibuſdam codicibus Græcis diuerſam haberi diſtinctionem. Nam verbũ, *ſuppeditet*, cum parte ſequenti conſtruunt, vt illud, *panem in cibum*, regatur à verbo *ſuppeditat*, quod præceſſit. Quod & videre eſt in Syriaca verſione.

ET MVLTIPLICABIT SEMEN VESTRVM. Græcè, (vt iam dixi) *Et multiplicet.*

ET AVGEBIT INCREMENTA FRVGVM IVSTICIÆ VESTRÆ. Græcè, Et augeat ſeu creſcere faciat fructus, prouẽtus, germina iuſticiæ veſtræ; Græcè γεννήματα. Porro iuxta Latinam lectionẽ in verbis prædictis cõmendatio quædam eſt prouidentiæ diuinę, retribuentis bona tam corporalia quàm ſpiritualia, ijs qui eleemoſynas largiuntur; vt hic ſit ſenſus: Deus, qui per ſuam prouidentiam ſuppeditat ſeminanti ſemen, idem etiam panem (ſub quo cætera ad victum neceſſaria comprehende) ſuppeditabit in alimoniam veſtram; &, ne in poſterum deſit vnde ſuſtẽtemini, multiplicabit etiam ſemen veſtrum iactum in terram; &, quod præcipuum eſt ac primo loco quærendum, augebit etiam atque ad perfectionem perducet prouentus ac fructus iuſticiæ veſtræ quam in erogãdis eleemoſynis oſtenderitis: vt ea ſic aucta atque perfecta, iuxta memoratum pſalmographi verſiculum maneat in æternum. Sententia ſic explicata non affirmat perpetuum prouidentiæ diuinæ modum erga largos eleemoſynarios, ſed ordinarium, quoad ſubminiſtrationem ſufficientiæ temporalis. Nam interdum aliter contingit; ad probationem electorum, & gloriam maiorem. Conſonat his illud eiuſdem apoſtoli 1. Timoth. 4, *Pietas ad omnia valet, promiſſionem habens vitæ præſentis & futuræ*. Cæterùm Græcæ lectionis idem ſenſus eſt; eo ſolùm excepto quòd ſecundum eã optatiuè ſeu deprecatiuè ab apoſtolo dicantur, quæ textus Latinus reddit enunciatiuè. Nec illud tamen negligendum quod de diuerſa quorundam codicum Græcorum diſtinctione diximus; conuenit enim ea cum loco Iſaiæ 55 qui ſic habet: *Et dat ſemen ſerenti, & panem comedenti*. Quò quidem apoſtolum reſpexiſſe non temere exiſtimat Theophylactus; ſunt enim verba apud LXX pene eadem. Hoc igitur pacto ſenſus erit. Deus qui ſecundum prophetæ teſtimonium ſuppeditat

Rarò deſtituitur neceſſarijs liberalis eleemoſynarius.

ſemen

ſemen ad ſerendum, & panem ad comedendum; idem etiam ſuppeditet ac multiplicet ſemen veſtrum, &c.

11 VT IN OMNIBVS LOCVPLETATI ABVNDETIS IN OMNEM SIMPLICITATEM. Interpres addidit de ſuo, *vt*, &, *abundetis*; cùm in Græco tantùm legatur, *In omnibus ditati in omnem ſimplicitatem*. Qui tamen ſermo hiulcus eſt, ac neceſſariò ſupplendus, vel eo modo quo ſuppleuit noſter interpres; vel vt Syrus, Eraſmus & Hentenius, huiuſmodi expoſitione, *Vt in omnibus locupletemini in omnem ſimplicitatem*. vel ſecundum Caietanũ hoc modo, Qui in omnibus eſtis locupletati in omnem ſimplicitatem. vt ſenſus ſit cauſalis; q. d. apoſtolus, Deus ea quæ dixi vobis præſtabit (aut præſtet) vtpote qui ſitis per omnia diuites perfectæ ſimplicitatis; id eſt, virtute ſinceræ liberalitatis. Nam ſimplicitatem vocat liberalitatem quæ ſimplici & ſincero corde exercetur; non ex inani gloria, alióue prauo affectu, quemadmodum à nobis explicatum eſt ad illud capitis præcedentis, *Altiſſima paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis.*

Liberalitas ſincerè debet exerceri.

QVÆ OPERATVR PER NOS GRATIARVM ACTIONEM DEO. Id eſt, Quæ veſtra ſimplicitas efficit vt per nos gratiæ agantur Deo; materiam nobis præbet agendi gratias Deo, tanquam authori tanti boni. Vel potiùs, *Per nos*, id eſt interueniente noſtro miniſterio, vt ſcil. intelligantur gratiæ quæ Deo agantur à pauperibus ſanctis in Iudæa: de quibus proximè loquetur apoſtolus. Vtrouis modo ſignificatur egregius eleemoſynæ fructus ad alios redundans; id eſt, gratiarum actio quę Deo redditur. Quem fructum pleniùs exponit verbis ſequentibus.

12 QVONIAM MINISTERIVM HVIVS OFFICII NON SOLVM SVPPLET EA QVÆ DESVNT SANCTIS. Pro *miniſterio officij*, Græcè eſt διακονία τῆς λειτουργίας ταύτης, id eſt, miniſtratio ſeu functio miniſterij ſacri huius. Nam λειτουργία quamuis apud profanos authores miniſteriũ in genere ſignificet; in ſacris tamen libris, & apud ſcriptores eccleſiaſticos, plerumque vſurpatur pro miniſterio ſacro; cuiuſmodi inprimis eſt ſacrificium. Vnde Theophylacti interpres vertit miniſterium ſacri & oblationis huius. Itaque inſinuat apoſtolus miniſterium ſibi delegatum ad procurandam & perferendam eleemoſynam, eſſe functionem cuiuſdam ſacrificij Deo gratiſſimi; ea nimirũ generali ratione qua omne opus bonum ad honorem Dei factum, maximè ſi fiat cum exteriori quadam oblatione, quale eſt opus eleemoſynæ; ſacrificium in ſcripturis vocatur. Etenim, inquit, huius ſacri miniſterij à me ſuſcepti functio non hanc ſolùm adfert vtilitatẽ quòd ſubueniat neceſſitatibus pauperum ſanctorum qui in Iudæa ſunt;

Λειτουργία *quid apud ſacros ſcriptores.*

SED ETIAM ABVNDAT PER MVLTAS GRATIARVM ACTIONES IN DOMINO Græca ad verbum, per multos gratias agere Deo. quod Ambroſianus textus ſic expreſſit; per multorũ gratiarũ actionẽ Deo. Niſi fortè Ambroſiaſter in ſuo codice Græco habuit εὐχαριστιῶν, vt multi libri; quum alij legant εὐχαριστιῶν. qua poſteriore lectione poſita, poterit illud quod præcedit περισσεύσασα εἰς, exponi actiuè, abundare facit, vt paulo antè v. 8. Vide Com. ad c. 4. v. 15. Senſus autem eſt, Verùm etiam exuberat in hoc, id eſt, hunc fructum adfert, vt per multos, ac præſertim eos qui veſtræ liberalitatis fiunt participes, gratię Deo agantur.

13 PER PROBATIONEM MINISTERII HVIVS GLORIFICANTES DEVM, Obſcuritatem parit mutatio caſus apud apoſtolum, nam *glorificantes* referendum ad genitiuum (multorum) in Græco; vt ſenſus ſit, Dum per noſtrũ miniſterium probata illis veſtra liberalitate Deum glorificant.

IN OBEDIENTIA CONFESSIONIS VESTRÆ IN EVANGELIVM CHRISTI. Pro *obedientia*, ſubiectionem Ambroſianus legit. Senſus, Super fide veſtra, qua cum humili ſubiectione animi, & externa oris confeſſione, ſuſcepiſtis euangeliũ Chriſti: Hęc enim prima erat gratiarum actionis & glorificationis diuinæ materia. Qua ex re clarè cõſtat totũ hoc fuiſſe opus gratiæ Dei: Nam Deo gratias agere Deumque glorificare de opere non ſuo, ſtultum & impium eſt. Hinc quoque diſce ad fidei rationem pertinere voluntatis obedientiam: ſicut & Rom. 1 dicitur, *ad obedientiam fidei*. Sed de ea re expreſſiùs in capite proximè ſequenti loquitur,

Fides donum Dei ſpeciale.

Fides in ſacris literis commendata eſt cum bono affectu.

ET SIMPLICITATE COMMVNICATIONIS IN ILLOS ET IN OMNES. Id eſt, & ſuper liberalitate veſtra, qua ſimplici animo puraque intentione participes bonorum veſtrorum temporalium feceritis ipſos ac cæteros Chriſti pauperes.

14 ET IN IPSORVM OBSECRATIONE PRO VOBIS. Contextus poſtulare videtur vt hæc etiam pars pendeat ab eo quod dixerat, *glorificantes Deum*; ſed quia ſenſus eſt parum cõmodus, vt glorificaturi Deum dicantur illi sãcti de ſuis orationibus quas pro Corinthijs funderent; idcirco, ad mentem apoſtoli accommodatiùs referetur ad illud præcedens, *Sed etiam abundat*: vt ſit ſenſus; Redundabit præterea beneficium hoc eleemoſynę ad hũc fructum, vt pauperes illi ſancti pro vobis orent Deum. quæ eſt cõmunis obligatio pauperum eleemoſynas accipientium. Collige ex apoſtoli dictis quatuor eleemoſynæ fructus; qui ſunt refocillatio pauperum, gratiarum actio Deo facta, atque eiuſdem glorificatio de bono opere, & oratio ad Deum pro ſalute operantis.

Eleemoſynæ fructus quadrupliex apoſtolo.

DESIDERANTIVM VOS PROPTER EMINENTEM GRATIAM DEI IN VOBIS. Id eſt, qui magno veſtri videndorum deſiderio teneantur (nam, videre, additur in textu Ambroſiano; Græci verò ſubintelligunt) idque propter eminentem Dei gratiam quã vobis

ineſſe

ineſſe cognoſcent; gratiam, inquam, fidei ac beneficentiæ ex fide profectæ; hæc enim duo paulo antè nominauit. Similia loca ſunt, Rom. 1. v. 11. Suprà c. 7. v. 7.

15 GRATIAS DEO SVPER INENARRABILI DONO EIVS. Græcè, *Gratia autem Deo* &c. Concluſio eſt, ac velut epiphonema, quo Deo gratias agit ſuper multiplici fructu quē ſuperioribus verbis oſtendit ex eleemoſyna tam ad dantes quàm ad accipientes promanare. Vocat autem *inenarrabile hoc donum* quia pro dignitate verbis explicari nō poteſt.

SVMMARIVM.

ADuerſus pſeudapoſtolos, apud quos habebatur contemptibilis, dignitatem ſuam tuetur, addens ſe non gloriari vltra modum laboris ſui.

CAPVT X.

HOc caput cum duobus ſequentibus, apologiam quandā continet apoſtoli Pauli aduerſus obtrectatores ſuos pſeudapoſtolos; qua & illorum improbitatem ac vicia detegit ac palam traducit; & de ſua poteſtate, prædicatione, laboribus & periculis euangelij cauſa ſuſceptis, aduerſus illos gloriatur; multa commemorans quæ ad ſuæ perſonę dignitatem & excellentiam declarandam pertineant. Loquitur autem deinceps de ſe numero ſingulari, propterea quòd hîc iam non, vt in ſuperioribus, cauſam agat communem miniſtrorum noui teſtamenti; ſed ſuam ſolius, eoquòd ipſum peculiariter odiſſent, & in contēptum atque odiū apud nouos quoſque fideles adducere conarentur illi pſeudapoſtoli. Verùm priuſquam ad expoſitionem verborum apoſtoli veniamus; operæpreciū fuerit breuiter oſtēdere, qui vel quales fuerint pſeudapoſtoli, cōtra quos Paulus hanc ſuam defenſionem inſtituit. Id verò colligendum ex ipſius apoſtoli aduerſus eos diſputatione. Ex qua primùm liquet, Iudæos fuiſſe; atque de eo-ipſo gloriatos fuiſſe: dicit enim capite ſequenti, deſcribens eos velut ſecundum carnem gloriantes, *Hebræi ſunt, Iſraelitæ ſunt, ſemen Abrahæ ſunt.* Sed & ad Philippenſes 3, de ijſdem loquens, ſatis apertè ſignificat Hebræos & circumciſos fuiſſe. Item, Chriſtianos ſe iactabant; *Si quis*, inquit, *confidit ſibi Chriſti ſe eſſe* &c. Infrà hoc cap. Imò & fidem Chriſti prædicabant; Vnde ait cap. 11, *Miniſtri Chriſti ſunt.* & ad Philippenſes 1, *Quidam*, inquit, *ex contentione Chriſtum annunciant.* Cæterùm inſectabantur apoſtolum Paulum; & tam doctrinam eius quàm vitam & actiones reprehendebant; quemadmodum patet ex toto hoc cōtextu. propriam gloriā quærebāt; contrà toti in hoc vt Pauli gloriam deprimerent atque exſtinguerent: vti manifeſtum eſt non ſolùm ex conſequentibus huius epiſtolæ, verùm etiam ex eodem loco Philip. 1, quum dicit quoſdam ex contentione & non ſincerè Chriſtum annunciaſſe, exiſtimantes ſe preſſuram ſuſcitare vinculis ipſius. Præter hæc, magno ſupercilio oſtentabant ſæculare doctrinam & eloquentiam ſuam; habebat enim per id tempus Iudaica natio viros in externis diſciplinis & arte oratoria exercitatos, vt Philonem, Ioſephum. Vnde Paulum habebant deſpectui velut imperitum ſermone. Notat hoc eorum ſupercilium apoſtolus illis verbis huius capitis, *Ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei.* Denique miſcebant doctrinæ Chriſtianæ legem Moſaicam, & Phariſaicas traditiones; vt patet ex tota epiſtola ad Galatas, quorundam pſeudapoſtolorum perſuaſione traductos in legem. Quod & colligi poteſt ex ijs quæ ſcribit ad Philippenſes 3, Col. 2 & Tit. 1. Vnde & hîc dicit capite 11, *ſe timere ne* per illorum doctrinam *corrumpantur ſenſus Corinthiorum, & excidant à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto.* Quo capite & pſeudapoſtolos eos vocat, & operarios ſubdolos, & miniſtros Satanę, trāsfigurātes ſe in apoſtolos Chriſti, ac miniſtros iuſticiæ. Quò pertinet quod ſuperiùs dixit capite ſecūdo & quarto eos adulterare verbū Dei. Nā id non ſolùm de peruerſitate intentionis, verùm etiam de fermento prauæ doctrinæ, quam cum Euangelio Chriſti miſcebant, intelligendum eſſe; ſuis locis oſtendimus. Atque hanc rem luculēter declarat Theophylactus in commentario huius capitis & ſequentis. Dicit enim pſeudapoſtolos externa ſapientia vſos, pleraque ſtulta nugatos fuiſſe, & per hypocriſim noua dogmata & impias traditiones introducere conatos. Ex his porrò, etiam liquet cur præ cæteris Chriſti apoſtolis Paulum exoſum habuerint pſeudapoſtoli, omnemque ei authoritatem apud eccleſias detrahere ſtuduerint. Ratio quippe manifeſta eſt, quòd Paulus, tanquam gentium apoſtolus, vt iugum legis ab eis auerteret, apertiùs ac ſtudioſiùs quàm alij, legis & ceremoniarum abrogationem per Chriſtum factam, prædicaret. Vnde & à Iudæis tanta paſſus eſt, quanta paſſim in Actis deſcribuntur. Nam & Iudæos Chriſtianos malè de eo ſenſiſſe propter legis controuerſiam, docet idem liber Actorum capite 15 & 21. Iam igitur ad apoſtoli verba veniamus.

Pſeudapoſtolorū Paulo aduerſantiū qualitates.

Paulus cur præ cæteris inuiſus pſeudapoſtolis.

I IPSE AVTEM EGO PAVLVS OBSECRO VOS PER MANSVETVDINEM ET MODESTIAM CHRISTI. Pro *modeſtia*, Græcè eſt ἐπιείκεια, quod comitatem, clementiam, benignitatem ſignificat; quæ à manſuetudine non alio differat, vt nonnullis placet, quàm quòd manſuetudo magis ad animū, ἐπιείκεια verò magis ad exteriorem conuerſationem pertineat. Idcirco verò Paulus huiuſmodi vtitur exordio *obſecrationis per manſuetudinem*

& mo-

& modestiam Christi; quia cupiebat non prouocari ad seueritatem vindictæ; q.d. Oro vos per Christi mansuetudinem ne me cogatis irasci. Quem sensum supplent sequentia, vti mox patebit.

QVI IN FACIE HVMILIS SVM INTER VOS. Græcè, *secundum faciem*, vt infrà vertit: Ambrosianus, ad faciem, id est, coram & in conspectu. opponitur enim absenti, nam sequitur,

ABSENS AVTEM CONFIDO IN VOBIS. Græcè, *confido*, vel *audeo*, *in vos*. siquidem ipse interpres mox idem verbum vertit, audere. Sēsus est, Ego Paulus, inquam, qui (quod mihi vicio vertitur ab aduersarijs) quum apud vos sum, humiliter & submissè me gero; quū absens sum, audaciam & confidentiam cum authoritate erga vos ostendo in epistolis quas scribo. Hæc enim ab apostolo sic de seipso dici, velut in vituperium ipsius ab alijs obiecta, constat ex eo quod infrà, diuersis verbis & eodem sensu, dicit; *Quoniã quidem, inquiunt, epistolæ graues sunt & fortes; præsentia autem corporis infirma & sermo contemptibilis*. Græci quidam in his apostoli verbis ironiam esse arbitrantur: sed potiùs videtur esse sermo concedentis. verè enim sic erat, non sine ratione quam Deus in hoc spectabat: licet inde aduersarij caperent occasionem detrahendi Paulo. Certè ipse apostolus clarè de seipso hoc profitetur 1. Corinth. cap. 2. *Et ego in infirmitate, & timore & tremore multo fui apud vos*. Idipsum satis apparet ex verbis hîc subiunctis.

2 ROGO AVTEM NE PRÆSENS AVDEAM, PER EAM CONFIDENTIAM QVA EXISTIMOR AVDERE IN QVOSDAM. Exprimit nunc quod dixerat se obsecrare. Post *audere*, comma subnotandum est; nam quod sequitur, *in quosdam*, non cū infinitiuo, *audere*, cōstruendū sed cū verbo *audeam*. Est enim sensus; Rogo vos, inquam, ne vestra culpa contingat; vt, qui præsens apud vos humiliter hactenus me gessi, posthac cum ea fiducia qua absens audere *existimor*, etiam præsens audeam, hoc est, audacter & intrepidè potestatem meam exerceam in quosdam ex vobis.

QVI ARBITRANTVR NOS TANQVAM SECVNDVM CARNEM AMBVLEMVS. Græcè, *ambulantes*. *Ambulare secundum carnem*, idem est quod Rom. 8, *secundum carnem viuere*. Sensus. Qui malè persuasi à pseudapostolis, existimant nos secundum carnem ambulare seu viuere; hoc est secundum carnales & humanos affectus vitam & actiones instituere, more hominum qui cupiditate habendi vel metu amittendi ea quæ carnaliter amant, omnia faciunt. Putabant enim Paulum quando præsens erat, siue captandæ gratiæ causa, siue quòd timeret offendere, vel simili affectu humano prohibitum fuisse ne potestatem exerceret, quam absens per literas venditabat. Id autem falsò eos putasse, docet verbis sequentibus.

3 IN CARNE ENIM AMBVLANTES, NON SECVNDVM CARNEM MILITAMVS. q. d. quod falsum est. Nam etsi conuersamur & vitam hanc agimus in carne quoad naturam carnis; non tamen militamus secundum inclinationes & desideria carnis, non sequimur carnales affectus, non exercemus carnalem militiam. *Militia spiritualis Pauli apostoli.*

4 NAM ARMA MILITIÆ NOSTRÆ NON CARNALIA SVNT; Metaphoram *militiæ* quam verbo attigerat, partibus quibusdam explicat; ostendens ex ratione armorum quibus vtitur; se non secundum carnem militare. Dirigit autem intentionem contra pseudapostolos, qui præsidijs humanæ sapientiæ nixi tanquam armis, oppugnabant humilitatem & synceritatem doctrinæ quam Paulus tradebat. *Nam*, inquit, *arma militiæ nostræ* apostolicæ, quanimirum Christo imperatori nostro militamus ad euangelium eius propagandum, *non carnalia sunt*, id est, vt Thomas exponit, accommodata & subseruientia militiæ seu vitæ carnali; vt sunt opes, honores, voluptates & potentia huius sæculi. Vel potiùs, *carnalia*, hoc est, humana, mundana, sæcularia; cuiusmodi sunt in militia corporali, arma corporalia; in militia verò seu pugna disputationum, artes & scientiæ humanæ, hæc enim erant arma quibus instructi pseudapostoli, doctrinæ à Paulo prædicatæ resistebant.

SED POTENTIA DEO. Ambrosianus legit, fortia Deo, est autem *Deo* Græcis datiuus, Latinè reddendus per ablatiuum efficientis causæ; vt significetur arma apostolica esse potentia seu valida per Deum, ac virtute diuina, non viribus humanis. Ea arma sunt humilitas, patientia, mansuetudo, charitas ac cæteræ virtutes; item sapientia, scientia, prophetia, cum cæteris charismatis Spiritus sancti: Denique potestas verbi regiminis, & sacramentorū, à Christo accepta. Quibus omnibus armati apostoli, militiā suā exercebant,

AD DESTRVCTIONEM MVNITIONVM. Cohæret cum dictione, *potentia*; Et sensus est, ea arma valere ad demoliendas & euertendas munitiones aduersariorum; id est, omnia ea per quæ illi vel oppugnabant fidei veritatem, vel suos errores stabiliebant. Quo in genere erant inprimis scientiæ sæculares, siue veræ siue falsæ aut erroribus permixtæ. totum enim hoc genus quatenus assumebatur ad expugnandam fidem Christianam & scientiam Dei, quam statim nominat; destruendum erat armis apostolicis. Itaque pertinent huc scripturæ quas in priori epistola citauit capite 1, *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor huius sæculi?* *Effectus militiæ apostolicæ*

CONSILIA DESTRVENTES. Græcè, λογισμὸς, id est, cogitationes; quemadmodum &

Ambroſianus legit. Quo vocabulo accipi poteſt omnis ſubtilitas ingenij & conſilij humani. Theophylactus, ſimplex per compoſitum exponens, ſyllogiſmos intelligit, id eſt, ratiocinationes dialecticas Græcorum ſapientum. Meminit autem horum Oecumenius in parte præcedenti. Cæterũ ad hanc partem referendæ ſunt ſcripturæ capitis tertij prioris epiſtolę à Paulo citatæ, *Comprehendã ſapientes in aſtutia eorum.* &, *Dominus nouit cogitationes ſapientum quoniam vanæ ſunt.* Quidam laborant vt hanc partem cum ſuperioribus conſtruant; quod vt aptè fiat & ſine ſolœciſmo, participium *deſtruentes* ordinant cũ verbo *militamus*; vt quæ intercedũt, per parẽtheſim legantur. Verùm hæc conſtructio ſenſũ apoſtolici ſermonis obſcurat & confundit. Quare illud *conſilia deſtruẽtes*, ita accipe, quaſi dictum ſit, quibus armis cõſilia deſtruimus.

5 ET OMNEM ALTITVDINEM EXTOLLENTEM SE ADVERSVS SCIENTIAM DEI. Græcè, *& omnem celſitudinem quæ extollitur aduerſus cognitionem Dei.* Nam altitudo alibi profunditatem ſignificat interpreti noſtro; vt Rom. 11, *O altitudo diuitiarũ ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* hîc verò per *altitudinem* ſiue *celſitudinem* apoſtolus ſignificare voluit quicquid in ſermone vel ſcientia ſæculari grande & ſublime eſt, & apud homines admirationem excitat. Quod totum *deſtruendum* dicit quatenus extollitur aduerſus ſcientiam Dei, qua nimirum Deus cognoſcitur. Quam ſcientiam Bernardus in ſermone ad milites templi cap. 3, & Thomas in commentario, fidem Chriſtianorum interpretantur; de qua Iſaiæ 11. *Repleta eſt terra ſcientia Dei.*

ET IN CAPTIVITATEM REDIGENTES OMNEM INTELLECTVM IN OBSEQVIVM CHRISTI. Græcè, *& captiuantes* (ſeu captiuum ducentes) *omnem intellectum ad obedientiam Chriſti.* Nam, obedientiam, mox in eo quod ſequitur, reddit ipſe interpres; Ambroſianus item obedientiam legit. Pro *intellectu*, alij malunt cogitationem: Græcũ νόημα vtrumque ſignificat; ſed magis actum quàm potentiam, quaſi dicas intellectionem. Verti etiam poſſet, ingenium; vt ſenſus hic eſſe videatur, Et captiuum ducimus omne ingenium humanum, quantumcunque excellens & ſcientijs excultum, ad obediendũ & humiliter ſubmittendum ſe Chriſto per fidem; omne ingenium, inquam; id eſt, magnam etiam magnorum ingeniorum multitudinem. Cuius rei exempla ſunt in Dionyſio Areopagita, Ariſtide, Iuſtino, Pantæno Philoſophis, ad Chriſtum adductis; & in ijs qui magicos libros Epheſi, authore Paulo, combuſſerunt, Acto. 19. Hos enim Theophylactus pro exemplo captiuitatis huius allegat. Ex his apoſtoli verbis colligunt doctores diſcrimen fidei Chriſtianæ, à quacumque alia perſuaſione hominum, atque à fide dęmonum. Per fidem enim Chriſtianam captiuatur intellectus in obſequium Chriſti, ſic vt, ſepoſita omni humana ratione, ſimpliciter & indubitanter homo ſuſcipiat ea omnia quæ, tanquam reuelata diuinitus, ab eccleſia traduntur, & credenda proponuntur. In hac fide laudatur obſequium, id eſt, obediẽtia, qua voluntas humiliter ſubiecta veritati diuinæ ſibi per eccleſiam annũciatę, imperat intellectui vt credat. Itaque vera & Chriſtiana fides nunquam eſt abſque tali ſubmiſſione ſiue obedientia voluntatis. Huiuſmodi verò obedientia non eſt in aſſenſu earum veritatum quæ per ſenſum vel demonſtrationẽ, aut omnino per experientiam, cognoſcuntur. Vnde & dæmones, quos Iacobus apoſtolus capite 2 teſtatur credere & contremiſcere; non credunt tanquam obedientes, ſed naturali lumine ac rerum experientia conuicti & coacti.

Fidei Chriſtianæ diſtinctio ab omni alia perſuaſione, ex Verbis Apoſtoli.

6 ET IN PROMPTV HABENTES VLCISCI OMNEM INOBEDIENTIAM. Id eſt, ad manum habentes poteſtatem vlciſcendi omnem inobedientiã, animaduertendi in omnes inobedientes; ſcilicet eos qui fidem Chriſti ſuſceperunt, & inter fideles numerantur; *Quid enim mihi de ijs qui foris ſunt, iudicare?* ait 1 Cor. 5. Vlciſcitur autem Paulus & quilibet apoſtolorum ſucceſſor omnem inobedientiam, non gladio corporeo, qui principi aut magiſtratui politico datus eſt ad vindictam malefactorũ, Rom. 13, & cuius vſus eſt in corporali militia; ſed gladio ſpirituali, id eſt, cenſuris eccleſiaſticis, quarum præcipua eſt excommunicandi poteſtas. Hunc enim gladium apoſtolus iam antè exemerat aduerſus illum fornicarium, quando eum à corpore fidelium amputauit. Nunc verò rurſus eodem vſurum ſe comminatur in quoſdam inobedientes atque impœnitentes. Nam *inobedientiam* vocat contumaciam; quæ ſola excommunicationem meretur. Hic igitur locus excommunicandi poteſtatem qua aduerſus cõtumaces vtuntur eccleſiæ prælati, confirmat. Et B. Aug. epiſt. 50. ex hoc loco probat poteſtatem puniendi hæreticos.

Gladius ſpiritualis, excõmunicatio, cum alijs eccleſiaſticis cenſuris.

CVM IMPLETA FVERIT VESTRA OBEDIENTIA. Referendum hoc non ad illud *habentes in promptu*, ſemper enim in promptu erat illa apoſtolis poteſtas; ſed ad verbum *vlciſci*: q. d. tunc ea poteſtate vtemur cùm veſtra obedientia fuerit impleta. id eſt, cùm vos plenè ad obedientiam reductos videro. Hinc apparet apoſtolũ minari pſeudapoſtolis vltionẽ, tanquam inobedientibus; ſed eã differre propter Corinthios, quorum quidam adhuc inobedientes erant; ne videlicet hos eadem pœna cum pſeudapoſtolis inuoluere cogatur. atque hoc eſſe quod dicit, *Cùm impleta fuerit veſtra obedientia.* Ita ſentiũt plerique commentatores. At cõtra eſt, quòd apoſtolus aduerſus pſeudapoſtolos non agit vt ſubditos, ſed potiùs vt aduerſarios, pari loco aduerſus ipſum contendentes, tanquã forent Chriſti apoſtoli & euangelij miniſtri. Sanè cũ hi fuerint Iudæi; non eſt veriſimile Paulum

voluiſſe

voluiſſe ſtringere in eos gladium excommunicationis; ne gentem ſuam ſatis aduerſum ſe cõcitatam irritaret. Proinde rectiùs accipitur illa comminatio de ijs qui adhuc inter Corinthios magnis peccatis erant obnoxij; in quos, quia multi erant, non facilè poterat exerceri diſciplina per excommunicationem: quoniam vt ait Auguſtinus lib. 3 contra epiſtolam Parmeniani cap. 2, Quicquid ſceleris & iniquitatis inebriat multitudinem, amittit examinis veritatem. Et iterum: Si contagio peccati multitudinem inuaſerit; diuinæ diſciplinæ ſeuera miſericordia neceſſaria eſt. Nam conſilia ſeparationis (hoc eſt, excommunicationis) & inania ſunt & pernicioſa. videlicet ob periculum ſchiſmatis, & manifeſtæ rebellionis. Igitur apoſtolus hoc loco prius vult multitudinem ſanari (id enim eſt quod dicit, *cùm impleta fuerit veſtra obedientia*; id eſt, cùm multo maxima pars veſtrûm, ac ferme omnes, ad obedientiam legis Chriſtianæ reuocati fueritis) ac deinde in paucos permanentes in peccatis, vindicare iuxta ſeueritatẽ eccleſiaſticæ diſciplinæ; ſicut iam antè in vnum inceſtuoſum illum fecerat. Nam quòd apud Corinthios adhuc grauia peccata regnabant; cùm ex prima epiſtola ſatis intelligitur, tum manifeſtiùs id conſtat ex fine capitis 12 huius epiſtolæ; quo etiam loco ac deinceps, pluribus verbis minatur ſe, cùm venerit, non parciturum ijs quos inuenerit priſtinis peccatis adhuc inuolutos. De his ergo videtur omnino accipienda præſens comminatio. Quanquam quæ ſunt iſto v. 6. poſſunt etiam ſic accipi; Quum vos ſeparaueritis à vobis fratres inordinatè ambulantes, ſicut præcepi in priore epiſtola: tunc ego vindicabo, mea authoritate veſtrum factum approbans & confirmans. Quemadmodum è diuerſo dixit huius epiſtolæ c. 2. *Cui aliquid donatis, & ego.* Porrò ſi quis ſuperiora bene cõſideret: inueniet quinque partes apoſtolicæ militiæ, ſumptas ex comparatione militiæ corporalis. Prima eſt deſtruere munitiones fortes & validas; quod fieri dicit Paulus per arma Deo potentia. Secunda eſt, deſtruere conſilia ſeu cogitationes; id eſt quicquid ingeniosè contra fidem Chriſtianam excogitatur. Tertia, deſtruere machinas quæ ſublimitate videtur inexpugnabiles. Quarta, hoſtes captiuos ducere & ſuo principi ſubiugare. Quinta, eaque poſtrema, inobedientes ac rebelles per iuſtam animaduerſionem vlciſci.

Quinque partes ſuæ militiæ commemoraſſe apoſtolum.

7 QVÆ SECVNDVM FACIEM SVNT VIDETE. Græcum verbum ambiguum eſt ad, *videte*, & *videtis*. Et quidem hoc poſterius eligunt interpretes Græci; quos & Caietanus ſequitur. Secundùm hos obiurgatorius eſt ſermo. Neque refert vtrùm per interrogationem legatur, vt poſt Theodoretum vult idem Caietanus; an enunciatiuè; niſi quod interrogatio reddit acriorem obiurgationem. q. d. Itane vos Corinthij ea quæ in conſpectu ſunt tantùm videtis; atque ex ijs tantùm quæ foris apparent, iudicatis? videlicet contra illud Saluatoris, Ioannis 7, *Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate.* Cæterùm noſtra verſio, textui Ambroſiano communis, ſenſum exigit huiuſmodi; Moneo vos vt ſaltem ea quæ conſpicua ſunt & omnibus nota, conſideretis. ex ijs enim facilè vobis erit de me & æmulis meis æſtimare. q.d. ſecundum faciem, vt aiunt, humilis ſum, ergo quæ ſecundum faciem ſunt videte, & ex ijs de me & illis iudicate. nam & alibi Corinthios dictorum ſuorum, vt in re euidenti, facit iudices. 1. epiſtolæ capite 10, *Voſ ipſi iudicate quæ dico*. Vterque ſenſus bonus eſt; & vtrique poſſunt aptari verba ſequentia.

SI QVIS CONFIDIT SIBI CHRISTI SE ESSE. Id eſt, ſi quis de ſeipſo confidit, vel ſibi perſuaſum habet (ſic enim etiam ex Græco verti poteſt) ſe Chriſti fidelem eſſe; aut potiùs Chriſti miniſtrum. nam capite ſequenti dicit, *Miniſtri Chriſti ſunt; & ego.* & conſequentia huius loci declarant apoſtolum loqui de poteſtate & officio miniſtrorum. Poteſt & ſic exponi, Si quis gloriatur ſe eſſe Chriſti. Confer quæ dicta ſunt ad c. 3. v. 4. & ad Rom. 2. v. 19. Signat autem pſeudapoſtolos; qui iactabant ſe Chriſti miniſtros.

HOC COGITET ITERVM APVD SE. Id eſt, Hoc etiam atque etiam perpendat apud ſe; vel, vt in Græco legitur, à ſeipſo: ſcilicet vt non opus habeat à nobis doceri. res enim per ſe manifeſta eſt,

QVIA SICVT IPSE CHRISTI EST, ITA ET NOS. Addunt Græca, *Chriſti*. Hoc cogitet, inquit, quòd perinde atque ipſe Chriſti miniſter eſt, ſic & nos miniſtri Chriſti ſumus; hac parte non ſumus eo inferiores. Hoc autem dicit, gradum faciens ad ſequentia, quibus oſtendit ſe illos etiam præcellere.

8 NAM ETSI AMPLIVS ALIQVID GLORIATVS FVERO DE POTESTATE NOSTRA. Hoc eſt, Si enim etiam amplius aliquid, ſiue præ illis qui mihi detrahunt, ſiue præ eo quod eſt quomodocumque Chriſti miniſtrum eſſe; ſiue amplius quàm ſoleam; gloriatus fuero de poteſtate noſtra apoſtolica, qua non tantùm prædicare euangelium, ſed etiam corripere & punire delinquentes poſſum;

QVAM DEDIT NOBIS DOMINVS, Chriſtus ipſe, non homo quiſpiam; ſicut ait Gal. 1, *Paulus apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum.* Ne verò poteſtatis commemoratio moleſta ſit; addit,

IN ÆDIFICATIONEM, ET NON IN DESTRVCTIONEM VESTRAM, aut, *veſtri*. Ad hoc, inquit, poteſtatem mihi dedit, vt vos & alios homines ædificem ſpiritualiter, id eſt ad ſalutem promoueam; non

Quis legitimus & sus potestatis.

autem vt destruam, id est, à salute aut profectu salutis impediam. Significatur finis & legitimus vsus potestatis. Vnde intelligitur, quemadmodũ Caietanus annotauit, ecclesiasticam potestatem nihil posse aduersus bonos mores; imò nec aduersus meliora bona, qualia sunt consilia Christi: quoniam hoc nõ esset posse in ędificationem, sed in destructionem spiritualem. Quæret aliquis, quomodo non sit huic loco contrarium quod dicit Dominus ad Ieremiam 1, *Constitui te super gentes & regna, vt euellas ac destruas, & dissperdas, & dissipes.* Respondeo, locum illum, saluo literali sensu, qui est de regnorum terrenorum destructione prophetanda, mystičè accipiendũ de destructione veteris hominis, & euulsione cupiditatum ac viciorum eius; quibus eradicatis crescat bona seges virtutum. Vnde ad extremum sequitur, *& ædifices & plantes.* priùs enim exstirpanda sunt vicia; deinde inserendæ virtutes. hîc verò sermo est de destructione ædificationi contraria, id est, ea quæ est contra charitatem. quomodo destruit ille, ad mentem apostoli, qui indiscretè vtitur gladio excommunicationis, non ad ædificationem & salutem fideliũ. Quapropter monet Tridentina synodus sessione 25 cap. 3 reformationis, gladium illum sobriè magnaque circumspectione exercendum esse; cùm experientia doceat, si leuibus ex causis incutiatur, magis contemni quàm formidari, & perniciem potiùs parere quàm salutem. Notandum etiam quòd destructio quandoque non est ad destructionem, sed ad ædificationem. nam excommunicatio destructio quædã est, qua membrum à corpore præscinditur; quæ tamen nõ est ad destructionem, sed ad ędificationẽ; quando præcisio illa fit, vti fieri debet, pro salute & præseruatione totius corporis; imò & (quatenus possibile est) pro sanatione & restitutione mẽbri præcisi. dicente apostolo, *Vt spiritus saluus sit in die Domini*: 1 Cor. 5. *Vt confundatur*; 2 Thessal. 3. *Vt discant non blasphemare.* 1 Timoth. 1.

Ipsa destructio ad ædificationem potest referri, ac debet.

NON ERVBESCAM. Hoc, inquit, si fecero; *non pudefiam* tanquam mendax; quia veritatem dicã. aut, *non pudefiã* tanquã arrogãs; quia iure & cũ honestate id facere possũ. sunt enim quædã iustæ & honestę causę gloriãdi; præsertim vbi veritas hominibus vtilis ac salutaris, periclitatur. Qua de re plura sequenti capite.

Interdum iusta est homini causa prædicandæ suæ potestatis spiritualis.

9

VT AVTEM NON EXISTIMER TANQVAM TERRERE VOS PER EPISTOLAS. Græcè, *vt ne videar* &c, sine coniunctione, *autem.* Vnde & Græci ea quæ sequuntur sine parenthesi legunt: hanc verò partẽ iungunt præcedentibus; ac si diceret apostolus; Memini potestatis meæ, sed ad ædificationẽ datæ nõ ad destructionẽ vestri; idq; ne videar vos velle perterrefacere per epistolã. Aut hoc modo; possem gloriari de potestate mea; non faciam tamen, ne videar &c. Verũ nostra lectio, cui consonat Ambrosiana, sensum habet absque dubio commodiorem: & pro ea sunt non-

10 nulli codices Græci, inter quos Complut. Tale est igitur quod dicit; Vt autem non videar terrere vos velle & metum incutere per epistolas, quasi præsens nihil audeam; sequitur parenthesis.

(QVONIAM QVIDEM EPISTOLÆ, INQVIVNT, GRAVES SVNT ET FORTES. Græcè, *inquit*, singulari numero. nam & superiùs singulariter dixerat, *Si quis confidit* &c. & infrà, velut vni respondens, dicit; *Hoc cogitet qui eiusmodi est.* Quanquam de numero non admodum refert; neque enim vnus tantùm erat à quo talia dicebantur. Epistolæ quidem, inquiebant, minaces ac terribiles sunt, tonant ac fulminant, magnamque potestatem & authoritatem ostendunt. Enallage numeri est; nam de vna tantùm epistola loquebatur, quam ad Corinthios scripserat; in qua quædam habentur minacia & authoritatis plena, maximè sub extremum capitis 4, & toto capite 5. vbi de incestuoso Satanæ tradendo, alijsque excommunicandis agitur.

PRÆSENTIA AVTEM CORPORIS INFIRMA. Id est, Cùm præsens est, humiliter, demisè ac timidè se gerit, tanquam nullius sit authoritatis. Ferè similiter in sequentibus de infirmitate loquitur apostolus, capite 11 & 12, vbi se *in infirmitatibus gloriari* dicit: & c. 13. *quando nos infirmi sumus.* Item 1. epist. c. 2. *Et ego in infirmitate* &c. v. 3. Porrò præsentiam corporis infirmam opponebat aduersarius epistolarum fortitudini: sicut earum grauitati, id quod sequitur,

ET SERMO CONTEMPTIBILIS.) Græcè, *contemptus*, participium, id est, dejectus, humilis; & per hoc contemptui expositus; vtpote, in quo nulla loquentis seueritas appareret, sicut in epistolis. Non igitur hoc ab æmulis Pauli dicebatur tanquam nitorem & eloquentiam sermonis ei detrahentibus, vt quidam interpretati sunt; hac enim parte sermo eius non differebat ab epistolis; sed quoad authoritatem & potestatis significationem, negabant sermonem præsentis, cum epistolis quas absens scribebat, conuenire. Huc autem vsque parenthesis; nunc orationem quam suspensam reliquerat, absoluit;

11 HOC COGITET QVI EIVSMODI EST; Id est, hoc reputet ac persuasum habeat, quisquis est qui talia dicit:

QVIA QVALES SVMVS VERBO PER EPISTOLAS, ABSENTES; nominandi casus est, *absentes.*

TALES ET PRÆSENTES IN FACTO. Græcè, *tales & præsentes opere.* Sensus. Cogitet quòd quales sumus absentes, sermone transmisso per epistolam, nempe potestatem nostram ac seueritatem ostendentes; tales etiam sumus præsentes; nec solùm sermone, sed & opere, scilicet cùm opus est. Vel, tales erimus prędentes, postquam istuc aduenerimus. Vnde dicit capite 12, se *metuere ne inueniatur*

à Corinthijs, qualem non velint. & cap. 13. *Si*, inquit, *venero iterum; non parcam.*

12 NON ENIM AVDEMVS INSERERE AVT COMPARARE NOS QVIBVSDAM, QVI SEIPSOS COMMENDANT. Arrogantiæ & immodestiæ crimen superioribus verbis à se depulsum, hîc iam apostolus in aduersarios regerit. *Neque verò*, inquit, *audemus*, id est, sustinemus, in animum inducimus connumerare aut comparare nos quibusdam qui seipsos magni faciunt, seque passim apud omnes ambitiosè & gloriosè cõmendant, quum à rebus ipsis non commendentur. Videlicet, æmulos suos intelligit pseudapostolos; quibus sese conferre velle, turpe & indignum iudicat. Verbum Græcum, *audere*, pro sustinere posuit, & alibi: vt Rom. 5. *Nam pro bono forsitan quis audeat mori.* Quanquam Oecumenius & alij nonnulli dictum putãt ironicè, *Non audemus*, q. d. Illi tam magnos se faciunt, vt non audeamus nos censere cũ talibus. Porrò verba illa, *inserere*, &, *comparare*, in Græco affinitatem inter se habent; vt si Latinè dicamus, inferre aut conferre.

Pseudapostoli arrogantes & immodesti.

SED IPSI IN NOBIS NOSMETIPSOS METIENTES, ET COMPARANTES NOSMETIPSOS NOBIS. Vt iuxta hanc nostram lectionẽ perfecta sit oratio; participia verbis interpretanda sunt, metimur, & comparamus; idque hoc sensu; *Sed metimur nos ea mensura quæ nobis conuenit, & ad eam nosmet comparamus.* Hoc est, Ea tantùm de nobis dicimus, quæ factis nostris & veritati respondent, quęque, vti Thomas air, proportionata sunt nobis. *Nam gloria nostra testimonium est conscientiæ nostræ*; quemadmodum dixit capite 1. Quæ expositio apud Oecumenium quoque legitur. Cæterùm Ambrosianus textus orationem absoluit adiungendo quod sequitur, *Nõ in immensum gloriabimur*; sublatis duabus voculis medijs, *nos autem*. Quod mirum est, cùm in omnibus alijs sint exemplaribus, tam Latinis quàm Græcis. At verò in Græcis omnibus additur, οὐ συνιᾶσιν; non intelligunt; eaque additione perficitur oratio. Sciendum est autem prõnomen Græcum ἑαυτὸς indeterminatę esse personæ, sic vt diuersis accommodetur personis, prout exigit structura sermonis; quod noster interpres vertit, *nos*, & *nosmetipsos*. Quare cũ Græci legant verbo tertiæ personæ, *nõ intelligunt*; eorum lectio versionem postulat huiusmodi, *Sed ipsi in seipsis seipsos metientes, & cõparantes seipsos sibiipsis, nõ intelligũt.* Quod Græci sic exponunt; Sed ipsi aduersarij nostri semetipsos metientes atque æstimantes suo ipsorum animo ac iudicio, & comparantes semetipsos sibi, quales se suo iudicio fingunt; aut certè commendantes sese mutuò, & gloriam ab inuicem accipientes; non intelligunt quàm se ridiculos alijs exhibeant; vt supplet Theophylactus. aut, non intelligunt quàm sint arrogantes, seseque fallant, quemadmodum secundum quandam expositionem supplet Oecumenius. aut denique, non intelligunt, *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*; vt ex alio loco apostoli supplet Augustinus in enarratione psalmi 34. legit enim ille hunc locum eo modo quo Græci; non ibi tantùm, verùm & alibi; vt in psalmũ 118. & 141. & lib. 22 contra Faustum cap. 27, vbi & iuxta Græcorum sententiam ea verba exponit. Veruntamen satis apparet coactum videri, vt huiusmodi supplementa sermoni apostolico adhibeãtur. Sanè probabilius est, iuxta consuetudinem Græcæ linguæ participia pro verbis infinitiuis esse posita; vt sensus sit; Sed ipsi arrogantia & ambitione excæcati, non intelligunt se metiri & comparare semetipsos magnosque facere ex suo ipsorum iudicio, quod est hominum sibi immodicè placentium. Porrò Hentenius Oecumenij interpres Græcam lectionem diuerso adhuc modo reddidit; idque congruenter cũ scholio quod primo loco ab Oecumenio adfertur. de quo ipsum locũ cõsule; simul & annotationẽ marginalẽ interpretis, qua docet vnde nata apud Græcos sit expositionũ diuersitas.

13 NOS AVTEM NON IN IMMENSVM GLORIABIMVR. *In immensum*, Græcè, εἰς τὰ ἄμετρα, id est, vltra modũ; seu potiùs, vltra terminum ac meras laboris nostri in euangelio. Videtur enim pseudapostoli, quemadmodũ annotauit Theophylactus & Oecumenius, sese mẽdaciter iactitasse, quòd, iuxta psalmi versiculũ vsq; ad fines orbis terræ propagasset euãgeliũ Christi; quod erat in immẽsum gloriari. Nos autem, inquit, non ita gloriari volumus,

SED SECVNDVM MENSVRAM REGVLÆ, QVA MENSVS EST NOBIS DEVS. Græcè, *qua* vel *quam partitus est nobis Deus.* Nec secus habet Ambrosianus textus. Videtur autem noster interpres legisse ἐμέτρησεν pro ἐμέρισεν.

MENSVRAM PERTINGENDI VSQVE AD VOS. Græcè, *vsque etiam ad vos.* Sensus verborum est. Sed gloriabimur secundum mensuram regulæ à Deo nobis præscriptę, qua nimirum partitus est nobis portionem nostram in opera euangelij. Quæ quidẽ sic alias multas prouincias quibus prædicauimus, comprehendit, vt etiam ad vos vsque pertigerit, vosque etiam includat. Metaphora est, à fabris sumpta qui ad amussim operantur; & regulam, à magistro operis præscriptam, non permittuntur excedere. Dicit autem Deum sibi partitum esse huiusmodi mensuram, non quod præceptum haberet à Deo illuc vsque perferendi euangelium, & non vltrà, tanquã certis sibi terminis ad prædicandum prefixis, quos præterire non liceret; quod velle videtur Caietanus, contra illud Christi ad apostolos Matth. vltimo, *Euntes docete omnes gentes*: Sed quia totum illud in quo secundũ veritatẽ gloriari poterat, erat ei distributum à Deo; & proinde si gloriatus fuisset vltra modum ac terminos sui laboris, sicut pseudapostoli faciebant; fuisset ea gloriatio supra mensurã ipsi datam à Deo, & hoc modo rectiùs apostolum intellexit Aquinas.

14 NON ENIM QVASI NON PERTINGENTES AD VOS, SVPEREXTENDIMVS NOS. Immoratur in metaphora mensuræ & regulæ. Neque enim, inquit, obijci nobis potest quòd quum de vobis vt filijs gloriamur, extendamus nos vltra mensuram; quasi revera non pertingamus vsque ad vos per regulam quã partitus est nobis Deus:

VSQVE AD VOS ENIM PERVENIMVS IN EVANGELIO CHRISTI. Græcè, *Nam & vsque ad vos peruenimus in euangelio Christi.* Id est, nam vtique manifestum est etiam vsque ad vos Corinthios peruenisse nos in euangelio Christi propagando; vt proinde veraciter ac meritò possim de vobis, vt filijs, & vt opere meo, gloriari, ac dicere, *In Christo Iesu per euangelium ego vos genui.* &, *Opus meum estis in Domino* 1 Cor. 4 & 9.

15 NON IN IMMENSVM GLORIANTES IN ALIENIS LABORIBVS. Sensus est: Et per hoc, dum de vobis gloriamur vt filijs nostris in Christo, dumque eo iure potestatem nobis in vos asscribimus; non gloriamur extra mensuram nostram, ac super alienis laboribus; vti faciunt æmuli nostri,

SPEM AVTEM HABENTES CRESCENTIS FIDEI VESTRÆ. Genitiui sunt in Græco absolutè positi; quos reddere conueniebat per ablatiuos, *crescente fide vestra*,

IN VOBIS MAGNIFICARI SECVNDVM REGVLAM NOSTRAM, IN ABVNDANTIAM. Sensus huius partis est: Atque adeo speramus futurum vt, crescente & augescente per nostrum ministerium fide vestra, magnificemur in vobis; hoc est, maiorem & auctiorem de vobis laudem acquiramus; vt etiam abundãtius, id est, amplius quàm hactenus, gloriari possimus; & quidem secundum regulam nostram, id est, mensuram ac terminos laboris nostri. Particulam *in abundantiam* construimus cum verbo *magnificari*, Græca scholia secuti; tametsi possit alioqui cum eo quod proximè præcedit, ordinari, hoc sensu, *secundum regulam nostram* extensam & ampliatam. nam fides crescens, id est, in plures dilatata, argumentum erat etiam ampliatæ regulæ.

16 ETIAM IN ILLA QVÆ VLTRA VOS SVNT, EVANGELIZARE. *Etiam* in Græco non est; supplenda tamen coniunctio quæ partem hanc superiori copulet. Ambrosianus textus sensum magis quàm verba reddidit, hoc pacto: *Et vt etiam in regionibus quæ vltra vos sunt euangelizem.* Sentit enim apostolus, se sperare vt non modò suam ex euangelio gloriam vsque ad Corinthios protensam, fide eorum crescente, maiorem faciat: verùm etiam futurum vt euangeliũ importet in vlteriora Corinthijs loca, regula nimirũ ipsius, iubente ac volente Deo, longiùs extensa atque porrecta. Vnde sequitur,

NON IN ALIENA REGVLA, IN IIS QVÆ PRÆPARATA SVNT, GLORIARI. Græcè, *in ea quæ parata sunt gloriari.* Dubium est autem vtrùm intelligat parata à se, an ab alijs: Ex quo nascitur diuersus sẽsus. Si enim parata à se; sensus erit; Vt nõ in aliena regula atque in alienis laboribus, sed in his quę nostro labore parata fuerint, gloriemur. Sin autem parata ab alijs: erit hic intellectus, Vt non in aliena regula, videlicet in ijs quæ iam ab alijs occupata sunt, & per euangelij culturam præparata, gloriemur; quemadmodum pseudapostoli faciunt, gloriantes de alienis. Est & tertius commentarius, qui *præparata* exponit à Deo nobis commissa. Verùm secundus sensus, quem plerique tradunt interpretes tam Græci quàm Latini, præ cæteris videtur nobis apostoli mentem explicare. Conferendus est autem hic locus cum eo qui est Rom. 15, vbi pseudapostolorum iactantiam tacitè prestringens, sic ait: *Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium.* Et nonnullis interpositis; *Sic autem prædicaui euangelium hoc non vbi nominatus est Christus; ne super alienum fundamentum ædificarem; sed sicut scriptum est; Quibus non est annunciatum de eo, videbunt* &c.

17 QVI AVTEM GLORIATVR, IN DOMINO GLORIETVR. Quoniam frequentem gloriationis mentionem fecerat, denique nunc breui sententia docet, in quibus rebus sit gloriandum, vtpote non in falsis aut alienis bonis tanquam proprijs, quomodo gloriabantur pseudapostoli; neque in malis, quæ à Deo non sunt; quomodo ille cui dicitur in psalmo, *Quid gloriaris in malicia?* Et de quibus Prouerb. 1, *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*: sed in bonis quæ verè quis habeat, quæque proinde sint illi à Deo per Christum. Quicunque, inquit, gloriatur, siue ego siue alius quilibet; glorietur in Domino Christo; id est, de ijs tantùm glorietur quæ à Deo per Christum accepit, atque ab eo se accepisse agnoscat; &, vt ait Thomas in commentario, totum quod cedit ad gloriam suam, referat in Deum: iuxta illud 1 Cor. 4, *Quid habes quod non accepisti?* & ad Galat. vlt. *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Vide quæ dicta sunt ad 1. Corinth. 1. in fine. *Gloriandum in Domino solummodo.*

18 NON ENIM QVI SEIPSVM COMMENDAT, ILLE PROBATVS EST; SED QVEM DEVS COMMENDAT. Gnomicâ sententiâ claudit superiora. *Deus*, Græcè & Syriacè *Dominus*, astipulante etiam Ambrosiano, cum nonnullis mss. Latinis. Sensus est. *Non statim in veritate probatus est* & gloria dignus, *quisquis seipsum commendat*; multi enim commendant seipsos à bonis non suis, sed falsis aut alienis, sicut faciebant pseudapostoli; Multi quoque se commendãt à suis tanquam non aliunde acceptis, sicut Iudæi & Pelagiani: *sed* ille demum probatus est, *quem Deus commendat*, id est, commendabilem, ex ijs quæ verè per eum operatur, ostendit. nam Deus, vt annotat Thomas, est causa totius boni operis per homines facti. Vel, *Quem Deus commendat*, id est, cui Christus per meritum

ſuum verè communicat ea per quæ commendetur. Ex dicta expoſitione facilè intelligitur, Paulum aduerſus ſuam hanc doctrinam non peccaſſe commendando ſeipſum hominibus, ſecundum illud quòd ſuperius dixit, capite 4, *Sed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo*: nam addendo, *in manifeſtatione veritatis*, &, *coram Deo*; ſatis ſignificauit ita ſe commendaſſe ſemetipſum hominibus, vt à Domino Deo commendaretur, iuxta ſenſum iam explicatum.

SVMMARIVM.

PRafatus apoſtolus non eſſe gloriandum niſi in Domino, nec eum qui ſeipſum commẽdat probatum eſſe ſi non à Domino commendetur, hîc iam accingitur ad gloriandum & commendandum ſeipſum; quod facit toto ferme hoc capite & ſequenti. Verùm id non niſi ſecundum veritatem, & in Domino; atque ad hoc ipſum neceſſitate compulſus; quòd videret Corinthiorũ ſalutem non leuiter offendi, ſi ipſe apud eos contemptus haberetur, ac pſeudapoſtoli eſſent in precio. dicit ergo,

CAPVT XI.

1 VTINAM SVSTINERETIS MODICVM QVID INSIPIENTIÆ MEÆ. Pro quo Græcè eſt, *vtinam ſuſtineretis me paululum in inſipientia*, ſiue *quoad inſipiẽtiam*. Interpres videtur eandem lectionem Græcè habuiſſe, quam duo Græci codices à Roberto ſignati; μικρόν τι τῆς ἀφροσύνης. Nam quod Eraſmus (quem imprudenter in ea re ſecutus eſt Caietanus) vertendum potiùs putauit, ſuſtinuiſſetis, ſeu toleraſſetis, quod in Græco ſit verbum præteriti imperfecti; non animaduertit huiuſmodi verbum apud Græcos aliquando vim habere præſentis optatiui, ſicut & eo loco, Rom. 9. *Optabam anathema eſſe*. Certè in paraphraſi ſua à communi interpretum verſione & ſenſu non recedit. Optat enim, & petit apoſtolus à Corinthijs, vt pauliſper ſuſtineant ipſius inſipientiam; quam intelligit in gloriatione, & commendatione ſuiipſius. Loquitur autem ad hunc modum, non quòd vera eſſet inſipientia ſic gloriari, quomodo ipſe gloriari intendit, vt propterea ſuſtinendus eſſet tanquam rem ſtultam faciens; ſed quia gloriari & laudare ſeipſum, vulgo iudicatur eſſe opus hominis inſipientis ac vani: eſtque reuera tale, niſi iuſta aliqua neceſſitas excuſet. Vnde Sapiens præcipit Prouerbiorum 27. *Laudet te alienus, & non os tuum*. ſed & ſi iuſta ratio cogat aliquem vt ſeipſum laudet, ſicut hoc loco Paulum; non tamen euadet quin apud eos qui cauſam facti vel ignorant, vel non conſiderant, habeatur inſipiens; & propter hoc apoſtolus in conſequentibus, vbi laudes ſuas explicat, modò inſipientem, modò quaſi inſipientem ſe vocat.

Propriè laus vel inſipientia eſt, vel habet inſipientiæ ſpeciem apud multos.

SED ET SVPPORTATE ME. vel, *ſuſtinete me*. eſt enim in Græco idem verbum cum ſuperiori. poteſt autem indicatiuè verti ſuſtinetis, atque in eum ſenſum exponunt Græcorũ ſcholia; quaſi dicat apoſtolus, Imò verò ſuſtinetis me, facitis quod opto, perſuaſum habeo vos ita me diligere; vt facilè me toleretis inſipienter loquentem. Noſtræ lectionis ſenſus eſt, quod opto vt meam inſipientiam toleretis, id etiam peto vt faciatis. Author Ambroſiani textus pro Græco verbo ambiguo Latinum æquè ambiguum repoſuit, hoc pacto, ſed & patimini me. Senſui noſtræ lectionis probè reſpondet ratio ſubiuncta, propter quam meritò facere debeant Corinthij quod apoſtolus petit.

2 ÆMVLOR ENIM VOS DEI ÆMVLATIONE. Vim Græcorum vocabulorum Latina non exprimunt, proinde textus Ambroſianus, retentis Græcis, ita legit; Zelatus enim ſum vos Dei zelo; hoc eſt, vt alij vertunt, zelotypus ſum erga vos Dei zelo. ſermo trãſlatus ab ijs qui vel vxores ſuas, vel virgines ſuæ cuſtodiæ commiſſas, ſic amant vt non ferant alienum quenquã cum ijs miſcere colloquium, aut ab ijs amari; quem affectum Græci zelotypiam nominant. Quo ſenſu Deus in ſcripturis aliquãdo zelotes erga nos, dicitur; quod ſic amari & coli à nobis velit, vt non ferat in amore riualem. Dicit autem apoſtolus, *Dei zelo*, vel vt hunc zelum ſuum ſignificet non eſſe vicioſum, qualis eſt humana zelotypia, ſed ſecundum Deum, & ad Deum; vel vt oſtendat ſe non pro ſemetipſo zelotypum eſſe, ſed pro Deo ac Domino ſuo, id eſt Chriſto ſponſo; cuius ipſe ſit paranymphus, qui ſponſam acceperit cuſtodiendam, vt intactam eam ſponſo exhibeat. Itaque dicens, *Dei zelo*, tacitè Chriſtum innuit eſſe Deum. atque hic ſenſus optimè conuenit cũ verbis ſequentibus, quibus officium paranymphi declarat, & ſpõſum Chriſtum apertè commonſtrat.

Eccleſia Chriſti ſponſa zelosè ab illo amatur.

DESPONDI ENIM VOS VNI VIRO VIRGINEM CASTAM EXHIBERE CHRISTO. Pro *deſpondi* Græcè eſt, *aptaui*, quemadmodum & apud Auguſtinum legitur libr. 2 de Geneſi contra Manichæos. Lib. 15 contra Fauſt. c. 13 Et lib. de bono vid. c. 10. Ambroſianus legit, *parauí*: nonnulli vertunt, *adiunxi*. ſenſus autem eſt; Ego quippe tanquam ſpiritualium nuptiarum pronubus, & paranymphus, aptaui ac deſpondi vos vni viro, ſcilicet Chriſto; vt vos illi exhibeam, tradam, aſſignem, virginem caſtam, & incorruptam. Significat Corinthiorum eccleſiam, quam alloquitur, licet ex multis collectam perſonis, vnam eſſe ſponſam eamque virginem, vni viro Chriſto deſponſatam. eſtque eadem ratio de vnaquaque eccleſia particulari; maximè verò de eccleſia vniuerſali, cuius eccleſiæ particulares ſunt membra, & ad quam propriè pertinent

Apoſtolus paranymphus.

promissa dotalia. dicitur autem virgo, propter integritatē fidei charitate informatæ; quæ licet non sit in singulis membris; est tamen & permanet in corpore ecclesiæ. Porrò desponsationis huius, de qua Paulus loquitur, tempus est præsens; sit enim ea per fidem & baptismum: tempus autem thalami nuptialis sæculum est futurum, in quo coniunctio erit indissolubilis Christi cum ecclesia & omnibus eius membris. Verba sequentia declarant necessitatem quæ Paulum vrgebat ad tuendam suam aduersus pseudapostolos authoritatem, vt proinde supportare eum Corinthij debuerint laudes suas commemorantem.

3 TIMEO AVTEM NE SICVT SERPENS HEVAM SEDVXIT ASTVTIA SVA: pro, *ne*, Græcè, *ne quo modo*. quæ particula non est ociosa; reddit enim sermonē apostoli vehementiorē.

ITA CORRVMPANTVR SENSVS VESTRI, ET EXCIDANT A SIMPLICITATE QVÆ EST IN CHRISTO. Illud, *& excidant*, neque in Græcis exemplaribus habetur, neque apud Ambrosianum. Augustinus quoque libro 15. contra Faustum cap. 3. & libro. 22. cap. 4. citās hunc apostoli locum partem eam prætermisit; vt verisimile sit ab interprete vel quopiā alio explicandæ sententiæ causa additam esse. Quod verò apud eundem Ambrosianum, nec non apud Augustinum duobus locis iam indicatis pro *simplicitate* legitur *castitate*; videri potest ex eo accidisse quod diuersus interpres diuersum vocabulum in Græco legerit, ἁγνότητος pro ἁπλότητος. Sensus est, Metuo, ne quo pacto sicut diabolus serpens ille antiquus, per serpentem corporeum seduxit Heuam matrem nostram, astutia seu versutia sua (nam dictio Græca πανουργία, versutiā propriè significat) ita per hos pseudapostolos corrumpantur sensus mentis vestræ (Græcè νοήματα dixit apostolus) ac dimoueantur à virginali *simplicitate quæ est in Christo*; Græcè, *in Christum*; id est, à simplici, pura, & incorrupta fide quam habetis in Christum. Meritò hoc metuebat apostolus, quia pseudapostoli serpentis illius erant ministri; &, vt infrà dicit, operarij subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi; ijdemque per dulces sermones, & benedictiones (sicut dicitur Rom. vltimo) seducebant corda innocentium. Faciebant autem hoc, partim humanam introducendo sapientiam, partim legem Mosaicā miscendo cum euangelio Christi. Sed cur nō dixit apostolus, sicut serpens Adamū seduxit? Respondet ipse apostolus 1 Tim. 2. Quia Adā non est seductus; mulier autē seducta in præuaricatione fuit. Id verò quo sēsu dictū sit ab apostolo, videndū suo loco. Seductionis autē Heuæ per serpentē, nota est historia; Gen. 3.

Metuendum fidelibus à fraude nouorum magistrorum.

4 NAM SI IS QVI VENIT, ALIVM CHRISTVM PRÆDICAT, QVEM NON PRÆDICAVIMVS. Remouet hîc apostolus excusationē qua dicere poterant Corinthij se non esse prohibendos à nouis magistris audiendis, vtpote qui præstantiora traderent quàm Paulus tradidisset. Verbum *venit* præsentis temporis est, Græcè participium ἐρχόμενος, veniens; neque significatur is qui sponte venit, non missus; licet id vrgeant hoc loco plærique; nam Christus ipse qui missus est à Patre, sæpe ἐρχόμενος vocatur. Rursus, in Græco non est *Christum*, sed *Iesum*.

AVT ALIVM SPIRITVM ACCIPITIS, QVEM NON ACCEPISTIS; Græcè, *aut spiritū alterum accipitis*.

AVT ALIVD EVANGELIVM QVOD NON RECEPISTIS. Græcè, *aut euangelium alterum, quod non suscepistis*. Videtur autem hîc repetendum ex primo membro, *prædicat*.

RECTE PATEREMINI. Vel sustineretis. Est enim idē verbū Græcū cū superiori, quod interpres tribus reddidit Latinis; sustinere, supportare, & pati. quod admoneo, ne quis inaniter laboret vt illa tria distinguat. Porrò locum hunc quidam sic exponunt; Nam si is qui post me superuenit & accedit ad vos tanquam nouus magister salutis, Christum & euangelium eius prædicat excellentius quàm à me prædicatum est; aut si eius ministerio potiora Spiritus sancti dona accipitis quā per me accepistis; rectè magistrum ac prædicatorem huiusmodi sustinereris. Hic commētarius alium Christum, & aliud euangelium, intelligit non diuersum, sed aliter, & quidem melius atque excellentius annunciatum; remque alium spiritum, propter excellentiora dona. sic autem facilè ostenditur huic loco non esse contrarium illud apostoli Gal. 1. *Si quis vobis euangelizauerit prater id quod accepistis: anathema sit.* Verùm quoniam hæc expositio coactior est: magis placet vt (quod ex Photio annotauit Oecumenius) intelligatur apostolus vti deductione ad absurdum & impossibile, quod Corinthij nullo modo cōcesserint; nec ipsi pseudapostoli dicebant se alium Christum prædicare. Nam si (inquit) nouus magister superueniens alium Iesum prædicat à nobis non prædicatum, qui verè alius sit, idemque excellentior eo quem nos prædicauimus; aut si illo prędicante aliū spiritum accipitis, eumque præstantiora dona in vos effundentem, quem me prædicante non accepistis; denique si idem ille magister aliud euangelium idemque præstabilius, id est meliora promissa complectens, quod me prædicante non suscepistis, vobis annunciat: rectè sustineretis talem magistrum, eiusque ferretis impetum & authoritatem. Iure enim sustinetur & in precio habetur, qui tradit meliora. Sed quia nullo modo in animum inducitis alium agnoscere Iesum Christum, alium spiritum, aliud euangelium quàm à nobis prædicatum, sicut reuera non est aliud, Gal. 1. idcirco non potestis ad excusationem vestri quicquam tale prætendere. Iam verò patet ex hac expositione apostolum nihil hîc dicere contrarium anathemati de quo Gal. 1. quin potius hoc ipsum quod ad Gal. 1. anathemate damnat, hoc loco tanquam rem ab-

Nullo fructu audiri nouos magistros

surdis-

ſurdiſſimam adfert, ad ſubuertendam pſeudapoſtolorum authoritatem. Vide Thomam locum hunc in commentario bene explicantem.

5 EXISTIMO ENIM NIHIL ME MINVS FECISSE A MAGNIS APOSTOLIS. Græca ſic ferè ſonant, Arbitror enim nihil me minus fuiſſe ijs qui ſupra modum apoſtoli ſunt. & ad eum modum vertit interpres capite ſequenti, *Nihil enim minus fui ab ijs qui ſunt ſupra modum apoſtoli*. ex quo loco coniectura ſumi poteſt ſcripſiſſe Interpretem hoc loco, *fuiſſe*, non, *feciſſe*. Textus Ambroſianus ſic habet, *Exiſtimo enim me in nullo inferiorem fuiſſe ijs qui valde ſunt apoſtoli*. Valde, ſeu ſupra modum apoſtolos, vocat eos qui inter apoſtolos eximij erant & ſummi: quales Petrus, Iacobus, & Ioannes. Nam hos nominatim exprimit Gal. 2. & columnas vocat. Porrò quod apoſtolus hac parte dicere vult, tale eſt. Dicent fortè aduerſarij ſe miſſos à præcipuis apoſtolis, & doctrinam ab illis acceptam eamque noſtra meliorem vobis tradere: Quibus reſpõdeo me nulla re, quod ad doctrinam attinet, inferiorem eſſe magnis illis apoſtolis. Nam communicato cum illis euangelio, quemadmodum ad Galatas 2 ſcribitur, nihil mihi contulerunt. itaque nihil excellentius habet illorum doctrina quã mea, ſed eadem prorſus eſt. Quare nec iſti magiſtri, ſi verè magnorum apoſtolorum diſcipuli ſunt, & ab eis miſſi (quod tamen eis non eſt credendum): quicquam adferre poſſunt excellentius ijs quæ à me didiciſtis. Quod nonnulli putant ipſos pſeudapoſtolos hoc loco per ironiam à Paulo vocari magnos apoſtolos, tanquam ſenſus ſit, Nihilo ſum inferior illis qui ſeipſos venditant, magnis apoſtolis; haud conſonat cum locis iam citatis cap. ſequenti huius epiſtolæ, & ad Gal. 2.

6 NAM ETSI IMPERITVS SERMONE SED NON SCIENTIA. Græcè, *Sed etſi imperitus ſermone. Imperitus*, Græcè, ἰδιώτης, indoctus. Hęc ſententia quemadmodum bene annotat Ambroſianus, non eſt referenda ad ſuperiorem quaſi Paulo fuerit obiectum aut obijci potuerit quod ſaltem eloquentia & ſermonis peritia minor eſſet magnis apoſtolis, atque ad hoc reſpondeat, etſi imperitus ſum ſermone ſed non ſcientia. Neque enim magni apoſtoli quos ex epiſtola ad Gal. ſuprà nominauimus, Paulum hac parte ſuperarunt: cùm Petrus & Ioannes, Actorum 4. vocentur homines idiotæ & ſine literis; de quibus & Hieronymus teſtatur in epiſtola ad Paulinũ cap. 4. quod vterque illorum dicere poterat, Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia: cum denique omnium illorum trium extent epiſtolę, non admodum quod ad ſermonis compoſitionem attinet, Paulinis anteponẽdæ. Sed noua eſt obiectio aduerſariorum, Paulo detrahentium eloquentiam, quam ſibiipſis attribuebant. Vbi quæritur, verène Paulus ſermone fuerit imperitus? fuerunt enim qui dicerent Paulum hoc humiliter, nõ verè, de ſeipſo ſcripſiſſe: quos refellit Hieronymus in commentario epiſtolæ ad Titum cap. 1. ac rurſus in epiſtola 151. ad Aglaſiã, quęſtione 10. ita ſcribens, Illud, quod ſæpe diximus, *Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia*; nequaquam Paulum de humilitate, ſed de conſcientiæ veritate dixiſſe; etiam nunc approbamus. profundos enim & reconditos ſenſus lingua non explicat; & cùm ipſe ſentiat quod loquitur, in alienas aures puro non poteſt transferre ſermone. quem cùm in vernacula lingua habeat diſertiſſimum, quippe Hebræus ex Hebræis, & eruditus ad pedes Gamalielis viri in lege doctiſſimi; ſeipſum interpretari cupiens inuoluitur. Idem cùm alibi in commentarijs, tum exponens 3 caput epiſtolæ ad Epheſios, vicia ſermonis in apoſtolo notat: veluti ſolœciſmos, hyperbata, inabſoluta; & alia huiuſmodi. Quotieſcumque verò (inquit) tale quid annotamus: non apoſtolum pulſamus, vt maleuoli criminantur, ſed magis apoſtoli aſſertores ſumus, qui abſque rhetorici nitore ſermonis & verborum compoſitione & eloquij venuſtate, nũquam ad fidem Chriſti totum mundum traducere valuiſſet, niſi euangelizaſſet eum non in ſapientia verbi, ſed in virtute Dei. Hæc Hieronymus, ſubiungens ad eam rem ipſius apoſtoli teſtimonium, 1 Cor. 2. *Non veni in ſublimitate ſermonis*. Et iterum, *Sermo meus non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis*. At verò Auguſtinus libro 4. de doctrina Chriſtiana. cap. 7 ſermonis imperitiã prorſus à Paulo remouet, eloquentiſſimum eum fuiſſe affirmans, idque adeo ex ipſius epiſtolis demonſtrari & conſtare cenſet. Neque tamen exiſtimat illud Paulum humiliter ac non verè ſcripſiſſe de ſeipſo, *Etſi imperitus ſermone*. Nota eſt enim Auguſtini doctrina, humilitatem in parte mendacij non conſiſtere; nec vlla ratione fatendum, in ſacris literis aliquid falſi contineri: ſed aliter quàm Hieronymus verba apoſtoli intellexit; quaſi concedendo obtrectatoribus, ſic locutus fuerit; non tanquam id verum agnoſceret confitendo. Non diſſentit ab Auguſtino Chryſoſtomus, qui Paulum ediſſerens frequentiſſimus eſt in explicando verborum & ſententiarum eius artificio. Quin ipſe Hieronymus in epiſtola ad Pammachium 50, artificioſum Pauli ſermonẽ in epiſtolis eius, maximè ad Rom. ad Gal. ad Epheſ. admiratur. & ad eundem epiſtola 61 Paulum, inter alia quæ ei tribuit encomia, vocat flumen eloquentiæ Chriſtianæ. Nec verò putamus Hieronymum dum hæc ſcribit à ſeipſo diſſentire: verum eſt enim vtrumque quod ſcribit. Etenim Paulum eloquentem, & vt Hieronymus ait, diſertiſſimum fuiſſe, res ipſa teſtatur: adeo reſperſæ ſunt eius epiſtolæ pene omni genere troporũ ac ſchematum quæ à Rhetoribus tradi ſolent; vti bene

Quare Paulus videatur ſeſe fateri imperitum ſermone.

probat

probat Augustinus libro 4. de doctrina Christiana cap. 6 & 7. &, si res pateretur, copiosius à nobis posset ostendi. Nec sanè Paulum Lystrij Mercurium vocassent, quòd dux esset verbi; quemadmodum refertur Actorum. 14. si facundia (cuius principem Poetæ Mercurium fingebant) illi defuisset. Erat autem Pauli facundia non ex scholis Rhetorũ petita, sed quæ linguã viri diuino spiritu pleni, magnoque affectu de magnis rebus loquentis, sponte sequeretur. Vnde Augustinus loco memorato, Sicut (inquit) apostolũ præcepta eloquentiæ secutum fuisse non dicimus: ita quòd eius sapientiam secuta sit eloquentia, non negamus. sicille. Cæterùm linguæ Græcę nitorem, eloquentiam, facilitatẽ, qualis in scriptis Græcorum oratorum ac philosophorum conspicitur; Item sermonis perspicuitatem, Paulo non adfuisse, ingenuè fatendum. Res enim clarior est ex ipsius epistolis, quàm vt opus sit probari, aut vt negari possit. Atque hac parte verè sensit Hieronymus, & cum eo plerique interpretes, Paulum sermone fuisse imperitum. Hoc igitur est quod dicit, Etsi, quod ad sermonem attinet quo vobiscum loquor aut scribo, sim imperitus ac velut idiota: non tamen quoad scientiã earum rerum quas docere me profiteor, scilicet diuinarum, & ad vestram salutem spectantium. Nam vtique sine huiusmodi scientia, verus Christi apostolus ac doctor gentiũ esse non possem. Porrò Caietanus vrget illud, *idiota*, id est plebeius; & putat Paulum loqui de quotidiano sermone suo, nõ de epistolis: sed falli eum puto.

IN OMNIBVS AVTEM MANIFESTATI SVMVS VOBIS. Græcè, *sed per omnia manifestati in omnibus ad vos.* id est, nihil apud vos dissimulanter egi; totus & per omnia vobis manifestatus sum: vtrumque quod dixi, nostis per experientiam; & imperitum me esse sermone, & non imperitum scientia. Græci annotant ex obliquo taxari pseudapostolos, qui per hypocrisim sua vicia tegebant, volentes videri quod non erant.

7 AVT NVNQVID PECCATVM FECI, MEIPSVM HVMILIANS, VT VOS EXALTEMINI? Respondet de humilitate suæ præsentiæ. sensus est, An peccaui in eo quod meipsum apud vos humiliaui, gerens me tanquam nullius essem authoritatis, vt vos exaltaremini apud Deum? quasi dicat, Humilitas illa & præsentia corporis infirma, quam mihi pro vicio obijciunt æmuli, vestra fuit exaltatio. *factus sum enim infirmis infirmus, vt infirmos saluos facerem.* 1. Cor. 9. Proinde nihil ibi à me peccatum est, nihil quod offendere quenquam debeat. minus autem dicit, plus volens intelligi; videlicet; hoc factum suum dignum esse commendatione & laude.

Demissio & modestia Pauli.

QVONIAM GRATIS EVANGELIVM DEI EVANGELIZAVI VOBIS? Ad humilitatem Pauli conuersantis apud Corinthios pertinebat quod ex euangelio nihil acciperet stipendij, sed proprijs se manibus transigeret. Ideo sub eadem interrogatione hoc addit, An peccaui quod gratis & sine sumptu vobis euangelium prædicaui? tametsi quidam absque interrogatione legunt, vt verba sint commemorantis merita sua erga Corinthios. q. d. Vsque adeo non peccaui in vos, vt & singulari beneficio vos affecerim, gratis euangelium prædicans, quod apud alios non feci. Quæres, Quid ergo est quod omnibus apostolis & euangelij ministris præcipitur à Domino, *Gratis accepistis; gratis date?* Matth. 10. Respondeo, bifariam intelligi posse quod dicitur gratis. nam vno modo, gratis dat aut laborat, qui non vendit: id est, precium nullum accipit pro re data aut labore impenso, licet interim sustentationem vitę requirat. Hoc modo Christus præcipit gratis conferri curationes; euangelium prædicari, dari Spiritum sanctum; quia noluit ad quæstum exponi: non prohibens tamen quo minus qui hæc præbet, vitæ necessaria recipiat aut etiã requirat. nam vt ibidem subijcit, *Dignus est operarius cibo suo.* Cęterùm alio & perfectiori modo, gratis facit, qui nec sustentationem aut sumptum accipit: atque hoc est de quo peculiariter apud Corinthios gloriatur apostolus, gratis se euangelium ijs prædicasse. de hoc enim apud Macedones gloriari non poterat. Vnde sequitur;

Gratis fieri dicitur aliquibus fariam.

8 ALIAS ECCLESIAS EXSPOLIAVI ACCIPIENS STIPENDIVM, AD MINISTERIVM VESTRVM. Metaphoris vtitur à militia sumptis. sunt enim militaria vocabula, spoliare, & stipendium. nulla verò significatio est iniuriæ in eo quod dicit, *exspoliaui*, aut simpliciter, vt in Græco, *spoliaui*, siue *deprædatus sum*; sed vt annotat Theophylactus, asperiorem orationem facere voluit, quo magis vrgeret & culpabiles ostenderet Corinthios. Sensus autem est; Ab alijs ecclesijs, quamuis essent vobis pauperiores, vt proinde spoliari ac denudari viderentur, accepi stipendium ac sumptum necessarium, vt vobis euangelium ministrarem. designat autem præcipuè ecclesias Macedoniæ. Sed cur apostolus non potius commemorat quod alibi dicit, & à Luca refertur Actorum 18. scilicet Corinthi agentem labore manuum victum comparasse? Bene respondet Caietanus, pseudapostolos in Paulo criminatos fuisse quod manibus operaretur, tanquam non habens potestatem more aliorum apostolorum accipiendi stipendia sui ministerij. propter hoc enim dixit in priori epistola cap. 9. *Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi?* quare vt huiusmodi potestatem monstraret se habere: dicit se ab alijs ecclesijs accepisse stipendia, non solùm pro ministerio illarum, sed etiam (quod maioris fuit authoritatis) ad ministrandum Corinthijs. simul autem aliarum ecclesiarum exemplo Corinthios diuites, sed auaros, prouocare voluit ad æmulationem: ne quia Paulus non accipiebat, putarent

tarent ſe non debere nec ipſi nec alijs euangelij miniſtris.

9 ET CVM ESSEM APVD VOS, ET EGEREM; NVLLI ONEROSVS FVI. *Nulli*, ſcilicet veſtrûm; etſi vobis euangelium prædicarem. Negat autem oneroſum ſe fuiſſe, id eſt quicquam accepiſſe ab eis: non quòd reuera onus ſit alere ſuum apoſtolum, ſed vel ad ſignificandum ius ac debitum; quaſi dicat, Hoc ius meum à nullo veſtrûm exegi; vel quia carnales homines iudicant eſſe onus. Annotant hîc Theophylactus & Oecumenius, id quod in Græco eſt, etiam ſic intelligi poſſe, Quamuis egerem cum apud vos eſſem; non tamen obtorpui aut elangui (tale quid enim propriè verbum Græcum ſignificat): id eſt, non idcirco ſegnior ad prædicationem fui. Verùm prior intellectus contextui magis quadrat. & quidem illa priori ſignificatione repetit idem verbum apoſtolus cap. ſequenti, ſemel & iterum; vt dubium non ſit quin & hîc eodem modo accipiatur. Vide de eo vocabulo Hieronymum in epiſtola ad Algaſiã.

NAM QVOD MIHI DEERAT, SVPPLEVERVNT FRATRES QVI VENERVNT A MACEDONIA. Rectius, *qui venerant*; quomodo eſt in codice Laudenſi. Ne hîc quidem apoſtolus meminit laboris manuum, ſed ſolùm ab alijs ſibi, quod deerat, ſuppletum eſſe refert: idque ob cauſam paulo antè dictam. ſubindicat tamen ſe de ſuo aliquid impendiſſe, per hoc quod alios non dediſſe ſed ſuppleuiſſe dicit. nam ſupplere non dicitur qui totum ſuppeditat, ſed qui partem. Porrò *fratres Macedones*, non alios hîc intelligere debemus quàm Philippenſes, ad quos ita ſcribit capite 4. *Scitis autem & vos Philippenſes, quod in principio euangelij, quando profectus sũ à Macedonia, nulla mihi eccleſia communicauit in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli.* qua de re plenius in eius loci commentario.

ET IN OMNIBVS SINE ONERE ME VOBIS SERVAVI, ET SERVABO. *ſine onere*, Græcè nomen eſt compoſitum ἀβαρῆ, quaſi inoneroſum, minimè grauem. Non ſolùm (inquit) antehac vobis oneroſus non fui vlla in re; ſed nec in poſterum oneri ſum futurus paratus iterum vobis idem miniſterium ſalutis exhibere quod hactenus. Id enim eſt quod dicit, *me vobis ſeruaui, & ſeruabo.* addit autem de futuro tempore, ne commemorando præteritam abſtinentiam, videatur admonere Corinthios quid in poſterum erga ſe facere debeant.

10 EST VERITAS CHRISTI IN ME. Iuramẽto confirmat quod dixit, *& ſeruabo.* ſenſus eſt, Veritatem dico teſte Chriſto; &, vt exponit Ambroſianus, ſub teſtimonio Chriſti. ſic enim Rom. 9, *Veritatem dico in Chriſto; non mentior.*

QVONIAM HÆC GLORIATIO NON INFRINGETVR IN ME, IN REGIONIBVS ACHAIÆ. Id eſt, Quod hæc mea gloriatio euangelij gratis prædicati, non infringetur in me, ſiue (vt magis propriè reddatur ex Græco) non obſtruetur aut interrumpetur aduerſum me, in regionibus Achaiæ. Hoc eſt, Non patiar huius gloriæ curſum mihi intercidi; ſed volo eam habere perpetuam apud vos & per totam Achaiam.

11 QVARE? QVIA NON DILIGO VOS? Excludit falſam rationem quam ſuſpicari poterant Corinthij, cur ab ipſis nihil vellet accipere. nam quos non diligimus eorum dona recuſare ſolemus.

DEVS SCIT. Hîc quoque iuramentum agnoſcunt Ambroſianus & Theodoretus. q. d. Teſtis eſt Deus; qui nouit illam non eſſe cauſam. vel, qui nouit quod impensè vos diligam. Porrò falſa ratione remota, veram nunc ſubijcit.

12 QVOD AVTEM FACIO; ET FACIAM: id eſt, ſed quod hactenus facio, gratis per Achaiam prędicans euangelium; idem & facturus ſum deinceps:

VT AMPVTEM OCCASIONEM EORVM QVI VOLVNT OCCASIONEM; quam dicat occaſionem ex ſequentibus intelligendum.

Quare apud Achiuos euangeliũ annunciarit Paulus nullo ipſorum onere.

VT IN QVO GLORIANTVR, INVENIANTVR SICVT ET NOS. Plerique tam Græci quàm Latini locum hunc ſic intelligunt, Perſiſtam in prædicando gratis euangelio, vt iſtis æmulis meis præcidam occaſionem quã quærunt, gloriandi aduerſum me; nempe quòd euangelium gratis prædicent: vt (inquam) in ea re inueniantur nobis pares, nec habeãt quod præ nobis glorientur. hic ſenſus ſatis obuius eſt. Addunt Græci, pſeudapoſtolos fuiſſe diuites, eoque faciliùs potuiſſe ab accipiendo ſumptu abſtinere, quàm Paulum, quem inopia premebat; neque tamen illos omnino abſtinuiſſe, ſed palam recuſaſſe munera, clanculum verò accepiſſe. Verùm aduerſus hanc expoſitionem facit quod pſeudapoſtoli paſſim iactabant ſe diſcipulos primorum apoſtolorum, de quibus 1 Cor. 9 teſtatur Paulus quòd vſi fuerint poteſtate viuendi ex euangelio. quo nimirum exemplo iſti quoque ſimilem poteſtatem ſibi vendicabãt, etiam apud Corinthios. Id enim eſt quod eodem capite dicit, *Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt: quare non potius nos?* hoc ipſum manifeſtè ſignificant quæ ſequuntur hoc capite, *Suſtinetis ſi quis vos deuorat, ſi quis accipit.* Igitur Caietanus diuerſum ſenſum adferens, textum apoſtoli ordinat & exponit hoc modo; *Vt amputem occaſionem* pſeudapoſtolorum, *quærentium occaſionem.* quam verò occaſionem? *vt inueniantur ſicut & nos.* in quo (ſcilicet in eo quod eſt, inueniri ſicut & nos) gloriantur. Cupiebant enim illi Paulum accipere ſumptus, quoniam & ipſi accipiebãt: vt iactare poſſent Paulum alijs partibus, vt eloquentia & ſapientia humana, ſe inferiorem; ne hac quidem parte præcellere, ſed parem ipſis inueniri. at Paulus illis occaſionem gloriandi ſubtrahere volens, noluit accipere ſumptus; vt vel in hoc cogerentur agnoſcere

ſe ab

se ab illo superari. Hic sensus est apud Augustinum libro 2 de sermone Domini in monte capite 16. Indicatur à Gagnæo; & elici potest ex commentarijs Ambrosiani & Aquinatis. conuenit autem procul dubio magis cum moribus pseudapostolorum quales ab apostolo depinguntur, quàm prior expositio. Vt autem hic sensus legenti magis appareat; illa pars *(in quo gloriantur)* parenthesi claudenda erit.

13 NAM EIVSMODI PSEVDAPOSTOLI SVNT OPERARII SVBDOLI. Hîc iam proprijs epithetis insectari incipit nouos magistros. Verbum *(sunt)* additum est ab interprete aut à scribis. nam sunt boni veteres codices qui non habent, in quibus Laudensis. Dupliciter autē cōstrui potest sententia: vel vt sit vna enunciatio, *Pseudapostoli sunt operarij subdoli*: vel potiùs, distinguendo; *Nam eiusmodi* doctores *sunt pseudapostoli*; ijdēque *sunt operarij subdoli* seu *dolosi*. pseudapostoli quidem, id est falso titulo apostoli; tum quia verè non erant missi nec à Christo, nec ab eius apostolis ad prædicandum, sed ingerebant seipsos, mentientes se missos esse; iuxta id quod ipsimet apostoli scribunt in epistola ad gentiles Act. 15. *Quidam ex nobis exeuntes, quibus non mandauimus, turbauerunt vos verbis*: tum quia sub vmbra nominis & doctrinæ Christianæ, legalia tradebant; vt ex eodem loco Actorum patet; ac, vt ait Theophylactus, impias quasdam traditiones occultè seruabant: vtraque autem in re, hæreticorum duces & patriarchæ. Nam hæreticis commune est, hoc maximè sęculo, sine legitima vocatione prædicandi munus arripere, & sub Christi nomine sua dogmata venditare. Cæterùm *operarij dolosi*; vel quatenus operari quidem videbantur in vinea Domini, reuera autem vineam dissipabant; vt Græci exponunt: vel potiùs, quia non quærebant vtilitatem Domini cuius se iactabant operarios, sed prętextu euangelij priuatum agebant negocium. *Huiusmodi enim* (ait ad Rom. vltimo) *Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri.* Eosdem, Philip. 3. malos operarios vocat: suprà verò, capite 4 testatus est eos adulterare, & (vt in Græco est) dolo tractare verbum Dei.

Noui magistri cur pseudapostoli.

Cur operarij subdoli ijdē dicti.

TRANSFIGVRANTES SE IN APOSTOLOS CHRISTI. Grecè, *transfigurati in apostolos Christi*; scilicet à seipsis. id est, assumentes personam apostolorum Christi, dicentes se esse Christi apostolos; sed falsò, vt iam explicatum est.

14 ET NON MIRVM: quod audeant se trāsfigurare in apostolos Christi:

IPSE ENIM SATANAS TRANSFIGVRAT SE IN ANGELVM LVCIS. Græcè, *transfiguratur in angelum lucis.* Amplificatio est à comparatione. Nam, inquit, ipse Satanas eorum magister, assumere solet personam boni angeli; sæpissimè quidem inuisibiliter, suggerendo quędam in se vel in speciem bona, ex quibus hominem perducit ad ruinam; interdum verò visibiliter, apparens & ostendēs se tanquam angelum Dei. nam & hoc pacto multos delusit diabolus, aut in assumpto corpore videndum sese exhibens, aut imaginaria visione eos ludificans. Non dicit autem, quod dicendum videbatur, Satanam se trāsfigurare in Christum; quemadmodum in quorundam sanctorum gestis legitur; quia quo tempore Paulus hæc scribebat nondū tale quid facere permissus fuerat. Angeli boni vocantur angeli lucis, id est, veritatis & iusticiæ, quam hominibus à Deo ministrāt: sicut contrà, angeli mali sunt angeli tenebrarum, quoniam errores & peccata suggerunt hominibus.

Quibus modis Satanas transfiguretur in angelū lucis.

15 NON EST ERGO MAGNVM. Id est, mirandum tanquam res magna,

SI MINISTRI EIVS. Græcè, si & ministri eius, Ambrosiano consentiente.

TRANSFIGVRENTVR VELVT MINISTRI IVSTICIÆ. Id est, figuram ac personam assumant ministrorum iusticiæ. quo nomine vocat apostolos Christi, propterea quod ministerium iusticiæ, de quo suprà capite 3. id est, ministerium nouæ legis per quam iusticia cōfertur, eis concreditum fuerit. Est autem argumentum apostoli à minori. minus enim credibile est Satanam transformari posse in angelum lucis, cùm sit maior distantia, quā ministros illius in ministros iusticiæ. Interim obserua pseudapostolos apertè hîc ab apostolo vocari Satanæ ministros.

QVORVM FINIS ERIT SECVNDVM OPERA IPSORVM. Quasi dicat, Etsi fallant homines; Deum fallere non poterunt, à quo tandem recipient mercedem operibus suis debitam, hoc est, interitum & mortem æternam: iuxta illud ad Philippenses 3, *Quorum finis interitus.* & Rom. 6. *Stipendia peccati, mors.*

16 ITERVM DICO. Resumit intermissam sui ipsius commendationem. quæ verò sequūtur parenthesi legenda,

(NE QVIS ME PVTET INSIPIENTEM ESSE. scilicet ob id quia meipsum prędico. nam iusta causa est cur id faciam. Est autem hic sermo prohibentis, non verò reddentis causam.

ALIOQVIN, VELVT INSIPIENTEM ACCIPITE ME. Plenius & clarius ex Græco, *Sin aliter: saltem vt insipientem suscipite me*, id est, Sin minus persuadeo me non insipienter agere: at interim tolerate me tanquam insipientem. hoc est quod initio capitis dixit, *Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ. sed & supportate me.*

VT ET EGO MODICVM QVID GLORIER.) id est, vt cùm illos æmulos nostros toleretis tam multa de se iactitantes; mihi quoque concedatis vel paulùm de meipso gloriari. huc vsque parenthesis. Omnino autem legendus est de hoc loco, B. Aug. De doctr. Christ. lib. 4. cap. 7.

QVOD

17 QVOD LOQVOR, NON LOQVOR SECVNDVM DEVM. Græcè & Syriacè, *Quod dico, non dico ſecundum Dominum.* ſed & Latina quędam miſſalia, *Dominum* legunt.

SED QVASI IN INSIPIENTIA, IN HAC SVBSTANTIA GLORIÆ. pro (*gloriationis*) vt in Græco eſt & apud Ambroſianū. Et hoc poſtremū, *in hac* &c. videtur referendū ad illud ſuperius, *quod dico*; vt hic ſit totius orationis ſenſus; Iterū dico, id eſt, dicere aggredior, quæ ad laudē meā ſpectāt; tametſi quæ dicā, quātū attinet ad hoc negociū ſeu materiā gloriationis, nō dicturus ſim quaſi ſecundū Deum, hoc eſt, cōuenienter legi diuinæ; cùm Deus neq; præcipiat neque conſulat homini laudare ſeipſum, ſed alicubi prohibeat, ſicut prohibet iurare: vel, quaſi ſecundū Dominū Chriſtū, cuius miniſtros decet omnis humilitas & modeſtia, quiq; *non ſibi ipſi placuit*, Rom. 15. ſed quaſi per inſipientiā. Supplemus ſententiā, dicendo, quaſi ſecundum Deū: ſic enim apoſtolus altera parte ſeipſum exponit, dū modò ſibi tribuit inſipientiam, modò quaſi inſipientiā. alioqui, ſicut in capite ſequenti abſolutè negat ſe inſipienter agere, cùm dicit, *et ſi voluero gloriari non ero inſipiens*: ita quoque abſolutè negandum eſt, apoſtolū hîc aliquid dicere non ſecundum Deū. Cur autem quaſi inſipiēter, & quaſi non ſecundū Deum loqui ſe dicat; rationem ſuprà dedimus, quia nimirum laudes ſuas prædicare, quod hîc facit apoſtolus, quātūuis iuſta neceſſitate coactus quis id 20 faciat, ſimilitudinē quandā habet cū eo quod ſtulti facere ſolēt, quos gloria vexat inanis; vt eſt in verſiculo Catonis. Hinc ait cap. ſequēti, *Factus ſum inſipiens; vos me coegiſtis*. Porrò cū iſte ſit huius loci ſenſus: nō poteſt ex eo quod dicit apoſtolus, *non loquor ſecundum Deum*, colligi, quædam in ſacris literis humano tantùm ac priuato ſpiritu, non ex inſpiratione diuina, ſcripta eſſe. Alij, *ſecundum Deum*, interpretantur ſecūdum res diuinas & ſpirituales; tanquam apoſtolus ſentiat ſe non ſecundū huiuſmodi gloriaturum, ſed ſecundum res carnales, vti ſunt genus, & circūciſio, de quibus pſeudapoſtoli gloriabantur. At certè non de his tātùm, ſed & de ijs quæ veram laudem merentur in conſequentibus gloriatur apoſtolus, vt quòd miniſter ſit Chriſti, quodque pro Chriſto multum paſſus fuerit: quæ profectò non ſunt dicenda carnalia,

18 QVONIAM MVLTI GLORIANTVR SECVNDVM CARNEM: ET EGO GLORIABOR. Caietanus, *ſecundum carnem*, exponit ſecundum carnalem affectum. quo quidem modo gloriari vicioſum eſt & reprehenſibile: Vnde dicit apoſtolū non addidiſſe, & ego gloriabor ſecundū carnē; ſed tantùm dixiſſe, *& ego gloriabor*. quia licet pſeudapoſtoli glorientur ſecundum carnē; nō tamen apoſtolus. Verū intelligentia huius partis petēda eſt ex ſimili loco ad Phil. 3. vbi dicit, *quanquam & ego habeā confidentiam in carne. ſi quis alius videtur confidere in carne: ego magis; circumciſus octauo die, ex genere Iſrael, de tribu Beniamin.* Rectiùs igitur S. Thomas & alij locū iſtum ſic exponūt; Quandoquidē multi (pſeudapoſtolos intelligit, qui Iudæi erant) gloriantur ſecundū res carnales, & externas; puta de generis nobilitate, de lege, ac circūciſione: ego quoq; gloriabor, non de illis modò, verū etiā de alijs quæ verè laudabilē me reddunt; gloriabor, inquā, nō vt illos malè gloriātes imiter, ſed vt eorum iactantiā reprimam & meā apud vos authoritatē defendam; idque iuxta præceptū Sapientis Prouerb. 26. *Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam; ne ſibi ſapiens videatur.*

19 LIBENTER ENIM SVFFERTIS INSIPIENTES, CVM SITIS IPSI SAPIENTES. Ironia quędam eſt in eo quod dicit, *cùm ſitis ſapientes*, ſiue prudentes. vtroque enim modo verti poteſt Græcū φρόνιμοι nam ſi verè tales fuiſſent Corinthij, nō autem prębuiſſent nouis magiſtris, ipſos auertere conātib⁹ ab apoſtolo ſuo. certè prudentiā in ijs deſiderat apoſtolus ſuperiùs, vbi dixit, *Timeo ne ſicut ſerpens Heuam ſeduxit aſtutiā ſuā*; &c. Sēſus eſt, Spero me gloriando vos non offenſurū: quia non grauatè fertis alienā ſtultitiā, tanquā ipſi ſapientes. Eſt quidē illud verè ſapientis inſipiētes ſuſtinere, modò fiat quemadmodū recta ratio poſtulat. Corinthij verò contra ſui magiſtri honorē, & cū ſuo periculo pſeudapoſtolos tolerabāt, nō ſolū ineptè & falsò gloriātes, ſed & grauiora cōmittētes in Corinth. cuiuſmodi ſequūtur.

20 SVSTINETIS ENIM SI QVIS VOS IN SERVITVTEM REDIGIT. *ſuffertis. ſuſtinetis*; idē Græcè ἀνέχεσθε. Caietanus poſt Aquinatē, hoc exponit de ſeruitute legis Moſaicæ, ad quā Corinthios pertrahere pſeudapoſtoli nitebantur. Probabilius eſt, quod alij interpretes volūt, ſignificari imperioſam pſeudapoſtolorum in Corinthios fideles dominationē, qua eos propemodū vt ſeruos premebant. nā ad eiuſmodi ſubiectionem pertinent quæ ſequuntur;

SI QVIS DEVORAT. ſubaudi, vos; ex mēbro præcedēti. hyperbolicè ſignificat inexplebilē pſeudapoſtolorū auiditatem quantū ad ſumptus vitæ, quos identidē exigebāt. Intales etiā illud dicit Rō. 16. *Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri.* Et ad Philip. 3. *quorum Deus venter eſt.* Item ad Tit. 1. *Ventres pigri.*

SI QVIS ACCIPIT, ſcil. à vobis: quod videtur referendū ad res à ſumptu vitæ diuerſas, quas arte extorquebant ſpecie munuſculorū.

SI QVIS EXTOLLITVR. id eſt, extollit ſe ſupra vos, poteſtatem ſibi vendicat in vos. Hæc omnia faciebāt pſeudapoſtoli tāquā apoſtolico iure, quod ſibi falſo titulo arrogabant; de quo iure multa in 1. Cor. 9. & tamē eiuſmodi iuris limites multū etiā excedebāt. Quanquā hoc poſtremū *ſi quis extollitur*, melius (ni fallor) intelligi poteſt hoc ſenſu, quòd ſe extollerent ſupra Corinthios, dicendo ſe eſſe populum Dei; illos, ex gentibus peccatores; iuxta id quod ſequitur,

SI QVIS IN FACIEM VOS CÆDIT. ſermoni impropriętatē exponit per id quod ſequitur

21 SECVNDVM IGNOBILITATEM DICO; Grecè, *secundum ignominiam dico*. sensus est; Quod dico, *si quis in faciem vos cædit*, id quod ad ignominiam attinet; dico non quòd facies vestras percusserint; sed de contumelijs intelligi volo quibus illi vos afficiunt, in faciem exprobrantes quòd fueritis idololatrę, peccatores, immundi, quòd orti ex ignobili genere, quòd sitis præputium. de seipsis verò omnia contraria prædicantes, quòd sint populus à Deo electus, gens sancta, filij patriarcharum, circumcisi &c.

QVASI NOS INFIRMI FVERIMVS IN HAC PARTE. Græci & Syri codices non addunt, *in hac parte*. Augustinus quoque libro 4 de doctrina Christiana cap. 7. vbi totum hunc apostoli locum percenset, ita legit; *quasi nos infirmati simus*. nec addit, in hac parte. Suspicor explicandi gratia textui insertum esse à quopiam. In Græco sic est ad vebum; *quasi quia nos infirmati sumus*. Sensus est, Hæc quæ dixi, ita ab illis fiunt vt me qui vester sum apostolus præ se contemnant tanquam inferiorem, impotentiorem, qui nō habeam quemadmodum ipsi de quibus gloriari queam, vt simili ratione mihi authoritatem apud vos comparē. Quòd quā sit falsum, ostendit sermone cōsequenti. *Infirmari*, pro eo quod est inferiorē esse, & ab alio superari; Hebraismus est, in sacris literis frequens. vt 1 Regū 2. *Quæ multos habebat filios, infirmata est*. psalmo 57, *Intendit arcum suum donec infirmentur*. Nec dissimili locutione Paulus Rom. 4, de Abrahā, *Et non infirmatus est fide*. & capite 8, de lege, *in quo infirmabatur per carnem*.

IN QVO QVIS AVDET, (IN INSIPIENTIA DICO) AVDEO ET EGO. Græcè, *In quocumq; verò quis audet*; id est, in quacunque re quisquam illorum audet gloriari; *audeo & ego*. vtpote nulla re illis inferior. quanquam hoc iterum quasi per insipientiam dico; quia gloriari stultorum est. ob quam etiam rationē vtitur vocabulo audēdi, quia nec facilè nec sine necessitate eò veniendū vt quis seipsum laudet. Quanquā audere pro arrogare positū intelligi potest sicut alibi interdum; vt Rom. 15. *Non enim audeo aliquid loqui eorum*. ita sensus est, Quæcunque illi sibi arrogant tanquam gloriosa, ego quoque mihi arrogabo.

22 HEBRÆI SVNT; ET EGO. ISRAELITÆ SVNT; ET EGO. SEMEN ABRAHÆ SVNT; ET EGO. Nonnulli codices tam Græci quàm Latini legunt interrogatiuè omnia hæc, *Hebræi sunt? Israelitæ sunt? Semen Abrahæ sunt? Ministri Christi sunt?* Sed maioris fructus est, discutere quid differant inter se Hebræi, Israelitæ, & semen Abrahę. Quidam enim ita tractant hunc locū, tanquam ijdē prorsus significētur; etsi rationes appellationū diuersæ sint. At verò Chrysostomus eiusque sequaces ideo volunt addidisse apostolū, *Israelitæ sunt*; quòd nō omnes Hebręi essent Israelitæ. nā, inquiūt, etiam Ammonitæ & Moabitæ Hebræi erant Addere possumus, etiam Idumæos & Madianitas Hebræos fuisse, & quotquot orti erant ex Abraham multarū gentium patre. Verùm, vt omnes illi quondam tempore patriarcharum Hebræi dicti fuerint: non arbitror tamē apud alios quàm Israelitas, illius nominis possessionem sequentibus sæculis remānisse. Sed nec placet quod scribit Caietanus, primo membro significari gloriationem ex antiquitate generis; eo quod Hebręi nomen trahunt ab Heber, cuius tempore diuisæ sunt linguæ, quamuis & ipsius Augustini in libris de ciuitate Dei, & Aquinatis in cōmentario, & plurimorum aliorum hæc de etymo vocabuli, opinio sit. Multo enim probabilius est Abrahā, qui primus Hebræus appellatus legitur Genesis 14, ita cognominatum fuisse ab Hebræa dictione עבר *eber*, id est, trans, vltra; tanquā dicas transitorem; quòd ex regione quæ trās fluuium Euphratem erat, in terram Chanaam venisset. Nostri transfluuialem vocarēt: sicut aliquos vocamus transmarinos, transmontanos, trāstyberinos. Itaque nomē illud non est Abrahā ātiquius; vt nec ipsius nominis ratio. Simul etiā redarguūtur qui Hebræos ab ipso Abrahā dictos volunt tanquam Abræos, cōtracta voce: non enim Abraham à seipso patronymicōs appellari potuit. Sed de ea re plura in argumento epistolæ ad Hebræos. Quod ad præsentē locū attinet, propior vero sententia est eorum, qui primo membro significari volunt gloriationem à lingua; vt Hebræi dicantur qui lingua loquebantur Hebraica. sic interpretantur Lombardus, Heruæus & Aquinas. Sciendum est enim Iudæos ex quo tempore in varias terræ plagas per captiuitates & bella fuēre dispersi, linguā cum regione mutasse; & quidem necessariò, vt cum ijs conuersari possent ac negociari inter quos habitabāt. Itaque paulatim desueuisse loqui Hebraicè, posteros autem eorum auitæ linguæ mansisse prorsus imperitos. Qui verò in Iudæa ac vicinis locis relicti fuerant, vsum prioris linguæ, id est Hebraicæ, retinuisse: qua peculiari ratione vocabantur Hebræi; cæteri verò, Græci; quod plerique eorum Grecè loquerentur, cuius linguæ per orbem vsus erat eo sæculo maximè communis. Discrimen hoc Hebræorum à Græcis Acta apostolorum perspicuè declarant, vbi legimus crescente numero discipulorum, factum fuisse murmur Græcorum aduersus Hebręos, eo quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorū, Act. 6. nam Græci eo loco non gentiles intelliguntur (neque enim gētilium cuiquam adhuc prædicatū erat euangeliū; neq; id statim fieri debuit, sed exspectato opportuno tēpore quod Deus designaret; sicuti factū à Petro Lucas docet Act. 10 & 11.) Verū significātur eo nomine ex Iudæis illi qui quòd in exteris regionibus nati essent & educati, nō Hebraicæ linguę sed Græcæ vel Latinę vel alius cuiusquā vsū haberēt. His enim occasio murmuris & querelæ fuit aduersus fratres Iudæos, qui suprà dicta ratione Hebræi

voca-

vocabantur, quòd ipſorum viduæ negligerentur in miniſterio victus quotidiani, videlicet Hebræis (quibus, tanquam indigenis ac linguæ priuilegio potioribus, miniſterium illud commiſſum fuerat) ſuos inopes magis quàm alienos curantibus. Hoc modo rurſum de Græcis loquitur Lucas capite 9 Actorum; vbi refert Paulum diſputaſſe cum Græcis: illos autem quæſiuiſſe vt eum occideret. & capite 11, illis verbis: *loquebantur ad Græcos, annunciantes Dominum Ieſum.* Ac ne quis dubitet; non eos ἕλληνας ijs locis appellat, quo nomine Græci propriè dicuntur, vt Rom. 1. 2. & alibi; ſed ἑλληνιςας, quaſi dicas Græciſtas, id eſt Græca lingua vtentes. Hæc pluribus, vt oſtenderem quos Hebræos, & quo diſcrimine, vocet apoſtolus, tam hoc loco quàm ad Phil. 3. vbi ſe dicit Hebræum ex Hebræis. Igitur Hebræi quos dixi, glorioſum ducebant quòd loquerentur lingua ſuæ gentis primitiua, qua & ipſorum patriarchæ & prophetæ vſi fuerãt; imo Deus ipſe, quando legem patribus eorũ, & reſponſa prophetis, dedit: atque hoc titulo ſeſe ante alios efferebant. In horum numero erant pſeudapoſtoli contra quos Paulus agit: quorum iactantiæ reſpondet ſe quoque Hebræum eſſe. Quãuis enim Paulus Tharſi Ciliciæ natus eſſet; parentes eius tamẽ quòd non ita dudũ illuc ex Iudæa cõmigraſſent, nec inde procul abeſſent, linguam patriam adhuc retinebant, & ea ſtudioſè filiũ imbuerat pater Phariſæus. Vnde eſt quod Hebraicè cõcionatur ad populum Ieroſolymitanum magno cũ ſilentio audientẽ, Act 22. Sed & Hieronymus in epiſtola ad Algaſiam, quæſt. 10 Paulũ affirmat in vernacula lingua diſertiſſimũ fuiſſe. Neque nunc diſtinguo linguã Hebraicam à Syriaca. Cõſtat enim linguã quæ Iudæis tũc erat vernacula, quaque Chriſtus & apoſtoli fuerunt vſi, nõ purè Hebraicã fuiſſe, ſed mixtam, & dialecto non parum diſſimilẽ; quę Syriaca poſtmodũ vocata eſt. Addit verò, *Iſraelitæ ſunt; & ego.* vel ne ſuſpicio eſſet ipſum lingua tantùm non etiam gente Hebræum eſſe; vel potiùs, ad ſignificandam nobilitatẽ generis; qua negat ſe illis inferiorem. ea maximè ſignificatur nomine Iſrael, in ſcripturis celeberrimo, quodq; diuinitus datum fuerat ipſorum patriarchæ Iacob. Addit deinde, *ſemen Abrahæ ſunt; & ego.* nam id multo adhuc honorabilius cenſebant, propterea quòd Abraham & primus eorum eſſet patriarcha, & præ cæteris eximia in Deũ pietate ac fide fuiſſet; eoq; Dei amicus appellatus, & dignus habitus cui tam præclaræ à Deo fierẽt promiſſiones, in ſemine eius, id eſt in poſteris, implendæ. Eſt igitur in hoc Pauli ſermone figura quã Incremẽtũ vocãt. Etenim glorioſius erat Iſraelitã dici, quã Hebræũ; & ſemen Abrahæ dici, quã Iſraelitã.

23 MINISTRI CHRISTI SVNT; (VT MINVS SAPIENS DICO) PLVS EGO. Particulam *& ego* proximè ſubiunctam illis verbis, *miniſtri Chriſti ſunt*, quæ in permultis erat codicibus, eademque à non paucis tractatoribus expoſita, iure expunxerunt Romani correctores. nam Græci & Syri codices non agnoſcũt; vt nec Auguſtinus in loco ſuperiùs citato. ſed neque ex Ambroſiano commentario apparet eam in textu fuiſſe. Denique Latini codices emendatiores tum manuſcripti tum impreſſi non habent: vt prorſus veriſimile ſit, librariorum prępoſtera diligentia huic quarto mẽbro ex tribus ſuperioribus aſſcriptam eſſe. Quod verò noſtra verſio habet, (*vt minus ſapiens dico.*) Græcè eſt, παραφρονῶν λαλῶ; id eſt, deſipiens, ſiue ſtulteſcens ac delirans, loquor: tanquã dicat apoſtolus, Miniſtri Chriſti ſunt: (ſtultè loquor, ſtulticiæ meæ ignoſcite) plus & excellentius ego ſum. nam excellentiam ſignificat Græcũ ὑπὲρ, id eſt ſuper, vt legit Auguſtinus. Repetit autem apoſtolus excuſationem inſipientię hoc loco, non quia gloriatur ſe Chriſti miniſtrum, quod vbique inculcat; ſed quia in re tanta ſe alijs anteponit, dicendo, *plus ego.* Quæres, Quomodo nunc miniſtros Chriſti vocet, quos paulo antè vocauit pſeudapoſtolos, operarios ſubdolos, & miniſtros Satanæ? Reſpondeo, Quatuor iſta quæ velut affirmãter ab apoſtolo dici videntur, *Hebræi ſunt, Iſraelitæ ſunt, ſemen Abrahæ ſunt, miniſtri Chriſti ſunt*; per rhetoricam cõceſſionem dicta eſſe, quaſi dicat, Demus eſſe tales. Nam vt verè fuerint Hebræi, & Iſraelitæ, & ſemen Abrahæ; tamen Chriſti miniſtri non erant, niſi quod ad Chriſtum quoquo modo prædicandum, ſeſe ingerebant, quemadmodum ad Philip. 1 dicit. Quidam reſpondent, illa quatuor eſſe legenda cum interrogatione; quæ nihil affirmet, ſed lectori iudicium relinquat, an verè tales ſint. mihi prior reſponſio probatur. Quod autem dixit *plus ego*; ne dictum arrogantius videatur, tum quia ad inſtitutum commendandi ſui miniſterij pertinebat, deinceps latè probat. Eſtque notandum cum Theodoreto, Paulum hîc nõ adducere in medium miracula quæ fecit, vt mortuos ſuſcitatos, claudos reſtitutos, dęmones effugatos (licet horum obiter, & reſtrictè, tantũque in genere meminerit capite ſequenti, dicens *ſigna ſui apoſtolatus facta fuiſſe ſuper Corinthios in ſignis & prodigijs, & virtutibus*) ſed ea tantũ quæ pro euangelio perpeſſus eſt.

IN LABORIBVS PLVRIMIS, Auguſtinus legit *plurimum*; Græcè eſt, *abundantius*, vt in parte ſequenti. Senſus; In eo quod graues ac multos labores euangelij cauſa ſuſcepi. intelligitur, miniſter Chriſti declaratus aut probatus ſum; aut quid tale. ſimiliter expone in ſequentibus.

IN CARCERIBVS ABVNDANTIVS, IN PLAGIS SVPRA MODVM. Hæc duo membra contrario ordine apud Græcos leguntur. Illud (*abundantius*) aut comparationem innuit Pauli cum ijs qui ſe vocabant Chriſti miniſtros, vt ſentit Ambroſius; eo quòd parum admodum illi laboraſſent, ac vix aliquid paſſi eſſent: aut potiùs, ſecundum Oecumenium, ſine comparatione perſonarum,

ipſius rei exceſſum ſiue frequentiam ſignificat. ſic enim & alibi accipitur. Neque veriſimile eſt pſeudapoſtolos propter euangelium fuiſſe paſſos incarcerationem. De Paulo autem incarcerato ante hanc epiſtolam, in Actis apoſtolorum non legimus quidem, niſi capite 16. vbi à Philippenſibus in carcerem miſſus legitur: ſed permulta Paulus & fecit & paſſus eſt quæ in Actis non ſcribuntur. Quod verò dicit, *in plagis ſupra modum*, id eſt, in verberibus inſolenter, &, vt ita dicam, exceſſiuè mihi illatis; id mox quibuſdam partibus explicat.

IN MORTIBVS FREQVENTER. *Mortes* vocat mortis pericula; quemadmodum & primo capite huius epiſtolæ, vbi noſter interpres vertit, *Qui de tantis periculis nos eripuit*. eas verò mortes paulo pòſt multas enumerat.

24 A IVDÆIS QVINQVIES, QVADRAGENAS VNA MINVS, ACCEPI. Plagas intelli-ge. Legimus Deuteronomij 25 præceptum Iſraelitis fuiſſe vt in flagellendo fratre, id eſt Hebræo, quē dignum plagis cōperiſſent, quadragenarium numerum plagarum non excederent. Iudæi verò, ſiue cauentes ne fortè in ipſo verberandi impetu præfinitum numerum tranſilirent; ſiue clementię & humanitatis cauſa, memorato numero ſtatuerunt vnā plagam demendam eſſe, etiamſi quis integrū numerum plagarum commeruiſſet. Quod quidem arbitror referendum ad Iudaicas traditiones in Dei legem iniurioſas: Neque enim illis licebat numerum legis, in quo etiam myſteriū continebatur, vnitate dempta mutare; ſiquidē quadragenarius numerus afflictioni & pœnitentię cōſecratus eſt. Porrò quoniam Iudæi Paulum vehementer oderant, nec tamen eū morti adiudicare permittebantur, à Romanis prohibiti, iuxta illud Ioānis 18. *Nobis non licet interficere quenquam*: idcirco plagis eum onerabant, quā multis poterant ſecundū legem conſuetudine reſtrictā & moderatam, hoc eſt, vndequadraginta. Id autem factum quinque diuerſis tēporibus. Sed cur Lucas in Actis ne vnius quidē flagellationis ex quinq; meminit? Ideo videlicet, quod de Paulo pene ea ſola quibus ipſe præſens fuit, ſigillatim recenſeat; alia verò vel ſilentio pertranſeat, vel ſummatim ac breuiter referat, vt interdū tribus verbis complurium menſium atque etiā annorum res geſtas perſtringat. Qua in re notanda humilitas Pauli, qui ſuas & tot tam graues pro Chriſto paſſiones Lucæ comiti ſuo non aperuerit; ne hīc quidem recitaturus, niſi coegiſſet eum amor ſalutis Corinthiorum. Apparet autē has flagellationes fuiſſe factas in ſynagogis; ad ſignificandum, contra legem Moyſi aut religionem peccatum fuiſſe. Dicit enim Dominus Matth. 10. *In ſynagogis ſuis, flagellabunt vos.*

25 TER VIRGIS CÆSVS SVM, à gentilibus. erat enim Romanis conſuetudo virgis cædere nocentes. Caietanus hinc apparenter colligit Iudæos non virgis, ſed alio inſtrumento flagellare ſolitos; quoniam ter dumtaxat virgis cæſum ſe dicat apoſtolus. Porrò Lucas tantùm ſemel meminit huius contumeliæ Paulo illatæ, ſcilicet Actorum 16. vbi ſcribit eum vnà cum Sila virgis cæſum à Philippenſibus. Hīc quæri poteſt, Cur paſſus ſit Paulus ſeſe virgis cædi, cùm dicendo ſe Romanum eſſe, euadere potuerit flagellationem, vt fecit ſimile quiddam Act. 23. Reſponderi poteſt quod id non putauit faciendum, niſi gloria Dei & ſalus eccleſię hoc videretur poſtulare. Nam vtique Act. 16 virgis cædi ſe permiſit; nec Romanum ſe declarauit niſi poſtera die quando magiſtratus iubebat eum dimitti. Quod ſi initio dixiſſet ſe ciuem Romanum; non fuiſſet occaſio conuertendi ad fidem Chriſti cuſtodem carceris cum tota domo.

SEMEL LAPIDATVS SVM. Id paſſus eſt Lyſtris Lycaoniæ, potiſſimum à Iudęis, adeoque grauiter vt mortuus putaretur: quemadmodū refertur Actorū 14. Et quidem eodem capite legitur etiam Iconij factum fuiſſe à Iudęis & gentilibus impetum: vt Paulum & Barnabam lapidarent; ſed tunc fugâ periculum euaſiſſe apoſtolos Lucas ſignificat. Cæterùm, ab hoc loco mortes ſuas incipit apoſtolus recenſere, de quibus dixit, *In mortibus frequenter.*

TER NAVFRAGIVM FECI. Nullum Pauli naufragium attingit Lucas in Actis, præterquam quod paſſus eſt Romam proficiſcens, Actor. 27. ſed illud apud Melitam, multò poſt ſcriptam hanc epiſtolam, contigit. Itaque falluntur qui hoc numerant inter hæc tria.

NOCTE ET DIE IN PROFVNDVM MARIS FVI. Rectiùs alij codices, ſuffragante Romana correctione, *in profundo maris*. Ad verbū in Græco eſt, *noctiduum in profundo feci*. Quod Eraſmus vertit, *noctem & diem in profundo egi*. tametſi non malè noſter interpres addidit *maris*. nam vox Græca, licet nihil aliud addatur, ſæpe apud ſcriptores accipitur pro maris profunditate. Nec aliter commentatores plerique locum hunc accipiunt; idque conuenienter textui; Cùm enim dixiſſet, *ſe ter naufragium feciſſe*; vtique in mari: ſubiunxit aliud periculum marinum longè grauius, nempe quod demerſus fuerit ex naufragio in profundum maris; vbi tamen diuina ope fuerit ſeruatus incolumis noctem & diem, atque inde poſtea liberatus. Quanquam Syriaca verſio, quæ loco illius, *in profundo*, legit *ſine nauigio in mari*; alium ſenſum indicat, ſcilicet, Paulum fuiſſe iactatum vndis extra nauim in vaſto mari, quod à poetis altum vocatur. Simile quid ſentit Ambroſianus; qui tamen in eo manifeſtè fallitur, quod partem hanc exponit de illa nauigatione qua Romam ibat apoſtolus, poſtquam Cæſarem appellaſſet. Conſtat enim hanc epiſtolam antè ſcriptam eſſe.

Porrò

Porrò Theophylactus ſcribit aſſerere nonnullos, hîc ſignificari quod in quodam puteo, cui nomen Bythos, id eſt profundum, abſconditus fuerit Paulus, poſt periculum apud Lyſtrios. Refert quoque Beda ex Theodoro Archiepiſcopo gentis Anglorum, (libro quæſtionum, q. 3. tit. 8.) fuiſſe apud Cyzicenos, quæ vna erat ciuitatũ Aſiæ, carcerẽ quendam terrimum, qui, quòd altiſſimus eſſet, profundum maris vocaretur, eadem ratione qua carcer apud Athenienſes famoſiſſimus, barathrũ appellatus eſt. nam & in ſcriptura, profundi carceres paſſim lacus appellantur. De hoc carcere Cyziceno neotericus quidam ſcriptor (vide Barõ. ad Martyro. Rõ. Septẽb. 20. c. & To. 1. anno Chriſti 58. § 43.) præſentẽ apoſtoli locũ intelligi poſſe putat. Verùm vt taceam à nullo authorũ proditum eſſe quòd Paulus aliquando Cyzici prędicauerit euãgelium; certè ſi hîc de carcere quopiam apoſtolus loqueretur, non adderet, *noctem & diem.* non enim magnum eſt aut memorandũ vno die naturali fuiſſe in carcere, tametſi profundo; cùm plerũque diutiùs ſoleant homines in carceribus detineri. qua ratione Chryſoſtomus illud de carcere refellit. Quocirca communẽ expoſitionem probabiliorem exiſtimo. Sic enim dixit apoſtolus, noctem & diem ſe egiſſe in profundo maris; quomodo de Iona dicit ſcriptura quod tribus diebus ac noctibus fuerit in ventre ceti: qui etiam de ſeipſo ita loquitur ad Dominum, *& proiecisti me in profundum, in corde maris.* Ionæ 2.

26 IN ITINERIBVS SÆPE, non ſolùm moleſtis, ſed & periculoſis; vti declarant ſequentia.

PERICVLIS FLVMINVM, quæ interdum non minus periculoſa ſunt nauigantibus, quàm mare.

PERICVLIS LATRONVM, in quos inciderat iter faciens. Horum meminit, non quòd latrones ipſum inuaſerint propterea quod Chriſtum prædicaret; nam nec mare aut flumina ei nauiganti infeſta fuerunt propter euangelium: ſed idcirco hæc commemorat, inquit poſt Chryſoſtomum Theophylactus, quia euangelij cauſa moleſtas & periculoſas profectiones ſuſceperat; vt proinde meritò gloriaretur ſe hæc omnia pro Chriſti miniſterio pertuliſſe, ſeque per ea declarari verum & inſignem Chriſti miniſtrum.

PERICVLIS EX GENERE, id eſt, à Iudæis, qui cum ipſo eiuſdem erant generis, quoſque alibi cognatos ſuos vocat. nam & hoc loco Syriacus textus habet, *ex cognatione mea.* Hos verò quàm graues ſemper inimicos ſenſerit, ex ipſius epiſtolis atque ex Actis à Luca conſcriptis, clariſſimum eſt.

PERICVLIS EX GENTIBVS, id eſt à gentilibus; ſed ijs plerumque à Iudæis in ipſum concitatis: vt ex Actis liquet.

PERICVLIS IN CIVITATE, velut Damaſci, Ieroſolymis, Epheſi, atque alibi;

PERICVLIS IN SOLITVDINE, id eſt, in deſertis locis, in quibus ei ab aduerſarijs collocabantur inſidiæ.

PERICVLIS IN MARI. Iam antè quid in mari paſſus fuerit, expoſuit: Verùm hîc peculiariter loquitur de periculis ſibi mare nauiganti paratis ex inſidijs hoſtium, maximè Iudæorum, cuius exemplũ habemus Actorum 20. vbi ſcribitur factas illi fuiſſe inſidias à Iudæis nauigaturo in Syriam. tametſi illud veriſimiliter contigerit poſt ſcriptam hanc epiſtolam. atqui ſimilia potuerunt antè contigiſſe.

PERICVLIS IN FALSIS FRATRIBVS. id eſt, periculis quæ paſſus ſum à ſimulatis & falſo nomine Chriſtianis. qui ſunt hoſtes inteſtini ac domeſtici, eoq; magis periculoſi. Quorum typum geſſit Iudas proditor, de quo Dauid in perſona Chriſti canit pſalmo 54. *Quoniã ſi inimicus maledixiſſet mihi; ſuſtinuiſſem vtique: Tu verò homo vnanimis* &c.

27 IN LABORE ET ÆRVMNA; Proſequitur alias afflictiones; in quibus euangelij cauſa toleratis, aut ſponte etiam ſuſceptis, excellens Chriſti miniſter declaratus ſit. Pro *ærumna*, moleſtiã legit Ambroſianus: noſter interpres alibi *fatigationem* vertit, 2 Theſſ. 3. ſignificat autem vox Græca laborem cum difficultate ac fatigatione coniunctum.

IN VIGILIIS MVLTIS. Græcè, *In vigilijs ſæpè*. Quales fuerint vigilię Pauli, diſcere licet ex Actis apoſtolorum. nam Philippis in carcere media nocte Deum orat & laudat. Act. 16. item Troiade ſermonem in die dominica protrahit vſque in mediam noctem. Denique Mileti, apud presbyteros Epheſo euocatos, conteſtatur ſe per triennium, nocte & die, non ceſſaſſe ab officio veri paſtoris, Act. 20. His adde vigilias quas exegit operę manuum; de quibus 2. ad Theſſalonicenſes 3. *Neque gratis*, inquit, *panem manducauimus ab aliquo: ſed in labore & in fatigatione nocte & die operantes, ne quem veſtrùm grauaremus.*

IN FAME ET SITI. Inediam & penuriam paſſus eſt, gratis euangelium prædicans. Vnde ait 1 Corinth. 4. *Vſque in hanc horam & eſurimus & ſitimus*, & ad Philippẽſes 4. eſurire & penuriam pati, inter ea numerat in quibus inſtitutum ſe dicit.

IN IEIVNIIS MVLTIS, Iterum *ſæpè*, pro *multis*, in Græco & apud Ambroſianum. Vt autem pars hæc à precedenti diuerſa ſit; intellige, cum S. Thoma, ieiunia ad purificãdam mentem, & edomandam carnem, ſponte aſſumpta, quo fructuoſius euangelium prædicaret. Sic enim ait in priori epiſtola capite 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: ne forte* &c.

IN FRIGORE ET NVDITATE. Hæc duo coniungit, vt ſignificet ob nuditatem & veſtium inopiam frigora paſſum ſe fuiſſe. Quanquam poſſunt diuerſa mala intelligi. nam æſtate, quis patitur nuditatem, non frigus, ſi veſtibus careat. Nuditatis etiam meminit 1 Cor. 4.

28 PRÆTER ILLA QVÆ EXTRINSECVS SVNT; INSTANTIA MEA QVOTIDIANA. Chryſoſtomus ac cæteri Græci expoſitores hæc diuidunt; priorem partem ſuperioribus iungentes. Quod enim in Græco eſt, παρεκτὸς, id eſt extrinſecus, vt noſter interpres vertit; illi accipiunt vt idem ſit quod præter; quomodo accipitur Matthæi 5. vbi dicitur, *excepta fornicationis cauſa*; Græcè, *præter verbum fornicationis*. tanquã dicat apoſtolus, *Abſque iis quæ prætermitto:* quo ſignificet ſe nondum omnia quæ pro euangelio paſſus ſit commemoraſſe; ſed quædam ſtudio prætermittere. Quod autem noſter vertit, *inſtantiam*, illi de tumultibus & commotionibus ſeu cõcurſibus hominum aduerſus ipſum frequenter excitatis intelligunt. Sic enim & alibi vox Græca ἐπισύστασις accipitur: vt Actorum 24. *aut concurſum facientem turba*. Porrò Latini plærique totum hoc ſeiungunt à ſuperioribus; & ad hunc ferè modum exponunt. Iam verò præter illa quæ foris & extrinſecus mihi accidunt, id eſt corporis afflictiones & pericula, cuiuſmodi ſunt quæ hactenus recenſui; ſunt & peculiares animi dolores atque afflictiones, quibus excrucior euangelij cauſa. Nam quotidie ad me, tanquam apoſtolum eccleſiarum, concurritur vndiquè à fidelibus, ob varias difficultates circa negocium euangelicum emergentes: quæ res animum meum inquietat maiorem in modum. Senſus hic valde probabilis eſt. Similiter enim & ſuprà capite 7. vtrumque genus afflictionis complexus eſt, dicens: *Omnem tribulationẽ paſſi ſumus: foris pugnæ, intus timores*. Nec admodum quadrat Græcorũ expoſitio: quia tumultus populorum aduerſus Paulum non erant quotidiani, ſed rariores. Neque conueniebat apoſtolum cum modeſtia de ſe gloriãtem, vti hyperbolis. Græca quoque lectio Latinorum commentarium facilè admittit: ſi inſtantiam hominum ad Paulum concurrentium, intelligamus, qualem iam diximus. quomodo ſanè B. Auguſtinus intellexit, ſcribens in pſalmum 98. Vbi hunc locum ita legit, *Incurſus in me quotidianus*; Nec ſecus in 4 de doctrina Chriſtiana. Illud etiam (*extrinſecus*) bene ſe habet. Nam Græcum aduerbium παρεκτὸς, ex præter & extra compoſitum, vtriuſque ſignificationem participat. vnde & locus Matthæi percommodè verti poteſt, *extra cauſam fornicationis*. denique ſequentia noſtræ expoſitioni applaudunt.

SOLICITVDO OMNIVM ECCLESIARVM. etiam earum quibus ipſe euangelium non prædicauerat, aut in quibus non fuerat. quod epiſtolæ eius declarant ad Romanos, & ad Coloſſenſes. ſi enim pro inuicem ſolicita sũt membra eiuſdem corporis, etiam minora: quantam oportuit eſſe pro reliquis omnibus ſolicitudinem tanti tamque nobilis ac præcellentis membri? Nec ideo præfuit toti eccleſiæ Paulus, quaſi parem cum Petro poteſtatem ſortitus: nam etſi ſolicitudo præfecturam conſequatur; non tamen è conuerſo præfectura ſolicitudinem. quemadmodum patet in eo quod iam dictum eſt de membris pro ſe inuicem ſolicitis. Poteſt & ſic intelligi, *omnium eccleſiarum*, id eſt plurimarum; ſcilicet earum quas ipſe fundauerat, aut quibus per ſe vel per diſcipulos ſuos euangelium prædicauerat. Quanquam etiam vltra eas ſolicitudinem ſuam extendiſſe, liquet ex epiſtola ad Romanos ſcripta, quibus non prædicauerat. Porrò ſolicitudinem hanc & curam omnium eccleſiarum Paulo incumbentem, meritò Chryſoſtomus inter afflictiones hactenus enumeratas, onus omnium maximum fuiſſe cenſet.

29 QVIS INFIRMATVR, ET EGO NON INFIRMOR? Partem apoſtolicæ ſolicitudinis explicat his verbis; Quis, inquit, fidelium infirmatur animo, propendet ad lapſum, pronus eſt ad peccandum leui occaſione, quomodo qui corpore parum firmi ſunt; Et ego non infirmor per intimum affectum cõmiſerationis, metuens ac ſolicitè cauens ne frater infirmus cadat? Dixit hoc & in priori epiſtola capite 9. *Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem*. vide eius loci commentarium.

QVIS SCANDALIZATVR, ET EGO NON VROR: Plus eſt ſcandalizari, quàm infirmari; inquantum deterius eſt cadere, quàm pronum eſſe ad caſum, Sed cur non dicit, & ego non ſcandalizor; ſicut dixerat, & ego non infirmor? quia ſcandalizari non ſic in bonam partem intelligi poteſt, ſicut infirmari. dicitur enim mater & nutrix infirmari cum infante, & medicus cum ęgroto; quia ad eius infirmitatem ſe demittit, eique ſeſe accommodat per commiſerationem & tolerantiam infirmitatis: At ſcandalizari non dicitur qui cadentibus condolet aut condeſcendit, ſed qui ſimiliter impingit & cadit. Vri verò dicitur, qui vehementi dolore animi afficitur, velut ſi igne vreretur. quod illi neceſſe eſt accidere qui proximum quem vera charitate diligit, videt ex alienis factis minus rectis in ruinam impelli, quod eſt ſcandalizari. Vnde Auguſtinus in enarratione pſalmi memorati locum hunc tractans ait, Quanto maior charitas: tanto maiores plagæ de peccatis alienis.

30 SI GLORIARI OPORTET; QVÆ INFIRMITATIS MEÆ SVNT GLORIABOR. Quoniam dicens, *& ego non infirmor?* in eo quod infirmitatis eſt gloriari videbatur; ideo nunc generaliter affirmat ſe in his quæ infirmitatis ſuæ ſunt, gloriari. Quandoquidem, inquit, cogitis me ad gloriandum; de his gloriabor quæ ſunt infirmitatis meę. ſic capite ſequenti, *Pro me autem nihil gloriabor, niſi in infirmitatibus meis*. Infirmitas in ſacris literis variè ſumitur, vt annotauimus ad illud Roman. 5. *Cùm adhuc infirmi eſſemus*. Hoc loco, & ſequenti capite, ſuas infirmitates apoſtolus vocat ea quę paſſus fuerat; vtpote talia

propter

propter quæ quis apud homines carnales deſpectus & contemptibilis haberi ſoleat. Huiuſmodi ſunt quæ iam longo ordine enumerauit, ab eo loco, *In laboribus plurimis.* Nã laboribus atteri, carceribus includi, plagis affici, virgis cædi, periculis exponi, inediam ac nuditatem pati, & his ſimilia; refugiuntur ab hominibus, partim vt dura & aſpera, partim vt probroſa: quibus annumerat quod mox ſubijcit, de fuga ſua quando per feneſtram in ſporta dimiſſus fuit ex muro; cuiuſmodi fuga animo excelſo videretur parũ honeſta. Sed quid in ea narratione ſpectet apoſtolus, ſtatim exponemus. Gloriatur autẽ in his potius quàm in ijs quæ erant potẽtiæ, velut in ſignis & miraculis, quæ plurima ediderat, quęque hominem mundo ſpectabilem & glorioſum reddere ſolent: eo quòd in ijs quæ infirmitatis ſunt, maximè declaretur virtus Chriſti; quemadmodum docet ſequẽti capite, tum quoniam hac parte multis modis ab ipſo ſuperabantur pſeudapoſtoli. Denique quod infirmitates non ſic animum erigunt, vti miracula; quorum proinde nullam in ſuperiori catalogo mentionem facere voluit, ſed ea ſequenti capite tantùm obiter ac breuiter attingit, tanquam ſigna ſui apoſtolatus. Quod ad textum attinet, vbi dicit, *Quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor:* in Græco ſubauditur κατὰ, ſecundum ea; id eſt, de ijs quę &c. ſicut ſuperiùs expoſitum eſt. Auguſtinus legit, in ijs quæ &c. quod perinde valet. Porrò ſciendum eſt totum hunc locum apoſtoli vſque ab illis verbis, *Iterum dico, ne quis me putet inſipientem* &c. tranſcriptũ eſſe ab Auguſtino libro 4. de doctrina Chriſtiana capite 7. videlicet pro inſigni exemplo quo doceat eſſe in ſacris literis eloquentiam, non illam ſtudio quæſitam & arte compoſitam, qualis in libris ſęcularium ſcriptorum; ſed natiuam & caſtam, quæ tanquam ſapientiæ famula, ſponte, etiam non vocata, dominam ſuam comitetur. Obſeruare eſt in his quæ tranſcripſit Auguſtinus, præter cola, & commata, & periodos cum decentiſſima varietate interpoſita, quæ ille diligenter annotauit, crebras etiam ac varias metaphoras quas vocant, aliaque locutionis ſchemata; quibus oratio non modò iucunda & venuſta, verùm etiam mirum in modum acris ac vehemens redditur.

31 DEVS ET PATER DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, QVI EST BENEDICTVS IN SÆCVLA, SCIT QVOD NON MENTIOR. Ad *Deum & patrem* refertur illud, *qui eſt benedictus in ſæcula*; quemadmodum ex Græco manifeſtum eſt, vbi hic eſt ordo, *Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti ſcit, is* (inquã) *qui eſt benedictus in ſæcula; quod non mentior.* atque ita etiam ab Auguſtino citatur. Tota verò ſententia, quamuis ad ſubiunctam narrationem à multis referatur, quod & velle videtur Reſponſorium quoddam eccleſiaſticum de ſancto Paulo (vnde & nonnulli hîc faciunt exordium noui capitis): attamen ratio magis exigit, vt, quod alijs placet, ad ſuperiora reſpiciat, quæ de ſe apoſtolus commemorauit. Nam hoc quod ſequitur de fuga ſua, tam forti aſſeueratione qua hîc vtitur, non eget: ſed quia quæ ſuprà recenſuit, tam multa & magna ſunt vt videri poſſint fidem excedere; propterea confirmat ea iuramento; quod tacitum ineſt in his verbis. Qui enim pro confirmatione eorum quæ dixit, ſubijcit, Deus ſcit, aut ſimile quippiam; is Deum adducit dictorum ſuorum teſtem, tanquam omnia ſcientem. Certè formulam hanc eſſe iuratoriam, docet Auguſtinus epiſtola 89. quæſtione vltima. Thomas quoque iuramẽtum hîc agnoſcit. Quaſi ergo ſic dicit apoſtolus; Deus horum omnium teſtis eſt, qui nouit me non mentiri, ſed vera dicere. Emphaſim habet quod addit, *qui eſt benedictus in ſæcula*; quaſi dicat, abſit vt abutar eius teſtimonio, cui omnis laus & honor debetur in omnem æternitatem. ſic enim hanc phraſim exponendam oſtendimus in commentario Rom. 1.

32 DAMASCI PRÆPOSITVS GENTIS ARETÆ REGIS CVSTODIEBAT CIVITATEM DAMASCENORVM; Res geſta quam hîc attingit, narratur à Luca Actorum 9. Subijcit autem & hanc narrationem, vt gloriandi materiam; non quòd glorietur de fuga, dicens, *& ſic effugi manus eius*: vt enim fuga licita fuerit, (de quo mox aliquid dicemus) non tamen erat illi materia glotiæ aduerſus pſeudapoſtolos. Fugere enim pericula, per ſe timoris eſt, non fortitudinis aut patientiæ. Sed gloriatur de periculo (ſicut in ſuperioribus), eoque tanto vt periturus eſſet, niſi fuga fuiſſet elapſus. Erat autem & hoc periculum à Iudæis; vt eadem Acta teſtantur. *Damaſci*, genitiuus aduerbialis eſt; Grecè, *In Damaſco.* Quod autem ſequitur, *præpoſitus gentis*, compoſitum eſt nomen ἐθνάρχης, ad quod totum refertur genitiuus ſequens, *Aretæ regis.* Nec *cuſtodia* qualiſcunque ſignificatur, ſed quæ fit cum excubijs. Clarius itaque verti potuit hoc modo, Ciuitate Damaſci, is qui gẽtis prẽfectus erat nomine Aretę regis, excubijs poſitis ſeruabat Damaſcenorũ ciuitatẽ. Fuit Aretas Herodis tetrarchæ ſocer, Arabiæ petræ atque Damaſci regulus, vt author eſt Ioſephus Antiquitatum Iudaicarum libro 18.

VT ME COMPREHENDERET: Græcè, *cõprehendere me volens*, ſcilicet Iudæis aduerſarijs meis tradendum. nam Iudęorum operâ qui Paulum interficere cupiebant, factum eſſe quod hîc ſcribit; Lucas in Actis apoſtolorum diſertè expoſuit.

33 ET PER FENESTRAM IN SPORTA DIMISSVS SVM PER MVRVM. Id eſt per menia ciuitatis; idque nocte, & à diſcipulis, id eſt Chriſtianis; vt refert Actorum hiſtoria.

ET SIC EFFVGI MANVS EIVS. *Sic*, abeſt in Græcis & Syris codicibus, atque in nonnullis manuſcriptis Latinis, quibus & Am-

brosianus suffragatur. Quæret aliquis, cur Paulus inter ea de quibus gloriatur, fugæ suæ mentionem inserens, non det maculam in gloria sua; cùm sit mercenarij, non pastoris, persecutorem fugere; dicente Domino Ioannis 10. *Mercenarius, & qui non est pastor, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit.* Respondeo, Paulum non ita fugisse vt oues quoad curam illis debitam, dimitteret, fieretque quod sequitur in verbis Domini, *& lupus rapit & dispergit oues.* Non enim omnes tunc illius loci fideles persecutionem patiebantur, sed solus Paulus, Iudæis peculiariter inuisus; qui proinde iuxta prudentiæ regulam, præsertim fratribus id ipsum postulantibus, fugiendo vitare debuit imminens periculum, vt se in futurum tempus seruaret vtilitati ecclesiæ. nam & Dominus hoc præcepit Matthæi 10 dicens; *Cùm persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Neque verò deerant qui in illius absentia fideli populo necessaria salutis subsidia subministrarent, Ananias, & alij; quemadmodum nec defuerant antequam ipse Damascum veniret. Cæterùm fuga de qua Dominus in euangelio loquitur, non tam corporis est quàm animi; qua nimirum quis ita relinquit oues, vt earum salutem suis commodis aut vitæ etiam temporali postponat. Velut si tempore persecutionis, vel ob pestem, aut hostium incursum, sui præsentiam ouibus subducat, quando illa ad ea quæ salutis sunt ministranda, ouibus est necessaria. Qua de re differens ex professo beatus Augustinus, epistola 180 ad Honoratum, ita tandem concludit; *Quicunque igitur isto modo fugit, vt ecclesiæ necessarium ministerium illo fugiente non desit; facit quod Dominus præcepit, siue permisit. Qui autem sic fugit vt gregi Christi ea quibus spiritualiter viuit, alimenta subtrahantur; mercenarius ille est, qui videt lupum venientem & fugit, quoniam non est ei cura de ouibus.* Hæc ille ibi.

CAPVT XII.

1 SI GLORIARI OPORTET, NON EXPEDIT QVIDEM. *Si*, non est in Græco, potestque videri in nostris huc ascriptum ex loco superiori. Cæterùm varietas quędam est in Græcis codicibus, ob similitudinem trium dictionum, δεῖ, δὴ, δὲ; oportet, sanè, autem; tametsi plurimorum codicum lectio est, eaque probatissima; *Gloriari sanè non expedit mihi.* Id est, quamuis propter vos oporteat me gloriari, vt dignitatem ministerij mei tueat aduersus obtrectatores; mihi tamen id non expedit, intellige simpliciter, & extra casum præsentem aut similem; tum quia speciem habet iactantiæ, tum propter elationis periculum. Ambrosianus quoque *mihi*, non *quidem* legit. Ac videri potest Interpres pro μοὶ legisse μὲν. Vtitur autem rursum apostolus huiusmodi præfatione, quod nunc non ea quæ infirmitatis sunt, sed præclarum ac sublime quiddam de se commemoraturus sit. Quapropter & ad declinandam iactantiæ suspicionem, quasi de alio quodam homine rem narrat, additque se nescire quomodo res acciderit, in corpore an extra corpus.

Gloriari cur non expediat per se.

VENIAM AVTEM AD VISIONES, ET REVELATIONES DOMINI, scilicet commemorandas. Græcè est, *Veniam enim*; velut causam reddat apostolus cur dixerit sibi non expedire quod super his rebus gloriaretur. Inter visionem & reuelationem Liranus & Caietanus post Aquinatem ita ferè distingũt, quòd reuelatio visionem includat aut supponat, non contrà. cùm enim aliquid videtur, cuius intelligentia siue significatio videntem latet; visio solùm est; quales fuêre visiones Pharaonis & Nabuchodonosor, qui nesciebant quid per eas significaretur. quando autem aperitur intelligentia rei visæ; reuelatio est; qualem habuerunt Ioseph & Daniel ac cæteri prophetæ. Meminit huius distinctionis etiam Theophylactus. Coniungit ergo apostolus visiones & reuelationes, quia quæ vidit, etiam perfectè intellexit. vocat autem eas *visiones & reuelationes Domini*; id est, à Christo Domino sibi factas, vnde & Gal. 1, profitetur se euangelium suum accepisse per reuelationem Iesu Christi.

Visionis & reuelationis distinctio.

2 SCIO HOMINEM IN CHRISTO, Id est, noui hominem quendam Christianum, Christo per sacramentum fidei incorporatum. Hoc Paulum de se, & non de alio dicere clamat totus contextus; illud maximè, *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi* &c. Et alioqui, nihil ad institutum faceret ista narratio.

ANTE ANNOS QVATVORDECIM. Hæc temporis designatio, quanquam videri cuiquam possit referenda ad particulam præcedentem, *in Christo*; rectiùs tamen, ex consensu omnium interpretum, refertur ad illud sequens, *raptum huiusmodi* &c. Propterea verò tempus rei gestæ duxit annotandum, inquit Chrysostomus, vt significaret se, qui tamdiu rem tacitam & occultam tenuerat, ne tunc quidem proditurum fuisse, nisi maxima necessitas ipsum compulisset. deinde vt detur intelligi, quantis postea donis diuinitus cumulatus fuerit, quē à tam multis annis tam insigni reuelatione Christus fuisset dignatus; Ex hoc annorum numero collato cum annis imperatorum Romanorum qui per id tempus regnarũt, colligit Thomas raptum Pauli quem hîc commemorat, contigisse in ipso anno cõuersionis eius ad Christum; ac probabile censet, quod quidam dicunt, apostolum has visiones habuisse in illo triduo quo statim à conuersione Damascum introductus, (vt habetur Actor. 9) erat non videns, ac neque comedens neque bibens.

In can-

Tempus quando raptus Paulus.

Vide Baron.

In eandem ſententiam concedunt Liranus & alij. Verùm qui temporum rationem diligentius inueſtigarunt; certioribus argumẽtis oſtendunt raptum hunc Pauli contigiſſe octennio poſt ipſius conuerſionem, ſcilicet anno Domini 44. Claudij verò imperatoris 2. cùm eius conuerſio in annum Domini 36 inciderit. Conſtat enim ſcriptam fuiſſe hanc epiſtolam anno Domini 58, Neronis autem 2. Non igitur eo anno quo conuerſus fuit, ſed quo prædicandi in gentibus euangelij munus vnà cum Barnaba accepit, ſecundum ea quæ Acto. 13 ſcribuntur, hanc reuelationem Paulo oſtenſam fuiſſe, exiſtimandum eſt; qui quidem annus fuit à conuerſione eius octauus. An autem ſit eadem hæc reuelatio cum illa de qua ſcribit Gal. 1 *ſe accepiſſe euangeliũ per reuelationem Ieſu Chriſti*; ac rurſum cap. 2. *ſe aſcendiſſe Ieroſolymam ſecũdum reuelationem, vt de euangelio quod prædicabat in gentibus, conferret*: Vide noſtrum eo loco commentarium.

SIVE IN CORPORE NESCIO, SIVE EXTRA CORPVS NESCIO. Dubitationem hãc Pauli ſic accipiunt nonnulli, tanquã ignorare ſe dicat vtrùm ſimul cum corpore fuerit raptus in tertium cælum atque in paradiſum; quomodo Habacuc propheta raptus fuiſſe legitur vt Danieli cibum adferret, Danielis vltimo; quomodo & Philippum diaconum Spiritus Domini rapuit à conſpectu Eunuchi, & in Azotum tranſtulit, Acto. 8. an verò ſola anima Pauli, corpore in terris relicto, rapta fuerit; quomodo raptum ſe in viſione Ezechiel deſcribit cap. 8. In hunc ſenſum non ſolùm Ambroſianus apoſtoli verba diſertè exponit, verùm etiam Chryſoſtomus eo modo intellexiſſe videtur, Dicit enim apoſtolum non habuiſſe pro comperto, nũ anima rapta fuerit, corpore mortuo relicto; an verò corpus etiam raptum fuerit. Quin & patres Ancyrani concilij cap. vltimo, maleficarum mulierculatum errorem, exiſtimantiũ ſe cum ſuis corporibus multa terrarum ſpacia nocturnis horis pertranſire, cum id tantũ in phantaſia, per dęmonum illuſionem, patiantur; hoc argumento inter alia refellunt, quod nec ipſe Paulus audeat dicere ſe raptũ in corpore. Verũ Auguſtinus lib. 12 de Gen. ad literam cap. 3, & poſt eum Thomas in cõmentario, hunc intellectum dubitationis apoſtolicæ vehementer improbant. nec abs ratione. Nam ſi vnà cum corpore fuiſſet raptus in cælum; vtique ſenſibus corporis fuiſſet vſus ad cognoſcenda quæ illic erant; vidiſſet ergo Chriſtum oculis corporeis, & loquẽtem auribus corporeis audiuiſſet. Nec ſanè ignorare potuiſſet ſe ſenſibus corporis ad huiuſmodi actiones vſum fuiſſe. Senſus ergo dubitationis eſt, vtrùm ea quæ vidit in raptu, viderit anima in corpore manente, an à corpore ſeparata. nam etſi dicatur anima manſiſſe coniuncta corpori; rectè tamen intelligi poteſt eam fuiſſe raptam in tertium cælum, & in paradiſum; propter contemplationem ſublimium & ineffabilium myſteriorum; ſicut *angeli hominum in terra cuſtodes, ſemper in cælis vident faciem patris*, Matth. 18. Tametſi hoc quod de angelis dixi, non per raptum contingit; vti mox patebit ex declaratione eius quod eſt, raptum eſſe. Cæterùm in eo quod apoſtolus bis dixit, *neſcio*: nulla battologia eſt; ſignificat enim ſe neutrum affirmare poſſe, quòd vtrumque neſciat. Iam cùm apoſtolus ipſe ignorare ſe fateatur, vtrũ in corpore an extra corpus anima exiſtente, raptus ſit; haud immeritò Auguſtinus, lib. 12 de geneſi ad literam cap. 3, & lib. de peccato orig. cap. 23, cenſet impudentem ac temerariam eſſe inquiſitionem, vtro modo raptus ille contigerit. ſed hoc intellige de inquiſitione qua certa cognitio quæritur, non qua probabilis dumtaxat. Vnde non eſt arguendus temeritatis aut impudentiæ S. Thomas, qui 2.2.q.175 articulo 5 & 6. nec non in cõmentario huius loci, probabile putat in hoc raptu animam Pauli non fuiſſe à corpore ſeparatã, ſed coniunctam manſiſſe; ſic tamen vt mens eius ad ea videnda vel audienda quæ in raptu vidit vel audiuit, eſſet à ſenſibus corporeis alienata. Sanè raptum illum contigiſſe animæ manente in corpore, magis etiam ex eo probabile fit, quod alioqui fatendum eſſet Paulum tempore raptus mortuum fuiſſe; ſiquidem mors hominis non aliud eſt quàm animæ ſeparatio à corpore. Quare, & poſt raptum anima reuertente ad corpus, fuiſſet idem apoſtolus à morte reſuſcitatus, & quidem, ſecundum eos qui duos raptus hîc diſtingunt, in tertium cælum & in paradiſum; bis hoc Paulo contigiſſet. quod non eſt veriſimile; quia miracula non ſunt multiplicanda ſine neceſſitate; Sed neque ſcriptura raptus eiuſmodi quo anima diuelleretur à corpore, vſquam meminit. Illud quoque inauditum, quod quis ad hanc mortalem vitam ſecundò reſuſcitaretur. Neque verò hæc apoſtolus ignorauit; ſed tantùm ſcire ſe negat, id eſt, certò cognoſcere vtrùm in corpore, &c. ſicut certò ſciebat hominem raptum. Vnde & ſubiungit,

Probabilius fuiſſe raptum in corpore

DEVS SCIT, Quod hoc loco non eſt iurantis, vt paulo antè, *Deus ſcit quod non mentior*: ſed Deo tribuentis certam ſcientiam rei ſibi non certò cognitæ; quemadmodum ſolemus de rebus incognitis & occultis aut alioqui incertis, dicere, Deus nouit an ita ſit.

RAPTVM HVIVSMODI VSQVE AD TERTIVM CÆLVM. Pendet ab eo quod dixit; *Scio hominem. Raptum* autem dicit huiuſmodi hominem, id eſt, raptu quodam eleuatum; eſt enim raptus, ſecundum Thomã, ab eo quod eſt ſecundum naturã, in id quod eſt ſupra naturam, ex vi ſuperioris naturæ eleuatio. Ex qua definitione poteſt intelligi, nec angelos nec homines animaſue beatas raptas eſſe ad Deum videndum; quia quamuis eleuentur à Deo ad id quod eſt ſupra naturam

Quid raptus.

Senſus dubitationis apoſtoli.

turam; non tamen alienantur aut abſtrahũtur ab eo quod eſt ſecũdum naturam; quemadmodum Paulo contigit hoc loco, & Petro quando factus in ectaſi, Act. 10. Quod verò *tertium cælum* dicat apoſtolus, ex ſcriptura diſcendum eſt; quę tres tantum cælos agnoſcit: Primum, nobis proximum, id eſt, aereum. Vnde dicuntur aues cæli, & nubes cæli. Secundum ſtellatum; ſub quo non ſolum planetarum orbes, verùm etiam totum illud quod ſupra nubes extenſum eſt, comprehenditur; quia ſcriptura non diſtinguit. Hinc ſtellæ cæli dicuntur. Tertium cælum eſt, quod Theologi empyreum vocant, ſedes beatorum; de quo dicitur: *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem patris.* & in oratione Dominica, *Pater noſter qui es in cælis*, & rurſum: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.* Quod quidem cælum corporeum eſt, vtpote ad quod Chriſtus ſecundum corpus, per aſcenſionem, fuit eleuatus; & ad quod omnes electi poſt reſurrectionem corporaliter aſſumentur. Hoc igitur eſt tertium cælum, ad quod raptum ſe dicit Paulus. Tradit hanc triplicis cæli diſtinctionem Ioannes Damaſcenus lib. 2 de fide orthodoxa cap. 6, licet empyreum non nominet; Eſt enim hoc nomen recentius. At Caietano non aſſentior, qui empyreo cælo reiecto, tertium ac ſummum cælum, idemque beatorum habitaculum, cęlum aqueum eſſe dicit, id eſt, aquas quæ ſuper cælos ſunt, quarum ſcriptura frequenter meminit. Verùm quid de aquis illis ſentiendum, diximus in 2 diſt. 14. Certè nec ſcriptura ſignificat, nec patrum quiſquam docet, nec ratio dici permittit, cęlum aqueum eſſe beatorum ſedem. Vide, ſi placet, hoc loco Doctorem angelicum mira ſubtilitate philoſophantem de triplici intellectu trium cælorum, facit enim tres cælos infra animam, & tres in anima, & totidem ſupra animam; atque ad vnumquodque iſtorum ponit raptum peculiarem. Quanquam ſatis eſt huic loco, Paulum idcirco dici raptum ad tertium cælum, prædicto modo intellectum, quòd animo à ſenſibus alienato fuerit eleuatus ad ſublimia quædam & ſupernaturalia perfecto quodam modo cognoſcenda; quomodo ea cognoſcunt angeli qui in cælis ſunt; vt ratione huiuſmodi cognitionis, in tertio cælo ſecundum animam aut mentem fuiſſe dicatur.

Quodnã tertium cælum.

Matth. 18

Matth. 6.

3 ET SCIO HVIVSMODI HOMINEM. Hîc quoque ſeipſum intelligit.

SIVE IN CORPORE, SIVE EXTRA CORPVS, NESCIO; DEVS SCIT. Eadem verba rurſus, parentheticè, interponit, humiliter ſcire ſe negans quod neſcit; vt fidem mereatur in eo quod ſcire ſe affirmat.

QVONIAM RAPTVS EST IN PARADISVM. Id eſt, *quòd raptus ſit in paradiſum.* Ex hac parte iam euidẽtius apparet apoſtoli dubitationem non eſſe, fueritne rapta anima ſimul cum corpore an ſine corpore; ſed eam quæ ſuperiùs explicata eſt. ſeiungit enim *raptum eſſe*, ab eo quod dixit, *in corpore vel extra corpus*; ita vt cum eo conſtrui non poſſit. *Paradiſum*, non terreſtrem ſed cæleſtem rectè plerique omnes intelligunt, id eſt, ſupernæ beatitudinis locum; tametſi diſſentit Epiphanius in epiſtola ad Ioannem epiſcopum Ieroſolymitanum, quæ extat inter epiſtolas Hieronymi. Diſputans enim contra Origenem contendit paradiſum de quo Paulus loquitur, eundem eſſe cum paradiſo è quo pulſus fuit Adam. At communis interpretum ſententia nobis multò magis probatur, de cæleſti paradiſo Paulum loqui; Id eſt, de loco beatorum, vt proinde paradiſus à tertio cælo non videatur eſſe diuerſus: licet aliqui diuerſum imaginentur. Vnde quęritur, vtrùm Paulus duas diuerſas hoc loco reuelationes commemoret, an verò vnam eandemque diuerſis verbis. Commentator Ambro. Primaſius & Anſelmus exiſtimant diuerſas fuiſſe. Quod & Gregorius indicat ſe ſentire, lib. 19 Moral. cap. 5, cum dicit Paulum *ad tertium cælum raptum, rurſumq; raptum in paradiſum.* Fauet his ipſa repetitio verborum, *ſiue in corpore* &c. Quæ viderentur inaniter repeti, ſi de eadem viſione ſermo eſſet. Accedit quòd plurali numero dixerit apoſtolus: *Veniam ad viſiones & reuelationes Domini.* Plures ergo narrare inſtituit. Eadem ſententia Chryſoſtomi ac cæterorum Græcorum eſſe videtur, quamuis enim dicant, apoſtolum multas viſiones recenſere potuiſſe, ideoque dixiſſe numero plurali, *Veniam ad viſiones* &c. cęterùm vnius ſolummodo meminiſſe, modeſtiæ cauſa: reuera tamen duas faciunt; vnam autem vocant, ex duabus conſtantem & continuatam. Dicunt enim Paulum primò raptum fuiſſe è terra in tertium cælum; & mox è tertio cælo in paradiſum. Quod autem vna eademque ſit viſio, quadam repetitione ſignificata; ſentiunt Thomas, Liranus, Caietanus, Catharinus, alijque neoterici. Diſputat de eadem re B. Auguſtinus lib. 12 de geneſi ad literam, ac tandem cap. 34 in eam partem inclinatur vt paradiſus de quo apoſtolus, non alibi quàm in tertio cælo intelligatur; quem & vocat paradiſum paradiſorum. vnde nec viſiones diſtinguit; ſed vnam facere videtur. Idque ſanè ex apoſtolo probabilius apparet. Primũ, quia ſecundo loco non aliud tẽpus aſſcripſit præter illud quod initio poſuerat, quatuordecim annorum. Deinde, quia in priori parte non dicit, quid viderit, audiuerit, vel egerit; ſed vtramque narrationem ex altera ſupplendam relinquit; quaſi nihil diuerſum in vna quàm in altera contigerit. Si ergo eiuſdem temporis vtraque viſio eſt; &, ſi non alia vidit vel audiuit in vna quàm in altera; conſequenter & locus idem fuit, & eadem viſio. Confirmat hoc & communis eccleſiæ ſenſus, quæ poſt Chriſti in cęlos aſcenſionem, non alium agnoſcit paradiſum, ad quem fidelium vota ſuſpirent, quàm patriam cæleſtem. Certè

Paradiſus & tertium cælum idem.

Lucæ 23, quum Dominus dicit latroni, *Hodie mecum eris in paradiſo*: paradiſus pro loco beatitudinis ponitur, vt hîc: quamuis tunc nondum tertium cælum eſſet ille locus, hominibus. Non tamen negandum eſt quandam rationis diuerſitatem in diuerſis vocabulis apoſtolum ſignificare voluiſſe; quam Thomas & Caietanus ita explicant, vt dicere voluerit apoſtolus, ſe raptum fuiſſe non ſolùm ſecundum vim intellectiuam ad cognoſcendum quædam ſublimia myſteria, quæ inſinuantur per tertium cælum; verùm etiam ſecundum voluntatem, ad percipiendum ex huiuſmodi cognitione ſpecialem quandam & ineffabilem ſuauitatem; quod intelligitur nomine paradiſi. Nam paradiſus hortum ſignificat amœnitatis ac voluptatis. Argumẽtum ſumptum ex plurali numero viſionum ac reuelationum facilè ſoluitur, ſi dicamus multa Paulo reuelata fuiſſe eodem tempore, & propter hoc vocari pluraliter viſiones & reuelationes. Hoc ſenſu talis erit ſermonis continuatio, Scio, inquam, huiuſmodi hominem.

ET AVDIVIT ARCANA VERBA, QVÆ NON LICET HOMINI LOQVI. *Arcana*, Græcè, *ineffabilia*, vel *non dicenda*; vt poſterior pars, ſit prioris expoſitio. Non refert autem ſiue verba pro ſignis rerum accipias; ſiue, quomodo frequenter in ſcripturis accipiuntur, pro rebus ipſis quę verbis ſignificari ſolent: nam ſenſus vtroque modo conſtat; ita tamen vt priori modo verba non ſenſibilia, ſed intelligibilia ſignificentur. fuit enim hæc viſio purè intellectiua. Quod verò dicit, *quæ non licet homini loqui*; multiplicem poteſt habere ſenſum pro diuerſa ſignificatione verbi *licet*, & prout illud *homini* poteſt regi à diuerſis. Aut enim ſenſus eſt, non eſſe homini licitum ea verba loqui; aut, non eſſe licitum ea verba loqui cuiquam homini; aut, non eſſe homini poſſibile ea verba eloqui; aut denique, non eſſe poſſibile ea verba eloqui cuiquam homini. Quæ tota varietas intelligẽdi etiam in Græco textu locum habet. Secundũ ſenſum multi tradunt: Alijs verò non paucis placet tertius ſenſus; hoc enim dici ſolet ineffabile quod homini nõ eſt poſſibile eloqui ſeu verbis explicare. Sic idẽ apoſtolus ſuprà c. 9 *donum Dei inenarrabile* vocat; & Rom. 8 *gemitus inenarrabiles* dixit, & Petrus 1 epiſtolæ cap. 1, *lætitiam inenarrabilem*. Atque hic ſenſus etiam Aquinati magis probatur. Itaque ſentit apoſtolus, illa quæ audiuit, talia & tãta eſſe, vt ea verbis humanis explicari nequeant; quippe cùm rei magnitudo facultatẽ humani ſermonis excedat. Ex hoc loco bene colligunt Aug. Tract. 98 in Ioan. Theophylactus & Oecumenius, Apocalypſin Pauli nomine aliquando euulgatam, apocryphamque eſſe & falſo titulo inſcriptam: Quomodo enim ſcribi potuerunt *arcana verba, quæ non licet homini loqui?* Non malè tamen, in genere, quidam ſpeculantur de myſterijs Paulo oſtenſis, vnde Gregorius Hom. 4 ſuper Ezechielem putat apoſtolum in hoc tertio cælo vidiſſe ordines agminum cæleſtium; quos poſtea deſcripſit Col. 1 & alibi. cuiuſmodi aliquid etiam Theodoretus annotauit. Alij pleniùs eum inſtructum arbitrantur de myſterio vocationis gentium, deque cæteris ad religionem Chriſtianam pertinentibus. Porrò Auguſtinus lib. 12 de gen. ad literam & epiſtola 112 ad Paulinam, atque eum ſecutus Beda, Anſelmus & Thomas in ſuis commentarijs exiſtimant Paulum in hoc raptu diuinã eſſentiam vidiſſe, quomodo videtur à beatis; eo ſolùm diſcrimine, quòd Paulo contigerit dumtaxat in tranſitu videre, quod beati vident permanenter. Eadem ſententia legitur apud Hugonem Victorinum q. 34 ſuper hanc epiſtolam. Verùm apud ſcriptores Græcos & Latinos vetuſtiores, qui in Paulum cõmentati ſunt, nihil tale legitur. Et verò ſi totus hic locus diligenter expendatur; non multum probabilitatis in illa opinione reperietur: Quamuis enim in eo quod dicit apoſtolus *ſe audiuiſſe arcana verba quæ non licet homini loqui*, ſignificare voluerit viſionem aliquã, quia dixerat, *Veniam ad viſiones* (non enim in intellectu videre & audire diſtinguntur, ſicut in ſenſu) veruntamen ad ſignificandam perfectiſſimam viſionem quæ eſt viſio Dei per eſſentiam, non fuiſſet vſus metaphora accepta à ſenſu inferiori, dicendo ſe audiuiſſe; multo quippe minus eſt audire quàm videre; magiſque ſecundum ſcripturas ad fidem pertinet auditus, quàm ad viſionis euidentiam; quia *fides ex auditu*, Rom. 10. Deinde, de Deo ſiue eſſentia Dei, non diceret pluraliter *verba*; præſertim cùm in diuinis non ſit niſi vnũ verbum. Quocirca phraſis illa, *audire verba*, nulla parte videtur accommoda per quam ſignificetur viſio Dei per eſſentiam. His adde patrum ſententias; quorum quidam, vt Ambroſius lib. 5 de fide ad Gratianum cap. vltimo, & Gregorius lib. 18 Moral. c. 38, & hom. 8 ſuper Ezechielem, nominatim ac diſertè à Paulo remouent eſſentiæ diuinæ viſionem. Cæterùm plurimi ac pene omnes, vniuersè negant quenquam hominem in hac mortali vita Deum vidiſſe aut videre poſſe, ea viſione quę beatis ſeruatur in futurum. De qua re tota accuratè egimus in 2 ſent. diſt. 8. Neque verò diuerſum probat, quòd *in tertium cælum & in paradiſum* (quibus nominibus locum beatorum ſignificari ſupradictum eſt) *raptum* ſe fuiſſe dicit apoſtolus; Non enim illuc raptus eſt quoad communicationem viſionis Dei beatis propriæ, ſed quoad cõmunicationẽ myſteriorũ quorundã ineffabiliũ, ſimiliter beatis propriã, quam eſſet perpetuò retenturus. Non meminit autem hîc illius viſionis qua ipſum Dominum vidit: quia de illa iam ſemel iterumque loquutus fuerat in priore epiſt. c. 9. & 15.

Quæ in raptu Paulus viderit.

Deum ipſum cõſpectum Paulo, nõ probabile.

PRO HVIVSMODI GLORIABOR. Id eſt, de illo tali homine, quem noui, gloriabor;

5

non

non autem de me; vt ſtatim ſequitur. Nam illum hominem tanta reuelatione dignatum à Deo, quaſi finxit alterum à ſe multis infirmitatibus ſubiecto; quia qualitates & accidentia diuerſa ſunt, licet in eundem hominem cadentia; ſicque illam ſuam excellentiã, quaſi ſit alterius hominis, per humilitatem diſſimulat Itaque in ea re eſt fictio quædam perſonæ velut à ſua perſona diuerſæ.

PRO ME AVTEM NIHIL GLORIABOR. Græcè, *De meipſo autem non gloriabor*; ſcilicet vt de me, vel in mea perſona;

NISI IN INFIRMITATIBVS MEIS. iuxta id quòd ſuprà dixerat; *Si gloriari oportet; quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor*. quo loco ſatis explicatum quas apoſtolus vocet ſuas infirmitates.

6 NAM ET SI VOLVERO GLORIARI, NON ERO INSIPIENS; Ambroſianus & Græca cõiunctionem & non legunt, tametſi addita lucem adfert orationi. Senſus eſt, Nam et ſi de me ipſo voluero gloriari in his quæ gloriosa videntur hominibus, vt ſunt viſiones & reuelationes; reuera non ero inſipiens, licet aliquo modo futurus ſimilis inſipientibus.

Neceſſitas excuſat gloriationẽ Pauli.

VERITATEM ENIM DICAM. Ex ſuperioribus intelligendum eſt, apoſtolo fuiſſe neceſſitatem gloriandi, vt gloriam pſeudapoſtolorum falſam & Corinthijs noxiam reprimeret. Qua neceſſitate conſtituta; bene ſequitur: *Veritatem dicam*; ergo ſi gloriatus fuero, non ero inſipiens. alioqui etiam in veris gloriationem ſtultam eſſe perſæpe contingit.

PARCO AVTEM, NE QVIS ME EXISTIMET. Græcè & Syriacè, *in me exiſtimet*. quod ſic videtur intelligendum, Ne quis imputet in rationes meas; id enim ſonat phraſis Græca, quæ habet pronomen accuſatiui caſus. Et eum ſenſum inſinuauit interpres Theophylacti, dum vertit, *ne quis imputet mihi*,

SVPRA ID QVOD VIDET IN ME. Multa exemplaria legunt *quod videt me*; quibus Græca & Syriaca cum Ambroſiano patrocinantur.

AVT ALIQVID AVDIT EX ME. Quod dicit apoſtolus tale eſt; Ab huiuſmodi magnis & glorioſis recenſendis abſtineo, veſtri cauſa, ne quis propter illa plus mihi tribuat ac maiorem exiſtimet, quàm mea facta quæ videt, & meus ſermo quem audit me eſſe declarãt. Nam, vt annotant Græci, ſi victimas ei mactare tanquam Deo, voluerunt Lyſtrenſes propter claudum ſanatum, Acto. 14, Et, ſi Melitenſes Deum appellabant, quod viperã de manu illæſus excuſſiſſet, Acto. vltimo: quid non tandem honoris ei impendiſſent homines, ſi præterea magnificas illas reuelationes eis manifeſtaſſet.

7 ET NE MAGNITVDO REVELATIONVM EXTOLLAT ME: Græcè, *Et magnitudine*, ſiue *excellentia, reuelationum vt ne extollar*. fermè conſonat Ambroſianus textus, nec non Auguſtinus in quæſtionibus ſuper librum Iudicum; quorum alter legit, *ſublimitate*; alter, *in magnitudine*. Inter noſtram lectionem & Græcam hoc intereſt, quòd ſecundum Græcam poſſet eſſe ſenſus, Ne ob magnitudinem reuelationum extollar ab hominibus; iuxta id quod dixerat, *Ne quis me exiſtimet* &c. Sic enim intellexit Phorius apud Oecumenium. ſed bene reijcit hoc Theophylactus; eumq; reddit ſenſum, quem & contextus exigit, & interpretatio Latina magis expreſſit. Ne præ magnitudine reuelationum inſolescam & vanè glorioſus ſim. Nam (inquit) & ipſe Paulus homo erat. Itaque hic locus oſtendit apoſtolum non ita fuiſſe confirmatum in virtute, quin adhuc extolli poſſet in ſuperbiam.

Etiam ſanctiſſimis periculum à ſuperbia.

DATVS EST MIHI STIMVLVS CARNIS MEÆ, Græcè, *Datus eſt mihi ſtimulus*, ſeu *palus, carni*; id eſt, in carne. Neque enim Græcè eſt κέντρον, vt Act. 9 *durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*; ſed σκόλοψ, quod propriè palum peracutum ſignificat, tametſi etiam pro ſtimulo & aculeo ponitur interdum. Sequitur appoſitiuè,

ANGELVS SATANÆ, Græcè eſt, Σατᾶν, indeclinabile ſine articulo; vt proinde ambiguum ſit, vtrùm angelus Satanas intelligatur, id eſt angelus aduerſarius, vt vult Caietanus, Faber & alij nonnulli; an verò, angelus Satanæ quomodo plerique omnes accipiunt tam Græci, quàm Latini; idque rectius, iuxta conſuetam phraſim ſcripturæ, qua miniſtri Satanæ ſeu diaboli vocantur angeli eius.

Quis ille ſtimulus apoſtoli.

VT ME COLAPHIZET. Id eſt, colaphis cędat. Repetunt hîc Græci, *vt non extollar*; quod & in quibuſdam exemplaribus Ambroſiani textus additum legitur, licet in Romanis abſit. Porrò quem apoſtolus dicat ſtimulum carnis, ſibi datum ne extolleretur, quem & angelum Satanæ vocat; vetus dubitatio eſt, necdum hactenus explicata. de quo primum illud annotatu dignum, quod ſcribit Hieronymus epiſtola 25 ad Paulam ſuper obitu Blæſillæ, monitorem quendam humanæ imbecillitatis, ad reuelationum humiliãdam ſuperbiam, apoſtolo Paulo appoſitum fuiſſe; in ſimilitudinem triumphantium, quibus in curru retrò comes adhærebat, per ſingulas acclamationes ciuium, dicens; Hominem te eſſe memento. Notandum etiã quod Auguſtinus lib. 2 de peccatorum meritis cap. 16 exiſtimat Paulum hoc carnis ſtimulo, quiſquis ille fuerit, vſque ad mortem non caruiſſe. Quod & conſentaneum eſt verbis apoſtoli, negantis ſe exauditum in eo quod Dominum rogauit, vt hoc malum ab ipſo diſcederet. Sed enim quis fuerit hic ſtimulus Pauli monitor, memorati Patres ijs locis nõ exponunt. Imò Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 27 ſe neſcire fatetur. In quem Auguſtini locum eſt dignum lectu ſcholion Henrici Grauij. Feruntur autem variæ ſententiæ. Quarum vna eſt, Paulum cephalalgia ſeu capitis dolore grauiter ac ſæpè laboraſſe. cuius quidem opinionis ferè omnes memi-

nerunt

nerunt interpretes, itemque Hieronymus in commentario epistolæ ad Gal. super illud cap. 4, *Et tentationem vestram in carne mea non spreuistis.* Sed vix vlli sunt qui approbent; adeoque Græci disertè reijciunt, eo scilicet argumento, quòd apostolus hunc stimulum vocet angelum Satanæ; nam apostolo Paulo dolorem capitis à Satana, id est, diabolo, fuisse immissum; &, vt Oecumenius loquitur, Pauli caput diaboli manibus fuisse traditum; vt rem perabsurdam, non sine ratione, existimant; cùm Paulus is fuerit, qui potestatem haberet alios homines tradendi Satanæ, qui id meruissent. Pari ratione refelluntur qui stimulum interpretantur iliacum seu viscerũ dolorem; cuius meminit Thomas in commentario: Et omnino qui morbum seu dolorem aliquem corporis significatum putant; de quo generaliter meminerunt Chrysostomus Hom. 6 de laudibus Pauli, & Augustinus super psalmum 98 & 130. His igitur opinionibus reiectis, Chrysostomus ac reliqui commentatores Græci, atque inter Latinos Ambrosianus, & Primasius, contendunt per stimulum carnis qui idem angelus Satanæ fuerit, intelligi oportere Pauli aduersarios, à Satana concitatos ad hoc vt eius prædicationi & pijs conatibus, velut quidam stimuli seu pali oppositi, vbique resisterent; quales fuêre Alexander ærarius, Hymenęus, Philętus, Demetrius, & pseudapostoli contra quos agit in hac epistola. Cæterùm quamuis hi plurimi fuerint, idcirco tamen apostolum numero singulari dixisse, *angelum Satanæ*, quòd plerumque singulis locis vnus quispiam esset, qui Paulo resisteret, ducemque se alijs ad resistendum præberet. Probant hunc suum commentariũ, quòd Paulus de huiusmodi stimulo videatur interpretari semetipsũ verbis sequentibus dum nominat infirmitatẽ siue infirmitates; atq; eas ipsas mox exponit per cõtumelias, pericula, persecutiones & angustias pro Christo toleratas; quæ nimirũ ab aduersarijs ei passim suscitabantur. Qua ratione motus Caietanus, in eandẽ sententiam propendet. Verùm obstare videtur, nõ modò quòd ratio propter quã dicunt apostolũ cùm de multis loqueretur, nõ tamen dixisse angelos sed angelum; coacta sit, & lõgè petita; sed etiã quod ait *stimulum* hunc *carni*, siue in carne sua, *datum*; quod quomodo conuenienter de aduersarijs euangelij dicatur, illi nõ explicant. Ac sanè quamuis multa Paulus in carne, id est, in corpore passus fuerit ab aduersarijs; magis tamen illi Paulo resistentes, spiritum eius affligebant quàm carnem. Adde, quòd non solus Paulus, verùm etiã Petrus ac cæteri apostoli atque insignes euangelij præcones, passi sunt eiusmodi aduersarios; velut Simonẽ magũ, Diotrephetẽ, atque alios; Imò & Christus ipse pontifices Iudęorum, scribas & pharisæos; Nemo tamen illis propter istiusmodi causam attribuit stimulũ carnis. Iã nec ignorabat Paulus egregios Christi & euãgelij ministros nunquam carere aduersarijs à Satana suscitatis; idque adeo ad gloriam euangelij pertinere vt inter aduersariorũ oppugnationes ac bella, magis etiam efflorescat; proinde nec orandum fuisse vt (quemadmodum dicunt) euangelica prædicatio sibi sine periculis & aduersarijs procederet. Quæ certè fuisset improba petitio; nisi sic eã intelligas vt voluerit apostolus huiusmodi aduersitates minui, non autẽ (quod verba eius sonãt) simpliciter auferri. Porrò non pauci putãt apostolum per carnis stimulum indicare voluisse incentiuum libidinis, quod in carne patiebatur; vt qui etiam alibi videatur tale quid insinuare. dicit enim 1 Cor. 9, *Castigo corpus meũ & in seruitutem redigo.* Quod vtique pertinet ad motus carnis reprimẽdos. Et Rom. 7 post alia, *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Quę lex membrorum etsi latiùs pateat; maximè tamen apparet in motibus libidinosis. Sensum hunc proponunt nec reijciunt Primasius, Sedulius, & Anselmus; Haimo verò etiam probabiliorem existimat. Quin & Hieronymus in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis, & ad Demetriadem de virginitate seruanda, cap. 6. & ad Rusticum monachũ de viuendi forma, cap. 3. nec non Augustinus concione secunda in psalmum 58 probare videntur. Augustini verba sunt, *Accepit apostolus stimulum carnis à quo colaphizaretur. Quis nostrũm hoc dicere auderet, nisi ille cõfiteri non erubesceret?* Eadem verba retulit Beda in commentarium. Sic autem neque de morbo corporis, neque de persecutionibus loqueretur Augustinus; neque apparet de quo aptiùs quàm de stimulo carnalis tentationis intelligatur. His accedit Theophylactus, apud quẽ, post allatam communem Græcorum expositionem, hæc in veteri versione sequuntur: *Vel, quod satius est, Veneris incitamenta, quibus maximè vrgebatur, his verbis expressit.* Qui locus Theophylacti, cur à recentiori inteprete in alium ac diuersum sensum translatus sit, exploratum non habeo, Græco Theophylacti codice destitutus. Denique ad hunc modum S. Thomas secundo loco interpretatur, Augustinum citans authorem, & post eum Liranus. Quibus adde Saluianũ in sermone de circumcisione, qui fertur Cypriani titulo; vbi stimulum carnis exponit insitum nobis ex Adam concupiscentiæ vicium. Innuit hoc ipsum Beda in hom. dominicæ 5 post pascha, dum apostolum dicit petiuisse vt tentatione careret. Hanc expositionem libr. de Monachis cap. 30 probat Bellarm. testimonijs veterum, & ratione ostendit esse præferendam. Sensum hunc probabilem reddit primum quod apostolus dicit, stimulum carnis sibi datum ad humilitatis custodiam, ne scilicet magnitudine reuelationum extolleretur, singulariter enim ad conseruandam humilitatem sanctorum,

facit quòd in excellentia virtutum nondum liberos ſe ſentiant à tentatione carnalis libidinis. Secundò, quod ſtimulum nominat, enmque carni datum, ſecundum Græcam lectionem; id eſt, qui pungeret ac ſtimularet carnem apoſtoli; quod quidem maximè cõpetit in ſtimulum libidinis. Poſtremò quod addit, *vt me colaphizet*, id eſt, ignominia afficiat, vilemque reddat & contemptibilem. nam eo vocabulo ſignificari ignominiam, docent alia ipſius apoſtoli loca, vt cap. præcedenti. *Si quis in faciem vos cædit. Secundum ignominiam dico.* & 1 Cor. 4 *Colaphis cædimur.* Atqui maximè ad ignominiam & pudorem hominis pertinet, pati in carne ſua turpes ac beſtiales motus libidinis. Iam verò palam eſt nihil iſtorum perinde conuenire in morbum corporis, aut in aduerſarios Pauli. Porrò *ſtimulus* ille videtur ea ratione vocari *angelus Satanæ*; quia diaboli partes & regnum adiuuat, incitando homines ad peccata & inquinamenta carnis; vel quia diabolus huiuſmodi ſtimulo tanquam angelo ſeu miniſtro atque inſtrumento ſuo vtitur ad regnum peccati propagandum. Nam res inanimatas vocari angelos, miniſtros, nuncios, non eſt alienum à ſcriptura; Dicitur enim pſalmo 103, *Qui facis angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.* Quod ad literam de ventis & fluminibus intelligitur à multis. Et pſalmo 148. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*; ſcilicet tanquam angeli eius & miniſtri. Si cui tamen hæc interpretatio de angelo Satanæ coactior videtur, & magis putet ad perſonam referendum; præſertim quia ſequitur, *Rogaui Dominum vt diſcederet à me*; quod in perſonam aptiùs quadrat: dici poterit ſignificari dæmonem aliquem diaboli miniſtrum, quo tentante & ſtimulante Paulus hoc malum in carne paſſus fuerit. Nam dæmones etiam ijs tentationibus quæ à carne & à mundo fiunt, ſeſe incentores admiſcere, in confeſſo eſt. Reijciunt quidem longiſſimè memoratam expoſitionem ſtimuli carnis, Faber & Eraſmus, tanquam indigna ſit Paulo, tali viro, eoque iam ſene: ſed qui miratur in Paulo ſene carnis incentiuum, miretur & in Gregorio Nazianzeno, qui iam ſenex de eo carnis ſuæ malo ſæpè grauiterque, in ſcriptis ſuis, conqueritur. Loca ſunt in Carmine aduerſus carnem; & altero, De calamitate naturæ ſuæ; & tertio, De rebus ſuis; & in epiſtola 96. Vide & B. Aug. ſerm 43. de verbis Domini cap. 9. Quanquam Paulus quando hanc epiſtolam ſcripſit, annos habebat dumtaxat quinquaginta ſeptem, vt Baronius declarat To. 1. docens eum interfectum quum annos haberet ſexaginta octo; epiſtolam autem hanc ſcriptam vndecim annos antea. Neque ſanè putandum eſt huiuſmodi ſanctos viros à motibus carnis prorſus liberos eſſe; licet id fortè paucis quibuſdam, ſingulari priuilegio, fuerit à Deo conceſſum. Si quæras à quo datus fuerit Paulo ſtimulus carnis, idem q; angelus Satanæ; Reſpondet indubitanter Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 27, & ex illo Beda in commentario, datum fuiſſe à Deo, non à diabolo. *Neque enim*, inquit, *diabolus agebat, ne magnitudine reuelationum Paulus extolleretur, & vt virtus eius perficeretur; ſed Deus. Ab illo igitur traditus erat tuſtus colaphizandus angelo Satanæ, qui per eum tradebat & iniuſtos ipſi Satanæ.* ſic Auguſtinus. Quod non ita intelligendum quaſi Deus carnalis tentationis author fuerit; aut peccatum aliquod malo angelo præceperit, quod nefas eſt ſentire; ſed quia per diuinam ſuam prouidentiam permittere voluit & ordinauit vt Paulus ad hunc modum colaphizaretur.

8 PROPTER QVOD TER DOMINVM ROGAVI, VT DISCEDERET A ME. Græcè, *Propter hoc*, vel, *ſuper hoc*, id eſt, ſuper hac re; Nec minus aptè verti poteſt, Propter hunc, ſcilicet ſtimulum carnis angelum Satanæ, *Propter quem ter rogaſſe ſe Chriſtum Dominum* dicit, *vt diſcedere* ſiue abſiſtere eum *à ſe* iuberet. Non quòd contentus fuerit ter tantùm oraſſe pro depulſione mali tam moleſti; ſed quia, quemadmodum ait Thomas, ter expreſsè magisque deuotè & inſtanter hoc petijt. vel, ſecundum Græcos, ter, id eſt, frequẽter. Vel denique, non ſæpius quàm ter; eo quòd poſt tertiam orationẽ acceperit à Domino reſponſum.

9 ET DIXIT MIHI, Dominus; Vbi nota Paulum obiter aliam adhuc reuelationem ſibi à Domino factam inſinuare.

SVFFICIT TIBI GRATIA MEA. q. d. Non eſt tibi neceſſarium neque expediens vt fiat quod petis; id eſt, vt auferatur à te ſtimulus carnis: quia ſufficit tibi ad malum hoc, quodcunque illud eſt, ſuperandum, gratia mea; id eſt, fauor ac beneuolentia mea qua tibi volo benefacere. per hanc enim gratiam meam etiam de illo angelo colaphizante victoriam reportabis. Quod quidam gratiam hîc intelligunt miraculorum, non rectè ſe habet. Non enim ea ſufficeret, ſed magis occaſio eſſet inflationis, ſi abeſſet gratia quam diximus. *Gratia quæ hic intelligatur.*

NAM VIRTVS IN INFIRMITATE PERFICITVR. Græcè, *Nam virtus mea* &c. *Virtus* autem potentiam hoc loco ſignificat, non virtutem moralem, vt humilitatem, patientiam, temperantiam, tametſi ad hunc modũ Aug. lib. 3. contra 2. ep. Pelag c. 7. & Thomas in Cõment. necnon alij Latinorum exponãt, ſed Græco vocabulo, δύναμις, repugnante. Et quidem ſecundum Græcos ſenſus eſt huiuſmodi; Non expedit tibi ſtimulum illum carnis à te auferri; quia potentia gratiæ meæ maximè declaratur in infirmitate, dum per eam fit vt ſiue tentatio carnis, ſiue perſecutiones à malis hominibus illatæ, ſiue quicquid aliud infirmitatis nomine poteſt hîc intelligi; ſupereturà te, aut ne noceat, *Quæ virtus Chriſti, hic.*

tolere-

toleretur; & per hoc magis illustrem fortemque te reddat. Cæterùm alij virtutem Christi intelligunt quæ Paulo inerat à Christo; & à qua Paulus ipse fortis ac potens dicebatur. Hûc enim intellectũ exigere videtur id quod mox sequitur, *vt inhabitet in me virtus Christi*, ac magis etiam illud quod paulo pòst dicit velut explicans præsentem sententiam, *Cum infirmor, tunc potens sum*. Conferenda sunt quæ dicebamus suprà, ad illud c. 4. *Vt sublimitas sit virtutis Dei.* Sic autem intellecta virtus Christi non solùm declaratur in hominis infirmitate, verùm etiam propriè perficitur & confirmatur. Atque isto modo virtutẽ acceperunt in his apostoli verbis, Hieronymus epistola 25 ad Paulam super obitu Blesillæ, & commentator Ambrosianus. Infirmitatem verò etiam ad illud infirmitatis genus quod in mentis ac virtutum imperfectione consistit, Augustinus extendit lib. de gratia Christi cap. 12, itemque sermone 5 de verbis apostoli, & contra duas epistolas Pelagianorum, loco suprà citato: non quod propriè virtus seu fortitudo Christiani hominis in hoc genere infirmitatis perficiatur, cùm sit ei contraria; sed quia, sicut Augustinus loquitur, perfici non potest homo, qui se non fateatur infirmum. Vnde & Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem affirmat hanc vnam præsentis vitæ perfectionem esse, vt te imperfectum agnoscas. Verùm, etsi rectissimè secundum fidei analogiam hæc dicantur; attamen hæc infirmitatis tam larga acceptio contextui apostolico minus conuenit, Videtur enim apostolus per infirmitates ea significare quæ patiebatur tam in corpore quàm in animo, comprehẽsis etiã tentationibus carnis & diaboli; non autem animi vicijs aut peccatis: & virtutem ponit in patientia atque victoria infirmitatum; non non autem in agnitione. Porrò circa hãc apostoli petitionem & Domini responsionem, sciendum est non ideo apostolum non fuisse exauditum, quòd malè petiuerit; neque enim reprehensa fuit à Domino eius petitio: sed quia petebat aliquid quod cũ esset per se bonum, nesciebat sibi non expedire. Hoc autem Domino reuelante didicit. Itaque licet exauditus non fuerit in eo quod expresè voluit & petiuit; exauditus tamẽ fuit secundũ id quod implicitè voluit atque intendit, id est, bonum suum salutare. Hinc beatus Hieronymus (citante S. Thoma) in epistola ad Paulinum, *Bonus Dominus*, inquit, *qui sæpe non tribuit quod volumus, vt tribuat quod mallemus.* Hoc igitur exemplum Pauli & similia, nos docent illam Domini promissionem, *Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*, Ioan. 15. cum hac inprimis necessaria restrictione intelligendam esse; Quicquid expediens saluti vestræ petieritis. nam exaudire in eo quod non expedit, non esset beneficium tribuere, sed malum inferre; quod vtiq; contra intentionem orantis est.

Quæ hic infirmitas.

Cur apostolus nõ exauditus.

LIBENTER IGITVR GLORIABOR IN INFIRMITATIBVS MEIS: Sermo plenior est in Græco, quomodo & apud Ambrosianũ legitur; *Libentissimè itaque magis gloriabor in infirmitatibus meis.* Id est, Quandoquidem iuxta responsum Domini, *virtus in infirmitate perficitur*; equidem, si gloriandum est, libentissimè gloriabor in infirmitatibus meis, magis ac potius quàm in vlla alia re qua videar excellere. Aut, secundum Theophylactum, Potius gloriabor in infirmitatibus meis, quã contristabor in illis;

VT INHABITET IN ME VIRTVS CHRISTI. Ambros. *Vt prætendat in me.* Theophylacti interpres, *Vt tentorium figat super me.* Recipit enim verbũ Græcũ huiusmodi interpretationes. Sensus est, Vt fixã in me sedẽ habeat, magisque indies super me confirmetur potentia Christi; qua nimirum potens sum in Christo ad superandas omnes infirmitates. Ostendit hic locus, Christi fuisse verba dicẽtis, *Sufficit tibi gratia mea; Nam virtus mea* &c.

10 PROPTER QVOD PLACEO MIHI IN INFIRMITATIBVS, Non tanquam per se expetẽdis; sed quatenus per illas in me perficitur atque inhabitat virtus Christi. hanc enim causam beneplaciti, seu gaudij, quod capere se dicit ex infirmitatibus, significare voluit dicendo, *Propter quod*, id est, propter insignem earum vtilitatem quam dixi. Nec malè refertur hoc etiam ad stimulum carnis, sic intellectum quomodo Latini multi intelligunt. Stimulus enim carnis, vt ait Thomas, etsi secundum se vitandus, tamen inquantum est via ad virtutem, & exercitium virtutis, appetendus est; licet non fateamur eum simpliciter appeti posse. Cui responsioni congruit quod superius dixit apostolus, hûc carnis stimulum sibi à Deo datum esse; scilicet inquantum esset virtutis exercitium. Qua de re vide nostrum commentarium in 2. dist. 23.

IN CONTVMELIIS, IN NECESSITATIBVS, IN PERSECVTIONIBVS, IN ANGVSTIIS PRO CHRISTO; scilicet illatis ac toleratis. Hæ sunt infirmitates de quibus locutus est; tametsi nõ ex toto genere. Eadem ferè & similes recẽsuit ca. 6. Quo loco exposuimus quas dicat *necessitates*, & quas *angustias*. Addit autẽ, *pro Christo*; quo materiam significet gloriationis. *Quæ enim est gloria, si peccantes & colaphizati, sufferetis?* ait Petrus 1 epistolæ 2.

CVM ENIM INFIRMOR TVNC POTENS SVM. Id est, cùm imbecillis sum, cùm subijcior infirmitatibus prædictis, easque patior: tunc potens sum, nõ mea, sed Christi virtute, quæ me facit omnibus illis superiorẽ; ideoq; meritò glorior ac placeo mihi in illis.

11 FACTVS SVM INSIPIENS. Additur in Græco, *glorians.* Et referenda est tota sententia ad totã gloriationem præcedentem; quam hîc rursus excusat. Sensus enim est, Gloriando ac meipsum laudando factus sum quasi insipiẽs. Ratio huius sermonis satis à nobis superiùs explicata est.

Necessitas superioris gloriationis seu propriæ laudis.

VOS ME COEGISTIS. Id est, vestra me causa compulit ad hanc quasi insipientiam, qui tanti facitis pseudapostolos, mei contemptores. Similiter vtique dicere poterat beatus Iob amicis innocentiæ suæ calumniatoribus, apud quos prolixa meritorum suorum commemoratione se laudauit cap. 29, 30 & 31, Poterat, inquam, dicere *factus sum insipiẽs, vos me coegistis*. Debebat enim non solùm innocentiam suam à calumnijs vindicare; verùm etiam pernicioſum errorem amicorum, ex quo calumnię proficiscebantur, eo pacto refellere.

EGO ENIM A VOBIS DEBVI COMMENDARI. Vos, inquit, me ad hanc veluti stultitiam coegistis, qui defuerit is officio erga me vestro; nimium addicti pseudapostolis Nam vestrarum partium erat, me doctorem & apostolum vestrum commendare, meamque dignitatem aduersus obtrectatores tueri.

NIHIL ENIM MINVS FVI AB IIS QVI SVNT SVPRA MODVM APOSTOLI. *Fui*, non *feci*, quod vulgares quidam codices habent, legendum esse, docent plura ac probatiora mss. exemplaria, suffragantibus etiam biblijs Clementinis. Nec secus legisse Ambrosianum, Anselmum, & scholiasten Hieronymi operibus adiunctũ, declarant eorũ commentarij. Græcè ad verbum est, *Nihil enim defeci*. Hier. lib. 3. dial. contra Pelag. *Nihil enim mihi defuit ab ijs qui supra modum sunt apostoli* Sensus est: Quod ad gratiam & functionem attinet apostolici muneris, nihilo inferior fui, nihil minus præstiti, quàm illi *qui supra modum apostoli sunt*, id est, apostolorum primi atque præcipui. Quos autem hoc nomine significet, plenius expositum est cap. superiori. Sed hîc rursum obserua modestiam Pauli, qui cùm plus omnibus laborasset; tamen contentus fuit dicere, se non inferiorem cæteris fuisse: Ac reuera satis hoc erat contra pseudapostolos, negantes Paulum æqualem esse apostolis qui cum Christo fuerant in carne versati; Æqualem autem, intellige, in apostolico munere, doniſque ei connexis; cuiusmodi erat gratia miraculorum, cuius etiam mox infrà meminit. Quocirca nihil locus derogat prærogatiuæ Petri; qui totius ecclesiæ rector & pastor constitutus, etiam cæteris apostolis maior atque superior fuit.

In quo Paulus Petro æqualis.

In quo inferior.

TAMETSI NIHIL SVM. Præcedentibus adhæret hæc particula, qua, more suo, contra tentationem superbiæ, reuocat se per veram humilitatem ad considerationem infirmitatis, & (vt ita dicam) nullitatis propriæ. Sensus enim est, Nihil sum ex meipso; sed totum quod sum, quod habeo, & quod ago, gratiæ Dei in me & per me operanti, acceptum refero. Sic in prima epistola cap. 15, cùm dixisset, *Abundantius illis omnibus laborauí*; subiunxit, *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

12 SIGNA TAMEN APOSTOLATVS MEI FACTA SVNT SVPER VOS. Græcè & Syriacè, *Signa quidem apostoli facta*, seu perfecta, *sunt in vobis*. Huic lectioni in eo quod habet, *apostoli*, non *apostolatus mei* consentiunt Ambrosianus textus, & non pauci codices Latini mss. *Signa apostoli* vocat opera quæ probãt ipsum apostolum esse; qualia statim enumerat. Quanquam *signa apostoli* possunt etiam intelligi miracula apostolica; nam signorum nomine miracula significari, frequentissimum est in scripturis. Hoc modo, sensus & ratiocinatio apostoli talis erit: Miracula non quæuis, sed tam magnitudine quàm numero apostolica, patrata sunt apud vos, ac vobis videntibus; At ea miracula non ab alio quàm à me facta sunt; igitur negari non potest me esse apostolum magnis illis apostolis similem. Ad hunc sensum inuitat Græcum verbum, quod significat, effecta, patrata. Cæterùm, *in vobis*, non *super vos*, etiam Ambrosianus legit.

Quæ signa Veri apostoli.

IN OMNI PATIENTIA. Primum signum apostoli nominat omnimodam ac perfectam patientiam; apostolis à Christo singulariter commendatam, quando dixit, *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Primus character apostoli, ait Theophylactus, est patientia, quæ facit omnia dextrè ac strenuè ferre. Quoniam autem patientia, teste Iacobo apostolo, opus perfectum habet; idcirco sub patientia, licebit cęteras apostolici animi virtutes comprehendere.

IN SIGNIS ET PRODIGIIS ET VIRTVTIBVS. Hæc, inter signa apostoli, secundo loco ponit, etsi primum admirationis locum habeant apud homines: Quomodo differant hæc tria, non constat. Oecumenius putat vnum quiddam idemque, per ea significari. Plerique distingunt; alij aliter. Nobis ea maximè probabilis distinctio videtur, quam inter *signa & prodigia* dedimus in expositione epistolę ad Rom. 15 quam hoc loco non est necesse repetere. Quid autem virtutum nomine significetur, item à nobis dictum est 1 Cor. 12. Iam, quoniam superiùs diximus signa apostoli posse intelligi miracula apostolica; quorum tamen exemplum non potest assignari patientia: restat explicandus etiam ille sensus. Miracula, inquit, apostolica apud vos, à me facta sunt, non cum fastu & imperio, quasi propterea me extollẽs, vosque in seruitutem redigens, sicut facere conantur pseudapostoli; sed cum omni patientia & humilitate; facta sunt, inquam, multipliciter; id est, in signis & prodigijs & virtutibus.

13 QVID EST ENIM QVOD MINVS HABVISTIS PRÆ CÆTERIS ECCLESIIS? Id est, qua in re fuistis inferiores cæteris ecclesijs, non ijs solùm quæ ab alijs apostolis, sed etiam quæ à me fundatæ sunt? Nam apostolum comparare Corinthios cum alijs

ecclę-

ecclesijs etiam à se fundatis, satis constat; tum ex eo quod dixit superiori capite, *Alias ecclesias exspoliaui*, tum ex verbis hîc sequentibus,

NISI QVOD EGO IPSE NON GRAVAVI VOS. Scilicet, accipiendo sumptus in ministerium meum; quod & alij faciunt apostoli, & ego in alijs ecclesijs. Per ironiam abutitur exceptiua particula *nisi*; nam non grauari sumptibus, non erat minus habere cęteris ecclesijs, sed præcellere. Quanquam in eo reuera minus habebant, sed præter culpam sui apostoli; quod tam infirmi essent, vt gratis prædicãdum illis fuerit. Pro verbo *grauaui*, Græcè est κατενάρκησα, quod vnum est ex ijs, quibus, vt scribit Hieronymus in epistola ad Algasiam quæst. 10, Paulus iuxta morem vrbis & prouinciæ in qua natus erat, familiarius vsus est.

DONATE MIHI HANC INIVRIAM. Hæc similiter vrbana est ironia: Neque enim iniuria erat, quę condonaretur; sed beneficiũ, quod agnosceretur.

14 ECCE TERTIO HOC PARATVS SVM VENIRE AD VOS; ET NON ERO GRAVIS VOBIS. *Hoc* non est in Græcis plerisque: tamen Robertus notat tria exemplaria sibi conspecta quæ habuerint, quorum vnum Complutense. Non est etiam apud Ambrosianum. Videtur additum ex initio capitis sequentis. Et quod interpres vertit, *non ero grauis vobis*; rursum Græcè est, οὐ καταναρκήσω ὑμῶν, *non grauabo vos*; scilicet repetito verbo de quo iam dixi. Non, inquit, hæc commemoro tanquam exprobrans, & admonens vt quod hactenus non feciſtis, posthac saltem faciatis: Ecce enim nunc tertiò paratus sum vt ad vos veniam, ac spiritualia vobis ministrẽ; idque sine vestro grauamine. Quæritur an Paulus ter venerit Corinthum. Id enim tum ex hoc loco apparet, tum ex eo quod dicit cap. sequenti, *Ecce tertiò hoc venio ad vos.* Ita sentit Cardinalis Baronius in Annalibus, ad annum Domini 58. atque ea Græcorum videtur esse sententia; tametsi non satis explicatè de ea re loquuntur. nam Theophylactus hîc & sequenti capite à seipso dissentire videtur. Certè Lucas in Actis expresè tantum describit vnum Pauli aduentum ad Corinthios, cap. 18. alterum verò indicat, cap. 20, dicens Paulum venisse in Græciam, & tres menses ibi fecisse. vbi Græciam vocat Achaiam, in qua Corinthus est. hic aduentus posterior fuit hac secunda ad Corinthios epistola, & in ea promissus. Accedit quod ipse apostolus huius epistolæ cap. 1 cùm ait se voluisse venire ad Corinthios vt secundam gratiam haberent; satis significat se ante illud tempus semel tantùm Corinthijs adfuisse. Et hæc aperta est sententia Thomæ, qui quod hîc dicitur de tertio aduentu, explicat ad hunc modum: Paulum apostolum ter paratũ fuisse adire Corinthios, sed bis tantùm eos adijsse. Primũ enim paratus fuit & adijt, quando eos conuertit ad Christum. Secundò paratus fuit & non adijt, quia fuit impeditus; qua de re excusat se primo capite huius epistolæ. Nunc autem tertiò paratus est, & post scriptam hanc epistolam adijt. Itaque bis iuit Corinthum, & ter paratus fuit ire. Hic Thomæ commentarius, cui Liranus subscribit, planè consonat cum illis apostoli verbis cap. 1, *Volui prius venire ad vos vt secundam gratiam haberetis*; *& per vos transire in Macedoniam*; *& iterum à Macedonia venire ad vos.* hæc enim verba secundum & tertium aduentum apostolo fuisse in voluntate & præparatione significant; licet secundus propter impedimentum non fuerit in executione. Consonat etiam cum eo quod dicit cap. seq. *Prædixi, & prædico*: vt illic liquebit. Secundò autem Corinthum venisse apostolum, ex eo cõstat quòd inde tunc scripsit epistolam ad Romanos, vt in argumento illius epistolæ ostendimus.

An ter Corinthũ venerit apostolus.

NON ENIM QVÆRO QVÆ VESTRA SVNT, SED VOS. Id est, In ministerio meo erga vos, non specto commoda mea temporalia, non quęro pecunias vestras; sed vos, id est, vestrã salutem. & quia hoc principaliter specto; idcirco, sicut hactenus, ita & deinceps paratus sum, vestræ salutis causa, gratis ministrare vobis spiritualia.

NEC ENIM DEBENT FILII PARENTIBVS THESAVRIZARE, SED PARENTES FILIIS. Facti sui congruentiam ostendit alia ratione, sumpta ab officio patris. q. d. In eo quod à vobis nihil accipio, patres imitor, quorum non est à filijs accipere, sed filijs dare. Ita ego pater vester (*Nam in Christo Iesu ego vos per euangelium genui*, 1 Cor. 4) spiritualia vobis impendo, paratus nihil temporale recipere. Non negat apostolus filios debere subuenire necessitati suorum parentum, prout lex diuina præcipit, *Honora patrem tuum & matrem*; pariqúe ratione fideles teneri ad alendum suos pastores: sed negat naturæ ordinem hoc habere, vt filij thesaurizent & congregent bona parentibus. Nam, vt ait Thomas, congregatio seu thesaurizatio fit in posterum; atqui naturaliter & ordinariè filij succedunt parentibus, non contrà; proinde naturalis amor parentes impellit vt filijs thesaurizent, non filios vt parentibus. Vide eundẽ S. Tho. 2. sec. q. 101, 2, 2.

15 EGO AVTEM LVBENTISSIME IMPENDAM, ET SVPERIMPENDAR IPSE PRO ANIMABVS VESTRIS. Græcè, *& expendar pro animabus vestris.* Pergit apostolus animum suum paternum erga Corinthios, declarare. Equidẽ, inquit, lubentissimè non solùm, vt pater, quæcunque habeo vobis impendam, id est, impẽdere paratus sum; tantum abest vt quæ vestra sunt quærã: verùm etiam, si sit opus, pro vita & salute vestra ipse expendar; hoc est, meipsũ in consumptionem & mortem dare paratus sum, iuxta illud Saluatoris, *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* *Ioan. 10.*

LICET PLVS VOS DILIGENS MINVS DILIGAR Obliquè notat Corinthiorum ingratitudinem, quòd tantis ab ipso beneficijs affecti, vicem non redderent amoris. Potest autem comparatio pluribus modis accipi; Vel ita, *Licet plus* (aut, vt in Græco, abundantius) *vos diligens* quàm diligant vos pseudapostoli; *minus* tamen quàm illi *diligar* à vobis. Vel sic, *Licet plus diligens vos* quàm alias ecclesias quibus Christum prædicaui, (quod probant maiores pro vobis susceptı labores sine sumptu vestro); *minus* vicissim à vobis *diligar*, quàm ab illis; quia pseudapostolos æmulos meos suscepistis & colitis; quod aliæ ecclesiæ non fecerunt. Vel cõparatione reciproca, Licet vos non vicissim me tantum diligatis, quantum ego vos diligo. Duæ priores expositiones apud Thomam leguntur; Tertia probabilitatem habet ex eo quod accidit in parentibus & filijs, quorum iam meminerat apostolus. nam plerumque filij minus solent parentes diligere, quàm ab ijs diligantur.

16 SED ESTO, EGO VOS NON GRAVAVI; SED CVM ESSEM ASTVTVS, DOLO VOS CEPI. Occurrit obiectioni, quę ex aduerso moueri poterat. *Esto*, concessionem aduersarij significat; vt sit sensus, Concesserit fortè quis quòd ego ipse vos sumptu non grauauı; sed dicet me, tanquam hominem astutum, dolo & arte vos circumvenisse; nimirum alios subornando qui pro me acciperent, cùm ipse nollem videri quicquam accipere. Suspicatur Caietanus apostolum hæc dicere, quòd his artibus vtcrentur pseudapostoli, vtpote dolosi operarij. Thomas Aquinas 2. 2 q. 55 art. 4. ad 1 intelligit hæc affirmanter dicta à Paulo de seipso; & dolum interpretatur abusiuè sumi in bonam partem, sicut interdum accipitur astutia. Verùm idem S. doctor melius ex mente apostoli locum hunc explicat in commentario, quemadmodum nos fecimus; Nec alium sensum admittunt quæ sequuntur.

17 NVNQVID PER ALIQVEM EORVM QVOS MISI AD VOS, CIRCVMVENI VOS? Negatione interimit calumniam; q. d. Nihil tale feci. Græcam sententiam obscuriorem bene & clarè reddidit interpres, Erasmo etiã astipulante. Quod ait, *circumveni*, Græcè est, ἐπλεονέκτησα, auarè extorsi. De cuius vocabuli significato plenius egimus cap. 2 & 7 huius eiusdem epistolæ.

18 ROGAVI TITVM, Siue adhortatus sum Titum, vt ad vos proficisceretur. Vtroque modo verbum Græcum vertit interpres cap. 8, vbi similiter de Titi missione agitur.

ET MISI CVM ILLO FRATREM. Incertum quem fratrem dicat. Nec illud quidem constat, fuerítne alter eorum quos vnà cum Tito mittere se dixit cap. 8. diuersæ enim missiones sunt: Nam ibi de præsenti loquitur missione, hîc de præterita. Quanquam additus in Græco articulus innuit fuisse fratrem aliquem insignem & celebrem; fortè eundem illum, *cuius laus in euangelio per omnes ecclesias.*

NVNQVID TITVS VOS CIRCVMVENIT? Ambrosianus legit, *Nunquid auarus in vos fuit Titus?* Plenior sensus ex Græco est, Num Titus aliquid, vel minimum à vobis extorsit?

NONNE EODEM SPIRITV AMBVLAVIMVS? Id est, An non eodem animo & eadem voluntate Titus & ego cõuersati sumus erga vos? Potest etiam ad spiritum Dei referri; iuxta illud Gal. 5. *Spiritu ambulate.*

NONNE IISDEM VESTIGIIS? Repetẽdum, ambulauimus, ingressi sumus. Per eadem vestigia, significat externorum operum similitudinem. Porrò interrogationes hæ vehemẽtiorem multo reddunt orationem, quàm si nudè de Tito vel negaret aliquid vel affirmaret. q. d. Tam nota est omnibus Titi integritas, vt de eo aliter sentire ac loqui nullus ausit.

19 OLIM PVTATIS QVOD EXCVSEMVS NOS APVD VOS? *Olim*, Græcè, *Iterum*; sicque legit Ambrosianus. Verisimile est interpretem in Græco pro πάλιν, legisse πάλαι. Sed Græcorum codicum lectioni fauet similis locus cap. 3, *Incipimus iterum nosmetipsos commendare?* Ex quo etiam loco, magis apparet, interrogatiuè legendum quod hîc dicitur; & hunc habere sensum: Num iterum ex occasione superiorum verborũ arbitramini nos apologiã nostri texere, idque agere præcipuè vt nos apud homines commendati simus; vtque coram hominibus integri ac puri videamur? q. d. Non ille scopus in hac oratione mihi propositus est; sed vestram in omnibus specto salutem. Hunc sensum ostendunt tum illa sequentis capitis, *Non vt nos probati appareamus* &c. tum id quod hîc sequitur,

CORAM DEO, IN CHRISTO LOQVIMVR. Duplex iuramentum hîc agnoscit Thomas in commentario; nec non Erasmus in paraphrasi, quæ sic habet: Testis est Deus qui nouit animum nostrum; Testis est Christus, cuius negociũ agimus. Sanè vtraque pars, *coram Deo*, & *in Christo*, alibi reperitur iuramẽti vim habere apud apostolum: Prior quidem, Gal. 1, *Ecce coram Deo quia non mentior*, Posterior autem Rom. 9, *Veritatem dico in Christo, nõ mentior.* tametsi Caietanus & alij, illud *in Christo* sic malunt intelligere, secũdum Christum eiusque doctrinam, id est, syncerè & sine fuco. vel, in Christi spiritu, & Christo per me loquente; vt ait sequenti capite: vt nimirum hoc ipsum sit quod iuratur, Christum per Paulum loqui; vel certè illud quod sequitur,

OMNIA AVTEM, CHARISSIMI, PROPTER ÆDIFICATIONEM VESTRAM. Id est, quæcũque hactenus loquimur in nostram quasi commendationem, ea loquimur ad vestram salutem promouendam; non ad gloriam aut excusationem nostram.

20 TIMEO ENIM NE FORTE, CVM VENERO, NON QVALES VOLO INVENIAM VOS. Ratio-

nem

nem reddit cur adeo ſolicitus ſit pro ſalute Corinthiorum, vt tam prolixè propter eos ſe commendauerit. Similem dedit rationem ſuperiori capite, dicens: *Timeo, ne ſicut ſerpens Heuam ſeduxit astutia ſua; ita corrumpantur ſenſus veſtri* &c. Senſus eſt, Nam timeo ne quo pacto contingat, vt veniens ad vos, ſicut iam conſtitui; non quales velim, vos inueniã; id eſt, bene correctos à priſtinis vicijs, nominatim ijs de quibus in priori epiſtola vos increpaui.

Metus apoſtoli ne peccarent ſui.

ET EGO INVENIAR A VOBIS QVALEM NON VVLTIS. Græcè, *Inueniar vobis. Qualem non vultis*, ſcilicet, triſtis pater, & ſeuerus iudex, propter peccata veſtra nondum per pœnitentiam deleta. Minatur ſeueritatem vindictæ, erga malos: Vnde contra hæreticos ſtatuitur tribunal eccleſiaſticum; quemadmodum & ex illo 1 Cor. 4, *Quid vultis? In virga veniam ad vos?* ſed de poteſtate hac apertiùs adhuc loquitur cap. ſequenti.

NE FORTE CONTENTIONES. Hinc vſque ad finem capitis explicat vtrumque quod ſe timere dixit; ac prius quidem id quod prius poſuerat, nempe ſe timere, ne Corinthios non quales velit, inueniat. Hoc eſt, inquit, *ne forte*, (vel vt Græcè, *ne quo modo*) multa adhuc vicia regnent apud vos; vt *contentiones*, id eſt, verborum pugnę, ſolo vincendi ſtudio ſuſceptæ. Conferendus hic locus cum c. 5 Gal. illic vbi recenſentur opera carnis.

ÆMVLATIONES. Genus inuidiæ ſignificatur, dum quis dolet alium potiri bono, quod ipſe concupiuit & aſſequi non potuit.

ANIMOSITATES. Alij vertunt, iras; Græca vox θυμοὶ impetum animi efferueſcentis, & ad iram concitati, ſignificat.

DISSENSIONES. Græcè, *concertationes*; quæ intelligi poſſunt in ſtudijs & factis; ſicut contentiones in verbis; vt non malè diſtinguit Caietanus. Vide Hier. com. in c. 5 ad Galat.

DETRACTIONES, SVSVRRATIONES, INFLATIONES. Ambroſianus pro *inflationibus tumores* legit; ſignificatur autem ſuperbiæ vicium: Nam ſuperbi inflati dicuntur.

SEDITIONES SINT INTER VOS. *Seditiones*, id eſt tumultuationes; quas Theophylacti interpres Græco vocabulo preſſius inhærens, *inordinationes* vertit. Videtur autem reſpicere apoſtolus ad ſchiſmata Corinthiorũ, de quibus initio prioris epiſtolæ, ac rurſum cap. 11 & 14. Quod ſequitur *ſint inter vos*, ab interprete additum eſt cauſa explendæ ſententiæ quam Paulus reliquit imperfectam.

ir NE ITERVM CVM VENERO, HVMILIET ME DEVS APVD VOS. Explicat alterum quod timere ſe dixerat, quodque ex priori conſequens erat; videlicet ne inueniatur ab illis qualem nollẽt. In Græco eſt, *Deus meus*, idque emphaticè dictum ab apoſtolo, Theophylactus & Oecumenius annotarũt. Quod ait *iterum*, id vel ad aduentum in humilitate referri poteſt, quaſi dicat ſe metuere ne ſecundus hic ſuus ad Corinthios aduentus iterum ſit in humilitate, ſicut primus fuerat; de quo ſuperiùs cap. 10. Vel ad ſolum aduentũ, ſicut c. 2. vt ſenſus ſit, ne iteratus hic aduentus meus ſit in humilitate; Vel denique referendum tantũmodo ad verbũ *humiliet*. Fuerat enim Paulus iã antè humiliatus, eo modo humilitatis de quo hîc loquitur; quando nimirum abſens corpore, præſens autem ſpiritu, Corinthium illum incęſtum Satanæ tradiderat. Etenim, quamuis Corinthum veniẽs vſurus erat poteſtate ſua aduerſus malos, quemadmodum & aduerſus fornicarium illum vſus fuerat, quod pertinere videtur ad exaltationem; tamen humiliandum in eo ſe dicit, quoniam vſus ille poteſtatis non erat ſine magna ipſius vtentis triſticia & luctu, quibus humiliatur ac deijcitur homo. Vnde ſuperiùs ait cap. 2, *Vt non, cùm venero, triſticiam ſuper triſticiam habeam*. Dicens autem, *humiliet me Deus*: illud ſignificare voluit quod cecinit Anna mater Samuelis 1 Reg. 2, *Dominus humiliat & ſubleuat*; ſcilicet tam triſtia quàm læta Deo authore prouenire. Portò humilitatẽ exponit per id quod ſequitur,

Correptio & punitio eccleſiaſtica fit cum dolore eius qui exercet.

ET LVGEAM MVLTOS EX IIS QVI ANTE PECCAVERVNT. Non antequam ad Chriſtum conuerſi eſſent, ſed poſt conuerſionẽ, & ante ſcriptam priorem epiſtolam; ſicut & peccauerat ille quem Satanæ tradidit: Nam ad impudicitiæ peccata relapſos fuiſſe complures Corinthiorum, ſatis arguunt ea quæ ſcribit apoſtolus cap. 5 & 6 prioris epiſtolę. Triſticiam verò ſuam *luctum* vocat, vt innuat eos qui peccauerunt, Deo mortuos eſſe.

Luctus prælatorũ ſuper impœnitentibus.

ET NON EGERVNT POENITENTIAM SVPER IMMVNDICIA ET FORNICATIONE ET IMPVDICITIA QVAM GESSERVNT. Notandũ eſt apoſtolum non dicere, Et lugeam multos qui peccant & permanẽt in immundicia &c. ſicut intellexiſſe videtur Auguſtinus lib. 3 contra epiſtolam Parmeniani cap. 2, ſed, *qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam de peccatis quæ geſſerunt*, id eſt, perpetrarunt: Nam, vt bene Thomas annotat, Corinthiorum quædam peccata erant præſentia, quædam præterita; præſentia quidem, ſpiritualia; vt contentiones, ęmulationes &c. de quibus in parte præcedenti; præterita verò, carnalia, de quibus hac parte, à quibus quidem abſtinere iam videbantur, ſed nondum per pœnitentiam ſalutarẽ erant expurgati: Quod enim ait eos non egiſſe *pœnitentiam ſuper immundicia* &c. de fructibus dignis pœnitentiæ intelligendum eſt, quos nondum fecerant; ad quos proinde compellendi erant apoſtolica poteſtate. Hinc ergo refellitur illud Lutheri: *Optima pœnitentia noua vita, & à peccatis abſtinere*. Refellitur item Nouatianus, qui fratres lapſos ad pœnitẽtiam admitti noluit. Inter *immundiciam*, *fornicationem* & *impudicitiam* hoc intereſſe videtur, quod

Satisfactionis Chriſtianorum neceſſitas.

fornicatio sit concubitus maris & fœminę extra coniugium; Immundicia comprehendat ea carnis peccata quæ contra naturam committuntur; Impudicitia verò consistat in libidinosis osculis, tactibus ac cæteris huiusmodi. In hunc modum S. Hier. de Immundicia loquitur, in c. 5 ad Galat. vbi inter opera carnis ponitur immundicia. De impudicitia autem sic Tho. 2. sec. q. 151, 4, c.

SVMMARIVM.

PRæmonet eos, se ijs qui peccauerant non parciturum, nisi agant pœnitentiam. Deinde interposita ad pacem exhortatione; bene ijs precatur.

CAPVT XIII.

1 ECCE TERTIO VENIO AD VOS. Istud *ecce*, plerique codices Græci nō habent: est tamen in Compl. & quibusdam alijs, vt notat Rob. Sensus est, *Tertius hic erit aduentus meus ad vos*; vt ad sensum bene vertit Erasmus. Nam Græcum ἔρχομαι, licet formam habeat verbi præsentis temporis; significationem tamen habet futuri, nempe eius quod sit in procinctu; præsertim in sacris literis. Repetit apostolus de aduentu suo, vt eo metu corrigant sese Corinthij ac virgam apostolicam præueniant. Quomodo autem intelligendum sit quod dicit se tertiò venire explicatum est capite superiori ad illud. *Ecce tertiò hoc paratus sum* &c. Ex quo etiam loco, particula *ecce* quam Græca hîc pleraque non habent, videtur huc asscita.

IN ORE DVORVM VEL TRIVM TESTIVM STABIT OMNE VERBVM. Præceptum est iudiciale legis Mosaicæ, Deut. 19. Cuius sensus est: Omnem controuersiam iudicandam esse iuxta testimonium duorum aut trium. Dubitatur autem vtrum significare velit apostolus se in iudicandis & puniendis peccatoribus processurum secundum formam diuinæ legis, scilicet auditis duobus aut tribus testibus; ne putent Corinthij quod vel præcipitanter ac temere iudicaturus sit, vel magnā testium multitudinem adhibiturus; quæ Caietani expositio est: An verò, quod voluit Ambrosianus & Græci, respiciat & alludat ad suum secundum & tertium ad Corinthios aduentum; vt quasi duorum aut trium testium loco sint duo vel tres aduētus ipsius, per quos certius de peccatis & impœnitentia Corinthiorum, quibus virgam minatur, cognoscere poterit. Huic sensui fauet quod iam dixerat tertiò se venturum; quasi tertius aduentus tertium testimonium futurum sit. Adde, quod de manifestis & notorijs peccatis loquitur, in quibus iudicandis & puniendis testium inductione non videtur opus fuisse; sicut nec opus fuerat in puniendo eo qui patris vxorem habuerat; præterea confirmat hunc intellectum quod sequitur.

2 PRÆDIXI ET PRÆDICO, VT PRÆSENS ET NVNC ABSENS, IIS QVI ANTE PECCAVERVNT, ET CÆTERIS OMNIBVS. Quædā mss. legunt *vt præsens bis*: Quæ lectio etiam apud Lombardum & Aquinatem est, atque alios mediæ ętatis commentatores. Pro *bis* Græca & Syra habent *secundò*, sicque legit Augustinus lib. 3 contra epistolam Parmeniani cap. 1 & 2. Quod plenius expressit textus Ambrosianus *secundo aduentu*. Iam quod complures Latini codices non *bis* sed *vobis* legunt; à non intelligentibus ea facta mutatio est; cum prorsus appareat synceram versionis nostræ lectionem esse, *vt præsens bis*. Porrò Græca & Syra addunt aliquid hoc pacto, *& absens nunc scribo ijs qui &c.* tametsi sine verbo, *scribo*, perfecta constat sententia; quæ videtur esse huiusmodi. *Prædixi vobis, & prædico*, id est denunciaui & denuncio; *prædixi*, inquam, *tanquam præsens secundò, & nunc prædico absens, ijs qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam*, sicut supradictum est; & non ijs solùm, sed & cęteris omnibus, tanquam testibus futuris denunciationis ac præmonitionis meæ. Hîc obserua, apostolum de secundo aduentu suo loquentem, non dicere, præsens, sed *vt præsens*, quemadmodum & de fornicario illo dixerat, *Iam iudicaui vt præsens*; vt hinc quoque intelligas quòd tantùm semel fuerat reuera præsens; sed quia secundò propositerat venire, vult hoc æstimari tanquam secundam præsentiam. Quid verò prædicat ac denunciet, sequitur.

QVONIAM SI VENERO ITERVM, NON PARCAM. *Iterum* præcedenti verbo rectius iungitur, quàm sequenti. Hoc est, inquit, quod prędixi & prædico, me, si rursus venero, non parciturum illis qui peccauerunt; sicut peperci, à secundo abstinens aduentu. Sic enim ait huius epistolæ cap. 1. *Parcens vobis non veni vltra Corinthum.* In eo quod dicat, *non parcam*, virgam ecclesiasticæ disciplinæ comminatur, vt excommunicationem, & satisfactionis rigorem. *Disciplinæ ecclesiasticæ virga.*

3 AN EXPERIMENTVM QVÆRITIS EIVS QVI IN ME LOQVITVR CHRISTVS? Græcè sine interrogatione legitur hoc modo; *Quādoquidem probationem quæritis loquentis in me Christi.* Sic & Augustinus lib. 3 contra epistolam Parmeniani cap. 2, *quia probationem quæritis* &c. Apud Ambrosianum sic habetur: *Quomodo probationem quæritis eius* &c. nisi fortè mendum est, vt pro (quomodo) legendum sit (quoniam) vti vertit Theophylacti interpres. Sensus Græcæ lectionis est; Dico me non parciturum; quandoquidem ita vos geritis quasi dubitetis & experimento probare velitis an Christus in me loquatur, id est, an ex potestate à Christo accepta, tanquam verus eius apostolus, ego hęc loquar

quę

quę dixi de puniendis impœnitẽtibus. Idem ſenſus eſt Latinæ lectionis; niſi quòd interrogatio vehementiorem reddit orationẽ; quomodo ſi præceptor diſcipulis dicat: An vultis experiri me eſſe præceptorem veſtrum, qui poſſim vos caſtigare? Cæterùm hæc dicit apoſtolus, vt timore Corinthijs incuſſo prouocet eos ad pœnitentiam maturè agendam; ne cùm venerit, cogatur punitiuam & vindicatiuam, vti loquitur Oecumenij interpres, quam à Chriſto acceperat, poteſtatem in eos oſtendere.

QVI IN VOBIS NON INFIRMATVR, SED POTENS EST IN VOBIS. Priori loco Græcè non eſt *in vobis* ſed *in vos*, ſiue *erga vos*. Qui Chriſtus, inquit, non eſt imbecillis in vos, id eſt, reſpectu veſtri, tanquam in vos peccantes non poſſit animaduertere; ſed fortis, ac potens eſt in vobis; quia potentiam ſuam apud vos iam ſatis declarauit, non ſolùm per miracula virtute eius facta, quibus adducti eſtis ad fidem, & per multiplicia ſancti Spiritus dona inter vos diſtributa; verùm etiam in punitione delinquentium; velut illius fornicarij in Chriſti nomine & virtute traditi Satanæ, 1 Cor. 5. iterumque eorum qui indignè ſumſerant corpus & ſanguinem Domini, quorum alij in varias ægritudines inciderant, alij morte abrepti erant. 1 Cor. 11.

4 NAM ETSI CRVCIFIXVS EST EX INFIRMITATE; SED VIVIT EX VIRTVTE DEI. Id eſt, Quamuis crucifixus fuit, & in cruce mortuus, ſecundum carnem infirmam, paſſibilem, mortalem, & hominum dæmonumque iniurijs obnoxiam; viuit tamen nunc vita immortali & impaſſibili, ex virtute & potentia Dei patris, qui reuocauit eum de morte ad vitam, non vltrà moriturum. Itaque iã non amplius infirmus, ſed potens eſt; cuius proinde potentiam vos etiam in miniſtro eius timere debetis. Ambroſianus legit, ſicut & Hilarius lib. 9. de Trinitate, *ex infirmitate noſtra*, & exponit Chriſtum propter peccata noſtra crucifixum eſſe: Siquidem peccata vocantur in ſcripturis infirmitates. Sed illi lectioni reclamant codices quotquot extant, tam Græci quàm Latini. tametſi Pelagius videri poteſt ita legiſſe; ſic enim habet eius cõmentarium, *Quod crucifixus eſt, noſtræ eſt infirmitatis; quod viuit ſuæ virtutis.*

NAM ET NOS INFIRMI SVMVS IN ILLO. Ideſt, Sic igitur & nos apoſtoli infirmi ſumus, vtpote multis iniurijs, periculis, afflictionibus obnoxij, idque *in illo*, hoc eſt, propter Chriſtum & verbum eius, vt exponunt Græci; vel ſecundum Caietanum, in ipſo tanquã exemplari, cui nos eius miniſtri conformamur, ſecundum quod ipſe prædixit; *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*. Ioan. 15. Vnde & ait apoſtolus ſuperius cap. 4, *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes*.

SED VIVEMVS CVM EO EX VIRTVTE DEI IN VOBIS. Græcè, *in vos*, vel *erga vos*, vt habet Ambroſianus. Sciendum multa Latina mss. quibus annuit Syriaca verſio, legere *viuimus*, verbo præſentis temporis: Qua ſanè lectione verus huius loci ſenſus adiuuatur. Eſt autem talis; Sed tamen etiam viuimus cum Chriſto, id eſt, Chriſto viuenti ex virtute, nos quoque aſſimilamur, in eo quod ex eadem Dei virtute viuimus. *Erga vos*, id eſt, potentes ſumus veſtri reſpectu; vt non ſolùm miracula apud vos patrare, quemadmodum cap. ſuperiori dictum eſt, ſed etiam vos peccantes punire & caſtigare, poſſimus. Vitam per potentiam exponimus: Nam vitam infirmitati opponit apoſtolus, ſimulque reſpicit ad illud quod de Chriſto dixit, *Sed potens eſt in vobis*. Si legas *viuemus*, in futuro; quod in pleriſq; Latinis eſt & omnibus Græcis, ac proinde minimè repudiandum; ſenſus haud minus commodus erit, iſte: Sed inſtar Chriſti, virtute Dei potentes erimus erga vos; tunc nimirum quando res poſtulabit vt poteſtatem in vos exerceamus.

5 VOSMETIPSOS TENTATE SI ESTIS IN FIDE; IPSI VOS PROBATE. Non ſolùm, inquit, in me loquitur Chriſtus per poteſtatem ab ipſo datam; verùm etiam, ſi volueritis voſipſos explorare ac probare, cognoſcetis in vobis Chriſtum eſſe per fidem. Vel hoc modo; Quæritis experimentum loquentis in me Chriſti? potius ad voſipſos reſpicite, & voſipſos tentate ac probate num fidem habeatis; & per hoc (ſicut proximè ſequitur) Chriſtus in vobis ſit. Dubium eſt de qua fide loquatur apoſtolus. Ac primum, non videtur intelligi poſſe de fide quæ omnibus Chriſtianis eſt communis, & à charitate ſeparari poteſt; tum quia ſcire poterant Corinthij ſine noua probatione ſe talem fidem habere; teſtatur enim Auguſtinus lib. 13 de Trinitate cap. 1 nos habere certiſſimam ſcientiam fidei quæ in nobis eſt; & Thomas in hunc locum ſcribens, affirmat nos ſcire quod teneamus fidem quam eccleſia catholica docet ac tenet; Idemque in 1. 2 q. 112 ar. 5 ad 2. *Quiſquis*, inquit, *habet fidem, certus eſt ſe eam habere*. Tum quia per huiuſmodi fidem non continuò Chriſtus in nobis eſſe dicitur, iuxta morem ſcripturæ. Quocirca, vel de fide per dilectionem operante loquitur apoſtolus; hanc enim vt humana quadam & coniecturali certitudine quiſque ſe habere ſciat, probare ſeipſum debet ex operibus & intentione. Qui ſenſus ſatis congruit ſcopo apoſtoli; reprehendit enim Corinthios non de infidelitate, ſed de malis operibus. Vel certè, ſecundum multorum expoſitionem, loquitur de fide miraculorum efficaci, & cum dono prophetiæ & linguarum coniuncta; quæ fides ſignũ eſſe ſolet Chriſti habitantis in eo fidelium cœtu, in quo ipſa viget. Sic enim & alibi, gratiam miraculorum idem apoſtolus aſſumit tanquam ſignum accepti Spiritus ſancti; vt ad Gal. 3 cùm ait: *Qui ergo tribuit vobis ſpiritum, & operatur virtutes in vobis*, &c.

Quæ fides ab apoſtolo hic intelligatur.

AN NON COGNOSCITIS VOSMETIPSOS QVIA CHRISTVS IESVS IN VOBIS EST? Quasi dicat, Per experimentum fidei, in qua probatione adhibita inuenitis vos esse, planè cognoscitis Iesum Christum esse in vobis; vt proinde de me, cuius ministerio fidem accepistis, ambigere non debeatis, quin loquatur in me Christus. Malè colligunt ex hoc loco sectarij, hominem iustum certò scire se esse filium Dei, & Christum inhabitantem in se habere: Ac facilè refellûtur ex verbis præcedentibus. Etenim si Corinthios admonet apostolus, vt seipsos probent ac rentent num sint in fide, per quã Christus in eis sit; vtique de ea re certi non erant. Nam quod certum est, probatione non eget. At neque post probationem quisquã certus est omnimoda certitudine, Christum in se habitare; sed ex probatione cognitionem accipit magnę probabilitatis, &, vt iam dixi, moralis cuiusdam certitudinis. Qua de re vide etiam Thomam in hunc locum. Quanquam videtur apostolus non de singulis loqui, sed de ecclesia Corinthiorum; certius autem cognoscitur in ecclesia quapiam particulari Christum per gratiam habitare, quàm in vno quopiam homine.

Fidei specialis non fauet hic apostoli locus.

NISI FORTE REPROBI ESTIS. Græcè, *Ni quid reprobi estis.* vbi *quid* videtur esse particula mitigantis asperitatem sermonis; durum enim erat suspicari Corinthios esse reprobos. Vnde alij verterunt, Nisi in aliquo reprobi estis. Potest autem exceptio referri vel ad verbum *cognoscuis*; vel ad illud extremum, *in vobis est*, tametsi bene censet Caietanus magis quadrare, vt ad prius referatur. Sensus enim est; Omnino cognoscitis experimento certorum effectuum Christum esse in vobis; nisi qua parte reprobi estis, id est viles ac degeneres effecti, vtpote carentes ac destituti signis illis, ex quibus excellentiam vestrã cognoscatis. Neque enim reprobi hîc dicuntur, qui contra prædestinatos distingui solent, vti manifestius patet ex sequentibus. Itaque hinc nullo modo cõsequens est quod hęreticorum quidam docent, eos qui hoc modo reprobi dicuntur, nunquam habere Christum in se habitantem per gratiam & iusticiam.

Reprobi quinam hoc loco.

6 SPERO AVTEM QVOD COGNOSCITIS, QVIA NOS NON SVMVS REPROBI. Multi codices tam excusi quàm mss. legunt futurum, *cognoscetis*; quibus Græcus & Syriacus textus, nec non editio Clementina suffragantur. Ambrosianus quoque futurum tempus expressit, hoc modo: *Spero autem cognituros vos.* Proinde lectionem hanc arbitramur esse veram ac genuinam. Porrò sensus, iuxta Græcos interpretes, comminatorius est, q. d. apostolus, Si fortè non cognoscitis Christum in vobis esse, propterea quòd plerique vestrûm vita corrupti, dudum exciderunt à pristinis Spiritus sancti donis, at spero vos experientia cognituros, quod nos non simus reprobi, id est, viles ac potestate destituti; faciam vt agnoscatis authoritatem meam, nec patiar me contemni.

7 ORAMVS AVTEM DEVM VT NIHIL MALI FACIATIS. Græcè, *Opto apud Deum*; vel, *Oro ad Deum vt* &c. Ambros. *Oro autem Deum.* Sensus & connexio talis est; Quod dico me sperare &c non hoc dico quasi delectet me vsus potestatis meæ in vos; quin potius opto ac Deum oro ne quicquam mali faciatis, videlicet dignum censura ecclesiastica & apostolica, sic vt opus sit me declarare potestatem quam habeo ad puniendum malos. Patet hic sensus ex precedentibus. Itaque impertinens est huic sententiæ, recténe Deũ quis orer, vt careat omni peccato etiam veniali. Cæterùm bene ex ea sequitur quòd abstinere à peccato sit ex gratia Dei: Nam oratio gratiæ testificatio est.

Protestio à peccatis diuina gratia est.

NON VT NOS PROBATI APPAREAMVS: *Probati*, in Græco non participium est; sed nomen, oppositum ei quod dixit, *reprobi.* Non hoc, inquit, desideramus, aut à Deo petimus, vt nos, iudicando & puniendo vos, videamur esse magnæ authoritatis; id est, vt nos habeamur in precio, quem scopum pseudapostoli sibi propositum habent.

SED VT VOS QVOD BONVM EST FACIATIS. vt mihi non sit opus vti virga censoria. Bene vtramque iusticiæ partem eis precatur apostolus: priorem vt nihil mali faciant; alteram, vt quod bonum est agant; implentes illud. *Dec ina à malo & fac bonum.* Hinc rursus sequitur, gratiæ Dei esse quod bonum facimus; sicut ex hoc loco colligit Augustinus lib. de gratia Christi cap 25.

Psal. 33.

Opera salutaria ex diuina esse gratia.

NOS AVTEM VT REPROBI SIMVS. *Vt*, id est tanquam, quemadmodum superiùs cap. 5. *vt præsens.* Verbum autem *simus*, concedẽtis est; quomodo dicimus Esto; Sensus enim est, facilè patiar me haberi vt reprobum, id est vilem, gratiæ ac potestatis expertem; nec volo vllam meæ dignitatis habere rationem, dummodo vos constanter in bono perseueretis, & nihil admittatis quod me cogat ostẽdere potestatem quam à Christo accepi.

8 NON ENIM POSSVMVS ALIQVID ADVERSVS VERITATEM, SED PRO VERITATE. Id est. Potestas mea puniriua nullum habet vsũ quamdiu veritas & iusticia seruatur; quia 1 õ est contra veritatem, vt illa destituatur, sed pro veritate conseruanda: vtpote data contra transgressores, non contra iustos iuxta illud 1 Tim. 1. *Lex iusto non est posita, sed iniustis.* Vnde & ait Rom. 13 *Vis non timere potestatem? benefac.* Quare, si vos Corinthij, nihil dignum punitione egeritis, sed quod bonum est feceritis; ego potestate vacuus apparebo. Nam vbi culpa non est; omnes sumus pares: vt ex Gregorio Thomas annotat. Porrò *veritatem* pro eo quod rectum & iustum est, accipi, frequens est in sacris literis.

In quales exerenda potestas eccles.

GAV-

9 GAVDEMVS ENIM QVONIAM NOS INFIRMI SVMVS, VOS AVTEM POTENTES ESTIS. Græcè, *cum*, vel, *si quando nos infirmi sumus, vos autem potentes estis*. Amb. *cùm nos infirmamur, vos autem fortes estis*. Verisimile est interpretem nostrum vertisse, *quando*; quod abbreuiatè scriptum, facile trãsit in *quoniam*. Habent *quando* mss. nonnulli, in quibus Laudensis. Estque sensus hoc pacto clarior, quia tempus significatur indefinitum. Non solùm, inquit, alieni sumus à cupiditate ostentandæ potestatis nostræ; verùm etiam gaudemus si quando nos infirmi & impotentes simus, videlicet subtracta nobis materia nostræ potestatis; & vicissim vos potentes, vt aduersus quos ego nihil possim, ob correctam vitam vestram. Potest & prior pars, iuxta phrasim Hebræam, exponi per hypothesin; quemadmodum illud Rom. 6, *Gratias Deo quia fuistis serui peccati* &c. vt sensus sit, Gaudeo vos esse potentes; etsi ego infirmus ac reprobus habear, non valens vti potestate.

HOC ET ORAMVS, VESTRAM CONSVMMATIONEM. Græcè, *Hoc autem & oramus*, siue *optamus*, siue *votis prosequimur*; *vestram integritatem, perfectionem*, seu *refectionem ac instaurationem in integrum*; Tale quid enim verbale Græcum κατάρτισις significat, deductum à verbo quod Matthæus vsurpauit cap. 4 *reficientes retia*. quo & infrà Paulus vtitur. Sensus est; Hoc quod dixi, scilicet vt potẽtes sitis, votis precibusque ad Deum fusis optamus; vestram, inquam, perfectionem; qua correctis vicijs ac sublatis dissidijs, integri sitis & irreprehensibiles, ac potestati nostræ nequaquam obnoxij.

10 IDEO HÆC ABSENS SCRIBO, VT NON PRÆSENS DVRIVS AGAM. Pro *durius agam*, Græcè est *seueriter* seu *rigidè vtar*. De Græco aduerbio ἀποτόμως plura vide in commentario nostro ad illud Tit. 1, *Increpa illos durè*. Sensus autẽ est; Propterea hęc absens scribo, vosq; cõmoneo; ne, quũ præsens fuero, vosq; adhuc incorrectos inuenero; cogar vti seueritate & rigore disciplinæ aduersum vos; idque

SECVNDVM POTESTATEM QVAM DOMINVS DEDIT MIHI, IN ÆDIFICATIONEM ET NON IN DESTRVCTIONEM. Hoc & superiùs dictum est, atque expositum cap. 10. Cõgruit autẽ cum eo quod paulo antè dixit, *se nihil posse aduersus veritatem sed pro veritate*. Non est autem consequens ex his apostoli sententijs, dispensationes prælatorum ecclesiæ quęcunque absque iusta causa fiunt, prorsus irritas esse; sed tantùm, malè ac temerè factas esse, & præter finem ac legitimũ vsum potestatis à Deo concessæ. multa autem malè fiunt, quæ facta tenent, vt iura loquuntur. Idque manifestum est in ordinationibus sacerdotum, & collationibus beneficiorum, & alijs huiusmodi. Vnde & patres admonent iniustam excommunicationem timendam esse.

An irritũ quicquid non fit recto vsu ecclesiastica potestatis.

11 DE CÆTERO, FRATRES, GAVDETE. Epilogus est epistolæ. Græcum verbum tria significat, *gaudete, saluete, valete*: Quod postremum reddidit Erasmus. At Græci interpretes de gaudio exponunt. Nam quia contristauerat apostolus Corinthios priore epistola; nunc hortatur eos ad gaudium sanctum & spirituale; quale vtique habituri erant si se corrigerent.

PERFECTI ESTOTE. In Græco, verbum à quo verbale quod superius vertit interpres *consummationem*. q. d. redintegramini; integri estote; corrigite vicia priora, vt nihil inueniam in quo cogar exercere meam potestatem. Obserua apostolum id nunc præcipere quod paulo antè orare se dicebat: Ex quo discimus eadem esse quę præcipiuntur hominibus, & quę à Deo præstanda hominibus exspectantur. Insuper obserua quam aptè congruant quæ hîc in fine secundæ epistolæ dicuntur epilogi loco, cum ijs quæ dicta sunt in principio prioris. Illic enim dixerat, *Sitis perfecti in eodem sensu & eãdem sententiã*. Hîc repetit, eodem vtens verbo Græco, *Perfecti estote*. Illic monuit dicens, *Vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*: Hîc mox subiungit: *Idem sapite; pacem habete*. Vnde intelligimus, pręcipuam apostolo curam in his epistolis scribendis fuisse, vt per concordiam & charitatem bene cohærerent animis inter se Corinthij, tanquam vnius atque integri corporis membra.

Bona ópera & gratia esse, & liberi per gratiam præuenti arbitrij.

EXHORTAMINI. Verti potest, *Consolamini*, id est, consolationem accipite. Idque magis congruit. contristati enim fuerant, vt iam dictum est.

IDEM SAPITE. Id est, concordes atque vnanimes estote: Syriacè, *sit inter vos concordia*. Hoc addit, propter dissensiones & schismata quæ inter illos fuerant; de quibus in epistola priore. Vnde & sequitur,

PACEM HABETE. In Græco vnum verbũ est, q. d. Pacificamini; vel vt rectè Amb. In pace agite: Id est, non sint inter vos contentiones & rixæ.

ET DEVS PACIS ET DILECTIONIS ERIT VOBISCVM. In Græco contrarius ordo, dilectionis & pacis. Si, inquit, concordiam & pacem inter vos habeatis; Deus author fraternæ charitatis, quæ concordiæ parens est, idemque author pacis, erit vobiscum per ampliora gratiæ suæ dona.

SALVTATE INVICEM IN OSCVLO SANCTO. Hoc ipsum iam in duabus pręcedentibus epistolis audiuimus.

12 SALVTANT VOS OMNES SANCTI. Id est, fratres seu Christiani qui apud nos sunt. Sic enim in priore epistola, *Salutant vos omnes fratres*. Cur autem Christiani ab apostolo sancti vocentur, alibi explicatum est.

13 GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Id est, Gratuita beneficentia Christi redemptoris nostri. Quanquam pronomen *nostri* nõ est in Græco. Potest etiam intelligi,

gratia

gratia quæ datur per Christum, id est, per meritum eius. Sic enim alibi sæpe gratia Iesu Christi intelligitur. Sed sequentia magis postulare videntur intellectum priorem quem dedi; vt Christus Dominus significetur author gratiæ, sicut pater & Spiritus sanctus: & proinde consideretur secundum naturam diuinam. Nam & ita sæpe loquitur apostolus; vt quoties fidelibus ad quos scribit, precatur gratiam à Deo patre & Domino Iesu Christo.

ET CHARITAS DEI PATRIS, qua scilicet nos dilexit. Quæ charitas in eo potissimùm commendatur, quòd filium suum pro nobis in mortem tradidit. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Ioan. 3

ET COMMVNICATIO SANCTI SPIRITVS. Id est, participatio seu larga effusio donorum Spiritus sancti; vt communicatio actiua intelligatur; sicut gratiam Iesu Christi, & charitatem Dei patris interpretati sumus. Ita communicatio accipitur Heb. 13, *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci.* Et in hac ipsa epistola, vbi agit de communicatione quæ fit in sanctos. Conuenienter autem huiusmodi donorum largitio attribuitur Spiritui sancto, qui amor est patris & filij; cui proinde bonitas appropriatur, quæ sui diffusiua est

SIT CVM OMNIBVS VOBIS. Scilicet per multiplices effectus gratiæ Christi, & charitatis patris, & communicatiuæ bonitatis Spiritus sancti. Hoc loco distinctè nobis insinuantur tres in diuinis personę; Id quod contra hæreticos Trinitatis mysterio contradicentes, diligenter à Græcis commentatoribus est animaduersum. Porrò Græci codices post finem epistolæ asscripta habent hæc verba: Ad Corinthios secunda scripta est è Philippis Macedonię per Titum & Lucam. Quæ subnotatio quatenus vera sit ac recipienda, facilè potest intelligi ex ijs quæ in argumento huius epistolæ, & in expositione capitis octaui à nobis dicta sunt.

Sancta Trinitas expressa.

IN EPISTOLAM

BEATI PAVLI APOSTOLI AD GALATAS COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.



VM per apoſtoli Pauli prædicationem, inter alios etiam Galatæ verbum veritatis, hoc eſt, fidem Chriſtianam, rectè edocti eſſent; adeo vt & pro Chriſti nomine multa aduerſa tolerarent, & virtute Spiritus ſancti per Chriſtū accepti, apud eos etiam miracula ederētur: poſt apoſtoli receſſum, à falſis quibuſdam fratribus qui ex circumciſione erant, ſolicitati, ad circumciſionem cæteraſq; Moſaicæ legis ceremonias traducti ſunt; non ita quidem vt Chriſtum penitus abijcerent, ſed vt legem cum Chriſto coniungerent, atque miſcerent. Illi namque pſeudapoſtoli, Chriſtum quidem vt doctorem ac præconem veritatis recipiebant; redemptorem verò authoremq; iuſticię non agnoſcebant; & ceremonijs, peccatorum veniam; à Chriſto, doctrinæ veritatem & exempla perfectæ iuſticię quęrenda, docebant; quaſi nihil aliud eſſet Chriſti euangelium, quàm hominis ad pietatem inſtitutio, non item impij iuſtificatio. Quod eatenus poſtea ſecutus eſt Pelagius hæreſiarcha, vt doctrinæ legis ac libero arbitrio ſalutaria virtutum opera & mandatorum Dei obſeruationem aſſcriberet; ſolam peccatorum remiſſionem Chriſti merito reſeruans. Quum verò memorati pſeudapoſtoli ſcirent omnem Pauli conatum in hoc eſſe, vt gratiæ Chriſti ad bene ſanctéque viuendum neceſſitatem oſtenderet, legis infirmitatem argueret, ceremoniarum ceſſationem prædicaret; neque exemplo patientiæ Chriſti contentus, ſacramentum crucis

inculcaret; multis modis laborabant vt illius authoritatem eleuarent ac deprimerent. Quod & discimus ex vtraque ad Corinthios epistola. Itaque eum negabant verum Christi apostolum, id est, à Christo missum, vt qui Christum in carne non vidisset; sed esse discipulum apostolorum, qui doctrinam illorum nec satis intelligeret, nec fideliter referret. Cæteros apostolos, quibus velut Christi quondam familiaribus, & apud fideles authoritate primis, potius esset credendum; aiebant aliud longè sentire ac docere, quàm Paulus doceret. Nam quia videbant apostolos Iudæis adhuc vsum legalium ceremoniarum indulgere, ipsósque etiam, dum inter Iudæos agerent, legem obseruare (siquidem mortua quidem lex erat, sed nondum mortifera) arbitrabantur eorum doctrinam ab his quę Paulus docebat planè discrepare; neque considerantes huiusmodi facti ipsorum rationem, neque causam gentilium ac Iudæorum discernentes. Accedebat quòd Petrus apostolorum princeps, etiam tunc cùm esset Antiochię, quę gentilium, non Iudæorum, ciuitas erat, à cibis & mensa gentilium sese de industria subtraxerat; tanquam facto suo doceret à cibis lege vetitis vbique & omnibus sine discrimine abstinendum esse; proindéque legis ceremonias omnibus esse obseruandas. Ad hæc apostolus Paulus ita respondet hac epistola; vt inprimis & dignitatem apostolatus sui aduersus pseudapostolos tueatur, & suę doctrinę cum reliquis apostolis concordiam, ex habita inter ipsos collatione, comprobet. Cæterùm de facto Petri sic loquitur, vt eum propter hoc palam à se reprehensum dicat: qui tamen etiam ipse, priusquam quidam à Iacobo fratres Iudæi aduenirent, cum gentibus cibum sumserit; vt eo quoque quod Petrus fecerat, aduersariorum propositum elidat. Mox rationibus, & adductis è scriptura veteri testimonijs ab errore Galatas reuocat; videlicet ex ipsa lege, legis abrogationem ostendens. Interim varios affectus passim inspergit epistolæ; modò admirans, modò increpans, nunc obsecrans, alibi obtestans ac denuncians: quòd his modis, velut prudens medicus, sciret cum ijs ad quos scribebat, pro eorum ingenio agendum esse: quippe qui & Timotheum instruat dicens: *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina*; & Tito præcipiat Cretenses durè increpandos vt sani sint in fide. Quod autem in alijs epistolis facit, vt post doctrinam fidei, subijciat præcepta morum; id & in hac præstitit, mores informans à medio quinti capitis vsque ad finem. Porrò conuenit argumentum huius epistolę cum ea quę ad Rom. scripta est, quòd in vtraque doceat apostolus, non ex lege & ceremonijs, sed ex fide Christi, hominem iustificari. Verùm hoc interest, quod ad Roman. scribens intentionem magis dirigat contra opera legis qua parte moralis est; in quibus aduersus gentiles gloriabantur Iudęi: hîc verò præcipuè contra

2. Tim. 4. Tit. 1.

Conuenientia huius & ad Rom. epistola.

In quo differant.

ceremo-

Quid huic epistolæ inter Paulinas proprium.

ceremonias, ad quarum obseruationem à pseudapostolis Galatæ (qui gentiles erant) vrgebantur. Illud huic epistolę peculiare, quòd (sicut etiam à B. Hieronymo obseruatum est) ipsa sola, inter tredecim Paulinas non ad vnius ciuitatis fideles scripta est, sed ad totius prouinciæ. Nam Galatia, non vrbis, sed regionis nomen est, in Asia minori sitæ; in qua, teste Augustino lib. de vnitate ecclesiæ cap. 12, ecclesię erant innumerabiles. Ea Gallogræcia alio nomine vocata fuit, quòd in eam Greciæ partem Galli quondam ob finium suorum angustiam, commigrassent. Vbi & quando scripta sit hęc epistola, non constat. Ex Epheso missam esse, testatur argumentum Latinis exemplaribus præfixum: At Grecorum subscriptio, missam esse vult ex vrbe Roma. quod consistere non potest, si ante epistolam ad Rom. scripta est, vt sentit Theophylactus. Atqui verisimilius est postea scriptam esse; nam ad Rom. scribens apostolus cap. 15, significat se iam tum occupari in eleemosyna colligenda pro sanctis pauperibus qui erant Ierosolymis; In hac verò epistola idipsum tanquam à se iam perfectum refert his verbis, cap. 2, *Tantùm vt pauperum memores essemus; quod etiam solicitus fui hoc ipsum facere*. Eadem ratione Romæ potius quàm Ephesi scriptam apparet; quum enim in Asia versaretur apostolus, vbi Ephesus est, id adhuc agebatur vt Achaia & Macedonia collationem facerent in pauperes memoratos. Sed nec ideo negandum Romę scriptam esse, quòd in ea nullam faciat vinculorum suorum mentionem, sicut in cęteris quæ ex vrbe Roma missæ sunt, scilicet ad Ephesios, ad Philippenses, ad Philemonem, & altera ad Timotheum: Nam, vt taceam per *stigmata Christi* quę se dicit *in corpore suo gestare*, cap. vltimo, posse vincula aut vinculorum cicatrices intelligi; facilè responderi potest Paulum Romæ agentem nõ semper in vinculis fuisse, sed aliquando, post primam defensionem, liberatum. Nunc ipsum apostolum audiamus.

Vbi & quando scripta sit.

SVMMARIVM.

VEhementer increpat Galatas quòd à doctrina per ipsum tradita recessissent; ostendens se ab ipso Christo euangelium & apostolatum accepisse; ab alijs autem apostolis non fuisse edoctum.

CAPVT I.

1 PAVLVS APOSTOLVS NON AB HOMINIBVS. Authoritatem suam contra pseudapostolos asserit statim initio; scribens *se apostolum* creatum, aut (quod apostoli nomen sonat) missum, *non ab hominibus*, veluti à collegio apostolorum, quomodo Matthias apostolus factus est; aut suffragijs alicuius ecclesiæ, quomodo nõnulli alij, vt Barnabas & Silas.

NEQVE PER HOMINEM. Hoc duobus modis exponitur; vel sic, Non per hominem mortalem; qualis erat Christus quando duodecim apostolos elegit, sed per hominem immortalem, qualis idem Christus post resurrectionem. Vnde mox resurrectionis eius meminit, dicens: *qui suscitauit eum à mortuis*. Et hæc Augustini expositio est. Vel, secundũ Hieronymum & alios plerosque, hoc modo, Non per hominem purum quantumuis excellentem; qualis erat Petrus apostolus Christi vicarius. per quem creatus fuit Clemens; vt Timotheus & Titus per Paulum. Hic commentarius potior videtur;

Non enim in ipso limine epistolę Paulum se cæteris apostolis anteferre voluisse, credibile est. Adde quòd hic sensus optimè congruit cum eo quod proximè sequitur,

SED PER IESVM CHRISTVM, qui non est purus homo, sed homo Deus. Id quod ex hoc loco contra hæreticos, qui Christum nō aliud quàm hominem dixerunt, bene colligit Hieronymus.

ET DEVM PATREM Iesu Christi naturalem. Significat autem se factum apostolum à Deo patre per Christum filium eius. Vbi notandum inter præpositiones *ab* & *per* non esse ponendū hoc loco discrimē; alioqui quā maximè dicendū fuisset, A Deo patre, & non *per Deum patrem*. Addit autem,

QVI SVSCITAVIT EVM A MORTVIS. Hoc addit vt tacitè saltem innuat, à Christo per resurrectionem immortali se constitutum apostolum; quod nulli contigerat aliorū. Quæri potest quomodo non ab hominibus apostolum se creatum dicat; de quo Lucas scribit Act. 13 quod ad euangeliū gentibus prædicandum (quod erat apostolici muneris) impositionem manuum accepit vnà cum Barnaba, à senioribus ecclesiæ Antiochenæ. Respondeo, Paulū & Barnabam eo loco non fuisse creatos apostolos; sed tantùm cum ceremonia manuum impositionis, adhibita oratione & ieiunio, missos fuisse ad opus prædicationis euangelicæ, ad quod iam assumpti & designati erant à Spiritu sancto. Sicut Petrus & Ioannes à collegio apostolorū missi sunt ad Samaritanos, non tamen ordinati apostoli; sed multò antè à Christo. Certè Paulus non solùm dicere vult sese immediatè à Christo munus apostolicum accepisse; verùm etiam euangelium quod prædicaret, ab ipsomet per reuelationem didicisse. Quod quidem expressius affirmat in consequentibus huius capitis.

Conciliatio huius loci cum princ. c. 13. Actor.

2 ET QVI MECVM SVNT OMNES FRATRES, Adiungit sibi fratres non vnum aut paucos, sed omnes qui secum erant, vt doceat se non ex sua tantùm, sed omnium fratrum sententia, scribere ea quæ scribit; idque propter eos qui Pauli doctrinam vt singularem & ab ecclesijs haud receptam, calumniabantur.

ECCLESIIS GALATIÆ. Subaudi, scribit, aut precatur, quod sequitur. *Ecclesias Galatiæ* dicit numero plurali; quia plures Galatarum erant ecclesiæ, quas à recto tramite euangelij abduxerant pseudapostoli. Notant autem Græci interpretes, apostolum non ascribere titulos amoris aut honoris; vt dilectis, sanctis, sanctificatis; neque dicere hoc modo, ecclesijs Dei quæ sunt in Galatia, aut quippiam tale, quod solet in alijs epistolis; sed simpliciter ac nudè dicere, *ecclesijs Galatiæ*. Quod signum esse putant indignantis aduersus eos apostoli; vt quos, ob gratiam Christi reiectam, nec dignos censeat ijs appellationibus quas alibi communes facit omnibus Christianis.

3 GRATIA VOBIS ET PAX A DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO NOSTRO IESV CHRISTO: Hæc salutationis forma quid sibi velit, iam in alijs epistolis expositum est.

4 QVI DEDIT SEMETIPSVM PRO PECCATIS NOSTRIS, Id est, tradidit semetipsum in mortem pro peccatis nostris delendis; vtique secundum naturam humanam, qua sola mori potuit. Hoc autem apostolus commemorat, vt innuat non à ceremonijs legis, sed ex cruce Christi remissionem peccatorum exspectandam. Quò pertinet etiam quod sequitur,

Fructus mortis Christi nō vnus.

VT ERIPERET NOS DE PRÆSENTI SÆCVLO NEQVAM, Sensus est: Item dedit semetipsum vt eximeret ac segregaret nos de numero impiorum, & vocaret in sortem sanctorum. *Præsens sæculum*, id est, tempus vitæ præsentis, vocat *nequam* seu malignum, non quasi per se malum sit; quomodo quidam antiqui hæretici intellexerunt, quos refellit Hieronymus; sed metonymicè propter malos homines quorum numerus in eo plurimum prævalet; adeo vt omnes nascantur mali, nec boni fiant nisi ex malis. Apparet autem apostolum cùm dicit *pro peccatis nostris*, & iterum *vt eriperet nos*, in electorum persona loqui; quia qui segregantur ex massa impiorum, electi sunt, qui verò relinquūtur, reprobi.

Præsens sæculum quatenus malignū.

SECVNDVM VOLVNTATEM DEI ET PATRIS NOSTRI, Quem superiùs dixit patrem Christi, per naturam; nunc patrem nostrum vocat, propter adoptionem filiorum Dei. Cæterùm pars ista vel referri potest ad illud superius, *Qui dedit semetipsum* vt sensus sit, Christum tradidisse seipsum in mortem, ex voluntate, decreto, & præcepto patris; vel ad effectum huius spontaneę traditionis, significatum verbis subsequentibus. Nam voluntatis ac beneplaciti diuini est peccata nostra deleri, nosque eripi è massa perdita. Sed prior constructio magis conuenit cum alijs scripturæ locis, in quibus pater filium in mortem tradidisse dicitur; & quibus filij erga patrem vsque ad mortem obedientia commendatur.

5 CVI EST GLORIA IN SÆCVLA SÆCVLORVM; AMEN. Verbum *est* non additur in Græco; potestque non minus commodè suppleri, *sit*, optatiuum: Hoc enim postulare videtur clausula, *Amen*, id est, fiat. Sensus, Qui pro tanto beneficio dignus est à nobis & ab omnibus glorificari per sæcula semper duratura, id est, in omnem æternitatem. Huc vsque salutatio.

6 MIROR QVOD SIC TAM CITO TRANFERIMINI AB EO QVI VOS VOCAVIT IN GRATIAM CHRISTI, IN ALIVD EVANGELIVM. Orditur apostolus sermonem à castigatione. Nam quod ait, *Miror*, id, ex rei circumstantia, castigantis & increpantis significa-

tionem

tionem habet; ſimul eo verbo ſubindicat ſe magnam de Galatis opinionem antea habuiſſe. nam caſum magnorum miramur. Pro eo quod noſtri codices habent, *ſic tam citò*; Græcè tantùm eſt, ὕτω ταχέως, id eſt, *ſic citò*, vel *tam citò*, vel (vt apud Ambroſianum) *adeo citò*. Vnde veriſimile eſt, *ſic* & *tam* ex diuerſis verſionibus huc confluxiſſe. Rurſum, Græcè non eſt *in gratiam* ſed *in gratia*, id eſt, vt Ambroſianus legit, per gratiam. Sanè Hieronymum *in gratia*, & non *in gratiam* legiſſe, ex eius commentario colligi poteſt: tametſi non negandum Græcas præpoſitiones, ἐν, ἐπὶ, εἰς, apud apoſtolum interdum confundi. Quod autem Auguſtinus pro *gratia*, *gloriam* legit, ex nullis codicibus qui hodie extent, ſuffragium habet; ſed nec in Græcis vocabulis vlla affinitas eſt. Iam verò quod Hieronymus, & eum ſecutus in ſua verſione Eraſmus, hyperbaton hoc loco faciunt, vt rectus ordo conſtructionis ſit iſte; *Miror quod tam citò transferimini à Chriſto, qui vos vocauit per gratiam* (Siquidem & hanc conſtructionem Græca non reſpuunt) id alijs non probatur; nec immeritò. Nam vocatio paſſim in epiſtolis Paulinis Patri, non Chriſto, tribuitur; vt videre eſt Rom. 8, 2 Theſſ. 1 & 2. 2 Tim. 1. & alibi; Denique & hoc ipſo capite, vbi dicit: *Et vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me*. Quare nec Græcorum quiſquam, nec Auguſtinus, nec Ambroſianus huius hyperbati meminerunt: quin ipſe Eraſmus in paraphraſi cæteros ſecutus, priorem verſionem ſuam deſerit. Itaque planus eſt ſenſus, Miror vos tam citò poſt fidem Chriſti ſuſceptam, ab eo qui vos admirabili benignitate vocauit in gratiam Chriſti filij ſui, id eſt, ad participationem gratuitorum eius beneficiorum; vel, per gratiam Chriſti, id eſt, per meritum eius gratuitò vobis applicatum; transferri ſeu traduci in aliud euangelium, hoc eſt, diuerſum ab eo quod à me vobis prædicatum eſt; ſiue in aliam doctrinam quæ pro euangelio vobis obtruditur. Non dicit, à meo euangelio in aliud; ſed, *ab eo qui vos vocauit*; ne ſuum negocium agere videretur, ſuiúe cauſa commotus eſſe aduerſus Galatas, ſed propter ipſos, quia à Deo vocante receſſerant.

7 QVOD NON EST ALIVD. Correctio eſt eius quod dixit *in aliud euangelium*, habetque vim expoſitionis; Nam in ſcriptura propriè nihil corrigendum eſt. Tametſi, inquit, ea doctrina quę nunc vobis ingeritur, non eſt digna nomine euangelij. Neque enim præter illud quod prædicaui vobis, vllum eſt aliud euangelium: quicquid ab eo diuerſum adfertur, euangelium non eſt, ſed pſeudoeuangelium, magiſtris pſeudapoſtolis congruens.

NISI SVNT ALIQVI QVI VOS CONTVRBANT, ET VOLVNT CONVERTERE EVANGELIVM CHRISTI. *Niſi* pro *ſed*, frequentiſſimo more ſcripturæ. Sed tantùm, inquit, quidam ſunt turbantes vos, dum volunt inuertere euangelium Chriſti; id eſt, aliud docere quàm quod Chriſtus per apoſtolos docendum tradidit. Non enim Chriſtus præcepit homines circumcidi, cęteraſque legis ceremonias obſeruari; ſed ab hoc iugo fideles ſuos liberauit. Volunt ergo conuertere & in aliud tranſmutare euangelium Chriſti; qui, ſicuti Petrus in concilio loquitur Act. 15. legis iugum Chriſti fidelibus tentāt imponere. Dicit autem, *volunt conuertere*, ſignificans eorum conatum, non effectum; eoquod euangelium Chriſti, quemadmodum dictum iam eſt, vnum & immutabile ſit. Quæ res etiam ab Hieronymo annotata eſt. Admonet hoc loco Theophylactus, etiam exiguum quiddam euangelio repugnans, quale erat ſabbathum, & circumciſio; eiuſmodi eſſe vt vniuerſum euangelium inuertat: perinde ac ſi quis regij nomiſmatis aliquantulum deprauarit, is totum nomiſma adulterinum reddidit. Quod obſeruari vult, propter eos qui in quæſtione religionis ac fidei, ſaltem modicum quid putant aduerſarijs, cauſa pacis, concedendum.

In cauſa fidei nihil ceuſendũ eſt minutum.

8 SED LICET NOS, AVT ANGELVS DE CÆLO EVANGELIZET VOBIS PRÆTERQVAM QVOD EVANGELIZAVIMVS VOBIS; ANATHEMA SIT. Euangelium ſuum grauiſſima execratione confirmat. Vbi notanda eſt in apoſtolo conſtans authoritatis ſuæ defenſio, qua, ne angelo quidem cælitus aduenienti, ſi quid ſecus annunciet, anathema dicere veretur. *Nos*, id eſt, ego ipſe Paulus qui vobis euangelium prædicaui. vel, vt alij volunt, nos apoſtoli. Sed prior expoſitio melior, nam Pauli ſcopus eſt euangeliorum ab ipſomet prædicatorum, quod cum aliorum apoſtolorum euangelio conuenire negabant pſeudapoſtoli, ab huiuſmodi calumnia vindicare. Quod autem ait, *aut angelus de cælo*; hypotheſis eſt rei impoſſibilis. Nam fieri non poteſt vt angelus è cælo veniens atque à Deo miſſus, euangelizet præter id quod Paulus euangelizauerat: ſiue quia angeli boni confirmati ſunt in iuſticia & veritate, ſiue quia Deus falſum nuncium mittere non poteſt. Notanda etiam catachreſis in verbo, *euangelizet*; poſito loco generis, annunciet. *Anathema ſit*, id eſt, maledictus & execrabilis; quod Hebræi vocabant *Herma*, nam pro eo LXX ſcripſerunt ἀνάθεμα. Non excommunicat hac ſententia quenquam apoſtolus, ſed declarat execrabilem eſſe & excommunicatione atque æterno interitu dignum; ſicut & 1 Cor. 16. dicens: *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema*. Quomodo & intelligendi ſunt anathematiſmi conciliorum: Si quis dixerit hoc aut illud, anathema ſit. De hoc vocabulo plura vide ad locum memoratum 1 Cor. 16. & ad Rom. 9.

Traditionibus quæ sunt in Ecclesia, non aduersari anathematismũ apostoli.

Porrò quia sententiam hanc apostolicam detorquent hæretici nostri temporis aduersus ecclesiasticas traditiones; id est, ea ecclesiæ dogmata quæ sola traditione continentur, non verbo scripto; tanquam hoc genus sit præter illud, id est, diuersum ab eo quod euangelizarunt apostoli: diligentius huius loci sensus inuestigandus est. Quidam respondent apostolum non dicere: Si quis annunciet aliquid diuersum ab euangelio scripto; sed, *si quis annunciet vobis præter id quod euangelizauimus vobis*; hoc est, vt apostolus sententiam suam repetens, explicat, *præter id quod accepistis*. Traditiones autem, inquiunt, etsi sint diuersæ ab euangelio scripto; non tamen ab eo quod initio traditum & acceptum est. De ijs enim ipse apostolus scribit 2 Thess. 2, *Tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem* &c. At huic responsioni opponitur, quòd nullo modo verisimile sit Galatis adhuc rudibus in fide, statim omnia Christianæ religionis mysteria tradita fuisse; cùm quædam eorum sublimiora sint, & minùs necessaria; de quibus alibi dicit apostolus, *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Quæ proinde non initio nouellis Christianis proponebantur, sed seruabantur opportuno tẽpore tradenda. Quare si quis horum aliquid postea proponeret, & annunciaret; non vtique dicendum ei erat anathema. Deinde, si iuxta horum intelligentiam, *præter* significat id quod quocumque modo diuersum est ab ijs quæ iam tũ tradita erant; Ioãnes apostolus esset anathema, quia postea scripsit euangelium & apocalypsim, in quibus multa sunt ab alijs non antè tradita. Quin ipse Paulus sibi anathema foret, qui, & in hac epistola & in alijs postea scriptis, quædam docuit & tradidit antea Galatis non tradita; qui etiam 1 Thess. 3 promittit se completurum ea quæ deerant fidei ipsorum. Denique, quis dixerit angelum de cælo si mysterium aliquod annunciaret, hactenus non reuelatum hominibus; futurum anathema; ac non potiùs fidem ei habendam, sicut cæteris reuelationibus propheticis? Potior itaque responsio est, vocabulo *præter*, Græcè παρὰ non significari ab apostolo quod quocunq; modo diuersum est, sed ita diuersum, vt sit etiam aduersum & contrarium; quasi dicat, Quod si vel ego ipse, vel angelus Dei vobis annunciet ac pro euangelio proferat aliquid contrarium ijs quæ ego vobis euangelizaui; sit anathema. Iam autem traditiones ecclesiæ nequaquam huiusmodi sunt; sed cum doctrina quam Paulus tradidit, ac generatim cũ verbo Dei scripto, quàm maximè consentiunt. Id verò quod pseudapostoli docebant, legem Mosaicam omnibus in Christum credentibus, tam gentilibus quàm Iudæis, obseruatu necessariam esse; contrarium erat doctrinæ Pauli & cæterorum apostolorum, ac non solùm diuersum; vt liquet ex Act. 15. Et quidem hæc significatio præpositionis παρὰ, Græcis vsitatissima est, vt & Latinis, ipsius *præter*. Hinc παρανομῶ, legis violator; & παρανομία, legis transgressio; & multa similia. Sic ipse Paulus Rom. 1 *præter naturam*, id est, contra naturam, vt bene vertit interpres. Et cap. 4. dicit, *Abraham præter spem in spem credidisse*, quod interpres vertit, *contra spem*. & eiusdem epistolæ cap. 16 præcipit obseruari eos qui dissensiones & offendicula *præter* (id est contra) doctrinam ipsis traditã, faciebant. Et Latinè dicimus, Præter legẽ, præter morem, præter opinionem, præter spem, præter dignitatem; id est contra. Hunc intellectum sequuntur Hieronymus & Ambrosianus in commentarijs, nec non Augustinus tractatu 98 in Ioan. & lib. 17 contra Faustum cap. 3, & lib. 23 cap. 7. Ex quo præterea liquet non aduersari Catholicis illud eiusdem Augustini lib. ; contra literas Petiliani cap. 6, Si angelus de cælo vobis annunciauerit præterquam quod in scripturis legalibus & euangelicis accepistis; anathema sit. Nam Augustinum ex Augustino exponẽtes, dicimus sensum esse, contra id quod in scripturis accepistis. Ac si quis perpendat verba S. Aug. dicto Tract. 98 in Ioan. sub finem: videbit ipsum hîc non istud *præterquam*, sed *præter*, dedisse. quod idem de nostro Interprete hoc loco meritò suspiceris, perpendens quid omnes codices Latini legant v. proximè seq. Sed obijciet nobis aliquis Theophylacti commentarium, in quo sic legitur: Nec dixit, si contraria aut pugnantia prædicent; sed, si vel paruum quid annuncient præter id quod annunciauimus, hoc est, si plusculũ quippiam adiecerint: execrationi subdantur. Respondetur, Theophylactum loqui de additamento quo pars aliqua doctrinæ ab apostolo traditæ, labefactetur. Qui sensus ex Chrysostomo, cuius vestigia Theophylactus insequitur, manifestus est; Dicit enim Chrysostomus, ideo apostolum dixisse παρὰ, id est, præter; vt hinc discamus non eos solùm anathema decerni, qui apertè contraria docent, aut talia quæ totum euangelium subuertunt; sed etiam illos qui aliquid addunt, quo quidquis, quantumuis minimum euangelij labefactatur, etiamsi apertè ei contrarium non sit. Ac sanè Theophylactum aliter intelligi non oportere, perspicuè declarat illud quod ex ipso proximè annotauimus; ne quidem exiguum aliquid fidei repugnans aduersarijs concedendum esse.

Videatur Græcus codex Theophyl.

1. Cor. 2.

9 SICVT PRÆDIXIMVS, ET NVNC ITERVM DICO, Id est, Quemadmodum iam antè dixi; ita & nunc iterum dico, ac sententiã repeto. Quod ergo dicit, *prædiximus*; vel ad aliud tempus, quo simile quid dixerat & cõtestatus fuerat, referendum; vel potiùs ad id quod proximè præcessit. Id enim repetit, inculcationis causa; ne quod semel dictũ erat, minùs certum haberetur.

SI QVIS VOBIS EVANGELIZAVERIT PRÆTER ID QVOD ACCEPISTIS; ANATHEMA SIT.

Accepi-

Accepiſtis, intellige, à nobis. Repetit enim alijs verbis quod dixerat, *præter quod euangelizauimus vobis*. Hunc autem locum ſimiliter Auguſtinus de eo quod contrarium ſit traditis & acceptis, exponit. Tractans enim illud Ioan. 16 *Adhuc multa habeo vobis dicere*, & hanc apoſtoli ſententiam eò adducens; ità ſcribit, *Non ait, pluſquam accepiſtis; ſed præter quod accepiſtis. Nam ſi illud diceret; ſibi ipſe*
1. Theſſ. 3. *præiudicaret, qui cupiebat venire ad Theſſalonicenſes, vt ſuppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed, qui ſupplet, quod minus erat addit; non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei; non accedit in via ſed recedit de via.* Sic ille tractatu 98 in Ioannem. Præterea, notandum ex hac & ſuperiori apoſtoli ſententia, ſumi poſſe generalem quandam rationem explorandi doctrinam religionis. Ea ratio ſeu regula eſt, omnem doctrinam quæ
Regula hinc deſumenda ad omnes hæreſes deprehendendum. præter doctrinam antiquitus traditam adfertur, reijciendam eſſe. Eam verò quæ cum doctrina à maioribus accepta, conſentit; recipiendam & approbandam. Sic Ioannes 1 epiſtolæ cap. 2, *Vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat*. & in ſecunda epiſtola, *Vt quemadmodum audiſtis ab initio, in eo ambuletis*. Et rurſum Paulus 2 Tim. 2, *Tu permane in ijs quæ didiciſti, & quæ credita ſunt tibi; ſciens à quo didiceris.*

10 MODO ENIM HOMINIBVS SVADEO, AN DEO? Senſus huius interrogatiunculæ non ita obuius eſt. Sunt qui putent commodius verti poſſe, Nunquid adhuc homines perſuadeo, an Deum? Nam in Græco caſus ſunt accuſatiui. Sic autem exponunt; Non homines prædico, ſed Chriſtum; neque de humanis rebus perſuaſio mea eſt, ſed de diuinis. At ſciendum, verbum Græcum accuſatiuo iunctum, eandem vim interdum habere, quod Latinum ſuadeo cum datiuo. Sic enim ipſe Paulus aliàs hoc verbo vſus eſt; vt 2 Cor. 5. *Hominibus ſuademus*; vbi Græcè eſt, *homines*. Neque verò noſtra verſio ſenſum habere poteſt quem alij quidam faciunt; An quod doceo & prædico, ad hominum gloriam prædico, ac non potiùs ad gloriam Dei? Nam alienus eſt hic ſenſus a ſignificatione Græci verbi πείθω, præſertim iuncti cum accuſatiuo. Quocirca Chryſoſtomi ſententiam amplectimur, interpretantis hoc modo: *Num ego iam cauſam dico apud homines, an apud Deum?* q. d. Sicut non ab hominibus neque per hominem miſſus ſum ad prædicandum euangelium, ſed per Chriſtum & Deum patrem: ita non apud homines iudices, ſed apud tribunal Dei ac Domini mei, cauſam hanc ago illiúſque meam doctrinam vt iudici meo probare ſtudeo. Hoc autem dicit, quia multos homines, etiam nomine Chriſtianos, patiebatur contradictores; quorum iudicia nihil morari ſe ſignificat, Deo iudice contentum. Vnde & ſequitur

AN QVÆRO HOMINIBVS PLACERE? Id eſt, Num ſtudium meum eſt vt hominibus placeam, an potiùs vt placeam Deo? Studet autem hominibus placere, iuxta mentem apoſtoli, cuius ſtudium eſt gratiam hominum eblandiri, vt ab ijs conſequatur quod carnaliter concupiſcit; quo fit, vt veritatis cura poſtpoſita, tantùm ſolicitus ſit vt ea dicat quæ homines lubenter audiunt, dicentes illud Iſaiæ 30, *Loquimini nobis placentia*. Tales hominibus placentes damnat ille verſiculus pſalmi 52 *Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent; confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos*. Non ergo pugnat cum hoc loco quod idem apoſtolus dicit 1 Cor. 10 *ſe per omnia omnibus placere*; nam modum explicat dum addit, *Non quærẽs quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant*. Quem modum placendi hominibus, etiam ab alijs exigit; Rom. 15, *Vnuſquiſque veſtrûm*, inquit, *proximo placeat in bonum, ad ædificationem.*

Hominibus placere quo ſenſu malum.

SI ADHVC HOMINIBVS PLACEREM, CHRISTI SERVVS NON ESSEM. Græcè, *Si enim adhuc* &c. vt ſit probatio negationis quã poſtulat interrogatio præcedens. Quidam hanc partem ſic exponunt; Si ſtuderem hominibus placere, eo modo quo iam dictum eſt; fierem ſeruus hominum & cupiditatum mearum: & per hoc deſinerem eſſe Chriſti ſeruus; quia nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Sed probabilior eſt hęc aliorũ expoſitio; Si adhuc ſtuderem hominibus placere, ſicut olim in Iudaiſmo: non eſſem factus Chriſtianus, non addixiſſem me Chriſto in ſeruitutem; propter cuius euangelium tanta mihi apud contribules meos conflata eſt inuidia, apud quos antea ſummo loco habebar. Poteſt & ſic intelligi; Si adhuc, vt olim, ſectarer hominum gratiam: non eſſem idoneus Chriſti ſeruus, non eſſem dignus eo nomine; quia miniſterium quo Chriſto ſeruio in euangelio, non ſyncerè, non ſicut oportet obirem. Videtur enim ſeruum Chriſti ſe dicere, ſpeciali ratione, propter miniſterium verbi; quemadmodum in exordio epiſtolæ ad Rom. *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti*. Hæc præfatur apoſtolus; vt ab integritate ſuæ perſonę, cauſam quam ſuſcepit agendam, commendet; ſimul obliquè taxans pſeudapoſtolos, quibus ſtudium erat hominibus placere.

11 NOTVM ENIM VOBIS FACIO, FRATRES, EVANGELIVM QVOD EVANGELIZATVM EST A ME, QVIA NON EST SECVNDVM HOMINEM. Pro *enim* Græcè eſt *autem*, Ambroſiano ſuffragante. Senſus: Scire vos volo euangelium quod à me prædicatum eſt, non eſſe humanum inuentum (ſic enim illud, *ſecundum hominem*, exponit Auguſtinus, dicens, euangelium quod ſecundum hominem eſt, mendacium eſſe, quia omnis homo mẽdax). Vel, vt Græci interpretantur, non eſſe *ſecundum hominem*, id eſt, non eſſe mihi traditum hominis cuiuſpiam miniſterio; ſcilicet eius qui tantùm homo ſit; quomodo ſuperiùs dixit, *neque per hominem*. Qui poſterior intellectus germanior eſt; non enim Paulo à Iu-

daizantibus obijciebatur quod confinxiſſet ſuum euangelium; ſed, quod illud didiciſſet ab apoſtolo quopiam, non ab ipſo Chriſto, ſicut cæteri apoſtoli: Ex quo contendebant, eum longè illis inferiorem eſſe. Et hic ſenſus explicatur per id quod ſequitur,

12 NEQVE ENIM EGO AB HOMINE ACCEPI ILLVD, NEQVE DIDICI: Id eſt, non alicuius hominis interuentu ſeu magiſterio, illud aut ſemel accepi, aut per temporis moram didici. Sic enim Hieronymus diſtinguit inter *accipere* & *diſcere*; tametſi fortè rectiùs intelligas apoſtolum hæc duo poſuiſſe pro eodem. Rurſus autem ex hoc loco bene colligit idem Hieronymus, Chriſtum non purum hominẽ eſſe ſed Deum.

SED PER REVELATIONEM IESV CHRISTI, ab eo mihi factam immediatè, Chriſtus enim Paulo per reuelationem patefacere dignatus eſt totius Chriſtianæ religionis myſteria; volens eius prædicationem apud homines non eſſe minoris authoritatis, quã erat Petri & Iacobi ac cæterorum, qui Chriſtum in carne viderant, ac docentem audierant. *Quo tempore ſit Paulo facta à Chriſto ipſo reuelatio myſteriorum fidei Chriſtianæ.* Quæritur, quo tempore reuelationem hanc apoſtolus acceperit. Hieronymus ad illud tẽpus refert, quando Paulus Damaſcum proficiſcens in itinere Chriſti vocem audiuit, & cæcatis oculis (ſic enim loquitur) verum mundi lumen intuitus eſt. Thomas reuelationem hanc apoſtolo factam exiſtimat, quãdo raptus fuit in paradiſũ, vbi audiuit arcana verba; 2 Cor. 12. Et, quoniam in eius loci cõmentario raptum illum contigiſſe ſcribit ipſo anno conuerſionis eius, & quidem (vt probabile putat) in illo triduo quo Damaſci ieiunus agebat ante baptiſmum: hinc conſequenter apparet, quid de tempore reuelati Paulo euangelij, idem doctor ſenſerit. Verùm huic opinioni tam Hieronymi quam Aquinatis, quæ ferè eadem eſt, vehementer obſtat, quod Paulo tunc quærenti, *Domine quid me vis facere?* reſponſum eſt, *Surge, & ingredere ciuitatem; & dicetur tibi quid te oporteat facere.* Nam ſi vniuerſum euangeliũ à Chriſto per reuelationem, vel in hora conuerſionis, vel triduo ſubſequente, didicit; fruſtra mittebatur ad hominem à quo diſceret quid facere ſe oporteret. Didicit autem, poſt illud triduum ieiunij, ex Anania ad ſe miſſo; videlicet ab eo non baptizatus modò, ſed & catechizatus, hoc enim totum includitur in illo, *Quid te oporteat facere.* Neque verò Paulus vſquam negat ſe catechizatum ab homine; ſed, euangelium quod in gentibus prędicaret, id eſt, myſteria Chriſtianæ religionis, per quæ perfectè eſſet inſtructus ad exequendũ munus apoſtolicum, ab homine accepiſſe. Deinde nec ſatis conſentaneum erat vt recẽter ex tanto perſecutore conuerſus, necdum baptizatus, nec impletus Spiritu ſancto (hæc enim ſecuta ſunt, vt ex hiſtoria patet) tã eximia reuelatione dignus haberetur, ac gentiũ crearetur apoſtolus; præſertim cùm illud triduum magis eſſe debuerit pœnitentiæ & orationis. Quod & Dominus ſignificat, dicens: *Ecce enim orat.* Nec verò putandum eſt primo illo tempore reuelationem hanc Paulo factam eſſe, quòd, vt eodem loco Act. dicitur, continuò ingreſſus in ſynagogas, prædicauerit fidem Ieſu Chriſti; prędicabat enim nondum vt apoſtolus, ſed vt diſcipulus: quomodo multi alij gratiam verbi habentes; idque ex catechiſmo fidei, quo erant inſtituti ſaltem imperfectè. Sic enim & Apollo, quãuis nondum baptizatus, nedum ad apoſtolicam dignitatem euectus, fidem Chriſti prædicaſſe legitur, Act. 18. Quæ cùm ita ſint: illud de tempore reuelationis huius verius alicui videri queat, eam non eſſe diuerſam ab illa de qua 2 Cor. 12 refert ſe in raptu audiuiſſe arcana verba quæ non licet homini loqui. Quã quidem reuelationẽ illic oſtendebamus contigiſſe octauo poſt eius conuerſionem anno, quando nimirum apoſtolus gentiũ creatus eſt & ad prædicandum in gentibus euangelium miſſus, vnà cum Barnaba, Act. 13 dicente Spiritu ſancto, *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumſi eos.* Tunc ergo non ſolùm per reuelationem perfectè didicerit euangelium quod prædicaret; verũ inſuper audiuit arcana verba quæ hominibus eloqui non poſſet. Sed alio tempore fuiſſe illi factam reuelationem euangelij, quàm quo raptus audiuit arcana verba illa ineffabilia, de quibus dicto cap. 12 poſterioris ad Cor. magnum argumentum ſumitur ex hoc ipſo primo c. ad Gal vbi infrà dicitur, *Cùm autem placuit ei qui me ſegregauit*, & quę ſequuntur, v. 15. 16. 17. 18. Inde enim liquet Paulum non multo poſt conuerſionem ſui tempore, accepiſſe euangelium ex reuelatione diuina; ideoque non contuliſſe illud cum quoquam apoſtolorum; ſed tanquam apoſtolũ, profectum in Arabiam, ac inde reuerſum Damaſcum, prædicaſſe in ſynagogis fidem Ieſu Chriſti. poſt tres autem annos redijſſe Ieroſolymam, tantùm vt Petrum videret, non etiam vt ab eo diſceret; quemadmodum patet ex initio c. 2. Quæ omnia multò ante octauum ab eius conuerſione annum (quo ille eius raptus ponitur) manifeſtum eſt accidiſſe. Facta eſt igitur ei reuelatio euangelij, antequam vt Chriſti apoſtolus fidem Domini Ieſu inciperet prædicare; non longè ſcilicet poſt conuerſionem ipſius.

13 AVDISTIS ENIM CONVERSATIONEM MEAM ALIQVANDO IN IVDAISMO. Narratio eſt qua fidem euangelio ſuo conciliat, ex ijs quę geſſit antequam eſſet ad Chriſti fidẽ conuerſus. Faciliùs enim creditur homini in quo tanta è contrario in contrarium accidit mutatio, qualis hîc deſcribitur; quamque pulcrè Hieronymus explicat in commẽtario: Neque enim hac parte probat apoſtolus, vt Græci volunt interpretes, ſe euangelium ſuũ non ab homine ſed per Chriſti reuelationem accepiſſe; quod non eſt conſequens ex his

verbis;

Act. 9.

verbis; ſed his opportunè præmiſſis, id agit ac docet poſtea. Aduerbium *aliquando* non ad verbum *audiſtis* referendum, ſed ad proxima. Senſus enim eſt; Res notiſſima eſt, quã vos audiſſe non dubito, quomodo conuerſatus fuerim & quo ſtudio me geſſerim olim in Iudaiſmo. Iudaiſmum vocat ſectam Iudaicam, id eſt, eorum qui legem Moſaicam mordicus retinebant, non admittentes abrogationem eius per Chriſtum; inter quos Paulus præcipuum ſe fuiſſe paulo pòſt affirmat. Iudaiſmus eſt, inquit Auguſtinus epiſtola 19 ad Hieronymum, quum putatur ex ceremonijs & lege ſalus eſſe, aut ſine illis non eſſe.

Iudaiſmus quid.

QVONIAM SVPRA MODVM PERSEQVEBAR ECCLESIAM DEI; Id eſt, quòd omni conatu ac ſtudio perſequebar Chriſtianos, qui ſunt eccleſia Dei. Quanquam plus aliquid vult, quum dicit, *perſequebar eccleſiam Dei*, quàm ſi diceret perſequebar Chriſtianos. Nam *eccleſiam Dei* nominando, manifeſtius ſignificat magnitudinem ſui peccati; vt qui diſſipare ac diſperdere voluerit eum cœtum, quem Deus in terris congregabat; quod erat aduerſus Deum pugnare. Rurſus quod dicit *ſe perſecutum fuiſſe ſupra modum*; pro quo Græcè eſt καθ' ὑπερβολήν, ſecundum exceſsũ, ſiue exſuperantiam; non ita dicit, quaſi poſſit hoc ipſum fieri cum modo; ſicut dicitur aliquis ſupra modum lætus, triſtis, iratus; ſed excellentiam quandam & maximam animi contentionem eo ſermone ſignificare voluit: quemadmodũ alibi ſignificauit nomine inſaniæ, vt Act. 26, *Et amplius*, inquit, *inſaniens in eos, perſequebar vſque in exteras ciuitates*.

ET EXPVGNABAM ILLAM, Græcè, ἐπόρθουν, id eſt, *depopulabar*, vt vertit Eraſmus; *vaſtabam* ſeu *deuaſtabam*, vt legunt Auguſtinus & Hieronymus. Id Lucas alio vocabulo ſignificauit Act. 8 vbi nos legimus; *Saulus autem deuaſtabat eccleſiam*. Nam ibi Græcè eſt, ἐλυμαίνετο, ſed eiuſdem ferè ſignificationis cum eo quod hîc legitur. At quod legitur Græcè pſalmo 128, ab vtroque eſt diuerſum, propriè ſignificans oppugnare. Quod igitur interpres noſter vertit hoc loco, *expugnabam illam*, poteſt quidem ſic accipi vt expugnaſſe ſe eam dicat, id eſt, deſtruxiſſe & euertiſſe quantum in ipſo erat. Neque enim ipſa expugnari poterat, quam Chriſtus ita fundauit vt portæ inferi nunquam aduerſus eam ſint præualituræ. Verùm Græca magis hunc exigunt ſenſum; Atque ea perſecutione vaſtitatem eccleſiæ inferebam, paſſim Chriſtianos aut occidens aut in vincula conijciens, aut in fugam compellés. Sumpta quippe metaphora ab hoſte regionem & agros depopulante. Talẽ enim ſe Paulus Chriſtianis exhibebat. Quanto autem ſtudio id fecerit, Lucas expoſuit Act. 9. Interim hîc nota, lector catholice, Si Paulus perſequi potuit eccleſiam Dei ac deuaſtare; quod & poſt eum fecerunt tam multi hoſtes eccleſiæ: vtique manifeſtam & conſpicuam eam eſſe oportere; quod hæretici dum negant, tenebras ſuas produnt.

14 ET PROFICIEBAM IN IVDAISMO SVPRA MVLTOS COÆTANEOS MEOS IN GENERE MEO. Id eſt, In Iudaiſmo ita proficiebam vt ſuperarem pleroſque meæ ætatis ſocios Iudæos, hos enim vocat genus ſuum; Cuius autem Paulus tunc ætatis fuerit, colligendum eſt, ex Act. 7 v. 57. & c. 9 v. 13.

ABVNDANTIVS ÆMVLATOR EXISTENS PATERNARVM MEARVM TRADITIONVM. Hoc eſt, quum vehementius ac maiorem in modum ſtudioſus eſſem ac zelator traditionum à patribus ſeu maioribus meis acceptarum. *Abundantius*, vel comparationem indicat Pauli cum coætaneis; vel ſine comparatione exceſſum ſignificat, vt interdum alibi in epiſtolis Paulinis; 2 Cor. 2 v. 4. Cæterùm *paternas ſuas traditiones* vocat aut inſtituta Moſaica patribus tradita, & ab ijs accepta; quorum abundantius æmulator fuit Paulus, quia voluit ea valere vltra tempus à Deo conſtitutum. Quo ſenſu patrias leges aliquoties nominant Machabæorum libri. Aut traditiones intelligit præter Moyſen à maioribus excogitatas. Harum enim, præ cæteris, ſtudioſi erant Phariſæi, quorum è numero Paulum fuiſſe ex Actis & epiſtolis eius conſtat. Aut denique totũ genus traditionum à maioribus acceptarum, comprehenſa etiam lege Moſaica. Qui generalis ſenſus magis placet; Nam generatim pro traditionibus & inſtitutis Iudaicæ gentis pugnabat Saulus.

15 QVVM AVTEM PLACVIT EI QVI ME SEGREGAVIT EX VTERO MATRIS MEÆ. Græcè, *placuit Deo*. Hîc iam docere aggreditur ſe euangelium ſuum non ab hominibus accepiſſe. Quod autem ait, *qui me ſegregauit* &c. ſecundum Aquinatem & Caietanum ſic intelligendum ad literam, Qui fecit me naſci ſecundum carnem ex vtero matris meæ. quã matrem fuiſſe nuncupatam Theocritam refert hoc loco Stapulenſis ex Zozymo papa. Nonnulli matrem Pauli, ſynagogam interpretantur, à cuius vtero ſegregatum ſe dicat, quando à Iudaiſmi tenebris ad lumen veræ fidei tranſlatus eſt. Rectiùs Hieronymus & Græci commentatores prædeſtinationem hîc exiſtimãt ſignificari; vt ſenſus ſit: Qui me iam inde ab ipſo natiuitatis meæ exordio prædeſtinauit, ac peculiariter ex hominum numero delegit. Tale quid enim ſibi vult ſegregandi vocabulum. Ad quid verò ſegregatum ſe dicat (neque enim nunc agit de ſui prædeſtinatione ad vitam æternam) intelligetur ex illis verbis, *vt reuelaret filium ſuum in me*. Sic enim & alibi, ſegregatum ſe dicit in euangelium Dei, Rom. 1. Quò reſpicit etiam illa vox Spiritus ſancti, *Segregate mihi Saulum & Barnabam ad opus ad quod aſſumſi eos*. Act. 13. Nam ſegregatio quæ ab hominibus fit in tempore, reſpondet illi quæ ab æterno facta eſt in mente diuina. Illud ergo, *ex vtero matris meæ*, temporis habet ſignificationem,

non rei

non rei à qua facta sit separatio; suntque similes scripturæ, psalmo 21, *In te proiectus sum ex vtero.* psalmo 57, *Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero.* & 70, *In te confirmatus sum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus.* Sensus enim est; Ex eo tempore quo natus sum. Porrò dicendo *ex vtero* &c. non negat apostolus ab æterno se prædestinatum siue ad gratiam fidei, siue ad prædicandum euangelium; sed hoc quod dicit, satis est ad significandum id quod passim inculcat, nullis suis meritis electum se esse à Deo, sed gratuita eius bonitate. Generaliter autem notandum, quod scriptura volens significare prædestinationem, electionem, præceptum Dei æternum siue ab æterno, non semper æternitatem nominat; sed interdum alia quædam temporis principia nominando, nihilominus æternitatem insinuat. Modò enim dicit ab æterno; modò, antequam mundus fieret; aliàs, ab origine seu constitutione mundi; quandoque nominat formationem hominis in vtero materno, quandoque natiuitatem siue egressum ex vtero. Et quidem Hieronymus loco eius quod hîc dicitur, *ex vtero*, in epistola 15 ad Marcellam, dicit, ante constitutionem mundi Paulum separatum in euangelium Christi. Quę tamen locutiones omnes idem volunt; scilicet, Inde ab initio Deum quippiam decreuisse. siquidem nominando principia hominibus nota, vt conceptum, natiuitatem &c. non vult excludere, sed magis intelligendum relinquere principium illud sine principio, quod est immensa & incomprehensibilis æternitas. Vide annot. nostras, Ecclesiastici 1. & 49. Ierem. 1. Matth. 25. Tit. 1.

Planè gratuita & æterna est Dei prædestinatio.

ET VOCAVIT PER GRATIAM SVAM, *Vocatio* fit in tempore, estque *per gratiam Dei* efficax ad eam rem ad quã quis ab æterno prædestinatus est. Videtur autem loqui de tempore conuersionis suę.

16 VT REVELARET FILIVM SVVM IN ME, *Vt reuelaret*, Græcè infinitiuus est ἀποκαλύψαι *reuelare*, id est, ad reuelandum: dependet autem ab vtroque verbo præcedenti, *Segregauit & vocauit*: Sensus enim est, Deum ab æterno prædestinasse & in tempore vocasse Paulum vt filium suum in ipso reuelaret; id est, iuxta quorundam expositionem, vt ipsi Paulo Christum filium suum, quem antea persequebatur, notum faceret inspiratione fidei & cognitionis mysteriorum ad fidem Christi pertinentium. Alijs magis placet, *in me* pro eo, quod est per me, positum esse; quæ frequens est apud apostolum prępositionis *in* acceptio. Sic ergo sensus erit; Vt per me, tanquam apostolum & præconem, filium suum fideique eius mysteria manifesta mundo faceret. Qui sensus tam superioribus vbi dixit *se segregatum*, videlicet ad apostolicum munus, vti iam expositum est; quàm ijs quæ proximè sequuntur, apprimè congruit.

VT EVANGELIZAREM ILLVM IN GENTIBVS: Hæc pars non est copulanda cum proximè præcedenti, quod alioqui videri potest, si solum textum Latinum quis inspiciat; sed referenda est ad initium illud sententiæ, *Cum autem placuit.* Est enim totus locus sic ordinandus; Postquam Deo, qui olim me segregauit & postea per gratiam suam vocauit ad hoc vt filium suum per me reuelaret, visum est vt hoc ad quod ab eo segregatus & vocatus eram, facto exequerer, id est, vt filium eius prædicarem apud gentes: *continuò* &c. Constructionem hanc Græca non modò permittunt, verùm etiam, attentius considerata, prorsus exigere mihi videntur; fauetque ei textus Ambrosiani commentarij.

CONTINVO NON ACQVIEVI CARNI ET SANGVINI; Hieronymus affirmat melius ex Græco verti, *Non contuli cum carne & sanguine.* Sed & noster interpres eo modo vertit proximo capite, *Mihi qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt*; tametsi de eo loco videbimus in eius expositione: vbi & Hier. vim verbi Græci plenius exponit. Tertullianus quoque partẽ hãc ita expressit lib. de resurrectione carnis cap. 50. *Statim non retuli ad carnem & sanguinem.* Caro & sanguis, familiari scripturę locutione, periphrasis est hominis mortalis, & qui tantùm homo sit, vt Matth. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi*, id est, nullus hominum. Eph. 6 *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem*; id est, aduersus homines. Item Heb. 2. *quia pueri communicauerunt carni & sanguini*; id est, quia homines erant mortales; *& ipse quoque filius Dei participauit eisdem*, id est, naturam hominum assumsit. Sic igitur carnem & sanguinem accipi hoc loco existimat Chrysostomus & post eum cæteri Græci interpretes; vt sit sensus: Simul atque Deo placuit per me prædicari euangelium in gentibus; non communicaui negocium prædicationis cum quoquam mortalium; nempe idcirco, vt idem Chrysostomus alijque exponunt, quòd euangelium per reuelationem Iesu Christi acceptum, cum hominibus, tametsi Christi apostolis, tanquam dubium & ab eis aut corrigendum aut supplendum, communicare; res indigna & absurda videretur. Nam ex reuelatione certus erat de sui euangelij veritate & plenitudine. Vel certè, ideo non contulit, ne videretur ab hominibus aut per hominem accepisse euangelium; & per hoc inferior cæteris apostolis putaretur. Fatetur Hieronymus hunc intellectum carnis & sanguinis, à plerisque tradi; sed minimè probat, tũ quòd arrogantiam sonet, Paulum post reuelationem Christi non fuisse dignatum ire ad homines & cum eis conferre sermonẽ; quod & Porphyrius aduersus Paulum obiecit; tũ quia Petrum, Ioannem & Iacobum carnem & sanguinem putare, quę secundum apostolum 1 Cor. 15. regnum Dei possidere non possunt; intolerabile est. Itaque nomine

Caro & sanguis qua hic intelligãtur.

carnis

carnis & ſanguinis carnales homines intelligi vult; & hunc ſenſum facit: Non contuli euangelium meum cum Iudæis aut alijs hominibus carni deditis. Verùm hic ſenſus loco non admodum quadrat; Nulla enim ratio eſſe poterat vt cum carnalibus & incredulis hominibus, quales erant Iudæi de ſuo euangelio communicationem inſtitueret; Neque id quiſquam alius facere tenebatur. Nam communicatio cum peritis & intelligentibus fieri debet; non cum hominibus iudicio corruptis. Neque mouere nos debet obiectio Porphyriana; non enim arrogantiæ tribuendum, ſed apoſtolicæ conſtantiæ, quòd qui doctrinam ſuam ex diuina reuelatione certam & indubitatam habebat, noluerit eam velut dubiam, humano ſubijcere examini. quod viſus fuiſſet facere, ſi ſtatim ab initio cum hominibus contuliſſet. Quo autem ſenſu, citra præiudicium prioris expoſitionis quæ nobis vera ac germana videtur, dictum ſit alibi, carnem & ſanguinem regnum Dei poſſidere non poſſe; ſuo loco à nobis explicatum eſt. Iam illud, *continuò* Chryſoſtomus ſic accipit, vt ſignificari putet apoſtolum ſtatim quidem à ſua vocatione non communicaſſe cum hominibus euangelium ſibi reuelatum; ſed tamen id eum poſtea feciſſe, non quaſi de incerto, ſed ne in vacuum curreret, poſteaquam euangelium eius ab obtrectatoribus cœpit in dubium reuocari; ſi ne tunc quidem cum apoſtolis de eo conferre voluiſſet: quemadmodum ipſe declarat cap. ſequenti.

17 NEQVE VENI IEROSOLYMAM AD ANTECESSORES MEOS APOSTOLOS. Græcè, *Neque redij in Ieroſolymam ad eos qui ante me apoſtolos*. A genere deſcendit ad ſpeciem; q. d. ne quidem cum apoſtolis contuli qui Ieroſolymis erant, & ante me apoſtoli fuerunt, vtpotè à Chriſto in terris agente ad apoſtolatum vocati. Huc quoque referendum præcedens aduerbium, *continuò*; Nam poſtea Ieroſolymam venit & cum apoſtolis contulit, ſcilicet poſt 14 annos, vt habetur infrà.

SED ABII IN ARABIAM, ſcilicet è Damaſco, vbi ſtatim à conuerſione mea baptizatus eram. Quid in Arabia Paulus egerit, traditum non habemus, neque curiosè quærendum eſt; niſi quod cum Chryſoſtomo libenter arbitramur, eum præclara quædam, quæ ſcripta non ſunt, ibi præſtitiſſe. Significat autem illuc ſe profectum vbi nemo erat à quo doceretur.

ET ITERVM REVERSVS SVM DAMASCVM. Quanto tempore in Arabia hæſerit, æquè incertum; tametſi triennij tempus partim in Arabia, partim Damaſci eum exegiſſe, ſatis ex verbis ſequentibus intelligitur.

18 DEINDE POST ANNOS TRES VENI IEROSOLYMAM VIDERE PETRVM; *Veni*, Græcè *redij*; & pro *videre*, in Græco eſt ἱστορῆσαι, quod non eſt quomodocunque videre, ſed quomodo ſpectare aut inuiſere ſolemus res aut perſonas in quibus ob excellentiam multa digna ſunt cognitu. Significat enim apoſtolus ſe Ieroſolymam redijſſe viſendi Petri gratia, non vt cũ eo ſuum euangelium cõferret, aut diſceret ab eo aliquid; ſed ſtudio cognoſcendi propius tantum virum, quẽ Chriſtus & apoſtolorum principem & eccleſię ſuę paſtorem conſtituiſſet, alijſque multis prærogatiuis ornaſſet; quique propterea ſummi nominis erat apud Chriſtianos. Sic autem velle videre, honorare erat; vt ne quis ſuſpicaretur Petrum à Paulo contemptum, aut minoris quàm oportuit, æſtimatum. Atque hanc rem diligenter explicant commentatores tã Græci quàm Latini. Cæterùm tres anni quos memorat, ab ipſius conuerſione ſupputandi sũt; ſicut & illi quatuordecim, quorum infrà meminit, vt ibi docebimus.

ET MANSI APVD EVM DIEBVS QVINDECIM. Id eſt, non amplius diebus 15. Quod vtique ſpacium temporis addiſcendo euangelio, quod alijs prædicandum eſſet, haudquaquam ſufficere poterat. Huius numeri 15 dierum myſticam ſignificationem ſi quis requirat; conſulat Hieronymi & Thomæ commentarios: legatque eundem Hieronymum in epiſtola ad Paulinum, atque eiuſdem titulo ſecundam expoſitionem ſuper pſal. 119. Porrò tota narratio hęc apoſtoli eò ſpectat vt doceat quod initio aſſumſit, *ſe neque ab hominibus neque per hominem*, ne per apoſtolum quidẽ, atque ipſum apoſtolorum principem Petrum accepiſſe ſuum euangelium; ſed ſine hominis interuentu ex fonte diuinæ reuelationis illud hauſiſſe. q.d. Triennium iam euangelium Chriſti prædicaueram magna cũ fiducia, partim in Arabia, partim Damaſci, nec interea quenquam apoſtolorũ conueni. Et quidem poſtea Petrum adij, ſed tantùm honoris cauſa; vt viderem, non vt diſcerem; quod ſatis arguit breuitas temporis quo apud eum manſi. Cùm hic abſque dubio ſit ſenſus & intentio Pauli; conſequẽs eſt Hieronymum in memorata ad Paulinũ epiſtola, cùm dicit futurum gentium præceptorẽ myſtico dierum numero quo apud Petrũ manſit, inſtruendum fuiſſe; locum hunc detorſiſſe nonnihil ad inſtitutum ſuum, dũ congerit exempla quibus doceat ſcripturam ſacram non ſine magiſtro diſcẽdam. Verus ſenſus ex ipſius Hieronymi commentario potius petendus, vbi diſertè ſcribit, Paulũ non diſcendi ſtudio Petrum adijſſe, ſed cauſa honoris priori apoſtolo deferendi; ac propterea quindecim dies ponere, vt oſtendat nõ fuiſſe grande tempus, quo potuerit aliquid à Petro diſcere. *Vt ad illum*, inquit, *ſenſum à quo cœpit, cuncta referantur; ſe non ab homine doctum eſſe, ſed à Deo*. Quæritur autem quomodo conſentiat hæc Pauli narratio cum hiſtoria quam de eo

Quò ſpectet tota hac apoſtoli narratio.

ſcribit Lucas Act. 9 vbi, nulla Arabiæ mentione facta, refert eum non poſt triennium, ſed poſt dies multos à conuerſione, Damaſco, fugientem Iudæorum inſidias, redijſſe Ieroſolymam. Sed facilis eſt reſponſio, Lucam ſicut multa alia Pauli geſta, ſic & hanc eius in Arabiam profectionem prætermiſiſſe. Res autē ita ſe habere videtur; Paulum mox à conuerſione & baptiſmo diſceſſiſſe in Arabiam; idque fortè ex conſilio fidelium qui Damaſci erant; inde non multo pòſt reuerſum, ea Damaſci egiſſe quæ Lucas commemorat ab eo loco; *Et continuò ingreſſus in ſynagogas, prædicabat Ieſum* &c. Deinde ſtructas ei inſidias à Iudæis Damaſci morātibus; quas cùm fugeret, Ieroſolymam redijſſe, nimirum poſt tres annos ſuę conuerſionis. Quod tempus à Luca ſignificatum putamus illis verbis, *Cùm autem implerentur dies multi*, familiare enim ſcripturæ eſt, dies ponere & pro tempore quod ex annis conſtat. Hæc concordia probatur Hieronymo; eſtque ſanè probabilius Pauli fugam accidiſſe in ſecundo diſceſſu è Damaſco, quàm vt alij quidam volunt, in primo; quia ratio non ſuadet, vt vnde clanculum & cum periculo ob Iudæorum inſidias receſſerat, eò rurſus ac non multo pòſt, palam in Iudæorum ſynagogas euangelium prædicaturus, accederet.

19 ALIVM AVTEM APOSTOLORVM VIDI NEMINEM, NISI IACOBVM FRATREM DOMINI. Ne quis arbitretur, quamuis non à Petro, tamen ab alio quopiam apoſtolorum Chriſti inſtitutum fuiſſe Paulum ad euangelizandum; remouet hoc quoque, negans ſe quenquam alium ex apoſtolis vidiſſe, niſi Iacobum fratrem Domini; atque hunc vidiſſe tantum, non ab eo edoctum. Vbi ſciendum inprimis, apoſtolum loqui de eo tempore quo, poſt tres annos ſupradictos, Ieroſolymam reuerſus eſt; vt ſupplendum ſit, *Et tunc alium apoſtolorum neminem vidi* &c. Nam poſtea plures ex apoſtolis eum vidiſſe, cum ex Actis apoſtolorū tum ex proximo capite huius epiſtolæ manifeſtum eſt. Verùm id longè pòſt, ſcilicet poſt annos 14. quando iam multis annis Chriſtum gentibus prædicauerat. Quod ergo legitur Act. 9 Paulum quando primum à conuerſione Ieroſolymam venit, à Barnaba ductum fuiſſe ad apoſtolos, id de ſanctis Petro & Iacobo intelligendum eſt. Iam in eo quod ait, *niſi Iacobum fratrem Domini*; ſi particula, *niſi* propriè, id eſt exceptiuè ſumatur; planè ſequetur ex hoc loco, Iacobum fratrem Domini fuiſſe apoſtolum. At ſi ſumatur impropriè, id eſt, aduerſatiuè, quomodo non infrequenter accipitur in ſacris literis; non ſequetur. quemadmodum ex eo quod dicit Dominus Ioan. 17, *Quos dediſti mihi nemo ex ijs perijt, niſi filius perditionis*; non eſt conſequens, filium perditionis datū fuiſſe Chriſto à Patre. Quanquam nulla ratio eſt cur hoc loco placeat impropria locutio; cùm nemo ſit qui neget Iacobum fratrem Domini fuiſſe apoſtolum; etiamſi reſtringas ad eos qui Dominum in carne viderant, & cum eo fuerant conuerſati. Sed illud à nonnullis in dubium reuocatur, fuerítne vnus ex duodecim. Quidam enim tres faciunt Iacobos apoſtolos; ſcilicet filium Zebedæi qui idem frater Ioannis; & alterum, Alphæi filium; ac tertium, fratrem Domini, quem extra numerum duodecim apoſtolorum conſtituunt; exiſtimantes eum idcirco tantùm vocari apoſtolum, quia quotquot Chriſtum in carne conſpectum poſtea prædicabant, generali nomine apoſtoli vocabantur. Tertium autem hunc affirmant Ieroſolymorum epiſcopum fuiſſe; qui & Iuſtus ob inſignem vitæ ſanctitatem, quam Hegeſippus & Ioſephus commemorant, fuerit cognominatus. Ita ſentiūt Epiphanius hęreſi 79, Dorotheus in ſynopſi, Nicephorus lib. 2 hiſt. eccleſiaſticæ cap. 40. & alij, quos citat huius ſententiæ propugnator Carolus Bonius in ſcolijs ſuis ad libri ſecundi conſtitutionum apoſtolicarum Clementis caput 59. Turrianus ſuper lib. 6 conſtitutionum apoſtolicarum Clementis caput 12 & 14, & Eraſmus in annotationibus. Quin & Hieronymus in huius loci commentario, nec non ſcribens in cap. 17 Iſaiæ ad hanc opinionē non obſcurè videtur accedere; tametſi in libro contra Heluidium anteà ſcripto, tantum duos fuiſſe Iacobos apoſtolos affirmaſſet; eos nimirum ſolos quos euangeliſtę inter duodecim recenſent. Quæ quidem ſententia veriſſima eſt. Nam Iacobus ille qui ab euangeliſtis inter fratres Domini numeratur, & à Marco c. 15 Iacobus Minor dicitur, nequaquam alius eſt ab eo quem in catalogo apoſtolorum euangeliſtę vocant Iacobum Alphęi; cuius etiam ſe fratrem Iudas apoſtolus ſcribit; vt dubitandum non ſit, æque Iacobū fratrem Domini, atque Iudam fratrem Iacobi, apoſtolos fuiſſe ex numero duodecim. Etenim Euſebius eccleſiaſticę hiſtoriæ probatiſſimus ſcriptor lib. 2 cap. 1 ex Clemente Alexandrino duos tantùm hoc nomine apoſtolos commemorat; vnum cognomento Iuſtum, Ieroſolymis è templi faſtigio præcipitatum; & alterum gladio cæſum ab Herode. Sed & Martyrologia omnium eccleſiarum occidentalium non plures duobus Iacobos apoſtolos agnoſcunt, eoſdemque inter duodecim conſcriptos. Tertius, vbi, quando, & quomodo paſſus hiſtoria nulla prodit. Neque verò Paulus ſequenti capite Iacobum fratrem Domini cum eis qui erant columnæ Petro & Ioanne, & quidem primo loco nominaret; niſi perinde vt illi, fuiſſet ex apoſtolis illis primarijs à Chriſto deſignatis. Quod etiam ſatis arguit frequens eius & honorabilis mentio in Actis apoſtolorum; maximeque illud quòd Act. 15 ſecundus à Petro ſententiam dixit in apoſtolorum concilio. Porrò qui diuerſum ſentiunt, opinionem ſuam hauſiſſe videntur ex lib. 1 recognitionum Clementis. Ad cuius argumenti refutationem

An Iacobus frater Domini fuerit apoſtolus ex duodecim.

Fuiſſe ex numero duodecim.

ſatis

satis est, si dicamus illius operis, vtpote apocryphi, falsoque titulo donati, nullam esse authoritatem. Quod idem sentimus de libris constitutionum apostolicarum; tametsi locus ex ijs proferri solitus non vrgeat. De qua re tota vide Cardinalem Baronium tomo 1. Annalium ecclesiasticorum ad annum Christi 44. & Ioannem Molanum De historia sanctarum imaginum lib. 4 cap. 28. Qua autem ratione frater Domini dictus sit hic apostolus, eruditè explicat Hieronymus lib. contra Heluidium, ostendens id procedere ex Hebræa consuetudine, qua fratres dicebantur, non solùm qui eodem essent patre aut matre geniti, sed & qui remotiori gradu consanguinitatis ex latere distarent ab inuicem. Qualis vtique fraternitas interesset inter Dominum & Iacobum, vt qui fuerit filius Marię cuiusdam diuersæ à matre Domini; sicut ex euangelijs manifestum est, Matth. 27. Marci 15. & 16. Lucæ 24. Vide etiam quæ diximus ad illud 1. Cor. 9. v. 5. *Et fratres Domini*. Quare quod Hieronymus in huius loci commentario significat Iacobum Domini fratrem appellatum honoris gratia, nimirum vt ait, propter egregios mores & incomparabilem fidem, sapiẽtiamque non modicam; id ita putamus accipiendum, propter has causas Iacobum, cum reuera secundum carnem esset frater Domini, etiam à fidelibus peculiariter ac præ alijs Christi Domini consanguineis, fuisse tam insigni appellatione honoratum. Neque enim Hieronymus ea quæ aduersus Heluidium disseruerat, in hoc commentario retractat; sed allegat, & approbat, dumtaxat alia quædam nonnihil diuersa adijciens.

20 QVÆ AVTEM SCRIBO VOBIS, ECCE CORAM DEO, QVIA NON MENTIOR. Iuratio est, teste etiam Augustino in hunc locum. Nam quia singula quæ dixerat, probare non poterat aut testibus aut certa ratione; ne ficta putarentur, iuramento confirmat. Quod referendum est ad superiora, ab eo loco, *Cum autem placuit ei* &c. tametsi pariter etiam ad subsequentia narrationis apostolicæ, quæ protenditur vltra medium sequentis capitis, referri potest. Certè ad totam narrationem ab Augustino refertur in epistola 19 ad Hieronymum scripta. Est autem Hebraica iurandi forma, in illis verbis, *Ecce coram Deo*, subaudi dico. Nam ordo verborum talis est, Ecce autem coram Deo dico & declaro, quia non mentior quæ vobis scribo. q. d. Deum, vt præsentem & omnia videntem, testem adduco, quod nihil horum confinxerim.

Iusiurandum apostoli.

21 DEINDE VENI IN PARTES SYRIÆ ET CILICIÆ. Id est, Post quindecim dies quibus mansi Ierosolymę, reliqui Iudæam ac discessi in regiones Syriæ & Ciliciæ. Per hoc rursus significat, se ab apostolorum, qui in Iudęa agebant, conuersatione quotidiana qua ab illis instrui potuisset, procul abfuisse. Hoc ipsum Lucas Acto. 9 breuiter ita perstringit, *Et deduxerunt eum fratres Cæsaream; & dimiserunt Tharsum*. Hæc enim vrbs erat Ciliciæ, Pauli patria; quemadmodum ipse testatur Act. 22. Quo etiam loco refert se diuinitus admonitum, vt exiret velociter ex Ierusalem.

22 ERAM AVTEM IGNOTVS FACIE ECCLESIIS IVDEÆ QVÆ ERANT IN CHRISTO: Hoc quoque eodem pertinet, quò præcedentia. *Tam breue tempus*, inquit Hieronymus, *se in Iudæa feciße confirmat, vt etiam vultu credentibus esset ignotus. Ex quo ostendit non Petrum, non Iacobum, non Ioannem se habuisse doctores; sed Christum, qui sibi euangelium reuelasset*. Hæc ille. Per *ecclesias Iudeæ quæ erant in Christo*, significantur ecclesiæ Christianæ quę in Iudeæ locis erant, & solis constabant Iudęis aut proselytis. Vbi animaduertit Augustinus, Iudæos in Christum credentes non tam paucos fuisse vt ecclesijs gentium miscerentur; sed tam multos, vt ex illis ecclesię fierent. Quod non mirum; quia paucis adhuc gentilibus prædicatum erat euangelium, vt ex Actorum historia perspicuum est.

23 TANTVM AVTEM AVDITVM HABEBANT. Græcè, *audientes erant*; Amb. *audiebant*; rectius, *audierant*, id est, auditu & fama cognouerant, rumor huiusmodi ferebatur ad eos, à dicentibus.

QVONIAM QVI PERSEQVEBATVR NOS ALIQVANDO, NVNC EVANGELIZAT FIDEM, QVAM ALIQVANDO EXPVGNABAT. Id est, *vastabat*, quomodo legit Augustinus. Est enim in Græco idem verbum quod superius, vbi dicitur, *& expugnabam illam*. Quod ibi de ecclesia dictum, hîc de fide. Vastabat autem & expugnabat fidem, quia Christi fidelibus fidem extorquere persequendo nitebatur.

24 ET IN ME CLARIFICABANT DEVM. Græcè, *glorificabant*. *In me*, dixit pro eo quod est, *de me*. Sensus, vel *propter me*. Gloriam meæ conuersionis Deo tribuebant. Notanda fidelium vetus consuetudo, qui visa vel audita alicuius hominis ad fidem conuersione, statim agnoscebant opus Dei, ac Deũ in suo opere laudabant. Sic Act. 11. *Et glorificauerunt Deum, dicentes; Ergo & gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam*. Sic Christianus populus didicerat; ait Prosper de vocat. gent. lib. 1. cap. 7. Porrò testimonium hoc ecclesiarum Iudeę de Paulo, summopere valebat ad commendandam & stabiliendam eius doctrinam; propter quam causam obiter hîc illud inserere voluit.

Laus & gratiarũ actio Deo exhibẽda in cõuersione peccatorum.

SVMMARIVM.

EXponit quare cum apostolis euangelium suum contulerit; Item, quomodo Petrum exemplo cogentem gentes Iudaizare, reprehenderit. Non iustificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi.

CAPVT II.

1 DEINDE POST ANNOS QVATVORDECIM, ITERVM ASCENDI IEROSOLYMAM CVM BARNABA. Describitur hæc profectio eiusque causa, Act. 15. De illa namque Paulum hîc loqui, quamuis Chrysostomus & alij nonnulli negent, Hieronymus dubitet; plurium tamen interpretum est, & maximè probabilis, sententia, quam bonis argumentis præterea asserunt Card. Baronius annalium suorũ tomo 1 ad annũ Domini 51. & Benedictus Pererius in Disputatione prolegomena priore super epistolam ad Rom. Fuit autem hæc tertia Pauli post conuersionem Ierosolymitana profectio; Nam de secunda, sic meminit Lucas, Actor. 12. *Barnabas autem & Saulus reuersi sunt ab Ierosolymis, expleto ministerio*, cuius nimirum gratia fuerant profecti. Verùm hãc profectionem apostolus in præsenti narratione prætermittit, quòd illam non ob aliud suscepissẽt, quàm vt eleemosynam ab ecclesijs collectam, vnà cum Barnaba Ierosolymam perferret. Id enim est quod Lucas vocat *ministerium*. Sed eius rei commemoratio non pertinebat ad rem præsentem. Porrò *quatuordecim annos* dicit, non à triennio post suam conuersionem, quando, sicut dictum est superius, Petrum Ierosolymis vidit; vt iam sint à conuersione septemdecim anni; quemadmodum intellexit Hieronymus, & alij quidam eum secuti: sed quatuordecim ab ipsa conuersione. Sic enim Beda super Act. 15, & author ordinariæ glossæ huius loci, necnon Aquinas & Caietanus in commentarijs, non modo sentiunt, sed etiam probant. Denique accuratè demonstrant authores memorati Baronius & Pererius. Hîc obseruandũ est apostolum Paulum non priùs quàm mota à quibusdam esset dubitatio de doctrinę suæ veritate ac sinceritate, Ierosolymam ascẽdisse conferendi cum apostolis euangelij sui gratia. Id enim palam ostendit locus Actorum, vbi sic legitur: *Et quidam descendentes de Iudæa, docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis saluari. Facta ergo seditione & disceptatione non minima Paulo & Barnabæ aduersus illos, statuerunt vt ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex alijs, ad apostolos & presbyteros in Ierusalẽ super hac quæstione.* Hæc ibi. Ex quibus etiam liquet quare vnà cum Paulo ascenderit Barnabas; erat enim is Paulo socius euangelij & doctrinæ, quam gentibus prædicabant. Obseruandum est, Paulum post conuersionẽ quinquies ascendisse Ierosolymam, quod quidem ex scripturis doceri possit. Act 9. Iterum c. 12. Item 15. deinde c. 18. licet ibi non expressè dicatur; satis tamen probatur partim ex Græco codice, partim ex versibus 20. 21. 22. Postremò, Actorum 21.

ASSVMPTO ET TITO. Huius in Actis nulla mentio est; quia ad eius loci narrationem nihil attinebat eum nominari: Hîc verò plurimum attinet. Sensus enim est: Ausus sum etiam Titum assumere, quamuis gentilis esset & incircũcisus. Tanta mihi fuit ad apostolos proficiscenti, causæ meæ fiducia, vt non dubitauerim illuc adducere mecum hominem incircumcisum, non solùm comitem itineris, verùm etiam euangelij prædicandi socium; licet frementibus aduersum me fratribus, qui circumcisionem necessariam prædicabant.

2 ASCENDI AVTEM SECVNDVM REVELATIONEM. Id est, monitus reuelatione diuina. Hinc colligunt quidam profectionem hanc diuersam fuisse ab ea quæ describitur Act. 15, quòd illic non ex diuina reuelatione, sed humano consilio ac decreto profecti Ierosolymam dicantur Paulus & Barnabas cum cæteris. Verùm nulla repugnantia est; potuit enim fieri vt Paulus speciali reuelatione moneretur idem illud facere, quod homines faciendum statuebant, quemadmodum legimus Act. 10 Petrum diuinitus monitum, vt iret cum quibusdam, à quibus tamen ad hoc ipsum quærebatur. Quod autem nonnulli hîc non nouam apostolo factam putant reuelationẽ, sed ascendisse eum interpretantur secundum reuelationem dudum acceptam, scilicet eam qua didicerat euãgelium à Christo, de qua superiori capite; non placet. Nam illa reuelatio generalis erat de euangelio ac gentium vocatione; hîc autem apostolus, vt factis suis authoritatem conciliet, specialem vrget reuelationem qua iussus fuerit ob controuersiam tunc excitatam petere Ierosolymam.

ET CONTVLI CVM ILLIS EVANGELIVM QVOD PRÆDICO IN GENTIBVS. Augustinus legit: *Et exposui illis.* Sed intellige, more conferentis. Id enim vult, etiam Hieronymo teste, quod in Græco est, ἀνεθέμην αὐτοῖς. Nam sensus est: Communicaui cum illis qui Ierosolymis erant, de euangelio quod prædico inter gentes, deque tota ratione doctrinæ meæ quam tradidi & etiam nunc trado gentibus, quarum sum apostolus. Non itaque discendi studio, quod supra negauit, euangelium suum nunc demum cum ecclesia Ierosolymitana confert; sed vt omnes intelligerent eum nihil ab illa diuersum docere; cuius rei calumniam patiebatur propter legem & circumcisionem, à cuius onere gentes vindicabat. Contulit ergo cum alijs, non vt inferior, sed vt in munere prædicandi

euange-

euangelij, æqualis. Nam inter conferentes, ait Hieronymus, æqualitas eſt; inter docentem & diſcentem minor eſt ille qui diſcit.

SEORSVM AVTEM IIS QVI VIDEBANTVR ALIQVID ESSE. Hæ duæ voculæ, *aliquid eſſe*, in multis codicibus mss. non leguntur; vt nec apud Hieronymum. Auguſtinus etiam abſque ijs locum hunc citat lib. 2 quæſt. euang. c. 40 & alibi; ſed nec in commentario eas legit, ſecundum exemplaria correctiora. Denique Græci codices non addunt, dumtaxat hoc loco, nam infrà nobiſcum legunt, *Ab ijs autem qui videbantur eſſe aliquid.* Qui locus, vt huc quoque aſſcriberentur, occaſionē dedit, tametſi ad ſenſum vix quicquam videtur intereſſe; ſunt enim apoſtolo ijdem hoc cap. *qui videbantur*, &, *qui videbantur eſſe aliquid*, &, *qui videbantur columnæ eſſe*; niſi quod hoc poſtremum plus aliquid ſonat, vt infrà videbitur. Etenim Græcis δοκοῦντες dicuntur qui in precio habentur, & magnæ ſunt exiſtimationis. Significat autem imprimis Petrum, Iacobum & Ioānem, quos poſtea nominat. hi namque apud fideles, præcipuæ erant authoritatis, nec immeritò: Siquidem eoſdem Paulus 2 Cor. 11 & 12. magnos, & ſupra modum apoſtolos, vocat. Senſus igitur eſt: Contuli cum fratribus qui erāt Ieroſolymis euangelium meum, idque palam & publicè; ſeorſum autem ac priuatim illud contuli cum primarijs apoſtolis. Iuxta hunc ſenſum, apparet Paulum cum apoſtolis aliquid priuata collatione egiſſe, quod cum cæteris non egerit in conuentu publico. Nam publicè quidem ita contulit, vt oſtenderet gentes non debere circumcidi, & ſeruare legem Moyſi: vnde nata erat quæſtio; quemadmodum patet Act. 15. Priuato autem & ſecreto colloquio cum apoſtolis habito, placuit ipſos quoque Iudæos ab obſeruantia Moſaicæ legis, vtpote iam extinctæ & mortuæ per Chriſtum, eſſe liberandos; quod publicè declarari nondum oportebat, ne Iudæi fideles, qui legem Moſaicam mordicùs ſibi retinendam putabant, offenderentur, atque à fide Chriſti reſilirent. Sic enim Iacobus Act. 21 Paulum alloquitur, *Vides frater quot milia ſunt in Iudæis qui crediderunt; & omnes æmulatores ſunt legis* &c. Porrò vtramque partem totius ſententiæ ad eoſdem referunt, nimirum ad ſolos apoſtolos, Caietanus & alij quidam, vt poſterior pars explicatio ſit prioris. *Contuli cum apoſtolis euangelium meum; cum ijs, inquam, qui præcipui nominis erant apud fideles; idq; priuatim feci; ne fortè* &c. Nobis prior ſenſus & plenior, & commodior eſſe videtur.

NE FORTE IN VACVVM CVRREREM AVT CVCVRRISSEM. *Ne fortè*, Græcè, *ne quo modo*. Senſus eſt, euangelium meum cum illis contuli, non vt diſcerem quod prius neſciebam, aut quaſi cauſæ meæ parum fiderem; ſed ne ſine fructu prædicarem euangelium, aut hactenus prædicaſſem; dum ſcilicet à falſis fratribus paſſim traducor apud eos quibus hactenus prædicaui, & quibus adhuc prædico tanquam diuerſam & diſſonantem à cæteris apoſtolis doctrinā euulgans. Opus euangelicę prædicationis *curſum ſuum* vocat, quòd in eo obeundo & exequendo ſumma cum alacritate & diligentia verſaretur, ita 1 Cor. 9, *Sic curro, non quaſi in incertum*, & 2 Tim. 4 *curſum conſummaui*. Oſtendit autem hic locus, quàm ſit neceſſarium, doctrinam etiam bonam & diuinitus acceptam, communicari cum ijs qui præſunt eccleſiæ, vt ab illis examinata & approbata cum fructu prædicari, cumque ſecuritate & certitudine poſſit à fidelibus ſuſcipi. Vnde Hieronymus epiſtola 89 ad Auguſtinum cap. 2 affirmat Paulum hoc loco ſignificare, ſe non habuiſſe ſecuritatem prædicandi euangelij, niſi Petri & cæterorum apoſtolorum, qui cum eo erant, fuiſſet ſententia roboratum. Et Auguſtinus lib. 28 contra Fauſtum cap. 4, *Ipſe Paulus apoſtolus*, inquit, *poſt aſcenſionem Domini de cælo vocatus, ſi non inueniret in carne apoſtolos, quibus communicando & cum quibus conferendo euangelium, eiuſdem ſocietatis eſſe appareret; eccleſia illi omnino non crederet. Sed cum cognouiſſet eum hoc annunciantem quod etiam illi annunciabant, & in eorum communione atque vnitate viuentem; accedentibus etiam per eum talibus ſignis, qualia & illi operabantur; ita eum Domino commendante, meruit authoritatem, vt verba illius hodie ſic audiantur in eccleſia, tanquam in illo Chriſtus, ſicut ipſe veriſſimè dixit, locutus audiatur*, Hæc Auguſtinus. Quæ verba bene notanda contra nouos magiſtros, qui pro verbo Dei non verentur orbi Chriſtiano doctrinas ſuas obtrudere; nec priùs cum eccleſiæ præfectis communicatas, nedum ab illis approbatas, nec vllo miraculo confirmatas. Similis locus eſt apud eundem Aug. lib. 2. qq. euang. c. 40.

3 SED NEQVE TITVS QVI MECVM ERAT, CVM ESSET GENTILIS COMPVLSVS EST CIRCVMCIDI. Græcè, *cum eſſet Græcus*; ſed apoſtolus *Græcum* dixit pro *gentili*, ſicut alibi, quoties Græcum opponit Iudęo; vt Rom. 1, 2 & 3. capite. Senſus & connexio huiuſmodi eſt. Quòd ſi apoſtoli cum quibus euangelium contuli quod in gentibus prædico, ſenſiſſent obſeruationem Moſaicæ legis, cuius præcipua pars eſt circumciſio, neceſſariam eſſe Chriſtianis: vtique Titum gentilem, quem mecum aſſumſeram, iuſſiſſent circumcidi, preſertim inſtantibus Iudæis vt id fieret. Atqui factum id non eſt.

4 SED PROPTER SVBINTRODVCTOS FALSOS FRATRES. Nonnulli codices particulam *ſed*, pro qua in Greco & apud Ambroſianum eſt, *autem*, omittunt; quā Hieronymus quoq; redundare putat; & Eraſmus Hieronymi authoritatem ſecutus in ſua verſione ſuppreſſit, quòd ſenſus apoſtoli videatur clarior ea re-

mota. q. d. Titum comitem ſuum qui gentilis erat, non fuiſſe coactum circumcidi propter falſos fratres; id eſt, quamuis falſi fratres odiosè inſtarent vt gentiles Chriſto aſſcripti, circumciderentur; quemadmodum docet locus Act. 15. Verùm lectio noſtra, cùm ſit apud omnes Pauli interpretes tam Græcos quàm Latinos, non temerè eſt immutanda. Quod demum intelligens Eraſmus in paraphraſi eam ſibi retinendã & explicandã putauit. Sed de ſenſu mox videbimus; pẽdet enim à ſequẽtibus. Porrò, *ſubintroductos*, ſiue *ſubinductitios*, aut vt eſt apud Tertullianũ lib. 5 cõtra Marcionem cap. 3 *ſuperinductitios* (nam in Græco nomen eſt, non participium παρεισάκτους) eos intelligit apoſtolus, qui, quum lateret quales eſſent, obiter ac furtim exploratorum more fuerant introducti aut ingreſſi in eccleſiam. Sumitur enim ferè dictio Græca in malã partem, eiuſque vim diligenter explicat Chryſoſtomus. Eiſque idem iudicium de verbo παρεισῆλθον, *ſubintroierunt*, quod eſt in parte ſequenti. Eiuſdem ſignificationis eſt παρεισέδυσαν, quo Iudas apoſtolus vtitur in ſua epiſtola de hæreticis loquens, quodque noſter interpres itidem vertit, *ſubintroierunt*. Vocat autem Paulus ψευδαδέλφους, id eſt, falſos fratres; quòd ſolo nomine fratres, id eſt, Chriſtiani eſſent; reipſa verò hoſtes inteſtini, rectam fidem eccleſiæ euertere molientes. Horum anteſignanũ id temporis fuiſſe Cerinthũ hæreſiarchã, author eſt Epiphanius hæreſi 28.

QVI SVBINTROIERVNT EXPLORARE LIBERTATEM NOSTRAM, QVAM HABEMVS IN CHRISTO IESV. Libertas quam habemus in Chriſto ea eſt, qua liberi ab obſeruatione legis Moſaicæ, ex Chriſti gratia iuſticiã & peccatorũ remiſſionem accipimus. Tametſi ſciẽdũ eſt apoſtolum nondum hic vrgere negocium iuſtificationis, ſed eam dumtaxat partẽ libertatis nominare qua fideles à iugo legis ceremonialis erant liberi.

VT NOS IN SERVITVTEM REDIGERENT. Qui, inquit, *falſi fratres ſubintroierunt*, id eſt, irrepſerunt in eccleſiã, *ad explorandã libertatẽ noſtrã quã habemus in Chriſto*, hoc eſt, in Chriſtianiſmo; vel *in Chriſto*, id eſt per Chriſtum eiuſq; meritũ; vt ea libertate explorata & cognita, nobis eã extorquerent, aut nos accuſarent, noſq; vnà ſecũ ſeruituti legis ſubijcerẽt. Id enim exploratorum eſt, ad hoc cognoſcere velle vt accuſes, auferas, aut expugnes. Poteſt etiam ſententia magis ſpecialiter, ad hũc modũ, de falſis fratribus exponi; Qui ſubintroierunt atque ingeſſerunt ſe in conuentum Ieroſolymitanũ, exploraturi vtrũ nos, etiam apud apoſtolos, legis ceremonias nõ obſeruaremus, ac ne apud eos quidem Titum circũcidi pateremur (hanc enim ſuam & eorũ qui ſecum erant, libertatem appellat): vt ſi fortè comperiſſent nos metu apoſtolorũ circumciſſe Titum, eo exemplo & præſcriptione traderent nos in ſeruitutẽ legis; aut ſi id non feciſſemus, accuſarẽt nos apud apoſtolos, & eorum authoritate tentarent cogere nos ad legẽ ſeruandã. Sẽſus hic maximè cõgruit inſtitutæ narrationi de ijs quæ Ieroſolymis acta fuerũt.

QVIBVS NEQVE AD HORAM CESSIMVS SVBIECTIONI VT VERITAS EVANGELII PERMANEAT APVD VOS. Huius partis lectio primũ examinanda eſt, tũ videndum quomodo cũ præcedentibus cohæreat, poſtremò ſenſus totius ſententiæ inquirendus. Itaque notandum vſque ad Hieronymi tẽpora codices Latinos ſine negatione pattem hanc legiſſe, *Quibus ad horã ceſſimus* &c. Liquet hoc ipſius Hieronymi teſtimonio commentantis in hũc locũ; atque ita legerunt Tertull. lib. 5 contra Marcionem cap. 3 & Ambroſianus eundem hunc locũ explanans; quibus adde Irenæum Græcũ lib. 3 cõtra hæreſes c. 13. Verùm noſtrorũ codicum lectio Græcis tã codicibus quam cõmentarijs, etiã antiquiſſimis planè cõſonat; etiãſi prædicti authores Latini contendant Græca viciata eſſe. Probat eandem lectionem Hieronymus; nec ſecus legit Auguſtinus ac cæteri Latinorũ Hieronymo poſteriores. Deniq; ea ſola reperitur hodie, nõ modo in Græcis & Latinis codicibus, verũ etiã in verſione Syriaca. Iam & illud monendũ, particulã relatiuã, *quibus*, apud authores Tertullianũ & Ambroſianum non haberi; quibus & Latina quædã mss. ſuffragãtur: Sed quoniã apud cæteros omnes aut pene omnes interpretes, idq; iuxta fidẽ Græcorũ omniũ exemplariũ legitur accedentibus etiã præſtantiſſimis Latinis: non dubitamus quin ab apoſtolo ſcripta fuerit; licet fortè quoad ſenſum redũdet, de quo ſtatim videbitur. Tertia varietas eſt in vocabulo, *ſubiectione*; pro quo non pauci legũt datiuum, *ſubiectioni*, ſiquidem ex Græco poteſt vtrumq; verti; ſed cõmodius in auferẽdi caſu, quẽ Romana habet editio, quemque Græcorum cõmentarij poſtulant. Hæ porrò tam variæ præſentis loci lectiones, multos ac diuerſos ſenſus pepererunt. Qui negationẽ tollunt, ſenſũ apoſtoli faciunt aduerſatiuum ei quod dixerat Titũ non fuiſſe compulſum circumcidi, tanquam è contrario ſubiungat, *Sed propter ſubingreſſos falſos fratres, qui* &c. *ad horã ceſſimus ſubiectione*. Id eſt, metu ſeditionis quã parati erãt aduerſum nos cõmouere falſi fratres, noſtræ libertatis exploratores; *ad horã*, id eſt, pro tẽpore, ſubiecimus nos legi, ſiue permittendo tandẽ vt Titus circũcideretur (quẽ ſenſum à nõnullis tradi refert Hieronymus) ſiue aliàs, ad vitãdam Iudæorum offenſionẽ, circũcidendo Timotheũ Act. 16. & *tondendo mihi in Cenchreis caput*, ex voto; Act. 18. & ex Iacobi cõſilio, ſecundum legẽ me purificãdo; Act. 21. Sic enim intelligunt & explicant hũc locũ Tertull. & Ambroſiaſter. Quin & Thomas hunc ſenſum ita refert, vt videatur non abijcere. Verùm ſanè recipi non poſſunt hæ expoſitiones. Nam prior illa de Tito circumciſo, manifeſtè pugnat cum verbis apoſtoli, qui iam abſolutè negauerat Titum compelli potuiſſe vt circumcideretur.

Vtra-

Vtraque verò, totam intentionem apoſtoli euertit, qui id enixiſſimè agit hac epiſtola, ne qua occaſione gentibus imponatur ſeruitus legis. Si enim ipſe contrarium aliquando fecit, ne Iudæos offenderet; iam præuaricatus eſt. Et qua fronte Petrum reprehendit, quem conſtat ideo ſolùm, ne fratres à Iacobo venientes offenderet, à victu gentilium ad horam abſtinuiſſe? Timotheum verò propterea ſine ſcandalo gentilium, & proinde ſine iuſta reprehenſione, circumcidit; quoniam is ex matre Iudæa erat. Itaque ea res nihil pertinebat ad gentiles. Ipſe verò Paulus, cum Iudæus eſſet, potuit illo adhuc tempore quo lex nondum mortifera erat, ea quæ legis ſunt obſeruare; dummodo gentes exemplo ſuo non cogeret Iudaizare; quod in Petro reprehendit. Adde, quod apoſtolus hîc dicere non vult quid aliàs aliquando fecerit, ſed quid tunc, quando Ieroſolymis apud apoſtolos erat, compulſus ſit aut non compulſus facere. Porrò Hieronymus affirmatiuam lectionem, quamuis eam non probet, exiſtimat ita commodè accipi poſſe, Paulum ad tempus ceſſiſſe falſis fratribus, id eſt, acquieuiſſe eis prouocantibus ad apoſtolos. aſcendit enim cum eis Ieroſolymam, & huic quidem ſenſui bene congruit ratio ſubiuncta, *Vt veritas* &c. Hæc enim cauſa fuit Paulo Ieroſolymam aſcendendi. Conuenit etiam quod vlterius ſequitur, *Ab ijs autem qui videbantur* &c. Sed cum apoſtolus Ieroſolymam aſcenderit ſecundum reuelationem, vt dictum eſt ſuperius; cumque ex decreto fratrum ac libenter illud fecerit: vtique non apparet hoc eſſe in quo ad horam falſis fratribus ceſſerit ſubiectione. Rectiùs fortaſſe referri poſſet ea ceſſio ad decretum apoſtolorum, quo placuit gentibus iniungi vt abſtinerent à ſuffocato & ſanguine. Id enim factum propter Iudæos; ne à gentilium conuerſatione cum quibus in vnam congregabantur eccleſiam, nimium abhorrerent. Veruntamẽ magis placet lectio negatiua; cuius primùm facillima eſt expoſitio, ſi cum Hieronymo coniunctionem *ſed* vel *autem* fingamus eſſe ſupervacuã, & illud, *propter ſubintroductos falſos fratres qui* &c. continua oratione iungamus cum eo quod præcedit; quem ſenſum ſuperius indicauimus. Græci verò particulam, *autem*, adeò non negligunt hoc loco, vt putent eam habere vim amplificandi, q. d. Paulus; *At neque Titus quum mecum inter apoſtolos verſaretur, compulſus eſt circumcidi, ne quidem propter ſubintroductos falſos fratres*; id eſt, nec ad horam quidem importunam inſtantiam. His enim nec ad horam ceſſimus. Probari poſſet hæc interpretatio, ſi negatio fuiſſet repetita ſecundo loco; ſine qua textus ſenſum huiuſmodi vix admittit. Quapropter illorũ ſententiæ potius accedimus qui putant eclipticam eſſe orationem ea parte, *Sed propter* &c. ac ſupplemento quodam indigere. Senſit hoc Auguſtinus, qui ita ſupplet; *Propter ſubintroductos autem falſos fratres non eſt compulſus Titus circumcidi*; id eſt, Non potuit extorqueri vt circumcideretur; ne ex circumciſione hominis gentilis, meo conſenſu ac velut authoritate facta argumentum ſtruerent aduerſarij pro ſua doctrina qua dicebant; *Niſi circumcidamini, non poteſtis ſaluari.* Poteſt & aliter abſoluta reddi oratio, vt ſenſus totius loci ſit, Sed neque Titus comes meus, cum gentilis & incircumciſus eſſet, ac mecum inter apoſtolos verſaretur; compulſus aut iuſſus eſt circumcidi; *Propter ſubintroductos autem falſos fratres, qui ſubintroierunt* &c. vehementer vrgebamur. Id eſt, Quanquam propter illos vrgeremur vt Titum pateremur circumcidi. quibus tamen tantopere inſtantibus, nec ad tempus quidem ceſſimus, ſubijciendo nos eorum voluntati, aut tradendo nos in ſubiectionem & ſeruitutem legis; idque vt veritas ac ſinceritas euangelij, quæ docet legem abrogatam eſſe per Chriſtum, noſque per gratiam & non per legem ſaluari; apud vos Galatas ac cæteros gentiles permaneat, apud quos vtique non permaneret, ſi meo exemplo fidelibus author eſſem Iudaizandi. Si illud quod Græcè legitur hoc loco, οἵτις, poſitum eſſet pro *ijs*, ſeu *ipſis*: tum nullo ſupplemento foret opus; ſed oratio inchoata v. 4. finiretur extremo v. 5. Cæterùm facit hic locus contra eos qui cenſent eccleſiam conſultò facturam ſi concordiæ cum aduerſarijs ſuis ineundæ cauſa, puſillum aliquid ad religionem ſpectans quod offendere videtur, eis concedat. vt v. g. Qui putant vſum calicis reſtituendum laicis; vt ad eccleſiam hoc pacto reducantur ſchiſmatici. Non intelligentes, ſi id concedatur: illos continuò & plura poſtulaturos, & eccleſiam calumniaturos quæ tandem agnoſcat ante hac ſe erraſſe, atque à Chriſti inſtituto deuiaſſe. Verùm eccleſia catholica didicit, exemplo Pauli apoſtoli, nec ad horam cedere inſidioſis eiuſmodi poſtulatis; vt permaneat apud ipſam cunctoſque fideles doctrinæ catholicæ veritas.

6 AB IIS AVTEM QVI VIDEBANTVR ESSE ALIQVID. Amb. *qui exiſtimantur aliquid eſſe.* Eſt enim in Græco participium præſentis temporis; quod tamen rectè vertitur etiam per verbum præteriti imperfecti, ſicut & ab Eraſmo factum eſt. Porrò ſuſpenſa eſt oratio per ſequentem parentheſim; qua finita, complet ſententiam potius quam orationem. hanc enim incompletam relinquens, mox mutata ſermonis forma reuertitur ad id quod inſtituerat. Facilè autem abſoluitur hæc pars ex illa ſubiuncta, verbo actiuo in paſſiuum mutato; vt ſenſus ſit: Ab ijs qui magno erant in precio ac primi nominis apud Iudæos fideles;

nihil mihi collatum est. id est, facta euangelij cum eis communicatione, nihil ab ijs mihi accessit. Redit autem post interpositam de Tito narrationem, ad ea quæ de collatione cum apostolis facta dicere cœperat; tacitam remouens obiectionem qua cauillari posset aliquis, ipsum ex ea collatione in euangelij doctrina adiutum fuisse. Sequitur parenthesis.

(QVALES ALIQVANDO FVERINT, NIHIL MEA INTEREST; Hoc dicere videtur, quia Paulo inter alia obijciebatur, quod aliquando persecutus fuisset ecclesiam; & hoc nomine minus ei credendum. q.d. Quales illi qui nunc præcipuæ sunt authoritatis, aliquãdo, id est, ante apostolatum, vel ante acceptum Spiritum sanctum fuerint; nolo discutere. Nam vitã eorum præteritam scrutari nõ est meum; neque id ad rem facit: alioqui, posset etiam in illis inueniri quod reprehẽdatur; fuerunt enim & illi aliquando peccatores. Alij respicere apostolum putant ad humilitatem conditionis pristinæ; tanquam sensus sit: Qui nunc sunt in precio, fuerunt aliquando abiecti, vtpotè homines illiterati, idiotæ, piscatores: Ego contrà, doctus in lege, institutus ad pedes Gamalielis, clarus inter Iudæos; sed hæc non commemoro, non enim refert qualis quis fuerit, sed qualis sit. Prior sensus est Augustini: Posterior Ambrosiani, Thomæ, Caietani & ferè Latinorum. Chrysostomus autem eiusque sequaces, & cum ijs Hieronymus, sensum hunc faciunt; Quam doctrinam illi olim tenuerint, id est, an legem seruauerint atque exemplo suo seruandam docuerint, an non; nihil ad me. Sed non placet Augustino cum Hieronymo disputanti hic intellectus, idque meritò. Non enim existimandum est vllo modo, Paulum in Petri & aliorum apostolorum doctrina quicquam reprehendisse, aut in dubium vocasse; licet in aliquo facto Petrum reprehenderit, de quo postea. Non enim aliter cæteri apostoli inter Iudæos obseruarũnt legalia, quàm ipse Paulus; qui 1 Cor. 9. scribit se *Iudæis factum tanquam Iudæum, & ijs qui sub lege erant, quasi & ipse sub lege esset; vt eos Christo lucrifaceret.* Itaq; dicere non debuisset de suis coapostolis similiter agentibus, *Nihil mea interest*, sed purgare eos à crimine debuisset.

DEVS PERSONAM HOMINIS NON ACCIPIT) *Personam hominis accipere* in scripturis dicitur, qui attendit in homine conditionem aliquã, puta diuitias, potentiam, formam, authoritatem, aut simile quid, quod ad negocium de quo agitur, nihil attinet; præsertim si id fiat in iudicio, tunc enim propriè dicta est personarum acceptio, iusticiæ contraria; de qua Græci intelligunt apostolum hîc loqui. Iuxta quos sensus & connexio talis est, Ipsi, quamuis apud homines magni, rationẽ facti sui Deo iudici reddituri sunt; qui personam hominis non respicit, sed iustè iudicat vnumquemque secũdum opera. Porrò iuxta Augustinum & Thomam atque alios, hoc sensu pars ista cum præcedenti connectitur; Deus in eligendis ad apostolatum hominibus, nullam prioris vitæ eorum rationem habet, nec considerat quales fuerint; sed eligit quos vult; Mar. 3, tam potens ex persecutore, quàm ex piscatore, facere prædicatores & apostolos. Hic sensus sine dubio verior est; tametsi in eo personarum acceptio largè, minusque propriè, sumatur. Nam alioqui, in gratuitis acceptionem personarum locum nõ habere; testis est ipse Augustinus lib. 2 contra 2 epistolas Pelagianorum cap. 6 & 7. Vnde autem ea phrasis originem habeat, diximus in commentario Rom. 2. Huc vsque parenthesis in textu.

MIHI ENIM QVI VIDEBANTVR ESSE ALIQVID, NIHIL CONTVLERVNT. Sententiam quam imperfectam reliquerat, repetit & absoluit, sed (vt iam dixi) mutata forma orationis. Particula *enim*, repetentis est: Latini dicere solent, *ergo*, vel *inquam*. ac si diceret, *Mihi*, inquam, *qui videbantur esse aliquid*, &c. Vbi sciendum illud *aliquid* in multis mss. codicibus non haberi; tantùm enim legunt, *qui videbantur esse*. Nec amplius in Græco est quàm δοκοῦντες, de quo vocabulo superius diximus. Vnde & Hieronymus solummodo legit, *qui videbantur*, vt dictio aliquid videatur ex superiori parte huc relata. Hinc porrò discimus, eadem esse apostolo, *qui videntur*, & *qui videntur esse aliquid*; ac frustra nonnullos in ijs distinguendis laborare. Sensus igitur est. Mihi in illa communicatione quam de euangelio meo cum præcipuis apostolis habui, nihil illi contulerunt, id est, nihil ab eis accepi, nihil didici, nihil per eam collationem mihi accessit. Nam accessionem aliquam ex collatione prouenientem significare videtur præpositio πρὸς à fronte addita Græco verbo, quod superiùs dixit, *contuli*. Vnde & Augustinus hunc locum ita legit; *Mihi enim qui videntur aliquid, nihil apposuerunt*. Et in hunc sensum Chrysostomus & Theophylactus exponunt, ac Latini ferè omnes. Alij sensum esse putant, Illi suum euangelium non viciſſim mecum communicarũt, sed meum approbarunt tantummodo. Qua ex re liquet nihil mihi, quoad euangelij doctrinam, ab illis accessisse; non enim accedere quicquam potuit, si ne quidem communicandum mecum suum euangelium putarũt. Nobis prior sensus præferendus videtur; nam & Valla eum probat, & Erasmus sequitur in paraphrasi; cum in annotationibus antea diuersum docuisset, non absque Vallæ reprehensione. Et alioqui, sic debuisset dicere apostolus, Non contulerunt mecum suum euangelium: nunc autem dicit, *Nihil mihi contulerunt.*

7 SED ECONTRA, CVM VIDISSENT QVOD CREDITVM EST MIHI EVANGELIVM PRÆPVTII, SICVT PETRO CIRCVMCISIONIS: Nonnulli, quos Faber in commentario, &

Eras-

Eraſmus tam in annotationibus, quàm in paraphraſi ſequuntur, illud *Sed ècontrà*, ſeparatum à ſequentibus ita iungunt cum eo quod præceſſit, vt ſenſus ſit abſolutus huiuſmodi; *Qui videbantur eſſe aliquid, nihil mihi contulerunt, ſed è diuerſo à me aliquid acceperunt*, ſcilicet ea quæ mihi, non illis, à Deo reuelata ſunt. Ita enim Faber exponit. Huius expoſitionis etiam Hieronymus meminit, ſecundo loco; *Sed ècontra*, inquit, *à me eis collatum eſt, dum fiunt in euangelij gratia firmiores*: Imò non defuerũt referẽte Theophylacto qui ſic interpretarentur, Non ſolũ illi nihil correxerunt meorum, ſed vice potius verſa correcti ſunt. At meritò ſenſum hunc explodit Theophylactus. Etenim ſi Petrus in euangelij doctrina nihil contulit Paulo; nec corrigendo, nec adiungendo quippiam, aut ſupplendo, propterea quòd Paulus euangelium ſuum non ab hominibus ſed à Chriſto magiſtro didiciſſet; pari ratione nec Paulus in eadem re quicquam Petro cæteriſũe apoſtolis conferre potuit; vt qui æquè Chriſtum ipſum magiſtrum habuiſſent, & ad munus apoſtolicum perfectè inſtituti eſſẽt à Spiritu ſancto. Quod ſi Paulo peculiares quædam factæ ſunt reuelationes; haud dubium quin etiam Petrus diuinis reuelationibus fuerit honoratus: vt Act. 10. & aliàs, non vtique ad corrigendum vel ſupplendum euangelium, ſed ſolùm ad euangelij miniſterium, curſumque dirigendum. Adde, quòd ſecundum hanc iſtorum diſtinctionem, id quod ſequitur, *Cùm vidiſſent* &c. nulla coniunctione cum præcedentibus cohærebit, præſertim in Græco; vbi pro verbis ſunt participia. Multò igitur rectius eſt vt cum Chryſoſtomo, Theophylacto & Oecumenio, nec non cum Hieronymo iuxta priorem eius expoſitionem, quam plerique etiam Latini ſequuntur; hoc quod ait apoſtolus, *Sed ècontrà*, per hyperbaton, medijs quibuſdam tranſmiſſis, referatur ad illa longè ſequentia, *Iacobus & Cephas & Ioannes dextras dederunt mihi ſocietatis*: q. d. Illi mihi nihil contulerunt; quin potiùs, à falſis fratribus accuſatos, in ſocietatem muneris apoſtolici, tanquam æquales me & Barnabam receperunt. Igitur aduerſatiuũ illud, *Sed ècontrà*, non plenam vim habet aduerſandi; neque enim ita ſemper accipitur apud authores; ſed perinde eſt ac ſi dicas, *quin magis*; *ſed potiùs*. Porrò rationem Pauli in ſocietatem receptionis continent verba interpoſita, *cùm vidiſſent quod creditum eſt mihi* &c. Id eſt, cùm experimento iam cognouiſſent mihi commiſſum & concreditum eſſe à Deo munus euangelij prędicandi inter gentes incircumciſas; quẽadmodum Petro concreditum erat apud circumciſos, id eſt, Iudęos. Non ſentit apoſtolus, Petrum ſolius circumciſionis apoſtolum 9 fuiſſe; ac multò minus circumciſionis fuiſſe paſtorem atque epiſcopum; cùm ex Actis & aliundè planiſſimè conſtet, Petrum etiam gentibus euangelium prædicaſſe; quomodo viciſſim Paulus non ſolum gentibus, ſed & Iudæis prædicauit; vt ex ijſdem Actis & epiſtolis eius perſpicuum eſt: Sed ſignificat, Dei mittentis voluntatem fuiſſe vt præcipuè gentibus ipſe, Petrus autem Iudæis euangelium prædicaret. Sic Hieronymus & alij verba apoſtoli explicant. Verùm hoc rurſus intellige pro eo tempore quod hanc epiſtolam, vel potius quod hanc de qua nunc agitur, communicationem, anteceſſit. Nam poſtquam Romam venit Petrus; longè lateque etiam in gentes euangelium, per ſe & per alios, diſſeminauit; vt cumulatè impleret illud quod cæleſti viſione ter admonitus audierat, *Occide & manduca*. Act. 10. Creditum eſt autem Paulo euangelium præputij, ſtatim à conuerſione ſua, quando euangelium à Domino accepit; nec tamen excluſos ab eius euangelio fuiſſe Iudæos, teſtatur ipſe Dominus, ſic ad Ananiam de Paulo loquens: *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum corã gentibus, & regibus, & filijs Iſrael*. Act. 9. Obiter notanda latens ſignificatio fidelis miniſterij, in verbo, *creditum eſt mihi*; pro quo Græcè πεπίστευμαι *creditus ſum*, videlicet à Deo. Vbi, & tanta laus Petri continetur, cui tanquam fideli miniſtro creditum fuerit euangelium circumciſionis. Porrò ſententiam confirmat ſubſequente parentheſi,

8 (QVI ENIM OPERATVS EST PETRO IN APOSTOLATVM CIRCVMCISIONIS, OPERATVS EST ET MIHI INTER GENTES) Græcè, *ad gentes*, vel *erga gentes*. Verbũ Grẹcum quod interpres vertit *operatus eſt*, efficacem in aliquo operationem ſignificat. Itaque non eſt ſenſus quem nonnulli tradunt, Qui Petrum fecit apoſtolum Iudęorum, idem me fecit apoſtolum gentium; ſed explicanda eſt hoc modo ſententia: *Mihi præcipuè creditum fuiſſe à Deo euangelium præputij, ſicut Petro circumciſionis*; ex eo manifeſtè cognoſcebant, *quia Deus qui efficax fuit in Petro ad apoſtolatum circumciſionis*; id eſt, qui gratiæ ſuæ prẹſidio ita adfuit Petro vt prædicationem eius apud Iudæos efficacem redderet, multos ex illis ad Chriſti fidem per eius miniſterium conuertendo; *idem ille in me efficax fuit erga gentes*; id eſt, prædicationem meam in gentibus ſimiliter efficacem reddidit quàm plurimos ex illis per meum miniſterium ad fidem vocando; cùm alioqui apud Iudæos ferè inanis eſſet mea prædicatio. Efficaciam hanc prædicationis tria potiſſimum declarabant; miracula prædicantium, chariſmata Spiritus ſancti diffuſa in credentes; & credentium multitudo. Eſt igitur argumentum ab effectu ſeu fructu miniſterij; quem præcipuum Petrus, operante Deo, fecit apud Iudæos, Paulus inter gentes.

9 ET CVM COGNOVISSENT GRATIAM QVÆ DATA EST MIHI: Repetitio eſt eius quod parentheſim anteceſſit; tanquam dicat, Cùm, inquam, ipſa iam rei experientia cognouiſſent gratiam quæ mihi data erat, ni-

mirum euangelij in gentibus prædicandi. Gratiam igitur ipsum apostolatum præputij, sibi à Domino concreditum, vocat; quemadmodum & alibi. Sic enim ait Rom. 15, *Propter gratiam quæ data est mihi à Deo, vt sim minister Iesu Christi in gentibus.*

IACOBVS ET CEPHAS ET IOANNES, QVI VIDEBANTVR COLVMNÆ ESSE, DEXTRAS DEDERVNT MIHI ET BARNABÆ, SOCIETATIS. Construimus hæc tria nomina cum verbo subsequenti, *dextras dederunt.* Nam illud præcedens, *cognouissent*, copulatur cum superiori verbo *vidissent*; vtrumque verò refertur ad suppositum remotius, *qui videbantur esse aliquid*, vt ordo & sensus sit huiusmodi: Sed econtrà, cum illi qui videbantur, atque in precio erant, vidissent & cognouissent apostolicam functionem mihi delegatam ad gentes; tunc illorum præcipui Iacobus, Cephas & Ioannes, vtpote qui non quomodocumque erant in existimatione, sed reputabantur vt columnæ quibus ædificium ecclesiæ sustentaretur; mihi & Barnabæ collegæ meo, dextras societatis dederunt; id est, in apostolatu socios, atque in euangelij doctrina bene secum consentientes, agnouerunt, & vt tales receperunt. Nam iungere dextras, societatis & concordiæ symbolum erat. Significat ergo Paulus se & Barnabam susceptos ab illis summis apostolis, non vt discipulos, quales agnoscebantur Titus & cæteri qui cũ ipsis assenderant; sed vt coapostolos & in euangelij ministerio pares. Porrò *Iacobum* primo loco nominat ab honorem Domini, cuius erat frater; & quia Ierosolymorũ episcopus erat, vbi hæc gerebantur; idemque maximi nominis apud Iudæos ob sanctitatis opinionem, vt liquet ex Iosepho & Hegesippo. Nam quod Augustinus scribit tres istos à Paulo nominatos Dominicę transfigurationi interfuisse, videlicet Iacobum intelligens fratrem Ioannis; quod & legitur in homilia quadam sabbati post Dom. 1 quadragesimæ inter eas quę Eusebij Emiseni falsò feruntur; lapsus memoriæ est manifestus. Cõstat enim Iacobum Ioannis fratrem multò ante concilium Ierosolymitanum Herodis gladio occubuisse. Nec vtique de alio Iacobo Paulus loquitur, quàm cuius superiori capite meminit, & qui in Concilio Ierosolymis habito sententiam dixit. Quem verò *Cepham* hic nominet, nonnulli reuocarũt in dubium; propter illud maximè, quod statim subiungit de Cepha à se reprehenso; quod de Petro apostolorum principe intelligi, putauerunt indignum. Itaque Cepham hunc à Paulo reprehensum, dicunt non apostolum, sed ex LXX Christi discipulis vnum fuisse, eiusdem nominis cum Petro apostolo. Refert hoc Eusebius lib. 1 hist. ecclesiasticæ cap. 12 ex Clementis Alex. lib. 5. hypotyposeon; ac rursum ex Eusebio refert Oecumenius in commentario; eamque sententiam Hector Pintus in Dan. 1 quibusdam argumentis veram esse contendit. Ac sanè qui LXX discipulorum catalogum texuerunt, Cepham quendam inter eos numerarunt. Sed opinionem hanc, tacitò authorum nomine, velut commenticiam meritò reijcit Hieronymus; negans cuiusquam alterius Cephæ nomen sibi cognitum esse, præterquam eius qui & in euangelio, & in epistolis Pauli, modò Cephas, modò Petrus scribitur, vna prorsus eademque significatione. Quam enim, inquit, nos Latinè & Græcè petram vocamus; hanc Hebręi & Syri, propter linguæ inter se viciniam, Cepham nuncupant. Adde, quòd totum argumentum epistolæ, vt idem ait Hieronymus, huic opinioni repugnat. Neque enim tam obscurus discipulus cum Iacobo & Ioanne præcipuis apostolis, tanquam ecclesiæ columna, comparari potuit; Neque Paulus hoc agit vt in societatem apostolatus ab aliquo discipulorum qui non erant apostoli, receptus videatur; sed ab ipsis apostolis, ijsque primarijs. Eandem opinionem ex contextu Scripturæ refellit S. Gregorius homil. 18 in Ezech. Non igitur alius hic Cephas à Paulo scribitur, quàm ille toties ab eodem nominatus in 1 Cor. scilicet cap. 1, 3, 9. & 15. Argumenta verò quæ in diuersum adferuntur, exigui ponderis sunt; & ad ea satis ab Hieronymo responsum est. Sed nec catalogum LXX discipulorum, qui, nominibus temerè atque ridiculè ex scriptura noui testamenti collectis, fertur apud nonnullos authores; agnoscit ecclesia. Et quid de eo sentiendum sit, euidentibus argumentis ostendi in commentario capitis vltimi epistolæ ad Romanos. Magis certè credendum Eusebio antiquitatis ecclesiasticæ scientissimo; qui, loco superius allegato palam testatur, nullum LXX discipulorum catalogum vspiam exstare.

Quis hic Cephas.

VT NOS IN GENTES, IPSI AVTEM IN CIRCVMCISIONEM. Inabsolutus est sermo, & supplendus hoc aut simili modo: Datis dextris societatem apostolatus inierunt nobiscũ; sic nimirum vt nos illo munere fungeremur erga gentes, ipsi vero apud Iudæos. quod rursus intellige, passim ac præcipuè; idque ad tempus, donec res aliud postularet; quemadmodum id explicatum est suprà.

TANTVM VT PAVPERVM MEMORES ESSEMVS. *Tantùm* non est connectendum cum eo quod præcessit, q. d. *Ipsi autem in circumcisionem tantùm.* Certum est enim nec Paulũ ab euangelio Iudæis prædicando, nec Petrum cæterosque apostolos à gentibus vllo pacto prohiberi aut excludi potuisse; sed ad sequẽtia pertinet, Tantùm, inquit, hoc admonentes, vt dum euangelium apud gentes prædicamus, pauperum qui in Iudæa erant, memores essemus, commendando eos gentibus ad fidem conuersis.

Cura pauperum fidelium.

QVOD ETIAM SOLICITVS FVI HOC IPSVM FACERE. Verbum Græcum ἐσπούδασα non tam solicitudinem quàm diligentiam significat, q.d. eam rem mihi commendatam

qua

qua potui diligentia præſtiti. Vbi Paulus obiter ſuam in pauperes, etiam Iudæos, charitatem inſinuat, cũ à Iudæis tam graue̅ pateretur contradictione̅. cur autem non dicit, *ſolliciti fuimus*, vt Barnabam etiam comprehendat? Non aliam arbitror cauſam, quàm quia non multò pòſt, vt Act. 15 legitur, Barnabas ab eo diſceſſit, vt proinde Paulus de eius facto teſtari non potuerit. Porrò iſtorum pauperum & in epiſtola ad Ro. & vtraque ad Cor. mentio eſt; in quibus epiſtolis, cùm id adhuc agatur, quod hic apoſtolus ſe diligẽter egiſſe memorat; rectè colligitur hanc epiſtolam tribus illis eſſe temporis ordine poſteriorem, ſicut in argumento epiſtolæ admonuimus. Quod ad cauſam attinet paupertatis eorum de quibus hic agitur, non ea præcipuè fuit quæ refertur Act. 11, ſcilicet fames ab Agabo prædicta. Propter hanc enim non à gẽtibus, ſed à Iudæis extra Iudæam habitantibus, & quidem longè ante tempus Ieroſolymitani concilij, collatio eleemoſynaria per miniſterium Barnabæ & Sauli facta eſt & perfecta; quemadmodum ex fine cap. 11 & 12 Act. perſpicuum eſt. Sed vna generalis erat cauſa, quam referunt Hieronymus & Auguſtinus quòd fidelium Iudæorum multitudo quæ Ieroſolymis erat, venditis poſſeſſionibus ac precio ad pedes apoſtolorum poſito, ſicut in Actis Lucas memorat; paulatim ac tempore procedente, egere cœpit; vt neceſſe habuerit aliorum fidelium, qui in alijs mundi partibus habitantes ſua non reliquerant, eleemoſynis ſuſtentari. Cauſam alterã adferunt Græci interpretes, quòd facultatibus ſuis ſpoliati eſſent propter fidem Chriſti. hoc enim ſignificat ipſe apoſtolus 1 Theſſ. 2, *Vos*, inquit, *imitatores facti eſtis, fratres, eccleſiarum Dei quæ ſunt in Iudæa; quia eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Iudæis* &c. Expreſſius verò id affirmat ad Heb. 10 dicens: *Et rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.*

Vnde fidelibus Iudæis paupertas.

11 CVM AVTEM VENISSET CEPHAS ANTIOCHIAM; IN FACIEM EI RESTITI, QVIA REPREHENSIBILIS ERAT. Pro *Cepha*, *Petrus* legitur in Græco: nec non apud Hieronymum & Ambroſianum. Quod autem dixit interpres, *in faciem*, Græcè eſt, *ſecundùm faciem*; De cuius intellectu mox agemus. Quando contigerint ea quę nunc à Paulo referuntur, non omnino certum eſt; neque enim Lucas in Actis horum meminit: Auguſtinus epiſtola 19 quę eſt ad Hieronymum, putat hæc geſta eſſe ante conuentum Ieroſolymitanum. At probabilius alij poſtea cõtigiſſe exiſtimant: Id enim poſtulare videtur ordo narrationis Paulinę. Patet etiam ex Act. 15 Paulum abſoluto concilio ſtatim Antiochiam eſſe reuerſum, nec admodum diu ibi moratum. Quare veriſimile eſt per id tempus illuc aduenijſſe Petrum, & cætera quæ hîc narrantur acta fuiſſe. Niſi quis putet iſta eo tempore contigiſſe, quando iterum Paulus aliquandiu hæſit Antiochiæ, Actor. 18. Subijcit autem apoſtolus hanc narrationem de Petro à ſe reprehenſo, non vt Petri authoritatem minuat, aut ſe illi præferat, vti calumniatus eſt olim Porphyrius, qui factum Pauli odioſè exagitauit; ſed eadem ratione ac neceſſitate qua narrauit ſuperiora; nimirum vt oſtendat à ſe non aliud euangelium prędicari, quàm à Petro, cęteriſque apoſtolis; atque ipſius etiam Petri exemplo & conſenſu conſtare, gentes obſeruantione legis onerãdas non eſſe, quando & Petrus ipſe apud gẽtiles gentiliter vixerit, & à ſe reprehenſus quòd exemplo ſuo gentes ad Iudaizandum cogeret, patienter acquieuerit. Quæ res certò arguebat, Pauli doctrinam qua gentes eximebat iugo legis, à Petro minimè fuiſſe improbatam. Cæterùm de intelligentia huius loci, magna fuit concertatio inter egregios eccleſiæ doctores Hieronymum & Auguſtinum. Docet enim Hieronymus hanc reprehenſionem qua Paulus Petrum à ſe reprehẽſum ſcribit, ſimulatã, &, vt loquitur, diſpenſatoriam fuiſſe. Neque enim Petrum eo facto quod hîc narratur, quicquam commiſiſſe quod meritò reprehendi potuerit; vt proinde reprehenſio illa non ſerò neque ex animo, ſed ex compoſito facta, debeat intelligi; quo per eam, Iudæi, quos Petri maximè mouebat authoritas, videntes ſuum apoſtolum Paulo reprehendenti cedere, ſanarentur ab errore quo adhuc tenebantur; putantes legem eſſe neceſſariam ad ſalutem. Auguſtinus verò, qui commentarium hunc Hieronymi legerat, huiuſmodi interpretationem reijcit ac refellit, confirmans veram hanc Petri fuiſſe reprehenſionem, vt qui verè fuerit reprehenſibilis, propterea quòd ad veritatẽ euãgelij nõ rectè ambularet; dum ſimulatione ſua qua ſe à gentili conuictu ſubtrahens legalia ſeruabat, etiam gentes Iudaizare cogeret; quemadmodum diſertè ſcriptum eſt à Paulo. Cuius verba ſi, ad excuſandum Petrum, ſic exponãtur, vt nec verè fuerit reprehenſibilis Petrus, nec veraciter de eo dictum ſit quòd non rectè ambulauerit ad veritatem euangelij; ſed ideo quia tanquam non rectè ambularet, fuerit externa dumtaxat ſpecie reprehenſus à Paulo; metuendum eſſe, ne mendacijs in ſcriptura detur locus. Hanc iſtorum doctorum diſſenſionem ac diſputationem videre eſt in eorum epiſtolis mutuò tranſmiſſis; apud Hieronymum quidem epiſtola 86 & ſequentibus vſque ad 97. Apud Auguſtinum verò in epiſtola 8 & ſequentibus vſque ad 19. Hieronymus authores ſuæ ſententiæ profert Græcos Pauli interpretes, Origenem, Didymum, Apollinarem, Euſebium Emeſenũ, & Theodorum Heracleotẽ. Quibus acceſsêre Chryſoſtomus, Theodoretus alijque Græci poſteriores, & inter Latinos Caſſianus coll. 17. Sed huius authoritas, vt & eorum quos citat Hieronymus, facilè repellitur. Fuerunt enim omnes, aut ferè omnes de hæreſi prauaque

Tempus huius correptionis.

Cur eam narret Paulus.

Fuiſſe veram reprehenſionem.

doctri-

doctrina partim ab ipso Hieronymo, partim ab alijs patribus notati; Id quod etiam à Thoma in commentario, ad eleuandam eorum authoritatem, obseruatum est. Certè Cassianum post Origenem mendacij patronum fuisse, eadem collatio planè conuincit. Porrò Augustinus præter apertissima verba apostoli, quibus potissimum nititur, ac inter cætera, id quod est c. 1. *Quæ scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior*: etiam Cyprianũ pro se adducit, dissentem in epistola 71 ad Quintum. In eadem sententia fuit Tertull. lib. 5 contra Marcionem cap. 3. Commentator Paulinus Ambrosij titulo, in hunc locum. Gregorius Papa lib. 28 moral. cap. 12, & hom. 18 super Ezechielem. Item Agapetus primus Papa in epistola ad Iustinianum Imperatorem (est apud Baronium Anno Christi 535.) & vt semel dicam, Latini fere omnes, qui post Augustinum hoc argumentum attigerunt, ac nominatim Thomas Aquinas in commentario, vbi totam controuersiam quę inter Augustinum & Hieronymum fuit, diligenter excutit, & ex Augustini sententia doctè resoluit; Quodque amplius est, ipse Hieronymus opinionem suam qua Petrum in eo de quo reprehensus est à Paulo, peccasse negauerat, obliquè retractauit, & in Augustini sententiam concessit. Nam in Dialogo contra Pelagianos, quem statim postea scripsit, lib. 1 cap. 8, inter alia testimonia de scripturis sumpta, quibus docet sanctos non caruisse peccatis, & nullum episcopum prorsus esse irreprehensibilem; etiam de Petro profert exemplum ex hoc loco: *Si*, inquit, *ipse apostolus dicat de Petro, quòd non recto pede incesserit in euangelij veritate, & in tantum reprehensibilis fuerit, vt & Barnabas adductus fuerit in eandem simulationem; quis indignabitur id sibi denegari, quod princeps apostolorum non habuit?* Hanc Hieronymi retractationem obseruauit etiam Augustinus in epistola 260 ad Oceanum, dicens illum in opere recenter aduersus Pelagium edito, eandē de ista re gesta dictisque apostolicis tenuisse sententiam, quam ipse, post beatissimum Cyprianum, secutus esset. Est & alius Hieronymi locus in lib. 3 apologiæ aduersus Ruffinum eodem ferè tempore scriptę, cap. 1, vbi cùm dixisset etiam apostolos saluis inter se amicitijs dissensisse; pro exemplis adducit Paulum & Barnabam stomachatos propter Ioannem cognomento Marcum: Eundemque Paulum qui in faciem Cephæ restitit, quòd non recto pede incederet in euangelio: quem tamen præcessorem suum & columnam ecclesiæ vocarat. Quod de vera ac seria dissensione necesse est intelligi: qualis inter Paulum & Barnabam intercesserat. Quid enim nouum si saluis amicitijs simulatè tantùm dissensissent? Denique quicunque seriam ac non simulatam hoc loco reprehensionem agnoscunt; ijdem Petrum aliquid egisse quod reprehensione dignum esset, ac proinde peccasse, fatentur. Sic inter alios Gregorius magnus locis suprà citatis. Item Thomas Aquinas non solùm in commentario, sed & postmodum in summa 1. 2 q. 103 ar. 4 ad 2. & 2. 2 q. 33 ar. 4 ad 2. & q. 43 ar. 6 ad 2: Quibus locis etiam affirmat Petrum peccasse; & docet in quo peccauerit. Nec verò quenquam offendere debet, quòd Petrus post acceptum Spiritum sanctum peccasse dicatur; cùm nemo sit iustus in hac vita qui non aliquando peccet. Ecclesiastæ 7. cumque præsens scripturæ locus apertè clamet Petrum peccasse. Quomodo enim Paulus de Petro totius ecclesię principe, scribere auderet, se ei in faciem restitisse, quia reprehensibilis erat; eumque non rectè ambulasse ad veritatem euangelij, qui facto & exemplo suo gentes cogeret Iudaizare; si sentiret eum ne quidē venialiter in huiusmodi facto peccasse? Nam mortaliter eum peccasse, nec patrum quisquam dixit, nec locus iste conuincit, facilè enim hęc quæ Paulus de eo scribit, à crimine excusātur; nam & quæ crimina nō sunt, aliquando publicam merentur reprehensionem, si cedant in scandalum commune; quale erat factum Petri. Quæ cùm ita sint: non possumus accedere quorumdam recentiorum opinioni, qui cum Augustino cęterisque Latinis seriam hîc agnoscentes reprehensionem; fortiter tamen negant à Petro quicquam peccatum fuisse. Sic Erasmus in annotationibus, & alij nonnulli posteriores; quorum ratio est Petrū non posse culpari in eo quod bona animi intētione fecit, quodque secundum se malū non erat, sed tale dū taxat, cuius occasione malum aliquod proueniret, id est, scandalum gentilium. Quod vtique Petro non putant imputandum, nihilo magis quàm si scandalizati fuissent gentiles & ad Iudaizandum inducti, ex eo quòd Paulum vidissent, vel circumcidere Timotheum hominem gentilem, vel ex voto sibi caput tondere in Cenchreis; vel Ierosolymis sese cum cęteris Iudæis purificare. Hæc enim omnia Paulum, etiam post istam Petri reprehensionem fecisse, constat ex Actis. Hoc argumento Græci quoque & Hieronymus vsi sunt, vt docerent non seriò, sed simulatè seu dispensatoriè gestum esse totum hoc negocium reprehensionis apostolicę. Qua fronte enim, inquiunt, seriò Paulus Petrum reprehenderet in eo quod ipsemet toties fecit, adeo vt scribat se factum Iudæis tanquam Iudæus esset, & ijs qui sub lege erant, quasi sub lege esset, vt eos Christo lucrifaceret? Siquidem & Petrum propter Iudæos hoc fecisse, Paulus ipse testatur. Quibus æquè respondeo; Qua fronte Paulus hæc scriberet de Petro, & reprehensibilem fuisse, & non rectè ad veritatem euangelij ambulasse; si ne venialiter quidem in eo peccasset? Nam ad ea quæ è diuerso obijciunt, in promptu responsio est ex Augustino, Thoma & alijs; qui bene docent hæc Pauli facta non fuisse talia quę

Peccasse B. Petrū, & in quo.

ex se

ex ſe præberent aliquam ſcandali occaſionẽ gentilibus. Timotheus enim ex matre Iudæus erat; ideoque lege mortua quidem, ſed nondum ſepulta, circumcidi poterat. & hanc rationem ipſe Lucas qui factum narrat, ſatis inſinuauit Act. 16. Paulus autem more Nazaræorum caput ſibi tondens, Iudæus inter Iudæos verſabatur. Quòd verò purificaret ſe cum Iudæis, idque Iacobo ſuggerente, cum Ieroſolymis eſſet; manifeſtam ac neceſſariam habuit rationem, quæ luculentè deſcribitur Act. 21. Poſtremò, nil horum Paulum retraxit à conuerſatione gentilium: At Petrus in ciuitate quæ gentilium erat non Iudæorum, priùs cum gentilibus conueſcens, poſtea verò propter legis obſeruationem ab eorum menſa ſeſe ſubducens; quamuis bona intentione, ne Iudæi qui ſupervenerant offenderentur, id faceret: occaſionem tamen gentilibus præbuit ſuſpicandi quòd oporteret à cibis lege vetitis abſtinere; quia Petrum apoſtolorum principem in ea re factum ſuũ prius corrigere viderent. Certè illa Petri inconſtantia in eadem re, non poterat non gentiles offendere; & hoc Paulus vrget, quando dicit eum non recto pede ambulaſſe, quia nimirum claudicabat in vtramque partem. Ex dictis intelligi poteſt quid ſit reſpondendum ad hanc obiectionem; Petrus non peccaſſet ſi ex eius facto, quo comediſſet cum gentilibus, fuiſſent ſcandalizati Iudæi; ergo nec peccauit quod ex eius facto, quo ſe ſubtrahebat à menſa gentilium, ſcandalizati fuerint gentiles. Antecedens probatur tum quia Paulus ſimiliter faciendo non peccauit; tum quia alioqui Petrus fuiſſet perplexus, nec peccatum euitare potuiſſet. Reſpondetur, Antecedens eſſe verum, & negandam conſequentiam, quia Petrus quidem apud Iudæos Iudaicè viuere poterat & debebat, ne eos offenderet; ſed non ideo debebat abſtinere à conuiuijs gentilium, præſertim quibus antè interfuiſſet: hoc enim meritò offendebat gentiles, quaſi Petrus prius ſuum factum corrigeret, per hoc quaſi docens legem ſeruandam eſſe. Iudæi autem ex Petri facto quo cum gentilibus ederet, rationabiliter offendi non poterant; quia palam docebant apoſtoli, & ipſe Petrus in concilio apoſtolorum, Iugum legis per Chriſtum ceſſare. Deinde, quid Petri ſimulatio poterat prodeſſe ne Iudæi offenderentur, quando Iudæos latere non potuit Petrum iam antè ediſſe cum gẽtilibus? Non enim id ſecretò factum fuerat; & erant eo tempore alij Iudæi Antiochiæ, qui id referre poterant Iudæis à Iacobo venientibus. Igitur hac in re per imprudentiam quandam, ſiue vt Dominicus loquitur, per inconſiderationem à Petro peccatum eſt; quemadmodum ex conſequentibus amplius patebit. Illud verò potius in Petro mirari lubet ac laudare, quod liberam Pauli reprehẽſionem, tanta manſuetudine & humilitate ſuſceperit, quanta paſtorem eccleſiæ decuit; adeo vt dicat Auguſtinus in commentario, quòd erat obiurgatore ſuo ipſe qui obiurgabatur, mirabilior & ad imitandum difficilior: Nam vt idem Auguſtinus ait in epiſtola ad Hieronymum quæ eſt apud eum 19. *Multò mirabilius eſt & laudabilius libenter accipere corrigentem, quàm audacter corrigere deliantem*. Quo nomine & Cyprianus Petri exemplũ omnibus epiſcopis proponit imitandum, epiſtola 71 ad Quintum. De hac inſigni B. Petri humilitate eſt locus inſignis apud B. Gregorium homil. 18. in Ezech. dignus qui totus huc tranſcriberetur. His neceſſariò premiſſis ad apoſtoli verba redeamus. Quod diximus, in Græco legi, *ſecundum faciem ei reſtiti*, Hieronymus ſic accipit, vt *ſecundum faciem* idem ſit quod ſpecie externa, & per ſimulationem; idque factum dicit, vt hypocriſis obſeruandę legis quæ nocebat eis qui ex gentibus crediderant, correptionis hypocriſi emendaretur. Eadem eſt Chryſoſtomi expoſitio; videturque ei fauere locus 2 Cor. 5, *vt habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde*. Similis adducitur locus ex cap. 10 eiuſdem epiſtolæ, *Quæ ſecundum faciem ſunt, videte*, id eſt, ea quæ foris apparent. Alij, *ſecundum faciem*, ſiue vt noſter habet textus, *in faciem reſiſtere*, idem eſſe volunt quod, *coràm & in præſentia reſiſtere*, idque ſanè probabilius. Ita namque apud eundem apoſtolum, loco memorato, dictum eſt, *in facie*, vel, vt in Græco, *ſecundum faciem quidem humilis ſum inter vos; abſens autem confido in vobis. In facie*, id eſt, præſens & corã; opponitur enim abſenti. Ex quo etiam loco, ſicut & ex illo 2 Cor. 5, mihi non improbabile eſt, interpretem noſtrum hîc quoque vertiſſe, *in facie*, non *in faciem*. Sic enim & Hieronymum legiſſe, cõmentarius eius indicat; & profectò minùs durè ſonat, *in facie*, quàm *in faciem, reſiſtere*, ſi vis Latini ſermonis vrgeatur; vti nec malè annotatum eſt ab Eraſmo. Porrò ſimilis eſt locus Act. 25, *Non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur, præſentes* (Græcè, *ſecundum faciem*, id eſt, coràm) *habeat accuſatores*. Adde quod apoſtolus ſeipſũ paulo pòſt exponit, quodãmodo, cùm referens obiurgationis ſuę verba, ait: *dixi Cephæ coram omnibus*. Quapropter & Græci Chryſoſtomo poſteriores hunc ſenſum potiùs amplexi ſunt, vt ex eorum commentarijs liquet; nec adeo pro diuerſa faciũt interpretatione apoſtoli loca in diuerſum allata; nam & illa ſi bene expendantur, hunc poſteriorem ſenſum magis poſtulant. Porrò ſciendum pro eo quod nos legimus, *quia reprehenſibilis erat*, in Græco participialiter haberi, *quia reprehenſus erat*; Quod quidem alij aliter exponunt. Quidam referunt ad reprehenſionẽ quam à Iudęis fratribus paſſus erat Petrus, poſtquam ad Cornelium centurionem eiuſque domeſticos gentiles & incircũciſos introgreſſus fuerat, atque cum ijs manducauerat; vti legitur Act. 11. Sed hic intelle-

Obiectio.

Reſpõſio.

Petri humilitas.

Verborũ Apoſtoli expoſitio.

Videatur ibi Commentarius.

ctus præsenti loco nõ conuenit; neque explicatur per verba sequentia, quæ probationem continent huiusce partis. magis autem quadraret, si verba hæc posita essent post illud: *timens eos qui ex circumcisione erant*; Idcirco enim eos timere potuit, quia ab illis aliquando reprehensus fuerat. Græci, quamuis expositionis iam dictæ meminerint, aliam tamen proferunt, qua Petrus intelligatur reprehensus Antiochiæ, hoc ipso tempore quo gerebantur ea quæ Paulus hîc narrat; reprehensus, inquam, à quibusdam fratribus qui iam offendi cœperant inconstantiâ Petri, modò cum gentilibus edentis, modò subtrahentis se, siue quòd œconomiã huius facti, vt Græci loquuntur, ignorarent; siue quòd, secundum Latinos, iusta fuit reprehensio, tanquam dicat apostolus, *In faciem ei restiti*, quandoquidem & ab alijs fratribus, etsi non coràm, reprehendi cœperat. Sic etiam Caietanus exponit. Cæterùm Ambrosianûs etiam participium legit, quomodo Græci; sed interpretatur hoc modo; *Reprehensus*, vtique ab euangelica veritate; cui hoc factum aduersabatur. Respicit enim ad id quod infrà dicitur; *cùm vidissem, quod non rectè ambularent ad veritatem euangelij*. Veruntamen etsi constet in Græco participium esse, nec admittamus eorum coniecturam, qui suspicantur olim secùs habuisse Græca exemplaria (refelluntur enim ex veterum Græcorum commentarijs, & ex Latina Ambrosiani lectione): non ideò tamen nobis à nostra versione recedendum est. Nam vti doctè annotatum est ab Adamo Sasboldo, Paulus Hebræa phrasi participium pro nomine verbali posuit, frequens enim est Hebræis, imò perpetuum, vt quod nos per nomen verbale passiuæ formæ enunciamus, illi participio passiuo significent. Exempli causâ, dicunt amatum seu dilectum, pro amabili; laudatum, pro laudabili; miratum, pro mirabili; formidatum pro formidabili. Ita fit 2. Regum 1. v. 23. Psal. 83. v. 1. & 138. v. 14. 1. Cor. 6. v. 4. Heb. 12. v. 18 & 27. Quod in Latina quoque lingua fit interdum; vt in his vocibus, contemptus, abiectus, honoratus, inaccessus, & similibus. Sic ergo, Paulus *reprehensum* dixit pro *reprehensibili*. Certè Hieronymus Hebraicè, Græceque peritissimus, vbique tam in commentario quàm in epistolis ad Augustinum, *reprehensibilis* legit; nec de participio Græco scrupulum vllum mouet, cùm alioqui Græca lectio potuisset eum pro Petri defensione nonnihil adiuuare. Nos igitur Augustinum secuti verba apostoli sic exponimus. Quum Petrus Antiochiam venisset, ibi, propter hanc ipsam causam de qua nunc agitur, coràm ac multis præsentibus ei 13
restiti, cum obiurgatione; quia rem commiserat publica reprehensione dignam, quæ nec sine ea corrigi posset. Sensum hunc exigit planus apostoli textus, & subiuncta probatio.

12 PRIVSQVAM ENIM QVAM VENIRENT QVIDAM A IACOBO, CVM GENTIBVS EDEBAT. Exponit causam ob quam reprehensibilem dixerit Petrum, ita vt in facie resistendum ei fuerit. Nam priusquam, inquit, Ierosolymis Antiochiam venissent quidam à Iacobo siue missi siue sponte profecti, haud dubium quin Iudæi legis æmulatores (etenim Iacobus Ierosolymorum episcopus erat, & propter Iudæos ipse etiam legem seruabat) cum gentilibus edebat Petrus, sine discrimine cibis vtens communibus, lege neglecta. Quo sanè facto suo palam testabatur legis obseruationem non esse gentibus necessariã; quando nec ipse qui Iudæus erat, legem apud eos seruaret. Facit autem huius facti commemoratio plurimum pro Pauli doctrina, dum ostendit Petrum apostolorum principem legis obseruationem neglexisse; & non nisi timore Iudæorum ad eam obseruandam adductum fuisse, prout sequitur;

CVM AVTEM VENISSENT; SVBTRAHEBAT ET SEGREGABAT SE, TIMENS EOS QVI EX CIRCVMCISIONE ERANT. Non ita *subtrahebat & separabat se à gentilibus*, vt omnino fugeret eorum consuetudinem & colloquium; neque enim lex hoc præceperat, & ea res manifestissimè repugnasset vocationi gentium ad fidem. quo enim modo vocari per apostolos potuissent, cum quibus nec colloqui fas esset? *Sed subducebat se à conuiuijs & mensa gentilium*, vtpote qui promiscuis & lege vetitis vterentur cibis. Priùs enim dictũ est, *cum gentibus edebat*. Fecit autem hoc Petrus timore Iudæorum qui à Iacobo venerãt; non quia sibi periculum ab illis metueret, qui iam didicerat nec mortem pro Christo timere; sed quòd timeret ne Iudæi facto suo offensi, legis æmulatione nouas turbas excitarent, quibus cursus euangelij impediretur. Quanquam etiam dici potest, *eos* pro *eis* positum esse, in eo quod ait *timens eos*; quomodo ab eodem apostolo dictum est infrà cap. 4, *Timeo vos ne forte sine causa* &c. Sic autem sensus erit, Petrum subtraxisse se, quòd, tanquam circumcisionis apostolus, pro Iudæorũ salute solicitus, malum aliquod ipsis metueret ex suo cum gentilibus conuictu; scilicet ne resilirent à fide, aut certè scandalum aliquod paterentur, videntes apostolum suum aliud in Iudæa agere, aliud inter gentiles. Et ita quidem Græci exponunt; sed prior sensus magis videtur literalis. Nam & aliàs aduersus Petrum ob similem causam disceptauerãt Iudæi, quando ad Cornelĩũ accesserat Act. 11. Et admodum nuper hoc ipso loco, id est, Antiochiæ, seditionem Paulo & Barnabæ mouerant propter circumcisionem, vti legitur Act. 15. in principio.

Quid mouerit Petrum.

13 ET SIMVLATIONI EIVS CONSENSERVNT CÆTERI IVDÆI. Græcè. *Et vnà cum eo simulauerunt etiam cæteri Iudæi. Iudæos* intelligit qui cum Petro erant, non qui à Iacobo venerant. Factum autem Petri simulationem vocat, nõ mendacium aliquod in facto, quæ est proprij nominis simulatio, semper illicita; sed quia

Quo sensu dicatur simulasse.

Petrus

Petrus abſtinens à cibis lege vetitis, & ea parte legem obſeruans, ſimilem ſe præbebat alijs qui legem obſeruabant vt neceſſariam ad ſalutem. Neque enim Græcis & Hieronymo conſentimus, affirmantibus Petrum alioſque apoſtolos poſt paſſionem Domini non verè obſeruaſſe legalia, ſed ſimulaſſe tantùm; Nam quòd verè obſeruauerint, licet non cum opinione neceſſitatis; ex ſcripturis adeò manifeſtum eſt, vt negari non poſſit. Loca ſunt Act. 10. vbi Petrus dicens ſe nunquam manducaſſe quicquam commune & immũdum, ſignificat ſe non minùs poſt Domini paſſionem quàm antè ſeruaſſe legalia. & Act. 15 vbi de legalibus quæſtione mota, apoſtoli ſolos ab eorum obſeruatione gentiles excludunt. & cap. 21. vbi Iacobus ad Paulum: *Audierunt* (inquit) *de te quia diſceſſionem doces à Moyſe, eorum qui per gentes ſunt Iudæorum.* quem falſum fuiſſe rumorem, oſtendi vult ex eo quia Paulus ipſe legalia obſeruabat; *Et ſcient*, inquit, *omnes quia quæ de te audierunt, falſa ſunt; ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem.* Verè igitur & non ſimulatè Paulus cæterique Iudæi Chriſtiani legem ſeruabant; ſiue eam putarent obſeruatu neceſſariam, vt illi qui venerant à Iacobo; ſiue non, vt Petrus & fratres qui cum eo erant. *Simulabant autem hi vnà cum Petro*, quia ſubtrahendo ſe à menſa gentilium, legem ſeruabant perinde vt alij Iudæi, licet non eodem animo.

ITA VT ET BARNABAS DVCERETVR AB EIS IN ILLAM SIMVLATIONEM. Græcè, *ſimul abduceretur eorum ſimulatione*, id eſt, *in eorum ſimulationem.* Senſus; Eò res progreſſa eſt, vt etiam Barnabas collega meus in apoſtolatu gentium, idemque me ſenior, illorum exemplo, maximè Petri, duceretur in eandem cum illis ſimulationem, qua ſcilicet à gentiliũ cõuictu ſeſe ſubtraheret. Vnde fiebat vt erroris malum à tantis viris, altero circumciſionis, altero gentium apoſtolo, tractũ, latius inter vtriuſque populi fideles ſerperet.

14 SED CVM VIDISSEM, QVOD NON RECTE AMBVLARENT AD VERITATEM EVANGELII. *Rectè ambulare*, Græcis vnum compoſitũ verbum eſt, ὀρθοποδεῖν; quod ſonat recto pede incedere. Atque ita legit Hieronymus in commentarijs, & in dialogo contra Pelagianos. eius autem loco textus Ambroſianus habet, *rectâ viâ incedere.* Portò *non rectè ambulare* ſeu *non recto pede incedere ad veritatem euangelij*; non eſt aberrare à via veritatis euangelicæ, ſed claudicare & vacillante greſſu incedere in negocio veritatis euangelicæ procurando. Neque hoc ad errorem opinionis referendum eſt, quaſi putauerint Petrus & qui cum eo, legem Moyſi neceſſariò ſeruandam; ſed ad qualitatem facti. claudicatio namque in eo erat, quod inconſtanter & variè ſeſe gerebant apud gentiles, modò cum illis edentes, modò ſeſe ſubtrahentes. Vnde non eſt quod hæreticus ex his verbis calumniam faciat Petro, tanquam is in dogmate fidei vel erranerit opinione, vel aliquo modo vacillauerit, tantùm enim imprudentia quadam facti peccauit, quoniam ſimulatione ſua præbuit noxij erroris occaſionem gentilibus, vt exiſtimarent eum neceſſariam adhuc credere legis obſeruationem; proindeque ſibi etiam tanti apoſtoli exemplo legem ſeruandam eſſe. Neque verò ipſa per ſe ſimulatio, qualis hoc loco intelligitur, peccatum erat; ſimulauerat enim & ipſe Paulus eo genere ſimulationis, quando Timotheum circumcidit, & caput ex voto ſibi totondit; & omnino quoties *Iudæis factus fuit tanquam Iudæus, & ijs qui ſub lege erant, quaſi ſub lege eſſet.* 1 Cor. 9. Sed in eo Petri culpa fuit, quod id faceret vbi faciendum non erat, propterea quòd ex ipſius facto prona eſſet gentilibus occaſio declinandi ab euangelica veritate. Hoc igitur tam in ipſo Petrò, quàm in Barnaba & comitibus eorũ, erat non rectè ambulare ad veritatem euangelij. Nam quod Eraſmus in annotationibus, pro Petri excuſatione, ſcribit, id quod plurali numero dicitur, *non rectè ambularent*, non ad Petrum, ſed ad cæteros ſolùm referri debere; nullum habet authorem, ne ex Græcis quidem. Sed neque cohæret cum præcedẽtibus, neque cum ſubiuncta reprehenſione, quę ad Petrum ipſum dirigitur.

Non erraut Petrus opinione cõtra euangelium.

DIXI CEPHÆ CORAM OMNIBVS, Id eſt, palam, ac multis præſentibus *Cepham*, vel vt in Græco, *Petrum* reprehẽdi huiuſmodi verbis. Hieronymus item & Ambroſianus *Petro* legunt. *Quòd autem coram omnibus*; inquit Auguſtinus, *neceſſitas coegit, vt omnes illius obiurgatione ſanarentur. Non enim vtile erat errorem qui palam noceret, in ſecreto emendare. Huc accedit quòd firmitas & charitas Petri, cui ter à Domino dictum eſt, Amas me? Paſce oues meas; obiurgationem talem poſterioris paſtoris pro ſalute gregis libentiſſimè ſuſtinebat.* Hæc Auguſtinus in commentario. Vnde liquet hîc à Paulo nihil fuiſſe peccatum aduerſus ordinẽ fraternæ correptionis, in eo quod publicè Petrũ obiurgauit abſq; præuia priuata admonitione. Nã publica ſalus ita fieri poſtulabat. Solum autẽ Petrũ alloquitur, quòd is ſuo exẽplo cęteris author fuiſſet ſimulationis; quodq; eo correcto, cuius apud omnes erat sũma authoritas, aliorũ correctio facilè ſecutura eſſet. *Cur palã Paulus eum reprehenderit.*

SI TV CVM IVDÆVS SIS, GENTILITER VIVIS, ET NON IVDAICE; QVOMODO GENTES COGIS IVDAIZARE? *Quomodo*, Græcè τί, *quid* id eſt, quare. Sẽſus eſt; Si tu, Petre, qui Iudæus es ex Iudęis natus, poſtquã didiciſti legẽ mortę Chriſti abolitã eſſe, nõ amplius eam ſeruas, ſed negligis quaſi ea ad te non pertineret (quod eſt gentiliter, & non Iudaicè, viuere): quid eſt quod nunc, hac tua ſimulatione tuoque exemplo, etiam gentes, quæ ſunt extra legis profeſſionem, cogis Iudaicè viuere, id eſt, legem Iudaicam obſeruare? velut ſi dicat, Quæ ratio eſt vt tu gentiles ad Iudaiſmum prouoces, qui Iudæus ipſe

cùm ſis, Iudaiſmo renunciaſti? Hoc indiſſolubili argumento, ait Hieronymus, Petrum cõſtringit; imò per Petrũ eos qui pugnãtia illũ inter ſe facere cogebant. Porrò *gentiliter viuere* cœpit Petrus, ex quo ei dictum eſt, *Macta & manduca*, Act. 10, nã antea ſolùm Iudaicè vixerat: Vnde dicebat, *commune & immundum nunquam intrauit in os meum.* Patet autẽ ex ſenſu iam dato, quàm impudenter calumniam hæreſeos primo eccleſiæ paſtori impingant hęretici, propter hoc quod gentes Iudaizare coegerit. Nõ enim id fecit errore doctrinæ, quaſi ſenſerit ac docuerit legem gentibus imponendã eſſe; ſed, vti dictum eſt, exẽplo, & imprudentia facti. Nam quod doctrinæ vel opinionis error nullus hîc ſignificetur, clarum eſt; tum quia ſimulatio fuit; tũ quòd paulo antè cum gentibus ediſſet, nec ſubitò potuerit opinionem mutare; tum denique quia non reprehendit eum Paulus quòd non teneret aut nõ doceret euangelij veritatẽ, ſed quòd ad eam non rectè ambularet, id eſt, facto & cõuerſatione ſua eam nõ promoueret, ſed lædeteret. In quo tamẽ ipſo veniã haud dubiè merebatur, quia cùm eſſet apoſtolus circumciſionis, peccauit amore Iudæorũ quos à Iacobo ad ſe venientes verebatur offendere, & ab euangelio ſuſcepto, ſua libertate qua apud gẽtes vtebatur, auertere. Notandũ quoq; eſt, verbũ *Iudaizare*, non hîc ad hæreſim pertinere, quomodo Iudaizare dicuntur, qui docent aut ſentiũt religionẽ Iudaicam à Moyſe traditã eſſe Chriſtianis ad ſalutem neceſſariã; quæ fuit olim hæreſis Nazaræorum & Ebionitarum, Cerintho cum primis authore: Sed idẽ valet quòd Iudæos imitari, ritus Moſaicos exemplo Iudæorum obſeruare; ſiue id fiat opinione neceſſitatis, ſiue ob reuerẽtiam legis à Deo inſtitutæ, ſiue propter authoritatẽ eorum qui legem huiuſmodi ſeruant: quemadmodum Platonizare dicuntur, qui Platonis ſeu doctrinam ſeu dictionem imitantur; quacunque ratione id faciãt. Sic autem Iudaizabant non Iudæi, ſed gentiles Iudæorum imitatores: At priori modo, Iudæi quã maximè. Poſteriore modo hîc intelligit S. Aug. ep. 19.

Impudẽtia ſectariorum in B. Petrũ.

Iudaizare quid ſit hoc loco.

15 NOS NATVRA IVDÆI ET NON EX GENTIBVS PECCATORES. Petrum adhuc alloquitur; nec ſatis conſtat vbi verba Pauli ad Petrũ finiantur, an, vt quidã putant, eo loco, *Quod ſi quærentes iuſtificari* &c. an verò dum ait; *Si enim quæ deſtruxi* &c. quemadmodum exiſtimat Caietanus, ea ratione motus, quod ibi Paulus, antea plurali numero vſus, incipiat loqui ſingulariter; An deniq; duret alloquiũ illud vſque ad finem huius capitis. Nam initio ſequẽtis, planum eſt ad Galatas dirigi ſermonem. Hæc tertia ſententia Hieronymi eſt & Chryſoſtomi; facitque eam probabilem cohærentia ſermonis ad eum vſque locum; ſimul & nominis Galatarum illic expreſſio, tãquam ibi demum, Petro dimiſſo, compellare eos incipiat. Niſi quis in ſuperioribus verbis dicat latentem eſſe receſſum à Petro, & ingreſſum ad materiam principalem; quod nõ eſt improbabile. Hoc quod ait *Nos*, in ſua & Petri perſona dicit; tametſi poſſunt & vtriuſque comites Iudæi, in quibus & Barnabas, comprehendi. *Naturâ Iudæos* vocat, qui à natiuitate habent quòd Iudæi ſunt, non ſolùm genere, verùm etiam obligatione legis obſeruandæ, tanquam ſub lege nati, lex enim populo Iudaico data fuit. Proſelyti verò, qui ex gentibus in Iudaiſmum coaptabantur, iuxta nomen ſuum aduenticij erant, & voluntate non naturâ Iudæi. Quod autem addit, *& non ex gentibus peccatores*; tale eſt; Et non ex populo gentium, quibus lex data non fuit, nati peccatores; id eſt, carentes regula diuinæ legis, & per hoc abeuntes in omne genus peccatorum præcipites. Putat Auguſtinus Paulum, Iudęos alloquentem, ex Iudæorum conſuetudine gentiles appellare peccatores; quod nomen, inquit, gentibus impoſuerant Iudæi iam vetuſtâ quadam ſuperbiâ, tanquã ipſi iuſti eſſent. Porrò quod Primaſius vocabulum *peccatores* ad Iudæos reflectit, quaſi ſenſus ſit: Nos ex Iudæis & non ex gentibus nati, peccatores tamen, coacta videtur interpretatio.

Vbi finiãtur verba Pauli ad Petrum.

Quarta ſententia.

16 SCIENTES AVTEM QVOD NON IVSTIFICATVR HOMO EX OPERIBVS LEGIS; Vocula *autem* non eſt in Græco, nec apud Ambroſianum: coniungenda eſt enim hæc pars cum præcedenti, quæ inabſoluta remanſerat.

NISI PER FIDEM IESV CHRISTI. Sententiam reddit obſcuram particula, *niſi*. Quæ ſi propriè, vt Latinis auribus ſonat accipiatur, exceptionem faciet ab eo quod pręcedit; vt ſenſus ſit, hominem non iuſtificari ex operibus legis niſi fides in Chriſtum ad ea opera accedat; quę ſi acceſſerit, iuſtificari eum per legis opera. Sed cùm hic ſenſus iuſtificationẽ diuidat, partim eam tribuens operibus legis, partim fidei Chriſti, quod eſt contra definitam & abſolutam apoſtoli ſententiam, docentis in epiſtola Ro. 3. *ex operibus legis neminem iuſtificari coram Deo, ſed iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*; nec non hoc ipſo loco, ſtatim pòſt affirmantis *iuſtificari nos ex fide Chriſti, & non ex operibus legis* &c. manifeſtum eſt, interpretationem illam tanquam apoſtolico ſenſui & ſcopo contrariam, omnino repudiandam eſſe: Etenim ea Iudaizantium, aduerſus quos agit apoſtolus, erat doctrina, legem cum fide Chriſti miſcere, & ex vtraque pariter ſalutem expectare. Verùm conſtat voculam *niſi* frequenter in ſcripturis aduerſatiuè ſumi, vt idem valeat quod, *ſed tantùm*; quemadmodum etiam ſuperiori capite, admonuimus ad illa verba, *Niſi ſunt aliqui qui vos conturbant.* Sic autem intelligi debere hoc loco, non modò doctiſſimi quiq; interpretes Græci & Latini conſentiunt, verùm etiam ſatis colligitur ex his quæ paulò pòſt ſequuntur hoc loco, & ex memoratis apoſtoli verbis

Opera legis quæ, hoc loco.

Ro. 3. Ex quo etiam loco petendum, quænã apoſtolus intelligat opera legis, ex quibus negat hominem iuſtificari; videlicet non ſola ceremonialia legis Moſaicæ, velut circumciſionem, ſabbatũ, neomeniam &c. de quibus plerique locũ hunc exponunt: Sed in vniuerſum opera qualiacũque, ex lege, id eſt, ex ſola legis cognitione, facta, etiãſi moralia tantùm ſint. nã in doctrina apoſtoli qua iuſticiam ab operibus legis remouet, legẽ intelligi toto genere, prout moralia ſimul & ceremonialia cõprehendit, perſpicuis argumentis oſtendimus in expoſitione epiſtolæ ad Rõ. Quomodo autem idẽ intellectus præſenti loco quadret, vbi propriè de ceremonialibus quæſtio verſatur; reſtat vt explicemus. Sciendum eſt igitur apoſtolum ab eo loco, *Nos naturâ Iudæi* &c. propiùs ad rẽ inſtitutam accedere, & cauſam propter quam ceremonias legis ad gentes transferri nullo modo patiatur, aperire: Nam ceremoniæ in figuram Chriſti venturi impoſitæ erant, ad ſignificandum per eum aliquando veram nobis iuſticiam & remiſſionem peccatorum conferendam eſſe. Ideoque poſt eius aduentum, impleta iam earum ſignificatione, ceſſare debuerunt. Quare qui eas euangelio Chriſti promulgato adhuc retinendas, aut etiam gentilibus imponendas cenſebant; ij neque illarum inſtitutionem, neque crucis Chriſti myſterium, quamuis in eum vtcunque crederent, ſatis intelligebant. 17
Chriſtum quidem Dei filium, velut inſignem veræ pietatis doctorem à Deo miſſum, & omnium virtutum exemplar abſolutiſſimum complectebantur: At ceremonias, quaſi per ſe quicquam valerent ad remittenda peccata, retinere volebant; iuſticiam autem illam quæ in operibus bonis conſiſtit, ex ſola legis cognitione, Chriſti doctrina & exemplo adiutos, aſſequi ſe poſſe putabant. Vnde apoſtolus, ſumpto argumento ex iuſtificatione non aliunde quàm ex fide Chriſti petenda, conſequenter legis ac ceremoniarum concludit abrogationem. Porrò iuſtificari quid ſit, æquè ex ijs quæ in epiſtolam ad Ro. commentati ſumus, intelligi poteſt: Extenditur enim ad omnem veræ, ſalutaris ac beatificæ iuſticiæ acquiſitionem; ſeu primam, qua quis ex impio iuſtus fit, ſiue ſecundam, qua iuſtus iuſtificatur adhuc. Iuſtificatur autem homo per fidem Ieſu Chriſti; quatenus per eam Chriſtum redemptorem agnoſcens, ex eius merito remiſſionem peccatorum atque iuſticiam à Deo expectat & percipit. Quod quidem fit per ea media, quæ Chriſtus ipſe ad iuſtificationem præſtandam hominibus, inſtituit; vti ſunt inuocatio, pœnitentiæ opera, ſacramenta, legiſque diuinæ obſeruatio; iuxta illud: *Factores legis iuſtificabuntur*. Ro. 2.

Quomodo per fidem Chriſti iuſtificemur.

ET NOS IN CHRISTO IESV CREDIMVS. Græcè. *Et nos in Chriſtum Ieſum credimus.* apud Hieronymum quoque, & in quibuſdam mſs. Latinis, præteriti temporis verbum legitur.

VT IVSTIFICEMVR EX FIDE CHRISTI, ET NON EX OPERIBVS LEGIS. Huc vſque periodus, ab illo initio, *Nos naturâ Iudæi* &c. Tota verò ſenſum hunc habet; Nos, quamuis natiuitate Iudæi ſimus & non gentiles; quia tamen ſcimus & certiſſimè perſuaſum habemus non iuſtificari quenquam per opera quæ faciat ſola lege inſtructus, ſed tantùm per fidem Ieſu Chriſti, qui iuſticiam nobis ſua paſſione promeruit: ideo & nos, inquam, tametſi nati ſub lege, credidimus in Chriſtum Ieſum; ſcilicet vt per eius fidem iuſtificemur, & non per legis ceremonias, aut quæcũque opera ſolo legis adminiculo facta. Non enim credimus in Chriſtum vt ex lege iuſtificemur; ſed vt ex ipſa fide Chriſti.

PROPTER QVOD EX OPERIBVS LEGIS NON IVSTIFICABITVR OMNIS CARO. Græcis eſt διότι, hoc eſt, *eoquòd*, vel *propterea quòd*. non enim illatio eſt ex ſuperioribus, ſed repetitio eſt & inculcatio rationis ſuprà poſitæ, tanquam confeſſæ; quia dixerat *ſcientes*. Repetit autem; propter illud quod proximè dixit; *non ex operibus legis. Dico*, inquit, *non ex operibus legis*; eo quòd ex operibus legis, vt iam dixi, non poſſit vllus homo iuſtificari, ne Iudæus quidem, cui Deus legem dedit. Hebraicę phraſes ſunt, caro pro homine, per ſynecdochen; & *non omnis*, pro nullo; & *iuſtificabitur*, pro iuſtificari poteſt.

QVOD SI QVÆRENTES IVSTIFICARI IN CHRISTO, INVENTI SVMVS ET IPSI PECCATORES. Locus obſcurus eſt, & ab alijs aliter expoſitus. Nobis maximè probatur hic ſenſus: Quòd ſi nos, id eſt, ego Paulus, & tu Petre, dum quærimus iuſticiam ex fide Chriſti (quod nobis fundamentum eſt, & ratio negligendæ legis) propter hoc inuenimur & deprehendimur etiam ipſi peccatores; tales enim à Iudaizantibus iudicamur, quaſi ſimiles gentilibus, qui quòd ſine lege viuant, peccatores vocantur, vt ſuprà dictum eſt: Nunquid &c.

NVNQVID CHRISTVS PECCATI MINISTER EST? Plano ſermone dixiſſet, *Ergo Chriſtus peccati miniſter eſt*; Sed pro reuerentia Chriſti per interrogationẽ intulit, Num ergo, inquit, fatebimur Chriſtum peccati miniſtrũ & procuratorẽ eſſe, qui fideles ſuos auocet à lege prohibẽte & puniẽte peccatum? Id enim cõſequens eſt; *ſi nos quærentes in Chriſto iuſtificari, peccatores inuenimur ob legem deſertam.* Proſopopeia videtur eſſe in nomine *peccati* tãquã domini cuiuſdam, miniſtros habẽtis qui voluntati eius inſeruiãt ac regnum eius promoueant, qualem perſonæ fictionẽ etiam alibi annotauimus in vocabulis peccati & iuſticiæ vt Ro. 6. & 7. Poſſet ſenſus etiam hic adferri; Si verè quærimus iuſticiã ex Chriſto: ergo nõ eã habuimus ex lege; ac proinde mãſimus peccatores donec ad Chriſtũ veniremus; qui non peccati ſed iuſticiæ miniſter eſt. Quoniã autem impium eſt ſuſpicari Chriſtum eſſe peccati miniſtrũ; ideo declarans abſurditatẽ

illius consequentis (quo destructo, destruatur antecedens) subiungit,

ABSIT, vt scilicet tale quid de Christo sentiat, quisquis Christianus dici velit. Neque enim hoc vllo pacto concessuri erant illi ipsi contra quos agit apostolus, vti qui & ipsi in Christum credidissent. Igitur ex destructione tam absurdi consequentis, destruendum relinquit antecedens.

18 SI ENIM QVÆ DESTRVXI, ITERVM HÆC REÆDIFICO; Græcè, *hæc iterum ædifico.*

PRÆVARICATOREM ME CONSTITVO. Id est, ostendo, astruo, confirmo. Eadem vis Græci verbi, quæ in illo loco Ro.3, *Si iniquitas nostra iustitiam Dei commendat*; id est, astruit & constabilit. Quibusdam videtur hæc in Petrum obliquè dici, qui fidem Christi quâ verbo prædicabat, facto visus fuerit destruere, & Iudaismum reædificare. Caietanus existimat, ab hoc loco verba esse Pauli ad Galatas, declaratiua eorũ quæ dixerat Petro Est autẽ hîc aliud argumentũ à superiori, quo ostendit legẽ non esse reuocandã. Tametsi potest & ad præcedens illud referri, quo dixerat, *Inuenti sumus & ipsi peccatores*; vt hîc declaret se alia etiã ratione peccatorẽ fore, si lex seruanda sit. Sensus est: Legẽ semel, factus Christianus, deserui, & quantũ in me fuit prædicatione mea destruxi. quod si nunc illã restituo, docens eã obseruandã esse; planè astruo & confirmo me præuaricatorem legis tamdiu fuisse, quamdiu eam posthabui.

19 EGO ENIM PER LEGEM LEGI MORTVVS SVM, VT DEO VIVAM, CHRISTO CONFIXVS SVM CRVCI. Vt intelligatur apta cõnexio partis huius cum præcedenti, supplendũ aliquid quod subauditur; hoc modo: Atqui non fui præuaricator deserẽdo legẽ; *nam per ipsam legẽ legi mortuus fui.* q. d. Ipsa lex Moysi spiritualiter intellecta docet se non esse perpetuã, sed Christo, quẽ præfigurauit, veniẽti cedere debere. per ipsam ergo legẽ hoc mihi loquentẽ, mortuus sum legi; id est, subtractus sum legi, atque ei desij esse obnoxius. hoc enim significari ista phrasi, *legi mortuus sum*, intelligitur ex Ro.6 & 7. Quidam sic exponunt: Ego per legẽ Christi mortuus sum legi Moysi; sed minùs admentẽ apostoli, qui legẽ absolutè nominãs, non aliã quàm legem Moysi significare solet, eidemq; fidem Christi opponit. Dico, absolutè: ne quis opponat quæ sunt Ro.3. v. 27. & c. 7. v. 4. Iterũ c. 8. v. 2. Certè infrà c. 3. sub finem ait quòd lex Iudæis fuit pædagogus in Christũ. Quæritur autẽ vtrũ apostolus hîc loquatur de lege ceremoniali, an verò de vniuersa lege Mosaica, decalogum etiam cõprehendẽte. Sanè, quamuis expeditior sensus videatur de lege quatenus ceremonialis est; nihil tamẽ vetat vniuersam legẽ à Moyse latam intelligi, quatenus ab eo lata est, tota enim Moysi legislatura cessat per Christum; nec lege decalogi Christianus tenetur, nisi quatenus cum lege naturæ cõuenit, & à Christo renouata est; alioqui sabbati sanctificatio, quam decalogus præcipit, adhuc obseruanda erit Christianis: quod vtique esset Iudaizare. Iã illud; *Vt Deo viuam*, à Græcis & Caietano cum sequẽti parte construitur, hoc modo: Ad hoc *vt Deo viuam, Christo confixus sum cruci*; id est, Christo cõmortuus sum per baptismũ. At rectiùs Latini coniungũt verbis præcedentibus; id enim exigit antithesis inter illa, *mortuus sum*, & *viuam*; vt sensus sit, *legi mortuus sum*, sed felici admodum morte; quia ad hoc mortuus sũ *vt viuam Deo* per veram iusticiam. & hæc noua vita est, quã alibi veteri vitæ opponit; sicut nouum hominẽ, veteri. Congruit hic locus cum illo Ro.7. *Mortificati estis legi per corpus Christi; vt sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, vt fructificetis Deo.* Hoc ergo quod sequitur, *Christo confixus sum cruci*; vel vt est in Græco ad verbum, *Christo confixus sum*; id est, vnà cũ Christo crucifixus sum: separata sententia est, qua declarat quomodo, & per quid, legi mortuus iam Deo viuat. Sunt autem hæc verba, cũ sequentibus, apostolici affectus plena; quibus hominis per Christum iustificati personam in se transferens Christi beneficium magnificè exaggerat; quo magis appareat, quàm stultè egerint Galatę qui à Christo ad legem se passi fuerint abduci. Sensus est; Quẽadmodum Christus cruci affixus hac mortali vita defunctus est; ita & ego per baptismum, qui mortis Christi similitudinem gerit, mortuus sum legi; sic vt illa mei respectu iam extincta sit, nihilque iuris in me habeat. Quod hîc de lege dicit, id Rom. 6 similiter dicit de peccato; est enim eadem ratio, quatenus *lex virtus est peccati*; vt ipse ait 1. Cor. 15. Verba ad Romanos sunt: *Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati*; *vt vltrà non seruiamus peccato.* & quæ sequũtur.

20 VIVO AVTEM IAM NON EGO, VIVIT VERÒ IN ME CHRISTVS. Hoc ad Ro. 6 dicitur huiusmodi verbis; *Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, in Christo Iesu Domino nostro.* Sensus huius loci est: Per baptismum Christo commortuus, viuo nunc per veram iusticiam; viuo, inquam, non ego, id est, non vetus ille homo qualis eram; vel, Viuo non ego, hoc est, Quod iam viuo vitâ iusticiæ, ex meipso nõ habeo; *sed viuit in me Christus*, id est, Christus qui à morte resurrexit ad vitã, mihi totius vitę meæ spiritualis, hoc est, omnis iusticiæ, author est; totum quod viuo illi debeo, qui in me viuit & efficax est per gratiam suam. Simili locutionis modo dictũ est à Domino Matt.10, *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Igitur ex hoc loco discimus, vti bene Sasboldus annotat, opera iustorum non tam ipsorum esse, quàm spiritus Christi mentes eorum inhabitantis. Vnde nec mirum quòd digna sint vitâ æternâ.

QVOD AVTEM NVNC VIVO IN CARNE, IN FIDE VIVO FILII DEI. In Græco emphasis est propter articulum postpositũ; quasi dicat, *In fide viuo*, illa, inquam, fide, quę est in

filium

Lex an vniuersa hic intelligatur.

Diuinæ gratiæ efficacia.

filium Dei, vbi & *filij*, & *Dei*, ſuos habent articulos, quo vehementior ſit ſermo. *Viuere in carne*, hoc loco non eſt ſecundum carnem viuere, quomodo ſcriptum eſt Ro. 8, *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*; ſed idem eſt, quòd viuere mortali hac vita. ſicut accipitur Philip. 1, *Quòd ſi viuere in carne, hic mihi fructus operis eſt.* Vnde 2. Cor. 10 vtrumque diſtinguens, ait: *In carne ambulantes non ſecundum carnem militamus.* Itaque ſenſus eſt: Quod in carne hac mortali varijs obnoxia tentationibus, iuſtè viuo; non legi acceptum fero, ſed fidei quam habeo in Chriſtum filiũ Dei. *Iuſtus enim ex fide viuit.*

QVI DILEXIT ME, ET TRADIDIT SEMETIPSVM PRO ME. Id eſt, qui me, ſeruum peccati, & preſſum onere legis per quam à peccato liberari non poteram; nihil tale merentẽ dilexit, nõ diuina tantũ ab æterno dilectione quatenus Deus eſt, ſed etiã humano affectu, quatenus homo; &, quod argumentũ eſt excellentiſſimæ dilectionis, ſemetipsũ in mortẽ tradidit, vt me à morte redimeret ac vitæ reſtitueret. Chriſtianę gratitudinis eſt Chriſtum fatẽri non ſolũ pro omnibus electis in mortẽ ſe dediſſe; ſed ita Chriſti beneficiũ, quod multis cõmune eſt, interpretari, vt quiſq; ſibi perſuadeat eũ pro ſe propriè paſſum & mortuũ. quemadmodũ hoc loco facit apoſtolus; per hoc oſtendens, inquit Theophylactus, quòd tantã oporteat vnumquẽque gratiã reddere Chriſto, quantã ſi pro ipſo ſolo mortuus eſſet, exhiberet: Neque enim, quod Chryſoſtomus in cõmentario ſignificare videtur, hæc quæ à Paulo dicuntur, ad ſolã ipſius perſonã pertinẽt: ſic enim non vſque adeò facere viderẽtur ad præſentem diſputationem, cùm in Paulo quædam peculiaria conſiderari poſſint, vt quòd antea perſecutor fuerit, & blaſphemus &c. ſed de ſe loquens, vult idem intelligi de quolibet iuſto.

Chriſti in nos charitas.

Noſtra in eum gratitudo.

21 NON ABIICIO GRATIAM DEI. Hęc pars epiphonematis ſpeciem habet, quo iam concludit ea quæ de gratia Dei prædicanda diſſeruit. Græcè, *Non reijcio, repello, aſpernor gratiam Dei.* Auguſtinus legit, *Non irritam facio gratiam Dei.* Ambroſianus. *Non ſum ingratus gratiæ Dei.* ad quam lectionem alicubi alludit etiam Auguſtinus, eiuſdemque meminit Thomas in commentario. *Gratiam Dei reijcit, qui vel ad remiſſionem peccatorum obtinẽdam, vel ad iuſticiam conſequendam, gratiam Dei negat eſſe neceſſariam.* Vtrumque negabant Iudæi contra quos agit apoſtolus; ſolũ autem poſterius à Pelagio hæretico negabatur; qui peccatorum quidem veniam non niſi Chriſti beneficio nobis contingere fatebatur, ſed vitam bonam & iuſticiam in libero cuiuſque arbitrio poſitam adiuncta legis cognitione, iuxta ſuam hæreſim aſſerebat. Dicit ergo apoſtolus, tanto affectus beneficio à Chriſto filio Dei; *Non ſum tam ingratus vt gratiam Dei per Chriſtum mihi oblatam atque impenſam repudiem*: q. d. Abſit à me tam deteſtabilis ingratitudo; in quam vtique incurrerem ſi à lege iuſticiam expectarem. quod probat verbis ſequentibus, deductione ad incommodum;

Quis gratiam Dei reijciat.

SI ENIM PER LEGEM IVSTICIA; ERGO GRATIS CHRISTVS MORTVVS EST. *Gratis*, id eſt, fruſtra & abſque neceſſitate. Nam ſi, inquit, aliunde quam per Chriſti mortem, vt per opera legis, obtineri poteſt iuſticia; quid neceſſe erat Chriſtum mori? Neque enim ſatis idonea & magna cauſa eſſe potuit moriendi, filio Dei, quando ſine eius morte iuſticia & ſalus contingeret, adituſque pateret ad vitam æternam. Atqui fruſtra mortuum Chriſtum qui fatetur; gratiam Dei repellit, eidemque ingratus exiſtit. Sub morte, totam Chriſti paſſionem intellige; Fruſtra enim paſſus eſt, ſi ſine eius paſſione redimi & iuſtificari potuit homo. Quæret aliquis, cur non ſimiliter dici poſſit, ſi per ſacramenta, iuſticia; ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Reſpõdeo, de ſacramentis veteris legis idem omnino dicendum: nam & ea hîc comprehendit apoſtolus, ac ſpeciatim circumciſionem; idemque Heb. 10 ſic ait: *Impoſſibile eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Verùm de ſacramentis nouæ legis alia ratio eſt: hæc enim, vt talia, gratiam continent, & inſtrumenta ſunt per quæ meritum mortis Chriſti nobis applicatur. Lex autem vetus, vt talis, per ſe ſine Chriſto conſideratur; & contra gratiam diuiditur; Id quod etiam ex epiſtola ad Heb. manifeſtum eſt. Vnde Iudaizantes, aduerſus quos diſſerit Paulus, ſolam legem ſibi ad iuſticiam ſufficere arbitrabantur; tantùm opus eſſe, vt eam propoſitam & cognitam viribus liberi arbitrij quiſque exequatur. Chriſtum autem, vti ſuprà dictũ eſt, recipiebant vt doctorem & exemplar iuſticiæ; non vt redemptorem & datorem gratiæ ac ſalutis. Illud hîc addendum, quòd ſicut de lege veriſſimè ait apoſtolus, *Si per legem iuſticia; ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*: ita veriſſimè dicitur, Si per naturam iuſtitia; ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Aug. contra Iul. lib. 4. c. 3. De nat. & gr. c. 9. & 40. De gr. & lib. arb. c. 13.

Quæſtio de ſacramentis. Reſponſio per diſtinct.

SVMMARIVM.

OStendit Abraha exemplo, gentes expectare debere iuſticiam non ex lege, ſed ex promiſſione & fide: Legem autem fuiſſe pædagogum ducentem ad Chriſtum.

CAPVT III.

1 O INSENSATI GALATÆ. *Inſenſati*, id eſt, ſtulti; quomodo legit Auguſtinus: Græca dictio ἀνόητοι, ſignificat *ſtupidos*, vecordes, qui quod oportet non intelligunt. Eadem vox, quæ apud Lucã 24 in verbis Chriſti ad diſcipulos, *O ſtulti & tardi corde*; vbi poſterius eſt prioris explicatio.

Paulum hic non esse contumeliosum.

Sicut autem in illis Christi verbis non fuit maledicentiæ vicium, sed correptionis acrimonia, cum studio corrigendi; sic & in hac obiurgatione Pauli; præsertim quòd Galatæ, si beato Hieronymo credimus, vicio gentis, indociles essent, & ad sapientiam tardiores; ideoque, sicut idem Hieronymus in præfatione scribit, increpandi magis quàm docendi. Quare nihil hîc à Paulo factum contra illud, *Qui dixerit fratri suo fatue*; quo conuicium irascentis prohibetur, non increpatio corrigentis. Conuertit autem ad Galatas sermonem apostolus cum increpatione; quia iã ex superioribus liquet quàm stultè egerint à Christo declinantes ad legem; vt meritò dixerit eis, *Miror quòd sic tam citò transferimini* &c.

QVIS VOS FASCINAVIT NON OBEDIRE VERITATI? Pro *obedire*, multi codices habẽt, *credere*; atque ita vertisse hoc loco interpretem affirmat Hieronymus exponens illud 5 capitis, *Quis vos impediuit veritati non obedire*? Veruntamen idem Hieronymus præsentẽ locũ enarrans, submouet totum illud, *non credere veritati*; eò quòd in exemplaribus Adamantij non habeatur. & rursus ad 5 caput annotat, in vetustis codicibus ea verba non haberi. Licet, inquit, & Græca exemplaria hoc errore confusa sint. quod tamen non de omnibus quæ tunc extabant Græcis exemplaribus accipiendum, sed de multis, qualia sunt & quæ hodie in manibus habentur. Alioqui, nec apud Chrysostomum illa verba leguntur; vt nec apud posteriores Græcos Pauli interpretes; quemadmodum ex eorum commentarijs satis colligitur. His adde Latinos Augustinum, Ambrosianum, Primasium, Sedulium, Haimonem, & Scholiasten Hieronymi titulo, nec non mss. codices nonnullos, denique Syriacam editionem. Verisimile est autem, huc asscriptum fuisse illud additamẽtum ex 5 cap. idque iam olim ante Hieronymi tempora. In Græcis nostris codicibus vtroque loco idem verbum legitur; quod aptius vertas, *acquiescere*, quàm vel *credere* vel *obedire*. Porrò de fascino multa scribit Hieronymus in commentario; nec pauciora Thomas, qui duplicem distinguit fascinationem. Vnã, qua sensus adhibitis præstigijs quibusdam ludificatur; vt aliud pro alio appareat; veluti cùm homo apparet cornutus, aut pro homine lupus; quod quidem ad artem magicam pertinet. Alteram, qua quis ex maligno oculorum intuitu læditur. id quod maximè contingere solet pueris ætate adhuc tenera, dum ex vetularum vrenti & inuido aspectu langueſcunt, & ad vomitum prouocantur. cuius rei naturalem causam idem doctor eodẽ loco diligenter inuestigat, tametsi & ad huiusmodi effectum, fatetur operam dæmonũ quandoque admisceri; quod & Hieronymus annotauit. Iuxta hoc igitur, bifariam hic locus exponi potest. Vno modo; Quis ita menti vestræ, velut præstigiator, falsis persuasionibus illudere potuit, vt veritatem ante oculos positam, & paulò antè cognitam atque receptam, iam non videretis; sed pro ea aliud euangelium quod non est aliud, amplecteremini? Altero modo: Quis ita felicitati vestræ, tanquam fascinator inuidit, vt oculos mentis quibus nuper Christum fide cognitum recepistis, maleuolo adspectu, atque inspiratione Iudaici erroris inficeret; vosque salutaris doctrinę cibum stomacho nauseante reuomere cogeret? Hunc sensum Hieronymus tradit; à quo non adeò multum recedũt Græci, dum verbum Græcum βασκάινειν pro eo quod est inuidere, positum interpretantur. At priori sensui magis videtur congruere quod sequitur,

Fascinatio quid proprie, & quotuplex.

ANTE QVORVM OCVLOS IESVS CHRISTVS PROSCRIPTVS EST, IN VOBIS CRVCIFIXVS? Græcè, *Quibus ante oculos* &c. Item *proscriptus*, Græcè *præscriptus*; & ita legisse Hieronymum, ex eius commentario pene certa coniectura est, nec desunt Latini codices qui ita legunt: Eam certè lectionem Clementina editio habet; *præscriptus* autem, id est, antè scriptus, est enim idem in Græco verbũ quod bis legitur Rom. 15, vbi nos habemus, *quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Vnde commentarius de proscripto, id est, damnato apud Galatas Christo, quem Augustinus & Ambrosianus & alij Latinorũ nonnulli adferunt; ad rem præsentem facere non videtur. Nam verbum Græcum vix reperitur in ea significatione. Hieronymus præscriptum ante Galatarum oculos Iesum interpretatur, quòd olim de eius passione & morte ac cæteris ad eum pertinentibus multa, à Galatis perlecta, scripserint prophetæ. Sed quia nõ est verisimile Galatas, etiamnũ in Christo paruulos, in prophetarũ libris admodum fuisse versatos; idcirco Græcorum expositioni libentius accedimus, quæ huiusmodi est: Quis vos Galatas fascinauit? Quibus per meam prædicationem, palàm, velut in programmate ac tabula publica, vnde de plano legi & apertè cognosci posset, propositus est Christus, perinde atque si apud vos esset crucifixus; vt non minus, imò verò magis ac certius illum crucifixum fidei oculis aspexeritis, quam multi eorum qui coràm viderunt eum crucifigi? Illud tamen quod addit apostolus, *in vobis crucifixus*, multò aliter à Caietano exponitur. *Crucifixus*, inquit, *in vobis*, hoc est, multa passus in vobis; eo scilicet modo, quo Christus Petro dixisse narratur, *Vado Romã iterum crucifigi*; & quo Paulus dicit se adimplere *ea quæ desunt passionum Christi*, Col. 1. Christus enim, etsi post resurrectionem impassibilis, adhuc tamen patitur in membris suis. Itaque secundum Caietanum sensus est, Quis vobis fascinauit non solùm oculos, quibus Christum velut in tabula vobis depictum vidistis, sed & tangendi sensum, quo tam multa mala pro Christi nomine passi estis? Huic intellectui respondet quod paulo pòst

sequi-

ſequitur; *Tanta paſſi eſtis ſine cauſa?* Rurſus aliter hanc partem exponit B. Arias. *In vobis crucifixus*, inquit, per virtutem; quia paſſionis eius virtutem in vobis experti eſtis per dona Spiritus S. quæ in vos effuſa ſunt. Hic ſenſus conſonat cum ijs quæ ſequuntur de ſpiritu accepto. Veruntamen expoſitio Græcorum mihi planior videtur, & verbis apoſtoli magis inhærens: vt tota pericope ſit hypotypoſis quædam ſignata qua doceat IESV CHRISTI crucem ſic apud Galatas prædicatam, ſic depictam fuiſſe; tanquam ſub oculis eorum Dominus fuiſſet crucifixus.

2 HOC SOLVM A VOBIS VOLO DISCERE. Premit Galatas rationibus aliquot interrogando propoſitis; vt dum non habent quod reſpondeant, ſtulticiam ſuam agnoſcere, & ab ea reſipiſcere cogantur. Vel hoc ſolùm, inquit, mihi reſpondete; vnum hoc vos interrogo. Nam qui interrogat & ſibi reſponderi vult, quaſi diſcere cupit. alioqui propriè Paulus à Galatis, quos inſenſatos & ſtupidos vocat, & quorum ipſe doctor erat, non quærebat aliquid diſcere; ſed interrogando voluit eos docere.

EX OPERIBVS LEGIS SPIRITVM ACCEPISTIS, AN EX AVDITV FIDEI? *Spiritum* intelligit ſanctum; quem accipere dicuntur, qui dona eius accipiunt. Quod verò noſter interpres ad verbum reddidit, *ex auditu fidei*, hoc Eraſmus & Hentenius, ſenſum reddentes, dixerunt, *ex prædicatione fidei*, ſcilicet audita & recepta. Nam & Græca vox ἀκοὴ, pro fama & narratione ſumitur interdum apud profanos authores: LXX verò interpretes ea leguntur vſi pro obedientia, 1 Reg. 16, in verbis Samuelis ad Saul. Quæ ſignificatio bene etiam huic loco conuenit. Quærit ergo Paulus: Vnde ſpiritum accepiſtis operandi miracula & varijs linguis loquendi? Num ex operibus legis? Quod dici nequit; quia ſpiritum accepiſtis antequam ad legem Moſaicam vos conuerteretis. *An* verò, quod reſtat, & negare non poteſtis, *ex fide Chriſti quam audita prædicatione mea, ſuſcepiſtis?* Hinc concludendum, Ergo ſtultè facitis qui à fide Chriſti ad legem Moyſi tranſire vultis. Vnde & ſequitur.

3 SIC STVLTI ESTIS, VT CVM SPIRITV CEPERITIS, NVNC CARNE CONSVMMEMINI? *Stultos* hîc vocat interpres, quos paulò ante *inſenſatos*, cùm in Græco ſit idem nomen. Ambroſianus legit, *Sic ſine intellectu eſtis?* Sed & pro eo quod ſequitur: *vt cum Spiritu* &c. Ambroſiana lectio Græco textui propius inhærens, ſic habet: *Incipientes ſpiritu, nunc carne conſummamini?* Et quidem etiam nonnulli noſtri codices habent, vt & textus Primaſij, *Conſummamini*: quod quia non reſpondet particulæ *vt*, videri poteſt eam non fuiſſe ſcriptam ab Interprete; quemadmodum nec in Græco eſt, ſed quaſi deſideraretur, ab alio adiectam. Verùm prout Græca ſonant, ita legendum & diſtinguendum eſſet; *Sic ſtulti eſtis? qui ſpiritu cœpiſtis, nunc carne conſummamini?* Quanquam ſenſus eòdem recidit, eſtque huiuſmodi: Adeóne vecordes & inſipientes eſtis, vt cum rectus ordo poſtulet à carne ad ſpiritum progrediendum eſſe; vos contrà, poſtquam incepiſſetis à ſpiritu, cuius chariſmata in vos effuſa ſunt, nunc conſummationem, ſiue perfectionem quæratis à carnalibus legis ceremonijs; quas obſeruare vultis, quaſi illæ vobis ad perfectionem deſint, ſicut falsò perſuaſi eſtis à Pſeudoapoſtolis? Lex ceremonialis *caro* ſeu *carnalis* vocatur, quia tantùm valebat ad iuſticiam, & emundationem carnis, vt loquitur apoſtolus Heb. 9. aut certè, quia carnalem populum, cui congruèter data fuit, ad ſpiritum eleuare non potuit, ſed in carne reliquit. Nec contrariũ eſt quod Rom. 7 dicit, *Scimus quòd lex ſpiritualis eſt*; nam ibi non de ceremoniali lege, ſed de morali ſermo eſt; quæ ſpiritualis dicitur, quoniã obſeruata, ſpiritualẽ reddit hominem; licet eius obſeruatio non à lege ſit, ſed à Spiritu ſancto. Quidam partem hanc abſque interrogatione legunt, vt & ſequentẽ; ſed vehemẽtior eſt oratio cum interrogatione. Verbum Græcum ἐπιτελεῖσθαι ſignificat etiam finiri. Et ſic quidam exponunt hoc loco iſtud conſummari; vt inchoatio opponatur non perfectioni, ſed fini. Ita ſenſus eſt, Adeóne dementes eſtis, vt cùm à ſpiritu feceritis initiũ, deſinatis in carnem?

4 TANTA PASSI ESTIS SINE CAVSA? SI TAMEN SINE CAVSA. Græcè, *Fruſtra? ſi quidem & fruſtra.* Quod autem ait *Tanta*, Græcè τοσαῦτα, poteſt & de numero & de magnitudine intelligi. Senſus: Ergóne tam multa & grauia pro Chriſti nomine fruſtra paſſi eſtis, ac ſine fructu? Reuocat enim eos commemoratione eorum quę pro fide Chriſtiana perpeſſi fuerant, ne patientia illa reddatur eis inutilis; quod vtique futurum erat ſi à gratia Chriſti ad legem Moyſi, id eſt, à ſpiritu ad carnem prolaberentur. Quod autem addit, *Si tamen ſine cauſa*, correctio quædam rhetorica eſt eius quod interrogando dixerat, *ſine cauſa*; quaſi dicat, Sed ſpero meliora; Nam confido vos redituros à lege ad gratiam, vt non fruſtra tot & tanta paſſi fueritis. Hic locus oſtendit, id quod à Theologis traditur, bona opera ſubſequenti peccato mortificari, id eſt, infructuoſa reddi, eademque rurſus per pœnitentiam viuificari. Quòd ſi verò pœnitentia non ſequatur, fruſtra, quantum ad illos qui ea fecerint, facta eſſe, vt qui fructum inde nullum vnquam ſint percepturi. Qua de re vide commentarium Hieronymi. *Mortificatio & viuificatio bonorum operum.*

QVI ERGO TRIBVIT VOBIS SPIRITVM, ET OPERATVR VIRTVTES IN VOBIS: EX OPERIBVS LEGIS, AN EX AVDITV FIDEI? *Tribuit*, Græcè, *ſubminiſtrat*, vel *præbet*, vt legit Ambroſianus. Itaque *tribuit*, non præteriti, ſed præſentis tempotis eſt; ſicut verbum *operatur*; ita tamen vt hæc verba, quę in Græco participia ſunt, intelligamus à tempore ab-

ſolui, & proinde ad illud tempus referri, quo talia Galatis contingebant. tametſi Hieronymus refert etiam ad tempus præſens, quando iam euangelij veritatem Galatæ deſeruerant; atque ex eo docet etiam à malis & hæreticis, inuocato Chriſti nomine, miracula fieri poſſe. Sed veriſimilius eſt apoſtolum ad præterita tantùm reſpicere. Sumit enim argumentum ab ijs bonis quæ conſecuti fuerãt Galatæ, ex fide Chriſti ſuſcepta, ſine legis ceremonijs; non ab ijs quæ fortè apud eos adhuc remanſerant, poſtquam ad Moyſen deſciuerant. Sic enim parum validum videretur apoſtoli argumentum. Senſus igitur & collectio talis eſt: Deus qui varia Spiritus ſancti dona vobis impertijt, quique ſigna non vulgaria operatus eſt in vobis; vtrúmne id fecit, quia ſectabamini opera legis, an verò quia fidem Chriſti vobis prædicatam receperatis? Prius dici non poteſt, quandoquidẽ lex erat tunc vobis incognita; Reſtat igitur vt fidem gratiæ Chriſti tãtorum in vobis bonorum cauſam agnoſcatis; à qua proinde ad legem transferri minimè debuiſtis. Explicatio eſt & confirmatio ſuperioris argumenti, quo dixerat, *Ex operibus legis ſpiritum accepiſtis* &c. Si enim Deus dederit ſpiritum, non ex operibus legis, ſed ex fide; ergo & illi ſpiritum ex fide, non ex operibus legis acceperant.

6 SICVT ABRAHAM CREDIDIT DEO, ET REPVTATVM EST EI AD IVSTICIAM. In quibuſdam codicibus tam excuſis quàm manuſcriptis, ita legitur; *Sicut ſcriptum eſt, Abrahã credidit Deo* &c. Sed illud, *Scriptum eſt*, adiecticium eſſe, Græca & Syra exemplaria monſtrant, ijſque conformis Hieronymi textus Latinus, cum pleriſque noſtris codicibus; In his enim non plus legitur, quam nos habemus. Quomodo & Ambroſiũ atque Auguſtinũ legiſſe colligitur ex eorum cõmentarijs. Non ergo ſcripturæ teſtimonium allegat apoſtolus; ſed exemplum ſolùm adducit; in quo tamen ipſius ſcripturæ verbis vtitur, quæ ſunt Gen. 15. Tale eſt ergo quod dicit; Sic Deus ſpiritum vobis ſubminiſtrat, & virtutes in vobis operatur ex fide, & non ex operibus legis; ſicut Abrahæ, non ex operibus legis obtigit iuſticia, ſed per fidem, qua credidit Deo, etiam antequã eſſet circumciſus. Quænam fides fuerit Abrahæ reputata ad iuſticiã, & quo ſenſu reputata dicatur; Item, quomodo ſententia illa valeat ad docendum quòd etiam nobis ad iuſticiam fides imputanda ſit; ſatis à me explicatum arbitror in commentario epiſtolæ ad Rom. cap. 4. Significat autem apoſtolus chariſmata ſpiritus, non ſine iuſticiæ dono Galatis data fuiſſe. Neque enim in multitudinem aliquam effundebatur ſpiritus quo ad chariſmata, niſi ſimul effunderetur quo ad iuſticiam, cui chariſmata ſeruiebant, tametſi in ſingulis id non oporteat.

7 COGNOSCITE ERGO QVIA QVI EX FIDE SVNT, II SVNT FILII ABRAHÆ. Græcum γινώσκετε, ambiguum eſt ad *cognoſcite*, & *cognoſcatis*. Poſteriori modo legunt Ambroſianus & Hieronymus, & ante eos Cyprianus in epiſtola 63 ad Cæcilium; quibus & manuſcripti quidam Latini codices aſtipulantur. Vtraque tamen lectio, quemadmodum bene Caietanus oſtendit, commodum ſenſũ facit. Infert enim apoſtolus ex eo quod adduxerat exemplo Abrahæ patriarchę, cui fides ad iuſticiam fuit imputata; eos qui ex fide iuſtificati ſunt, aut ex ea iuſticiam & ſalutem expectant, (nam Græcè quamuis tantũ ſit, *Qui ex fide*, ſupplendum tamen eſt verbum, *ſunt*, quod exprimitur v. 10.) eſſe filios Abrahę, potiùs quàm illos qui iuſticiam ex lege quærunt; eò quòd Abrahæ per imitationem aſſimilentur. Idque cognoſcere & intelligere Galatas debere admonet. Simul autem carnales Iudæos perſtringit, qui gloriabantur ſe Abrahæ filios eſſe, quòd ex eo ſecundum carnem eſſent progeniti. Quin potiùs, inquit, diſcite, eos qui iuſticiam ex fide quærunt, eſſe filios Abrahæ; quoniam eius imitatores ſunt. Hinc & Dominus ad Iudęos ait Ioan. 8. *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*. Sed quia rudes Galatæ dicere poterant. Quid nobis proderit eſſe filios Abrahę? propterea ſubiungit fructum benedictionis expectandæ, quæ Abrahæ promiſſa fuit.

8 PROVIDENS AVTEM SCRIPTVRA, QVIA EX FIDE IVSTIFICAT GENTES DEVS; PRÆNVNCIAVIT ABRAHÆ. *Prouidens*, Græcè προϊδοῦσα, id eſt, pręuidens, cum præuidiſſet, vel quoniam præuiderat. *Præuidens* etiam in textu Ambroſiano legitur; quanquam prouidere pro eo quod eſt præuidere, etiam Latinè dicitur. Adde quod *præuidere*, poteſt videri dictum pro eo quod Theologis eſt prouidere, id eſt, pręordinare. Sic enim præcognoſcere nonnunquam in ſcripturis accipi, conſtat, atque eo modo Theophylactus verbum hoc exponit. Porrò, *ſcriptura*, pro eo qui per ſcripturam nobis loquitur, id eſt Spiritu ſancto, metonymicè dixit apoſtolus; Non enim ipſa ſcriptura, quæ res inanimata eſt, vel præuidere quidquam potuit, vel Abrahæ quicquam prænunciauit. Quod poſteriùs nec ad ipſum Moyſem, qui multò poſt Abraham fuit, poteſt referri; ſed ad ſolùm Deum: Iam nec ſimpliciter in Græco eſt, *prænunciauit* ſed *præeuangelizauit*, id eſt rem lætam antè nunciauit ac promiſit. Igitur ſenſus eſt: Quoniam præuiderat ac decreuerat Deus, iuſtificare gentes ex fide; idcirco ad hoc ſignificandum in ſcriptura narratur, iam olim annunciaſſe Abrahę tanquam omnium credentium patri, vt rem lætiſſimam, hoc quod ſequitur;

QVIA BENEDICENTVR IN TE OMNES GENTES. Id eſt, *quòd in te*, hoc eſt in ſemine tuo, ſiue ratione ſeminis ex te naſcituri, benedictionem conſequentur omnes gentes. Vbi *gentium* nomen generale eſt, Iudæos etiã comprehẽdens; ſicut & in huius verſus parte

Gẽtes quæ hoc loco.

præce-

præcedenti. nam in Christo qui est semen illud promissum, non est distinctio Gentilis & Iudæi. Et quidem Gen. 12. vbi scriptura, quã citat, originaliter habetur, in Hebræo non est vocabulum significans gentes, sed Familias, Græcè φυλαὶ: Vnde Hieronymus ita vertit: In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ. Tametsi alijs locis vbi hęc benedictio repetitur, vt Gen. 18. 22. & 26, nec non Psal. 71. legitur in Hebræo, *gentes*, sed generali, vt dictũ est, significatione, vt eædem intelligantur gẽtes & familiæ terræ. Porrò benedictionem non carnalem, sensu Iudaico; sed spiritualẽ oportet intelligi, quæ consistit in sanctitate & iusticia & beatitudine vitæ æternæ; quã accepturi sunt ex omnibus gentibus illi qui audient, à Christo; *Venite benedicti patris mei.* Repetit autem scriptura promissionem hanc Gen. 22. his verbis: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quæ posterior, prioris explicatio est, iuxta sensum iam datum: Nam & ad Isaac postea, similiter atque eodem sensu dictum est, Gen. 26: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.* Alij tamen diuersum aliquid significatum putant, scripturam ab apostolo citatam ita exponentes; *In te*, hoc est, ad tui similitudinem & imitationem, *benedicentur omnes gentes.* Sicut enim tu benedictionẽ & iusticiam consequeris; sic & omnes gentes fidem tuam imitantes, & per hoc tui filij, similiter fide iusticiam & benedictionem consequentur. Hunc sensum tradunt Augustinus & Theophylactus; eundemque Cyrilli authoritate confirmat Oecumenius. Imo sensum hunc exigere videtur illatio sequens; *Igitur qui* &c. Sed sciendum, in Genesi ante hãc promissionem, qua dictum est Abrahæ: *benedicentur in te* &c. nihil legi de fide aut iusticia Abrahæ, ad quod huiusmodi expositio referri queat; & proinde minus germana nobis videtur hæc interpretatio. Nostram verò, quam tradit Hieronymus, quam & ipse Oecumenius primo loco posuit, præter alterum scripturę locum similem, probabilem facit ipsius loci circunstantia, qua semen & posteritas Abrahamo promittitur. Porrò neminem offendat quod loco verbi, *benedicentur*, in Hebræo legitur, *benedicent se*, tam Gen. 12 & 22. quàm etiam psal. 71. vbi nos ex 70 legimus: *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ.* Non enim, vt quidam putant, id solum significatur, gentes vsuras huiusmodi imprecatione, Faciat tibi Deus, sicut fecit Abrahæ & semini eius; aut certè sibi optaturas similem cum illo, & semine eius felicitatem; sed planè significatur futurum vt gentes se benedictas, id est, beatas & felices, agnoscant & prędicent propter semen Abrahæ, quod est Christus, author benedictionis omnium gentium, quęcunque in eum crediderint. vt proinde non multum differant hæc duo, *benedicentur & benedicent se.* Quod intelligentes 70 interpretes passiuè verterunt tribus locis suprà dictis, ἐνευλογηθήσονται *benedicentur*, quemadmodũ, & hoc loco à Paulo; & Act. 3. à Luca refertur. Quare & Pagninus cùm Gen. 12 vertisset *benedicent se*; reliquis locis vertit *benedicentur.*

Quæ benedictio.

9 IGITVR QVI EX FIDE SVNT, BENEDICENTVR CVM FIDELI ABRAHAM. Græcè, *benedicuntur*, Ambrosiano consentiente. Ac rursus tantum dicitur, *qui ex fide* non addito verbo, *sunt*; quod tamen cum etiam Græcè exprimatur v. 10. est hîc quoque subaudiendum, vt & monuimus suprà, ad v. 7. Continet autem hæc illatio rationem sententiæ superioris, qua dicebatur Deum, significare volentem, quod gentes per fidem iustificaturus esset, prænunciasse Abrahæ, quod in ipso benedicendę essent omnes gentes. Ea ratio est, assimilatio gentium cum Abraham, in eo quod illum benedictione dignum reddidit, id est, in fide. Sic ergo ratiocinatur apostolus: Abrahæ facta est promissio quòd in ipso benedicerentur omnes gentes; at Abraham ipse per fidem, qua promissioni credidit, Deo placuit, & benedictionem promeruit; ergo quicunque ex fide iusticiam & benedictionem expectant, eam cum Abraham qui Deo credidit, assequuntur; non autem illi qui sunt ex operibus legis. Quod iam docet verbis sequentibus,

10 QVICVNQVE ENIM EX OPERIBVS LEGIS SVNT, SVB MALEDICTO SVNT: Quasi dicat: Qui verò opera legis sectantur, & ex ijs iusticiam expectant, vsque adeo promissæ benedictionis exortes sunt; vt etiam maledictioni siue execrationi sint obnoxij, ac punitione digni. Hoc siquidem est *sub maledicto esse.*

SCRIPTVM EST ENIM, In ipsa lege Deut. 27 MALEDICTVS OMNIS QVI NON PERMANSERIT IN OMNIBVS QVÆ SCRIPTA SVNT IN LIBRO LEGIS, VT FACIAT EA. Obseruat Hieronymus in Hebræo non addi signa vniuersalia, *Omnis, & omnibus*; sed nec ea legi apud interpretes, præterquam apud solos 70. Refert autem Samaritanorum Hebræa volumina hac in re cum 70 interpretibus concordare: Vnde suspicatur Iudæos, quòd viderent se non posse omnia legis præcepta, quę innumera erant, obseruare; ne propter hoc sub maledicto esse viderentur, erasisse ex Hebræis codicibus illa signa *Omnis, & omnibus*; præsertim, inquit, quòd apostolus vir Hebręæ peritiæ, & in lege doctissimus, illa verba, quasi sensui suo necessaria, ad probandũ illud, quod, *quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*, nunquam protulisset, nisi in Hebræis voluminibus haberentur. Sed hoc argumentum non conuincit. Nam vt in disciplinis, sic & in legibus, indefinitas propositiones vniuersalem habere sensum in confesso est. Exempla passim obuia sunt, etiam in lege Mosaica; nominatim Exod. 21 & 22. Hoc igitur attendentes 70 interpretes, vniuersale signum, quod in sensu verborum latebat, expresserunt. Idque similiter esse factũ

Concordia 70. Int. cum Hebr.

ab ijs,

ab ijs, qui Samaritanis Hebræa biblia communicarunt, existimandum est. Nec sanè verisimile est, ob causam ab Hieronymo commemoratā codices à Iudæis fuisse corruptos: cùm vtique non ignorarent eam audaciam nihil sibi profuturam ad euadendum legis maledictum; ac futurum potius vt tanto scelere maledictum sibi conduplicarent. Deinde quî conuenit vt propter multitudinem præceptorum quæ lege Mosaica continebantur, intantum sibi metuerint à maledicto, vt de verbis legis aliquid abradendum putarent; quando ipsi tam multa alia secundum suas, quas vocant, Deuteroses, obseruanda legi superaddiderint? Omitto quærere quando Iudæi, seu Iudæorum magistri, conspirauerint in tale facinus. Nam id factum oportuit post tempora Pauli, si is allegauit testimonium sicut in Hebræis voluminibus legerat. Atqui ab eo tempore Iudæi magis, magisque dispersi fuerunt per nationes, ijdemque passim in vrbibus celebrioribus suas habebant Synagogas, in quibus scriptura per omne sabbathū legeretur. An ergo credibile est, vna conspiratione, ac pari consensu factum, vt per omnes Synagogas legem patriam à Deo sibi traditam, quam mordicus semper retinuerunt, & pro qua toties periclitati fuerunt, aliqua verborum mutilatione, seu qualibet mutatione corrumperent? Denique si Iudæi voculas illas, de quibus nunc agitur, abraserunt; cur eas Hieronymus in sua versione non reſtituit, vt integram nobis scripturam daret? Dices, eum aliud vertere non potuisse, quàm quod reperit in Hebræo. Dicam & ego, quod ille ex Hebræo transtulit, & in Ecclesia legitur, sicut vsque hodie in Hebræis codicibus habetur, id nobis tenendum esse citra suspicionem rasuræ, vbi nulla probabilis ratio suadet, vt credamus quicquam esse sublatum. Nam ex supradictis arbitror satis apparere Hieronymi suspicionem (quod salua tanti doctoris authoritate dixerim) tantùm esse suspicionem, non veritatem. Est igitur citati testimonij sensus: *Omnem eum esse maledictum*, id est, execrabilem, & pœnis à lege comminatis obnoxium ac deuotum, *qui non perseueranter omnia faciat*, atque obseruet, *quæ lex præscribit* obseruanda. Nam vt ait Iacobus apostolus c. 2. *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno; factus est omnium reus.* Censetur autem omnia facere, qui à fine legis non aberrat; id est, qui mortaliter contra legem non peccat. Alij sic exponunt; Eum omnia facere, qui sine exceptione seruat ea legis mandata, quæ continēt substantiam vitæ: Ac de his similiter memoratam Iacobi sententiam interpretantur. Explicat enim ille seipsum de præceptis decalogi; quorum vtique mortalis esse solet transgressio. Cuiusmodi item sunt omnia, quę in maledictionibus à Moyse exprimūtur Deut. 27. Sciendum tamen inter illas maledictiones quædam nominari peccata, quæ non expresè prohibentur decalogo; ac rursum interdum peccari contra aliquod decalogi præceptum citra mortalem culpam. Quapropter id quod prius dixi, potius sequendum est. Nunc argumentationem apostoli consideremus, quæ talis est: *Maledictus est quicunque non permanserit in omnibus quæ lex præcipit; At quicunque ex operibus legis sunt, non permanent in illis omnibus; ergo quicunque sunt ex operibus legis, sub maledicto sunt.* Huius syllogismi minorem apostolus non enunciat, sed intelligendam relinquit. Et quoniam non eam cōcessuri erant aduersarij, sed dicturi se permanere in omnibus præceptis legis, ideoque nihil ad se maledictionis sententiam pertinere; idcirco tacitam istam subsumptionem verbis subiunctis probat.

Sensus citati testimonij.

II QVONIAM AVTEM IN LEGE NEMO IVSTIFICATVR APVD DEVM, MANIFESTVM EST: QVIA IVSTVS EX FIDE VIVIT. *Quoniam* pro, *quòd*, sicut est in Ambrosiano; Et pro, *viuit*, verior lectio futuri, *viuet*, quemadmodum & ad Rom. 1. annotauimus. Sic enim etiam hoc loco Græci, Syrique codices, & ex nostris optimi quidam habent; Sic & Hieronymus legit. Nec in Græcis ea dictionum affinitas est, quæ in Latinis, vt facilè possit per errorem altera pro altera scribi. Sensus est: Neminem vero per legem iustificari apud Deum, hoc argumento manifestum est, quia teste Propheta *Iustus ex fide viuet*. Itaque probat apostolus eos qui ex operibus legis sunt, non facere ea quæ scripta sunt in lege; quia ex lege nemo iustificatur coram Deo. Et hoc rursum probat, ex scriptura prophetica; de cuius sensu videnda sunt, quæ pro eius explicatione diximus ad Rom. 1. Eōdemque pertinet quod ait huius epistolæ c. 2. *Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei.* Declarat enim ille locus, ex ea fide præcipuè quę est in Christum filium Dei redemptorem ac propiciatorem nostrum, viuere iustum, quatenus iustus est; id est, ex ea iusticiæ suæ vitam omnem haurire: quia quod iustus est, & iustè operatur, & iustus permanet, habet ex hac fide tanquam radice, ex qua nascatur; & tanquam fundamento, cui innitatur tota eius iusticia. Nam Deus ordinauit non iustificare nisi credentes in Christum filium suum vnigenitum, mediatorem ac redemptorem. vult enim beneficium redemptionis & iustificationis agnosci per fidem. Ex eodem loco refellitur illa distinctio propheticæ sententiæ, cuius Hieronymus tantū meminit, quamque sequitur, & nimis diligenter inculcat Caietanus (nam & Rom. 1. eam tradit, & Heb. 10. repetit) scilicet vt legatur, *Iustus ex fide*, deinde commate interposito, sequatur, *viuet*; quasi dicat apostolus, Qui ex fide iustus est, & non ex operibus, is absolutè viuet. Refellitur, inquam, quia apostolus illud, *ex fide*, cum verbo viuere, manifestè coniungit, affirmans se viuere ex fide filij Dei, dicto c. 2. huius. Atque hoc modo, citatam ab apostolo propheticam

Prauadistinctio testimonij prophetici.

senten-

ſententiam omnes interpretes acceperunt. Porrò notandum eſt, apoſtolum ſuperioris ſyllogiſmi minorē, non ex eo probare quòd iugum legis ob multitudinem præceptorum, maximè ceremonialium, fuerit ſupra modum graue, Petro atteſtāte, *Quod neque nos*, inquit, *neque patres noſtri portare potuimus*. Act. 15. Quam probationem nonnulli huc adferunt; minus rectè. Nam eo non obſtante, Sancti Patres veteris teſtamenti permanſerunt in omnibus præceptis legis, vt qui à maledictione fuerint liberi. Adde, quod Moyſes illo Deut. loco quo maledictiones recenſet, nullam ceremonialium præceptorum facit mentionem, ſed tantùm moralium. Itaque ſolidiorem fecit apoſtolus probationem ex teſtimonio ſcripturæ.

12 LEX AVTEM NON EST EX FIDE; Complementum eſt argumentationis ſuperioris, & conſequentiæ probatio. Nam quia reſpōdere quis poterat legem & fidem, quoad effectum iuſticię inter ſe non pugnare, ſed ex vtraque iuſticiam peti poſſe (hoc enim Iudaizantes docebant); ideoque teſtimonium prophetæ nihil aduerſum ſe facere: reſponſioni huiuſmodi Paulus occurrit, dicens: *legem non eſſe ex fide*, hoc eſt, opera ex lege facta non poſſe eſſe opera fidei. *Si enim ex lege iuſticia; iam non ex fide, ſed gratis Chriſtus mortuus eſt.*

SED QVI FECERIT EA, VIVET IN ILLIS. Sententia hæc etiam Rom. 10. legitur, & deſumpta eſt ex Leuitici c. 18. tametſi Hieronymus, huius loci immemor, eam referat ad locum Ezech. 20. Vbi ſimile quid dicitur. Et quia de eius intellectu plenè diſſeruimus in explicatione epiſtolæ ad Rom. tantùm hîc repeto, ſenſum illum à multis receptum: Qui fecerit ea quæ lex præcipit, ita ſaltem vt illam manifeſto opere non tranſgrediatur; per ea legis opera, ſupplicium mortis euadet, viuetque vita temporali: non eſſe conſentaneum ſermoni ſcripturæ, quæ legis obſeruationem nominans, de vera legis obedientia vbique, & maximè in ipſa lege, loquitur; ac nominatim in eo quod paulò antè apoſtolus ex lege citauit, *Maledictus omnis qui non permanſerit* &c. *vt faciat ea.* vbi relinquebat aſſumendum, illos *qui ex operibus legis ſunt, non facere ea*; quemadmodum ibi diximus. Verus igitur intellectus eſt de vera & in ſcripturis laudata legis obedientia. Quocirca ſic apoſtolū intellige. *Lex autem non eſt ex fide; tametſi qui fecerit ea, quæ lex præcipit, ex eorum obſeruatione viuet vita iuſticiæ, veræq; ſalutis*; quia *Factores legis iuſtificabuntur*. Ro. 2. Et dictum eſt à Domino; *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*. Sed ex lege præcepta legis implere, & in ijs viuere, nemo poteſt; hoc enim non fit niſi per fidem; quia Iuſtus ex fide viuet.

Vide Rō. 2. aliquot locis.

13 CHRISTVS NOS REDEMIT DE MALEDICTO LEGIS; FACTVS PRO NOBIS MALEDICTVM. Cum dixiſſet apoſtolus, eos qui ſunt ex operibus legis, ſub maledicto eſſe, nec per legem inde eximi poſſe; pergit nunc oſtendere per quem, & qua ratione à maledicto liberari queamus, & promiſſam benedictionem conſequi; ſcilicet per Chriſtum, ſi in eum credatur. *Chriſtus*, inquit, *nos* tam Iudæos quàm Gentiles *redemit à maledicto*, ſiue execratione *legis*; id eſt, à pœna quam lex cum execratione minatur, dicens: *Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus* &c. Præſtitit autem id nobis Chriſtus, *dum factus eſt ipſe pro nobis maledictum*. Hoc quo ſenſu dicatur, cùm durè ſonet Chriſtum factum eſſe maledictum & execrationem; atque ex eo non intellecto olim quidam fideles, errandi; Infideles autē calumniandi ceperint occaſionem, vti liquet ex Hieronymi & Auguſtini commentarijs: petendum ex ſubiuncta probatione,

QVIA SCRIPTVM EST, Deut. 21.

MALEDICTVS OMNIS QVI PENDET IN LIGNO. In Hebræo legitur hoc ſolum, *Maledictio Dei ſuſpenſus*. Et eo modo Theodotionem & Aquilam vertiſſe Hieronymus affirmat. Nam quod Symmachus, & eum imitatus Pagninus interpretandum putarunt, Propter blaſphemiam, ſeu maledictionem Dei, ſuſpenſus eſt; neque ſonti Hebræo reſpondet, neque conuenit cum citatione apoſtoli; ac proinde reijciendum eſt, præſertim quòd non appareat ſolis in Deum blaſphemis ſupplicium crucis ac patibuli decretum fuiſſe; quandoquidem & latrones vnà cum Domino crucifixi leguntur; & in lege blaſphemus non crucifigi, ſed lapidari præcipitur Leuit. 24. Porrò 70 ſic verterunt: *Maledictus à Deo omnis qui pendet in ligno*. Hos apoſtolus ſecutus videtur, niſi quod loco participij nomen verbale poſuit, quod execrabilem ſonat. Nec addidit, *à Deo*. Quam particulam quo conſilio omiſerit, incertum eſt; cùm ſic potuerit Chriſtum dicere maledictū à Deo, quomodo dixit alibi, eum factum à Deo peccatum. *Eum*, inquit, *qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, vtiq; Deus. 2. Cor. 5. Quod autem Hieronymus exiſtimat veteres Hebræorum libros non habuiſſe Dei nomen, & poſt paſſionem Chriſti tam in Hebræis quam noſtris codicibus ab aliquo, Dei nomen appoſitum, vt infamiam nobis inureret, qui in Chriſtum maledictū à Deo, credimus; id nullo modo veriſimile eſt, licet in eam opinionem etiam Thomas authoritate Gloſſæ, ex Hieronymo ſumptæ, fuerit inductus. Neque enim vel vnus vel plures Iudæi potuerunt libros tot interpretum, quos ipſe Hieronymus allegat, quique in manibus Chriſtianorum verſabantur, aſſcripto Dei vocabulo corrumpere, ſic vt nulla ſinceræ lectionis veſtigia vſquam extarent. Potius arbitror Dei nomen ſtudio prætermiſſum ab apoſtolo, ne atrociori ſermone quo Chriſtus à Deo maledictus diceretur, imbecilles animi Galatarum offenderentur. Senſus autem citati teſtimonij ex loco Deut. quærendus eſt, vbi ſic legitur; *Quando peccauerit homo quod*

morte plectendum est, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo; non permanebit cadauer eius in ligno, sed eadem die sepelietur: quia maledictus à Deo est, qui pendet in ligno; & nequaquam contaminabis terram tuam &c. Cui sanè loco sensus hic aptissimè congruit; Eum qui suspenditur in patibulo, maledictum esse à Deo, id est, execrabilem Deo; propter peccatum quo supplicium tale meruit; vt propterea corpus eius non diu relinquendum sit in hominum conspectu, pendens in cruce; sed eadem die remouendum ex oculis, & obruendum terra. Dices, Si hic est sensus; nihil ergo ad Christum, vtpote peccati omnis expertem, hæc scriptura pertinet. Respondent nonnulli, propriè quidem testimonium hoc scripturæ de sceleratis agere; sed quadam extensione ad Christum accommodari, qui maledictus à Deo dicatur, non propter sua, quēadmodum illi qui secundum legem crucifigebantur, sed propter aliena peccata; quatenus nimirū Deus in illo nostra peccata, quasi ipse peccasset, puniuit & expiauit; secundū illud propheticū: *posuit in eo iniquitatem omniū nostrûm*. Isa. 53. Verùm hac extēsione scripturæ nihil opus est. Nō enim affirmat apostolus Christum illa sententia comprehendi; sed tantùm ex ea probare vult *Christum factum esse maledictum similitudine quadam*. Si enim maledicti & execrabiles erant Deo, qui pro suis sceleribus suspendebantur in ligno; Christus igitur, ficut assumendo naturam mortalem, venit in similitudinem carnis peccati; ita suspensus in cruce sustinuit similitudinē maledicti, de quo loquitur scriptura Deut. Dicitur ergo *factus pro nobis maledictum*, quia pro nostra redemptione ac salute crucifixus, similitudinem gessit hominis à Deo maledicti; & pro tali reputatus est ab hominibus, iuxta quod apud eundem prophetam eodem capite legitur: *Cum sceleratis reputatus est*. Hūc intellectum confirmat alter eiusdem apostoli locus, quem suprà citauimus, quo *Christus pro nobis factus dicitur peccatum*, id est, ob pœnam peccatoribus similis, & pro tali reputatus. Nec ab hoc sensu discrepant Hieronymi, Augustini, & Græcorum commētarij, si propius inspiciantur.

Quo sensu Christus dicatur maledictum.

14 VT IN GENTIBVS BENEDICTIO ABRAHÆ FIERET IN CHRISTO IESV: *In gentibus*, Græcè, *In gentes*, vel *ad gentes*. Referenda est hæc pars ad illud præcedens; *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*. Hoc ideo (inquit) vt benedictio Abrahæ promissa, quæ totam hominis renouationē, & beatitudinem complectitur, ad gentes veniret, & in ijs compleretur per Iesum Christum. *Gentium* nomen hoc loco generale est, Iudæos etiam comprehendens, vt & in verbis promissionis. Notanda quoque antithesis inter maledictum & benedictionem; licet ea minus appareat in Græco.

VT POLLICITATIONEM SPIRITVS ACCIPIAMVS PER FIDEM. Explicatio est membri præcedentis. Neque enim *pollicitationem spiritus* dicit, tanquam promittentis, vt quidam exponunt, sed tanquam rei promissæ. Sensus enim est; Vt per fidem qua in Christum credimus, acciperemus Spiritum sanctum nobis promissum, hoc est, spiritum charitatis & adoptionis filiorum Dei; non spiritum seruitutis in timore, quem qui sub lege erant, acceperant. Ostendit hic locus eandem esse promissionem benedictionis factam Abrahæ, & promissionem Spiritus sancti per Prophetas annunciatam; quantum quidem ad rem promissam attinet; ideoque benedictionem illam Abrahæ promissam, spiritualiter intelligi oportere.

15 FRATRES, SECVNDVM HOMINEM DICO, Alio nunc argumento docet, ex lege non esse iusticiam, eóque sumpto à ratione humana. Hoc est enim quod ait; *Secundum hominem dico*; Id est, humano more loquor, à rebus humanis exemplum adfero, si minus capitis rationes sublimiores.

TAMEN HOMINIS CONFIRMATVM TESTAMENTVM, NEMO SPERNIT, AVT SVPERORDINAT: *Spernit*, rectius ex Græco, *reijcit*. Textus Ambrosianus ordinem verborum immutat, hoc modo; Hominis testamentum confirmatum tamen, nemo irritum facit aut superordinat. Quæ lectio sensum hūc innuit; Testamentum hominis, si tamen confirmatum sit, rescindi non potest, aut mutari. Placet hic sensus, & constructio, etiam Caietano. Sed quia violentius est dictionem *tamen* in principio positam, eò vsque trahi, medio vocabulo prætermisso; magis probandum, quod alij dicunt, *tamen*, pro licet, positum esse, & proximo genitiuo, *hominis*, adhærere. Vnde vertunt Erasmus & Hentenius; hominis licet testamentum &c. Itaque sensus est; Testamentum licet humanum, modò comprobatum sit, & (vt loquuntur), authorizatum, hoc est, iure factum; Nemo reijcere permittitur, aut superordinare. *Reijcit*, qui quod factum est, planè conuellit ac pro nullo habet. *Superordinat* autem, qui mutat, aut innouat, siue addendo aliquid, siue demendo. Quidam *confirmatum* intelligunt *testamentum*, per mortem; prout Heb. 9. dicitur. *Testamentum in mortuis confirmatum est*. Sed Græcum vocabulum hoc loco positum, magis exigit sensum quem diximus; tametsi verum est apostolum loqui de tempore quo mortuus est testator: Dum enim viuit, ipsi mutare est integrum. Porrò ex hac proportione colligendum relinquit, multo minùs testamentum, seu pactum, seu promissionem Dei posse à quoquam rescindi, aut mutari; cùm necesse sit diuina firmiora esse humanis. Quæ tacita conclusio nouæ propositionis loco intelligenda est, cui hæreat sequens assumptio.

16 ABRAHÆ DICTÆ SVNT PROMISSIONES, ET SEMINI EIVS. Græcè: *Abrahæ autem dictæ* &c. Sensus; Atqui *promissiones voce diuina*

factæ

facta ſunt Abrahæ & ſemini eius: Abrahæ quidē, & quia ſermo promiſſionis ad eū factus eſt, & quia promiſſum eſt ei; ſemini autē eius, & quoniam ei promiſſum eſt, & quia per illud promiſſiones erant adimplendæ. Dicit autē, *promiſſiones*, numero plurali, quia non ſemel, ſed ſępius facta eſt promiſſio; tametſi res principaliter promiſſa, hoc eſt, benedictio gentium, ſit in omnibus eadem. Nominatim autem in promiſſionibus fit mentio ſeminis Gen. 12. 13. 15. 17, & 22.

NON DICIT, ET SEMINIBVS, QVASI IN MVLTIS: SED QVASI IN VNO, ET SEMINI TVO; QVI EST CHRISTVS. Hoc poſtremum: *Qui eſt Chriſtus*, interpretatio eſt apoſtoli, qua, promiſſionem illam; *Et ſemini tuo*, de Chriſto docet accipiendam. Quæritur ad quem locum Geneſeos Paulus in his verbis reſpiciat. Plerique putant ad cap. 22. vbi celebris illa promiſſio legitur, *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* Sed obſtat quòd apoſtolus tam diligenter coniunctionem copulantem ſemel & iterum exprimit, cùm ait, Deum promittentem non dixiſſe; *Et ſeminibus*, ſed dixiſſe, *Et ſemini tuo.* Quorſum enim coniunctionem, alioqui ſuperuacaneam ita ſtudioſè adderet; niſi reſpiceret ad aliquem ſcripturæ locum, in quo illa expreſſa haberetur? Huiuſmodi autem loca ſunt, Gen. 13 & 17. in quibus, terram Chanaam promittens, Dominus dicit: *Dabo tibi, & ſemini tuo.* Quare huc potius apoſtolum reſpexiſſe crediderim; eo maximè, quia dixerat, *Abrahæ & ſemini eius dictas fuiſſe promiſſiones*; quod diſtinctè in his duobus ſit locis, dicendo, *tibi & ſemini tuo*; non item, cùm dicitur. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* Item quia infrà dicitur, *Donec veniret ſemen cui promiſerat.* non, in quo promiſerat. Nec obſtare puto quòd apoſtolus *ſemen* interpretatur Chriſtum; cùm in duobus locis memoratis ſemen intelligi conſtet populum carnaliter ex Abraham naſciturum, vtpote cui poſſeſſionem terræ Chanaam Dominus promittat: Nam & Gen. 22. ſecundum literam, idem populus nomine *ſeminis* ſignificatur; id quod palam oſtendunt anteriora verba promiſſionis, quæ ſic habēt; *Multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in litore maris. Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.* Poſt quæ quidem verba continuo ſermone ſequitur illud; *Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Quòd ſi ergo locus hic rectiſſimè de Chriſto accipitur, qui pars erat futurus populi ex Abraham venientis, nihil prohibebit & in alijs duobus locis, Chriſtum nomine ſeminis per myſterium intelligi, qui regno ſuo ſpiritali omnes terras gentiū erat poſſeſſurus. Quanquam dici poteſt, illud, *& ſemini eius*, poſſe ex phraſi Hebræa ſic accipi quaſi dictū foret, *De ſemine eius.* quomodo pſal. 3. legimus, *Multi dicunt animæ meæ*; id eſt, de anima mea. Eſt ſimilis locutio ſępe in alijs pſalmorum locis. Imò hoc ipſo cap. verſ. 19. talis expoſitio optimè quadrat. Verùm hîc alia non parua difficultas occurrit. Nam qua ratione apoſtolus in vocabulo *ſeminis* vrget numerum, dicens, non dixiſſe, *Et ſeminibus, tanquam de multis, ſed tanquam de vno, & ſemini tuo:* cùm *ſemen* Hebræis ſit nomen collectiuum ſingulari numero multos comprehendens; nec vſquam apud eos in plurali reperiatur, quantumcunque multos homines ſignificare voluerint; vt & Hieronymus teſtatur? Ad hoc reſpondent, Frequenter etiam vnum hominem per ſemen ſignificari, quemadmodum patet ex ipſa Geneſi, 3. 4. 21 capitibus, & ex alijs ſcripturę locis. Oportere autem vel ex circumſtantijs vel aliundè intelligi, num pro vno, an pro multis accipiatur. Sed hæc reſponſio præſentem difficultatem non tollit. Non enim dubium quin *ſemen* aliquando de vno tantùm homine dicatur in ſcripturis: ſed quæritur quomodo rectè procedat apoſtoli ratiocinatio, qua non ex circumſtantijs aut aliundè, ſed ex numero ſingulari docet vnū, id eſt Chriſtum, intelligi; cùm numerus ille communis ſit multis & vni; & quidem frequentius ad multos referatur. Nec ſi vel maximè multos comprehendere voluiſſet Moyſes ſcripſiſſet, *ſeminibus, ſed ſemini*; ſcilicet propter eius vocabuli in Hebręa lingua proprietatē. Quæſtionē hāc primus mouit Hieronymus, nec planè ſoluit. Magis facit ad nodum quæſtionis ſoluendū quod Aquinas & Caietanus breuiter annotarūt, Paulum eodē ſpiritu quo promiſſio facta, & ſcriptura condita eſt, eā interpretari quòd ex numero ſingulari, vnus, id eſt Chriſtus, fuerit ſignificatus. Prouidit enim Spiritus ſāctus vocabulū eiuſmodi in ſcripturis, vt per illud cōuenienter Chriſtus ſignificaretur. Nec prętermittendū quod Auguſtinus in Chriſto vult ſignificari omnes Chriſtianos fide imitantes Abraham. Hi nāque ſunt illud ſemen, cui promiſſio facta eſt; cùm Chriſtus propriè ſit ſemen per quod promiſſio ſit adimplenda: In quo tamen etiam illi omnes, per vnam fidem, ad ſingularitatem rediguntur; vt loquitur Auguſtinus.

Quæſtio. *Reſpōſio.* *Quæſtio* *Reſpōſio.*

17 HOC AVTEM DICO. Collectio eſt ex præmiſſis. q. d. Hoc igitur eſt, quod intendo, quod volo concludere,

TESTAMENTVM CONFIRMATVM A DEO, Græcè, *teſtamentum antè confirmatum â Deo in Chriſtum*; Ambroſianus, *in Chriſto*,

QVÆ POST QVADRINGENTOS ET TRIGINTA ANNOS FACTA EST LEX, NON IRRITVM FACIT AD EVACVANDAM PROMISSIONEM. Græcè, *ad abolendam*, ſiue *abrogandam promiſſionem.* Ordo & ſenſus eſt. Lex quæ poſt annos à promiſſione quadringentos & triginta demum accepit initium, non poteſt irritum facere teſtamentum ſeu pactum tantò antè firmatum ratumque factum à Deo, atque in Chriſto præſtandum, vt ſic aboleatur & inanis reddatur De;

promiſſio. Porrò tota Pauli argumentatio ab eo loco, *Tamen hominis confirmatum teſtamentum*, ſpeciem habet ſyllogiſmi, eſtque huiuſmodi: Pacta diuina rata, & firma eſſe debent multo magis quàm humana; Atqui Deus iniit pactum cum Abraham & ſemine eius promiſſa benedictione per Chriſtũ; ergo pactum illud debet manere firmũ, & inuiolabile, nec per legem, quæ multo pòſt ſuperuenit, abrogari potuit, aut intercipi, quo minùs per Chriſtum impleatur. Id autem contingeret, ſi per legem eſſet benedictio, quæ præſtanda per Chriſtum eſt promiſſa; Quod declarant proximè ſequentia apoſtoli verba.

Quid hic teſtamentum.

Sed prius hoc loco quærendum quid teſtamenti nomine ſignificetur. Sanè priori loco, vbi exemplum humani teſtamenti inducitur, propriè teſtamentum intelligi, id eſt, diſpoſitionem hominis de eo quod poſt mortem ſuam velit fieri, conſenſus eſt omnium interpretum; Nec id videtur in dubium reuocandũ. Hoc verò, vbi Deo teſtamẽtum attribuitur, conſtat non ita propriè ſumi poſſe; Pro qua re notandum eſt, vbicunque in ſcriptura veteris inſtrumenti 70 ſcripſerunt διαθήκην quod Latinis teſtamentum ſonat, in Hebræo legi Berith; Quo vocabulo pactum ſignificatur. Vnde & Aquila & ceteri interpretes, Hieronymo teſte, non διαθήκην, ſed συνθήκην, id eſt pactum, tranſtulerunt. Quanquam nõ ob hoc imperitiæ arguẽdi ſunt 70. Siquidem διαθήκη, præter teſtamentum, ſignificat etiã interdum in genere pactum, conuentum, pollicitationem; quemadmodum ex probatis Authoribus oſtendit Budæus in commentarijs linguæ Græcæ. Quoniam autem 70 interpretes vſi ſunt ea voce ad pacta ſignificanda; Hinc & apoſtoli (quorum tempore non alia Græca ſacrorum codicum editio exſtabat) libenter eandem vocem eadem ſignificatione vſurparunt. Itaque teſtamentum hoc quod apoſtolus Paulus dicit confirmatũ à Deo, non dubitauimns pactum exponere, id eſt, promiſſionem Abrahæ factam; ſicut apoſtolus ſeipſum interpretatur. Nec ideo inualida eſt apoſtoli argumentatio, in qua pro antecedente ſumſit teſtamentum propriè dictum: Nam quæcunque ſunt Dei pacta & decreta, maiorem habent firmitatem, quàm quæ apud homines firmiſſima habentur, quale eſt teſtamentum. Vnde à firmitate teſtamenti humani, rectiſsimè proceditur ad firmitatem cuiuſcunque pacti, ſeu promiſſionis diuinæ. Adde, quòd promiſsio, de qua differit apoſtolus, etſi propriè teſtamentum non ſit, meritò tamen & hoc loco, & in epiſtola ad Heb. teſtamentum vocatur, duplici ratione: tum quia, ſicut ait Auguſtinus, quod mors teſtatoris valet ad confirmandum teſtamentum eius, quia conſilium iam mutare nõ poteſt; hoc immutabilitas promiſsionis Dei valet ad confirmandam hæreditatem Abrahæ, præſertim accedente iureiurando, quo dixit. *Per memetipſum iurauí* Gen. 22. Tũ quia reſpiciebat mortem filij Dei, & ab ea, vt à Patre præordinata, certoque futura, iam inde ab initio firmitatem accipiebat. Plura de vocabulo teſtamenti legat qui volet, apud Saſboldum in commẽtario; & nos plura in epiſtolam ad Heb. Iam quod ad numerum annorum attinet hîc expreſſum ab apoſtolo, breuiter dicimus eam ſententiam veriorem eſſe, & abſque ſcrupulo tenendam, quæ tempus hoc ducit ab initio promiſsionis Abrahæ factæ, vſque ad legem datam in monte Sinai. Primùm enim, id omnino exigit intentio apoſtoli hoc loco; nam viget annorum multitudinem à promiſsione vſq; ad legem, docens non potuiſſe per legem abrogari promiſsionem tot annorum veluti præſcriptione iam antè firmatam. Quare vt vim adderet argumento; non ab aliquo poſteriori principio, iuxta quorundam opinionem, ſed à primo tempore factę promiſsionis annos numerare debuit. Deinde probatur id ex chronica ſupputatione totius temporis memorati; quã diligẽter in ſuo cõmentario Thomas exſequitur, & ante eũ Auguſtinus q. 47. in Exo. & lib. 16. de ciuit. cap. 24. Præter hos autẽ ita de hoc annorum numero ſentiunt Ioſephus lib. 2. ant. c. 6. Euſebius in chronico ad annũ mundi 3260. Epiphanius in Ancorato, Seuerus hiſtoriæ ſacræ lib. 1. Rabanus, Liranus & Caietanus in Geneſin & Exodũ ſcribẽtes; Item Iohannes Driedo, Melchior Canus, & alij plerique; vt taceã commentatores huius loci tam Græcos quàm Latinos, qui omnes in hanc eandẽ ſententiã conueniunt. Cui denique ſuffragantur Martyrologia quæ in Eccleſia legũtur, nominatim Romanum, & Vſuardi, quæ ad diem 8. cal. Ian. à natiuitate Abrahę vſque ad egreſsũ populi Iſraelitici ex Ægypto, quãdo lex data eſt, annos numerãt fermè quingẽtos. Nec verò pugnat cũ hac ſententia quod Gen. 15 Dominus Abrahæ prædicit poſteros eius quadringẽtis annis ſeruituros, quodq; Exo. 12. tẽpus habitationis filiorũ Iſrael in Ægypto ſcribitur fuiſſe quadringentorũ & triginta annorũ. Ex quibus locis Genebrardus & alij nonnulli ſumſerunt occaſionẽ errãdi, vt putarent annorũ numerũ, de quo loquitur apoſtolus, ſupputandũ eſſe ab ingreſſu Iacob, & filiorũ eius in Ægyptũ; Ex quo conſequens ſit à promiſsione facta Abrahæ vſque ad legiſlationẽ multo plures annos interceſsiſſe, nimirum ſeptingẽtos aut circiter. Sed vt omittã quod 70 Exo. 12 ſic legunt; *In terra Ægypti, & in terra Chanaã* (fortè enim alterũ hoc additiciũ eſt) reſpondendum eſt cum Auguſtino, Thoma, alijſque ſupradictis authoribus, ſcripturam ijs locis non dicere à quo tempore ſeruitus aut habitatio filiorũ Iſrael in Ægypto cœperit, ſed tantùm ſignificare velle ad quod vſque tempus perducta ſit; haud quaquam exprimendo initium à quo tempus illud ſupputandũ eſſet. Non ſemper enim in talibus ſcriptura id exprimit. Exemplum apertum eſt 2. Reg. 15. v. 7. Hoc autem initium in re propoſita

Vnde faciendum initium temporis hic expreſſi.

ſecundum apoſtolum & veram chronologiam, multo altius repetendum eſſe, iam ſatis oſtendimus.

NAM SI EX LEGE HÆREDITAS; IAM NON EX PROMISSIONE. Id eſt: Si benedictio Abrahæ promiſſa, & iuxta promiſſionem à filijs eius hæreditanda, per legem præſtatur: non ergo iam, ex pura & liberali Dei promiſſione, per Chriſtum expectanda erit; atque ita per legem euacuabitur promiſſio. Quod fieri non poſſe ſuperioribus verbis monſtratum eſt. Conuenit hæc ſententia cum illa precedentis capitis; *Si per legem iuſticia; ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*: Et expreſſiùs cum illa Rom. 4. *Si qui ex lege, hæredes ſunt; exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio.*

ABRAHÆ AVTEM PER REPROMISSIONEM DONAVIT DEVS. Ex oppoſito conſequentis, colligendum relinquit oppoſitũ antecedẽtis. Atqui (inquit) ex promiſſione hęreditas eſt; quia Deus non ex conditione legis, ſed gratuito, & irreuocabili dono: dandã promiſit hęreditatem: Igitur hæreditas, benedictio, iuſticia non eſt ex lege. Huc reſpicit Proſper lib. 1. de vocatione gentium cap. 9. quando dicit, manere prorſus & impleri quotidie quod Abrahæ Dominus ſine conditione promiſit, & ſine lege donauit. Obiter autem nota, vulgatum interpretem hîc & aliàs indifferenter vſurpare nomina promiſſionis, & repromiſſionis; pro quibus in Græco ſemper eſt idem vocabulũ, ἐπαγγελία.

19 QVID IGITVR LEX? Ex dictis oritur hæc quæſtio; *Si enim hæreditas ita ex promiſſione eſt*, vt non ex lege; cur igitur lex introducta eſt? quæ vtilitas legis? aut quid omnino de lege dicendum? Reſpondet,

PROPTER TRANSGRESSIONES POSITA EST. Græcè; *appoſita* ſiue *addita eſt*. Auguſtinus legit, *propoſita*. Additam autem dicit ne putetur lex promiſsioni ſucceſsiſſe, eamque remouiſſe. Igitur manente promiſsione lex ãdiũcta eſt & ſubinducta, idque *propter tranſgreſſiones*, ſcilicet coercendas terrore & minis, vt ſaltem metu retraherentur homines à manifeſtis tranſgreſsionibus. Sic exponunt Hieronymus & Chryſoſtomus cum ſuis ſequacibus. Aliter Auguſtinus; qui *legẽ propter tranſgreſſiones* oſtendendas, imò & quodammodo augendas, *poſitam* interpretatur; idque longè probabilius, ſi alia ſcripturæ loca conſulamus. *Nam per legem cognitio peccati.* Rom. 3. Et, *Vbi non eſt lex, nec præuaricatio.* cap. 4. Et, *Peccatum*, inquit, *non cognoui niſi per legem* cap. 7. Acrurſus ibidem: *Occaſione accepta peccatum per mãdatum operatum eſt in mè omnem concupiſcentiam.* Et alia eiuſdem loci, quæ ſignificant per legem ex occaſione augeri peccatum. *Virtus enim peccati, lex* 1. Cor. 15. Et, *litera occidit.* 2. Cor 3. Quin verò legem ad hoc ſubintroductam eſſe vt augerentur trãſgreſsiones, eiuſdem ad Rom. epiſtolę cap. 5. diſertè apoſtolus affirmat, dicens *Legem ſubintraſſe vt abundaret delictum.* Cum quo loco, ea quæ hîc dicuntur omnino conferenda ſunt. Ad eum intellectum inuitat quoque Græca lectio præſentis ſententiæ, quæ ita ſonat quaſi dicas, *Tranſgreſſionum gratiâ*, vel, *ob tranſgreſſionum gratiam lex appoſita eſt.* Quę lectio, etiam eſt apud Auguſtinum lib. 15 cõtra Fauſtum cap. 8. *Tranſgreſſionis gratiâ poſita eſt.* Iam quod alicuius gratiâ fit, non fit ad eius deſtructionem, ſed profectum. Neque tamen ſenſus eſt, augmentum & abundantiam peccatorum id eſſe cuius gratiâ lex à Deo data fuerit, vt cauſam legis finalem (hoc enim eſſet Deo peccata aſſcribere) ſed Deum lege lata permittere voluiſſe, vt homines ſuis viribus fidentes, in legem impingerent, eiuſque tranſgreſſores fierent, & legis occaſione peccata augerent; quo ſic infirmitatis ſuæ conuictus ſuperbus eorum animus, intelligeret legem ſibi ad iuſticiam non ſufficere, ſed ad eam conſequendam potentiori remedio, atque auxilio ſibi opus eſſe, nempe gratia Chriſti Senſum hunc, præter ea quæ ex epiſtola ad Rom. adduximus (quam conſtat cum hac epiſtola eiuſdem ferè eſſe argumenti) probabilem inſuper facit, quod hîc ſtatim quærit, *Lex ergo aduerſus promiſſa Dei?* Et quod paulo pòſt ſequitur; *Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato.* Hæc enim referuntur ad illud quod dixerat, *legem poſitam propter trãſgreſſiones*, nõ minuendas aut coercẽdas, ſed augendas; ſenſu iam explicato. Vide etiam Auguſtinum lib. de gratia Chriſti cap. 8. De Spiritu & litera cap. 6. Contra duas epiſtolas Pelag lib. 3. cap. 4. Item ſermone 13. de verbis apoſtoli, & epiſtola 89. Porrò ſenſum Auguſtini bene admodum explicat Thomas in commentario, ad quem ſtudioſum lectorem remitto.

Lex propter trãſgreſſiones, quo ſenſu.

DONEC VENIRET SEMEN CVI PROMISERAT, Græcè, ᾧ ἐπήγγελται, *Cui promiſſum eſt, aut erat*. quemadmodum & legitur apud Hieronymum & commentatorem Ambroſianum, nec non apud Auguſtinũ, tam in cõmentario, quàm aliàs, vbi locum hunc allegat; vt lib. 3. de Trin. cap. 11. Syra quoque verſio Latinè reddita ſic habet; *Donec veniret ſemen illud, cui facta eſt promiſſio.* Vide quæ de Græca voce annotauimus ad illud Rom. 4. *Quæcunque promiſit.* Senſus apoſtoli eſt, legem introductam fuiſſe, non vt ſemper duraret, ſed ad tempus, donec veniret ſemen, cui promiſſio facta erat, vt in eo benedicerentur omnes gentes, quod ſemen eſt Chriſtus.

ORDINATA PER ANGELOS. *Legem veterem per angelos ordinatam, ſiue diſpoſitam*, vt legit Auguſtinus loco iam dicto, id eſt angelorum opera ſeu miniſterio digeſtam, ſcriptam, ac latam fuiſſe, teſtatur idem apoſtolus Heb. 2. & Stephanus. Act. 7 ſignificat, Et ipſe Moyſes Deut. 33. dicens, cum Domino legem in monte Sinai ferẽte adfuiſſe Sãctorum millia; quos 70 angelos interpretati ſunt. Indicat ergo diſcrimen

Lex diſpoſita per angelos.

postolus inter legem, & promissionē, quòd lex angelorū ministerio lata fuerit; promissio per Christum præstanda: sicut infrà dicitur: *Vt promissio ex fide Iesu Christi daretur*. Sic etiam ad Heb. 2. distinguit.

IN MANV MEDIATORIS. *Mediatorem* hoc loco Christum plærique, tam Græci quàm Latini, intelligunt, vt sensus sit, Legē Israelitico populo traditam fuisse per manum, id est, potestatem & directionem mediatoris Christi, populum illum in suum aduentum hoc modo præparantis. Nam Christum Dei & hominum mediatorem vocat apostolus 1. Tim. 2. Sensum hunc latè prosequitur Augustinus. *Mediator hic Moyses.* Alij verò *mediatorem* hoc loco Moysem intelligunt. Qui sanè intellectus multis modis fit probabilis: primùm, quia Christus non veteris testamenti, sed noui mediator est; quomodo eum apertè nuncupat apostolus Heb. 8 & 12. Quò præterea faciunt quæ ibidem, nec non eiusdem epistolæ cap. 2. & 9. de differentia Christi, & Moysi, quoad vtriusque ministerium, differuntur; Quam & Ioannes euangelista breui sententia aperuit, dicens cap. 1. *Lex per Moysē data est; Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Adde, quòd Moyses ipse sequestrum & mediū, quoad legislationem, inter Dominum & filios Israel se vocat; ac multis deinde verbis declarat: Deut. 5. Ad quem locum hîc Paulum respexisse valde verisimile est. Quamuis autem per manum in scripturis metaphoricè potentia significari soleat; quoties tamen aliquid à Deo factum dicitur in manu cuiuspiam; non potentia, sed ministerium aut instrumentum intelligitur, vt cum factum dicitur verbum Domini in manu Aggæi aut Malachiæ prophetæ. Atqui legem ministerio Moysi latam à Deo fuisse, planum est; idque hac ipsa phrasi, *In manu Moysi*, multis locis scriptura significat Vt Leuit. 10 & 26. Iosue 14. 17. 21. & 22. 2. Paral. 33. 34. 35. & 2. Esd. 8. 9. & 10. At ministerio Christi datam aut latam fuisse eam legem, nec dicitur vsquam, nec sine errore dici potest. Sentit igitur apostolus legem per angelos administratam populo, nec tamen immediatè, sed interueniente ministerio Moysi. Atque hæc Theodoreti expositio est, à Sasboldo pluribus verbis confirmata. Igitur hæc pars superiori coniuncta, plenius, ex parte ministerij, distinguit legem à promissione, quę non per angelos, nec per Moysem impleta fuit, sed per Christum implenda erat.

20 MEDIATOR AVTEM VNIVS NON EST: Sed plurium, ac saltem duorum; id quod ex ipsa ratione medij constat, nam medium est quod inter extrema collocatur. Qui Christū mediatorem interpretantur, hanc partē variè exponūt, vt videre est apud Thomam & Oecumeniū. Tametsi res clara est ex illis apostoli ad Tim. verbis quibus *Christum mediatorem Dei & hominum appellat*; vt non sit opus alios sensus quęrere, si ad Christū referamus. Moyses etiā quo sensu non vnius mediator fuerit, sed pluriū; ex ipsius verbis liquet, quibus ait ad populum, *Ego sequester & medius fui inter Dominū & vos, vt annunciarē vobis verba eius.*

DEVS AVTEM VNVS EST. At Deus, inquit, qui promisit Abrahę, vnus est; non vsus homine mediatore ad promittendum, sicut vsus est ad ferendam legē. Notandum est ea quæ hîc de lege dixit apostolus, respōdens ad quæstionem, *Quid igitur lex?* non solum eò spectare vt discamus vsum legis, qui erat homines adducere ad Christum, vti mox explicabit; verùm etiam vt intelligamus, quanto lex inferior fuerit promissione, quantoq; promissio dignior lege. Nam præter disparitatem suprà indicatam, promissio principaliter, ac primò facta est; lex apposita & subintroducta. Promissio benedictionis est; lex, propter trāsgressiones: Promissio: limitationem temporis non habet; lex posita donec veniret semen. Promissio, facta à Deo; lex, ordinata per angelos: Illa, sine mediatore; hæc in manu mediatoris. Illic, vnius Dei factum est, ad Abrahā loquentis; hîc, Moyse internuncio ac mediatore res gesta est, eò quòd populus non sustineret audire verba Dei loquentis. Non negat apostolus Deum cum Abrahā loquentem, vsum fuisse ministerio angeli, cū id satis constet ex scriptura, Gen. 18. & 22: sed tantū dicere vult, legem ordinatam ac dispositam fuisse per angelos; non autem promissionem. *Vsus legis; & quāto sit inferior promissione facta Abrahæ.*

21 LEX ERGO ADVERSVS PROMISSA DEI? ABSIT. Ex præcedenti responsione emergit hæc quęstio; q.d. apostolus, Si propter transgressiones lex posita est, non impediēdas (sic enim quæstio locum non haberet) sed augēdas potius: num ergo fatebimur legem aduersari promissionibus diuinis, easque euertere? Quoniam enim transgressores constituit homines; videtur obstare ne promissiones ipsi Abraham factæ, ad eos perueniant, & in ijs impleantur; quandoquidem transgressoribus non benedictio, sed maledictio per ipsam legem denunciatur. Verùm *absit* vt lex Dei, promissis Dei repugnet; sic enim Deus sibi ipsi contrarius esset.

SI ENIM DATA ESSET LEX QVÆ POSSIT VIVIFICARE; VERE EX LEGE ESSET IVSTICIA. *Verè*, ὄντως, *reuera*, pro quo Augustinus, *omnino* tractatu 49. in Ioānē. Nondū ad quæstionem directè respondet, sed obiectionē in aduersariū retorquet; tāquā diceret: Imo, cōtrà se res habet. Nam si lex data esset quę viuificare posset homines, id est, præstare vt benè beateque viuant; quod fieri nequit nisi per iusticiam: tum verè ex lege haberetur iusticia. Si autem ex lege; iam non ex promissione, vti superius ostensum est. Itaque per legem euacuaretur, atque irrita redderetur promisio, vtpote in effectu benedictionis præstando à lege præoccupata. Sic ergo patet, quemadmodum sequatur legem contra Dei promissa militaturam, si verum sit quod vult aduersarius, legem viuificare posse. *Lex non viuificat, non præstat iusticiam.*

SED

22 SED CONCLVSIT SCRIPTVRA OMNIA SVB PECCATO; Græcè, *sub peccatum*. Hîc iã respondet ad quæstionẽ. Per *scripturam* quidam legem scriptam, quam alibi literam vocat apostolus; alij in genere scripturam sacrã intelligũt. Quod posterius magis probo. Cõsonat enim hic locus cum illo Ro. 3. vbi omnes, tã Iudæos quàm Græcos sub peccato esse ex scripturis ostendit. Hoc igitur est quod ait: Non modò lex eos qui sub lege sunt peccati cõuincit, & trãsgressores cõstituit; sed in vniuersum scriptura cõclusit omnia sub peccato, id est, declarat omnes homines velut conclusos & captiuos teneri sub dominio peccati; Declarat autẽ cùm passim docet omnes esse peccatores. Vnde Hieronymus q. 8. ad Algasiam, hunc locum miscens cum eo qui est ad Rom. cap. 11. *Conclusit Deus omnes in incredulitatem vt omnium misereatur*; ita scribit. *Authoritatem sequimur scripturarũ, quòd nullus homo sit absque peccato: sed conclusit Deus omnes sub peccato, vt omnium misereatur; absque eo solo qui peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius*. Sic ille.

VT PROMISSIO EX FIDE IESV CHRISTI DARETVR CREDENTIBVS: Id est, vt promissa iusticiæ hæreditas, per fidem Iesu Christi daretur credentibus in eum; dum scilicet in lege nullam inuenientes peccati medelam, ad Christũ confugiunt, qui est semen illud in quo datæ sunt promissiones. Lex igitur adeo non est aduersus promissa Dei, vt etiam illis subseruiat, & obsequium præstet, dum homines peccati conuictos ad promissum authorem gratiæ iustificandos transmittit; quãuis etiam legis occasione factos deteriores. iuxta illud Rom. 5. *Vbi abundauit delictum, superabundauit gratia*. Notandum est enim quòd quemadmodum duplici ratione lex propter transgressiones posita est, vti diximus (nam aut eas nescientibus commonstrat, aut per occasionem insuper auget): ita duplici ratione ducit ad Christum Quum enim monstrat transgressiones, quasi morbum aperiens; medicum à quo curetur quærẽdum docet. Quũ verò per ipsam etiam augetur transgressio; quasi morbo crescente, qui curandus erat; tum suam illa manifestè prodit impotẽtiam; Itaque iam multo magis, simul & morbi demonstratione & impotentiæ suæ professione mittit infirmum ad verum medicum Christũ.

Lex subseruit diuinæ promissioni de benedictione per Christum.

Idq; variis modis

23 PRIVS AVTEM, QVAM VENIRET FIDES, SVB LEGE CVSTODIEBAMVR CONCLVSI IN EAM FIDEM QVÆ REVELANDA ERAT. *Sub lege*, Græcè, *sub legem*. Ad eandem particulam referendũ participiũ, *conclusi*; sic enim hîc dicit, *Conclusi sub legem*; sicut statim dixerat, *Conclusit sub peccatum*. Loquitur autem in persona Iudæorum, qui legem acceperant: & loquitur de tota lege Mosaica, non de sola ceremoniali; sed prout lex est sine gratia, cui velut ex aduerso opponitur. Confer caput 4. & 5. huius ep. & cap. 6. ad Rom. Sensus est: Priusquam autem veniret tempus reuelandæ fidei (quod nimirum est in aduentu Christi); sub legis imperio ac potestate, velut in custodia concluſi, seruabamur, ne prorumperemus in manifesta crimina; sed pœnarum timore coerciti, ab idololatria, & alijs huiusmodi grauioribus, externo saltem opere committendis, abstineremus; seruabamur, inquam, *in eam fidem quæ reuelanda erat*: Id est, vt hac ratione duceremur ad eam fidem, quæ suo tempore manifestanda erat per Christi & apostolorum eius prædicationem. Igitur hîc tertius modus significatur quo lex præparauit homines ad Christum, dum scilicet timore eos continens & coarctans, quasi seruos; cogeret aspirare ad libertatem filiorũ Dei, promissam in Christo per fidem. Quod quidem ita se habere docet Augustinus exẽplo primorum fidelium Iudæorum, qui prius sub lege cõclusi, mox ad prædicationẽ apostolorum tanto studio Christi fidẽ amplexi sunt, vt, pro eius amore, cõfestim rebus suis vẽditis, earum precia ad eorundem apostolorũ pedes abijcerent, ac cæteris ecclesijs exempla Christianæ perfectionis ostenderent.

24 ITAQVE LEX PÆDAGOGVS NOSTER FVIT IN CHRISTO, VT EX FIDE IVSTIFICEMVR. Græcè, *In Christum*, vel, *ad Christum*; Et melius erat, *iustificaremur*, quàm *iustificemur*. Textus Ambrosianus ad vtrumque suffragatur; Hieronymus quoque in secundo dialogo contra Pelag. legit, *ad Christum*. Pædagogus is dicitur, qui puero ductor & custos adhibetur, vt teneram eius ætatem regat; metuque, ac flagris à vicijs coerceat, & primis elementis erudiat, donec (vt ait Hieronymus) ad maiores philosophiæ, ac gubernandæ reip. disciplinas à magistro instituendus, transmittatur. Huic apostolus legem similem fuisse, ex superiori sententia colligit: Itaque, inquit, lex, instar pædagogi, nos, tanquam paruulos & ad vicia procliues, timore coercuit; & præparauit, duxitque ad Christũ, verũ iusticiæ doctorem, ac magistrum, vt ex fide eius, iusticiam consequeremur. Sed quæret hîc aliquis. Si lex nos ducit ad Christum, & gratiæ eius recipiendæ nos præparat; quomodo non inde consequens est, hominem sola lege instructum, sese ad gratiam præparare posse? Quod est contra illud à Patribus definitum, Gratiam non dari secundum merita; & illud veriſſimè dictum à Prospero resp. ad octauum capitulum Gallorum; Sine gratia nemo currit ad gratiam. Respondeo, pertinere hoc ipsum ad beneficium gratiæ Christi, quòd quis à lege tãquã pædagogo ducatur ad Christum: non quòd in hominẽ, priusquã in Christũ mediatorẽ saltem implicitè credat, sit aliqua gratiæ prouocatiua dispositio; sed quia lege Deus vtitur, & quidẽ multipliciter, sicut suprà declaratũ est, tanquã occasione qua ad gratiã homines adducũtur, quẽadmodum & flagellis, atq; afflictionib. quas hominibus immittit, vti solet ad eorum conuersionẽ. Vnde nec repugnat huic loco quod suprà dictũ est,

Quæstio subiecta.

Responsio.

propter tranſgreſſiones legem poſitam eſſe: nam etiam in eo quod auctũ eſt accepta lege peccatum, lex pædagogus fuit ad Chriſtum; dum videntes homines ſe per legem ſanari non poſſe, ſed eius occaſione grauius vulnerari; ad Chriſtum medicum confugiunt.

25 AT VBI VENIT FIDES, IAM NON SVMVS SVB PÆDAGOGO. Ex inducta comparatione legis cum pædagogo, concludit legis ceſſationem hoc pacto: At poſtquam aduenit tempus reuelatæ fidei; iam, tanquam magiſtro contraditi, non amplius ſub pædagogo ſumus, hoc eſt, ſub lege, quæ pædagogi erga nos gerebat officium. Poſtea quàm ad Chriſtum introducti ſumus per fidem, ceſſat pædagogia legis.

26 OMNES ENIM FILII DEI ESTIS PER FIDEM IN CHRISTO IESV. Tacitam diluit obiectionem, qua Galatæ dicere poterant apoſtolo Paulo. Si lex pędagogus veſter ad Chriſtum fuit; igitur & nos legem recipere debemus, vt ab ea velut pædagogo ducamur ad Chriſtum. Ad id ita reſpondet apoſtolus, vt doceat pædagogum illum Iudæis quidẽ opportunum fuiſſe, per quem ad Chriſtum adducerentur; non tamen omnibus hominibus neceſſarium, cùm ſine eo fides haberi poſſit, per quam omnes efficiamur filij Dei. Dicit ergo, Quamuis lex nobis Iudæis pędagogus fuerit ad Chriſtum; non ideo tamen etiam vobis illa accerſenda eſt, vt ad Chriſtum ducamini, regenerandi in filios Dei. Omnes enim vos, etiam ſine legis opera, filij Dei eſtis per fidem qua in Chriſtum creditis. Quin potiùs, fides quæ nos Iudæos liberat à lege, cui ſubiecti fuimus; eadem non patitur vos Galatas legi ſubijci, vt qui per fidem, æquè vt nos, facti ſitis ſecundum adoptionẽ filij Dei, & per hoc à ſeruitute legis liberi. Notandum quòd etſi illud, *in Chriſto*, ferè conſtruatur cum *fide*, ad hunc modum, per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu, vt legit Hieronymus; aut, quæ eſt in Chriſtum Ieſum, vt Ambroſianus; poteſt tamen ordinari cum anterioribus verbis, *filij Dei eſtis*; præſertim cùm Græcè non ſit in Chriſtum, ſed, *in Chriſto*, id eſt per Chriſtum, Hebræa phraſi. Ita ſenſus erit, Omnes eſtis filij Dei per Chriſtũ Ieſum, idque per fidem, qua in eum creditis. Neminem verò moueat, quod dicit, vniuerſaliter, *Omnes*; Id enim dicit ex hypotheſi fidei, non cuiuſcunque, ſed qualis hîc intelligitur, id eſt, eius quæ per dilectionem operatur. Sic enim & infrà cap. 5. fidem limitat.

27 QVICVNQVE ENIM IN CHRISTO BAPTIZATI ESTIS, CHRISTVM INDVISTIS. *In Chriſto*; Græcè, *In Chriſtum*; tametſi quidam Græci codices eam particulam omnino prætermittunt, tantùm legentes, *Quicunque enim baptizati eſtis* &c. Quos Eraſmus in ſua verſione, necnon in paraphraſi ſecutus eſt. ſed mendoſa, ni fallor, ea lectio eſt; Nam veteres tam Græci quàm Latini legerunt; Hi, *in Chriſto*; Illi, *in Chriſtum*. Eſt autem hęc probatio ſumpta à ſacramento fidei, id eſt, baptiſmo, ſicut illa præcedens, ab ipſa fide. *Quicunque enim*, inquit, *baptiſmi ſacramento abluti eſtis, & per illud Chriſto incorporati, Chriſtum induiſtis*, id eſt, exuto vetere homine, velut transformati eſtis in Chriſtum, nouum hominem. Cùm igitur tam ſitis intimè Chriſto coniuncti per fidem, ac fidei ſacramentum; vtique legis obſequio iam opus non habetis, vt adducamini ad Chriſtum. *Induere Chriſtum*, vt ex aliorum locorum collatione patet, eſt Chriſto fieri conformem imitatione virtutum, & bonorum operum, quæ in Chriſto, tanquam capite perfectiſſimè fuerunt. vnde Rom. 13. poſt enumerationem viciorum à quibus abſtinendum admonet, ſubiungit: *Sed induamini Dominum Ieſum Chriſtum*. Ex quo liquet non omnes omnino baptizatos Chriſtum induiſſe, ſed eos tantùm qui baptiſmo iuſtificati ſunt. Idipſum & præſens locus oſtendit. Probat enim apoſtolus Galatas eſſe filios Dei, quia per baptiſmum Chriſtum induerunt: Quæ ratio non valeret, ſi induiſſe Chriſtum etiam malis, id eſt, non filijs Dei, competeret. Quod ergo dicit, Omnes in Chriſto baptizatos Chriſtum induiſſe; ſic intellige, quantum eſt ex virtute baptiſmi. Quo ſenſu, & illud de aquis baptiſmi ſcriptum eſt Ezech. 47. *Viuẽt omnia ad quæ venerit torrens*. Portò ſi Chriſtum induũt quicunque in Chriſto baptizantur; igitur ad gratiam iuſtificationis conferendam, ac virtutes Chriſtianas inſerendas, efficax eſt baptiſmi ſacramentum: & falſum eſt quod hæretici docent baptiſmum eſſe nudum iuſticiæ per fidem acceptæ ſignaculum.

28 NON EST IVDÆVS, NEQVE GRÆCVS; Id eſt gentilis; Species enim pro genere ponitur.

NON EST SERVVS NEQVE LIBER; NON EST MASCVLVS NEQVE FEMINA. Supplendum ex ſubſequenti ſententia, *In Chriſto*. Ne putarent Galatæ ſaltem plus aliquid eos conſequi in Chriſto, quos lex quaſi pædagogus ad Chriſtum adduxiſſet; id iam remouet generali ſententia, qua docet, in negocio iuſticiæ per Chriſtum adipiſcendæ, nullam haberi rationem, ſitne Iudęus quiſpiam an gentilis; ſeruus, an liber; mas, an femina: hoc eſt, nullum generis, conditionis, aut ſexus diſcrimen apud Chriſtum agnoſci, vt propter aliquid huiuſmodi dicere quis poſſit, Ad me magis Chriſtus pertinet. Ad hanc indifferentiam ſignificandam, prius ſeruum quàm liberum nominauit apoſtolus; quomodo & inter martyres Vitalem ſeruum, Agricolæ Domino prænominat Eccleſia in oratione qua eorum interceſſione petit adiuuari. 4. Nou. Poſſet hîc quæri, quomodo cum eo quod hîc dicit: *Non eſt Iudæus neque Græcus*; non pugnet quod Rom. 3. docet, multum omnino amplius eſſe Iudęo præ gentili. Sed hanc quæſtionem in illius loci commentario ſolutam inuenies.

OMNES ENIM VOS, VNVM ESTIS IN CHRISTO IESV. Græcè, *Vnus*; sed sensu eodem. q. d Estis omnes tanquam vnus; id est, prorsus indiscreti, in negocio salutis per Christum; perinde atque si omnes eiusdem generis, conditionis, & sexus essetis. Alij paulò aliter; sed hic sensus optimè respondet tam sententiæ præcedenti, quàm Græcę lectioni.

29 SI AVTEM VOS CHRISTI; ERGO SEMEN ABRAHÆ ESTIS; Nec deest vobis (inquit) dignitas Iudaicæ gentis, quæ se iactat esse semen Abrahæ. 2. Cor. 11. Nam *si vos Christi estis*; id est, Christo incorporati, & membra eius effecti per fidem & baptismum, vti iam ostensum est; Christus autem est verum illud, ac singulare semen Abrahæ promissum: ergo & vos semen ac filij Abrahæ estis, non solùm fidei imitatione, verùm etiam incorporationis iure; vt quod Christo capiti conuenit, toti eius corpori Ecclesiæ tribuatur. S. Augustinus hanc sententiam paulò aliter legit, vsus vicioso codice, quantum apparet.

SECVNDVM PROMISSIONEM HÆREDES. Græcè, *Et secundum promissionem*, quomodo legit etiam Ambrosianus. Sensus est: Non ita estis semen Abrahæ, sicut erant Ismael, & reliqui concubinarum filij, qui ab hęreditate fuerunt exclusi; sed sicut Isaac; de quo dictum est, *In Isaac vocabitur tibi semen*. Pertinet enim ad vos æquè vt ad Iudæos, hæreditas benedictionis, ex promissione facta Abrahæ, cùm per incorporationem pari iure pertineatis ad semen illi promissum, quod est Christus.

SVMMARIVM.

COmparatione hæredis paruuli qui est sub tutoribus, ostendit Iudæos ad tempus fuisse sub seruitute donec veniret Christus. Reuocat Galatis in memoriam suum pristinum fidei feruorem. Deinde ex allegoria duarum vxorum & duorum filiorum Abrahæ ostendit filios noui testamenti non esse sub seruitute.

CAPVT IV.

1 DICO AVTEM, QVANTO TEMPORE HÆRES PARVVLVS EST; NIHIL DIFFERT A SERVO, CVM SIT DOMINVS OMNIVM. Ex occasione eius quod postremum intulerat *Secundum promissionem hæredes*, nouam assumit parabolam non dissimilem superiori, qua legem dixerat pædagogum Iudęorum fuisse ad Christum. Nunc enim eosdem Iudæos, id est, eos qui sub lege sunt, puero hæredi comparat, ipsam verò legem, tutoribus & actoribus, quorum curę subijcitur puer, donec ad hæreditatem introducatur. Sensus: Quod dico, tale est; Quamdiu hæres pupillus in minori adhuc ætate constitutus est, nulla re differt à seruo, quantum ad vitæ rationem attinet; quia perinde vt seruus, alieno regitur arbitrio, nec liberum vsum habet bonorum à patre relictorum, quamuis hęreditatis iure, ac voluntate paterna, eorum omnium sit Dominus. Illud: *nihil differt à seruo*, potest etiam verti: Nulla re antecellit seruo. sicut Heb. 1. *Quanto differentius*, id est, *excellentius*, *præ illis nomen hæreditauit*.

2 SED SVB TVTORIBVS ET ACTORIBVS EST VSQVE AD PRÆFINITVM TEMPVS A PATRE. Hoc est, Sed sub curatoribus & dispensatoribus, Græcè, *œconomis*, *agit*, quorum arbitrio tum ipse, tum bona eius hæreditaria reguntur & administrantur; donec tempus testamento præfinitum à patre, aut alioqui legibus decretum, aduenerit, quo iam ipse suarum rerum curam, & administrationem suscipiat, iamque re ipsa appareat quantum à seruo differat.

3 ITA ET NOS, CVM ESSEMVS PARVVLI, SVB ELEMENTIS MVNDI ERAMVS SERVIENTES. Græcè: *Sub elementa mundi eramus in seruitutem adacti*. Ambrosianus, eramus subiecti. Cùm ait, *Nos*, in persona Iudæorum, qui sub lege fuerant, loqui se significat; in qua & superiùs locutus fuerat, vbi Iudæorum statũ sub lege, tanquam pædagogo, exponebat: Nam quæ media sunt ab illo loco: *Omnes enim filij Dei estis*, ad Galatas, qui sub lege nunquam fuerant, in secunda persona dicuntur. Est autem huiusmodi accommodatio parabolæ; Ita & nos Iudæi, cùm, tanquam adhuc paruuli, ad percipiendam promissæ benedictionis hæreditatem, quæ nobis ex prædestinatione Dei competebat, nondum essemus idonei; sub elementis mundi, id est, sub corporalibus signis, & carnalibus ceremonijs legis Mosaicæ, eramus velut quadam seruitute pressi. Paruulos siue pueros vocat Iudæos, quia tam intellectu quàm affectu similes erant pueris; nam de Deo & rebus diuinis, ac nominatim de iusticia hominis apud Deum, carnaliter sapiebant. rebus quoque sensibilibus; quibus pueri delectantur, addicti erant. Eosdem seruos sub lege fuisse dicit, tum propter onus legis ceremonialis eis impositum, *quod*, inquit Petrus Act. 15, *neque patres nostri, neque nos portare potuimus*; tùm quia signis ita adhærebant, vt ea pro rebus amplecterentur, significationem eorum non intelligentes; imò ne hoc quidem scientes ea signa esse. Sic autem signis adhærere, seruorum est, teste Augustino. Tùm denique propter timorem seruilem, quo continebantur aliquatenus in officio. *Acceperant enim spiritum seruitutis in timore; nondum autem spiritum adoptionis filiorum, in quo clamarent Abba, Pater*, vt de eis dici posset, *Si filij, & hæredes*. Rom. 8. Porrò quæ vocet apostolus elementa mundi, variant sententiæ. Quidam physica quatuor elementa, ex quibus mixta corpora gignuntur intelligi putant: Alij,

ſolem, & lunam accipiunt, quòd hæc duo luminaria motibus ſuis eas res nobis efficiãt, quas paulo inferiùs à Galatis obſeruatas apoſtolus reprehendit, id eſt, dies & menſes, tẽpora & annos, vt μετονυμικῶς ex cauſa effectus intelligatur. Quod etſi probabilitatem nonnullam habeat; rectiùs tamen illi, qui ex alijs locis eiuſdem apoſtoli colligunt, quid elementorum nomine ſignificetur. Ea loca ſunt Col. 2. vbi ſemel & iterum ab elementis mundi Coloſſenſes reuocat, & Heb. 5. vbi rudimenta Chriſtianæ fidei vocat elementa exordij ſermonum Dei. Vnde ſatis apparet, apoſtolo elementa dici in genere rudimenta, ſiue initia doctrinæ alicuius, præſertim ad religionem pertinentis, ſeu veram ſeu falſam. Nam de vera religione ſermo eſt ad Hebr. de falſa, ad Coloſſ. Tametſi nomen elementi metaphoricè huc eſſe tranſlatum à primis illis corporibus quæ vſitatiſſimè elementa vocantur, haud negauerim. Sed notandũ quòd tam hoc loco, quàm ad Coloſſ. non nudè nominauit elementa, ſicut ad Heb. ſed elementa mundi. Siquidem elementa mundi videntur intelligi rudimenta mundana, id eſt, craſſa, corporea, ſenſibilia. Nam mundus pro rerum vniuerſo, qua parte corporeum & ſenſibile eſt, ſæpenumerò ponitur in ſcripturis. At huiuſmodi elementa non ſunt illa, de quibus ad Heb. vtpote pertinentia ad Chriſtianam religionem; ſed ea de quibus ad Coloſſ. & hoc loco. Quapropter elementa mundi, ſecundum materiam præſentem, interpretati ſumus corporalia ſigna, & carnales ceremonias Moſaicę legis. Quod confirmari poteſt ex verſu 5 huius capitis; vbi dicitur, *eos qui ſub lege erant*. Vide etiam ad Hebr. cap. 9. verſum 9 & 10. Videri autem poteſt, apoſtolum alludere ad pueros elementarios, qui ſeruiliter compelluntur addiſcere elementa, literas ſcilicet ac rudimenta literaturæ, neſcientes quid ex ijs ſit prouenturum vtilitatis.

4 AT VBI VENIT PLENITVDO TEMPORIS, MISIT DEVS FILIVM SVVM. Græcè; *Emiſit*. Pergit in applicatione ſimilitudinis aſſumptæ. Nam ſicut puer hæres expleto tempore quod erat à Patre præfinitum, liberatur ab illa ſeruitutis ſpecie, qua tutoribus & actoribus ſubiectus erat, & ad liberum vſum atque adminiſtrationem hæreditatis admittitur; ita & nos, inquit, *vbi venit plenitudo temporis*, id eſt, vbi tempus impletum eſt quod erat à Deo patre præordinatum, liberamur à ſeruitute legis, & hæreditatem filijs promiſſam accipimus. Ad hoc enim emiſit Deus in terram filium ſuum vnigenitum, ſibi conſubſtantialem,

FACTVM EX MVLIERE. De Eua legimus quòd facta ſit ex viro, quia nimirum de eius ſubſtantia facta atque formata fuit. Ita filius Dei factus ex muliere; quia de mulieris ſubſtantia carnem accepit. Et ſicut Eua ex viro ſolo; ita Chriſtus ex muliere ſola: Non tamen Adam pater Euæ, ſicut Maria mater Chriſti, quia non per viam generationis, ac natiuitatis Eua facta ex viro, ſicut Chriſtus ex muliere. Et tamen *factum ex muliere* dicere maluit apoſtolus, quàm natum (quomodo nonnulli legendum putarunt, referente Beda ſuper euangelio Lucæ 11. ad illud: *Beatus venter qui te portauit.*) vt ſignificaret non communi more naſcentium, ſed operatione Spiritus ſancti, abſque virili ſemine, conceptum atque formatum fuiſſe. Porrò mulieris nomine, ſecundum morem Hebraicæ linguæ non virgineum decus negatur, ſed femineus ſexus oſtenditur; ait Auguſtinus ſerm. 19. de tempore. Ex hoc loco facile eſt refellere tam veteres hæreticos, qui Chriſtum non ex ſubſtantia Mariæ virginis, ſed aliunde carnem aſſumſiſſe dixerunt; quàm impium Neſtorium, qui eandem virginem, non Dei, aut filij Dei matrem, ſed hominis tantùm, aut Chriſti, voluit appellari.

FACTVM SVB LEGE. Græcè, *ſub legem*; id eſt, legi ſubiectum. Sed quæritur vtrùm *ſub lege factus*, quia legem obſeruauit, an quia reuera legi obnoxius, ſicut habet Eraſmiana verſio; hoc eſt, ad legem obſeruandam obligatus Reſpondetur, filium Dei ſub lege factum eſſe, non obligatione, ſed obſeruatione: Voluit enim circumcidi, & cætera omnia quæ legis ſunt ſubire, vt & humilitatis exemplum nobis pręberet; & populo, in quo naſci dignatus eſt, quoad inſtituta diuina conformem ſe redderet, legemq́ue paternam honoraret; Denique *vt* legalis ſeruitutis ſimilitudinem in carne ſua gerens, *eos qui ſub lege erãt*, vti mox dicitur, *redimeret:* quamuis alioqui nullo præcepto ad eam obſeruandam obligatus. Quod ipſe in euangelio ſignificauit, quãdo dixit Dominum eſſe filium hominis, etiam ſabbathi; Matth. 12. Sic Ambroſius lib. 1. de fide. cap. 6. Factum ſub lege interpretatur per obſeruantiam legis. At dices, Chriſtũ accepiſſe mandatum à patre non tantùm vt naſceretur, pateretur, moreretur; ſed etiam vt circumcideretur, & alia quæ legis ſunt obſeruaret. Reſpondeo, Dei patris ad filium nõ eſſe propriè mandatum ſeu præceptum; hoc enim in Deũ, cui ſemper ſumma libertas eſt agendi vel non agendi quidlibet, cadere non poteſt: ſed eſt patris ad filium decretum ętternum, idq́ue patri cum filio & Spiritu ſancto commune. Quod tamen interdum præceptum vocatur patris ad filium; qui & obediens patri factus dicitur vſque ad mortem, Philip. 2. quia illius decreti in patre eſt authoritas; Eſt enim pater principium filij. In filio autem, vt homine, eiuſdem decreti facta eſt executio. Quòd ſi contendas, filio vt homini propriè datum à patre præceptum; Fatebimur Chriſtum hominem, vt ſanctæ Trinit. ſeruus fuit, ita etiam à ſe ipſo tanquam Deo, & à Spiritu ſancto, idem præceptum ei datum eſſe; & proinde fuiſſe obedientem non patri tantùm, verùm & Spiritui ſancto & ſibi ipſi. Nec ideo tamen lege fuit ligatus

Moſai-

Mosaica; sed peculiari patris præcepto. Factus igitur est sub lege filius Dei, voluntaria subiectione; quomodo & parentibus suis subditus fuisse legitur Luc. 2. Facit autem hic locus aduersus eos, qui Christum dicunt aliquando reuera legem soluisse, violando sabbathum, aut similia contra legem opera faciendo. Quorum opinionem latiùs ex scripturis refutare, non est huius loci.

5 VT EOS QVI SVB LEGE ERANT REDIMERET; Id est, dato precio eximeret à seruitute legis, suosque faceret. Id enim significat Græca vox ἐξαγοράζειν, qua peculiariter hoc loco Paulus vtitur, id est, mercari rem quæ alterius erat; precij commutatione suam facere, sibique vendicare. *Lucrifacere* legit Ambrosius super Luc. 2. licet hoc verbum non adeò quadret. Cæterùm in Græco non mutatur persona: nam verti potest: *vt sub lege existentes*, id est, nos Iudæos qui sub lege eramus, *redimeret*: quoniam & sequens membrum primam habet personam. Notanda congruentia; Christum factum sub lege vt eos qui sub lege erant, redimeret; licet aliter Christus sub lege, aliter illi, quemadmodum patet ex suprà dictis.

VT ADOPTIONEM FILIORVM RECIPEREMVS, Nos Iudæi. Hucusque enim ex persona Iudæorum loquitur. Est autem hæc pars referenda ad illud. *Misit Deus filium suum factum ex muliere.* Nam sensus est Idcirco filiũ Dei factum esse filium hominis, id est nostræ naturæ participem ex femina; vt nos homines efficeremur per adoptionem filij Dei, vtque hæreditatem, adoptionis iure debitam, consequeremur. Hunc apostoli locum malè intellexerunt, qui ex eo probare conati sunt, iustos veteris testamenti non fuisse participes adoptionis Christi, nec potuisse vocari filios Dei per adoptionem; contra illud Heb. 2. *Qui multos filios in gloriam adduxerat.* Nam simili argumento negabunt eos iustos fuisse, & legem impleuisse; cùm scriptum sit Deum misisse filium suum, *vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Rom. 8. Respondetur ergo, virtutem passionis Christi, qui in plenitudine temporis missus est, pertinuisse etiam ad tempora præcedentia; licet amplior & copiosior ab ea fructus post passionem illius & resurrectionem, euangelio per orbem prædicato, manauerit.

6 QVONIAM AVTEM ESTIS FILII; MISIT DEVS SPIRITVM FILII SVI IN CORDA VESTRA, CLAMANTEM; ABBA, PATER. Græcè, *emisit*. Quomodo superiùs, posteaquam ostendisset legem fuisse pædagogum Iudæorum in Christo; ad Galatas reflectit sermonem dicens; *Omnes enim filij Dei estis* &c. ita & hîc; eâdemque ratione, post applicatam Iudæis parabolam de paruulo hærede; mutatâ personâ primâ in secundam, Galatas gentiles alloquitur, occupans quod ab illis dici poterat: Si Iudæis eo gradu contigit filiorum adoptio, vt priùs sub lege essent tanquam sub tutore; &, si Christus sub lege factus est, vt eos qui sub lege erant redimeret: debemus & nos priùs esse sub lege, vt per Christum redimamur, & filiorum adoptionem accipiamus. Ad hoc respondet, Vos Galatæ iam non indigetis legis tutela; quandoquidem estis filij, non sicut hæres paruulus nihil differens à seruo, sed in statu libertatis filiorum constituti Quòd autem tales filij sitis, inde liquet, quia misit Deus in corda vestra spiritum filij sui, *clamantem*, id est, *in quo clamatis*, Abba, Pater. Sic enim hic locus per alterum similem Rom. 8. exponendus est. Probat Galatas iã esse filios Dei, testimonio Spiritus sancti; quòd nimirum impulsi à spiritu filij Dei, magno cordis affectu in orationibus suis Deum patrem appellarent, dicentes *Abba, Pater*; vocabulo ex duabus linguis geminato. Verisimile est enim gẽtiles Christianos vtrũque vocabulum orando coniungere solitos. Quod autem Græci quidam codices astipulante etiam Ambrosiano, legunt *in corda nostra*, quasi Iudæos vnà cum gentilibus hîc comprehendere voluerit apostolus; non probamus; nam & illud præcedens: *Quoniam estis filij*; & ea quæ deinceps sequuntur, secundam personam exigunt; & omnia Latina manuscripta in hanc eandem conspirant lectionem. Nonnulli sic exponunt, Quoniam diuina prædestinatione eratis filij; ideo nunc in plenitudine temporis dedit Deus in cordibus vestris spiritum, per quem, vt filij, ipsum inuocaretis, dicentes, Abba, Pater: Sed hunc commentarium planè refugit præsentis temporis verbum, *estis*. Porrò cùm dicit, *spiritum filij sui*, significat Spiritum sanctum non à Patre solo, sed etiam à filio procedere. Non enim spiritus filij dici potest nisi spirantis, & vt Theologi loquuntur, Principiantis. Appositè verò filij mentionem adiunxit, vt filiorum adoptionem in naturalem Dei filium referret. Denique in his apostoli verbis obserua sanctæ Trinitatis, id est, trium in Deo personarum expressam significationem: simul & processionis earum; id est, filij ex patre, & Spiritus sancti ex vtroque, non obscuram insinuationem.

7 ITAQVE IAM NON EST SERVVS, SED FILIVS. *Est*, Græcè & Syriacè, *es*, in secunda persona, consentientibus etiam Latinis quibusdam; eaque lectio probabilior. Adhuc enim Galatas alloquitur, sed numero, propter emphasim, mutato in singularem. Tu igitur, inquit, quisquis es qui per spiritum filij Dei clamas ad Deum, Abba, Pater; non amplius iam seruus es, ab hereditate alienus; sed, vel ipsius Spiritus sancti testimonio, filius.

QVOD SI FILIVS; ET HÆRES PER DEVM. Græcè & Syriacè *hæres Dei per Christum*. Similiter Hieronymus, nisi quod genitiuum, *Dei*, non apponat. Sequela autem manifesta est; Quòd si filius es, quamuis adoptiuus; igitur & hæres illius cuius es filius, scilicet

Dei,

Dei, per meritum Chriſti filij eius naturalis. Dubium enim nō eſt, ait Ambroſianus, quin ideo quis adoptet ſibi filium, vt hæredem illum relinquat. Hæc autem hæreditas non poſt mortem patris expectatur, ſed viuente patre accipitur, & ſimul cum eo, bonorum eius participatione, poſſidetur, partim quidem in præſenti vita, ſecundum varia Spiritus ſancti dona, quæ ſunt inſtar arrhabonis; pleniſſimè verò, in vita futura.

8 SED TVNC QVIDEM IGNORANTES DEVM, IIS, QVI NATVRA NON SVNT DII, SERVIEBATIS. Dixerat Paulus, *Iam non es ſeruus*; per quod inſinuabat Galatas aliquando ſeruos fuiſſe. At quomodo ſeruos, dicere poterant illi, ſi nunquam ſub lege fuimus ſeruientes, ſicut Iudæi; & nunc ab illa ſeruitute nos prohibes? Reſpondet apoſtolus omnino eos ſeruos fuiſſe, ſed alio quodam genere ſeruitutis, eoque longè deteriori. *Sed tunc quidem*, inquit, id eſt, priuſquam eſſetis filij; non, vt Iudæi Deum ſeruiliter colebatis, ſed *Deum verum ignorantes, ſeruiebatis ijs qui naturaliter Dij non ſunt*, & in quibus non eſt veritas diuinæ naturę; ſed hominum opinione, atque inſtitutione, pro Dijs habentur.

9 NVNC AVTEM, CVM COGNOVERITIS DEVM, IMO COGNITI SITIS A DEO: Græcè, *magis autem cogniti*; quemadmodum & Hieronymus legit: ſed ſenſum optimè reddidit interpres noſter. Nam, *magis*, hoc loco non tam comparantis eſt, quàm corrigentis. Qua correctione, prœuenientem Dei gratiam commendare voluit apoſtolus; q d. *Nunc autem, poſteaquam* ab illa ignorantia conuerſi, *Deum cognouiſtis, imò verò cogniti, atque dilecti eſtis à Deo*, id eſt, per eius dilectionem attracti ad eum cognoſcendum. Iuxta illud 1. Ioan. 4. *Non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe dilexit nos.* Igitur cognitio, ſiue dilectio, cum effectu intelligitur; cùm ipſa alioqui ſit ab æterno. Vnde bene Theophylactus ſic exponit, *Cogniti*, id eſt, aſſumpti. Vide Commētarium noſtrum ad 1. Corinth. 8 verſum 3.

QVOMODO CONVERTIMINI ITERVM AD INFIRMA ET EGENA ELEMENTA, QVIBVS DENVO SERVIRE VVLTIS? Græcè, pro, *denuò*, duæ dictiones ſunt, *Iterum ab initio*, ſeu, *de integro*. Cùm, inquit, Deus iam vos dignatus ſit ſui cognitione, qua à ſeruitute falſorum Deorum vos auocauit, inſuper & filios ſuos fecerit, ſicut ſuprà dictum eſt; quomodo vultis iterum in ſeruitutē relabi? *Quomodo iterum vos conuertitis ad infirma, & egena elementa*, vt de nouo, quaſi nullam antea ſeruitutem paſſi, ſub illis ſeruire velitis? Volebant enim Galatæ denuo ſeruire elementis mundi, & ad ea iterum conuertebantur, non eadem numero vel ſpecie, ſed genere. Qui enim ſeruierant idolis, ſeruire volebant ſub ſignis, ac ceremonijs Iudaicæ legis. Hæc enim per ea quæ dicit *elementa* ſignificari, patet ex verbis proximè ſequentibus, *Dies obſeruatis* &c. Vocat autem illa apoſtolus infirma & egena elementa, non tantùm quia poſt Chriſti paſſionem viribus deſtituta ſunt, quomodo quidam hunc locum exponunt; ſed quia omnia illa veteris legis inſtituta, ſiue ſacramenta, ſiue ſacrificia, ſiue quocunque alio nomine cenſeantur, quatenus ad illam legem pertinebant, nihil conferebant ad iuſticiam & ſalutem vitæ æternæ. Vnde ait Heb. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem: Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Et cap. 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum, nunquam poteſt accedentes perfectos facere.* Et iterum; *Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Nec mirum, quia *ſi per legem iuſticia*, ſicut dictum eſt ſuperiùs, *gratis Chriſtus mortuus eſt.* Si qui tamen, veteri lege durante, ſacramentis eius & ſacrificijs vtebantur ex fide Mediatoris; gratiam per ea conſequebantur, non vt erant veteris legis inſtituta carnali populo tradita, ſed quatenus eis accidebat, vt cum eiuſmodi fidei deuotione (quæ ad nouam legem pertinet) exercerentur. Dici etiam poteſt, quod erant infirma & egena elementa Iudæis carnalibus, qui ex illis expectabant iuſticiam; nō ſpiritualibus, qui illis bene vtebātur. Erant infirma & egena ijs qui illis plus tribuebant quam ipſis competebat: ſimpliciter autem non erant huiuſmodi; quia valebant ad id ad quod erant inſtituta. Verùm ea de re peculiaris eſt tractatio in 4. ſent. diſt. 1. Cæterùm ex hoc loco apparet etiam idola, & idololatrici cultus ceremonias, *elementorum mundi* nomine comprehendi: dicens enim apoſtolus, *iterum conuertimini ad elementa*, ſignificare videtur & illa priora, quibus ſeruierant Galatæ elementa fuiſſe, quamuis Iudaicis elementis diſſimilia. Hęc enim infirma dumtaxat & egena; illa verò etiam pernicioſa: & hæc, aliquando licita; illa, perpetuò mala. Forſitan autem cuipiam videatur hic eſſe ſenſus; Quibus elemētis vos gentiles ſeruire vultis, ſicut Iudæi hactenus ſeruierunt vt iteratio intelligatur in facto ſimili, non in perſonis ijſdem. Sicut enim Iudæi ſub iugo legalium ſeruierant; ita Galatæ malè ab illis perſuaſi, ſub eodem iugo ſeruire volebant. Fortè etiam quiſpiam referat hanc iterationem ad Iudęos fideles qui erant inter Galatas. Nam & in Galaticam regionem diſperſos fuiſſe Iudæos, conſtat ex 1. ep. Petri cap. 1. *Electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ* &c. Verùm ex textu manifeſtum eſt Paulum eos compellare qui dudum idolis ſeruierant, ijs, inquam, *qui natura non ſunt Dij*: eoſdemque reprehendere, quòd iterum cōuerterentur ad infirma & egena elementa. Quocirca retinenda eſt expoſitio, quam primò dedimus, vt menti & contextui apoſtolico magis appoſita.

10 DIES OBSERVATIS, ET MENSES, ET TEMPORA, ET ANNOS. Partibus explicat quod in ge-

in genere dixerat, eos iterum conuerti ad infirma & egena elementa. Locum hunc Ambrosianus accipit de superstitiosis obseruationibus dierum ac temporum; dum ea fausta vel infausta putantur. Quem errorem à gentilitate ad Christianos permanasse, sæpè queritur Augustinus; Qui etiã eodem sensu verba hæc accepit Ench. cap. 79. Sed & in commentario sensum hunc adfert priore loco. Verùm mox alterum præfert, quo de Iudaicis obseruationibus exponitur, vtpote scopo totius epistolæ congruentem. Quæ eadẽ expositio est Hieronymi, Chrysostomi, Theophylacti, & aliorum. *Dies* ergo quos obseruabãt Galatæ à pseudapostolis edocti, erant, verbi gratiâ, sabbathum, neomenia, scenopegia, cæteræque solemnitates Iudaicæ. *Menses*, vt primus & septimus festorum causâ celebriores. *Tempora*, quale est, ait Hieronymus, ter per annos singulos Hierosolymam venire. *Anni* deniq; vt septimus annus remissionis, & quinquagesimus Iubilæi. Ex his porrò liquet quàm prauè detorqueant hanc apostoli sententiam hæretici ad reprehensionem eius consuetudinis, qua certos quosdam dies festos annua celebritate recurrentes, & certa ieiuniorum tempora, ex Ecclesiæ præcepto fideles obseruant. Hęc enim ecclesiastica dierum ac temporum obseruatio, neque ad superstitionem gentilium pertinet, neque ad legem à Christo abrogatam; sed ex apostolica traditione descendit. Et quidem quod ad natalicia martyrum, aliorumque sanctorum cũ Christo regnantium attinet, instituta sunt ea propter tres potissimum causas, quas Augustinus lib. 20 contra Faustum Man. cap. 21 breuiter complexus est his verbis: *Populus Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur.* Quòd si omnis dierum obseruatio damnanda esset; neque ad iter agendum, neque ad serendum & metendum, & ad alia huiusmodi, commodos & opportunos dies expectare liceret. Abolendus quoque esset dies Dominicus, cuius obseruationem apostolicam esse constat ex scriptura: Quod tamen nec aduersarij dicere aut facere audent, apud quos vsque nunc ille dies est in obseruatione. Sed quid multa? cùm Hieronymus iam olim isti hęreticorum calumniæ prudenter obuiauerit, in huius loci commentario.

11 TIMEO VOS, NE FORTE SINE CAVSA LABORAVERIM IN VOBIS. Græcè, *Ne quo modo frustra laborauerim in vos*, siue, *erga vos*. Tametsi rectè noster interpres vertit, *ne forte*; nam Hieronymus & Græci particulam hanc vrgent, tanquam sit dubitantis, & spem correctionis adhuc relinquentis. *Timeos vos*, dictum pro eo quod Latinè diceretur, Timeo vobis, aut de vobis. Non enim Galatas timebat apostolus; sed declarat suam pro eis solicitudinem, metuens ne inanem sumserit operam ac laborem in eorum conuersione: Frustraneus enim redditur erga eos labor prædicationis, qui in fide suscepta nõ perseuerant, sed ad vomitum redeunt. *Melius est enim non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti.* 2. *Petri* 2.

12 ESTOTE SICVT EGO; QVIA ET EGO SICVT VOS: Dupliciter hoc exponi potest: vno modo, Iudaicas obseruationes meo exemplo abijcite, neque legem seruitutis patiamini vobis imponi; nam & ego me vestræ infirmitati accommodaui, vt vos Christo lucrifacerem. Aliter: Estote in eadem mecum sententia, & veritate doctrinæ; nam & ego aliquãdo in eodem errore versatus sum, in quo vos modò versamini; quem moneo vt exemplo meo deseratis. Hic sensus Græcorum est interpretum; sed prior magis est germanus. Congruit enim cum eo quod alibi dicit: *Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* 1. Cor. 9.

FRATRES OBSECRO VOS. Referendum hoc esse ad superiora Hieronymus admonet; nam cum sequentibus minùs aptè cohæret. Fratres, inquit, rogo vos & obsecro, vt quemadmodum dixi, faciatis. Videmus apostolum tentare omnem viam reuocandi Galatas ab errore. Hactenus enim argumentis & rationibus eos pressit, interdum increpationes admiscuit; Nunc precatur & obsecrat. Sic enim Episcopo & doctori faciendum esse præcipit 2. Tim. 4. *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.*

NIHIL ME LÆSISTIS. Planius ex Græco, Nullâ me iniuriâ affeciſtis. Quod, inquit, in superioribus vos durius increpaui; non feci contumeliosè tanquam iniuriâ lacessitus, vt iracundi solent; sed amore, ac studio vestræ salutis. Nam quod ad vos & factum vestrum attinet, nulla in re læsus sum à vobis; quin potiùs beneficijs apud vos affectus sum. Cùm non sine iniuria tanti apostoli, doctrinã eius Galatæ tam citò deseruissent; negat tamen se læsum ab illis, vel quia defuit animus lędendi; vel quia magis in Christum erat hæc iniuria, quàm in Paulum; vel certè, quia de tempore quo apud Galatas fuerat conuersatus, loquitur. Quem sensum probabilem faciunt ea quæ sequuntur.

13 SCITIS AVTEM QVIA PER INFIRMITATEM CARNIS EVANGELIZAVI VOBIS IAM PRIDEM. *Infirmitatem carnis* nonnulli morbum corporis interpretantur, vt sensus sit: Cùm apud vos agerem & euangelium vobis prædicarem; vidistis me hominem corpore infirmum & morbo afflictatum. Addunt, referente Hieronymo, Paulum sępe grauissimo capitis dolore vexatum; & hunc fuisse angelum Satanę datum ei, vt ipsum colaphizaret; & de hac infirmitate nunc apostolum loqui. Verùm magis placet posterior eiusdem Hieronymi, quæ & aliorum ferè omnium est, expositio, qua *per carnis infirmitatem* generali-

terintelligunt aduersitates & afflictiones homini exteriùs illatas; vt contumelias, verbera, persecutiones, carceres; & huiusmodi malorum pericula, quæ infirmitatum nomine ab apostolo significari in 2 Cor. 11 & 12 satis ostendimus. Potest etiam, & quidem probabiliùs, ni fallor, intelligi illa infirmitas, de qua dicit cap. 10 eiusdē epistolæ. *Præsentia corporis infirma, & sermo contemptibilis.* Quo loco nō persecutiones aut pericula, sed humilitatē corporalis suæ præsentię voluit significare; quemadmodum & 1. Cor. 2. dicens: *Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo, fui apud vos.* Iuxta hunc sensum accipi poterit hæc pars, vt probatio eius quod dixit, *Ego sicut vos*; quasi diceret, vt me vobis accōmodarem, magna cum humilitate, velut homo abiectus, euangelium vobis prædicaui, *iampridem:* pro quo Græcè, τὸ πρότερον, priùs, id est, dudum, ac superiori tempore.

14 ET TENTATIONEM VESTRAM IN CARNE MEA NON SPREVISTIS, NEQVE RESPVISTIS. Græcè, *Et tentationem meam, quæ in carne mea* &c. Latina quoque nonnulla, *meam* habent. At verò nostræ lectioni fauent plæraque omnia manuscripta; nec non omnes Latini commentatores; qui *vestram* legunt & exponunt. Dixit autem interpres *tentationem vestram*, pro *tentatione vestri*, id est, ea qua vos ex infirmitate mea tentabamini, aut certè tentari poteratis. Quod igitur apostolus hac & præcedenti parte dicit, tale est; Non solùm me non læsistis, verùm etiam beneuolentiam mihi magnam ostendistis. Cùm enim vobis dudum inter medias, vt scitis, persecutiones & pericula, vel, in corpore infirmo & contemptibili, præsens euangelium prædicarem; non tamen estis passi offendiculum in illa carnis meæ infirmitate, neque eam aduersati estis, nec per eam ad mei contemptū, aut ad respuendum euangelium adducti; *sed sicut angelum Dei* &c. Magna laus est, virtutem in vase fragili non contemnere: Vnde & Christus ait Matth. 11. *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*; id est, quem non offenderit humilitas carnis meæ, quo minùs agnoscat, & credat, quis & quantus ego sim. Porrò Græca lectio potest hunc habere sensum, *Et tentationem meam, quæ erat in carne mea*, id est, persecutiones & verbera quæ in corpore meo passus sum, non estis aspernati; non illa vos offenderunt, vt propter illa minoris me faceretis. Et hæc Græcorum expositio est. Constat autem tentationem in scripturis interdum significare afflictionem, vt Iac. 1. *Omne gaudium existimate, cùm in varias tentationes inciderits.* Et Luc. 22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.*

SED SICVT ANGELVM DEI EXCEPISTIS ME SICVT CHRISTVM IESVM. Id est, nihil offensi illa carnis meæ infirmitate, tanti me fecistis, & tanto cum honore me suscepistis, vt si angelum cælitus à Deo missum, in quo carnis infirmitas locum non habet, susceperetis: quodque amplius est, suscepistis me, sicut Christum Iesum; quia considerastis in me, non humilitatem meæ personæ, sed dignitatem eius, cuius sum minister & apostolus. Benè dicit, *sicut Angelum Dei*, quia Paulus verè angelus, id est, nuncius Dei erat.

15 VBI EST ERGO BEATITVDO VESTRA? Græcè, *Quæ igitur beatificatio vestra?* Sed annotat Oecumenius, τίς, id est, quæ, pro, vbi positum esse. Illud verò: *beatitudo*, seu *beatificatio vestra*, potest vel actiuè vel passiuè intelligi: Actiuè quidem, vt sensus sit, Vbi nūc plausus illi, & verba quibus me beatum appellabatis? q. d. Nunc videmini longè aliter de me sentire; quandoquidem ab euangelio, quod vobis prædicaui recessistis. Passiuè, hoc modo; Tanta cum beneuolentia & honore me vobis euangelizantem excepistis, vt ego vos prę multis alijs beatos prædicarem; At nunc cogor vos stultos & insensatos vocare. Hunc sensum Hieronymus & Græci tradunt; tametsi prior, quem Theophylactus etiam attingit, aptiùs conuenit cum ijs quæ proximè pręcedunt, & sequuntur.

TESTIMONIVM ENIM PERHIBEO VOBIS, QVIA SI FIERI POSSET, OCVLOS VESTROS ERVISSETIS ET DEDISSETIS MIHI. Hyperbole est, qua Galatarum ingentem erga se affectū significat. Eam Græci vsitatiori schemate sic explicant, Habebatis me chariorem oculis vestris; id est, Eram vobis chariſſimus. Temperat autem sermonis excessum apostolus, dum addit, *si fieri posset*, id est, si natura permitteret.

16 ERGO INIMICVS VOBIS FACTVS SVM, VERVM DICENS VOBIS? Pro *vobis* priori loco, Græcè, *Vester*. Sēsus; Ergóne propterea me pro inimico habere cœpistis, quòd veritatem vobis dixerim? Hinc apparet Galatas à pseudapostolis, qui Paulum oderant, malè persuasos, priorem illum affectum erga suum apostolum remisisse; atque adeò cœpisse nōnihil in contrarium flecti; quod hîc vocat inimicitiam. Quæres, an apostolus non ab initio veritatem dixerit Galatis; vt nunc queratur se ex amico factum illis inimicum, postquam veritatem dicere cœpit. Respondeo, non omnia Christianę religionis statim principio fuisse tradenda; sed quædam in tempus opportunum differenda fuisse; quale illud de legis & ceremoniarum abrogatione. Nam huius rei mentione, in primis fidei rudimentis, apud Galatas, ac cæteros gentiles opus non erat; eo quòd legem non accepissent. Sed posteaquam etiam vsque ad Galatas penetrārant Iudęi, qui dicerent, *Nisi circumcidamini, non poteſtis saluari.* Act 15: necesse fuit apostolo de ea re veram & apertam doctrinam proferre.

17 ÆMVLANTVR VOS, NON BENE, SED EXCLVDERE VOS VOLVNT, VT ILLOS ÆMVLEMINI. De pseudapostolis suppresso nomine loquitur; & sensus est: Illi per quos inimicus vobis factus sum, vos ambiunt, tanquam

veſtrę ſalutis admodum cupidi; Cæterùm, id faciunt *non bene*; vel quia zelus eorum non eſt ſecundum ſcientiam, vel quia zelum ac ſtudium veſtri magis ſimulant quàm habent, vt qui reuera vos excludere velint à libertate euangelica,& ſeruituti legis ſubijcere; quo ſic vos habeant diſcipulos & imitatores, ſibi tanquam magiſtris addictos,& ſuæ gloriæ ſtudioſos. Non aliud enim illi quàm gloriam quærunt ab hominibus. Congruit huic loco teſtimonium Saluatoris de ſtudio Iudæorum proſelytos ex gentilibus facere quærentium; *Væ vobis*, inquit, *ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam vt faciatis vnum proſelytum; & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ, duplo quàm vos*, Matth. 23. Monet Eraſmus in quibuſdam Græcis exemplaribus haberi, *includere*; Eſt autem apud Græcos quàm minima differentia inter ἐκκλεῖσαι *excludere*,& ἐγκλεῖσαι *includere*. Hoc modo ſi legamus; ſenſus erit, Sed concludere vos volunt & captiuos habere, ferarũ more, quæ caueis includuntur; id eſt, in ſeruitutem redigere vos conantur, & ſuos facere, voſque pro libito velut ſibi obnoxios tractare. Sic enim pſeudapoſtolos cum Corinthijs egiſſe, teſtantur illa apoſtoli ad eos verba: *Suſtinetis enim, ſi quis vos in ſeruitutẽ redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciẽ vos cædit.* 2. Cor. 11.

18 BONVM AVTEM ÆMVLAMINI IN BONO SEMPER, ET NON TANTVM CVM PRÆSENS SVM APVD VOS. Græcè, *Bonum autem* (ſupple, eſt) *æmulari in bono ſemper*, &c. Quomodo & Auguſtinus legit. Vindicat hanc lectionem articulus τὸ, qui verbo præpoſitus non ſinit aliter legi quàm *æmulari* modo infinitiuo; quamuis alioqui ζηλοῦσθαι & ζηλοῦσθε facilè potuerint commutari. Noſtra lectio, quæ etiam apud Hieronymum eſt, poteſt hũc habere ſenſum: Ego verò vos moneo, non vt illos æmulemini, ſed vt bonum quemque, in re bona & honeſta, æmulemini, hoc eſt, imitandũ vobis proponatis; etiã cùm abſens ſum à vobis. Quaſi tacitè dicat; Me, qui bonã vobis doctrinã tradidi, non ſolùm præſentem, verũ etiam abſentẽ æmulari debuiſtis. Quanquam Hieronymus bonũ non de perſona, ſed de rebus exponit; ſenſu coactiori; tanquã dicas, Ea quæ bona ſunt, æmulamini in bono. Laborat eodem incõmodo textus Ambroſianus, qui ſic habet; Æmulamini autẽ meliora dona in bono ſemper. Quæ lectio alludit ad illud 1. Cor. 12. *Æmulamini autẽ chariſmata meliora.* Verùm hîc nõ de chariſmatum, ſed perſonarũ æmulatione, id eſt, imitatione, aut ſtudio, agitur. Porrò Græca lectio contextui apoſtolico meliùs quadrat, & planũ habet ſenſum, huiuſmodi; Illi volũt vt ipſos æmulemini; atqui bonũ eſt & laudabile, vt æmulemini magiſtros veſtros; qualis ego inprimis ſum (id enim intelligi vult); nec in quibuſcunque, ſed tantùm in re bona; idque ſemper, id eſt, conſtanter, & non ſolũ me vobis præſente. Quapoſtrema parte latenter accuſat Galatas, quòd ipſo abſente defeciſſent ab eius doctrina, quem præſentem tantis honoribus affecerant.

19 FILIOLI MEI, QVOS ITERVM PARTVRIO, DONEC FORMETVR CHRISTVS IN VOBIS. Parthopœia eſt, qua tãquam materno loquitur affectu. *Parturio*, Græcè ὠδίνω, quo verbo dolor parturientis exprimitur. Poteſt autem ſententia tam ad ſuperiora, quàm ad ſequentia, coaptari. Senſus eſt: Semel vos Chriſto peperi, quando ad fidem Chriſti perduxi, eaque ratione filioli mei eſtis generatione ſpirituali: Sed quoniam à veritate euangelij vobis traditi, tanquam à vita, defeciſtis; nunc *iterum vos parturio*, id eſt, magno nixu & labore conor ad euangelij veritatem reuocare; idque tantiſper ago *donec Chriſtus in vobis formetur*, id eſt, donec perfectam Chriſti formam accipiatis, hoc eſt, rectam fidem de Chriſto, qua nimirum credatis Chriſtum vobis ad ſalutem ſufficere, ſine legalium obſeruatione. Non enim omnino à Chriſto receſſerant, ſed Chriſto legem, velut in ſubſidium, adiungere volebant. Nonnulli formam hanc de robore fidei interpretantur; minùs rectè: nam parturitio non eſt ad robur ſed ad perfectionem Hîc autem nota quòd Chriſtus eſt quodammodo forma hominis Chriſtiani.

20 VELLEM AVTEM ESSE APVD VOS MODO, ET MVTARE VOCEM MEAM. Pergit affectus ſui magnitudinem erga Galatas declarare. Vtinam, inquit, vobis nunc adeſſem, vt coràm, prout viderem vobis conuenire, vocem meam mutare poſſem, id eſt, inflectere & accommodare ſermonem meum conditioni audientium; quod abſens facere nequeo, tum quia viua vox magis afficit quàm epiſtola, tum quia non video quemadmodum ſitis affecti, vt ſecundum hoc aptarem ſermonẽ. Vnde ſequitur,

QVONIAM CONFVNDOR IN VOBIS. Quod quidam ſic exponunt; Quia pudore afficior propter vos, qui tam leuiter receſſeritis ab eo quod ego vos docui. Hic commentarius eſt apud Auguſtinũ, Ambroſiaſtrum, Thomam, cæteroſque fere Latinos. Sed ſciendum pro verbo *confundor*, Græcis eſſe ἀπορῶμαι, id eſt, hæreo, & anceps ſum animi. Quo verbo etiã aliàs vtitur apoſtolus, vt 2. Cor. 4. vbi nos habemus; *Aporiamur, ſed non deſtituimur*; Atque eo loco, verbi Græci ſignificationẽ plenius explicuimus. Reſpondet ei Syriaca verſio quæ habet, ſtupefactus ſum, attonitus & inops conſilij, de vobis, id eſt, quomodo vobiſcum agere debeam. Quod res ipſa ſatis declarat; cùm in hac epiſtola vertat ſe in omnem orationis formam.

21 DICITE MIHI QVI SVB LEGE VVLTIS ESSE; LEGEM NON LEGISTIS? Græcè: *non auditis?* Hieronymus & Auguſtinus, *non audiſtis?* quamuis apud Hieronymum q. 8. ad Algaſ. habetur, *legiſtis*. *Legem*, poſteriori loco

totum vetus testamentum intelligi putat Oecumenius: idque non malè. Tota enim vetus scriptura erat Iudæis pro lege. Confer Rom. 3. & 1. Cor. 14. Et certè qua ratione historia Geneseos sine dubio hîc nomine legis comprehenditur: eâdem & reliqui libri sacri veteris testamenti, possunt. Vide Hieronymum ad Algas. q. 8. vbi ait, historiam quoque nomine legis interdum comprehendi; cuius hîc est exemplum. Quare minus verisimile est apostolũ hîc eo nomine solùm Moysi Pentateuchũ, ex quo testimoniũ profert, cõprehendere voluisse. Nã quamuis Christus in euãgelio legẽ à Prophetis interdũ distinguit, vt Matth. 5. 7. 11. & 22. tamen notum est, non solũ historiã sacram, sed psalmos etiã & Prophetas interdum legis nomine comprehendi: psalmos quidẽ; velut Io. 15: *Vt adimpleatur sermo, qui in lege eorũ scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis.* Quod sumptũ est ex psalmo 24. 34. & 68. Prophetas verò; vt 1. Cor. 14: *In lege scriptum est, Quoniã in alijs linguis, & labijs alijs loquar populo huic; & nec sic exaudient me, dicit Dominus.* Quod inuenitur apud Isaiã cap. 28. Post preces & blãdimẽta, quibus affectũ mouit apostolus, nunc rursus argumentis vrgere Galatas incipit. Argumẽtatur autẽ ex ipsa lege (id est, ex scriptura quæ legẽ tradit) contra eos qui sub lege esse volebãt. Etenim lex ipsa docet non esse bonũ sub lege teneri. Iam quidẽ suprà, bis, térue, ex lege cõtra legis iusticiã ratiocinatus est; Sed hîc id ipsum facit alio modo, scilicet ex historia allegoricè exposita.

22 SCRIPTVM EST ENIM QVONIAM ABRAHAM DVOS FILIOS HABVIT; VNVM DE ANCILLA, ET VNVM DE LIBERA: Scribitur hoc Gen. 16. & 21. Non est, inquit, sine mysterio quod scriptura narrat Abraham duos suscepisse filios, Ismael & Isaac; illum ex Hagar ancilla, id est, serua; hunc verò, ex Sara libera. Fuerunt Abrahæ & alij filij, quos post obitũ Saræ genuit, vt legitur Gen. 25. sed illi ad præsentis rei mysterium non pertinent; vnde nec de ijs scriptura narrationem longiùs prosequitur, contenta generationem eorum prodidisse.

23 SED QVI DE ANCILLA, SECVNDVM CARNEM NATVS EST; QVI AVTEM DE LIBERA, PER REPROMISSIONEM. Ismael ex ancilla genitus, *secundum carnem natus* dicitur, quia vsitata lege naturæ secundum insitam carni virtutem generandi, natus est. Habet enim ordo naturæ vt ex iuuencula possit quis non nimiùm senex filios procreare. Isaac verò ex libera genitus, *per promissionem* dicitur *natus*, quia supra naturæ facultatem, eius generatio fuit; nimirum ex virtute diuinitus & promissa & suppeditata; cùm & *Abrahæ corpus esset emortuum, & emortua vulua Saræ*, quemadmodum dicitur ad Rom. 4.

24 QVÆ SVNT PER ALLEGORIAM DICTA. Græcè est præsens participium, ἀλληγορούμενα. Allegoria est, quum ex eo quod dicitur, aliud quiddam significatur. Vnde Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 9. dicit quosdam Latinos interpretes ita vertisse, *Quæ sunt aliud ex alio significantia.* Sunt autem allegoriæ duo genera: alterum in verbis; alterum in rebus. Quorum illud, commune est scripturę sacrę cum scriptoribus non sacris: Est enim ea allegoria, continua quædam in verbis metaphora; qualis in eo quod paulo antè dixit apostolus: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur* &c. Alterum verò genus est ei peculiare; vt quoties vera quidem secundum literalem sensum verborum, narratur historia, vel quippiam aliud dicitur; sed in ea re quæ narratur aut dicitur, secretior quædam latet altioris rei significatio. Ita verè quidem hæc de duobus Abrahę filijs historia, sicuti narratur, contigit: sed illa res gesta vlteriorem habet alterius cuiusdam rei significationem. Quod iam consequenter docet.

HÆC ENIM SVNT DVO TESTAMENTA. Id est, In his quæ de duobus Abrahæ filijs, & eorum matribus scriptura narrat, est significatio duorum testamentorum, veteris & noui. Græca possunt accipi hoc modo; Hæ, id est, hæ duę feminæ Hagar & Sara, sunt duo testamenta per significationem, id est, sunt signa & figuræ duorum testamentorum. Quem sensum subsequens declaratio probabilem facit;

VNVM QVIDEM A MONTE SINA, IN SERVITVTEM GENERANS. Vicioso quidam codices, *in monte*, legunt, reclamantibus nõ solùm Græcis, verũ etiã manuscriptis omnibus Latinis, ac textu, quo tam Hieronymus, quã Ambrosianus vsi sunt. Sensus est: *Alterũ quidem* duorum testamentorum *à monte Sina*, in quo lex data est, ortum, seu profectum; *generans filios in seruitutem*, id est, ipsa generatione seruituti obnoxios. Qui enim ex matre serua nascitur, nisi quid aliud obstet, seruus nascitur. Dicitur itaque vetus testamentũ à monte Sina profectum; quia in illo monte lata est lex, cuius obseruatio, veteris testamenti, id est, pacti inter Deum & veterem populum initi, conditio fuit; sed minimè à populo seruata. Seruitus autem ad quam filios suos generabat vetus testamentum, posita erat partim in importabili iugo præceptorum ceremonialium, ceruicibus filiorum eius impositio; partim in affectu & timore seruili, quo ijdem illi regebantur; quem apostolus Rom. 8. vocat *spiritum seruitutis in timore.* Quæ sanè posterior ratio magis propria est filiorum veteris testamenti, vtpote essentialis quędam illius testamenti proprietas. Distinguuntur enim vetus & nouum testamentum essentialiter per timorem & amorem.

QVÆ EST AGAR. Relatiuum, *quæ*, non ad seruitutem referendum est, sed ad testamentum, quod in Græco femininum est; vt potiùs vertendum fuerit, *quod est Agar:* tametsi interpretem facilè excusat loquendi consuetudo, qua relatiuum sæpè genus

suum

ſuum accipit à ſubſtantiuo ſequente. Proinde ſenſus eſt; quod teſtamentum per Agar ancillam typicè ſignificatum eſt.

25 SINA ENIM MONS EST IN ARABIA. In omnibus Græcorum codicibus ſic legitur: *Nam Agar Sina mons eſt in Arabia*. Præfigitur autem ipſi *Agar* articulus τὸ, neutri generis, quem interpretes Græci referunt ad eiuſdem generis dictionem ὄρος, id eſt, mõtem. Putant enim Sina montem, in quo data eſt lex, Arabum lingua nominatum fuiſſe Agar; & hoc apoſtolum his verbis ſignificare: vt ſenſus ſit, Rectè per Agar ancillam vetus teſtamentum figuratum eſt; quia Sina mons Arabiæ, etiam Agar appellatur. Senſum hunc expreſſit verſio Hentenij, quæ ſic habet, *Mons enim Sina, Agar dicitur apud Arabes*. Verùm huiuſmodi interpretatio non admodum probabilis eſt; Nuſquam enim legitur illum montem Sina, alio nomine vocatum Agar; nec arbitror filios Iſrael per Arabiæ deſerta tranſeuntes alio nomine montem illum vocaſſe, quàm quo apud indigenas, ſeu vicinos Arabes vocabatur. Igitur Græcæ lectionis commodior hic ſenſus reddi poſſe videtur: Quod per Agar ancillam typicè ſignificatur, idem eſt cum eo quod Sina mons Arabiæ per typum ſignificat. q. d. Agar & Sina eiuſdem rei gerunt ſignificationem, ſcilicet veteris teſtamenti. Senſus hic optimè ſeruit illuſtrandæ allegoriæ, quam adfert apoſtolus. Porrò noſtra lectio, quæ apud omnes eſt Latinos interpretes, variè ab illis exponitur. A nonnullis hoc modo: Bene teſtamentum illud vetus generans in ſeruitutem ortum eſt à monte Sina; quia mons ille ſitus eſt in Arabia, quæ regio eſt extra terram promiſſionis; vt intelligatur filios veteris teſtamenti non pertinere ad promiſſionem Abrahæ factam. Alij vim probationis ponunt in eo quod poſtea ſequitur, *Et ſeruit cum filijs ſuis*: tanquam argumentetur apoſtolus ex qualitate ſeu condicione montis, & filiorum ſiue accolarum eius, qui cùm, vt plurimùm, ſerui ſint, rectè mons ipſe, quem accolunt, typum habet teſtamenti generantis in ſeruitutem. At quoniam hæc poſterior expoſitio, quemadmodum & ea quæ probationem accipit ex etymo vocis Arabiæ, qua ſignificatur humilitas ac depreſſio ſeruituti propria, longiùs petitæ videntur; atque adeo incertum eſt, an habitatores montis Sinai, quo tempore Paulus hæc ſcribebat, ſeruilis fuerint condicionis: idcirco, iuxta priorem expoſitionem, magis arbitramur apoſtolum vrgere velle ſitum & qualitatem loci, ſine conſideratione perſonarum q. d conuenienter à monte Sina vetus teſtamentum profluxit; nam Sina mons eſt horridus in Arabia, longè extra fines terræ promiſſæ ſitus; proinde aptiſſimus ad ſignificandam veteris teſtamenti qualitatem, quæ eſt timorem, & horrorem incutere, & ſeruos facere, promiſſionis exortes, & ab hæreditate alienos.

QVI CONIVNCTVS EST EI QVÆ NVNC EST HIERVSALEM. Græcè, *coniungitur autem ei*. Hieronymus legit, *Qui conterminus eſt ei*. Quæritur quomodo mons Sina coniunctus ſeu conterminus ſit ciuitati Hieruſalem, cùm ſecundum veram Geographiam diſtet ab ea ferme viginti dierum itinere, quemadmodum etiam Thomas frater teſtatur. Quidam reſpondent, coniunctum eſſe non vicinitate loci, ſed per radices illuc vſque protenſas. Genebrardus exponens pſalmum 132. affirmat montem Sina perpetuo dorſo porrigi vſque ad montana Sionis. Sed hæc ægrè fidem admittunt; ob nimiã, vt dictum eſt, locorum diſtantiam, nec vllo fide digno teſtimonio ſuffragante. Sunt qui *coniunctum* interpretentur, è regione ſitum, etſi longè diſtantem. Thomas coniunctum intelligit per continuationem itineris Iſraeliratum ex illo monte proficiſcentium in terram promiſſionis, & in ipſam Hieruſalem. Alij alias expoſitiones adferunt, quas diligenter recenſet Adamus Saſbout. Vt autem germanum ſenſum aſſequamur, ſciendum eſt verbum Græcum συστοιχεῖ, quod interpres noſter vertit, *coniunctum eſſe*; Eraſmus & Hentenius *confinem eſſe*; Theophylacti interpres, *contiguum eſſe*; non qualemcunque ſignificare coniunctionem, ſed eam quæ eſt in natura, & proprietate ingenij, aut in re quacunque ſimili: quam coniunctionem Latini conſenſum, cognationem, affinitatem vocare ſolent; vt & ea quæ ſic coniuncta ſunt, affinia, ſeu cognata inter ſe; quemadmodum doctè explicat Budæus in commentarijs linguæ Græcæ. Senſum igitur hunc eſſe putamus; Qui mons Sina cognationem habet cum iſta terrena Hieruſalem, eique congruit quoad myſticam ſignificationem. Nam Sina vetus teſtamentum ſignificat; Terrena Hieruſalem ſedes eſt populi Iudaici, id eſt, filiorum veteris teſtamenti. In monte Sina lex vetus data eſt; In terrena Hieruſalem principatus eſt legis veteris, propter templum, & ceremonias, & ſtudium legis retinendæ. Denique, idem eſt populus continuitate ſucceſſionis, qui legem in monte Sina accepit, & qui nunc in Hieruſalem habitans, pro eadem lege pugnaciter contendit. Adfert hunc ſenſum Theophylactus ſecundo loco, & ſic quidem vt approbare eum videatur. Quod ergo dicit apoſtolus, *Quæ nunc eſt Hieruſalem*, non ita exponendum; quæ nunc dicitur aut vocatur Hieruſalem, quomodo Eraſmus & Hentenius nimiũ licenter tranſtulerunt; quaſi ſenſus ſit, Quę quidem olim alijs nominibus appellata fuit, vt Iebus & Salem; nunc autẽ Hieruſalem vocatur: Neque enim ad rem præſentem facit quòd ea ciuitas non idẽ ſemper nomen habuerit, cùm vtique etiã illo tempore quo lex lata eſt, eam vocatã fuiſſe Hieruſalẽ,

ſatis ex libro Ioſue perſpicuum ſit. Sed, *quæ nunc eſt*, id eſt, huius temporis, ac ſæculi; hęc, inquam, terrena Hieruſalem. Mox enim opponit *illam quæ ſurſum eſt*, id eſt, cæleſtẽ Hieruſalem, cuius ſpes omnis in futurum ſæculum extenditur, iuxta illud Heb. vlt. *Non habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Similis antitheſis alibi; cùm ait: *Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Col. 3. Atquæ hæc interpretatio veterum eſt, tam Latinorum quàm Græcorum. Poſtremò notandum, partem illam: *Coniungitur autem ei quæ nunc eſt, Hieruſalem* (ſic enim in Græco legitur); referri poſſe, iuxta Græcam lectionem, ad *Agar*, de qua præceſſerat, *Nam Agar Sina mons eſt in Arabia*; tametſi Græci interpretes, vti ſuprà dictum eſt, Agar à Sina in hac parte non diſtinguunt.

ET SERVIT CVM FILIIS SVIS. Quidam, hoc ad *eam quæ nunc eſt Hieruſalem* referunt, eamque ſeruire cum filijs ſuis interpretantur, vel quia ciuitas illa cum populo ſuo ſeruiebat Romanis, vel quia legis Moſaicæ ſeruitute premebatur. Quam expoſitionem probabilem facit pars ſequens, qua è diuerſo dicitur, *eam quæ ſurſum eſt Hieruſalem, liberam eſſe.* Sed vt eò referatur Græca vix admittūt. Alij proinde copulant cum illa parte, *Quæ eſt Agar*; nam cætera media claudunt parentheſi, quemadmodum in multis codicibus impreſſis videre eſt. Secundum hos itaque, ſenſus eſt; Vetus teſtamentum ſignificatum per Agar, ſeruit cum filijs ſuis, id eſt, in filijs; quatenus ſcilicet filios ſuos in ſeruitutem generat. Dicit autem, *cum filijs*, eo quòd ipſa Agar, in qua veteris teſtamenti typus erat, ſerua fuerit, & per hoc ſeruitutem filiorum veteris teſtamenti præfigurauerit. Porrò alij referunt ad Sina montem; ac filios eius intelligunt illius montis accolas. Quem ſenſum iam antè diximus minùs nobis probari. Quocirca, ſiue ad Hieruſalem terrenam, ſiue potiùs ad vetus teſtamentum quod eſt Agar, ſiue etiam ad Sina montem, pars iſta referatur; intelligendum eſt quodlibet horum ſeruire cum filijs ſuis, quod homines comprehendat, aut gignat, aut ſignificet, obnoxios illi ſeruituti, de qua iam dixerat: *Vnum quidem à monte Sina, in ſeruitutem generans.*

26 ILLA AVTEM QVÆ SVRSVM EST HIERVSALEM, LIBERA EST; QVÆ EST MATER NOSTRA. Dixit apoſtolus quid per Agar ancillam allegoricè ſignificetur; nunc, quid per Saram liberam ſignificatum fuerit, oſtendit; ſcilicet nouum teſtamentum, quod filios ſuos in libertatem generat. Id enim volunt hęc apoſtoli verba, quibus dicit *eam Hieruſalem quæ ſurſum eſt* (intellige, quæ eſt Sara per ſignificationem) liberam eſſe, ac matrem noſtram. Nec refert ad rem propoſitam, ſiue per Saram dicatur intelligi nouum teſtamentum, ſiue Eccleſia noui teſtamenti. Sunt enim hæc duo coniuncta, ſic vt alterum ex altero intelligatur. Vnde apoſtolus vtrumque dicit: illud quidem, cùm ait; *Hæc enim ſunt duo teſtamenta*; Iſtud verò, præſenti loco, *Saram* exponens *Hieruſalem quæ ſurſum eſt*. Nam & ſimiliter dici poterat, per Agar vetus teſtamentum ſignificari, & Eccleſiam veteris teſtamenti, id eſt, Synagogam, quæ filios ſuos in ſeruitutem generabat. Porrò noui teſtamenti Eccleſiam apoſtolus vocat *Hieruſalem quæ ſurſum eſt*, id eſt, *Hieruſalem* ſupernam, & vt loquitur Hebr. 12. *cæleſtem*; non quòd ſolam triumphantem in cælis Eccleſiam hîc intelligi velit (totam enim Chriſti Eccleſiam hac notatione comprehendit); ſed quia etiam qua parte militat & peregrinatur in terris, tamen per fidem & ſpem ſurſum eſt, dum ea *quæ ſurſum ſunt, quærit & ſapit, non autem ea quæ ſuper terram*. Col. 3. cuius & conuerſatio in cælis eſt Philip. 3. Vnde & Ioannes in Apoc. 21. hanc eandem ſanctam ciuitatem Hieruſalem nouam videt deſcendentem de cælo à Deo. Contrà verò, qui ad vetus teſtamentum, & terrenam Hieruſalem pertinent, ſicut de terra ſunt; ita terrena quærunt & ſapiunt, & terrenis ducuntur promiſſis: qualia nimirum vetus proponebat teſtamentum. *Libera eſt autem ſuperna Hieruſalem*, & filios ſuos in libertatem generat, eam, quæ ſeruituti filiorum Agar dudum à nobis explicatæ, opponitur. Quæ proinde libertas præcipuè poſita eſt in ſpiritu dilectionis, quem apoſtolus Rom. 8. vocat ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamant, Abba, Pater: Secundaria autem ratione conſiſtit in eo quòd filij noui teſtamenti per Chriſtum exempti ſunt à ſeruili iugo legis Moſaicæ. Iam quod addit apoſtolus, *quæ eſt mater noſtra*; ſignificat nos, quos per fidem, & baptiſmum Eccleſia gignit, liberos eſſe; vtpote, ex matre libera genitos. Vbi notandum, in Græco & Syriaco legi; *quæ eſt mater omnium noſtrum*; eandemque lectionem apud Hieronymum & Primaſium haberi. Videtur enim apoſtolus hac vniuerſali nota ſignificare voluiſſe magnam fidelium noui teſtamenti multitudinem ex gentibus collectam, & colligendam; atque ita, etiam Galatas eſſe filios cæleſtis Ieruſalem, ac proinde liberos. Eò namque pertinet probatio ſequens de multis filijs.

27 SCRIPTVM EST ENIM, apud Iſaiam cap. 54. Citat hoc prophetæ teſtimonium apoſtolus, non vt in Hebræo eſt, ſex iuxta verſionem LXX, quorum tamen ſenſus per omnia concordat cum Hebraica veritate; quemadmodum facilè liquet conferenti.

LÆTARE STERILIS, QVÆ NON PARIS; ERVMPE ET CLAMA, QVÆ NON PARTVRIS. Verba ſunt prophetæ ad Eccleſiam noui teſtamenti. Tu, inquit, Eccleſia, quæ

vſque

vsque ad Christi aduentum sterilis fuisti; & ex gentibus quidem penè nullos, ex Iudæis verò pauciſſimos Christo filios, eosdemque sub seruitutis velamine, tanquam & ipsi serui essent, latitantes, enixa es (nam parere, & parturire pro eodem hîc ponuntur): lætare, erumpe & clama; id est, cum lætitia Deum lauda, & in clamorem, & cantica laudis erumpe. Sic enim sensum complemus ex Hebræo; vbi pro *lætare*, lauda; & pro *erumpe & clama*, decanta laudem, & hinni, legimus. Ratio laudis & lætitiæ sequitur.

QVIA MVLTI FILII DESERTÆ MAGIS QVAM EIVS QVÆ HABET VIRVM. *Deserta*, id est solitarię: Nam in Græco nomen est, non participium. *Desertam* autem vocat, quasi à toro repulsam aut seiunctam, propter sterilitatem. *Eam verò qua habet virum*, intelligit eam cum qua vir consuetudinem habet, propter fœcunditatem. Nam hac phrasi, qua vir dicitur habere mulierem, & mulier virum, significari commixtionem viri cum muliere; ostendimus in expositione cap. 5. & 7. prioris ep. ad Cor. Proinde sensus est; Meritò lętandum tibi est, quia tu, quæ hactenus solitaria fuisti, nec viro ad gignendos filios coniuncta (sterilis enim eras); nunc fœcunda reddita, Christo viro tuo filios paries multò plures, quàm Synagoga viro suo coniuncta, id est, legem Mosaicam studiosè amplexata, toto veteris testamenti tempore filios peperit. Nam legem Mosaicam virum fuisse Synagogæ docet apostolus Rom. 7. Potest autem & hac ratione intelligi *deserta* seu solitaria, quòd sola esset, filios non habēs ex quibus familia multiplicaretur. Vnde quod iuxta Symmachi interpretationem legitur psal. 67. *Deus inhabitare facit solitarios in domo*; id psalmo 112. ita expressum est, *Qui habitare facit sterilem, in domo, matrem filiorum lætantem.* Et hæc expositio videtur magis germana, consideranti has & similes scripturas. Qualis est illa Thren. 1. *Quomodo sedet sola*, id est sine filijs, *ciuitas* prius populosissima Et Isaiæ 49. *Ego destituta & sola.* vbi præcesserat, *Ego sterilis, & non pariens.* Item Baruch 4. *Ego derelicta sum sola.* Quod autem quidam hîc speculantur, desertam fuisse Ecclesiā, quia fuerit derelicta in cultu idolorum, alijsque peccatis: non facilè est recipiendum, cùm sit alienum à mente apostoli & prophetæ. Nec vnquam verum fuit, Ecclesiam seruire idolis; aut esse derelictam à Deo: licet Gentilitas sic fuerit derelicta; ex qua postea congregata & multiplicata fuit Ecclesia; quæ Ecclesia fuerat antea in paucis hominibus. Cæterùm appositè admodum apostolus, cùm de mysterio Sarę sterilis ageret, adduxit hoc prophetæ testimonium, in quo Christi Ecclesia, per Saram prefigurata, sterilis vocatur; vt quēadmodum Sara post longam sterilitatem, tandem, ex diuina promissione ac virtute fœcundata, filium peperit, in quo semen Abrahæ multiplicaretur; ita significetur Ecclesia post sterilitatem tot sæculorum, tandem adueniente Christo, quamplurimos promissionis filios paritura, confluentibus ad eam vndique gentilium populis.

28 NOS AVTEM FRATRES, SECVNDVM ISAAC, PROMISSIONIS FILII SVMVS. Allegoriam hactenus expositam propriùs admouet instituto. Loquitur autē in persona Christi-fidelium. *Nos*, inquit, qui in Christū credimus, *non secundum Ismael carnis filij sumus; sed secundum Isaac filij promissionis.* Id est, Iuxta typum & similitudinem Isaac, quem supra naturæ ordinem mater sterilis ex Dei promissione cōcepit, filij matris ecclesię sumus; non ex viribus naturæ, sed supra naturam ex virtute Dei, qui Abrahæ promisit; geniti, & (vt ait Ioannes euangelista) *Non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati.* Hinc colligendum relinquit apostolus, eos qui in Christum credunt, non debere esse sub lege. Qui enim sub lege sunt, non secundum Isaac promissionis filij sunt ex libera; sed secundū Ismael filij carnis ex ancilla.

29 SED QVOMODO TVNC IS QVI SECVNDVM CARNEM NATVS FVERAT, PERSEQVEBATVR EVM, QVI SECVNDVM SPIRITVM; ITA ET NVNC. En altera congruentia figurę cum re figurata. Nam *sicut quondam Ismael, qui secundum carnem natus erat, persequebatur Isaac, qui natus erat secundum spiritum; ita & nunc*, inquit, qui secundum carnem nati sunt, id est, legis æmulatores, qui ex sola legis cognitione, sibi iusticiam promittunt, persequuntur eos qui secundū spiritum nati sūt, id est, per virtutē Spiritus sancti in filios adoptati. *Secundum carnem* natus Ismael dicitur, quia genitus secundum naturalem virtutē carnis, scilicet ex matre fœcūda; quemadmodum explicatum est suprà. *Isaac* verò *secundum spiritum*; quia per miraculum natus ex matre sterili & vetula. nam ea quæ supra naturā fiunt, peculiariter asscribuntur operationi Spiritus sancti. Non est autē hinc consequens Isaac fuisse conceptū de Spiritu sancto; quod nos in symbolo de Christo profitemur. Hac enim locutione significatur, quòd omne virile opus in Christi generatione suppleuerit operatio Spiritus sancti. Quod non ita fuit in conceptione Isaac, vt qui natus est ex paterno semine. Sed quæritur, quæ fuerit illa persecutio Ismaelis aduersus Isaac. Nam Gen. 21. quò Paulum respexisse constat, non persecutionem, sed lusum legimus. *Cùm*, inquit, *vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo; dixit* &c. Respōdeo, *lusum* non vno modo accipi in scripturis. Interdum enim lusum serium significat, id est, pugnam, vt 2. Reg. 2. dicente Abner ad Ioab; *Surgant pueri, & ludant coram nobis*, id est, dimicent. Sic ergo nonnulli existimant Ismaelem lusisse cum Isaac, id est, ludendo conatum fuisse eum perdere,

vt hæreditas ipſi ſoli remaneret. Interdum verò dicitur de luſu ac geſtibus colentium idola, vt Exo. 32. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*. Porrò quidam vocem Hebræam in Gen. vertunt, derídentem, ſiue ſubſannantem, aut illudentem. Quò pertinet quod Auguſtinus in ſermone de Agar & Iſmaele, citatus à Beda ſuper hunc locum, ſic ait: Luſum illum Paulus perſecutionem vocat; quia luſio illa, illuſio erat. Hieronymus quoque luſum hunc non ſimplicem fuiſſe docet, ſed iurgium & contẽtionem, qua circumciſionis prærogatiuam, & primogenita ſibi vendicabat Iſmael, contra paruulum Iſaac. Alij denique vertunt laſciuientem; Quibus conſonat Primaſij commentarius. Perſecutio nominatur, inquit, quia ſcurrilem eum & leuem volebat facere, qualis ipſe erat, ne ſibi in hęreditate præponeretur. Sunt qui intelligant Iſmael per ludum inducere voluiſſe Iſaac ad idola colenda; ſiue quemadmodum Thomas refert, ad adorandas imagines luteas, quas faciebat. Quemcunque verò luſum ex omnibus iam dictis intelligas; rectè perſecutio vocata eſt ab apoſtolo, quia in omnibus illis perſecutio quædam eſt: Corporalis quidem in machinanda morte, & in deriſione, & vendicatione primogenitorum; Spiritualis verò, quæ corporali grauior eſt, in eo quòd ad idololatriam, vel ad laſciuiam inducere puerum voluit. Sanè vtroque modo carnales Iudæi, filios eccleſiæ perſecuti ſunt: corporaliter quidem; nam vt ait apoſtolus 1. Theſſ. 2. *Et Dominum occiderunt Ieſum & prophetas, & nos perſecuti ſunt, & omnibus hominibus aduerſantur*; adeò vt teſtetur Hieronymus, multò maiores perſecutiones à Iudæis in Chriſtianos, quàm à gentibus concitatas fuiſſe: Spiritualiter autem; inquantum fideles à Chriſto reuocare, & ad legem ſuam traducere ſummo ſtudio conati ſunt. Prioris generis perſecutionem Paulus ipſe præ cæteris expertus fuerat; Poſteriorem experiebantur Galatæ, ad quos ſcribit. Quanquam non ſoli Iudæi, ſed in vniuerſum quicunque tam in eccleſia, quã extrà, ſecundum carnem viuunt; myſticè per Iſmaelem ſignificantur, & ſpiritualem Iſaac, id eſt, filios promiſſionis, qui ſecundum ſpiritum viuunt, alterutro genere perſecutionis exagitant. *Omnes enim qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur*; vtique à malis, & carnalibus hominibus. 2. Tim. 3.

30 SED QVID DICIT SCRIPTVRA? Id eſt, Quid ſcriptura commemorat Saram dixiſſe viro ſuo Abraham, quando vidit filium ancillæ ludentem cum filio ſuo? hoc nimirum quod ſequitur,

EIICE ANCILLAM ET FILIVM EIVS. Hîc iam tertia congruentia figuræ cum re figurata indicatur. Sicut enim Sara poſtulante, & Deo poſtulatum eius approbante, eiecta eſt è domo Abrahæ Agar ancilla cum filio ſuo; ſic eccleſia per ſpiritum Dei inſtante & perurgente, legem cum ſuis quaſi neceſſariæ, obſeruatoribus, eijci oportuit è familia & populo Dei. Per quod palam demonſtratur legis ac prioris teſtamenti ceſſatio. Atque hoc præcipuum eſt, quod apoſtolus ex hiſtoria Geneſis per allegoriam expoſita, docere voluit.

NON ENIM HÆRES ERIT FILIVS ANCILLÆ CVM FILIO LIBERÆ. Græcè, *Non enim hæreditabit*; hoc eſt, hæreditatem accipiet. Nam hæres quiſpiam dicitur à iure ſuccedendi in bona alterius; ſiue aliquando ſuccedat, ſiue non. Vnde eſt illud in euangelio: *Hic eſt hæres; occidamus eum, & noſtra erit hæreditas*. Ea pars, *cum filio liberæ*, apud Ambroſianum & Hieronymum legitur quomodo in Geneſi, *cum filio meo Iſaac*. Sed Græca nobiſcum faciunt; tametſi nulla in ſenſu diuerſitas eſt, niſi quòd in noſtra lectione magis elucet antitheſis. Indicatur autem quarta congruentia; quòd ſicut ancillę filius non eſt admiſſus in partem hæreditatis vnà cum filio liberæ; ſic qui ſub lege ſunt, non percipient promiſſam hæreditatem ſimul cum Chriſtianis; Ideoque meritò cum lege ſua foràs mittendi. Terret hæc ſententia Galatas, vt intelligant ſe excludendos ab hæreditate, ſi legem recipiant.

31 ITAQVE FRATRES NON SVMVS ANCILLÆ FILII, SED LIBERÆ: Quamuis hoc rectè ſequatur ex eo quod dixit: *Quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra*; Dictio tamen, *Itaque*, hoc loco non tam concludentis eſſe videtur, quàm accingentis ſe ad exhortationem ſubſequentem. Cuius etiam indicium eſt, quod *fratres* appellet. Igitur, inquit, fratres, quotcunque in Chriſtum credimus, *non ſumus ancillæ filij*, id eſt, non pertinemus ad legem, ſignificatam per Agar; *ſed ſumus filij liberæ*, pertinentes ad Hieruſalem, quæ ſurſum eſt, ſignificatam per Saram. Vnde ſcire ac meminiſſe debemus nos liberos eſſe à ſeruitute legis, vtpote vocatos in libertatem ſpiritus, & à iugo ceremoniarum legalium, præfigurantium Chriſtum, liberatos, veritate iam exhibita.

QVA LIBERTATE CHRISTVS NOS LIBERAVIT. Id eſt, in quam Chriſtus per mortem ſuam nos aſſeruit; ille nimirum qui de ſeipſo loquitur: *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis*, Ioan. 8. Hanc partem Græci connectunt ſequentibus, vti videbimus initio proximi capitis.

SVM-

SVMMARIVM.

A Circumcisione, simulq; à ceremonialium obseruatione Galatas, epilogi modo, auertit: ad charitatem hortatur; enumeratione quadam ostendit quæ sint opera carnis, qui fructus Spiritus.

CAPVT V.

1 STATE. Doctrinæ superiori, qua ostendit eos à Christo in libertatem vocatos, exhortationem subiungit, dicens: *State*, id est, abiecta omni fluctuatione persistite constanter in libertate, quam per Christum semel adepti estis. Hunc sensum disertè exponunt Græci codices, in quibus verbũ, *State*, præcedentibus adhęret in hunc modum. *Libertate igitur qua Christus nos liberauit, state.* Tametsi Latini veteres Hieronymus, Ambrosianus, Augustinus, perinde vt nos legunt; nisi quòd duo posteriores notam illationis in Græco pręcedentem, hîc adijciunt, *State ergo.* Certè Græca lectio apud me non paruum scrupulum habet, eo quòd præpositione careat. Nam in Græco non minùs incongruè iungitur ἑστάναι cum datiuo casu sine prępositione, quàm Latinis, Stare cum ablatiuo, si quidem qualitas significetur, in qua standum, id est, persistendum, sit. Legimus enim Ioan. 8. *In veritate non stetit.* Et 1. Cor. 16. *State in fide.* Item, *stare in euangelio.* 1. Cor. 15. & *stare in gratia Dei.* Rom. 5. & 1. Petri 5. Atqui stare veritate, fide, euangelio, gratia Dei, vel quicquam tale, non addita præpositione, non dicitur, nisi dum causa significatur; vt fide stare, id est, per fidem, vt Rom. 11. & 2. Cor. 1. Hoc autem loco non causam significat apostolus, sed qualitatem in qua standum sit, id est, libertatem Christianam. Itaque Græcis, æquè vt Latinis, dicendum erat, In libertate qua Christus nos liberauit, state; nimirum addita præpositione; quam etiam Syrus interpres, & Latini Græca vertentes, necessariò supplendam sibi putarunt. Apparet ergo Græcam lectionem hoc loco viciosam esse, ac fortassis veteri Latinę lectioni cedere debere. Nec desunt exẽplaria Græca quæ Latinę consentiant. Tria vetusta notat Robertus. Neque in diuersum moueat verbum, *State*, solitariè situm sine expressione eius in quo standum sit, Nam & alibi sic exhortatur, vt Eph. 6. *State ergo, succincti lumbos vestros.* Et 2. Thess. 2. *Itaque fratres, state, & tenete traditiones* &c. Porrò notat Augustinus apostolum, cùm dicit, *State*, significare eos nondum cecidisse; Alioqui accommodatius dicturum, *Surgite.*

ET NOLITE ITERVM IVGO SERVITVTIS CONTINERI. Pro *contineri*, secundum vsum Latini sermonis aptiùs diceretur, *teneri*, *implicari.* Sensus est: Libertate donati ne patiamini vobis rursus imponi seruitutem. Loquitur de lege Mosaica; quam vocat iugum seruitutis, simili ratione qua Petrus Act. 15. eam vocauit iugum importabile, scilicet propter multitudinem præceptorum, quæ seruis cõgruebat magis quàm liberis. Dicit *iterum*, non quòd aliquando sub lege seruiuissent Galatæ; sed eo sensu quo dixit superiori capite. *Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa; quibus denuò seruire vultis?* Seruierant enim sub falsa religione deorum; à qua seruitute per Christum liberatos, hortatur ne rursus in seruitutem se conijciant, legis iugum subeundo.

2 ECCE, EGO PAVLVS DICO VOBIS QVONIAM SI CIRCVMCIDAMINI CHRISTVS VOBIS NIHIL PRODERIT. Vrget Galatas authoritate suæ personæ; erat enim eorum apostolus, & apud eos magni habitus. Si, inquit, aliquid apud vos mea valet authoritas; ecce palam affirmo vobis, ac denuncio, quòd si circumcisionem recipiatis, non eritis participes beneficiorum Christi. Hanc sententiam ex diametro opponit ei, qua dicebant pseudapostoli Act. 15. *Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non poteritis saluari.* Vbi sciendum est, sicut pseudapostolos illos, ita Paulum apostolum loqui ad gentiles, non ad Iudæos. Nam Iudæi fideles, quamuis ex circumcisione iusticiam non quærerent, adhuc tamen se aut filios suos circumcidebant iustis ex causis; tum vt honorificè Synagogã cum Moyse ad sepulchrum ducerent, tum vt infirmorum ex Iudæis fratrum offensionem euitarent. Qua ratione Timotheum Paulus circumcîdit. At gentiles, quibus lex data non fuerat, quiq́ue proinde eas quas dixi causas circumcidendi se non habebant; si circumcidebantur, meritò iudicabantur id facere quòd persuasi essent, se, nisi circumciderentur saluari non posse, prout Iudaizantes docebant. Vnde patet, quòd etsi post introductam Christi legem nec Iudęis nec gentibus circumcisio fuerit ad salutem necessaria; peculiariter tamen gentilibus dicendum fuerit, *Si circumcidamini Christus vobis nihil proderit.* His enim, circumcidi, erat iusticiam & salutem ex circumcisione exspectare; Hoc autem erat Christum abijcere. *Nam si ex lege iusticia, gratis ergo Christus mortuus est.* suprà c. 2. fin. Erat igitur gentilibus circumcisionis ceremonia pernicioſa & mortifera.

3 TESTIFICOR AVTEM RVRSVS OMNI HOMINI CIRCVMCIDENTI SE. Græcè, *omni homini qui circumciditur.*

QVONIAM DEBITOR EST VNIVERSÆ LEGIS FACIENDÆ. Græcè, *totius*, ὅλον. Superiori sententia Galatas absterruit à lege, periculo proposito perdendæ salutis, quæ per Christum est; Hîc idem facit oppositа magnitudine oneris. Sicut autem ibi solis loquitur gentilibus; ita & hîc. Neque enim Timotheus, cauendi scãdali causa circumcisus,

debitor factus eſt vniuerſæ legis faciendæ. Senſus igitur eſt; Iterum dico, &, ſi meum teſtimonium recipitis, planè teſtificor omni homini, inter vos gentiles, circumcidenti ſe, quòd eo ipſo quo circumciſionem recipit, debitorem ſe conſtituit vniuerſæ, vel, vt in Græco, totius, legis faciendæ; id eſt, obligat ſe ad obſeruandam totam legem Moſaicam, cuius innumera ſunt præcepta ceremonialia, ac plurima eorum grauia, moleſta, difficilia. Ratio ſententiæ eſt, quia circumciſio erat legis profeſſio. Nam diuinitus inſtituta erat, tanquam viſibile quoddam ſignum, quo homines inſcriberentur in religionem Iudaicã, quæ lege Moſaica continebatur. Quamuis enim circumciſio fuerit antiquior lege; tamẽ ex quo lex lata eſt, cœpit habere huiuſmodi inſtitutionem: perinde vt baptiſmus in noua lege, quem quicunque ſuſcipit, ſe debitorem conſtituit totius Chriſtianæ legis. Quoniam ergo gentilis poſt euangelium Chriſti prædicatum, non eas habebat cauſas circumcidendi ſe, quas habere poterat Iudæus; conſequens erat vt ſi ſe circumcideret, ipſo facto legem profiteretur, eiq́ue toti ſe, velut proſelytum, ſubijceret, atque vniuerſum legis onus ſubiret. Voluit autem hoc apoſtolus Galatis teſtificatum eſſe & expreſsè declaratum, quia malè perſuaſi erant à pſeudapoſtolis Iudęis, etiamſi circumciderentur, non fore eos obnoxios toti legi, ſed ſatis facturos ſi præcipuas legis ceremonias obſeruarent, vt Sabbatha, Neomenias, & certa ciborum diſcrimina. Nam neque ipſi magiſtri minuta quæque legis obſeruabant, ſed ſatis habebãt, ſi gentiles per circumciſionem & quædam alia notabiliora legis, quoquo modo ad legem Moſaicam traduxiſſent; ex ea re ſuam aucupantes gloriam apud homines ſuæ gentis ac legis. Vnde ſequenti capite dicit de eis apoſtolus; *Neque enim qui circumciduntur, legem cuſtodiunt: ſed volunt vos circumcidi, vt in carne veſtra glorientur.* Sed quæres, quomodo qui circumcidebatur debitor erat vniuerſæ legis faciendæ, cùm ſecundum doctrinam pręſentis epiſtolæ, legalium obſeruatio fuerit gentilibus illicita prorſus ac mortifera; ad quam proinde nec per circumciſionem obligare ſe poterant. Reſpondetur, eum qui circumcidit ſe, teneri ad ſeruanda legalia, non ſimpliciter, neque ex genere operis; ſed ex intentione operantis; Dum enim putat circumciſionem ſibi eſſe neceſſariam ad ſalutẽ, & ex hac opinione, eam ſuſcipit; conſequenter, eadem opinione durante, tenetur ad totam legem, cuius illa profeſſio eſt, obſeruandam; ita vt peccet, ſi non obſeruet. tenetur, inquam, non abſolutè, ſed ſuppoſita tali opinione; quæ falſa eſt & abijcienda. Atque hoc eſt quod Theologi docent, conſcientiam errantem obligare hominem; Id quod ex hac apoſtoli ſententia rectè ſtatuitur. De qua re vide Thomæ commentarium in hunc locum.

4 EVACVATI ESTIS A CHRISTO QVI IN LEGE IVSTIFICAMINI. Redit ad explicandum id quod dixerat: *Chriſtus vobis nihil proderit.* Illud: *Euacuati eſtis à Chriſto*, Hieronymus putat malè interpretatum eſſe; ac potiùs dicendum fuiſſe, *A Chriſti opere ceſſaſtis.* Eraſmus vertit, *Chriſtus factus eſt vobis ocioſus*; Hentenius, *Soluti eſtis à Chriſto*; Theophylacti interpres, *Aboliti eſtis à Chriſto*; Ambroſianus & Auguſtinus cum noſtra lectione concordant. Omnium autem idem ſenſus eſt; Quicunque, inquit, ex lege iuſticiam quæritis; aboliti, & antiquati eſtis à Chriſto; id eſt, Chriſtus vobis inanis, inutilis, & ocioſus factus eſt; nihil vobis negocij cum Chriſto, nihil per eum beneficij vobis exſpectandum. Eadem Græca phraſis habetur Rom. 7. vbi nos legimus, *Soluta eſt à lege viri.*

A GRATIA EXCIDISTIS. Id eſt, beneficiũ gratiæ Chriſti perdidiſtis. Nã qui ex lege iuſtificari quærunt, non exſpectant iuſticiam à Chriſto per fidem, ſicut veri Chriſtiani faciunt. In quorum perſona ex aduerſo ſubdit,

5 NOS ENIM SPIRITV, EX FIDE SPEM IVSTICIÆ EXSPECTAMVS. Spem iuſticiæ dixit Hebræa phraſi, pro ipſa iuſticia quæ ſperatur. Atqui nos, inquit, quicunque rectè in Chriſtum credimus, per ſpiritum, ex fide qua Chriſtum credimus authorem iuſticiæ, ſpe certa iuſticiam exſpectamus & conſequimur; non autẽ ex lege aut circumciſione.

6 NAM IN CHRISTO IESV NEQVE CIRCVMCISIO ALIQVID VALET, NEQVE PRÆPVTIVM. Id eſt, In religione Chriſtiana nihil valet, nihil confert ad iuſticiam & ſalutem, quòd quis circumciſus ſit, aut incircumciſus. Hoc idem eſt quod dixit 1. Cor. 7. *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt.*

SED FIDES QVÆ PER CHARITATEM OPERATVR, Scilicet, aliquid valet, & quidem plurimùm, ad iuſticiam ſiue acquirendam, ſiue exercendam, atque augendam. Eſt enim fides totius iuſticiæ fundamentum; quam tamen non præſtat ſine charitate, id eſt, ea dilectione, quam tot præconijs apoſtolus commendauit 1. Cor. 13. Sciendum eſt in Græco ſic legi; *Sed fides per charitatem operata.* Eſt enim participium medium; quod Eraſmus quidem tollendæ ambiguitatis cauſâ vertit actiuè, *per dilectionem operans*; & in annotationibus addit, *agens* rectiùs verti potuiſſe. Quin & plærique expoſitores verbum *operatur*, ſecundum vſum Latini ſermonis actiuè interpretantur; vt ſenſus ſit, quòd ea fides quæ non ocioſa eſt, ſed per dilectionem exercet bona opera, tanquam benè agendi directrix, aliquid valeat in Chriſto. Verùm huic intellectui obſtat quòd Græcum verbum medium ἐνεργεῖσθαι nuſquam alibi legitur actiua ſignificatione, ne quidem apud authores profanos; ſed ſemper id ſignificat, quod Latinè dicimus agi, ſiue, agitari, incitari, impelli, exerceri, aut quid ſimile paſſiuum. Vnde dicti ἐνεργούμενοι qui à dæmone

agitan-

agitantur. Huius autem passiuæ significationis exempla iàm obseruauimus in præcedentibus epistolis Pauli; vt Rom. 7. *Passiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris nostris.* Et 2. Cor. 1. *Pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur in tolerantia earundem passionum.* Et eiusdem epistolæ ca. 4. *Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.* Ac rursus in sequentibus epistolis occurrent exempla, vt Eph. 3. *Secundùm virtutem quæ operatur in nobis.* Col. 1. *Secundùm operationem eius, quæ operatur in me in virtute.* 1. Thess 2. *Verbum Dei quod operatur in vobis qui credidistis.* Et 2. Thess. 2. *Mysterium iam operatur iniquitatis.* Accedit & locus Iaco. 5. *Multum valet deprecatio iusti assidua*, Græcè, *operata*, id est, incitata & vehemens. Occurrunt autem subinde & alia verba deponentia, quę passiuè sunt exponenda, cùm actiuam significationem apud Latinos habeant; quæ proferemus in enarratione loci memorati 2. Thess. 2. Porrò vbicunque verbum *operari*, in scripturis, manifestam habet actiuam significationem, in Græco habetur, ἐνεργεῖν verbum actiuum. Cuius duo exempla sunt in hac ipsa ad Gal. epistola cap. 2. *Qui operatus est Petro* &c. & cap. 3. *Qui operatur virtutes in vobis.* Eiusdem exempla videre est Matth. 14. Marci 6. 1. Cor. 12. Eph. 1. & 2. Philip. 2. & alia quæ studiosus facilè deprehendet. Quę cùm ita sint; locum præsentem non actiuè, sed passiuè putamus exponendum esse; hoc sensu: *Sed fides per charitatem animata, acta, mota, incitata ad opus.* q. d. quę per charitatem constituitur in actu, quáque charitas non sinit esse torpentem & ociosam. Hunc passiuum sensum tradidit & comprobauit Turrianus in opere pro epist. veter. pontificum, lib. 3. c. 15. fi. Imò & Tertullian. contra Marc. lib. 5. c. 4. hunc locum ita recitat, *Fides quæ per dilectionem perficitur.* quomodo & Syra hoc loco redduntur. Charitas enim est velut ignis, anima, spiritus: inflammans, viuificans, impellens fidem; quæ sine charitate frigida, mortua, ociosa est. Vnde charitas forma fidei, cæterarumque virtutum à Theologis nuncupatur: vti contrà, sine charitate fides informis & mortua dicitur, sicut corpus sine spiritu: Iaco. 2. Quæ cõparatio hîc aptissimè quadrat. Quoniam verò fides sic per charitatem incitata, agit & exercet bona opera: fit vt sensus hic passiuus, ab actiuo qui ab alijs traditur, haud multùm discrepet, tandemque ambo in vnum recurrant. Illud denique notandum, contra hæreticos, sicut & à commentatoribus tam Græcis quàm Latinis diligenter annotatum est, cùm fidem in Christo Iesu aliquid valentem restringit apostolus, addendo, *quæ per charitatem operatur*; apertè eum innuere, quòd sit aliqua fides quæ per charitatem nõ operatur, sed ociosa sit, & per hoc in Christo nihil valeat. Quod quidem expressius docet idem apostolus 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero; nihil sum.*

7 CVRREBATIS BENE. Ex pristino profectu inconstantiam eorum accusat. Priusquã, inquit, aures accommodaretis nouis magistris, egregiè proficiebatis in fide Christi susceptа. q. d. Eratis in bona vita; nec simpliciter ambulantes, sed magnum facientes progressum:

QVIS VOS IMPEDIVIT VERITATI NON OBEDIRE? Græcè, *acquiescere*. Sensus est: Quis, obsecro, tantum persuadendo potuit, vt vos impediret à veritate euangelij retinenda? Non inquirentis, sed indignantis interrogatio est. Non enim interrogat vt sciat à quo persuasi essent; sed tam malè, à quoquã homine persuaderi eos potuisse miratur, & dolet. Simul insinuat in consequentibus, à diabolo profectã esse eiusmodi persuasionẽ. Chrysostomus illud: *veritati non obedire*, prorsus reticet, ac tantùm legit: *Quis vos impediuit?* Sed nec Theodoretum plus legisse, ex eius commentario apparet. Posteriores tamen Græci, perinde vt & Latini omnes, legunt & exponunt. Certè sensus sine eo probè constat, vt verbum, *impediuit* referatur ad cursum; hoc modo: *Bene currebatis; Quis cursum vestrum tam bonum interrupit?* Sic enim exponit Chrysostomus. Habuimus eandem particulam superiùs cap. 3. *Quis vos fascinauit non obedire veritati?* Atque eo loco ostendimus videri additiciam esse.

NEMINI CONSENSERITIS. *Hoc quia nec in Græcis libris*, ait Hieronymus, *nec in his qui in apostolum commentati sunt inuenimus, prætereundum videtur.* Sic ille; Sed & qui post Hieronymum in apostolum scripserunt, Chrysostomus, cæterique Græci, item Augustinus, Primasius, Liranus non agnoscunt, vt nec hodierni codices Græci ac Syriaci nec manuscripti Latini vetustiores, denique nec editio Clementina. Quanquam & id certum est, iam olim, etiam Hieronymi tempore Latinos quosdam codices eam particulam habuisse; nam exponunt eam authores commentariorum qui Ambrosij & Hieronymi titulo feruntur, nec ipse Hieronymus in suo commentario meminisset, nisi legisset in quibusdam. tametsi non apparet ex quo alio loco huc transferri potuerit. Sensus autem facilis est: Nemini prorsus, quicunque tandem ille sit, qui vos ad legalium obseruationem solicitat, acquiescite.

8 PERSVASIO NON EST EX EO QVI VOCAT VOS. In quibusdam codicibus addito pronomine legitur; *Persuasio hæc non est* &c. Hieronymus legit, *Persuasio vestra*; Augustinus, *Suasio vestra.* Idem pronomen & Syriaca habet interpretatio; Verùm tam Græci codices quàm Latini meliores nihil tale addunt. Ac Græcè tantùm est: Persuasio non ex vocante vos. Refertur autem hæc pars ad præcedentem interrogationem, *Quis vos impediuit veritati non obedire?* Estque in Græco per-

ſuaſio verbale nomen ab illo quod interpres vertit, *obedire*; vt proinde *perſuaſio* non actiuè debeat exponi, qua quis perſuadet, ſed paſſiuè, qua quis perſuadetur vt credat. Itaque ſenſus eſt; Hæc veſtra credulitas, qua tam leuiter eſtis perſuaſi recedere ab eo quod à me accepiſtis, non eſt ex eo, qui principio vocauit vos ad fidem; id eſt, ex Deo; ſed potius ex diabolo. Hoc enim tacitè vult intelligi Nam quod Hieronymus in commentario perſuaſionem referri tantùm vult ad liberum arbitrium hominum excluſo diabolo; quodque poſt alia, etiam ita ſcribit; *Siue ergo in bonam, ſiue in malam partem, nec Deus, nec diabolus in cauſa eſt: quia perſuaſio noſtra non eſt ex eo qui vocauit nos, ſed ex nobis, qui vel conſentimus, vel non conſentimus vocanti*: Hoc, inquam, vt ſonat, nequaquam recipiendum eſt, ac potiùs ad Origenis errores, ex cuius commentarijs multa Hieronymus excerpſit, reijciendum. Quatenus autē Hieronymi ſunt verba; ex ijs quæ poſtea contra Pelagium, ſecundum fidem catholicam, diſſeruit, vel corrigenda vel benignè ſunt interpretanda. Scripſit enim hunc commentarium Pelagio nondum exorto; & per hoc minùs cautè.

9 MODICVM FERMENTVM TOTAM MASSAM CORRVMPIT. Græcè, *totam conſperſionem fermentat.* Atque in hunc modū emendare ſe priorem verſionem Hieronymus profitetur. Apud Auguſtinum quoque fermentandi vocabulum legitur; tametſi textus Ambroſianus cum noſtro conuenit. Eſt autem allegorica apoſtoli ſententia, quam & in prima ad Cor. epiſtola cap. 5. adduxit, cùm de fornicario excommunicando loqueretur. Eam non vno modo ad rem præſentem applicant expoſitores. Nam Græci, quos & Caietanus ſequitur, ſenſum hunc faciunt, Non eſt, ô Galatæ, quod exiſtimetis rem parui eſſe momenti, ſi non totam legem, ſed vel ſolam circumciſionem, vel cum ea pauculas obſeruationes Moſaicas recipiatis: Nam ſicut modicum fermenti totam maſſam, cui miſcetur, imbuit ſui ſapore; ſic vel exigua legis portio, ſi cum euangelio miſceatur, ſynceritatem eius corrumpet: quandoquidem totius & partis, quoad negocium iuſtificationis, eadem ratio eſt. Ad hunc ſenſum accedere videtur Hieronymus in fine libri 2. commentariorum in Matthæum. Tractans enim illud cap. 16, *Cauete à fermento Phariſæorum & Sadducæorum*: citanſque hanc apoſtoli ſententiam; cùm fermenti proprietatem expoſuiſſet, ſubiecit: Ita & doctrina hæretica, ſi vel modicam ſcintillam in tuum pectus iecerit; in breui ingens flamma creſcit, & totam hominis poſſeſſionem ad ſe trahit. At verò idem Hieronymus in huius loci commentario, nec non Auguſtinus, Primaſius, cæterique Latini, referunt ad perſonas; quaſi dicat apoſtolus: Ne putetis paucorum hominum, qui à Iudea venientes aliud docent, inſidias eſſe contemnendas: facilè enim ac citò ad multos penetrabit paucorum doctrina; non ſecus atque fermenti vis ad totam maſſam. Quæ Latinorum expoſitio commendationē habet ex altero loco apoſtoli, vbi de homine ſeparando agebatur, ne moribus ſuis multitudinem inficeret. Eôdem inuitat illud præcedens; *Quis vos impediuit?* & quod ſtatim ſequitur: *Qui autem conturbat vos.* Maximè verò illud quod poſtea dicit, *Vtinam & abſcindantur, qui vos conturbant*, ſcilicet, ne maſſam totam corrumpant.

10 EGO CONFIDO IN VOBIS IN DOMINO, QVOD NIHIL ALIVD SAPIETIS, ſiue vt Ambroſianus legit, *ſentietis*; Quamuis, inquit, aliqua cauſa ſit metuendi ne à paucis multi corrumpamini; tamen bene confido de vobis per Chriſti Domini gratiam, quod non patiemini vos pertrahi in aliam ſententiam, ſcilicet à doctrina, quam accepiſtis, diuerſam. Hinc vtique manifeſtum eſt, ait Auguſtinus, nondum illos fuiſſe poſſeſſos à malis ſuaſoribus.

QVI AVTEM CONTVRBAT VOS, PORTABIT IVDICIVM, QVICVNQVE EST ILLE. *Iudicium* dixit, pro pœna quę iuſtè infertur; & eſt ſenſus: Qui veſtram in fide Chriſti tranquillitatem nouâ doctrinâ perturbat; iuſtas pœnas luet, non effugiet iudicium, quicunque is fuerit. Notare videtur vnum aliquem præ cæteris inſignem turbationis Galatarum authorem. Non liquet vtrùm denunciet extremi iudicij vindictam, an verò, quod quibuſdam placet, tacitè minetur iudicium excommunicationis.

11 EGO AVTEM FRATRES SI CIRCVMCISIONEM ADHVC PRÆDICO; QVID ADHVC PERSECVTIONEM PATIOR? Pſeudapoſtoli quò faciliùs Galatis circumciſionem perſuaderent, dicebant ipſum Paulum quoque eorum apoſtolum, circumciſionis præconem eſſe; vt qui Timotheum circūcidiſſet, & aliàs non ſemel deprehenſus fuiſſet legis ceremonias obſeruaſſe; Quam calumniam refellens apoſtolus, dicit: *Ego fratres, ſi adhuc*, id eſt, poſtquam conuerſus ſum ad Chriſtum, *circumciſionem prædico*, ſeruandam; *cur vſque hodie perſecutionem patior à Iudæis?* Hoc quippe certum argumentum eſt me circumciſionem & legem non prædicare; quòd Iudæi, qui pro ſola legis æmulatione mihi infenſi ſunt, adhuc non ceſſent me perſequi: ſecundum illud quod ſupra dixi, filios ancillæ perſequi filios liberę.

ERGO EVACVATVM EST SCANDALVM CRVCIS. Siue, vt in Græco melius haberi dicit Hieronymus, *Ergo ceſſauit*; Quod alij vertunt, abolitum eſt; vulgò, caſſatum vocant. *Si*, inquit, *ego circumciſionem adhuc prædico*; debet ergo ceſſare offenſio Iudæorum, qua offenduntur ob crucis prædicationem; Non enim tam offendit eos prædicatio Chriſti crucifixi; quàm legis per crucem abolitæ: Vellent enim legem cum Chriſto retinere.

Sic

Sic Hieronymus. Alij ſcandalum crucis exponunt ipſam crucem Chriſti, quæ Iudæis, Chriſtum ſibi promiſſum exſpectantibus, ſcandalo fuit, ne præſentem, & in propria venientem reciperent. Vnde apoſtolus 1. Cor. 1. *Nos*, inquit, *prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam*. Ita ſenſus erit: Si ego circunciſionem & legem adhuc prædico; ergo, ſecundum meam doctrinam, abolita eſt crux Chriſti, cuius humilitas & ignominia Iudæos tantopere offendit & auertit â fide Chriſti; Tanquam dicat; Ergo fruſtrà crucem Chriſti prædicamus, cum tanto Iudæorum ſcandalo. Sequela manifeſta eſt; Quia *ſi per legem iuſticia; ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*, Iuxta hunc ſenſum valde probabilem, quem tradit Auguſtinus; deducit apoſtolus argumentationem hac parte ad incommodum longè maius, quàm parte præcedenti. *Suprà c. 2, fin.*

12 VTINAM ET ABSCINDANTVR QVI VOS CONTVRBANT. Grecè, *qui vos labefactant*, Eſt enim in Græco diuerſum vocabulum ab eo quod ſuprà; *Qui autem conturbat vos*: ſignificat autem à ſtatu dimouere ac deijcere, aut certè huiuſmodi deiectionem moliri; pro quo Tertullianus & Ambroſianus legunt, Qui vos ſubuertunt; id eſt, qui ſtudent vobis auferre libertatem in qua ſtatis, atque ex ea deturbare vos conantur. Nam ſequitur: *vos enim in libertatem* &c. Porrò quam abſciſſionem hîc nominet apoſtolus variant opiniones. Hieronymus, Ambroſianus, & Græci omnes ita exponunt; Vtinam qui circuncidi vos volunt, & per hoc commouent; ipſi, non dico circuncidantur ablatione pelliculæ (ſunt enim circunciſi) ſed exſecentur etiam, ſcilicet amputatione totius membri, de cuius circunciſione tam graues motus excitant. Senſus hic etiam Caietano probatur; nec immeritò; Siquidem apoſtolus etiam alibi de carnali circunciſione per contemptum, contra Iudaizantes, loquitur, vt Philip. 3. *Videte conciſionem; nos enim ſumus circunciſio*. & rurſum, *Quorum gloria in confuſione* ſeu pudore, id eſt, ſecundum quoſdam in pudendis ipſorum, nempe quia gloriabantur in membro illo circunciſio; & glorioſum ducebant, ſi illam circunciſionis ceremoniam, quàm plurimis perſuaderent. Vnde & ſequenti capite de ijs dicit; *Sed volunt vos circuncidi, vt in carne veſtra glorientur*. Quòd ſi queras, cur hac tali imprecatione non peccet apoſtolus contra id quod alibi præcipit: *Benedicite & nolite maledicere*, Rom. 12. Reſpondet poſt Hieronymum Caietanus, hanc maledictionem non ex odio, ſed ex iuſticia profectam eſſe. Iuſtum enim erat, vt illi tale quid paterentur. Quanquam alij dictum hoc apoſtoli per iocum excuſant. Attamen hic ſenſus Auguſtino, & Thomæ non placet; Sed hi ex maledictione benedictionem faciunt, de ſpirituali pudendorum abſciſſione apoſtolum interpretantes; hoc ſenſu: Vtinam ſpadones fiant propter regnum cœlorum. Sic enim futurum, vt deſinant carnalem circunciſionem magni facere. Alij denique loqui putant apoſtolum de abſciſſione, id eſt, ſeparatione hominum, quæ fit per excõmunicationem. Qui ſenſus, præterquàm quod apoſtolico ſpiritu dignior eſt quàm primus ille, non parum etiam probabilitatis accipit ex ipſo apoſtolo. Iam enim dixerat: *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*. In quibus verbis continetur excommunicationis cauſa, videlicet, periculum contagij; deinde viſus eſt excommunicationem minari, cùm dixit: *Qui autem conturbat vos, portabit iudicium*: nam ſecundum Tertullianum excommunicatio prę iudicium quoddam eſt ad extremum iudicium Dei. Adde quod abſcindere, pro eo quod eſt ſeparare à conſortio, ſeu conuerſatione, etiam alibi legitur in ſcripturis, vt Eccleſiaſtici 25. de muliere nequâ: *A carnibus tuis abſcinde illam*. Iſa. 53. *Abſciſſus eſt de terra viuentium*. Ezech. 37. *Periit ſpes noſtra, & abſciſſi ſumus*. Iam verò magis etiam hic ſenſus placebit, ſi præſens locus conferatur cum eo qui eſt 1. Cor. 5. vbi fornicarium excommunicãdum decernit apoſtolus. Nam & illic adducit eandem ſententiam, *Modicum fermentum* &c. Et antè dixerat: *Vt tollatur de medio veſtrûm, qui hoc opus fecit*. Quod idem ferè eſt cum his verbis: *Vtinam & abſcindantur qui vos conturbant*. Vnde & ibidem concludit; *Auferte malum ex vobiſipſis*. quod eſt abſcindere. Sed & iudicij meminit eo loco; primùm cùm ait: *Iam iudicaui vt præſens tradere huiuſmodi hominem* &c. Et poſtea: *Quid mihi de ijs qui foris ſunt, iudicare? nónne de ijs qui intus ſunt, vos iudicatis?* Ex quibus omnibus apparet apoſtolum dicentem: *Vtinam & abſcindantur*, optare vt non ſolùm portent qualecunque iudicium, qui Galatarum ſtatum turbabant, verùm etiam anathema fiant, per excommunicationis gladium amputandi penitus ab illorum conſortio. Quòd ſi Paulus abſciſſionem eam, quam Chryſoſtomus interpretatur, intelligi voluiſſet; vſus fuiſſet eiuſdem verbi compoſito cũ Græco, περιτέμνειν circuncidere, vt alluſionem lector animaduerteret. Atqui non dixit ἀποτμήσονται, quãuis in vſu ſit apud Græcos, ſed ἀποκόψονται.

13 VOS ENIM IN LIBERTATEM VOCATI ESTIS FRATRES. Dixi, inquit, *qui vos conturbant*, id eſt, dimouere conantur à ſtatu libertatis; quia vos, fratres, in libertatem vocati eſtis à Chriſto. *Libertatem* intelligit eam præcipuè, cui contraria eſt ſeruitus legis, ad quam Galatas pertrahere volebant pſeudapoſtoli, hoc eſt, libertatem à ceremonijs, & iugo legis Moſaicæ; Cui tamen libertati cõiuncta etiam erat libertas à peccato, & à timore ſeruili, qui proprius erat effectus veteris teſtamenti. His enim velut tribus partibus euangelica libertas conſtat & perficitur; & ipſa eſt, ad quam, ſecundum apoſtoli doctri-

nam,

nam, omnes fideles à Chriſto vocati ſunt. Quocirca mentem apoſtoli peruertunt hæretici: Primùm, qui libertatem hanc Chriſtianam & euangelicam interpretantur immunitatem à legibus humanis; Quibus vtique parendum eſſe, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam idem apoſtolus apertiſſimè docet Rom. 13. Deinde, & illi qui libertatem ab apoſtolo commendatam in eo conſtituũt, vt vnuſquiſque Chriſtianus in conſcientia & extra ſcandali periculum liber ſit ad agendum vel non agendum ea quæ per ſe non continent rationem iuſticiæ, quæ illi vocant ἀδιάφορα; quale eſt vxorem ducere, aut non ducere, carnes edere, aut non edere; & alia huiuſmodi. Quæ doctrina, perinde vt ſuperior, humanam poteſtatem legum ferendarum tollit è medio, & præterea retrahit homines à multis, quæ veram libertatẽ Chriſtianam promouent; vt ſunt inprimis euangelica conſilia.

TANTVM NE LIBERTATEM IN OCCASIONEM DETIS CARNIS. Ellipſis eſt in Græco: Deeſt enim verbum. Sic autem habet; *Tantum ne libertatem in occaſionem carni.* Nam datiuus *carni* etiam apud Hieronymum & Ambroſianum legitur. Itaque verbum, *detis*, ipſo Hieronymo teſte, ab interprete additũ eſt ad ſupplendam ſententiam. quanquam & *capiatis*, aut ſimile quid, ſuppleri poterat. Pulcrè verò per occaſionem vocabuli libertatis tranſitum hoc loco facit apoſtolus ad moralem exhortationem, quæ durat vſque ad illud capitis ſequentis: *Videte qualibus literis* &c. Cùm enim libertatem animus carnalis facilè cogitet eam qua liberum cuique ſit agere quicquid libitum eſt; adeo vt nec defuerint hæretici, qui ſic libertatem Chriſtianam interpretarentur: monet Galatas ne libertatem, in quam vocatos eos dixit, malè intelligentes, eo nomine abutantur ad ſeruiẽdum carni. Quam verò carnem apoſtolus vocet, ex ſequentibus intelligetur.

SED PER CHARITATEM SERVITE INVICEM Q d. Hæc libertas de qua loquor adeo non laxat carni habenas, vt etiam ſeruitutem illi contrariam Chriſtianis imponat, eam ſcilicet qua quiſque proximo ſuo ſubſeruiat, exhibendo charitatis officia, quibus eum videt indigere. Seruit enim qui alterius commodis ſtudet; ſed hoc ipſum ex charitate faciendum eſt. Quidam codices legunt, *per charitatem ſpiritus*, pro quo Ambroſianus, *per dilectionem ſpiritus*. Verùm in præſtantioribus quibuſque manuſcriptis non additur *ſpiritus*; vt nec in Græco & Syriaco; ſed & Hieronymus & Auguſtinus non agnoſcunt.

14 OMNIS ENIM LEX IN VNO SERMONE IMPLETVR: Græca addunt, *In hoc*, ſcilicet ſermone, qui ſequitur,

DILIGES PROXIMVM TVVM SICVT TEIPSVM. Senſus apoſtoli eſt: Cùm dico vos in libertatem vocatos eſſe; non reuoco vos omnino à lege, ſed ſolùm ab ea quę propria eſt ſeruorum, quæque vocationi veſtræ repugnat, id eſt, à lege ceremoniali. Quod enim ad legem moralem attinet, in cuius obſeruatione libertas veſtra, quæ eſt à peccato, conſiſtit; quæque eadem lex Chriſti eſt; hortor & moneo, vt per charitatem ſeruiatis inuicem: & ſic eam legem implebitis. Tota enim lex huiuſmodi impletur obſeruatione vnius mandati, quod eſt; *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Simile quid dicit capite ſequenti: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*: niſi quòd *alterius onera portare*, tantùm pars eſt eius quod eſt *per charitatem ſeruire inuicem, & proximum ſicut ſeipſum diligere.* Quæri hîc poſſet, quis dicatur proximus, & quis dicatur diligere proximum ſicut ſeipſum; & quomodo, qui proximum ſicut ſeipſum diligit, totam legem impleat, cùm lex non ſolùm proximi, ſed etiam Dei diligendi præcepta contineat; Sed hæc à nobis explicata ſunt in commentario epiſtolæ ad Rom. 13. ad illa verba præſenti loco prorſus conſonantia: *Qui diligit proximum legem impleuit. Nam non adulterabis* &c. *in hoc verbo inſtauratur*; *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Proinde nihil opus eſt hîc eadem repeti. Tantùm addo, præceptum hoc ab apoſtolo vocari *ſermonem*, ſiue vt in epiſtola Rom. interpres vertit, *verbum*, ea ratione qua decem præcepta legis Deut. 4. & 10. ab ipſo Moyſe vocantur decem verba legis; nimirum ob breuitatem verborũ, quibus ſingula præcepta comprehenduntur, vt quaſi ſingula verba videri poſſint.

15 QVOD SI INVICEM MORDETIS ET COMEDITIS; VIDETE NE AB INVICEM CONSVMAMINI. Pro *comeditis*, alij vertunt, *deuoratis*; Nam Græcum κατεσθίετε plus ſonat quàm comedere Quòd ſi vos, inquit, contra præceptum hoc mutuæ dilectionis, inuicem mordetis & comeditis; id eſt, læditis, ſeu leuius, ſeu grauius; quod eſt contra præceptum illud dilectionis, quo dixi totam legem impleri: cauendum eſt, ne vos mutuò perdatis, id eſt, ne omnino priuetis vos ſalute quæ eſt in Chriſto. Hanc perditionem, *conſumptionem* vocat, vt perſiſtat in metaphora morſus & comeſtionis. Ad quas autem mutuas Galatarum iniurias ſpeciatim apoſtolus reſpiciat, non liquet. Videtur intelligi obtrectationes & iniuriæ quædam grauiores, quibus ſe mutuò affecerant, ſiue occaſione contentionis, quam inter ſe de lege & circunciſione habebant, ſiue (vt facilè contingit) etiam ex alijs cauſis. Vnde & generalem deinceps doctrinam ſubijcit, de vicijs & virtutibus.

16 DICO AVTEM; SPIRITV AMBVLATE: ET DESIDERIA CARNIS NON PERFICIETIS. Græcè, numero ſingulari, *deſiderium*, ſiue *concupiſcentiam*. Hoc apud Ambroſianum, illud apud Hieronymum legitur. Sẽſus: Quod dicere volo, tale eſt, Eorum quæ modò dixi, hæc ſumma eſt: Viuite & conuerſamini ſecundum dictamen Spiritus ſancti, manife-

ſtatum

ſtatum vobis in lege dilectionis. Quod ſi feceritis; quamuis caro ſolicitet ad peccata, non tamen facietis nec opere nec conſenſu id quod caro deſiderat aut concupiſcit. Obſeruandum quod non ait, Et deſideria carnis non habebitis, ſed *non perficietis.* Quod non dicitur ad diſtinctionem eius quod eſt facere, ſed eius quod eſt, habere. Nam deſideria carnis non habere, id eſt, prauos motus carnis non ſentire, impoſſibile eſt in hac vita; non conſentire autem, poſſibile fit nobis per ſpiritum. Illud: *non perficietis*, poteſt etiam præceptiuè intelligi, ne perficiatis; ſicut dictum eſt, Diliges, id eſt, dilige; tametſi prior ſenſus, qui ab omnibus traditur, conuenientior eſt, & ex ſequenti ſententia probationem accipit. Similiter, nomine *Spiritus*, ſignificari Spiritum ſanctum, vt interpretati ſumus; non autem vt quidam volunt, ſpiritum humanum, quatenus tamen per Spiritum ſanctum renouatus ſit; oſtendemus in eo quod ſequitur;

17 CARO ENIM CONCVPISCIT ADVERSVS SPIRITVM, SPIRITVS AVTEM ADVERSVS CARNEM. Quæritur quid per carnem & ſpiritum aduerſum ſe inuicem concupiſcentes apoſtolus intelligat. Liranus & alij nonnulli, duplicem hominis appetitum ſignificari putant: inferiorem, qui fertur ad ſenſibilia & ob id ſenſitiuus appetitus vocatur, alio nomine ſenſualitas; & ſuperiorem, id eſt, intellectum, ſeu rationalem appetitum, quo diliguntur intelligibilia; quæ ſenſu percipi nequeunt. Sed refellitur hic commentarius: Primùm, quia hi duo appetitus in multis ſunt, & non pugnant; vt in hominibus carnalibus, in quibus rationalis voluntas obſequitur deſiderijs carnis. At vbicunque illa duo ſunt quę nominat apoſtolus; neceſſe eſt ea ſibi inuicem aduerſari. Nam inter hæc vbique pugnam & inimicitiam conſtituit; vt Rom. 8. & alibi. Qua ratione ad improbandum hunc commentarium vtitur Auguſtinus ſermone 43 de verbis Domini. Deinde refellitur, quia quod carni tribuit apoſtolus, ſcilicet concupiſcere aduerſus ſpiritum, id ipſum etiam in parte intellectiua reperitur, quemadmodum benè docet Auguſtinus lib. 8. confeſſ. cap. 5. & ſequẽtibus. Non enim ſolùm appetitus inferior aduerſus ſuperiorem mouetur, verùm etiam ipſe ſuperior ſeu rationalis appetitus in ſeipſo contrarietatem huiuſmodi patitur; dum in homine iuſto voluntas, inquantum eſt per gratiam renouata, diligit æterna & cæleſtia bona; quatenus autem vetuſtati adhuc obnoxia, terrenis commodis & delectationibus afficitur. Adde quòd apoſtolus in ſequentibus quædam enumerat inter opera carnis, quæ propriè ad appetitum ſenſitiuum referri non poſſunt; vt ſunt idolorum ſeruitus, ſectæ, inuidiæ: Quod poſtremum vicium etiam eſt in dæmonibus, quos vtique conſtat appetitu ſenſitiuo præditos non eſſe. Propter hæc, alij per carnem intelligunt animam, quatenus carnalis eſt, id eſt, ad vicia procliuis; per ſpiritum verò, eandem animam, quatenus ſpiritualis eſt, id eſt, per Spiritum ſanctum reformata. Rurſus alij (quod eôdem recidit) hominem ipſum intelligi volunt; qui vnus & idem caro dicitur qua parte carnalis eſt; & ſpiritus, qua parte ſpiritualis. Nam apoſtolus Paulus, qui profectò ſpiritualis erat, carnalem ſe vocat Rom. 7. propter fomitem peccati. Pro hac expoſitione poteſt illud adferri Ioan. 3. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Verùm, vt hoc aliquo modo probabile ſit: ſi tamen diligentiùs hunc apoſtoli locum expendamus, & cum ijs, quæ alibi ſcribit conferamus; inueniemus nomine carnis, ipſam carnalem concupiſcentiam ex prima tranſgreſſione nobis inſitam; ac nomine ſpiritus, ipſum Spiritum ſanctum ſignificari. Nam quod hîc carni tribuit, dicens; *Manifeſta ſunt opera carnis* &c. id ad Rom. 7. tribuit concupiſcentiæ ſub nomine peccati, dum ait: *Peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*, id eſt omne genus prauorum deſideriorum. Et iterum: *Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Hanc quoque pugnam carnis concupiſcentis contra ſpiritum, eodem loco concupiſcentiæ tribuit, ſub nomine legis membrorum, & peccati, ſic inquiens: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Carnem* hoc modo interpretatur Ambroſianus, vſus argumento, quod dixi, ex epiſtola ad Rom. Quam verò latè pateat caro, id eſt, concupiſcentia; quamuis præſens apoſtoli locus ſatis doceat, ea tamen de re, vide etiam ſi lubet, quæ diximus ad illud Rom 7. *Concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret, Non concupiſces.* Per *ſpiritum* verò Spiritum ſanctum ſignificari clarè docetur ex cap. 8. eiuſdem ad Rom. epiſtolæ. Nam quod hîc ſtatim dicitur, *Quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*; illic de Spiritu ſancto exponitur ijs verbis: *Quicunque ſpiritu Dei aguntur*, ſiue *ducuntur* (eſt enim idem vtrobique verbum in Græco) *ij ſunt filij Dei.* Quo loco ſunt & aliæ ſententiæ, in quibus apoſtolus carni ſpiritum opponens, eundem, modò ſpiritum Dei, modò ſpiritum Chriſti interpretatur. Iſtud etiam huius loci quod paulo pòſt ſequitur, *Fructus autem ſpiritus eſt* &c. non de alio ſpiritu conuenientius, quàm de Spiritu ſancto poteſt accipi. De quo proinde & ſententiam præſentem Hieronymus, Anſelmus, Aquinas, Caietanus in commentarijs, & Auguſtinus varijs locis, intellexerunt. Nec ab his diſſentiunt Theodoretus,

& Oecumenius, qui ſpiritum exponunt gratiam Spiritus ſancti; nec Ambroſianus qui legem Dei oppoſitam legi peccati. Denique confirmat hanc expoſitionem carnis & ſpiritus, illa Domini ſententia ſuperius citata: *Quod natum eſt ex carne* &c. vbi caro & ſpiritus id planè ſignificant priori loco, quod iam expoſuimus; licet poſteriori loco, per analogiam pro homine carnali & ſpirituali accipiantur. Vt igitur apoſtolicam ſententiam explicemus; *caro concupiſcere dicitur aduerſus ſpiritum*, quia carnalis concupiſcentia, quam ex Adam traximus, excitat & commouet in nobis praua deſideria Spiritui ſancto contraria: vt propter hoc etiam ipſa peccatum vocetur ab apoſtolo, quia nimirum ad peccatum inclinat. *Spiritus autem concupiſcere dicitur aduerſus carnem*; quia ſancta deſideria quæ carni contraria ſunt, in nobis excitat. Ac breuiter, *Caro concupiſcit*, id eſt, concupiſcere nos facit, *aduerſus ſpiritum*; *& ſpiritus concupiſcit*, id eſt, concupiſcere nos facit, *aduerſus carnem*; videlicet ea locutione, qua alibi dicitur idem ſpiritus poſtulare & clamare; quia poſtulantes & clamantes nos facit. Vide Auguſtinum Ench. 12. lib. 1. de nupt. & conc. cap. 28. & 29. contra Iul. lib. 3. cap. 26. & 27. & lib. 6. cap. 5. Item lib. de natura & gratia cap. 52. 53. & 56. & lib. 8. confeſſ. à cap. 5. vſque ad 11. Hæc autem pugna non eſt nobis naturaliter à Deo inſita, vt Caſſianus tradere videtur Collat. 4. & 7. ſed eſt ex peccato: Tametſi Caſſiani verba nonnulli benignè conentur interpretari.

HÆC ENIM SIBI INVICEM ADVERSANTVR; VT NON QVÆCVNQVE VVLTIS, ILLA FACIATIS. Græcè, *Hæc autem*. Et ſenſus eſt: Hæc quæ dixi, caro & ſpiritus contrarijs motibus ac deſiderijs ita pugnant inter ſe, in hominibus iuſtis, quales vos eſtis; vt propter eam cauſam non omnia quæ vultis faciatis. Vultis enim omnino non pati motus carnis, ſed ſine repugnantia quod bonum eſt facere: verùm, impediente carne, non facitis, imo nec, durante hac mortalitate, facere poteſtis. Ideoque non dixi, *Et deſideria carnis* non habebitis, non ſentietis; ſed *non perficietis*. Conſonat hic locus cum illa ſententia bis poſita Rom. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago*. Proinde alterum ex altero declarandum.

18 QVOD SI SPIRITV DVCIMINI, NON ESTIS SVB LEGE. Id eſt, Si vos Spiritus ſanctus mouet, agit, impellit; ſi, quemadmodum ſuprà dictum eſt, ſpiritu ambulatis: iam non eſtis ſub lege, ſcilicet terrente, premente, vindicante; quomodo ſub lege ſunt homines apertè mali, vel qui ſeruiliter tantùm ea quæ legis ſunt, faciunt. Nam vos per ſpiritum libenter ac ſponte facitis ea quæ lex præcipit. Sub lege eſt, qui timore ſupplicij quod lex minatur, non amore iuſticiæ, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber nec alienus à voluntate peccandi. Aug. de nat. & grat. cap. 57. Congruit huic ſententiæ quod idem apoſtolus ſcribit 1. Tim. 1. *Lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis* &c. Quod ſuo loco plenius exponendum eſt. Sicut autem illic, ita & hîc loquitur apoſtolus de lege morali, de qua iam dixerat: *Omnis lex in vno ſermone impletur*. Quoniam verò iugum legis ceremonialis per ſe ſeruile erat; hinc conſequenter intelligendum relinquit, incongruum eſſe, vt qui ſpiritu ducuntur, & per hoc à ſeruitute legis moralis liberi ſunt, iugo legis ceremonialis ſeſe ſubmittant.

19 MANIFESTA SVNT AVTEM OPERA CARNIS. *Opera carnis* vocat omnia illa ad quæ caro, id eſt, concupiſcentia carnalis homines incitat: cuiuſmodi non ſolùm ſunt peccata quæ propriè carnalia dici ſolent, id eſt, quæ corporis delectatione perficiuntur, & 2. Cor. 7. inquinamenta carnis vocantur; verùm etiam quæ ſpiritualia. Nam vtriuſque generis peccata hîc ab apoſtolo recenſeri, iam antè monuimus. Atque ex eo, carnem non ita ſpecialiter, vt quidam voluerunt, hoc loco accipi poſſe, benè probat Auguſtinus, cùm alibi, tum lib. 14. de ciuit. cap. 2. & 3. Dicuntur autem *manifeſta opera carnis*, quia manifeſtum eſt talia quæ hîc enumerat, non ſpiritu diuino, ſed concupiſcentia carnis inſtigante, fieri.

QVÆ SVNT FORNICATIO, IMMVNDICIA, IMPVDICITIA, LVXVRIA. In hac operum carnis enumeratione, nonnihil diſcrepant Latina à Græcis; & ipſa Latina inter ſe. Græca fornicationi adulterium præmittunt, aſtipulante Ambroſiano & Auguſtino lib. 14. de ciuit. cap. 2. At nobiſcum facit idem Auguſtinus in commentario, nec non Hieronymus, adulterium omnino prætermittentes. *Fornicationem* quidam intelligunt concubitum ſoluti cum ſoluta, vt ſit ſpecies ab adulterio diſtincta: Verùm ex alijs ſcripturæ locis conſtat nomen eſſe generale ad omnem concubitum maris & feminæ non coniugalem; vt etiam adulterium & incæſtum comprehendat, velut Matth. 5. 1. Cor 5. & alibi. Notandum pro tribus illis, *immundicia, impudicitia, & luxuria*, duo tantùm in Græco nominari, quę eadem habentur 2. Cor. 12. vbi Latinè vocantur immundicia & impudicitia. Græcis Syra conſentiunt, & multa manuſcripta Latina, quæ *impudicitiam* non agnoſcũt; vti nec Hieronymus, nec Auguſtinus tã lib. 14. de ciuit. quam in commentario, nec Beda in hom. dedicationis altariũ, vbi ex hoc apoſtoli loco, tã opera carnis, quã fructus ſpiritus ordine recẽſet; ſed tantùm immundiciã, & luxuriã legũt; pro quibus Ambroſianus, impuritatem & obſcœnitatẽ. Vnde ſatis apparet *impudicitiã*

& *luxuriam*, ex diuersis editionibus acceptas, respondere vni vocabulo Græco. Quid autem immũdicia, & impudicitia, siue vt hîc legitur, luxuria significent, & quomodo differant; diximus in expositione 2. Cor. 12.

20 IDOLORVM SERVITVS. *Seruitutem* pro cultu dixit interpres, nam Græcè est εἰδωλολατρεία. Quomodo contingat Christianum hoc peccato coinquinari, declaratum est ad illas apostoli præceptiones 1. Cor. 10: *Neque idololatræ efficiamini*; &, *Fugite ab idolorum cultura*. Quo autem sensu cultus idolorum, & quæ deinceps sequuntur, ab apostolo vocentur opera carnis; iam liquet ex ijs quæ de carnis significatione suprà disseruimus. De qua re consule etiam Augustinum loco iam citato de ciuit. Dei. Cæterùm Galenus catech. 82. putat intelligi illam idololatriam, de qua Eph. 5. & Col. 3. Argumento esse potest, quòd etiam hîc adiungatur peccatis libidinum.

VENEFICIA. Græcè numero singulari φαρμακεία, id est, *veneficium*. Qua voce propriè quidem significatur veneni procuratio, etiamsi non habeat magicum aliquid coniunctum; sed extendi solet tam Græca vox quàm Latina ad omnia opera magica, quæ 21
nos maleficia vocamus, per quæ nimirum ex pacto cum dæmonibus inito, nocumenta inferuntur hominibus, aut eorum possessionibus. Vnde Hieronymus artes maleficas hîc interpretatur. Secundum quam acceptionem aptè subiũgitur *veneficium idololatriæ*; quia per hoc peccati genus dæmonibus honor & cultus quidam exhibetur. At secundum priorem significationem, conuenit cum sequentibus.

INIMICITIÆ. Vicium eorum est, qui odia exercent contra alios; non eorum qui hæc patiuntur. Quantum enim in nobis est, ait Hieronymus, nullius esse debemus inimici, sed cum omnibus habere pacem.

CONTENTIONES, ÆMVLATIONES, IRÆ, RIXÆ. Quatuor hęc vicia eodem prorsus ordine nominantur in 2. Cor. 12. Pro *contentione* (nam in Græco singularis est numerus) alij sitem vertere malunt. Significat autem pugnam verborum vehementem, qualis inter inimicos; Tametsi potest in genere intelligi discordia; sicque facilius distinguetur à quarto vicio huic affini secundum Græca vocabula. Quid autem sit *æmulatio* quum in vicio ponitur, explicat Cicero lib. 4. Tusc. quæst. docetque esse ęgritudinem seu dolorem animi inde natum, si eo quod quis cõcupierit alius potiatur, ipse careat. Porrò quas interpres vulgatus hoc loco vertit *iras* & *rixas*, idem in 2 ad Cor. transtulit *animositates* & *dissensiones*. Sed & Augustinus hîc non iras, sed animositates legit tam in commentario, quàm lib. 14. de ciuit. Significatur enim in Græco non qualiscunque ira, sed impetus ac feruor animi exardescentis ad vindictam. Hebræi furorem vocare solent. Denique vicium hoc quod interpres transtulit *rixas*, Græcis teste Hieronymo tale est, cùm quis semper ad contradicendum paratus, stomacho delectatur alieno.

DISSENSIONES. Alij vertunt, seditiones; Rectiùs arbitror dissidia vocari: qualia sunt aut domesticorum inter se, aut ciuium, aut etiam fidelium, exempli gratiâ dicentium: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ*.

SECTÆ. Græcè αἱρέσεις, id est, dissidia opinionum in doctrina religionis, aut certè ipsæ opiniones sanæ doctrinæ aduersantes. Sic enim videtur apostolus hæreses accepisse 1. Cor. 11. dicens: *Oportet autem & hæreses esse*. Quę eadem acceptio bene congruit huic loco. Cùm enim dissensiones seu dissidia iam nominasset; subijcit hîc præcipuam eius speciem. Caietanus autem, quum dicit non hîc esse sermonem, de hæresibus in fide Christi, sed in ciuilibus seu moralibus à communi bono recedentibus; non videtur satis attendisse ad huius vocabuli significationem & vsum in scripturis; vbi semper, aut plærumque ad religionem refertur; licet interdum etiam in bonam partem accipiatur, vt Act. 24. & 26.

INVIDIÆ, HOMICIDIA. Hæc eadem cõiunxit apostolus Rom. 1. Sunt enim consona vocabula φθόνοι, φόνοι. Cæterùm Augustinus *homicidia* non legit. Hieronymus etiã disertè excludit, cum reprehensione Latinorum codicum; Vnde nec hîc textum habemus, sicut eum Hieronymus emendauit. Verùm quoniam non in Latinis modò, verùm etiam in Græcis hæc pars legitur, eandemque Theophylactus in commentario declarat; vtique non est à nobis expungenda. Quomodo autem differant æmulationes, quas dixit paulo antè, & Inuidiæ, quas nunc dicit; vide nostrum Comm. Iac. 4.

EBRIETATES, COMESSATIONES, ET HIS SIMILIA: Hæc duo vicia, *comessationes*, & *ebrietates* coniunxit etiam Rom. 13. Vbi & quæ dicantur comessationes, expositimus. De ebrietate, vide quæ commentati sumus ad 1. Cor. 5.

QVÆ PRÆDICO VOBIS, SICVT PRÆDIXI, QVONIAM QVI TALIA AGVNT, REGNVM DEI NON CONSEQVENTVR. Græcè, *Regnum Dei non hæreditabunt*, siue, vt explicatius legit Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 49. *Regnum Dei non sunt hæreditate consecuturi*. Pro quo Hieronymus & Augustinus, regnum Dei non possidebunt. Sic enim & noster interpres Græcum verbum reddidit 1. Cor. 6. Quo quidem loco phrasis hæc apostolica diligenter à nobis explicata est. Quod autem ait, *prædico, & prædixi*; respicit diem iudicij & retributionis operum nostrorum. q. d. De quibus operibus carnis prædico vobis & præmoneo, priusquam veniat tempus illud retributionis; sicut & prędixi ac præmonui quum apud vos essem: eos qui hæc & similia agunt,

non accepturos hæreditatem regni Dei. Sed quęritur, quomodo, verùm hoc ſit, cùm inter opera ſuperius enumerata ſint quædam ſuo genere non mortalia peccata, ſed venialia tantùm, quæ non excludunt à regno cælorum; vt contentiones, æmulationes, iræ & huiuſmodi. Reſpondeo cum S. Thoma, quæcunque hîc enumerata ſunt eſſe aliquo modo mortalia; ſed alia quidē ſecundū genus ſuum, vt fornicationem, idololatriam, homicidium &c. quædam verò mortalia ſecundum ſuam conſummationem; velut irā, cuius conſummatio eſt in graue nocumentū proximi; In quod proinde ſi conſenſus acceſſerit, peccatum erit mortale. Et ſic de cæteris. Eandem quęſtionem paulo aliter, & obſcurius ſoluit Caietanus, ad quem lectorem ſubtiliorem remitto.

22. 23. FRVCTVS AVTEM SPIRITVS EST. Opera ſpiritus maluit apoſtolus *fructum ſpiritus* vocare, quàm opera, vt ipſo vocabulo ea commendaret. Nam ſicut fructus arborum & vtilitatē vitæ præſtat hominibus, & delectationem; ita virtutes & opera quæ in nobis producit Spiritus ſanctus, & vitam æternam adferunt, & ipſa quoque per ſe, veram ac ſolidam delectationem pariunt in animis operātium, quemadmodum eruditè docet Thomas in commentario. Hinc idem apoſtolus Rom. 6. de operibus iuſticiæ loquens: *Habetis*, inquit, *fructum veſtrum in ſanctificationē; finem verò vitam æternam.* Vocat autē ea *fructum* Spiritus ſancti, ſingulari numero; propter connexionem omnium in charitate, tanquam principali dono Spiritus ſancti; quam propter hoc primo loco poſuit.

CHARITAS, GAVDIVM, PAX, PATIENTIA, BENIGNITAS, BONITAS, LONGANIMITAS, MANSVETVDO, FIDES, MODESTIA, CONTINENTIA, CASTITAS. Pro his duodecim, in Græco tantùm habentur nouē. Abſunt enim *patientia, modeſtia, & caſtitas.* Ambroſianus numerat decem, iuxta numerum (vt inquit) decem præceptorū decalogi. At Græcis conſentiunt Hieronymus & Auguſtinus in commētarijs, ac rurſum ille lib. contra Iouinianū: hic verò tractatu 87 in Ioannē, vbi locū hunc recitat, & ſingillatim exponit. His cōſentit & Beda in hom. ſuperius citata. Proiſus autem veriſimile eſt eadē Græca vocabula à diuerſis aliter & aliter fuiſſe tranſlata, vt μακροθυμίαν, *patientiam*, & *longanimitatem*; πραότητα *modeſtiam* & *manſuetudinem*; ἐγκράτειαν *continentiā* & *caſtitatem.* Vnde factum vt tot Latinis vocabulis, nimia quorundam diligentia, congeſtis in codicem vulgatæ verſionis, numerus excreuerit. Quod ipſum & ex Hieronymi commentario colligitur. Argumentum eius rei, quòd in quibuſdā Latinis libris *longanimitas* & *patientia* loco tranſponantur, vt illa ſit quarta; hæc, octaua. Ita vidimus in ms. Laudenſi. Charitas hoc loco non alia intelligenda eſt; quàm illa de qua cùm alibi ſæpe, tum ex profeſſo diſſeruit apoſtolus 1. Cor. 13. Cætera quę deinceps ſequuntur, ipſius charitatis quędam germina ſunt; quemadmodū per ſingula breuiter & pulcrè declarat Auguſtinus tract. memorato in Ioannem. *Gaudium* intelligitur ſpirituale, quod idem apoſtolus Ro. 14 vocat gaudium in Spiritu S. Eſt enim delectatio in ijs bonis quorum author eſt Spiritus ſanctus, qualia ſunt quæcunque ad noſtram pertinent ſanctificationem. Opponitur autem inuidiæ & æmulationi. *Pax* quam eodem loco ad Rom. ac rurſum cap. 15 gaudio coniunxit apoſtolus; tranquillam & pacificam cum proximis conuerſationem ſignificat; atque opponitur inimicitijs. *Patientia*, ſiue quod Græca vox ſonat, *longanimitas*, quam multi Latini codices itemque Thomas & Liranus proximè adiungunt patientiæ (pro qua alij lenitatem verterunt) virtus eſt per quam æquo animo aduerſa tolerantur, ſiue ea propulſare poſſis ſiue debeas; modò talia ſint quæ tolerare debeas: Etenim *charitas patiens eſt*, & *omnia ſuffert* 1. Cor. 13. Inter benignitatem & bonitatem hoc intereſt, quòd *benignitas*, Græcè χρηστότης ſignificat morum facilitatem ac ſuauitatem, qua quis alijs ſeſe libenter accommodat in bonum; Nam & *charitas benigna eſt.* Opponitur autem rixæ & contentioni. *Bonitas* verò ſpecialiter intelligi videtur, qua quis & à nocumentis abſtinet, ac prodeſſe ac benefacere paratus eſt. Quod vel maximè charitatis officium eſt. Huic contraria ſunt veneficia & homicidia. Porrò *manſuetudo* iras ex aduerſo reſpicit, eique affinis eſt *modeſtia*. *Fides* autem non ea intelligenda eſt qua in Chriſtum creditur; non enim hanc virtutem quæ fundamentum eſt totius iuſticiæ, poſt alias tam multas in catalogo fructuum ſpiritus recenſeret apoſtolus; ſed eam dicit fidem quæ ſpectatur in ſeruandis pactis & promiſſis; eſtque pars iuſticiæ ſpecialis; quam & in vtraque ad Tim. epiſtola nominat. Poſtrema *continentia* ſiue *temperantia* virtutum cardinalium vna, cui *caſtitas* & ſobrietas vt ſpecies ſubijciuntur; omnibus libidinis & gulę vicijs opponitur, quę erant *fornicatio, immundicia, impudicitia, comeſſationes & ebrietates.*

ADVERSVS HVIVSMODI NON EST LEX. Repetitio quædam eſt eius quod dixerat, *Quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Poteſt autem dupliciter intelligi illud *huiuſmodi* tam in Græco quàm in Latino: vel de fructibus ſpiritus iam enumeratis; aduerſus quos non eſt lex, quia fructuum huiuſmodi opera lex nō punit; vel de hominibus talia agentibus. Sic enim poſt enumerata opera carnis, ſubiunxerat. *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Et quidem hoc modo ſimilior erit iſta ſententia illi quæ eſt 1 Tim. 1, *Lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis*; Id eſt, non eſt contraria iuſtis, vt eos premat ac puniat, ſed iniuſtis. Quanquam &

prior

prior intellectus in eandem redit ſententiam. Notanda quo que figura ſermonis qua minus dicitur, plus intelligitur. lex enim non ſolum non aduerſatur bonis operibus aut hominibus ea facientibus; verum etiam illa præmijs remuneranda denunciat. Itaque tacitè intelligendum, à contrario ſenſu, ex parte ſuperiori; quòd qui talia agunt, regnum conſequentur. Id autem hîc non expreſſit; ne putaretur hoc eſſe beneficium legis.

24 QVI AVTEM SVNT CHRISTI, CARNEM SVAM CRVCIFIXERVNT CVM VICIIS ET CONCVPISCENTIIS. Græcè, *carnem crucifixerunt cum paſſionibus & concupiſcentijs*. Hieronymus *ſuam* non addit. Auguſtinus in cõmentario & epiſtola 38 legit *paſſionibus*; alibi, *affectibus*; rurſus alibi, *perturbationibus*. Imperitè verò commentator Ambro. nomen *Chriſti* accepit numero plurali, tanquam apoſtolus Chriſtianos hîc vocet Chriſtos, id eſt, vnctos. Quod ex Græco facillimè refellitur. Senſus eſt: Qui verè Chriſtiani ſunt, id agentes quod profitentur; ij carnalem concupiſcentiam ſpiritui aduerſantem cum paſſionibus eius, hoc eſt, cum prauis deſiderijs quæ ab illa excitantur, in ſeſe mortificauerunt, idque per Spiritum ſanctum iuxta illud Rom. 8. *Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*. Quam viciorum mortificationem, vocat hoc loco crucifixionem; quia Chriſtus crucifixus & mortuus, veteris noſtri hominis interitum ac deſtructionem in ſe voluit adumbrare; ſicut idem à morte reſurgens, nouitatem vitæ noſtræ in ſe repræſentauit; quemadmodum id pulcrè declarat apoſtolus Rom. 6. *Paſſiones* autem hîc dicit, quas explicatius paſſiones peccatorum vocauit Rom. 7. Porrò *mortificari carnem cum vicijs & concupiſcentijs*, non eſt eam ita perimi, vt aut prorſus non ſit, aut nulla praua in homine deſideria commoueat (quod in corpore mortis huius non contingit) ſed ita ſuperari, deprimi ac debilitari per ſpiritum, vt non amplius dominetur. Sic enim mortem hanc peccati exponit apoſtolus eiuſdem ad Rom. epiſtolæ cap. 6, cùm ait: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius*. Porrò ſi, qui Chriſti ſunt, carnem ſuam cum vicijs crucifixerunt; igitur qui non crucifigunt carnem ſuam & vicia, non ſunt Chriſti.

25 SI SPIRITV VIVIMVS, SPIRITV ET AMBVLEMVS. Græcè, *incedamus*. Hieronymus legit, *ſpiritui obtemperemus*: Auguſtinus, *ſpiritu & ſectemur*. Cæterùm in Græco non eſt verbum περιπατεῖν, *ambulare*, quod vſitatiſſima in ſcripturis metaphora ſignificat conuerſari & actiones inſtituere; quaſi ſenſus ſit; Si verè in vitam nouam per ſpiritum regenerati ſumus, motus vitæ reſpondeat, id eſt, exerceamus opera vitæ huius ſpiritualis, quæ ſunt bonæ & ſanctæ actiones: ſed eſt verbum στοιχεῖν quod ſignificat ordinatè incedere, & intra limites ſuos ſe continere. Quocirca Chryſoſtomus, & eius ſequaces Theophylactus & Oecumenius, hoc modo interpretantur, Si verè ſecundum ſpiritum vitam agimus; ſtemus & incedamus ordine noſtro, & intra ſpiritum nos contineamus; id eſt, contenti euangelio, quo traditur lex ſpiritus vitæ, legem Iudæorum carnalem non adducamus. Poteſt etiam ſic intelligi; Si ſpiritu viuimus; viam quam monſtrat ſpiritus, teneamus, nec defluamus à ſpiritu ad opera carnis. Certè huic ſenſui magis quadrat quod ſequitur,

26 NON EFFICIAMVR INANIS GLORIÆ CVPIDI, INVICEM PROVOCANTES, INVICEM INVIDENTES. *Prouocantes* ad pugnas verborum; &, ſi victi fuerimus, inuidẽtes. Aperit fontem contentionũ & inuidiæ. Nã ex cupiditate gloriæ qua quiſq; cupit inter homines excellere promanant hæc vicia. *Inanis* autem vocatur ea *gloria*, vel quia caduca eſt & momentanea; vel potius, quia tantùm in hominum opinione poſita. Hoc dicit propter contentiones & diſſidia inter Galatas exorta; ſiue de legalibus, vt quidam exponunt, ſiue de alijs rebus: non enim expreſſit hoc apoſtolus. Loquitur autem in prima perſona, velut ſeipſum comprehendens; quo ciuilior ac minus aſpera ſit admonitio.

SVMMARIVM.

HOrtatur Galatas vt alij aliorum ferant infirmitates, & vt bonis operibus ſeſe exerceant. Non eſſe gloriandum niſi in cruce Domini.

CAPVT VI.

1 FRATRES, ETSI PRÆOCCVPATVS FVERIT HOMO IN ALIQVO DELICTO; VOS QVI SPIRITVALES ESTIS, HVIVSMODI INSTRVITE IN SPIRITV LENITATIS. Nonnulli putant præſentem admonitionem apoſtoli eſſe velut epitomen eorum quæ ſcribit epiſtola Rom. cap. 14 & initio 15, aduerſus eos qui de ciborum diſcrimine Iudaico diſceptabant. Sunt enim illic ſimiles huic loco ſententiæ, *Infirmum in fide ſuſcipite, non in cogitationibus diſceptationum.* &; *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere*. At ſanè non eſt neceſſe, doctrinam verbis ipſis generalem, abſque certiori coniectura, reſtringere ad ſpecialem materiam, cuius tota hac epiſtola non eſt facta mentio. *Præoccupatus*, ſiue, iuxta Auguſtinum *circumuentus in aliquo delicto* dicitur, qui non malicia & animo deſtinato, ſed infirmitate vel imprudentia lapſus eſt in peccatum. Nam & huiuſmodi peccatum

ſolet in ſcripturis delictum vocari, Græcè παράπτωμα, quaſi lapſus hominis ex improuiſo impingentis. Pro verbo *inſtruite*, Græcè eſt *inſtaurate, reficite*; vel, vt Hieronymus vertendum fuiſſe putat, *perficite*. Syriaca tranſlatio habet, *erigite*. Porrò *ſpirituales* quos apoſtolus hîc alloquitur, Caietanus doctores interpretatur. Quidam presbyteros eccleſię volunt intelligi, locum hunc referentes ad pœnitentiæ ſacramentum, in quo preſbyter eum qui lapſus eſt inſtaurare, id eſt, reſtituere priori integritati, ac Deo reconciliare debeat; dicuntque apoſtolum admonere viros ſpirituales, id eſt, presbyteros, vt id faciant in ſpiritu manſuetudinis. Verùm quis apoſtolo ſpiritualis dicatur, expoſuimus in commentario 1. Cor. 2 & 3. Sunt enim apoſtolo ijdem ſpirituales, perfecti & firmiores; eoſque opponit carnalibus, animalibus, paruulis in Chriſto, & infirmis. Et quidem oportet presbyterum eo modo ſpiritualem eſſe; ſed vt non omnis ille nec ſolus talis eſt, ita conſtat apud apoſtolum, nomine presbyteri & ſpiritualis hominis, diuerſa ſignificari. Senſus igitur eſt: Nemo per inanem gloriam ſeſe ſuper alium efferat aut cõtendat; ſed etſi quiſpiam tentatione præuentus, vt eſt humana fragilitas, prolapſus fuerit in peccatum; *vos qui ſpirituales eſtis*, id eſt, qui geritis vos pro ſpiritualibus & perfectis, aut qui videmini tales, ne durius ac ſeuerius agite aduerſus huiuſmodi hominem, ſed cum manſuetudine eum admonentes & corripientes, reſtituite atque erigite à lapſu. Dicit autem *in ſpiritu lenitatis*; vt innuat, quod iam dixerat ſuperius, manſuetudinem eſſe fructum & donum Spiritus ſancti. Quod enim illic *manſuetudinem*, hîc *lenitatem* vertit interpres; cùm Græca vox eadem ſit. Quæri poteſt cur apoſtolus ſuo ipſius præcepto non ſit contrarius, qui Corinthijs virgam comminatur, dicens: *Quid vultis? in virga veniam ad vos? an in charitate & ſpiritu manſuetudinis?* 1. Cor. 4 Quique Tito præcipit vt Cretenſes ſuos durè increpet; Tit. 1 Reſpondemus, pro diuerſitate perſonarum & peccatorum, modò ſeuera increpatione vel etiam virga vtendum eſſe, modò cum manſuetudine agendũ cum ijs qui peccant. Rectiſſimè enim Gregorius docet, parte 3 curę paſtoralis, peccantes alijs atque alijs, aliter atque aliter admonendos eſſe. Vbi inter cætera cap. 33. *Aliter*, inquit, *admonendi ſunt, qui repentina concupiſcẽtia ſuperantur; aliter qui in culpa ex conſilio ligantur*. Atqui Cretenſium multi erant mendaces, malæ beſtię, ventres pigri; & propter hoc durè increpandi. Corinthios quoque eos alloquitur apoſtolus, inquit Hieronymus, qui poſt peccatum, non ſentientes errorem ſuum, nolebant maioribus ſuis ſubdi & pœnitentia corrigi. Vbi verò peccator intelligens vulnus ſuum, tradit medico ſe curandum, ibi non eſt virga neceſſaria, ſed ſpiritus lenitatis. Sic ille.

CONSIDERANS TEIPSVM, NE ET TV TENTERIS. Numerũ ſubitò mutat, non ex imperitia ſermonis, vt cenſet Hieronymus, ſed ſtudio; propterea quòd ad compellandam vniuſcuiuſque cõſcientiam aptior ſit numerus ſingularis. Sic Dominus ad ſcribas & phariſæos mulierem adulteram adducentes, *Qui ſine peccato eſt veſtrũm*, inquit, *primus in illam lapidem mittat* Io. 8. Certè apud Terentium optimi Latini ſermonis authorem, ſimilis permutatio numeri legitur non abſque venuſtate; Adeon', inquit, homines immutarier ex amore, vt non cognoſcas eundem eſſe? Cæterùm in eo quod ait; *tenteris*, cauſam pro effectu poſuit; eſt enim ſenſus: teipſum conſidera quicunque ſpiritualis es, ne & tu in tentationem incidas, tentatione vincaris, in aliquo delicto pręoccuperis. *Quite exiſtimas ſtare, vide ne cadas*. Nihil enim ad miſericordiam ſic inclinat, inquit Auguſtinus, quã proprij periculi cogitatio. Et Thomas in eandem ſententiam, Nihil ita frangit hominis ſeueritatem in corrigendo, quàm timor proprij caſus. Docet hic locus, homines etiam ſpirituales & perfectos non eſſe de ſua ſtabilitate ſecuros; & inanem eſſe eorum fidem qui ſibi perſeuerantiam iuſticiæ certò pollicentur.

2 ALTER ALTERIVS ONERA PORTATE. *Onera* vocat peccata, quę reatu ſuo nos deprimunt, & pœnis obnoxios reddunt. Eſt autem ſermo metaphoricus ab ijs ſumptus qui in portandis oneribus inuicem ſubleuant. Monet ergo Galatas, vt alij aliorum infirmitates & peccata, quodammodo reputẽt ſua, condolendo, diſſimulando, ferendo, leniter admonendo, fraternè corripiendo; denique hoc agendo, vt corrigatur frater potius quàm puniatur. Addo fraternam correptionem; neque enim correptio fraterna ſupportationi infirmorum opponitur, ſed potiùs ex ea conſequitur; vt bene docet Thomas 2. 2. q. 33 art. 1 ad 3, In tantum enim, inquit, aliquis ſupportat peccantem, in quantum aduerſus eum non turbatur, ſed beneuolentiam erga eum ſeruat: ex quo fit vt eum ſatagat emendare.

ET SIC ADIMPLEBITIS LEGEM CHRISTI. Ita legunt Latini omnes; tametſi Græca habent imperatiuum modum, *adimplete*: quod tamen parum refert ad ſenſum. Annotat Theophylactus non eſſe dictum *implete*, ſed *adimplete*, ſiue *complete*, id eſt, communiter omnes implete, quiſque portando onus alterius. Sed quam legem Chriſti adimplent, qui hoc faciunt? Nimirum eam quam ipſe Chriſtus tulit & tantopere commendauit dicens: *Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem*. Ioan. 13. Quod ſuum mandatum poſtea ſubinde repetit in eodem ſermone cap. 15. nec ab eo diuerſum eſt illud apud alios euangeliſtas, *Diliges proximum tuum ſicut*

teipſum.

teipsũ. Lex igitur Christi lex fraternę dilectionis est; quæ dictat mutua onera ferenda esse. Quã legẽ superiori capite Paulus ipse expressit cùm diceret, *Per charitatẽ spiritus seruite inuicẽ*. De qua & Ioannes apostolus, quẽadmodũ de eo Hieronymus in cõment. refert, à fratribus admonitus cur semper idem inculcaret dicens; *Filioli diligite alterutrum*; respondit, *Quia præceptum Domini est*; &, si solũ fiat, sufficit. Porrò legem Christi eam quam diximus, intelligunt omnes huius loci interpretes; eandemque plenius edisserit Augustinus q. 71 inter 83. Ex quibus omnibus etiam patet, Christum non solum vt redemptorẽ hominibus datum esse cui fidant, vt volunt hęretici; sed etiam vt legislatorem, cui obediant.

3 NAM SI QVIS EXISTIMAT SE ALIQVID ESSE, CVM NIHIL SIT; IPSE SE SEDVCIT. Græcè, *seipsum decipit*; vel, vt pressius ex Græco verterũt Erasmus & Hentenius, *suum ipse fallit animum*. Hoc quidem dicitur aduersus superbiam eorum qui sibi placentes, & existimantes se aliquid esse, durius tractabant infirmos: Attamen generalis sententia est, omnem eum qui se existimat aliquid esse, seipsum seducere; quia omnes nihil sumus. Nam illa particula interposita, *cùm nihil sit*, non restringit sententiam sed rationem eius continet. Idcirco enim, quicunque se aliquid esse existimat, seipsum seducit; quia reuera non aliquid, sed nihil est; sicut ipse de se apostolus profitetur, dicens, *tametsi nihil sum*. 2 Cor. 12; Et hæc cogitatio, quæ certè verissima est, plurimum facit ad humilitatem. Sensus autem est, hominem ex se nihil posse quod ad pietatem & salutem æternam pertineat; Domino dicente: *Sine me nihil potestis facere* Io. 15. & eius apostolo attestante, *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis* 2 Cor. 3. Quanquam & vniuersè verum est de omni bono tam naturæ quàm gratiæ, nos ad id agendum nihil esse; cùm iuxta canonem Arausicanum, *nemo de suo habeat nisi mendacium & peccatum*.

4 OPVS AVTEM SVVM PROBET VNVSQVISQVE. Pressius eos vrget qui, tanquam ipsi puri à crimine, facta aliena iudicabant. Sensus est, Quisque scrutetur, discutiat, expendat, examinet opus suum, id est, vitam & conuersationem suam; & videat non solum cuiusmodi opera fecerit, sed & qua intentione fecerit. Sic 1. Cor. 11. *Probet seipsum homo* & 2. Cor. vltimo, *Ipsi vos probate*. Est autem emphasis in vocabulo *suum*, cùm dicit *opus suum*; & infrà, *onus suum*: q. d. Sicut pro suis operibus quisque retributionem in Domino iudice exspectare debet, non pro alienis; ita sua consideret opera, non aliena.

ET SIC IN SEMETIPSO TANTVM GLORIAM HABEBIT, ET NON IN ALTERO. Græcè, *Et tunc ad semetipsum tantum gloriationem habebit, & non ad alium*. Ita verterunt Hentenius & Theophylacti interpres; tametsi Erasmus cum nostro interprete mauult ablatiuos, *in semetipso, in alio*. Temporis aduerbium etiam apud Augustinum & Ambrosium legitur. Porrò variè sententia apostoli exponitur. Vno modo: Si quisque diligenti cura probet & examinet sua ipsius facta; tunc desinet sibi placere comparatione alterius, quem fortè existimat se deteriorem. Nam si opus suum inueniat bonum & laude dignum: habebit in se vnde glorietur, & pro quo gloriam à Deo exspectet; secundum illud Rom. 2. *Gloria & honor & pax omni operanti bonum*. Si verò prauum nec syncerum inueniat opus suum: habebit in se vnde sibi displiceat, & pro quo damnationem metuat; sicut ibidem dicitur, *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum* Hoc enim posterius membrum, iuxta hanc expositionem supplendum erit; & explicatur verbis sequentibus: *Vnusquisque enim onus suum portabit*, scilicet in iudicio Dei. Igitur illud *in altero*, siue *ad alterum*, volunt idem esse quod alterius comparatione; tanquam dicat apostolus: Vnusquisque iudicabitur & retributionem vel gloriæ vel ignominiæ recipiet pro opere suo, non quale fuerit alieni operis comparatione, sed quale in se: Ac proinde non debemus respicere ad alios, fortè peiores aut minus bonos, quasi hoc nobis profuturum sit in die iudicij si dicere possimus. Vixi melius aut non tam malè quàm ille aut ille; sed ad nosmetipsos. Alio modo; Si bonum inueniat opus suum: habebit vnde glorietur apud se in conscientia & coram Deo; vt non sit ei necesse gloriã mendicare ab alijs, reclamante conscientia quam alij non vident. Huic sensui consonat illud 1 Cor. 14, *Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer*. Quodque ibidem sequitur, *Et tunc laus erit vnicuique à Deo*. Quidam verò Ironiam subesse putant in verbis apostoli; vt sensus sit: Qui sibi spirituales ac cæteris perfectiores videntur, quòd videant aliorum lapsus & infirmitates; hi si vitam suam diligenter excutiant, inuenient haud dubiè lapsus proprios: in illis si velint, glorientur, neque putent sibi gloriam per hoc accedere, quòd alij peccent, quorum comparatione iusti videantur. At medius sensus mihi præ reliquis probatur.

5 VNVSQVISQVE ENIM ONVS SVVM PORTABIT. Græcè, *proprium onus*; & ita legit Aug. Similes eiusdem apostoli sententiæ sunt, Rom. 14, *Vnusquisque pro se rationem reddet Deo*. 1 Cor. 3, *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. & 2 Cor. 5, *Vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum*. In quibus omnibus notandum quod dicit, *suum*, & *proprium*; &, *pro se*, quod opponitur alieno. Sensus igitur est, Vnusquisque in iudicio diuino portabit sarcinam suam, non alienã; id est, stipendium recipiet peccati sui non alieni Ex quo sensu liquet, hoc apostoli dictũ

non pugnare cum eo quod ſuprà dixit, *Alter alterius onera portate*; nec contrarium eſſe ſatisfactionibus aliorum pro alijs; nihilo magis quàm ſatisfactioni Chriſti pro nobis: Nam *aliorum onera portare*, ſicut antè diximus, eſt proximorum ferre infirmitates; quod ad vitam præſentem pertinet, ſicut & ſatisfacere pro aliorum peccatis; ac vtrumque charitatis eſt officium erga proximos exhibendæ: *Onus autem ſuum portare*, quomodo iam expoſitum eſt, ad tempus extremi iudicij refertur. Eò namque & cæteræ ſententiæ iam citatæ. Poteſt autem & onus hoc ſic intelligi, vt ſit debitum reddendæ rationis Deo de factis. Hoc ſuum onus quiſque portabit; quia *vnuſquiſque pro ſe rationem reddet Deo*; vt iam ex c. 14 ad Rom. allegauimus. Vocatur autem onus, propter peccata, quibus nemo caret: quorum omnium eſt reddenda ratio. Et ſic intelligit B. Aug. contra lit. Petil. lib. 3. c. 5. vbi etiam breuiter ac perſpicuè hunc locum cum ſuperiore conciliat, inquiens; Vnuſquiſque proprium onus portabit, onus videlicet reddendæ rationis; quia vnuſquiſque noſtrûm pro ſe rationem reddet Deo. Nam quantum attinet ad onera mutuæ charitatis; inuicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.

6 COMMVNICET AVTEM IS QVI CATECHIZATVR VERBO, EI QVI SE CATECHIZAT, IN OMNIBVS BONIS. Pro *verbo* quædam mss. habent *verbum*, Græcis & Syris codicibus, & Hieronymo ſuffragantibus. Etenim verba docendi, etiam paſſiua, regunt accuſatiuum rei; vt ſi dicam, Hîc pueri docentur bonas artes, id eſt, inſtituuntur in bonis artibus. Sic, *qui catechizatur verbum*, id eſt, qui inſtituitur in doctrina fidei; quam *verbi* nomine paſſim apoſtolicæ literæ ſignificant. Quamuis autem in Græco ſit κατηχέμενος, quod vſu eccleſiæ de ijs tantùm dicitur qui ad baptiſmum rudimentis fidei præparantur; non tamen hîc de catechumenis huiuſmodi ſermo eſt, ſed de fidelibus adhuc rudioribus, quos plenius oportebat inſtitui in doctrina Chriſtiana. ſcribit enim apoſtolus ad baptizatos; *Quicunque*, inquit, *in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*; ſuprà cap. 3. Neque ſanè qui non erant baptizati, teneri poterant præceptis apoſtolicis, vtpote nondum ingreſſi in eccleſiam: Neque expediebat eos præcepto, quale hîc intelligi putamus, onerari; ne fortè reſilirent à propoſito. Eſt autem catechizare, viua voce quempiam inſtituere in aliqua doctrina, præſertim religionis. ſolent enim religionis myſteria, etiam apud Ethnicos, voce magis quàm ſcripto diſcipulis tradi, & ad poſteros tranſmitti. Illud, *in omnibus bonis*, non ad proximum verbum, *catechizat*, referendum; ſed ad remotius *communicet*. Exponitur autem dupliciter, aut de bonis moralibus, aut de temporalibus. Priori modo, ſenſus eſt: Is qui docetur verbum fidei, communicet cum ſuo doctore, non in malis operibus, quæ facit, ſed in bonis quæcunque & facit & docet; iuxta id quod ſuprà dixit cap. 4, *Bonum æmulamini in bono ſemper*. Sic exponunt Ambroſianus & Liranus cum gloſſa interlineali. Poſteriori modo: Qui inſtituitur in doctrina fidei, viciſſim communicet, id eſt, tribuat doctori ſuo bona temporalia quæcunque viderit ei neceſſaria: quia iuſtum eſt vt qui ſpiritualia miniſtrat, temporalia recipiat; quandoquidem & ipſe Dominus ordinauit *ijs qui euangelium annunciant, de euangelio viuere*, 1. Cor. 9. Hæc expoſitio pene omnium aliorum eſt interpretum, tametſi Hieronymus & Thomas etiam priorem ſenſum adferunt. Pro hac expoſitione facit ipſum verbum *communicandi*, per quod largitio bonorum temporalium in ſcripturis non rarò ſignificatur; vt Ro. 12, *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes*. Philip. 4, *Bene feciſtis communicantes tribulationi meæ*. Et iterum, *Nulla mihi eccleſia communicauit in ratione dati & accepti niſi vos ſoli*. & Heb. 13. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci*. Videtur autem apoſtolus hoc præceptum idcirco poſt prædicta ſubiungere, ne verbis ſuperioribus; quibus inhumanitatem & arrogãtiam magiſtrorum qui ſpirituales eſſe debent repreſſit, videretur ab illis alienare diſcipulos voluiſſe, quo minus eis liberaliter temporalia ſuppeditarent. Huic ſenſui aptè cohærent quæ ſequuntur;

7 NOLITE ERRARE: DEVS NON IRRIDETVR. Id eſt, Nolite voſmetipſos fallere vanis excuſationibus, quæ valere poſſunt apud homines, ſed non apud Deum; quia *Deus non irridetur*, id eſt, Deo qui futurus eſt omnium iudex & peccatorum vindex, nemo poteſt illudere tanquam à ſe decepto; quia nouit omnia. Solent enim deceptores irridere eos quos deceperint. Itaque ex poſteriore, intelligitur prius per metalepſim; ac ſi ſimpliciter dixiſſet, Deus à nemine fallitur.

8 QVÆ ENIM SEMINAVERIT HOMO, HÆC ET METET. Græcè, numero ſingulari. *Quicquid enim* &c. Auguſtinus & Ambroſianus *Quod enim*. Monebat apoſtolus eum qui catechizatur, ne catechiſtam ſuum debito fraudaret honorario: Qua occaſione nunc generalem ſubijcit exhortationem ad bona opera, nominatim autem ad tribuendum ac benefaciendum proximis. Dicit ergo, Deum iudicem nemo fallet; Nam procul dubio *quæcunque ſeminauerit homo* in hac vita, *eadem metet* in futuro Dei iudicio. Id eſt, omnium operum ſuorum quæ fecerit, iuſtam retributionem accipiet. Etenim hæc vita quaſi ſementis quædam eſt; ſemen, opera; *meſſis* autem, iuxta Chriſti teſtimonium, *conſummatio ſæculi*. Matth. 13. Seges verò, quod pro operibus redditur, præmium

aut

aut ſupplicium; hoc enim eſt quod ſequitur,

QVONIAM QVI SEMINAT IN CARNE SVA, DE CARNE ET METET CORRVPTIONEM: Græcè, *Quia qui ſeminat in carnem ſuam, ex carne metet corruptionem.*

QVI AVTEM SEMINAT IN SPIRITV, DE SPIRITV METET VITAM ÆTERNAM. Hîc quoque Græcè eſt, *in ſpiritum, ex ſpiritu.* Prudenter obſeruat Hieronymus apoſtolum non dixiſſe, in ſpiritu ſuo, ſicut dixerat, *in carne ſua*, ſed tantùm *in ſpiritu*; quia qui bona ſeminat, inquit, non in ſuo quippiam, ſed in Dei ſpiritu ſeminat. Vult enim intelligi Spiritum ſanctum; ſicut & in ſuperioribus. Videtur autem apoſtolus in his verbis, *carnem* & *ſpiritum* conſiderare, tanquam agrum vel terram in quam ſemen mittitur; vt pro qualitate fundi fructum referat: quaſi dicat; Qui ſemen operum ſuorum proiecit in terram carnis ſuæ; id eſt, ea facit in obſequium carnalis ſuæ concupiſcentiæ (vnde & opera carnis vocantur); is ex eadem carne ſua metet corruptionem, id eſt, referet interitum, miſeriam & mortem ſempiternam. Qui verò ſemen operum ſuorum ſeminat in agrum ſpiritus, id eſt, in Spiritu ſancto ea facit, eiuſdem virtute perducenda ad fructum (vnde & fructus ſpiritus ab apoſtolo nominantur); is ex eodem ſpiritu, valorem velut infinitum operibus tribuente, recipiet pro eis vitam æternam. quam è diuerſo *incorruptionem*, hoc eſt immortalitatem vocat apoſtolus Rom. 2. Senſum autem hunc quem dedimus illuſtrant alia eiuſdem apoſtoli; vt Rom. 6 vbi operum peccati fructum ac finem dicit eſſe mortem; bonorum autem, vitam æternam, & cap. 8 cùm ait: *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Porrò notandus hic locus aduerſus ſectarios, pro meritis bonorum operum. ſi enim metet homo non ſolùm mala quæ ſeminauit, ſed etiam bona; metet autem qui bona ſeminauit, vitam æternam: igitur in bonis operibus velut in ſemine vita æterna continetur. Atqui ſemen huiuſmodi, reſpectu vitæ æternæ, non aliò quam ad cauſam meritoriam referri poteſt: Quæret autem aliquis, quomodo dictum ſit vniuerſaliter ab apoſtolo, iuxta Græcam lectionem: *Quicquid homo ſeminauerit, hoc & metet*; cùm tam in bonis operibus quæ peccato ſubſequente mortificantur, quàm in malis quę per gratiam remittuntur, manifeſta ſit exceptio. Reſpondeo, loqui apoſtolum de operibus ante meſſem, id eſt, diem iudicij, non extinctis & (vt ita dicam) ex Dei memoria deletis. ſic enim tam de bonis operibus cadentium, quàm de malis reſurgentium, loquitur per Ezechielem prophetam Dominus cap. 18, cùm dicit ſeſe talium non amplius recordari. Quanquam & hæc ipſa deletio fit per iudicium Dei, quod in hoc ſæculo exercetur.

9 BONVM AVTEM FACIENTES NON DEFICIAMVS, vel, vt alij vertunt, *non defatigemur*; Auguſtinus legit, *non infirmemur*. Senſus eſt: Ne tædio aut moleſtia victi vnquam ceſſemus à benefaciendo proximis. Rationem ſubijcit ex præmio nunquam defecturo,

TEMPORE ENIM SVO METEMVS NON DEFICIENTES; vel, vt rurſus alij vertunt, *non defatigati*; pro quo Ambroſiaſter & Auguſtinus, *infatigabiles*; tametſi in Græco verba diuerſa ſunt, quæ interpretes ſimiliter reddiderunt; *deficiamus*, & *deficientes*, vel *defatigemur*, & *defatigati*. quod moneo ne quis in Græco ſubeſſe putet anaphoram qualis in Latino. Senſus eſt; *Tempore enim ſuo*, Græcè, *proprio*, (ſicut & Auguſtinus legit) hoc eſt, cùm venerit cõſummatio ſæculi, quæ eſt proprium tẽpus metendi; tunc metemus, & fructum percipiemus inceſſanter & ſine fine, nam fructus ille eſt vita ęterna. Poſſet etiam ſic intelligi, Tempore enim ſuo metemus, ſi prius non fuerimus defatigati bene operando. Porrò Auguſtinus Tractatu de cantico nouo, cap. 2. hoc, *infatigabiles*, iungit ſequentibus; *Infatigabiles itaque dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes* Sed ex Grẹco melius præcedentibus annectitur, nam illud ἄρα ἄν apud Græcos amat primum locum ſententiæ.

10 ERGO, DVM TEMPVS HABEMVS, OPEREMVR BONVM AD OMNES. Id eſt, dum ſumus in hac vita, quod eſt ſeminandi tempus, ſtudeamus erga quoſcunque homines eſſe benefici, prout facultas & occaſio tulerit. Hinc diſce, proximi nomine in præcepto charitatis omnem hominem intelligi debere.

MAXIME AVTEM AD DOMESTICOS FIDEI. Id eſt, Chriſtianos, qui *domeſtici fidei* dicuntur, quia in vnam domum eccleſiæ per fidem congregati ſunt. quos eoſdem Epheſ. 2 vocat *domeſticos Dei*; quia Eccleſia domus Dei eſt. Prẹcipitur ordo charitatis; ſecundum quem, cæteris paribus, fideles infidelibus ſunt præferendi. Addit autem hanc partem apoſtolus, vt innuat, multò magis (quod ſuperius præceperat) illis eſſe benefaciendum, à quibus fidei doctrinam percipimus.

11 VIDETE QVALIBVS LITERIS SCRIPSI VOBIS MEA MANV. Finiturus epiſtolam apoſtolus redit ad principale argumentum; volens bene inculcatum eſſe Galatis id quod eos tota ferme epiſtola tam ſtudioſè docuit, de lege non miſcenda cum euangelio. Pro verbo *videte*, textus Auguſtini habet *vidiſtis*. Eraſmus vertit, *videtis*. Neutrum meo iudicio rectè: nam ἴδετε, quod eſt in Græco, ſine controuerſia *videte* ſignificat (quod & ex Syro verſum habemus) non *vidiſtis?* niſi

poëticè ſumas pro εἶδετε. At *videtis*, multò minus. Hęc annotanda duxi, non quod ad ſenſum adeo referat; ſed pro veritate textus apoſtolici, & defenſione noſtri interpretis. Porrò Græca dictione πηλίκοις quam interpres vertit, *qualibus*, Hieronymus ſignificari putat quantitatem, q. d. apoſtolus; Videte quàm grandem epiſtolam ſcripſerim vobis mea manu. quod tamen idem Hieronymus non de magnitudine characterum, aut de prolixitate epiſtolæ, ſed de granditate ſenſuum vult intelligi. Ridet autem cuiuſdam docti commentarium qui ſcripſerat, Paulum vtpote Hebræum & Græcè ſcribendi imperitum, exigente neceſſitate, vt Galatis affectum erga eos ſuum commendaret, contra conſuetudinem manu ſua ſubſcripſiſſe hanc epiſtolam: quod dum facit, curuos tramites literarum vix magnis apicibus expreſſiſſe. Atque hoc eſſe quod dicit, *videte quantis literis* &c. Hoc etſi non prorſus immeritò reijciat Hieronymus; quia non erat Paulo inconſuetum epiſtolas à ſe dictatas ſua manu ſubſcribere, quemadmodum ex fine epiſtolarum 2. ad Cor. ad Col. 2. ad Theſſ. & ad Philem. manifeſtè probatur: attamen deformitatem literarum hîc ſignificari ſentiunt Chryſoſtomus ac cæteri Græci; quaſi dicat apoſtolus; Quamuis Græcos characteres non pulcrè pingam, vt videre poteſtis; volui tamen totam hanc epiſtolam meis digitis exarare, veſtri gratiâ; tum vt intelligatis quantopere veſtra ſalus mihi cordi ſit, tum vt nulla vobis poſſit eſſe ſuſpicio ne alienæ pro meis literæ vobis obtrudantur. Nam ſub nomine Pauli miſſas aliquando fuiſſe epiſtolas à falſis doctoribus, ſatis apparet ex eo quod dicit 2 Theſſ. 2. *Neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam*. Græcis conſentit Ambroſianus in eo quod dicunt totam hanc epiſtolam Pauli manu ſcriptam fuiſſe. vbi enim, inquit, holographa manus eſt, falſum dici non poteſt. annuit & Caietanus. Hieronymi ergo expoſitionē iſti quadantenus ſequuntur: quæ poteſt ex eo confirmari quod vox γράμματα apud Græcos pro epiſtola vſurpatur, vt nomen literarum apud Latinos. Exemplum eſt Actor. 28. Nos neque literas (γράμματα) accepimus, id eſt epiſtolam.

12 QVICVNQVE VOLVNT PLACERE IN CARNE, HI COGVNT VOS CIRCVNCIDI. Græcum verbum, quod interpres vertit, *placere*, compoſitum eſt, & ſignificat, *inxta faciem placere*. Docet autem hac parte apoſtolus, quales ſint homines qui legem Galatis imponere volebant; & qua ratione moti id faciant: Intelligit autem pſeudapoſtolos, contra quos hæc, & ſequentia dicit. Senſus eſt: Qui gratiam hominum quærunt carne ſibi coniunctorum, & ab ijs laudari cupiunt, aut offendere eos nolunt; ij ſunt qui vos perrahere nituntur ad circunciſionem. Loquitur de Iudæis, placere volentibus genti ſuæ, quam hîc vocat carnem, & idcirco laborantibus vt quamplurimos ad legem Iudaicam adducerent. Eſt autem hoc ipſum quod apoſtolus 1. capite vocat *hominibus placere*, ſic inquiens: *An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.*

TANTVM VT CRVCIS CHRISTI PERSECVTIONEM NON PATIANTVR. In Græco nō eſt genitiuus, *crucis*, ſed datiuus, per ablatiuum reddendus, *cruce*, id eſt, ob crucem. Senſus enim eſt. Saltem id faciunt vt ne propter crucem Chriſti perſecutionem à fratribus ſuis Iudæis patiantur. Id eſt, Chriſtiani quidem eſſe volunt & crucifixum colere; ſed ſine periculo perſecutionis à Iudæis tolerandæ Nam Iudæi plærique, vt ex Actis apoſtolorum liquet, non tam perſequebantur fidem crucifixi, quàm doctrinam legis abrogatæ vel abrogandæ per crucem; quemadmodum & à Caietano bene annotatum eſt.

13 NEQVE ENIM QVI CIRCVNCIDVNTVR, LEGEM CVSTODIVNT. Græcè, *ipſi legem cuſtodiunt*. Quod emphaſim habet: nec ab Ambroſiano prætermiſſum eſt. Pro quo Hieronymus & Auguſtinus legunt, *hi legem cuſtodiunt*. Senſus autem eſt: Nam nec ipſi quidem, quamuis circunciſi ſint & circunciſionem profiteantur ac prædicent, legem obſeruant. cùm enim lex Moſaica ſit iugum importabile, de quo Petrus Act. 15, *quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus*: multa legis præcepta negligunt; quin & abſque probabili cauſa, cùm iubet, in multis ſibi indulgent. Confer quę diximus 1. Cor. 11. ad illud, *Accepit panem*. Itaque circunciſionem extorquere à vobis volunt, non zelo legis commoti.

SED VOLVNT VOS CIRCVNCIDI, VT IN CARNE VESTRA GLORIENTVR. Id eſt, vt glorientur apud ſuos ſe rem Iudaicam egregiè promouiſſe, ſi circunciſionem, quæ fit in carne, vobis perſuaſerint, & per hoc ad legem ſuam vos traduxerint, ac proſelytos fecerint. Quanto enim ſtudio id agere ſoleant, declarat illa Saluatoris exprobratio, *circūitis mare & aridam, vt faciatis vnum proſelytum* &c. Matth. 23. Porrò carnis nomine pudendas partes aliquando ſignificari ex Ezechiele diſcimus cap. 23.

14 MIHI AVTEM ABSIT GLORIARI, NISI IN CRVCE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Senſus eſt: Illi gloriam quærunt apud homines, ex carne veſtra circunciſa; at verò procul ſit à me, vt in aliqua re glorier, niſi in cruce, id eſt, in paſſione & morte, Domini noſtri Ieſu Chriſti, quam in crucis patibulo ſuſtinuit, & per quam omne bonum ſalutare nobis promeruit ac procurauit. Quicquid enim ad pietatem & ſalutem pertinet vitæ æternæ, totum id nobis promanat *de fontibus Saluatoris*, id eſt, ex merito paſſionis Chriſti. Vnde ipſe dixit: *Sine me nihil poteſtis facere*, Ioan. 15. Hinc eſt quod Leo pontifex in

sermone 8 de passione Domini, crucem Christi vocat omnium fontem benedictionum, omniumque causam gratiarum. Non vetat autem apostolus ne quis glorietur in virtutibus, laboribus, passionibus, periculis pro iusticia susceptis, atque in cæteris quæ huiusmodi sunt; id quod rectè fieri posse, si sit iusta necessitas, ipse Paulus suo docuit exemplo 2 Cor. 11. & 12: sed vult, ne quis aliter de quibuscunque rebus glorietur, quàm in cruce; vt intelligat quisquis aliquid boni habet quod gloria dignum sit, id se non aliundè habere, quàm ex fonte crucis Dominicę. Qua de re B. Hieronymus; *Sciendum est*, inquit, *quòd omnis illa gloriatio ad crucem relata, gloria crucis sit; & quicquid dignum in virtutibus perpetratur, hoc fieri ob Domini passionẽ.* At dices: Paulus 1 Cor. 11 de quibusdam bonis gloriatur quę non proueniunt ex cruce Christi; cum dicit: *Hebræi sunt; & ego* &c. Respondeo, in illis non gloriatur tanquam in bonis ad salutem vitæ æternæ pertinentibus: Rectè tamen in illis gloriatur, propter pseudapostolos, ne videatur illis inferior; & ipsa talis gloriatio licet non esset in cruce, erat tamen ex cruce, vtpote salutaris.

PER QVEM MIHI MVNDVS CRVCIFIXVS EST, ET EGO MVNDO. *Crucifixus*, id est, mortuus seu mortificatus; sicut annotauimus ad illud capitis pręcedentis, *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt*. Mortuus autem dicitur alicui, qui, quasi mortuus, nullam amplius cum eo habet communicationem: sed, sicut mortuus à viuis, planè separatus atque alienatus est. ita superius cap. 2 dixit se per legem legi mortuum esse. & Rom. 7, *Mortificati estis*, inquit, *legi per corpus Christi.* & eiusdem epistolæ cap. 6, *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* *Mundum* plerique intelligunt res mundanas, id est, eas quæ ab hominibus huius sęculi expetuntur, vt opes, honores, voluptates. Verùm scripturę familiarius est, *mundi* nomine mundanos & carnales homines significare; quod ex innumeris locis facilè potest ostendi: Quæ significatio etiam huic loco probè quadrat. nam de hominibus loquebatur paulò antè, cum diceret, *Quicunque volunt placere in carne.* & cap. 1, *An quæro hominibus placere?* quod vtique est mundo placere. & hoc modo intellexit Augustinus. Itaque sensus est: Per quem Christum crucifixum, id est, cuius merito ac beneficio, mihi contigit vt mundus & ego mutuo respectu planè mortui simus; nam nec mundus mihi afficitur, nec ego mundo, sed inuicem alieni & auersi sumus, atque adeo aduersi & contrarij. Mundus me odit & persequitur; ego illi placere nolo. Sic Dominus Ioan. 15. *Si de mundo fuissetis; mundus quod suum erat, diligeret, quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo; propterea odit vos mundus.*

15 IN CHRISTO ENIM IESV NEQVE CIRCVNCISIO ALIQVID VALET, NEQVE PRÆPVTIVM, SED NOVA CREATVRA. Non tam probatio est eius quod præcessit, quàm conclusio totius doctrinæ quam hac epistola tradidit, q. d. Hoc est quod dico, & repeto & extremis verbis commendo; In negocio salutis obtinendæ per Christum, neque circunciſionem aliquid prodesse, neque præputium, sed nouam creaturam; ideoque nullam vos habere causam cur patiamini vos circuncidi: quando e contrario satis iam docui, nihil salutis ex Christo vos consecuturos, si circunciſionem admiseritis; sed per eam vos prolapsuros in miseram & inutilem seruitutem legis. Quid vocet nouam creaturam, intelligitur ex eo quod superiori capite simili sententia dixit: *sed fides quæ per charitatem operatur.* & 1. Cor. 7, *sed obseruatio mandatorum Dei.* Igitur *noua creatura*, quemadmodum optimè Caietanus explicat, est vita spiritualis, à Deo creata per gratiam Iesu Christi. Comprehendit autem totam hominis renouationem ac iustificationem ab initio fidei, vsque ad consummatam charitatem expectandam in futuro sæculo: nec solùm complectitur habitus virtutum, ac donorum; sed & omnem actum veræ pietatis. Hæc enim est obseruatio mandatorum Dei.

16 ET QVICVNQVE HANC REGVLAM SECVTI FVERINT, PAX SVPER ILLOS ET MISERICORDIA. Græcè, *Et quicunque hac regula incesserint*: est enim idem in Græco verbum quod sub finem capitis præcedentis, pro quo interpres verterat *ambulemus*. De cuius verbi significatione sufficiant quæ ibi diximus. *Hanc regulam*, alij intelligunt totam doctrinam de iustificatione traditam hac epistola: Alij, sententiam quæ proximè præcessit, *In Christo Iesu* &c. Ea namque potest accipi pro regula fidei ab omnibus tenenda: Alij rursus, illud solum, *sed noua creatura*; vt illi incedere dicantur hac regula, qui ambulant in nouitate vitæ. Sic enim Chrysostomus & Theophylactus exponunt. Secundum hos, apostolus loquitur de regula vitæ; secundum superiores, de regula doctrinæ. Et quidem omnes hi commentarij probabiles sunt. Coactius verò, quod Caietanus regulam interpretatur, indicatam illis verbis, *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini* &c. Nam illa sententia ab hac diuulsa est per aliam quæ interceſſit, æquè notabilem; vt proinde multò commodius ad proxima verba, quàm ad remotiora referatur præsens periodus, præsertim id exigente pronomine demonstratiuo *hanc*. Sensus autem est; Quicunque iuxta hanc regulam (aliquam ex dictis) incesserint, eamque tenuerint; pacem illis imprecor & misericordiam à Deo.

ET SVPER ISRAEL DEI. Hoc addit, ne videatur excludere Iudæos. Veruntamen ne

de om-

de omnibus ſecundum carnem Iudæis intelligatur; dicit, *Iſrael Dei* id eſt, qua parte Dei populus eſt; non qua parte Deo contrarius, vt erant Iudæi infideles & pſeudapoſtoli. Quanquam alijs placet *Iſraelem Dei* intelligi Iſraelem ſpiritualem, id eſt, quotquot per fidem veri ſunt Iſraelitæ & Abrahæ filij, tam ex gẽtibus quàm ex Iudęis; vt hæc pars ſit expoſitio præcedentis. Mihi magis probatur quod prius dixi.

17 DE CÆTERO, NEMO MIHI MOLESTVS SIT. Hieronymus affirmat melius in Græco haberi, *De cætero labores* (Græcè κόπους) *mihi nemo exhibeat*. Auguſtinus quoque, *laborem* legit; Ambroſianus, *moleſtias*. Senſus eſt: Poſthac nemo veſtrûm turbulentis contentionibus mihi laborem, moleſtiam, tædium adferat, de re nunc quantum ſatis eſt expoſita & inculcata. Loquitur cum authoritate, tanquam Galatarum apoſtolus & gentium magiſter.

EGO ENIM STIGMATA DOMINI IESV IN CORPORE MEO PORTO. *Stigma* Græca dictio eſt, qua ſignificatur nota cuti impreſſa aut inuſta; quomodo notari ſolent ſerui proprijs dominorum ſignis. Non eſt, inquit, quod mihi laborem ac moleſtias augeatis, qui ex frequentibus laboribus, plagis, vinculis, alijſque incommodis, etiam ſigna corpori meo impreſſa, tanquam notas Domini mei Ieſu, cuius me ſeruum profiteor, porto ac circumfero. Huiuſmodi ſtigmata commemorat ipſe Paulus in *2.* Cor. 11.

18 GRATIA DOMINI IESV CHRISTI CVM SPIRITV VESTRO, FRATRES, AMEN. *cum ſpiritu veſtro*, id eſt, vobiſcum; ſicut dicitur in fine aliarum epiſtolarum. Claudit epiſtolam cum imprecatione gratiæ Dei per Chriſtum, idque more ſuo, de quo alibi diximus; & amplius dicturi ſumus in *2.* ad Theſſ. In Græco ſequitur hæc hypographe *Ad Galatas ſcripta eſt ex Roma.* De qua ſatis dictum in argumento huius epiſtolæ.

Finis Tomi primi.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM
IN HOC PRIMO TOMO
CONTENTARVM,

In quo numerus prior paginam, posterior columnam designat.

A.

Abba-pater cur coniunctim legatur, 112. 1
Abraham iustificatus non ex operibus quo sensu, 52. 1
Abraham ante circumcisionem iustus, 57. 1
Abraham pater omnium credentium. 58. 2
Abrahę facta promissio absoluta fuit & gratuita, 59. 1
Abrahæ filij & semen. 134. 1. & 2
Abrahæ sæpius facta promissio, 697. 1
Abrahæ facta promissio, duplici ratione testamentum vocatur. 698. 1
Abraham multarum gentium pater sensu literali & mystico, 60. 1. 61. 1
Abrahæ corpus quo sensu mortuum. 62. 1. & 2
Abraham nullam fidei vacillationem in promissione Dei habuit, 63. 2
Abundare vnumquemque in suo sensu quid, & quàm malè à quibusdã intellectũ, 202. 2. & seq.
Abstinentias & ieiunia prauè negant hæretici, 202. 1. 210. 1
Absens quo casu iudicari & condemnari possit, 288. 2
Abstinere à carnibus & vino quatenus actus virtutis, 345. 2
Abstinentiam carnium ecclesiasticã ex epistolis Pauli prauè impugnant hæretici. 383. 1
Abstinentia à licitis propter scandalum, 209. 1. 212. 2, 211. 1
Abstinentia ciborum quatenus conducat ad pietatem, 210. 1
Abyssus quid in scriptura significet, 153. 2
Acceptio personarum quid, & vnde hæc phrasis orta, 30. 1. 678. 1. *In gratuitis locum non habet,* 139. 1. 678. 2
Accessus ad iusticiam per fidem, 67. 1
Actus humanus nullus indifferens, 338. 2
Actus Pauli, liber apocryphus, 493. 1
Actiones nostræ omnes ad gloriam Dei referendæ, 387. 2. & seq.
Adam forma Christi quo sensu. 77. 1. *Et omnes in eo peccasse quid sit,* 74. 1, & 2
Adam non est pater Euæ, licet Eua ex ipso. 704. 1
Adã quo sensu factus in animam viuentẽ, 500. 1
Adæ peccatum cur inobedientia vocetur, 80. 1
Adam videbat Deum per speculũ, sed non in ænigmate, 445. 1
Adiutores in Christo qui dicantur, 226. 2. 228. 1
Adulter quis. 196. 1
Adulterantes seu cauponentes verbum Dei qui dicantur, 551. 2. 563. 1
Aduocatus noster non Spiritus sanctus, sed filius Dei secundum naturam assumptam proprie est, 120. 1
Adoptio quẽadmodũ & regeneratio duplex. 117. 2
Ætas deficiens patrum antiqui temporis longè diuturnior quàm accrescens, 63. 1
Ægyptiæ plagæ qua ratione infirmitates dicuntur, 69. 2
Ænigma quid, 444. 2
Ædificare quid, & ædificandi metaphora vnde sumpta, 341. 2
Æmulatio pro inuidia, 438. 2
Æmulatio quid sit, 722. 1
Æstimatio liciti quænam sufficiat vt non peccet quis contra conscientiam, 213. 2
Afflictio apostolorum, fidelium consolatio, 526. 2
Afflictionum magnarum fructus non sibi fidere, sed Deo, 529. 1
Afflictos consolatur Deus, 604. 1
Agon quid proprie significet, 360. 2
Agenda sunt omnia ad ædificationem, 463. 1
Altaria Domini suffossa quænam fuerunt, 161. 2
Alter & proximus Paulo eadem, 382. 2. 457. 1
Amare Christum qui dicantur, 524. 1
Ambulare in astucia quid, 563. 1
Ambulare, in scripturis morale vocabulũ est, & quid significet, 82. *& quinam secundum carnẽ ambulent, & hominem,* 164. 1. 2. 264. 1
Amen quid significet, 23. 2. 134. 1. 179. 1
Amor per ignem significatur, 189 2
Amor Dei nunquam ociosus, 441. 2
Amor Dei efficax super omnia, 521. 2
Angeli quidã ex omnibus ordinibus ceciderunt, 129. 2
Ἀνάθεμα quid, & quomodo ab ἀνάθημα differat, 131. 1. 132. 1. 521. 1.
Anathema esse à Christo pro fratribus quo sensu optauerit apostolus, 131. 1, & 2
Ananias & Sapphira an salui, 417. 1
Angelis an olim cognita fuerint mysteria sapientiæ Dei, 258. 1
Angeli sunt pars vniuersi, 283. 1
Angelorum ordines quatenus remansuri post iudicium, 486. 1
Angelorum linguæ, 434. 1
Angeli mali iudicandi à Christianis & electis hominibus, 301, 1 (368. 1
Angelus Israelitarum Christi personam gessit.

Angelus fuit qui patribus antiqnis apparuit, 368. 1.
Angelus exterminator quis fuerit, 369. 2. & *seq.*
Anna B.V. mater monogoma fuit, 351. 2
Angeli vbique præsentes, 396. 2. *hominum custodes*, 397. 1. *Angelorum nomine qui significentur*, 397. 1
Anna prophetissa an locuta in ecclesia, 393. 1 & 468. 2
Animalis homo quis & quotuplex, 260. 1 & *seq.* & *quomodo à carnali differat*, 262. 2
Animales non omnes mali, sicut spirituales non omnes boni, 260. 2
Anima & spiritus res in nobis eadem, 499. 1
Animam esse in corpore vt in carcere, Origenis error est, 579. 1. 580. 2
Animam habere membra error est Tertulliani, 574. 1
Anachoretæ comati, 398. 2
Anathema Iesum dicere quid sit. 418. 2
Animæ iustorum Deum vident ante generalem resurrectionem, 445. 2
Animalium conuentus naturaliter in melius, 400. 1
Antiqui quomodo Christum vidisse dicantur, 368. 2
Antiquitas respicienda in negocio doctrinæ & consuetudinis, 469. 1
Apparitiones Christi resuscitati quæ recensitæ à Paulo, & cur factam Petro primo loco ponat, 472. 1
Apparitio Christi facta quingẽtis fratribus quãdo & vbi, 473. 1
Apparitio Christi quando facta Iacobo, 474. 1
Apocalypsis quid sit, 262, 2, & *seq.*
Apelles an idem qui Apollo, 228. 2
Apollo an Corinthiorum episcopus fuerit, 518. 1
Apologia quid propriè dicatur, 606. 2
Apostolatus quid sit, 8. 2. 181. 1
Apostoli qui propriè dicantur, 6. 1. 156. 2. 228. 1. 430. 2.
Apostoli linguas omnium gentium tenebant, 458, 2
Apostolorum nomen ad alios multos extensum, 475. 1
Apostoli ad euangelizandum an vsi interprete, latè discutitur, 547. 2
Apostoli tam eloquentes in aliena lingua vt in sua. 548. 1
Apostoli secretiora mysteria non passim euulgabant, 261. 548. 2
Apostoli, bonus odor Christi, 549. 2
Apostoli hominum serui quo sensu, 566. 2
Apostoli lux mundi, 567. 1
Apostoli vasa fictilia, 568. 2
Apostoli indices & iudicandi. 681. 2
Apostoli castigati à Deo per homines, 597. 1
Apostoli pauperes, & quomodo omnia possidentes, 597. 2
Apostoli fidelium ministri, 277. 2
Apostoli ante acceptum Spiritum sanctum animales, 260. 2. & *carnales*, 264. 1
Apostoli & prophetæ fundamenta ædificij spiritualis, 267. 2
Apostoli nouissimi qui dicantur, 283. 1
Apostoli stulti propter Christum, 283. 2
Apostoli in hac vita non fuerunt confirmati in gratia, 362. 1
Aqua de petra cur potus spiritualis, & quid mystice significet, 364. 1
Aras recte Ezechias & Iosias, impiè autẽ Achab & Iezabel euerterunt, 161. 2
Arma lucis, bona opera, 198. 2
Arma apostolica quæ sunt, 625. 2
Ariana hæresis Christum Patre esse minorem asserens refellitur, 134. 1
Aretas quis fuerit, 643. 2
Ars restaurandi præputij, 328. 1
Aristobulus Britannis euangelium prædicauit, 228. 2
Assumere quid Paulo, 200. 2. 201. 1
Ascendere in cor quid sit, 257. 2
Auaricia quid, 25. 2
Auari Paulo quid dicantur, 295. 2. 297. 1. 304. 2.
Auditus vicem lectionis supplet, 156. 1
Auditus pro sermone audito, 157 2
Aurum, argentum, lapides pretiosos; ligna fœnum, stipulam quinam superædificent. 267. 2
Authoritas apostolorum apud fideles, 472. 1
Auxilium sufficiens ad salutem non datur omnibus, 156. 1. 164. 2. 317, 2. 373. 2. *vide gratia suff.*
Auxilio Dei æquali adiutos non contingit hunc agere, illum non agere, 281. 2
Azymi panes quid significent, 398. 2

B.

Baal Tyriorum & Sidoniorum Deus, 162. 1
Baptizatorum dignitas, 114. 1
Baptizati paruuli postquam adoleuerunt, non credunt nisi per auditum. 158. 1
Baptizare aliquem in nomine suo quid sit. 245. 2
Baptizari in Moysen quid sit, 363. 1
Baptizari pro mortuis quid apostolo, latè discutitur. 490. 1. & *seq.*
Baptismus efficax ad gratiam iustificationis conferendam, 702. 2
Baptismus infantum probatur, 246. 1
Baptizandi, sicut & exorcisandi ministerium ab Episcopo delegandum alijs, quo expeditiùs vacent ministerio verbi, 246. 2
Baptismus azymos facit Christianos, 294. 1
Baptismo opus habent filij fidelium, 169. 1 325. 1.
De Bartholomæi nobilitate fabula rejcitur, 250. 2
Barbari qui, & vnde dicti, 453. 2
Beatus qui seipsum non iudicat, in quibus verum, 212. 1

Beatorum animas pro nobis orare, nosq; pro defunctis orare debere, 429.2. 441.2
Beatitudo intellectualis creaturæ in Dei visione consistit, 445.2
Beati qui Christum in carne viderunt quo sensu, 586.2
Beati Deum perfectè cognoscunt, sed non comprehendunt, 446.1
Belial quis, 600.1
Benefactorem esse gratuitum insignis est Dei proprietas, 139.2
Benedicere quid sit, 186.1.456.1
Benedicere persequentibus non consilij sed præcepti, 186.1
Benedicere pro bene precari, in scripturis frequens, 375.2
Bene gratias agit, etiam qui verba non intelligit. 457.1
Benedictio cum gratiarum actione coniungi solet, 376.1
Benedictio Christi super panē quid sit, 406.2
Benignitatis definitio, 28.1.218.2
Bestiarij qui olim dicebantur, 283.1
Bestijs obijci, & pugnare cum bestijs, pœnæ erant diuersæ, 493.1
Blasphemia quid, 284.2 385.1
Bona à reprobis facta, ijs cooperantur in malum, 122.1
Bonitas Dei erga homines maxima, 590.2
Bonitas & seueritas Dei, 170.2
Bonitatis definitio, 28.1.218.2
Bonitas Dei erga electos manifestatur etiam per aliorum reprobationem, 145.1
Bonus quis, & quomodo à iusto differat, 70.1

C.

Caius hospes Pauli, 245.2
Calix effusus pro nobis in cœna, 408.1
Calix Domini, & calix dæmoniorum, 381.1
Calix idem quod poculum, 411.1
Campanæ successerunt tubis tanquam linguis publicis, 453.1
Capillicium alere quatenus viro indecens, 398.1
Caput Christi an spinis perforatum, 408.2
Carbones ignis congerere super caput inimici bifariam exponitur, 189.1.112
Carnis prudentia mors est, 107.1. *illa non potest subijci legi Dei,* 108.1
Carnis opera, non corpus ipsum mortificandum monet apostolus, 110.1
Carnis nomine quandoque ipse homo, quandoque innata homini concupiscentia designatur, 87.1. 100.2. 251.1. 309.1. 291.2
Carnale & carneum differunt, 553.2
Carnales multis modis in scriptura dicuntur, 263.1
Carnis desideria non habere impossibile, consentire autem possibile per spiritum, 721.1
Carnis opera quæ dicantur, 722.2
Carnalia non sunt precia spiritualium, iure tamen debita, 354.1
Caro & sanguis pro homine ponuntur in scripturis, 503.2
Caro concupiscens aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, qui, 721.1
Catechumeni qui vocentur, 35.2
Catechumeni etiam boni, nondum filij Dei. 110.1
Catechizare quid. 728.1
Cælum & terra non peribunt secundum substantiam, 334.1
Cæli nomen in scriptura quid significet. 153.2
Cæli quo sensu enarrent gloriam Dei, 158.1
Cœna Dominica quæ sit, latè discutitur, 401.2. *& seq.*
Cœna Dominica vnde dicta, 402.2
Cœna Dominica institutionem eucharistiæ præcessit, 402.1
Cœnæ eiusdem apud quos hodie vestigium, 402.2
Cœnæ Dominicæ ordo cum oblatione mystica, 403.1
Cæcitas & duricia cordis vicia coniuncta, 171.2
Cæcitas quomodo ex parte contigerit Israël, 172.1.
Cenchreæ quis locus, 225.2
Cephas idem qui Petrus, 243.1
Certitudo duobus modis vsurpatur, 128.2
Charismata, testimonia veræ fidei, 240.1
Charismata non expetenda nisi propter vsum, 448.1.
Charismata proprie attributa Spiritui sancto, 220.2
Charismatum æmulatio permissa. 448.1
Charismata non omnibus omnia, sed alijs alia tribuuntur, 420.2. *sunt autem sermo sapientiæ, sermo scientiæ, &c. quæ explicantur,* 420.2 *& seq.*
Charismatum cessatio in futuro sæculo, 441.2 *& seq.*
Charitas Christi duplex, 584.2
Charitatis studium est, vbique ædificare, 463.1
Charitatis argumentum, subditorum peccata non dissimulare, 540.2
Charitas Christi in nos, 689.1
Charitas forma fidei, 717.1
Charitas Dei bifariam accipitur in scripturis, 68.1. 127.2
Charitas est habitus cordibus nostris inhærens, 68.2
Charitas Dei erga nos multum commendatur, 69.1.2. *seq.* 130.1
Charitatis debitum nunquam persoluitur, 195.1
Charitatis habitus augetur per bona opera, 218.2
Charitas ædificat etiam sine scientia, 341.2
Charitatis excellentia supra cæteras virtutes, 434.1, 447.2
Charitas, affectus summi erga Deum amoris, 436.2

Charitas quænam ſeparata à gratia, & amicitia Dei, 436. 2

Charitatis proprietates, 438. 2. *Et quatenus ei tribuantur,* 439. 1. *& ſeq.*

Charitatem incipere à ſeipſa quo ſenſu dicatur, 430. 2

Charitas amitti poteſt, 441. 2

Charitatis actus quinam manſuri in futuro ſæculo, 441. 2

Charitati peculiare nunquam excidere, 447. 1

Charitas perſequenda, 447. 2

Chriſtus Deus, 239. 1. 262. 2. 343. 2. 359. 1. 368. 1 382. 1. 664. 1

Chriſtum æqualiter cum Patre eſſe Deum, oſtenditur contra Arianos, 10. 2. 134. 1. 207. 1.

Chriſtus finis legis, 151. 2

Chriſti nomine propriè Ieſus Dominus ſignificatur, 5. 2

Chriſtus cur à quibuſdam ſcribatur XPS, *ibidem.*

Chriſtus prædeſtinatus filius Dei quo ſenſu, 7. 1. & 2.

Chriſtus pro omnibus mortuus quo ſenſu, 585. 1

Chriſtus pro nobis factus peccatum trifariam exponitur, 591. 1.

Chriſtus peccator falſa reputatione hominum, nos iuſti vera reputatione Dei, 592. 2

Chriſtus an poſt aſſcenſionem deſcenderit aliquando in terram, 477. 1

Chriſtus Petro viſus in porta Romæ, ibid.

Chriſtus primitiæ dormientium quo ſenſu. 482. 2 *& quorum dormientium,* 483. 1

Chriſtus ante omnes alios reſurrexit ad vitam immortalem, 483. 1

Chriſtus primogenitus mortuorum, 483. 2

Chriſtus regnum tradet Deo & Patri, 485. 2

Chriſtus vniuerſam regni ſui gloriam Deo fert acceptam, ibid.

Chriſtus regnans, 487. 2

Chriſtus ad dexteram Dei ſedet in æternum, 487. 2

Chriſtus quomodo Patri ſubiectus, 489. 1. *& ſeq.*

Chriſtus Adam nouiſſimus cur dictus. 500. 1

Chriſtus quomodo factus in ſpiritum viuificantem. 500. 1

Chriſtus non è cælo ſed è terra corpus accepit, 501. 1

Chriſtus imago Dei qualis, 565. 2

Chriſtus maledictum quo ſenſu, 696. 1

Chriſtus an aliquando legem ſoluerit. 705. 1

Chriſtum propter iuſtificationem reſurrexiſſe variè exponitur, 65. 2

Chriſtus quandonam eleuabat oculos in cælum, 406. 2

Chriſtus nobis factus iuſticia, ſapientia, &c, 251. 2

Chriſtus ad dexteram Dei ſedet ſecundùm naturam humanam, ibiq; adhuc pro nobis interpellat, 127. 1

Chriſtus ex Iudæis ortus, 133. 2

Chriſtus dæmonum iudex, 207. 1

Chriſtus eſt Dominus noſter iure redemptionis, 204. 1, 205. 2. 344. 1. 566. 1

Chriſtus quomodo mortuus pro eo qui periit, 209. 1

Chriſtus quo ſenſu ſibi non placuit, 214. 2

Chriſtus nos ſuſcepit, 215. 2

Chriſtus miniſter circumciſionis, 216. 1

Chriſtus impleuit promiſſiones Iudæis factas, ibidem.

Chriſtus quomodo in gentibus Deo confiteatur, 216. 2

Chriſtus radix Ieſſe, & radix Dauid, 217. 2

Chriſti corpus indiuiſum, 244. 2

Chriſtus per ſe docuit, non autem per ſe baptizauit, 246. 2

Chriſtum crucifixum quis prædicet, 253. 1

Chriſtus Deo Patri cooperarius, 266. 1

Chriſtus fundamentum ædificij ſpiritualis, 267. 2

Chriſtus caput myſticum totius eccleſiæ, 308. 1

Chriſti præceptum de non dimittenda vxore explicatur, 320. 2

Chriſtus redemptor noſter & legiſlator. 359. 1 727. 1

Chriſti & dæmonis inimicicia ſumma, 381. 1

Chriſtus caput eſt omnis viri, idq; quatuor modis, 391. 1

Chriſtus in azymo pane conſecrauit, 405. 2

Chriſtus paternæ legis obſeruantiſſimus, 405. 2

Chriſtus à ſeipſo traditus in mortem, 408. 1

Chriſti corpus quo ſenſu frangatur in euchariſtia, 409. 1

Chriſtus quo ſenſu corpus & caput eſt, 424. 1

Chriſtus propheta, 442. 1

Chriſtiani mortui dormire cur dicantur, 481. 1

Chriſtiani in hac vita cur cæteris hominibus miſerabiliores. 481. 2

Chriſtiani mali an ex charitate aliquid agant, 519. 1

Chriſtiani quo ſenſu ſancti, 9. 1. 230. 1. 300. 1

Chriſtiani quo ſenſu beati ſimul & infelices, 102. 2

Chriſtianorum filijs non eſſe neceſſarium baptiſma, hæreſis eſt quæ refellitur, 169. 1 325. 2

Chriſtianus omnia ad gloriam Dei facere debet, 208. 1

Chriſtianus homo opus Dei, 210. 2

Chriſtiani quo precio empti, 311. 2

Chriſtiani fratres, & Chriſtianæ ſorores, 349. 1

Chriſtianarum mulierum conſuetudo incedendi velatæ, quæ fuit & Iudaicarum, 399. 2

Chloe non loci ſed feminæ nomen, 242. 2

Circumciſio cuius rei ſignum fuerit, 57. 2

Circumciſio lege antiquior, 716. 1

Circumciſio quid, & quo ſenſu Iudæo profuerit, 37. 1

Circumciſio quo ſenſu nihil ſit, 328. 2

Circumciſio ſignaculum iuſticiæ in Abraham, 57. 2

In Circumciſione totius legis erat profeſſio, 328. 2

An gratiam contulerit, 57. 2. 328. 2

Cibus & potus exẽplo Chriſti benedicendus. 204. 2

Ciborum, dierumque diſcrimen lege Moſaica

præſcriptum

præscriptum à Christo sublatum. 200. 1
Cibus nos non commendat Deo, 209. 2. 345. 1
Circumuentus in delicto quis dicatur, 725. 2
Clerus ab obedientia magistratibus debita eximitur. 191. 2
Clinici à baptismo non repellendi, 491. 2
Cognitio quælibet, etiam naturalis, Dei donum est, 17. 1
Collecta quid, 512. 2.
Collectis faciendis cur apta dies Dominica. 513. 1
Collectas faciendi vetus eccl siæ consuetudo, 514. 1
Collatio seu communicatio in pauperes, 223 1
Commendandi suipsius iusta esse potest ratio, 584. 1
Communicatio bonorum. 728. 2
Comessationes quæ dicantur, 198. 2
Comatus quis dicatur, 398. 1
Coma promissa mulierem decet, 398. 2
Comparatio corporis mystici cum corpore naturali, 424. 1
Concupiscentia renatorum, motusq; eius inuoluntarij, nec peccata sunt, nec lege Dei prohibita, 102. 2
Concupiscentia manens in renatis cur peccatum vocetur, 85. 1. Ea durante hac vita extirpari non potest, ibid.
Concupiscentia lex peccati, 101. 2
Concupiscentia est deordinatio totius appetitus humani, 94. 2
Concupiscentia lege compressa vehementius inardescit, 95. 1
Concupiscentia in non renatis veram habet peccati rationem, 73. 2
Concupiscere mala quid, 366. 2
Contentio aut contendere quid, 25. 2. 29. 2 199. 1 242. 2. 399. 1
Confidere id est gloriari, 36. 1
Confessio laudis proprie Deo debita, 216. 2
Confessio peccatorum inter opera bona numeranda est, 56. 1
Conuicij & maledicti differentia, 304. 2
Consummationis duplex significatio, 148. 1
Conscientia erranti obligat eum ad non agendũ quod iudicat malum, 209. 1. 212. 2. seq. 345. 1
Conscientia bona fiduciã parit impetrãdi, 531. 1
Conscientiam suam quisque examinet, 727. 2
Concionatoris boni forma, 594. 1
Contemptibiles in ecclesia qui sint, 301. 2
Consilium Dei in redimendo genere humano, 256. 1
Consilium mutare in re nata sapientia est, 534. 2
Consolandi officium ad ministros euangelij pertinet, 526. 1
Consolatio locum non habet vbi nullum malum, 518. 1
Consolatio præsens sanctorum arrha gloriæ futuræ, 528. 1
Coniugij vinculum insolubile, an aliquando solubile, 90. 2
Coniugia fidelium cum infidelibus aut hæreticis illicita, 599. 2
Coniugium dicere omnibus esse præceptum hæretica doctrina est, 313. 2
Coniugale debitum qui negant fraudem committunt, 314. 2
Coniugalis actus orationem impedit, & eucharistiæ sumptionem, 315. 1
Coniugale reddere debitum etiam sine spe prolis, non est peccatum, 316. 2
Coniugem infidelẽ fidelis dimittere quatenus debeat, 326. 2, & seq.
Coniugij solutio non est quærenda. 331. 2. 339. 1
Coniugium inconsummatum solui potest per ingressum religionis, 331. 2
Concubitus per incontinentiam semper est peccatum nec licite fit, nisi sola generandi causa, 316. 1. & seq.
Continentiæ donum non habens non excusatur à debito continentiæ, 317. 2
Continentia melior matrimonio, 338. 2
Contritio de peccatis nimia esse non potest, 542. 2
Conuersari cum hæreticis non semper & vbique illicitum. 299. 1
Cor in scripturis quid significet, 19. 1. sitne sedes mentis, 19. 2
Corinthy in omnibus ditati quo sensu, 239. 2. seq. non tamen in omnibus perfecti, 240. 2
Corinthy cur contenderint de magistris, 243. 1
Corinthij nominibus Pauli, Apollo, Cephæ gloriati, 243. 2
Corpus peccati & eius membra, 83. 2
Corpus nostrum cur mortuum dicatur, 108. 2
Corpus animæ instrumentum etiam post resurrectionem, 308. 1
Corporis sui potestatem non habere quid sit, 314. 1
Corpus immortale habitaculum de cælo, 577. 2
Corpus mortale domus terrestris, 575. 2. Item animæ domicilium, 576. 1. 578. 2
Corpus idem numero resurget, 579. 1
Corpus nostrum aduersarius noster, 361. 1
Corpus seruituti subijciendum, 361. 2
Corpus Domini quo sensu panem vocet apostolus 378. 1
Corporis Domini participes, participes sunt sacrificij, 380. 2
Corpus in verbis consecrationis quid significet, & quomodo sub specie vini exsistat, 408. 1
Corrumpũt mores bonos colloquia praua, 494. 1
Correptio fraterna, 726. 2
Credere in Deum quid Hebræa phrasi, 53. 1
Crucifixio Christi mortificationem veteris hominis repræsentat, 83, 1
Creatura noua qua, 731. 2
Creaturæ nomen quid significet, 115. 1
Crux Christi fons omnium benedictionum, 731. 1
Crux Christi quomodo euacuatur per sapientiam verbi, 247. 1
Crux Christi reprobis stultitia, electis virtus Dei est. ibid. Item stultitia gentibus & Iudæis. 249, 1
Crysp̃us archysynagogus diuersus à Sosthene archysynagogo. 245. 2
Criniti fratres apud Augustinum. 398. 2
Creare aliquid infinitæ virtutis opus est, 61. 2
Cultus veri Dei olim in solo populo Iudaico, 133. 1.

Cubilia quæ vocet apostolus, 199. 1
Curam carnis agere quatenus liceat. 199. 2

D.

Damnationis nomen quid significet, 104. 1
Damnationem incurrunt qui resistunt potestati. 192. 2
Dauid typus Christi & ministrorum noui testamenti. 571. 1
Delictum quid sit, 526. 1
Dæmones cur principes huius sæculi dicti, 255. 2
Dæmones an post extremum iudicium potestatem exercituri in damnatos, 486. 2
Dæmones sapientiam Dei non cognouerunt, 255. 1
Dæmones an cognouerint Iesum esse Christum & Dei filium, 257. 1
Dæmones Christum crucifixerunt. 256. 1
Dæmonis societate iungi quàm graue peccatum sit, 381. 1
Desperatio resurrectionis homines reddit epicureos, 494. 2
Deum non glorificantes quomodo excusabiles, & quomodo non. 18. 2. *& seq.*
Deo honor & gloria per Christum, 235. 2
Deus cur iustus dicatur, 48. 2
Deus in prophetis. 462. 2
Deus omnia in omnibus, 489. 2
Deus solus in omnibus laudandus, *ibid.*
Deus in omnibus & super omnia diligendus, 519. 1.
Dei benignitate, patientia & longanimitate vocantur peccatores ad pœnitentiã, 28. 1. *& seq.*
Deus bene operantibus reddet vitam æternam, & quidem habito respectu ad opera, 28. 1. 29. 1. *& seq.* 114. 2. 265. 2.
Dei in promissione duo agnoscenda, 60. 1
Deus electis suis præmia reddit supra condignũ, 89. 1.
Deus operatur in nobis non solùm vt bona velimus, sed etiam vt ea faciamus, 101. 1
Deus cordium scrutator, 120. 2. 280. 1
Deus Pater Filium tradidit in mortem, etiam pro non electis, 176. 1
Dei consilium in electione & reprobatione hominum, 136. 2
Deus nemini quidquam debet, 170. 2. 178. 2
Deus sua charismata per ecclesiam dispensat, 181. 2
Deus patientiæ, consolationis & spei nostræ author, 215. 1
Deus à nobis vno animo, & vno ore laudandus, 215. 2
Deus pacis. 225. 1. 467. 1
Deus solus nouit ea quæ Dei sunt, 258. 2
Deus an solus det incrementum, 265. 1
Deo cooperari ad salutem hominum res dignissima, 266. 1
Deitatis fons Pater, 344. 1
Deus vult omnes homines saluos fieri quo sensu, 360. 1
Deorum cultus non aliud quàm cultum dæmonum, 381. 1
Deo propria Christo passim tribuit scriptura, 382. 1.
Deus caput Christi quo sensu, 391. 2
Deus vniuersale principium, & causa omnium, 298. 1
Deus malis bene vtitur, 401. 1
Deus omnia in omnibus operatur, 419. 2. 496. 2
Deus ordine causalitatis præuenit causas secundas in operando, 420. 1
Deus agit liberè, natura necessariò, 426. 1
Delictum & peccatum apostolo aliquando eadem, 77. 2. *aliquando diuersa.* 302 2
Debitum cum gratia non pugnat. 114 1
Descensus Christi ad inferos à quibusdam negatus statuitur, 154 1
Defendere pro vindicare sæpe ponitur, 188. 1
Deducere est honoris causa discedentem prosequi 222 2
Desperandum de nemine dum viuit, 44. 1
Destructio ipsa ad ædificationem referri potest, 628. 1
Diabolus fallit sub specie boni, 545. 1
Diaboli cogitationes quomodo notæ pijs, *ibid.*
Diabolus cur vocetur Deus huius sæculi, 564. 2
Dilatare alicuius cor, quid, 598. 1
Diligentibus Deum quæ sint præparata, 257. 2
Diligens proximum quomodo legem impleat, 195. 2. 190. 2
Dilectio plenitudo legis, 197. 1
Dilectionis probatio est exhibitio operis, 611. 2
Dilectio in admonente necessaria, 218. 2
Diem inter diem iudicare quid sit, 202. 1
Diaconissæ in primitiua Ecclesia, 225 2
Disputator & cõquisitor huius sæculi quis, 248. 1
Dies humanus, 279. 1
Dispensatoris, eius officij ac fidelitatis descriptio, 278. 2
Dij gentium in quadruplici genere. 343. 1
Dij multi quo sensu asserantur. 343. 2
Diiudicare trifariam exponitur, 416. 1
Dies Domini quis dicatur. 241. 2. 269. 1. 292. 1
Diuina officia cur non expediat celebrari lingua vulgari, 458. 1
Diuites hortandi ad largiores eleemosynas, 619 1
Dogmata Christianæ religionis non omnia initio tradenda. 708. 2
Domini vocabulum propriè Christo tribuitur, 210. 2
Domino seruire, quid. 184. 1
Dominium Christi in omnes homines, 207. 1
Dominus gloriæ quo sensu, & secundum quam naturam Christus dicatur, 256. 2
Donec in scripturis quid, 487. 1
Donec in scripturis quomodo vsurpetur, 280. 1
Dona Dei quænam sine pœnitentia. 175. 2
Donum linguarum in apostolis, non temporariũ sed perpetuum, 458. 2
Donum linguarum an præstiterit apostolis sermonis puritatem ac nitorem, *ibid.*
Donum fidei per se imperfectum. 444. 2
Dormire phrasi scripturæ quid sit, 506. 1
Dormire de solis hominibus dicitur ob spem resurrectionis, 339. 1

Dormire pro mortuum esse. 416. 1
Doctores qui dicantur, 431. 1
Doctor debet quinque docere, 459. 1
Doctor in ecclesia nullus, cui non sit opus alios audire. 465. 1
Doctrinæ veræ à falsa discretio, quomodo pertineat ad plebem, 231. 1
Doctrina salutis populo tradenda cum breuitate sermonis, 459. 1
Doctrina quid, 462. 2
Donatistarum error circa baptismum, 245. 2
Dotes omnibus electorum corporibus communes. 498. 1. *& seq.*

E.

EBrietas suo genere peccatum est mortale, 198. 2. 297. 1. *etiam citra deliquium rationis, ibidem*.
Ebrietates quæ dicantur, 198. 2
Ecclesia est visibilis, 669. 1. 2
Ecclesia est regnum Christi, 485. 2
Ecclesia Christi sponsa zelosè ab illo amatur, 631. 2
Ecclesiastica potestas, 538. 2
Ecclesia bifariam accipitur, 400. 1. 404. 2
Ecclesia vnde dicta, 404. 2
Ecclesiæ leges obligant in conscientia, 201. 1
Ecclesiæ membrum, non sibi solùm, sed & alijs operari debet, 181. 2
Ecclesia vna est omnium, 239. 1. *Malos etiam continet*, 295. 1
Ecclesiæ Christi maximè competit, omnia iudicare, estque ad iudicandum aptissima, 262. 1
Ecclesia habet sensum Christi, 262. 2
Ecclesiæ iurisdictio non extenditur ad eos qui foris sunt, 298. 2
Ecclesia vnus panis, vnum corpus, 378. 2
Ecclesia excommunicando, iudicium exercet in eum quem excommunicat. 298. 2
Ecclesiæ negocia nec ab infidelibus, nec à laicis iudicanda, 299. 2
Ecclesia præcipere potest, quæ Christus per se non præcepit, 320. 2
Ecclesia nunquam permisit vt fidelis coniugem infidelem absque iniuria Christi commanere volentem dimitteret, 322. 2. *imo non dimittere præcepti est*, 323. 2. 327. 2
Ecclesia sancta etiam in coniugatis, 336. 1
Ecclesia vera non est vbi omnes volunt esse doctores, 422. 2
Egere gloria Dei quid. 46. 1
Eloquia Græcè λόγια quæ dicantur, 38. 2
Electio Dei non potest frustrari, 127. 1
Electi in afflictione nõ relinquuntur sine consolatione, 525. 2
Electorum victoria qualis, 128. 2
Electorum nemo perire potest, 130. 1
Electio hominum gratuita. 135. 2. 136. 2. *& maximè*, 137. 1. *& seq*. 170. 2. 178. 2. 142. 2. 163. 2.
Electorum saluti proficit, quidquid circa reprobos agitur, 136. 1
Electionis causa finalis, manifestatio est bonitatis Dei, 143. 2
Electi vasa misericordiæ, quo sensu, 144. 1. *& præparata in gloriam*, 144. 2. *& seq*.
Electionis gratia causa totius nostræ renouationis, 163. 1
Electus non tentatur supra vires, 371. 2. *& seq*. 361. 2
Electis omnia seruiunt, 277. 1
Electorum dignitas, quòd regni Dei consortes futuri, 304. 2
Electus non potest fieri ex reprobo, nec contrà
Eleemosyna magni est meriti, 609. 1. *non fit sine speciali gratia Dei*, *ibid*.
Eleemosynam facere supra vires quando laudabile, 610. 1
Eleemosyna non est solùm consilij sed præcepti, 612. 2
Eleemosyna cum prudentia facienda, 615. 2
Eleemosynæ fructus, Dei gloria, 617. 1
Eleemosyna largiter conferenda. 620. 2
Eleemosynæ magnitudo vnde æstimanda, 621. 1
Eleemosynarium facit liberalem spes diuinæ prouidentiæ affutura, 619. 2
Eleemosyna vocatur iustitia, 622. 1
Eleemosynæ præmium æternum. 622. 2
Eleemosynarius liberalis raro destituitur necessarijs, 622. 2
Eleemosynæ fructus quadruplex, 623. 2
Eleemosyna quomodo fructus dantis. 223. 2
Elementa mundi egena quæ sint, 704. 1
Elias quo sensu se solum relictum queratur, 161. 2
Entitatis quidquid est in peccato, totum à Deo est. 178. 2
Epistola quę inscribitur ad Rom. ad quos scripta sit. 1. iii. 1. *qua occasione*, 2. 181. 1. 219. 2. *& seq. & vnde*. 5. *&* 233. 2. *scripta est autem post vtramque ad Cor*. 223. 1
Epistola 1. *ad Cor. ad quos scripta sit*, 237. 239. 1. *cur*, 236. *vnde*, 237. 516. 2. *quando*, 237
Epistola ad Galatas vbi & quando scripta sit, 663.
Episcopi solicitudo dum quempiam excommunicat. 607, 2
Episcopi quondam arbitri causarum secularium, deinde & iudices, 300. 1
Epænetus Asiæ primitiuus, 227. 2
Esau sitne de numero reproborum, 138. 2
Essentiam Dei à nemine visam in hac vita probabilius dicitur, 445. 2
Euangelij significata, 6. 2. 470 2
Euangelij minister idoneus, 551 2. 555. 1
Euangelij doctrina palam ac liberè proponenda, 558. 1.
Euangelizare, 12. 2. 233 2
Euangelium suum quidnam Paulus vocet, 35. 1 235. 1.
Euangelium Nazaræorum apocryphum, 475. 1
Euangelium Achiuis annunciauit nullo ipsorũ onere, & cur, 635. 2
Euangelium non accepit Paulus ab homine, 663. 2
Euangelium prædicatum per vniuersum mundum, 158. 2

Euangelij prædicatio nondum ad omnes gentes peruenit, 158.2
Euangelium quo ſenſu Paulus repleuerit, 220.2
Euangelium non prædicauit Paulus cum eloquentia & ſapientia ſæculari, quamuis potuerit, 252.1. *& ſeq.*
Euangelium qui prædicant, ordinatio eſt Chriſti vt de euangelio viuant, 355.2
Euangelizare quis dicatur inuitus, 357.1
Euchariſtia ſymbolum duplicis vnitatis, 378.2
Euchariſtia eſt ſacrificium, 379.2
Euchariſtia conuenienter in pane & vino inſtituta, ibid.
Euchariſtia quo die olim à non ieiunis ſumebatur, 403.1. *vt ſumatur à ieiunis vniuerſalis conſuetudo* 403.2. 417.2. *cur eam Chriſtus dederit poſt cœnam, ibi. Ad eandem admiſſus Iudas proditor, ibidem.*
Euchariſtiæ myſterium quomodo deſcriptum à quatuor euangeliſtis, 405.1
Euchariſtiæ inſtitutionem quomodo à Domino Paulus acceperit, 405.2
Euchariſtia vnde dicta. 406.2. *conſecrationis verba expenduntur,* 406.2. *& ſeq.*
Euchariſtiam ſub vna ſpecie ſumi poſſe probatur 412.1. 413.1.2. *ſeq.* 415.1. 615.1.
Euchariſtia recte offertur pro omnibus beneficijs à Deo acceptis, 412.2
Euchariſtiæ vtralibet ſpecies repræſentatio eſt mortis Chriſti, 413.1
Euchariſtiæ ſumptioni præmittenda confeſſio, 414.2
Euchariſtiam indignè ſumens reatum mortis incurrit, 415.1. *& comparatur cum ijs qui Chriſtum occiderunt.* 415.2
Euchariſtia verum corpus & ſanguinem Chriſti continet, 414.1. 415.2. 425.1
Euchariſtia etiam à malis ſumitur, 415.2
Euchariſtiam ſumentes indignè temporaliter puniti, ibid.
Euchariſtia pedem, manum, aurem, oculum continet. 425.1. *& ſeq.*
Exaudire malè petentem non eſt beneficium. 651.1.
Excæcat Deus mentes infidelium. 564.1.
Excommunicandus nemo niſi contumax, 288.2
Excommunicandi non pœnitentes ſed contumaces. 542.1
Excommunicatorum pœnitentium conſolatio, ibidem.
Excommunicatio gladius ſpiritualis. 626.2
Excommunicandi poteſtas non eſt penes multitudinem fidelium. 289.2
Excommunicatio maior effectus eſt traditionis Sathanæ, 291.1
Excommunicati cur dicantur tradi Satanæ, ibi.
Excommunicatio non corporalis pœna eſt, ſed ſpiritualis animas obligans, 291.2
Excommunicationis cauſa finalis ex parte excommunicati, 292.2. *& quomodo ea ad eius ſalutem cedat, ibidem.*
Excõmunicationis finis ex parte eccleſiæ, 293.2.
Excommunicationis pœna, 298.1
Excommunicati non omninò ſunt foris. 298.2
Excommunicatio hoc agit in Eccleſia, quod in veteri lege interfectio, 299.1
Exterminator non ignis, ſed angelus fuit, 369.2
idemq; Michaël. 370.1

F.

Facta aliorum non iudicanda, 201.2
Fabula de Eſau, 328.1
Facere an idem quod ſacrificare. 410.1
Familia fidelium etſi paucorum eccleſia, 521.1
Famæ habenda cura non ſolùm conſcientiæ, & cur, 617.2
Faſcinatio quid & quotuplex, 690.1
Felicitas etiam temporalis ſub merito iuſtitiæ cadit, 153.1
Feriarum hebdomadæ appellatio, mosq; improbus appellandi eas nomine planetarum. 513.1
Fermenti ſignificatio in ſcriptura. 293.1
Fermentum vetus, 293.2
Fideles quo ſenſu dicantur ſancti, 9.1. 222.2. 515.1
Fides inanis & vana quæ dicatur, 480.2
Fides antiquorum eadem quæ noſtra, 571.2
Fides donum Dei ſpecialc, 623.2
Fides commendatur cum bono affectu, ibid.
Fides eſt donum Dei, 11.1. 134.2. 176.1
Fidei Chriſtianæ diſtinctio ab omni alia perſuaſione, 626.1
Fidei vita iuſti tribuitur, 14.2. *& ſeq.* 155.1
Fides quænam ſalutem præſtet. 154.1. 687.1
Fides ſæpè pro veritate in præſtandis promiſſis accipitur, 39.1
Fides non eſt ipſa iuſticia, licèt pars eius ſit, 45.2. *ſola ſine operibus ad iuſticiam non ſufficit,* 152.1. 304.1
Fides quo ſenſu legem ſtatuat, 51.1
Fides aſſenſum animi determinatum ſignificat, 212.2.
Fides omnipotentiæ Dei in Abrahamo laudatur. 64.1. *& ſeq.*
Fides peccatoris quatenus iuſticia. 65.1
Fides ſpecialis hæreticorum refellitur, 113.1. 118.1 128.1. 129.1. 259.2. 279.2. 362.1. 371.1 658.1. 726.2.
Fidelis quiſque conſidere debet ſe eſſe è numero electorum, 125.2
Fideles omnes vnum corpus myſticum, 181.2. *dicuntur fratres,* 225.2
Fideles noui feruentiores ad bona opera, 197.2
Fidelium priuata familia eccleſia dicta, 226.2
Fideles templum Dei, 275.2. 311.1. *& ſeq.* 600.2
Fideles ſunt Chriſti vt hominis, & vt Dei, 277.2
Fideles membra Chriſti ſecundum animas & corpora, 307.2. *& ſeq.*
Fideles boni vnus ſpiritus cum Chriſto. 309.1
Fidelium cum infidelibus cõmercia licita, 383.2
Fideles an & quomodo ſancti vnũ corpus, 424.2
Fideles ſunt corpus Chriſti, 429.2. *quo ſenſu dicatur membra ex parte & membra de membro,* 430.1
Fides non eſt ſine auditu, 156.1. 157.2
Fidem dare quibus decreuit Deus, prædica-

tores mittit, 156.1
Fides habitualis an & quomodo per auditum, 157.2
Fide ſtare quid ſit, 170.1
Fides cæterorum Dei donorum moderatrix. 181.2
Fide infirmi non exagitandi diſputationibus, ſed tolerandi, 200.2.202.2. *Cur eis apoſtolus olus manducare ſuadeat,* 200.2. *& ſeq.*
Fidem celare vbi confeſſio eius exigitur non licet, 211.2
Fides non aſſcribenda ſapientiæ humanæ, 253.2
Fides etiam infirmis donum Spiritus ſancti, 419.2. 717.1.
Fides Chriſtiana à charitate ſeparari poteſt, vt & gratia miraculorum. 435.2
Fides & ſpes quo ſenſu manſura in futuro ſæculo, 447.1
Figulo Deus comparatus, 142.2
Figura huius mundi præterit, 334.1
Filij promiſſionis, 134.2
Filij infidelium quo ſenſu immundi, 325.1
Filij Zebedæi an fratres Domini, 352.1
Filio Dei an datum ſit præceptum, 704.2
Finis omnium operum Dei, gloria Dei, 179.2
Finis legis Chriſtus, 558.2
Fornicatio quid, 722.2
Fornicatio quid ſignificet in ſcripturis, 287.1 297.1. 367.2. *Per ſe eſt illicita,* 307.2. *peccatum mortale,* 308.1
Fornicatio qua peculiari ratione fugienda, 309.1
Fornicator vnum corpus cum meretrice, 308.2
Fornicator in corpus ſuum peccat, 309.2. *& ſeq.*
Fornicatores ad pœnitentiam non eſſe recipiendos, hæreſis eſt Tertulliani, 540.2
Frater adiunctus Tito in perferēda pecunia, quis 616.1.2.
Fratres Domini qui dicantur, 351.1. *& ſeq.*
Fractio panis conſecrati quid ſignificet, 409.1
Fractio pars quædam ſacrificij incruenti, ibid.
Fructus propriè tantum intelligitur in bono, 87.2
Fructus mortis Chriſti, 664.2
Fructus Spiritus ſancti enumerantur & exponuntur, 724.1. *& 2*
Fructificare Deo quid ſit, 91.2
Fructificare morti, 92.1
Fundamentum alienum quodnam vocet Paulus, & quomodo non ædificauerit ſuper illud, 221.1
Fur quiſnam dicendus, 196.1

G.

Galatæ cur non permiſſi obſeruare legalia, 203.1,
Galilæorum ſecta quæ fuerit, 191.1
Gemitus inenarrabiles qui, & cur ſic dicantur, 120.2
Gentes hoſtia à Paulo oblata Deo, 219.2
Gentiles ipſamet idola coluerunt, 21.1. 418.1
Gentilium theologia triplex, 21.1
Gentibus miſericordia præ Iudæis facta, 216.2
Gentilis populus oleaſtro comparatur. 169.1
Gentilium typus in populo decem tribuum, 146.1
Gentes in fide iuſticiam apprehenderunt, 149.1
Gentem non gentem quam vocet ſcriptura, 159.1
Gentium vocatio, 217.2. 221.2
Gentilem circumcidi lex Chriſtiana non permittit, 328.2
Gentiles ex æquo participes euangelij cum Iudæis, 217.1
Gloria & glorificare Deum, 18.2
Gloria & honor qui differant & conueniant, 29.1
Glorians aduerſus alterum quomodo refrænandus, 170.1. *& ſeq.*
Gloria Dei eſt gloria coram Deo, 46.1
Glorificatur Deus maximè per opera bonitatis & miſericordiæ, 145.2
Gloriari in Domino quid, 257.2
Gloriandi iuſtæ cauſæ, 628.1
Gloriandum non eſſe in hominibus, 277.1. *nec in vllo alio,* 281.2. *ſed in ſolo Deo tota ſcriptura admonet,* 252.1. 278.1. 282.1
Gloriandum in Domino ſolummodo, 630.2
Gloria Dei aduerſus pſeudapoſtolos, 356.1
Ad Gloriam Dei omnia referenda eſſe, præceptum apoſtoli eſt, 387.2
Gloria Dei non eſt occultanda, ſed hominis, 396.1
Gloriationem veram excuſat neceſſitas, 648.1
Gratia quid ſignificet. 9.2. 232.2. 239.2
Gratiæ Dei inſignis commendatio. 477.2
Gratia apoſtolatus in Paulo non vacua, 478.1
Gratiæ Dei duplex acceptio. 478.1. 531.2
Gratiæ & liberi arbitrij cooperatio, 478.2. 111.2
Gratia principalior in opere bono, monet enim voluntatem ad operandum. ibid.
Gratiarum actio in beatis ſemper duratura, 531.1
Gratia Dei quando in vacuum recepta ſit, 593.1
Gratia muneris apoſtolici, 181.1. 219.1
Gratia & prædeſtinatio Dei prorſus gratuita, 46.2. 160.1
Gratia Chriſti in bonum plus valet, quàm delictum Adæ in malum, 77.2
Gratia adoptionis à Chriſto aliena, 124.1
Gratia ſufficiens. Vide *Auxilium ſufficiens.*
Gratuitum & debitum pugnant: ex gratia tamen & ex merito aliquid dari minimè. 163.1
Gratia Dei monentis hominem non eſt ſine cooperatione liberi arbitrij: nec eius ſubtractio ſine motu voluntatis ſponte recedentis, 171.1
Gratiam Dei nulla merita præueniunt, ſed omnia ab ea præueniuntur. 178.2. 342.2
Gratiæ vocantis efficacia, 238.2. 688.2
Gratiarum actiones, 239.2
Gratia non datur ex meritis præuiſis, 281.1. *& ſeq.*
Græci ſchiſmatici Latinos de azymo criminantur, 405.2. *Eorum præcipuum argumentum à B. Chryſoſt. ſolutum,* 406.1
Gratia præueniens, 446.1. 706.1
Gratis fit aliquid dupliciter, 634.2

H.

Habere pedes ſpecioſos quid Hebræis, 156. 2
Habere pro vti, in ſcripturis, 287. 2. 313. 2
Habitus ſunt in poteſtate noſtra, non Dei in nobis operatio, 466. 1
Hæreditas filiorum Dei, 113. 2
Hæretici obſeruandi, & inquirendi, vitandi, nec cum eis diſputandum, 231. 1. *& ſeq.*
Hæreticorum blandiloquia, *ibidem.*
Hæreſis Pelag. negantis originale peccatum, 72. 1
Hæreticis omnibus communis ſuperbia, 231. 2
Hæretici negant id cuius modum non intelligunt, 496. 1
Hæretici negantes in bonis operibus reſpiciendum ad retributionem delirant, 512. 1
Hæretici doctrinam ſuam omni iudicio humanę poteſtatis ſubtrahentes, malè nituntur exẽplo Pauli, 279. 1
Hæreſis in ſcriptura ſemper ad diuerſitatem doctrinæ refertur, 400. 2
Hæreſes eſſe oportet quo ſenſu. 401. 1
Hæres quid & vnde dicatur, 714. 2
Hæreſes deprehendendi regula, 667. 1
Hæretici tollendi, 401. 1
Hebræo populo omnia contingebant in figura, 370. 1
Hebræi & Iſraëlitæ qui differant, 638. 1
Hilaritas in curatione myſteriorum neceſſaria, 183. 1
Homo an rectè homine fruatur, 222. 2
Homo interior quis dicatur, 102. 1
Homo ſic agitur à ſpiritu Dei, vt ipſe etiam agat 110. 2
Homicida quis, 196. 1
Homines glorificati erunt imago filij Dei, 123. 2
Homines quo ſenſu Dei adiutores, 265. 2
Homines mortui ſynecdochicè prioribus adhuc nominibus appellantur, 481. 2
Homo interior & exterior quis ſit, 573. 2
Homo nihil habet quod non acceperit, 281. 2
Homo non habet de ſuo niſi mendacium & peccatum, *ibidem.*
Hominibus placere quo ſenſu vicioſum, 389. 2
Homo charitate carens, poteſt alys eſſe vtilis, 434. 2. *cur talis æri & cymbalo cõparatus, ibi.*
Honeſtas & ordo obſeruandus in publicis eccleſiæ conuentibus, 470. 1
Honoris debitum quibus reddendum, 195. 1
Honor mutuus facit ad vnitatem eccleſiæ conſeruandam, 428. 2
Humilibus conſentire, quid, 187. 1

I.

Iacobus in Chriſti morte ſcandalizatus cum cæteris, 474. 2. *ac de eo narratio vt fabuloſa refellitur*, *ibid.*
Iacobus frater Domini fuit de numero duodecim apoſtolorũ, 672. 2. *Cur frater Domini appellatus*, 673. 1
Idiota quis dicatur, & quis ſupplens eius locum, 456. 2. 461. 1
Idololatræ qui dicantur, 295. 2
Idololatra ſimul & frater eſſe poteſt, 297. 1
Idolum in mundo nihil eſt, 342. 2. 380. 2. *quod non omnes norunt Chriſtiani*, 344. 2
Idolium quid, 345. 2
Idolum quid, 36. 2. 159. 1. 343. 1
Idololatriam non fugit, qui idolothytum comedit. 374. 1. 380. 1
Idolis immundi ſpiritus aſſident. 380. 2
Idolothytorum eſus non per ſe malus, 382. 1
Idolothyta publicè venalia, 382. 2
Idolothyto veſci extra periculum ſcandali an licitum ſit, latè diſputatur, 385. 1. *& ſeq.*
Idolothyta comedẽtibus cur impoſita pœnitentia, 386. 1.
Idolorum cultus particeps quis, 36. 2
Ieiunia eccleſiæ indicta violantes increpãdi, 205. 1
Ieſus quid ſignificet, & cur à quibuſdam efformetur IHS, 5. 2
Ieſu nomen fidelibus venerabile & incommunicabile, 233. 1
Ignis tribulationis, purgatorij & conflagrationis, 269. 2. *& ſeq.*
Ignorare Deum qui dicantur, 495. 2
Ignorantiæ ſuæ quidam relinquendi. 469. 2
Ignorans ignorabitur, *ibid.*
Ignorantia quædam & cauſa peccati eſt, & ipſa peccatum, 478. 1
Impietatis & iniuſtitiæ differentia, 16. 2
Improperia Dei quo ſenſu tulerit Chriſtus, 214. 2
Immundum cur Iudæis commune dicatur, 208. 1.
Imaginis filij Dei conformitas quæ dicatur, 123. 2.
Immortalitas corporis ſupra naturam, 483. 2
Imitandus non eſt Paulus in eo quod neglexit verba ſuaſoria, 253. 2
Immolaticias carnes edere recuſarunt Eleazar & Seba, 386. 1
Incontinentiæ remedium pro iis qui coniugium ſibi fecerunt illicitum, 317. 2
Incontinentibus propoſitum remedium nuptiarum, 319. 1
Incredulum eſſe plus eſt quàm non credere, 176. 1
Indulgentię eccleſiaſticæ probantur, 545. 1. 2. *& ſeq.*
Iudurationis vocabulum quid ſignificet, 141. 1
Indurationis effectus ſeorſum conſideratus prouenit ex merito peccati præcedentis. 141. 2
Induere Chriſtum quid ſit, 199. 1. 702. 2
Indicia quibus ſe quis agnoſcit filium Dei, 113. 1
Infantes an iudicandi prout geſſerunt, 582. 2
Infantes naſcuntur in peccato, 585. 2
Infideles poſſunt facere quędam opera moraliter bona, 32. 1. 387. 2. 389. 1
Infidelis aut idiota quomodo conuincendus ac diiudicandus ab omnibus, 462. 1
Infideles quomodo deſerendi, 601. 1
Infirmitas in ſcripturis multipliciter accipitur, 69. 2 253. 1

Infirmitas fratrum quibus modis ferenda, 214.1 216.1
Infirmos in fide quos vocet apostolus, 199.2
Infirmorum excusatio à peccato mortali, *ibid.*
Infideles cur iniusti vocentur, 299.2
Infirma mundi elegit Deus, 250.2.& *seq.*
Innupta corpore & spiritu, sancta potius quàm nupta, 335.2
Innocatio dæmonum, cibos facit immundos, 386.1
Inuidere Latinis vnde dictum, 159.2
Ionæ Prophetæ proiectio in mare, Christi mortẽ, sepulturam, & ad inferos descensum præfigurauit, 154.1
Ipse ego, Paulina phrasis, quam vim habeat, 103.1
Ira Dei quæ dicatur, 16.1,& *seq.* 28.2
Isaac natus per promissionem quo sensu, 710.1
Ismael secundum carnem natus, quo sensu, 710.1
Israëlitarum nomen honorabile, 132.1.*eorumque multiplex gloria*, 132.2. 133.2
Israelitæ qui, 134.1
Israel omnis saluandus quis & quo sensu dicitur, 172.2
Israëlitæ quomodo omnes sub nube, 362.2
Israëlitæ Christum in deserto tentauerũt, 368.1 380.1
Iudaizantium in exordio nascentis ecclesiæ duo fuisse genera dicitur, 1. *sed improbatur*, 2
Iudæorum appellatio vnde orta sit, 35.1
Iudæorum inuidia aduersus gentiles, 159.1
Iudæorum prærogatiuæ præ gentilibus, 39.2. 216.1
Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, 41.2
Iudæorum consuetudo lauandi mortuos legaliter immundos, 491.1
Iudæorum error circa cibos lege prohibitos, 208.2
Iudæorum typus in populo duarum tribuum, 146.1
Iudæi legis sectatores quare iusticiam non sint assecuti, 149.1
Iudæi dato linguarum signo non crediderunt, 461.1
Iudæi bestiarum nomine designati, 494.1
Iudæi aduersarij prædicationis euangelicæ, 517.1
Iudæi filios ex diuersis causis circuncidebant, 715.2
Iudæi offenderunt in lapidem Christum, 149.2
Iudæorum peccatum, vtpote qui audierint & cognouerint, inexcusabile, 158.2. 160.2
Iudaici populi incredulitas, 460.2
Iudaici populi partes in negocio salutis priores, 160.2.
Iudaicus populus an à Deo repulsus, 161.1
Iudæorum casus nec vniuersalis, nec irreparabilis, 165.2.& *seq. quod probat apostolus tribus rationibus*, 166.1.& *seq.*
Iudæi etiam ante finem sæculi ad fidem adducentur, 166.2
Iudæi etsi Christum recepissent, gentibus contigisset salus, 166.2
Iudaizare quid, 686.1
Iudæorum assumptio quæ dicatur, 167.2
Iudaicus populus cur sanctus vocetur, 169.2
Iudaicus populus oliuæ comparatus, *ibid.*
Iudaismus quid, 669.1
Iudæi an omnes in fine sæculi conuertendi, 172.1 176.2
Iudæi tam abstinentes à cibis lege vetitis, quàm edentes, qua ratione peccarint, 200.1
Iudaicarum mulierum honesta cõsuetudo, 399.2
Iudæorum pontifices pascha non suo tempore celebrarunt, 406.1
Iudæi signis assueti, signa petunt, 248.2. 367.2
Iudæorum principes an cognouerint Iesum esse Christum, & Dei filium, 257.1
Iudæi sub lege quanquam abolita, 358.2. 703.2
Iudas proditor Satanæ traditus. 290.2
Iudices controuersiarum qui sint, 261.2
Iudicium aliud potestatis, aliud discretionis, *ibidem*.
Iudicis non exspectanda sententia, vt frater improbus vitetur, 297.1
Iudicijs apud infideles contendere, peccatum est, 299.2
Iudicio sua repetere quomodo malum. *Item quibus casibus pium & laudabile*, 303.1.& *seq.* 306,1. 307.1
Iudicia Dei inscrutabilia, 177.2.254.1
Iudicandi omnes à Christo quo sensu, 206.2. 207.2
Iudicandi omnes homines sine exceptione. 581.2
Iudicium quibus de rebus fiat, 207.2
Iuramentum quodnam Christus prohibet, 11.1
Iuramentum licitum exemplo Pauli, 11.1. 130.2 492.2.535 2.537.2
Iudicare & condemnare quandoq; idem significant, 27.2.201.1
Iudicium Dei dies est iræ, 28.2
Iudicium retributionis & discussionis, 206.2
Iudicaturi cum Christo quomodo aliqui dicantur, *ibid.*
Iugum cum infideli quis ducat, 599.1
Iurare per animam suam solius est Dei, 537.2
Iusticiæ Dei duplex acceptio, 13.2
Iusticia cur cæca pingatur, 30.1
Iustificare & iustificari varia significant, 30.1, 31.1.& *seq.*
Iusticiam operum Paulus manifestè agnoscit, 31.2.& *seq.*
Iusticiæ Dei illustrandæ vera causa non est iniquitas nostra, sed ipsius Dei bonitas & potentia, 41.1.& *seq.*
Iustificatio gratuita, 46.2. *Nos per fidem, & tamen gratis iustificari non pugnant*. 50.2
Iustificatio & prædestinatio nostra ex meritis Christi, 47.1.305.1
Iusticia vera quid, 305.1
Iusticia tam commutatiua quàm distributiua locum habebit in iudicio, 582
Iusticia non est ex lege, 669.1
Iusti veteris testamenti participes adoptionis Christi, 705.1
Iustitia nostra sita est in fide resurrectionis Christi, 480.2

Iustificatio à Paulo peculiariter attribuitur fidei, 49.2. & *seq.*
Iustificationis initium à fide, 55. 2
Iustificatus cadere potest, 171. 1
Iustitia imputatiua refellitur, 56.2.151.2.199.2 251.2. 305. 1. 592. 1.
Iustitia nostra interna & inhærens, quemadmodum & peccatum, 80. 1
Iusti veteris testamenti non fuerunt sub lege, 86.1 92. 1
Iustificatus per gratiam Christi legem implet, 106. 2
Iusti etiam ante Christi aduentum, filij Dei adoptiui, 111. 2
Iustitia fide apprehenditur, 149. 1
Iustitia quænam sit ex fide, 152. 2
Iustitia quæ ex sola lege, falsa iustitia est, 153. 1
Iustitia ex lege, & iustitia fidei quî differant, 153. 1
Iusti sine crimine viuunt, non tamen sine peccato, 240. 2. & *seq.*
Iustitia vera amitti potest, 360. 2
Iulittæ martyris factum excusatur.
Iustificari nemo potest sine fide Christi, 41. 2
Iustitiam veram nobis promeruit Christus, 592. 2

L.

Labor fidelium non est vacuus à mercede, 512. 1
Labor inanis sine perseuerantia, ibid.
Lapis offensionis & petra scandali an differant. 149. 2
Lapsu Iudæorum vsus est Deus ad conuersionem gentium. 166. 1
Laus & gratiarũ actio Deo exhibenda in conuersione peccatorum, 673. 2
Laus propria vel insipientis est, vel habet insipiẽtiæ speciem apud multos, 631. 1
Legis nomine quæ scripturæ comprehendantur, 43. 1 89. 2
Leges iniustæ non obligant, 191. 2
Legis opera quæ Paulo dicantur, 43. 2. & *seq.*
Legis à gratia distinctæ officia, 91. 2
Legis occasione homines facti deteriores, 80. 2
Legis vsus, & quanto inferior promissione facta Abrahæ, 700. 2
Legis excusatio, 95. 1
Legis infirmitas, 105. 1
Legislatio totam legem Mosaicam complectitur, 133. 1
Legibus principum necessariò obtemperandum, 194. 1
Leges & præcepta humana subditos obligant in conscientia, 194. 1
Lex operum, Lex fidei seu euangelij, & lex factorum quæ sint, 49. 1
Lex pro tota scriptura veteris testamenti, 460. 1
Lex Dei scriptura sacra. 467. 2
Lex Moysi legebatur in synagogis per omne sabbatum, 559. 1
Lege tenentur viri spirituales, 561. 1
Lex cærimonialis cur carnalis dicta, 691. 2
Lex disposita per angelos, 699. 2
Lex non viuificat, 700. 2
Lex subseruit diuinæ promissioni de benedictione per Christum, 701. 1
Lex Christi lex fraternæ dilectionis, 727. 1
Lex vetus, lex mortis, 93. 1
Lex ad vitam data, quomodo facta ad mortem, 96. 1
Legis vocabuli extensio, 101 2
Lex & mandatum, quomodo differant, 96. 2
Lex occasio mortis, peccatum eius causa. 95 1. 96. 1. & *seq.* 699. 1
Lex spiritualis vnde dicatur, 97. 2. 691. 2
Lex membrorum & peccati quæ dicatur. 102. 1 104. 2
Lex spiritus vitæ, gratia Christi, 104. 2
Lex decalogi solis naturæ viribus seruari non potest, 106. 2
Lex Dei potest in hac vita impleri, etsi non sine dilectione, 197. 1. & *seq.*
Lex præparat homines ad Christum, 701. 2
Lex æterna dictat vt omne malum culpæ per malum pœnę redigatur ad ordinem iustitiæ, 190. 1
Lex quatenus obliget cessante ratione legis, 386. 2
Lex apostolica qua ratione diu in ecclesijs obseruata, 387. 1
Lex charitatis, 440. 1
Legalia Paulus obseruauit, non simulatè sed verè, 358. 2
Λειτουργία *quid apud sacros scriptores*, 623. 1
Liberalitas syncerè debet exerceri, 623. 1
Liberalitas Macedonum, 609. 2
Liberi iustitiæ qui appellentur, 87. 2
Libero hominis arbitrio nihil detrahitur per Pauli doctrinam, 140. 1
Libertas arbitrij probatur, 466. 1
Libertas quibuslibet vescendi per Christum concessa, 209. 2. 384. 2
Libri, qui pastor inscribitur, quis author, & quo loco habendus, 229. 2
Liberum arbitrium, 286. 2. 338. 1. 610. 1
Licita in genere sunt multa, quæ in particulari sunt illicita, 357. 2
Lingua in signum infidelibus, 460. 2
Linguarum dono quomodo vtendum, 463. 1
Linguarum donum quale fuerit in apostolis, 449. 1, & 2
Linguarum donum, in quibus motus transiens, & in quibus habitus permanens, 450. 1
Linguarum interpretatio sola sæpe non sufficit, 452. 2
Litera occidit, spiritus viuificat, 555. 2
Loquendi linguis, & eas interpretandi dona sunt diuersa, 423. 1
Longanimitas quid, 595. 2
Loquentes peregrinis linguis balbi, barbari, & insani videntur non intelligentibus, 460. 2
Loqui sibi & Deo quid, 463. 2
Loqui lingua non intellecta cur non absurdum, 449 2
Loqui hominibus & Deo quid, 450. 1
Ludus Israelitarum adorato vitulo, 367. 1
Luna stellis pene omnibus minor, 498. 1

Lusus diuerso modo accipitur in scripturis, 713.2

M.

Macedonij hæresis Spiritum sanctum esse creaturã, 119.2. *refutatur*, 120.1.121.1
Magistratus quid, & cur gladium portet, 193.2
Magistrorum & doctorum generalis admonitio, 267.1.268.2
Magistri à discipulis non iudicandi, 278.2
Magistrorum & discipulorum institutio, 280.2
Mahometarum error de resurrectione, 403.2
Malicia diabolicum vicium, 25.2
Maliciã paruuli esse iubemur, 459.2
Malum nunquam faciendum cuiuscumque boni gratia, permittere tamen, vt maius bonum eueniat, imò consulere cuipiam minus malum vt à maiore reuocetur, licitum & laudabilis prudentiæ est, 40.2
Maledicere aliquando licet, 186.2
Malum pro malo reddere quid, & quibus liceat, 187.1
Mandatum Domini duobus modis intelligitur, 469.2
Manifestare & reuelare differunt, 17.1
Manichæi negantes in Christo veram carnem, refelluntur, 587.2. *& seq.*
Manna cur esca spiritualis, & quid mystice significet, 364.1.615.1
Manifestanda omnia in iudicio, 581.2
Maranatha quid, 521.2. *& seq.*
Maria virgo Dei mater, 704.1
Mariam V. ortam ex semine Dauid directè, probatur, 7.1
Marcionitarum & Manichæorum hæresis de duobus principijs bono & malo, 564.1
Maria virgo vnigenita, 351.2
Marcion duplicem fingens Deum refellitur, 70.1
Masam corruptam non supponit Paulus in disputatione de electione & reprobatione, 137.2 142.2
Martyrium sine charitate nec in Ecclesia prodest, 438.1
Martyrum mors vita ecclesiæ, 571.1
Matrimonium consummatum aliquo casu soluitur quoad vinculum, 326.1
Matrimonium res obiecto bona, 338.2
Mare figura baptismi, 363.1
Mater Pauli quæ, 669.2
Melodia deuotionem excitat. 459.2
Mendacium pro idolo, 23.1
Merces quid sit.
Mercedem peccati cur vocet apostolus stipendia, 88.2
Meritum Christi, morte eius completum, 65.2
Meritum immortalitatis gratiæ asscribendum, 579.2
Meritorum & gloriæ permagna diuersitas, 497.2. *& seq.*
Merita nostra non alia sunt quã Dei dona, 163.1
Mensæ nomine scriptura vel euangelij prædicatio significatur, 164.2
Mens & sententia quomodo differant, 24..2
Merces cuiq; reddenda secundum laborem, non secundum fructum laboris, 265.2
Merces euangelizantis, & pœna non euangelizantis, 356.2
Mercedem æternam spectare in bono opere non est imperfectionis. 360.1
Mensæ benedicendæ consuetudo à Christo manauit, 376.1
Mensa pro altari, 381.2
Mensa communis symbolum amiciciæ, 413.2
Membra diuersa mutuis egent auxilijs, etiam in ecclesia, 426.1.429.1
Membra infirmiora plerumque magis necessaria, & qui membra ecclesiæ talia sint, 427.1
Membra ecclesiæ inhonesta qui, 428.1
Membra mutuæ compassionis elegans exẽplum, 429.1
Membrorum diuersorum diuersa officia, 432.1
Militia apostolica, eiusq; effectus, 625.2. *& partes*, 627.1
Ministrantibus spiritualia debentur temporalia ex iustitia, 223.2.354.1
Ministerij ecclesiastici gradus diuersi, 182.1. *eorumq; officium*, 182.2
Ministerium euangelicum est thesaurus, 568.1
Missio legitima ad prædicandum duplex, 156.2
Ministri euangelij, & sacramentorum quomodo saluos homines facere dicuntur, 167.2
Ministrare sanctis quid, 222.2
Miraculorum gratiam petere periculosa tentatio, 433.1
Miracula qua ratione tribuenda fidei, 434.2
Moniales canentes in oratorijs, non loquuntur in ecclesia, 468.2
Montanistarum hæresis de prophetis antiquis, 465.2. *refellitur*, 466.2
Mortuos ad vitam reuocare, & ex nihilo res producere, infinitæ virtutis sunt opera, 61.2
Mors pœna peccati originalis, 73.1
Mors corporis per peccatum intrauit in mundum, 73.2. *& seq.*
Mortui peccato qui dicantur, 81.2
Mors & passio Christi, non solum causa, sed & typus nostræ iustificationis, 82.1
Mors hominum somnus appellatur in scriptura, 474.1
Mors inferni ianua, 510.2
Mors quomodo per hominem cùm sit ex natura, 483.2
Mors inimicis Christi annumeratur, 488.1
Mors quomodo destruenda, *ibid.*
Mortuuri quomodo qui viui reperientur in aduentu Domini, 506.2.578.2
Mors destruenda in electis non in reprobis.
Mortis & peccati destructio non per legem sed per Christum, 511.1
Mors Christo semel dominata, non amplius dominabitur, 84.1
Mortui peccato aliter nos, aliter Christus, 84.2
Mortis causa lex non est, 96.2. *sed peccatum*, 97.1
Morituríne omnes, Latini à Græcis dissident, 504.1. *& seq.*
Mortis nomine omnis peccati pœna compre-

henditur, 105. 1
Mors & miseriæ huius vitæ, etiam in iustis pœnæ sunt peccati originalis.
Moriendum potius quàm fratrem scandalizare. 347. 1
Mortem Domini annunciare quid, 412. 2
Mos acclamandi Amen à Iudæis acceptus, 457. 1
Mos doctorum laudabilis. 467. 1
Mos vetus vt audientes sedeant, loquentes stent, 464. 1
Mos asscribendi salutationes absentes haud improbandus, 231. 1
Mores maiorum quomodo sint præcepta minorum, 101. 2
Montem an quis aliquando transtulerit, 435. 2
Moyses non propriè legislator, 353. 1
Moysi cornuta facies quo sensu, 557. 1
Moyses mediator, 700. 1
Munus apostolicum, 221. 2
Mundi nomine qui intelligantur, 731. 1
Mundi nomine vniuersum genus humanum designatur, 73. 1
Mulierem non tangere quid, & illud esse bonum morale & spirituale, contra sectarios ostenditur, 312. 2. *& seq.*
Mulier à viro digressa, quando manere innupta, & quando reconciliari debeat, 321. 2
Mulierem circumducendi consuetudo qualis, & cur id non fuerit scandalosum, 350. 1. *& seq.*
Mulieribus quatenus prohibitum sit loqui in ecclesia, 467. 2
Mulieres in primitiua ecclesia prophetantes, 393. 1
Mulieres ratione sui sexus sunt in statu subiectionis, 467. 2
Mulieres domi à viris suis docendæ, 468. 1
Mulieres inseruire missæ non est ferendũ, 468. 2
Mulieres Iudæorum non loquuntur in synagogis, 393. 1
Mulierum varia consuetudo velaminis gestandi, 393. 2
Mulier inuelata cur deturpet caput suum, 393. 2
Mulier naturali velamini aliud superponat, 394. 1
Mulieris caput quomodo velandum, ibid.
Mulieri in ecclesia nec interrogare licitum, 468. 1
Mulieri in ecclesia prophetare non licet, 468. 1
Mulieri turpe tonderi, 394. 1
Mulieres Nazaræa in veteri lege tondebantur, 394. 2
Mulier gloria viri quo sensu, 395. 2
Mulier imago Dei, ibid.
Mulier propter virum facta non contrà, 396. 2
Mundus pro genere humano, 589. 2
Murmuratio quid, 369. 1
Mysterium in communione eucharistiæ significatum, 378. 2
Mysterium de Iudæorum in fine sæculi conuersione. 171. 2
Mysteria altiora non quibuscunque tradenda, 254. 1. *& seq.*
Mysteria secretiora apud rudiores tacenda, 261. 1. 548. 2

N.

Nabuchodonosor regis superbia, 485. 2
Nathanaël an idem cum Bartholomæo, & an legis fuerit peritus. 250. 2
Naturalia & supernaturalia quî differant, 281. 2
Necessitas gratiæ Christi, 105. 1
Nemo certus in hac vita se esse iustum & filium Dei, 113. 2
Nemo confidens à salute repellitur, 155. 1
Necessitatibus sanctorum communicare quid sit, 185. 1
Nouitas vitæ iusticia, vetustas iniustitia, 93. 2
Nominare aut vocare quippiam quomodo dicatur Deus, 146. 2
Nomen Domini inuocare quid sit, 155. 1
Nox huius sæculi ad finem tendit, 198. 1
Nominati qui dicantur in scripturis, 296. 2
Noticia nostra de Deo cur comparata visioni speculari, 445. 1
Nouatiana hæresis pernicioſa, 545. 1
Nubere non est magnum bonum, 337. 2
Nubere non debet Christiana nisi Christiano, 339. 2
Nuptiæ fidelium cum infidelibus prohibitæ, 340. 1
Nuptiæ res bona, à Deo instituta, 332. 1. *Eas impiè veteres hæretici damnant,* ibid. 2. 336. 1
Nuptiæ secundæ & vlteriores licitæ, 339. 2
Nubis vsus in deserto duplex, 362. 2
Nubes figura baptismi, 363. 1

O.

Obedientia gentium finis & effectus Paulinæ prædicationis, 220. 1
Obedientiam principum cur apostoli fidelibus studiosè commendarint, 190. 2
Obedire euangelio donum Dei est, 87. 1
Obsequium variè accipitur, 133. 1. 179 2
Occulta cordis sui quomodo infideli manifesta fiant, 462. 1
Odij significatio in scripturis, 138. 1
Offendere & cadere quomodo differant. 165. 2
Oleaster oliuæ quomodo inseratur, 169. 1
Omnia in nomine Domini Iesu facienda, 204. 1. 518. 2
Omnia ex Deo, 343. 2
Omnia quæ licent non expediunt, 382. 1
Omnia referenda ad Deum vt principium & finem, 486. 1. 490. 1. 537. 1. 588. 2
Onus suum quisque portabit, 727. 2
Onera aliorum portare quid, 728. 1
Opera bona mortificata, & mala remissa sic habebuntur in iudicio Dei, tanquam facta nunquam fuissent, 28. 2. 691. 2
Opera bona gloriæ æternæ merita, 575. 1
Operans intuitu mercedis æternæ non peccat, ibidem.
Operum tam bonorum quàm malorum merita statuuntur, 583. 1
Opera bona iustificationes quandoque dicuntur,

tur, 31.1
Opera legis quæ Paulo dicantur, 43 2.seq. 687.1
Opera legis quanam ad veram iustitiam nihil conducant, 44.1
Opera fidem præcedentia à negocio iustificationis excluduntur, 49.2
Opera bona vitam merentur æternam, non sua natura, sed ex Dei promissione, 89.1
Opera bona iustorum vitam æternam merentur, 28.2.114.2.265.2
Operum bonorum meritum oppugnantes hæretici refelluntur, 114.2.139.2.163.1.614.2
Opera bona effectus sunt potentiæ Dei, 234.2
Opera bona remunerans Deus, non aliud quàm sua dona coronat, 178.2.615.2
Opera supererogationis. 156.1.158.1
Opera nostra procedere debent à charitate, 436.2 518.2
Opera virtutũ sine charitate nihil prosunt. 438.1
Opera omnium per ignem examinanda, 272.1
Opera tenebrarum, peccata, 198.2
Opera omnia infidelium nõ sunt peccata. 212.2.seq.
Opus coniugale potest esse meritorium, 307.2
Opus bonum non solius est Dei, sed etiam humanæ voluntatis, 140.1
Orare semper quis dicatur, 11.1.& seq.
Orantes Spiritu & non mente qui sint, 455.1
Orantes verbis non intellectis quem fructum percipiant. ibid.
Orans & non intelligens interdum plus meretur & impetrat quã alius intelligens, ibid. 463.2
Orantis triplex intentio, 455.2
Oratio Dominica ab omnibus Christianis intelligi debet, ibid. & 458.1
Orationis multorum fructus. 531.1
Orationis conditiones necessariæ, 185.1
Orandum pro excommunicatis, 292.2
Orandus Deus ne sinat nos tentari supra vires. 373.1
Orandi & psallendi in ecclesia tempore apostolorum quis modus, 392.1
Ordinatio diuina de Christo & nostra per eum salute, 482.2
Ordo diuinitus institutus inter virum & mulierem, 391.1
Originali peccato remisso, remanet in homine fomes peccati ad exercitium. 99.1.& seq.
Originali peccato omnes omnino homines, si Christum demas, infecti fuerunt, 75.1.82.1.83.2
Originale peccatum in nobis omnium actualium peccatorum fons & fomes. 75.1
Ornamenta iustificatorum quæ, 66.2
Osculum amoris symbolum, & quemadmodum dicatur sanctum, 230.1,521.1

P.

PAcem cum omnibus habere impossibile, 188.1
Panis & aquę nomine cætera vitæ necessaria subintelliguntur, 189.1
Paradisus & tertium cœlum an idem. 646.2
Παρεσις quid sit, 48.1
Pascha & Pentecoste festa Iudæorum passim nota, 516.1
Pascha pro agno paschali, 294.1
Passiones peccatorum quæ dicantur, 92.1
Passio Christi nobis applicatur per fidem, 591.1
Pater fons & principium in deitate, 486.1
Patientia schismatici pro vera fide, an & quid prosit, 438.1
Patientia probat verum ministrum, 594.2
Patientia Dei in quo consistat, 28.1
Paulus gentium apostolus etiam ad Iudæos missus, 167.1.219.1
Pauli iuramentum, 11.1, 130.2.635.1.2.643.2 673.1
Paulus in quo Petro æqualis, 652.1
Paulus post conuersionem quinquies ascendit Ierosolymam, 674.2
Paulus serio Petrum reprehendit, 681.2. cur palam eum reprehenderit, 685.2
Paulus omnium lingua locutus, 458.1
Paulus cur abortiuo se comparet, 475.2
Paulus Christum verè corporaliter vidit, vbi, quando, moduſque rei gestæ, 476.1.& 2
Paulus minimum apostolorum se dicit, quo sensu, 477.2
Paulus non exauditus, & cur, 651.1
Paulus plus omnibus apostolis laborauit, 478.1
Paulus cæteris se anteponens labores comparat, non merita. ibid.
Paulus paranymphus, 631.2
Pauli afflictiones plurimæ recensentur, 638.1.seq.
Pauli raptum fuisse in corpore probabilius. 645.2 & quid in eo viderit, 647.2
Paulus carnalem se vocat, quo sensu, 97.& seq.
Paulus quomodo pro Iudæis oret sciens esse reprobatos. 151.1
Paulus excusatione vtitur apud Romanos, 218.2 & seq.
Pauli in Christo gloriatio, 219.2
Pauli desiderium visendi Romanos. 222.1.& seq.
Paulus cur pecuniam perferre noluerit Hierosolymam, nisi obsignatam, 223.2
Paulus an aliquãdo in Hispaniã venerit, 224.1
Paulus periclitatur à Iudæis infidelibus, 224.2 226.2
Paulus rogat Romanos vt pro se Deum orent, 224.2
Pauli humanitas in salutando, 226.1
Pauli modestia, 228.2.634.1
Paulus cur Petrum non salutat in epistola ad Romanos, 130.2
Paulus pater Corinthiorum, 236.2
Paulus non est missus ad baptizandum, 246.1
Paulus quo sensu vocatus apostolus, 6.1.238.1
Paulus sermonis apparatum & sapientiæ secularis ostensionem à se remouet, 246.2.252.2 & seq. 259.2
Paulus nihil aliud scivit quàm Iesum crucifixum, 252.2
Paulus in infirmitate fuit apud Corinthios. 253.1
Pauli imitanda prudentia in tradenda doctrina Christiana, 263.2
Paulus manibus laborauit, 284.1
Paulus sine vxore vixit, optatq; omnes esse sicut seipsum, 317.1.318.2.349.2
Paulus seipsum commendat iusta ratione, 347.2

Paulus Christum vidit in carne oculis corporeis, 348. 1
Paulus cur abstinuerit à sumptu apud Cor. 354.2
Paulinæ perfectionis imitatores hodie religiosi mendicantes, 356.2
Paulus omnibus omnia factus, 359.2
Pauli charitas studentis omnium saluti, 360.1
Paulus optat omnes loqui linguis, & quatenus, 451.1
Pauli insignis humilitas, 360.1.477.2.533.1. 625.1.640.1
Pauli eloquentia, 424.1.594.1
Paulus metuit abijci & damnari, 362.1.371.1
Paulus se proponit imitandum, 390.1
Paulus an omnia sua bona reliquerit, 437.2
Paulo occiso lac pro sanguine manauit, 263.2
Pastorum officia duo, quorum alterum altero principalius, 246.1
Pax plura significat, 9.2.10.1.517.2
Pax vera non est in errore, sed in veritate, 218.1
Peccata quædam sunt pœnæ peccatorum, 21.2. 25.1
Peccati authorem Deum esse, malè concludunt hæretici, 21.2.22.1. & seq.
Peccati nemo expers excepto Christo, 471.2
Peccatorũ in carnalia & spiritualia diuisio, 602.1
Peccati entitas tota est à Deo, 178.2
Peccata hominum non mutant Dei promissa, 39.2.175.2
Peccando non solum amisit homo amorẽ iustitiæ, sed etiam timorem gehennæ, 43.1
Peccantes quomodo corripiendi, 726.1
Peccator, impius, iniustus, iniquus, Paulo eadem, 55.2
Peccata quo sensu tecta Deo dicantur, 56.2
Peccatum in mundum intrasse, non forma & exemplo, sed per propagationem, contra Pelagium ostenditur, 72.1.78.1
Peccatum originale quodnam sit, 73.1
Peccatum originale etiam per mulierem, 72.2
Peccata ante legem datam non imputata, 75.2
Peccati cognitio per legem, 94.1
Peccare in similitudinem præuaricationis Adæ quid sit, 76.2
Peccatorum venialium & mortalium discrimen, 704.1
Peccatum est quod fit contra legem, 94.1
Peccatum sine lege mortuum, & reuixisse, quo sensu, & quando, 95.2. & seq.
Peccatum de peccato damnauit Deus. 106.1. & seq.
Peccata cedunt electis in bonum, etiam iys qui ad minorem gratiam resurgunt, 121.2.174.2
Peccare & benefacere potest homo eodem actu, 204.2.
Peccatorum triplex genus, 295.2
Peccata dãnabilia, etiam non frequentata, 297.2
Pecuniæ tractatio magnam hominis integritatem postulat, 617.2
Pelagij dogma non esse licitum iurare, 492.2
Pelagiani ignorant quæ à Deo donata sunt nobis, 259.2
Pelagij hæresis dicentis præcepta Dei sine eius gratia seruari posse, improbatur, 32.1
Perseuerantia Dei donum est, 162.1
Peripsema quid significet, 284.2
Perseuerantia diuinæ electionis effectus, 170.2
Petrus cur ad Romanos non scripserit, 130.2
Petri principatum agnouit Paulus, 244.1
Petrum peccasse & in quo, quando reprehensus à Paulo, 682.2
Petrus non est pro nobis crucifixus, 244.2
Petra percussa quænam significetur, & quid mystice designet, latè discutitur, 364.2. & seq.
Petra, Christi figura qua ratione, 366.1
Pharisæorum & quorundam philosophorum error de resurrectione, 496.1
Philosophis quibusdam cognitum Deum esse mũdi creatorem, 18.1 (248.2
Philosophi nõ absolutè dicẽdi fuisse sapientes, 20.1
Philosophi Dei gloriam ad creaturas transtulerunt, 20.2.248.2
Philosophos vt Socratem, Arist. Platonem &c. obscæni adolescẽtum amoris reos, 24.2. & *moribus fuisse corruptissimis ostenditur,* 25.2
Photius schemate ab ecclesia Rom. diuisus, 74.2
Piscium caro propriè, 497.1
Plagæ Israëlitarum figuræ pœnarum futuri sæculi, 366.2
Plantare & rigare quid, 264.2
Plenitudo benedictionis quid, 224.2
Pœnæ temporales quatenus valeant ad euadendas æternas. 416.2
Populus de quibus docendus, 457.2
Populus Iudaicus inexcusabilis, quod non crediderit, 158.2.160.2
Potestas ecclesiastica, 655.1
Potestatis legitimus vsus, 628.1
Potestas sæcularis & ecclesiastica vtraque à Deo, sed differenter, 191.2
Preces publicas lingua vulgari recitandas contendunt sectarij, & refelluntur, 457.2
Preces non intellectæ non sunt inutiles. 450.1. *nec talibus Deum orare, inutile,* 451.1.455.1
Præcepta apostolorum & ecclesiæ sunt Domini mandata, 469.2
Præceptiua potestas præfectorum ecclesiæ, 51.2
Præceptum quid, 330.2
Præcepto non obligamur ad faciendum quæcumque agimus, ibid.
Præceptum diligẽdi proximum totius legis compendium est, 195.2.196.2. & seq.
Prædicatores verbi Dei quo loco habendi, 278.1
Prædicatorum verbi Dei conditio, 283.2
Prædicatio ad fidem necessaria, 156.1
Prædicat nemo legitimè, nisi legitimè missus 156.2
Prædestinatio hominis ad vitam æternam gratuita, 89.1. 122.2. seq. 136.1. & seq. 163.1 177.1.258.1.281.1. & seq. 670.1
Prædestinationis effectus varij, 124.1
Præputium quid vocetur, 37.1. & *quid sit, illud adducere,* 328.1
Præparatio mentis ad credendũ ex Deo est, 547.2
Præparatio Dei æternam eius significat præordinationem, 144.2
Præscire quid apostolo, 122.2.161.1
Præter pro contra, 171.1.231.1

Precibus ſacerdotum euchariſtiam conſecrari quid ſit, 377. 2
Precibus ſacerdotum olim populus acclamabat, 456. 2
Præcepta humanæ poteſtatis, quadam ratione præcepta Dei, 192. 2
Prædicantes falſas reuelationes aut falſa miracula ſunt falſi teſtes Dei, 480. 1
Primitiæ & radix populi Iudaici, patriarchæ, 168. 1, *& ſeq.*
Primitiæ quid, & quæ primitiæ ſpiritus, 117 1
Principes Chriſtiani eccleſiæ filij, 191. 2
Principes & poteſtates omnes à Deo. 192. 1
Principes vt tales bonis non timendi, ſed malis, 193. 1
Principes huius ſæculi qui ſunt. 255. 1
Priſcillæ ſeu Priſcæ & Aquilæ laus, 226. 1. *& ſeq. & cur vxor prior marito nominetur, ibid.*
Procedendi modus Spiritui S. proprius, 423. 2
Promiſſiones noui teſtamenti principaliter electos ſpectant, 372. 1
Propoſitum Dei quid ſit. 136. 1
Prophetiæ donum quid ſit, & quibus chariſmatis præſtantius. 448. 1
Prophetæ optatiuè pœnas hominum prædicant, 164. 2
Prophetæ & qui donum habent diſcretionis iudicant, non autem omnes fideles, 464. 1
Prophetæ illuminantur vt illuminent alios. 465. 2
Prophetæ in poteſtate eſt eloqui aut tacere, ibid.
Prophetæ Dei qui differant à vatibus dæmonum. ibidem.
Prophetia quid, & quomodo ſecundum rationem fidei tradenda. 182. 1
Prophetia linguis præfertur, 451. 1
Prophetię & doctrinæ chariſmata diſtincta, 82. 2
Prophetię dono quomodo vtendum, 463. 2
Prophetię vſus ad doctrinam fidelium. 460. 2
Prophetiæ donum non eſt habitus manens, ſed impreſſio tranſiens, 465. 2
Prophetandi duo modi inſinuantur, 464. 1
Prophetarum ſpiritus quis, 465. 1. 466. 2
Prophetarum Chriſti à vatibus idolorum duplex diſcrimen. 418. 1
Prophetas doctoribus anteponit ſcriptura, 452. 2
Prophetica cognitio an obſcuritatem includat, 442. 1
Proximi nomen quàm latè pateat. 195. 2
Proximum non bene diligit, qui Deum non diligit. 196. 1
Proximum diligere ſicut ſeipſum quid, 197. 1
Proximum diligens legem implet. 720. 2
Proximorum facta in meliorem partem interpretanda. 204. 2
Proximo quomodo placendum, 214. 1
De Proximis bona quàm mala facilius credẽda, 441. 1. *ac ſemper ſperanda meliora, ibid.*
Prouidentia Dei pertingens ad omnia & ſingula, 353. 1
Prudentes apud ſemetipſos qui dicantur, 187. 1
Pſallere ſpiritu & mente quid ſit, 455. 2
Pſalmus quid. 462. 2
Pſeudapoſtolorum vanitas, 220. 1. 221. 2
Pſeudapoſtoli literas cõmẽdaticias ambiũt, 552. 2
Pſeudapoſtoli depicti, 602. 2
Pſeudapoſtolorum Paulo aduerſantium qualitates, 624. 1
Pſeudapoſtolis præ cæteris inuiſus Paulus, & cur, 624. 2
Pſeudapoſtoli arrogantes & immodeſti, 629. 1
Pſeudapoſtoli ſubdoli, 632. 1. 2. 636. 1
Pudor vtilis, 495. 2
Punitio eccleſiaſtica ſit cum dolore eius qui exercet. 655. 2
Purgatorium animarum, 274. 1
Purgatio peccatorum per fidem. 480. 2
Purgatio in die iudicij futura, fiet ante generalem reſurrectionem. 275. 1
Purgamenta quæ dicantur, 284. 2

Q.

Quærere animam alicuius quid in ſcripturis, 161. 2
Quærere quod ſuum eſt, & quod ſibi vtile, quid ſit, 382. 2. 389. 2
Quærere Dominum vſu ſcripturæ, qui dicantur, 159. 2
Quidquid boni poſſumus totum ex Deo eſt, qui homines & omnia quæ agunt ad actiones ſuas mouet, 554. 2. 659. 2. 727. 1
Quippiam ad aliquid reputari, quid ſit, 53. 2

R.

Rationem reddere Deo quid, & quo ſenſu de factis alienis non reddenda ſit, 207. 1
Reciprocantur in diuinis proprius pater, & proprius filius, 126. 1
Reconciliatio cum Deo quid cõplectatur, 589. 1, 2
Regnum Dei non eſt cibus & potus. 209. 2. *& ſeq.*
Regnum Chriſti æternum, 487. 2
Regnum Dei in quibus principaliter conſiſtat, 210. 1. 218. 1. 286. 1.
Regnare quis dicatur vſu ſcripturæ, 282. 1
Regulæ officium. 462. 1
Religio Chriſtiana non cogit ad mutandum vitæ genus modo honeſtum, 327. 2
Renati à peccato & damnatione prorſus liberi, 104. 1
Reprobationem non eſſe ex meritis latè probatur 137. 1. *& ſeq.* 142. 1. 170. 2. *qua in diſputatione non ſupponitur maſſa corrupta,* 137. 1. 142. 2
Reprobationis primus effectus, 137. 1. 145. 1
Reprobatio cur odium Dei vocetur, 138. 1
Reprobare quid ſit, 140. 2
Reprobi non habent quod querantur ſine meritis reprobati. 142. 1 177. 1. 178. 2
Reprobationis cauſa finalis oſtenſio iuſticiæ Dei, 143. 2
Reprobos ſuſtinet Deus cum patientia, 144. 1
Reprobatio non obſtat quo minus reprobi conuerti poſſint.
Reprobi vaſa iræ, aptata in interitum, 144. 1. *& ſeq.*
Reprobum effici quid, 361. 2
Reſurrectio Chriſti, typus potius quàm exemplar noſtræ iuſtificationis, 65. 1

Resurrectio Christi idea quædam nostræ resurrectionis, 206. 1
Resurrectio mortuorum à quibusdam prauè intellecta, 471. 1
Resurrectio mortuorum philosophis habita incredibilis, 470. 2
Resurrectio Christi fundamentum nostrę resurrectionis, 471. 2
Resurrectionem Christi scripturæ probant, 472. 1
Resurrectio Christi resurrectionem mortuorum probat, 479. 1. 482. 2
Resurrectio Christi causa exemplaris resurrectionis cæterorum electorum, non reproborũ, 479. 1. 2
Resurrectione Christi sublata fides Christianorum inanis est. 480. 1. 482. 2
Resurrectione corporum sublata, periclitatur immortalitas animarum.
Resurrectio mortuorum tempore passionis Christi qualis & quando facta, 483. 1
Resurrectio filijs Dei propria quæ, 484. 1
Resurgent electi ordine dignitatis non temporis, 484. 2
Resurrectionem qui desperant, nolunt finire hãc vitam. 492. 1
Resurrectio non fiet virtute naturali, 496. 2. 498. 2
Resurrectura corpora eadem secundum substantiam, non secundum qualitates, 496. 2
Resurrectionis & immutationis summa celeritas, 407. 1
Resurrectio firmissimè probatur, 511. 2
Resurrectio impiorum non pertinet ad beneficia gratiæ Christi, 81. 1
Resurrectio Christi non est exemplar resurrectionis malorum, 109. 2. 479. 1
Retributionem pro operibus quisque expectare debet, 727. 1
Reum esse corporis & sanguinis Domini, quid, 414. 1
Reuelatio, scientia, prophetia, doctrina quomodo differant, 452. 1
Reuelatio mysteriorum fidei Christianę quando Paulo facta fuerit, 668. 1
Romanorum obedientia in omnem locum diuulgata. 231. 2
Romanus pontifex caput est ecclesiæ pedibus indigens, 426. 2

S.

Sabbatum interdum pro hebdomada, 513. 1
Sacerdotium propriè dictum in noua lege, 219. 2
Sacerdotes non debent esse vxorati, 315. 2
Sacerdotes apostatæ malè fundantur scriptura Pauli, 319. 1. & seq.
Sacra operantes edere ex templo quid sit, 355. 1
Sacramentariorum error refellitur, 378. 2. & seq.
Sacramenta quatenus gratiam conferant, 689. 2
Sacramenta veteris legis egena elementa quo sensu, 706. 2
Sacerdotes consecrant ijsdem verbis, quibus Christus, 408. 1
Sacrificium generali nomine quid, 179. 2
Sacrificium tam cruentum quam incruentum totum est propiciatorium, 409. 2
Sacrificij offerendi potestas data apostolis in cœna, 410. 1
Sacrificium offerre quomodo laicis competat, 410. 1
Sacrificij incruenti quinam fiant participes, 412. 2
Sacrificium incruentum perpetuum ex Christi instituto, 413. 1
Sadducæi resurrectionem & angelum & spiritũ negabant. 482. 1
Salutaria opera ex Deo, 658. 2
Salutandi formula, 9. 2. 520. 2
Salus hominis generaliter quid sit, & vbi habeatur, 12. 2. *quo sensu fidei attribuatur,* 13. 1. 155. 1
Salus Christianorum incipit in hac vita. 470. 2
Saluum facere melius quàm seruare dicitur, 118. 1
Salus gentium referenda ad Iudæos, 169. 2
Saluandorum duæ classes Ambrosij Catharini exponuntur, 124. 2, *quæ explodunt ur,* 125. 2
Salus per crucem eiusq́, humilem prædicationem, 248. 2
Samaritani accepto Spiritu sancto linguis locuti 451. 2
Sanctitas, ecclesiæ est proprietas, 238. 2
Sancti vocati primi Iudæi fideles, 467. 2
Sancti inuocandi, 224. 2. 529. 2
Sanctificatio nostra Spiritui sancto asscribitur, 553. 1
Sancti preces nostras cognoscunt, etsi sola mente fiant, 258. 2
Sancti mundum iudicaturi, 300. 1
Sanctitas quid significet, 305. 1
Sanctitate quanam sanctificetur coniux infidelis per coniugem fidelem. 324 1
Sanctorum animæ Deum vident, 581. 1
Sanctorum gaudium prçualebat dolori, 597. 1. 2
Sanctorum natalicia cur instituta, 707. 1
Sanctorum inuocationi locus apparenter contrarius elucidatur, 155. 2. *probatur autem, & ab hæreticorum calumnia defenditur,* 225. 1.
Sapiens solus Deus quo sensu, 235. 2
Sapientes ad bonum, & simplices ad malum nos esse vult Paulus, 232. 2
Sapiens quis absolutè dicatur, 20. 1
Sapere plusquam oportet quid, 181. 1
Sapientia & intelligentia, 221. 1
Sapientia & scientia quomodo differant, 177. 2
Sapientia sæcularis reprobata à Deo, 247. 2. *eiusque ratio,* 248. 1. 276. 2
Sapientia carnalis, 531. 1
Sapiens & scriba qui dicantur, 247. 2
Sapientia Dei, opificium mundi, 248. 1
Sapientia, gratia gratis data, non gratum faciẽs, 421. 1
Sapientia mundi pluribus nominibus appellata, 250. 1

Sapientes nonnulli in Christum crediderunt, ibidem.
Sapiẽs aut potens inter apostolos Christi nullus, ibidem.
Sapientiam inter perfectos loquitur Paulus, 254. 1
Sapientia principum huius sæculi quæ, 255. 1
Sapientia Dei abscondita principibus huius sæculi, 255. 2
Sapientia secularis inflat, 285. 2
Satanam conterere sub pedibus quid, 232. 1
Satanas quibus modis transfiguretur in angelum lucis, 636. 2
Satanæ hominem tradere quid sit, 289. 2
Satisfactiones pœnitentiam astruuntur, 56. 2
Satisfactio pro peccatis, 541. 2
Satisfactio valet etiam ante reconciliationem, 542. 1
Satisfactio pœnitentiæ astruitur, 607. 1. 655. 2
Sæculum & sæcula quid significent, 23. 2
Sæculum & mundus pro genere humano, 180. 1
Sæculum præsens quatenus malignum, 664. 2
Sæcularia quæ vocentur, 301. 1
Scandalum quid sit, 207. 2
Scandalizari, non potest accipi in bonam partem, 642. 2
Scandalum vitandum, 209. 1. 346. 2 514. 2.
Scandalum destructio proximi, 210. 2
Scandalum aliud datum, aliud acceptum, 347. 1
Scandali fraterni quàm graue peccatum, ibid.
Scandala tam fidelium quàm infidelium vitanda, 383. 2. 389. 1
Scientia quamuis operosa sine charitate non prodest, 435. 1
Scientia quo sensu destruenda in futuro sæculo, 442. 1
Scientia & fides eiusdem in eodem esse possunt, 208. 1. 341. 1
Scientia quæ & qualis inflat, 341. 1
Scientiam malè fugiunt quidam studio humilitatis. 341. 2
Sciendi modum verbis valdè notandis exponit S. Bernardus, 342. 1
Schismata quæ dicantur, 242. 1
Schisma pro dissentionibus, 400. 1
Scriptura à Paulo eleganter ad allegoriam multiplicem conuersa, 558. 2
Scriptura sacra etiam fidelibus & electis obscura, 564. 1
Scriptura sacra quibus fiat in scandalum & laqueum, 165. 1
Scripturæ interpretibus necessaria cognitio linguę originalis, 573. 2
Scripturæ sacræ vtilitas, 215. 1
Securus de sua stabilitate nemo, 716. 2
Semper, frequentiam & assiduitatem significat, 239. 2
Sepulcra dealbata, 563. 1
Septem millia quomodo ad nomen Christianorum pertineat, 162. 2
Seruum domino suo stare aut cadere, quid, 201. 2
Seruitus peccati & iniquitiæ non adfert necessitatem peccandi, 88. 1
Seruitus non excutienda, 329. 1
Seruus & liber in Christo pares, 329. 2
Serui hominum fieri quomodo prohibemur, 329. 2
Serpentes igniti qui fuerint, 369. 1
Serpentis ænei mysterium, ibid.
Signa & prodigia quomodo differant, 220. 1
Signa è cælo petere, non semper malum, 248. 2
Similitudo imaginis quæ, 21. 1
Simulatio quid, 684. 2
Simulatoribus non suffragatur exemplum Pauli, 359. 2
Sina mons quis, & vbi, & quomodo sit conterminus ciuitati Ierusalem, 711. 1. & 2
Sina vetus testamentum significat, 711. 2
Sion ciuitas Dauid ac sedes regni, 174. 1
Societas quid significet, 241. 2
Socij dæmoniorum qui sint, 381. 1
Somnus peccati, 197. 2
Somnium vxori Pilati immissum est non à diabolo, sed ab angelo bono, 256. 2
Sosthenes quis fuerit, 238. 2
Spernere non manducantem, quid, 201. 1
Spes nititur & promissione diuina, & bonis operibus, 67. 2
Spes quænam, & quo sensu non confundat, late discutitur, 68 1. & seq.
Specialistarum refutatio, 362. 1
Spiritus sanctus assistens apostolis & ecclesiæ, 469. 2
Spiritus sancti sigillum & pignus, 537. 1. & 2
Spiritus sanctus à filio procedit, 705. 2
Spiritus sanctus est Deus, 258. 2. 259. 1. 275. 2. 311. 2, & seq. 423. 2. 426. 1. 462. 2. 560. 2.
Spiritus sanctus non solum in mentibus instorum, sed etiam in corporibus habitat, 109. 2
Spiritus sanctus postulans pro nobis, 119. 2. 258. 2. *quidquid postulat consequitur*, 120. 2
Spiritui sancto cur donorum distributio appropriata, 423. 1
Spiritui sancto attribuuntur quæ sunt nostræ sanctificationis, 419. 1
Spiritus sancti charismata varia, 419. 2
Spiritus compunctionis quis, 163. 2
Spiritum pertinaciæ quo sensu det Deus, 164. 1
Spiritus in excommunicato quisnam saluus sit, 292. 1
Spiritualem escam & potum eundem quomodo omnes acceperint, 363. 2
Spiritualis omnia iudicat, & à nemine non spirituali iudicatur. 261. & seq. 262. 1
Spiritualis quis apostolo dicatur, 469. 1
Stachys primus Bisantij episcopus, 228. 2
Studendum quotidianæ renouationi mentis, 180. 1
Stephanas quis fuerit, 246. 1
Stephanæ domus primitiæ Achaiæ, 519. 2
Stimulus carnis Pauli quis fuerit, variæ opiniones. 648. 2. & seq.

Status vitæ honestus vocatio quædam est, 329. 1.
Status vitæ retinendus, 327. 2. 329. 1. 330. 1.
Stultum & infirmum Dei, sapientius est hominibus, 249. 2
Suauitas quid sit, 595. 2
Suffragia sanctorum pro nobis, 529. 2
Suffragia fidelium pro defunctis, 58 .2
Sufficientia temporalium quærenda, non abundantia, 622. 1
Superbia antiquorum philosophorum in quo cõsistebat, 26. 1
Superædificare qui dicantur, 256. 2
Surditas fidem impedit, 166. 1
Synopsis de 70. Christi discipulis falsò inscripta sancto Dorotheo, falsitatis arguitur, 227. 1

T.

TAlenti sui limites nemo prætergrediatur, 181. 1
Templa Spiritus sancti non solum animæ renatorum, sed etiam corpora, 108. 1
Tempori seruire quid, 184. 2
Tenebrarum nomine quid intelligatur, 280. 1
Tenebræ luce priores ordine temporis, 566. 2
Tentatio humana qua, 371. 1. & *seq.*
Tentationes omnes superare omnibus possibile. 372. 1
Tentationes posse vincere, ac etiam ipsum vincere, Dei donum est, 374. 1
Tertius Pauli amanuensis, 233. 2
Terram promissionis ex 6000. numeratis duo solum ingressi sunt, 366. 1
Testamentum quid sit, 698. 1
Testamentum nouum quid, 555. 1
Testamentum vetus ab vno vero Deo, 589. 1
Testamentum vetus à monte Sina profectum, 710. 2
Testamenta quid significent, & quomodo à promissionibus differant, 133. 1. & *seq.*
Testamentum nouum à vetere qui differant, 710. 2
Testamentum vtrumque sanguine confirmatum, Item quid nouum, quid vetus, ac inter vtrumque discrimen, 411. 1
Testis falsus quis censendus, 196. 1
Testimonijs scriptorum gentilium vtitur Paulus, & quatenus idem alijs liceat, 495. 1
Timor seruilis donum Dei, 110. 2. *peccatoribus vtilis, imò necessarius ad iustificationem*, 111. 1
Timor Dei saluti vtilis, 602. 2
Timor quisnam superiori debeatur, 193. 1. 194. 2
Timor & tremor qui differant, & quid in scripturis significent, 253. 1
Timothei laus, & cur filius Pauli vocetur, 285. 2
Timotheus sine scandalo circumcisus, 677. 1
Timotheus cur à Paulo missus Corinthum. 517. 1. *seq.* 524. 2
Timotheus cur obnoxius contemptui, *ibid.*
Timotheus frater Pauli qua ratione, 524. 2
Titus cur frater Pauli dictus, curque eius absentiam à Corinthijs adeò molestè tulerit, 547. 2
Tradere hominem in malum quid sit, & quo sensu id dicitur facere Deus, 21. 2. 144. 1. 164. 1
Tradere hominem Satanæ quid, quisue eius traditionis effectus, 289. 2. 290. 1. & *seq.*
Transitus maris rubri quomodo intelligendus, 363. 1
Traditiones non scriptæ probantur, 231. 1. 390. 2. 405. 1. 471. 1.
Traditiones ecclesiasticæ probantur, 666. 1
Tribulationes confirmant spem electorum, 67. 2
Tribulationes gaudio erant sanctis, 597. 1
Tributorum solutio, professio est subiectionis, 194. 2
Tributum & vectigal quomodo differant, *ibidem*.
Trinitatis opera indiuisa, 419. 1
Trinitatis mysterium expressum, 660. 2. 705. 2
Trinitas personarum à Paulo indicata, 420. 1
Tristitiæ quæ est secundum Deum, fructus, 605. 2
Tristitia sæculi mortem operatur, 606. 1
Tubæ sonus quomodo valeat ad excitandos mortuos, 507. 2
Troas regionis nomen non vrbis, 547. 1
Typus iustificationis in baptismo, 82. 1

V.

VAledicendi formula Paulo in epistolis perpetua, 234. 2
Vanitati subiecta est creatura, 115. 1
Vas Hebræis pro quouis instrumento, 142. 2
Velamen super faciem Moysi quid significauerit, 559. 1. 2
Venundatum esse sub peccato quid. 99. 2. 102. 2
Venter destruendus, 307. 1
Verbum Dei processit à Iudæis ad gentes, 469. 1
Verbum pro re, sæpe ponitur in scripturis, 240. 1
Verba Christi in consecratione operatoria, 407. 1
Veritas Christiana apud omnes eadem, 285. 2
Verum aliquando dicitur, etsi euentus non sequatur, 224. 1
Veteris testamenti homines iusti non erant sub lege, sed sub gratia, 86. 1. 92. 1
Vetustas vitæ iniusticia, nouitas iusticia, 93. 2
Victima Christi vna eademque valet ad delenda totius sæculi peccata, 47. 2
Videri, id est esse in precio, 469. 1

Viæ Dei quæ dicantur, 177. 2
Victoriæ promissio facta pœnitentibus. 372. 1
Vidualis castitas potior coniugali, 340. 1
Vindictam petere quomodo non sit contrarium charitati, & Christi præcepto, 190. 1
Vinci à malo, & vincere in bono malum, quid, 190. 2
Vir lex mulieris, 90. 1
Vir seruus vxoris, 334. 2
Vir caput mulieris etiam virginis & viduæ, 391. 2
Vir orans velato capite deturpat caput suum non mysticum, sed naturale, eiusque ratio, 392. 2
Viri super mulierem eminentię symbola, ibid.
Vir quatenus vtatur capitis tegumento, 392. 1
Vir imago Dei, & quidem perfectiori ratione quàm mulier, 395. 1. & seq.
Vir & mulier mutuis egent officijs, 397. 2
Virga disciplinę ecclesiasticæ. 656. 2
Virga seueritatem disciplinæ significat, 286. 2
Virginitatem oppugnans Iouinianus refellitur, 317. 1
Virginem permanere non est præcepti sed consilij 330. 2
Virginitatis triplex bonum. 331. 1
Virgines Deo consecratas impellunt ad nuptias noui hæretici. 332. 1
Virginitatis pulchritudo cur turpitudini opposita, 336. 1
Virgo superadulta quæ dicatur, 337. 2
Virgines nuptis aptiores ad prophetandum, 391. 2
Virgines consecratas attondendi mos à sectariorum calumnia vindicatur: ac huius rei laudabile factum cuiusdam virginis Christianæ, 394. 1. & seq.
Virtus Dei magis apparet vbi præsidia desunt humana. 569. 1
Virtutes Theologicæ cur ita dictæ: & earum ordo naturæ: ac durante hac vita necessitas, 446. 2
Visionis & reuelationis distinctio, 644. 2
Vita æterna merces bonorum operum, 272. 1
Vita æterna hereditas simul & merces, 113. 2
Vita æterna quamuis bonorum merces, multiplici tamen ratione gratia vocatur, 88. 2
Vita æterna donatum ab apostolo vocatur, 89. 1
Vita æterna non est extra regnum Dei, 304. 2
Vita ex mortuis quęnam est, 168. 1
Vita coniugalis plena molestijs, 332. 2
Vitæ status seruandus. Vide Status vitæ.
Vita Iesu quæ sit, 570. 2
Viuo ego, iuramentum Dei, 206. 2
Viuit Dominus, iurandi formula apud Hebræos, 206. 2
Viuendi ex euangelio potestas multis argumentis probata, 352. 2
Viuendum adhuc esset secundum virtutem sublata spe vitæ æternæ, 481. 2
Vltio permittenda diuino iudicio, 188. 2
Vlcisci iniurias, Dei officium. 189. 1
Vocare Deum patrem suum, reseruatum tempori gratiæ, 111. 2
Vocatio duplex, & quæ semper efficax, 124. 1 670. 1
Vocatio secundum propositum, 145. 2
Vocati secundum propositum omnes saluantur, 241. 2
Voluntas Dei omnium rerum causa, 496. 2
Voluntas signi quę vocetur, 35. 2, 141. 2. 180. 2
Voluntas efficaciter inclinatur, non tamen coacte 110. 1. & seq.
Voluntati Dei cui, & qui resistant, 180. 2
Voluntatis Dei eligentis & reprobantis non est ratio quærenda, 142. 1. 177. 1
Voluntatis nostræ nihil proprium in bono opere, 171. 1
Vri igne concupiscentiæ quis dicatur, 319. 2
Vxor patris quæ sit, 287. 2
Vxor digressa vel dimissa qualibet ex causa, alteri non nubat, 321. 1, *sicut nec vir digressus,* 322. 1
Vxorati quomodo sint tanquam non vxorati, 333. 1

Z.

Zelus studium vehemens significat, 151. 1
Zelus Iudęorum non secundum scientiam, ibidem.
Zelus cùm in vicio ponitur, quid, 263. 2

FINIS INDICIS.

Errata sic corrige.

PAgina 10.col.2. linea 2. lege ex, pro Ex, pag. 36. c.2. à fine, l.8.& 9. post quidē prodest *dele* cōma. p 45 c 1.in med.testificationē habēt,lege testificationē habēs,p.68.c.2.l.vlt.lege nobis,p.112.c.2 à fin.l.14.lege σωεπμαςτυρεῖν. p. 115. c. 2.à fine l.12.lege Habacuc cap. 3.hanc,p.152.c.1. à fin. l.7. lege qui fecerit ea, p. 168.col.1. in med. lege farinā aqua,vino,aut oleo temperatā ad p. pag. 180. col.1.in marg. l.2.lege & rationabile, p.183.c.1.in medio,lege Curam illorum habe, &c p.ead.c.2.l.1 lege Odientes malum, p.194.c.1.in marg. l. 2.dele illud comma, p. 205. c. 1. in med. lege Siue enim viuimus,Domino viuimus; siue morimur, Domino morimur. p.210. c.2. post med. vbi dicitur, in fide & pietate, adde, Confer quę dicimus ad 1.Cor.8.v.1. p.223.c.2.in marg.l.vlt. lege dantis. p. 228. c.1 ante med. lege, Vbi tamen aut quando factum fit,ignoratur. p.240. c.1.l.4.à fine, lege, etiam, aut certè eorum magistris,huius &c. p.244.c.1 l.9. lege, circumcisione; p. 271. c.2.l. 18. à fine, lege, non est. p.285.c.2.l.2.Omitte ista,Sed & hîc &c.vsque ad finem sententiæ. p.295.c.2. paulò ante med.lege Habeto illum eo loco,p.297.c.1.sub finem,ibi,enumeratis, Adde,Vide accuratius ad c.6.v.10. p.376. c.2.in marg.in med. lege,An Christi benedicere sit benefacere. p. 448.c.1.l.11.lege anteferrenti, pag. 449.c.2.l.11.lege,quum,p. 466.c.2.l.12.lege,omnes. p.488.c.1.l.pen. lege,Christo. p.496.c.2. l. 3. lege seminatio, p. 504.c 2.l.16.à fine,lege quæ etiam malis est cōmunis,p.512.c.2.l.26.lege nomen,p.517. c 2.l.52. lege ET, p.524.lin.16. dele illud, potius. l.18. dele, Quo tempore &c. cum linea sequente. p.537.c.1.l.antepen.lege obsignauit, p.557.c.1.in med. nam vox Hebraica Karan. & pro prima litera vocis Hebrææ, pone ק. Copli p.560.c.2. in med. lege quid ni & ista, Dominus Spiritus est, p.567.c.2.paulò ante med. lege persona intellectus; Quod,p.568.c.2.l.17.à fine,lege sicubi de f.& l.15 à fine,lege & 1. Cor.2.sic, p. 571.c.1.ante med. lege mors agitur & exercetur; Nam, & in med. lege ironicam esse exprobrationem,p.575.c.1.in med. lege magnitudinem attinet: p.576.c.2.l.3.lege corpora vestra,p.585.c.2.l.15.lege libro 1.de baptismo paruulorum, & lin. vlt. lege moritur, p.586.c.2. l.11.à fine, lege ego vadam. p. 590. c.2.l.10.lege quadrat. & l.14. lege debent,ac si, & l.14. à fine, lege Reconciliamini Deo,p.610.c. 2.l.44. dele ctio, p.623. c. 2. l. 27. lege fuisse, p. 652.c.2. l.1. lege signa. p.668.c.2. med. lege insuper audierit.


Ea quæ magis obuia sunt, Lector per se corriget.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

DVACI,

Ex Officina Typographica BALTAZARIS
BELLERI, Typographi iurati,
ſub Circino aureo,

ANNO M. DC. XIV.



Signt.ª Top.ª
Est. 21
Tab. 2ª
Núm. 12

ESTIO
IN
Epistolas
.1.

4229